SIGISMVNDI SCACCIAE IVRISCONS. ROMANI

Tractatus

DE COMMERCIIS ET CAMBIO.

In quo non minus opportunè, quàm iuxta occasionem copiosè tractatur de mora, interesse, vsura, solemnitate scripturæ, asse in pondere, & valore, de moneta, solutionibus, oblatione, deposito, præscriptionibus, compensationibus, iurium cessionibus, delegationibus, adiudicatione nominis debitoris, hypotheca, adiecto, manifestatione, cessione bonorum, legitimatione personarum, curatore dando hæreditati, & de modo procedendi in causis cambiorum.

AD SANCTISS. VIRGINEM MARIAM MATREM DEI.



ROMAE, Sumptibus Andreæ Brugiotti.

Ex Typographia Iacobi Mascardi. MDCXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

COELI IMPERATRICI
DEI OPT. MAX. PARENTI MARIAE.

QVAS Commerciorum fruges, AVGVSTISSIMA IMPERATRIX, ex amplißimo moralis philoſophiæ campo, non vnius anni vigiliæ, ſed complurium vigiliarum retulere labores; eas vbi tutius vt vigeant, valeantque pretio, ſi fas eſt, etiam apud homines, nunquam interituro, quàm in tutißimo, atque immortali tui patrocinij horreo aſſeruatas, & conſeruatas velim? Habe igitur meſſem ingenij mei, exiguam illam quidem, mentis tamen tibi deuotæ pignus immortale. Quòd verò vnus è tribus, typorum characteribus dudum conſignatis libris, in tuo nomine non apparuit, id fuit in cauſa, vt hic ipſe ſuo longè germano, & fœlicior, & tuo numine glorioſior appareret; neque iniuria quidem; videbatur enim ſibi hanc præ cæteris prærogatiuam abs Te iure quodam peculiari depoſcere Commercij titulo, Quæ vna fauſtißimum inter DEVM, hominemq; commercium inſtituiſti. Interim quàm præclarè mecum in præſentia actum ſit, ij planè intelligent, qui hiſce meis

è flosculis, tuis iam factis, faui succum degustabunt. Quod est reliquum, clausulæ neque obsecratione, neque obtestatione longiore vtar; nam animi studium mei longissimam quamuis orationem superaret. Salue, Fœlicissima in Cœlo Imperatrix, Diua Virgo, Deipara, meq; tuis subiectum sceptris æuo dona sempiterno.



Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

IVssu Reuerendissimi P.F. Hyacinthi Petronij Sacri Apostolici Palatij Magistri vidi, & diligenter consideraui tractatum Excellentissimi D. Sigismundi Scacciæ, qui intitulatur *De Commercijs, & Cambio*, nihilq; in eo reperi, quod religioni, aut bonis moribus aduersetur, imò summa in eo eruditione, miraq; dicendi arte exprimuntur omnia, & ardua quæque mirum in modum declarantur, atque ideo dignum esse censui pro communi bono vt typis mandetur, in quorum fidem. Romæ die 15. Decembris 1616.

Ita est Angelus Lucianus I. V. D. & in Gymnasio Romano Pontificij Iuris publicus interpres.

EX commissione Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Apostolici Fr. Hyacinthi Petronij, Ego Fr. Ioannes Baptista Bianchetti Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Professor, & Lector Iubilatus vidi totum librum, cuius titulus est *Sigismundi Scacciæ Iurisconsulti Romani Tractatus de Commercijs, & Cambio*, in quo speciatim materiam de Cambijs, non solum dictu, & affatu perdifficilem, verum etiam captu difficillimam, & multis Theologis, & Forensibus penitus reconditam, pulchro ordine, & clariori methodo dilucidat, & examinat, ad omnium studiosorum vtilitatem, præsertim Iurisconsultorum, Theologorum, & Confessariorum, & quia nihil in eo contra fidem, & bonos mores reperi, ideo opus esse censeo impressione dignissimum, & Christianæ Reipublicæ maxime proficuum; & in fidem horum me subscripsi hac die decimaseptima Februarij 1617.

Idem qui supra F. Ioannes Baptista Bianchetti Lector Iubilatus.

EGo Antonius Sanctarellus Societatis Iesu accepi à Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici Fr. Hyacintho Petronio recognoscendum librum, cuius inscriptio est, *Sigismundi Scacciæ Iurisconsulti Romani Tractatus de Commercijs, & cambio*, & quia eum diligenter vidi, & nihil in eo reperi, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur, imò quia doctrinam admodum catholicam continet, & ad vsum politicum, & moralitatem conuenientem, atque auctoritate tum Theologorum, tum Canonistarum, ac Iurisperitorum apprime fundatam, & præterea methodo facili, & praxi accommoda difficultates multas dissoluit, ideoq; Reipublicæ Christianæ, & ijs præsertim, qui harum rerum scientiam in vtroque foro profitentur valde vtilem futurum video, dignum iudico, qui in lucem edatur, vt ab omnibus legi possit. Romæ in domo professa Societatis Iesu 30. Iulij 1617.

Ego Antonius Sanctarellus qui supra manu propria.

Sigil-

Sigismundi Scacciæ I. C. clarissimi tractatum *De Commercijs, & Cambio* ex Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Apostolici Fr. Hyacinthi Petronij commissione diligenter vidi iterum post impressionem, & cum agnouerim, vt antea testatus sum, esse doctrina sane eruditum, auctoritatibus accuratum, ordine clarum, facilitate insignem, & foro tam exteriori, quàm interiori valde vtilem, & nihil, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur, inuenerim, quinimo in eo non minorem religionem, quàm prudentiam obseruauerim; dignum prius existimaui, vt ad publicam vtilitatem imprimeretur, & nunc vt impressus publicetur. Romæ in domo Professa Societatis Iesu 29. Nouembris 1618.

Ego Antonius Sanctarellus Societatis Iesu manu propria.

Vidi tractatum *De Commercijs, & Cambio* Sigismundi Scacciæ, viri doctissimi, Iuris vtriusque Consulti celeberrimi; Cumq; in eo nihil, quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur animaduerterim, & opus ipsum ob summam eruditionem cum summa pietate coniunctam, ac materiam, de qua agitur, admodum difficilem mira facilitate, atque ordine dispositam in foro, & iudicijs valde vtile, & proficuum futurum existimem, meritò vt ad publicum commodum imprimatur, & publicetur, si placet Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij, censeo concedendum. Romæ die 29. Nouembris 1618.

Ego Hi. Machiauellius vtr. Signaturæ Referendarius Apostolicus.

Imprimatur, F. Gregorius Donatus Romanus Mag. & Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ord. Præd.

TOTIVS TRACTATVS ORDO DISTINCTVS IN NOVEM §§.

Primus quorum absoluitur septem quæst. principalibus, Secundus decem glossis, Tertius quatuor, Quartus vnica, Quintus tribus, Sextus duabus, Septimus septem, Octauus vnica, Nonus duobus discursibus, & decem Pontificijs constitutionibus.

§. Primus.

§. Secundus.

Pon.e-

§ Tertius.

§. Quartus.

§ Quintus.

§. Sextus.

§. Septimus.

§. Octauus.

§. Nonus.

FINIS.

SIGISMVNDI SCACCIAE IVRISCONS. ROMANI DE COMMERCIIS ET CAMBIO.

§. 1. Quæstio 1.

ARGVMENTVM.

Commercia an sint prohibita: De negotiatione, Mercatura, Sponsione, Ludo, Assecuratione, Censu, Prestitis Venetiarum, Monte Florentiæ, Locis comperarum Sancti Georgij Ciuitatis Genuæ; Societate, Societate officii, Mutuo, & Vsura; Monte pietatis, alijsq; Montibus; Emptione nominis debitoris, Contractu *a godere à godere*, Emptione cum pactis resciffiuis, & Fideiussione: Quæ commercia, quando, vbi, & quibus sint prohibita.

SVMMARIVM.

Generica inscriptioni quare addatur inscriptio speciei, num. 1.

Cæcus cæcum ducens, ambo cadunt, n. 2.

Commercium nomen generale, quid comprehendat, nu. 3. Quid sit, nu. 4. Vnde dicatur, nu. 5.

Negotium quid significet, & vnde dicatur, num. 6. & 7.

Negotiationis nominis deriuatio, & generalitas, num. 8.

Negotiatio, & mercatura; negotiator, & mercator sunt idem, num. 9. Et quare negotiationis nomen se latius extendat, nu. 10. & 11.

Mercator vnde dicatur, num. 11.

Negotiatio, seu mercatura; negotiator, seu mercator qui dicantur, num. 12. 14. & sub nu. 77.

Artificium, & artifex qui dicantur, n. 13.

Vsurarius an veniat appellatione mercatoris, num. 14.

Contractus quid sit, & eius etymologia, num. 15.

Contractuum species, remissiuè, num. 16.

Commercia qui damnant, qua ratione moueantur, nu. 17. Et qua illi, qui approbant, nu. 18.

Vsurariorum commerciorum determinatio an spectet ad Canonistas, vel ad Theologos, num. 19. & seqq. & n. 38.

Theologus in foro conscientiæ quid debeat obseruare, num. 28. & seqq.

Religiosorum consilium in contractu census ex Pij V. hortatione adhibendum, n. 38. in fine.

1 QVIA inter commercia, de quibus, IESV CHRISTO, Redemptore nostro, duce, acturus sum, cambij commerciũ est magis difficile, & magis periculosum, per ea, quæ dixi q. seq. num. 1. & seqq. & vbi maius est periculum, ibi cautius est agendum, vt scripsi in meo tract. de

iud.caus.lib.1.cap.87.nu.8.idcirco de cambio plenius, quàm de alijs commercijs mihi agendum proposui; hacq; ratione tractatum hunc *de Commercijs, & Cambio*, inscripsi; sacram imitatus scripturam; *dicite discipulis eius, & Petro*, & Cæsareum ius in C. *de seruit. & aqu.* & ibi notauit Glos.

2 Et quò rem fundamentaliter, & ex radice sciamus, aut ne ex ignotis ad ignota procedamus; (quod in omni disciplinarum genere præcauendum est; quia, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadent, Matth. 15. num. 15. Luc. 6. num. 39. cap. 5. quæ ipsis. dist. 38. & cap. 11. post translationem. de renunt.) pro verborum, & rerum, de quibus venit agendum, intelligentia, breuiter de eorum significatione non inutiliter erunt pauca præmittenda; nempè, quid significet commercium, quiduè sit, quid negotiatio, mercatura, negotiator, mercator, artificium, artifex, & contractus; quibus præmissis; duo, quæ vniuersum respicere possunt tractatum, adnotabo, & his absolutis, rem aggrediar.

3 Commercium est nomen generale; comprehendens æquè commercium terrestre, & commercium nauale, cap. vlt. rhodiæ. dist. 2. imò comprehendit etiam cœleste commercium; quando scilicet Creator generis humani, sumens animatum corpus, largitus est nobis suam deitatem; quod Sancta Mater Ecclesia in repetitis Antiphonis vltimi Officij B. Virginis vocat commercium admirabile; & demum comprehendit omnem contractum, Gl. in l. 5. ex hoc iure. ff. de iust. & iur. & in §. 1. Instit. de inutil. stipul. vtrobique in verbo, commercium. Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 4. princip. sub num. 1. fol. 45. & Stracch. tract. de proxen. par. 2. num. 13. fol. 339. vterque inter tract. diuers. tom. 6. par. 1. & probatur ex d. l. ex hoc iure. ex d. §. 1. ex l. 34. si in emptione. §. omnium rerum. ff. de contrahen. empt. ex l. 3. C. quæ res vend. non poss. l. 1. C. quæ res export. non poss. l. 2. C. de eunuch. cap. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar. fol. 193. & ex rubr. C. de commerc. & mercat. quæ iura loquuntur de commercijs; & de captiuis, deductis in commercium, loquitur text. in cap. 70. aurum. 12. q. 2. 4 † &, propriè loquendo, commercium est, vbi aliquid simul cum alio geritur, secundum Alex. in l. 43. cætera, §. sed & si quis, sub num. 3. ff. de leg. 1. 5 † & dicitur commercium; quasi mercium commutatio, Fab. de Mont. d. q. 4. num. 1. in fin.

6 Negotium multa significat; modo actum alicuius rei, cuius contrarium est otium, & dictum est negotium, idest, sine otio, cap. 10. forus. de verb. signif. seù negotium, quasi negans otium, Glos. ibidem, in verbo, negotium. Conrad. de contract. q. 51. concl. 2. ibi, tertio redditur negotiatio illicita. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 2. vers. pro quæstionis. 7 † modo verò significat actionem causæ, quod est iurgium litis, d. cap. forus. significat etiam officium, & exercitium, vt in rubr. iuris Canonici, ne cler. vel mon. secular. negot. se immisc. & adeo multa significat, vt definiri non possit: negotium enim seculare dicitur mercantia, seu negotiatio, & omne, quod fit pro lucro, Redoan. de spol. ecclesiast. q. 2. n. 52. tom. 14. fol. 220. *quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrahere, &c.* cap. 13. quid est. dist. 88. Et demum, est nomen adeo generale, vt comprehendat multa alia, quorum vocabula non habemus, quia plura sunt negotia, quàm vocabula, vt dixi in meo tract. de appell. q. 1. num. 15.

8 Negotiationis nomen deriuatur à negotio, vt satis de se patet, & negotiatio in commercijs dicitur, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur, cap. 10. forus. de verb. signif. & est nomen generale, comprehendens multa, sed ex circunstantia transit in speciale nomen, vt dixi infra num. 12. & 13. quare est simile illis nominibus, de quibus dixi in meo tract. de appellat. q. 1. num. 9. & seqq.

9 Negotiatio, & mercatura, seù negotiari, & mercari, sicque negotiator, & mercator videntur vnum, & idem; nam de his promiscuè loquuntur Io. Chrysost. relatus in cap. 11. eijciens. dist. 88. cuius verba retuli infra sub num. 27. Bar. in l. 63. legatis. sub num. 3. ff. de leg. 3. Feder. de Sen. cons. 207. in Christi nomine. num. 2. ibi, nam negotiari. Sot. d. q. 2. art. 2. vers. prò quæstionis. & communiter omnes, ne in hoc tempus conteramus; & quòd iuris interpretes hæc nomina ponant tanquam synonima, & ijs promiscuè vtantur, scribit Stracch. tract. de mercat. par. 1. sub num. 5. tom. 6. par. 1. fol. 285.

10 Sed ego, nullo adhibito studio, ex vulgi quadam opinione semper arbitratus sum, negotiationis, seu negotiatoris nomen latius

tius extendi, quàm nomen mercaturæ, seù mercatoris, & postea, studio adhibito, firmius ità existimaui, tùm per ea, quæ dixi supra num. 6. & seqq. ad eum, tùm quia mercari de sui propria natura significat emere; † imò mercator dicitur etiam à merce, in tantum, quòd is, qui emit seruos, vel quid aliud, quod non veniat appellatione mercis, non dicitur mercator, sed venalitiarius, l. 205. mercis appellatione. ff. de verb. signif. & l. 57. mandatum. ff. mand. & scribunt Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 4. de vsur. dicens, esse vtile propter statuta, quæ loquuntur de mercatoribus, & mercantijs, & Alex. ad Bar. in 1. addit. in d. l. 63. legatis. ff. de leg. 3. Stracch. d. par. 1. num. 16. & seqq. fol. 285. tùm quia post hæc à me scripta reperi, quòd ità tenuit etiam Stracch. d. par. 1. sub num. 5. 43. in fine, & num. 68. in fine, fol. 288. & quòd negotiator differat à mercatore, & negotiatio à mercatura, scribit d. num. 43. fol. 286.

12 Negotiatio, seù mercatura, idest, negotiator, seù mercator, quando rem, quam causa lucrandi emit, postea immutatam reuendit, dicitur propriè negotiatio, seù mercatura, idest, negotiator, seù mercator, cap. 11. eijciens. dist. 88. Feder. de Sen. cons. 207. num. 2. Abb. in cap. vlt. in fine, sub num. 14. de vit. & honest. cler. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 2. vers. prò quæstionis. hæcq; est illa negotiatio, seù mercatura, quæ displicet Deo, vt dixi infra sub num. 77. estq; prohibita clericis, iuxta ea, quæ scripsi infra sub num. 71. & infra q. 7. par. 2. ampl. 11. num. 7.

13 Quando verò emit, vt, mutata forma, reuendat, non retinet nomen negotiationis, seù mercaturæ, sicq; is non dicitur negotiator, seù mercator, sed dicitur artificium, & artifex, vt cum quis emit vimina, & facit canistra; emit filum, & facit retia, Abb. in d. cap. vlt. in fine; cum quis emit lanam, & facit pannum; emit ferrum infectum, & vendit factum, & hi dicuntur mechanici, quia exercent artem mechanicam, Sot. vbi supr. & secundum diuersas species artificij denominantur artifices, vt lanifices, textores, aurifices, fabri, & similes, Feder. de Sen. d. cons. 207. sub num. 2. & eiusmodi negotiato, seù mercatura dicitur artificium, vt dixi, & eam exercens, dicitur artifex, & Deo non displicet, sumpto argumento à contrario sensu ex textu, cuius verba retuli infra num. 77. &, adhibitis honestis circunstantijs, non denegatur clericis, secundum ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 11. num. 7.

Aduerte tamen, quòd etsi sæpè mercatores merces emant, easdemq; non sua opera, sed aliena elaborandas curent, animo forsan quæstus, & causa transmittendi ad extraneas Ciuitates; tamen etiam in eo sunt mercatores, vt scribit Stracch. tract. de mercat. par. 1. nu. 26. rom. 6. par. 1. fol. 285.

14 Vsurarius an contineatur appellatione mercatoris, & an appellatione mercatoris comprehendatur is, qui ex vulgi opinione, & communi eius vsu loquendi vocatur mercator, vide Stracch. d. par. 1. n. 27. & 12. fol. 285. & qui dicatur mercator, vide etiam aliqua, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 183. & 185.

15 Contractus est vltro, citroq; obligatio; vt emptio & venditio, conductio locatio, & societas, l. 19. labeo. ff. de verb. signif. & latè ex Iureconsultis Sebast. Medic. tract. de definit. par. 2. defin. 43. n. 1. & seqq. tom. 18. fol. 302. & ex Theologis Conrad. de contract. q. 16. vbi distinguit triplicem acceptionem contractus, & postea recenset definitiones, Franc. Garcia de contract. cap. 1. n. 1. & seqq. Lud. Lopez eod. tract. de contract. lib. 1. cap. 1. Molin. de contract. disput. 252. per totam, tom. 2. Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 17. num. 1. & seqq. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. initio, nu. 1. & seqq. fol. 2. qui latè explicat.

Comprobatur hæc definitio ex etymologia contractus; dicitur enim contractus à verbo, *contrahere*, quod significat simul, seù in vnum trahere, quasi ex duabus obligationibus vnus nascatur contractus, Sebast. Medic. d. defin. 43. sub num. 2.

16 Contractuum, seù commerciorum species quot sint, omitto; quia maior esset impensa, quàm fructus, præsertim cum nos acturi non simus de singulis contractuum speciebus, sed solùm de ijs, in quibus maior versatur difficultas: cæterum quot, & quæ sint species contractus, scripserunt ex Iureconsultis Sebast. Medic. d. defin. 43. num. 6. & ex Theologis Conrad. de contract. q. 17. vers. quartus modus. vbi conatus superare numerum specierum, quas alij, per eum citati, collegerunt, ponit ipse triginta species, quarum tamen aliquas bis numerat, & aliquas omisit; Sot. de iust. & iur. lib. 6.

A 2 q. 2.

q.2. art. 1. col. 3. circa medium, fol.562. contra Conradum ponit ſeptem ſpecies; Io. Azor.de inſtit.moral.par.3.lib.6.tit.de contract.cap.3.per totū. col.496.& 497.contra omnes aliter ſpecies contractus colligit; aliter etiam colligit,diuidendo,& ſubdiuidendo Franc. Garcia tract. de contract. cap. 1. num.9.& ſeqq. Mich.Sal. ad D.Thom. 2.2. q. 77. art. 1.tit. quotuplex ſit contractus num. 1. & ſeqq. impugnatis prius quibuſdam diuiſionibus, & præſertim ea, quæ eſt Conradi, vt pote, ſumpta ex eo, quod eſt materiale, & non ex eo, quod habet rationem formæ, prout in diſciplinis ſumi debet, videtur adhærere illi, quòd aliqui ſint nominati, aliqui verò innominati; huicque diuiſioni genericæ conſentit, ſubdiuidendo poſtea Molin. de contract. diſput. 253. per totam, tom. 2. aliter diuidit Leonar. Leſſ. de iuſt.& iur.lib.2.cap.17.num.12.& ſeqq.

Contractuum aliqui ſolo conſenſu, aliqui verò certa verborum formula perficiuntur, vt dicit & latè explicat Molin. de contract.diſput.254.per totam, tom.2.

Contractus, vt ſupra diuiſus in ſpecies, diuiditur etiam in tres partes: primæ quarum dicuntur ſubſtantialia, ſine quibus conſiſtere non poteſt; ſecundæ dicuntur naturalia, vt loquuntur Legiſtæ, ſeù propria accidentia, aut ſimpliciter propria; & tertiæ, quæ dicuntur accidentia communia, ſeù accidentia ſimpliciter, vt ex Legiſtis declarat Medic. d.defin. 43. num.7. & ſeqq. fol. 303.tom.18.& ex Theologis Garcia d. cap. 1. num.3. & ſeqq. quem ſequitur Lud. Lopez de contract. lib.1.cap. 1. verſus finem, verſ. inſuper.

His breuiter præmiſſis, duo tanquam baſes angulares, ſuper quibus totum noſtri tractatus ædificium conſiſtat, cenſeo eſſe notanda.

17 Primum notabile eſt, quòd aliqui nimia ſcrupuloſitate omnia ferè commercia formidant, aliqui verò nimia conſcientiæ craſſitudine omnia ferè approbant; vt,loquendo de cambij commercio, ſcribit Boninſ. quem citaui q. ſeq.num.18. verſus finem.

Qui formidant (& hi plerique ſunt) duplici mouentur ratione: Prima,quia in re dubia tutior via eſt eligenda; & tutior eſt damnare, quàm approbare, Io. de Anan.in cap.6.in ciuitate.num.14.in fine, in 7. arg. de vſur. & eſſe in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt,ad vitandos graues remorſus conſcientiæ, partem ſecuriorem tenendam, dicit clem. 1. exiui. §. item quia. de verb. ſignif. quia tenendum eſt certum, & dimittendum incertum, vt dicit text. in cap. ſi quis autem.in fine,de pœnit. diſt.7.quare vbi contractus eſt dubius, an ſcilicet contineat in ſe peccatum, vel non, debemus potius abſtinere à tali contractu,quia in dubio debemus capere partem magis tutam animæ, etiam ſi illa pars videatur durior reſpectu corporis, Abb. in d.cap.in ciuitate.nor. 3.num.4.& Io.de Anan. num.5. verſ. nota quòd. Secunda ratio, quia homines,natura per originale peccatum iam corrupta, valdè proni ſunt ad malum; vt ſcripſi infra num. 50. & 51. & præſertim ad auaritiam, quæ eſt radix omnium malorum, vt ſcripſi infra. q.7.par. 1.num.40. in 14. argum.& flexibilia, quæ ad vnam partem ſunt propenſa, vt in rectitudine conſiſtant, non tantum ad rectitudinem reducimus; ſed vlterius ad contrariam partem deflectimus: Ergo, cum hominum commercia ad illicitum lucrum nimis propenſa ſint; non tantum ad licitum reduci debent, ſed etiam ad id, quod pluſquam licitum eſt, compellenda ſunt; hacque ratione negotiantium, ac contrahentium adeo nutantes, ac perplexas reddunt conſcientias, vt ij non ſolùm mutui, ſed & emptionis, & cuiuſuis alterius negotij contractum fœneratitium, ac illicitum fore timentes, ab omni commercio abſtinere deberent.

Sed neutra ratio, ſi rigoroſè cuſtodiatur, eſt tuta; tum quia, ſublaris commercijs, Reipublicæ multa neceſſaria deficerent; tum quia ex nimia ſcrupuloſitate ſequi poſſent, quæ ſcripſi num. ſeq.

18 Qui omnia ferè approbant commercia, ea adducuntur ratione, quòd negotiator, tanta ſcrupuloſitate deterritus, & ad negotiandum neceſſitate compulſus, frequentioribus calcaribus amplius non obtemperat, ſed quaſi in perditionis viam inductus, peſſimè dicere ſolet, quòd ex quo ſine animæ periculo ſuam pecuniam trafficare non poteſt, vult ad inferos non pedeſter, ſed equeſter accedere; vnde ſecundum illos, qui facilè commercia damnat, credens,exaſperando, animabus proficere, contrarium ſæpè operatur, vt, diſputando articulum de impreſtitis Venetiarum, de quo nos infra num.452.& ſeqq.in 6.caſu, admonet Laur. de Rodulph. in cap.conſuluit. partic.3. ſub num. 58. de vſur. inter tract. diuerſ.tom.7. fol. 42.

fol.42. quare non adeo rigidè agendum est, vt summum ius summa sit iniuria, *noli esse iustus multum, neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas*. Ecclesiastes 7.num. 17. nam, *qui vehementer emungit, elicit sanguinem*, Prouer.30. in fine, & cap. 6. deniquè.dist.4.prout hæc omnia, loquendo de nimia conscientiæ scrupulositate, considerant Anch. in cap. peccatum. num. 22. col. 18. de reg.iur.in 6.& Laur.de Rodulph.vbi supra,& ego explicaui infra q.7.par.2.ampl. 19. num. 59. confirm.2. vbi videas.

Sed neque hæc ratio, si laxas habeat habenas, est admittenda, quia sicut, prohibitis omnibus commercijs, multa Reip. deessent necessaria, & ad conscientiæ forum omnia cum summa scrupulositate reducere, esset negotiorum dissipatio; ita etiam, omnibus admissis, multa in Rep. insurgeret iniquitas, & consequenter plerique, dum merces hic illicitè negotiarentur, animam Diabolo venderent, & dum commercia vsuraria admitterentur, omnia mala sequerentur, vt retuli infra sub num.403.

Nos istorum periculo edocti, in his, quæ à sacris Canonibus clarè definita forsan non sunt, non magis scrupulositatem, quàm conscientiæ crassitudinem fugientes, viam quasi mediam, quæ nec exasperet, nec emolliat, sequemur, ità vt si nostri Redemptoris exempla propter nostras fragilitates imitari non valemus, ab illis saltem non vlterius deuiemus, quàm humana fragilitas valeat excusare; quare ea damnanda sunt commercia, in quibus animæ salus certò, aut dubio periclitaretur, & ita tutior via eligi debet: ea verò, in quibus tuta est animæ salus, licet tutior esset ab illis etiam abstinere, damnari non debent, quia non semper est necessarium, tutiorem partem eligere, cum satis sit ad præcepti implementum, tutam eligere, vt, loquẽdo generaliter, scribit Nauar. in cap. consideret. in princ. num. 38. de pœnit. dist. 5. & in cap. si quis autem.num.34.de pœnit. dist.7. ad quem locum se remittit in Man.cap.27.num.281.

19 Secundum notabile est, quòd decisio casuum, quæstionum, & difficultatum, quæ emergunt in materia vsurarum,& commerciorum illicitorum, spectat principaliter ad Doctores iuris canonici; & ideo eorum opinio præualet opinioni Theologorum, vt, disputato articulo, concludit Petr.de Anch. in sua eleganti disputat.incipien.antiquis & modernis temporibus, &c. quem referunt, & sequuntur Io.de Anan.in cap.6.in ciuitate. num.13.in fine, ibi, extra gl. & num.17. in fine, vers. his ita. & num.18. & 19. de vsur. Alex. cons.1. circa primum. sub num. 10.vers.& si aliquis. lib. 2. Dec.cons. 111. num. 6. vers. & in primis. & num. 7. cons. 151.maximi. sub num. 6. ibi, & nobis sufficit.cons.602. viso puncto. sub num.9.col.3. ibi, venio ad tertium dubium. & in cap. 5. ne innitaris. in 1.lect. in fine, num. 11. de constit. Natt. cons.250. superioribus. num. 2. ibi, nam in his quæ pertinent.& Io.Bapt. Lup.in cap.quamquam.§.4.num.9.vers.occurrit nunc. de vsur. tom. 7.fol. 151. vbi ex Theologis, qui hoc idem fatentur, citat Siluestr. & Sot. Imò Canonistarum, & Iurisconsultorum iudicio standum est non solum in controuersijs de vsura, & contractibus illicitis, vt citati Doct. scripserunt; sed (quod maius est) aliqui ex Theologis, & religiosis viris, vt facto ostenderunt, opinantur, eorundem Iurisconsultorum, & Canonistarum iudicio standum esse in difficultatibus de vsu Sacramentorum; nam Beatus Io. à Capistrano, qui fuit etiam Theologus famosus, excitato à nonnullis sacræ Theologiæ etiam clarissimis professoribus, & magistris dubio (vtrum sufficiat ad salutem semel in anno, quamuis non in Paschate, Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum assumere) consuluit celeberrimum Iureconsultum Marianum Soccinum Senensem aduocatum Concistorialem, vt in eiusdẽ Socc. cons. 80. quoniam. lib. 5. & licet ibi sub num. 13.vers.profectò. dicat.quòd de necessitate assumendi hoc sanctissimum Sacramentum desiderasset conuenire aliquos doctissimos Theologos, tamen hoc desiderabat, quia Canonistæ parum scripserant, vt ipse dicit; quasi, si Canonistæ scripsissent, cessasset eius desiderium; & quia Beatus Io. à Capistrano erat eiusdem opinionis cum Soccino, adhibuit trium Iurisconsultorum de Aquila subscriptiones, quæ habentur post dictum Soccini cons. 80. Similiter Fratres,& Conuentus ordinis Seruorum Sanctæ Mariæ super dubio, vtrum licitum, & honestum esset prædictis Fratribus impetrare à Pontifice licentiam celebrandi missam in die Sabbathi sancti in crepusculo noctis, consuluerunt eundem Socc. cons. 81. eod. lib.5. primum in lucem edito anno 1594.& quòd monialis non excusetur à suspensione,

eo quis conſuluerit Theologos,cum debuiſſet conſulere Canoniſtas, ſcribit,eod.Anch. citato, Mohed. deciſ.3. alias.196. ſub num. 2. de ſent. excom. & in hoc notabili, fretus Decij auctoritate in citato conſ. 111. reſidet Caſtrac.tract.de ſociet.cap.43.num.9.in fine, verſ.ex his..

20 Ratio, quam iſti Iureconſulti adducunt, eſt, quia ad ſcientiam canonicam principaliter ſpectat interpretati ius diuinum in caſibus dubijs, pertinentibus ad philoſophiam moralem, ſeu interpretatio iuris naturalis, & diuini, quatenus ſpectat ad moralitatem, quæ dirigit actus noſtros ad Deum, pertinet ad Doctores decretorum: Ad theologicam autem ſcientiam pertinet interpretatio iuris diuini, quoad opera Domini noſtri IESV CHRISTI, & quatenus ius diuinum tendit ad ſpiritualitatem, & agnitionem veræ fidei contra iudæos, hæreticos, & alios infideles; ſicque illa, quæ ſupernaturalia ſunt; qualia ſunt ſacramenta eccleſiæ, & articuli fidei, ad Theologorum doctrinam pertinent: quæ verò ſupernaturalia non ſunt, & moralitatem reſpiciunt, à Canoniſtis cognoſcuntur.

21 Huic ſecundo notabili non conſentiunt Theologi: nam Conrad. de contract. q. 49. verſ.corollarium.prolixè more ſuo,præmiſſis tribus ſuppoſitionibus, & quatuor concluſionibus;ſcribit,Petri de Anch.ſupracitati, reſponſionem eſſe irrationabilem, eamvè quatuor nititur rationibus ſubuertere, citans etiam pro Theologorum iure, Ant. de Butr. quem dicit fuiſſe magnum decretaliſtam; minnſuè conſentit Sot.quem idcirco pro Canoniſtis non debuiſſet citare Io. Bapt. Lup. vbi ſupra, nam Sot. de iuſt. & iur. lib.6. q.1.art.1. verſ.his de nomine. & verſ. reſpondere. loquens de Anch. ait, quòd is negat, iure naturæ prohibitam eſſe vſuram, & quòd ideo fortè tenuit, tractare de vſuris non pertinere ad Theologos, quia cernebat,perpendere naturæ ius,Theologorum eſſe munus;& poſtea ſubdit,negari non poſſe, quin ſit de iure diuino, cuius Theologi interpretes ſunt: & demum,quaſi conciliando, concludit, reſpondere de iure exteriori, deq; fœneratorum pœnis decernere, relinqui Iuriſperitis; vſurarum autem naturam de ſuis principijs enucleare, Theologorum eſſe; & rurſus lib.4. q.5.art.3.col. 4. ibi, & ſi ego inter theologos. fol. 326. ſcribit, iudicium iuris naturalis, ac potiſſimum conſcientiæ non alijs, quàm Theologis eſſe deferendum: imò lib.6. q. 1. art. 6. col.3.initio, fol. 558. hoc amplius auſus eſt ſcribere, quòd Papa,& Concilium, & ſi in eis ſumma condendi fidei articulos, & morum leges reſideat poteſtas; tamen,cum cognitio, an contractus ſit vſurarius,pertineat ad philoſophiæ diſputationem,& ex media, meraque natura colligatur, & philoſophicæ diſputationes non ex ſacra ſcriptura, ſed ex nuda philoſophia eliciantur, non curant falcem ſuam mittere ad definiendas has philoſophicas diſputationes, tanquam de fide; & cum hac ſententia, quæ pro Theologis militat,conſentit Mich.Sal.ad D.Tho. 2.2.q.5.de dominio.art.1. concl.2. in fine, verſ.ex his. fol 135. vbi apertè,diſtinguendo inter forum interius, & forum exterius, inquit, quòd alienum debet eſſe à Iuriſperitis mittere falcem in ea, quæ ſpectant ad forum animæ, & alienum à Theologo, quæ fori exterioris ſunt, ſibi aſſumere; & pro Theologis videtur apertè ſtare Mantic. tract.de conie ct.vltim.volunt. lib. 2. tit.14. in fine, num.30.verſ.nouiſsimè. vbi,diſcuſſo articulo, an teſtamentum non ſolemne ſit obſeruandum in foro conſcientiæ, omnia ſua dicta ſubijcit Theologorum determinationi, prout eundem latius retuli infra q. 7. par.2.ampl.19. num. 115. verſ. infeto probando. & Theologorum partes ſæpè amplectitur, & defendit Io. Azor.de inſtit.moral.par.3. lib.1.cap.3.q.4.col.16. & 17. vbi quatuor argumentis nititur oſtendere,quòd ſine dubitatione in iure naturali interpretando, maioris ponderis debeat eſſe Theologorum,quàm Iuriſconſultorum auctoritas. & cap.4.in fine, q.8. col. 23. vbi ait, in cognoſcendo, & interpretando iure gentium, prout eſt ius naturale, potius Theologis, quàm Iureconſultis eſſe credendum, & latius cap.5.q.5.col 27.& 28.vbi in interpretando,& diſcernendo iure diuino plus fidei, & auctoritatis ait tribuendum eſſe Theologis, quàm Iureconſultis.

22 Ratio, quæ pro Theologis militat, eſt, quia ius canonicum, præſertim vſuræ prohibitiuum, eſt ſumptum à ſacra ſcriptura, diuinoq; iure, cap. 3. quia in omnibus. & cap.10. conſuluit de vſur. Sed interpretatio ſacræ ſcripturæ, diuiniq; iuris ſpectat principaliter ad Theologos, qui illius iuris ſcientiã habent,ergo caſus dubios circa vſurã ad Theologos ſpectat decidere, & interpretari.

Huic

23 Huic rationi possunt Canonistæ respõdere, conueniens esse, quòd Pontifex adhibeat Theologorum consiliũ, dum legem canonicam condendo, interpretatur ius diuinum, sed postquam legem canonicam cõdidit, ac sacram scripturam, diuinumque ius est interpretatus, Canonistæ, qui iuris canonici scientiam habent, interpretationem, vbi opus est, explicant, ideoq; publici professores, ac interpretes iuris canonici sunt non Theologi, sed Canonistæ: & nisi hæc responsio admitteretur, & staret ratio adducta, sequeretur, quòd Theologorum munus esset interpretari nedum totum ius canonicum, sed etiam vniuersum ius ciuile, imò in tota iuris humani editione esset necessaria Theologorum opera, cum ipsi, vt ex Sot. retulimus, sint iuris diuini, & iuris naturalis interpretes; & Ius tàm canonicum, quàm ciuile sit fundatum in iure naturali, vt secutus sum Infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 14. & seqq. & ab hac responsione non potest discrepare idem Conrad. quem secutus sum infra num. 37. quia Is scribit, cognitionem, an contractus sit vsurarius, pertinere ad Canonistas, quando ille contractus est ex illis, super quibus lex sinodalis, seu prouincialis disposuit, an sint vsurarij: minusuè ab hac responsione videtur discedere Io. Azor. d. cap 4. q. 8. in fine. col. 23. licèt perplexè videatur loqui, dicens, quòd si ius gentium non accipiatur pro iure naturali, sed accipiatur pro eo, quod auctoritas, & voluntas gentium recepit, magis est credendum Iureconsultis, quàm Theologis, quia magis versantur in cognoscendis legibus, quæ in iure ciuili continentur.

Vel aliam sume tu responsionem ex dictis supra num. 20. in ratione adducta pro Canonistis.

Retento ergo notabili, & omissa vlteriori disputatione.

24 Extende primo illud, vt maximè procedat quoad forum exterius, cum ad illud absolutè spectet omnis moralitas, dum in eo agitur de criminibus, quæ si merè ecclesiastica sint, eorum cognitio, & decisio fieri debet secundum canones, cap. 45. si quis cum clerico. in fine, 11. q. 1. Conrad. Brun. tract. de hæret. lib. 4. cap. 3. num. 4. & 5. tom. 11. par. 2. fol. 311. si verò merè secularia sint, secundum leges ciuiles punienda sunt, & ab hac extensione non videntur discedere Sot. & Mich. Sal. in locis sup. prox. citatis.

25 Confirmatur hæc extensio, quia Inquisitor dum agitur de processu, & de pœnis reorum, debet esse Iurisperitus potius, quàm Theologus, dum verò agitur de cognitione hæresis, nempe de articulis fidei, illorumq; disputatione, & examinatione debet esse Theologus, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 87. sub num. 10.

26 Subextende primò hanc extensionem, vt procedat, non solùm si agatur de criminibus puniendis, vt in extensione, sed etiam si agatur de iustitia, & iniustitia contractuum, & de rerum dominio, transferendo ex contractu; quare, an quis, seruata legis dispositione, contraxerit, & ex illo contractu rei dominium acquisiuerit, vel non, spectat in foro fori absolutè ad Iureconsultos, omni prorsus semoto Theologorum iudicio, quia in foro fori seruari debet ius Pontificium, & Cæsareum; & huic extensioni consentiunt etiam Sot. & Mich. Sal. in locis supra citatis, & alij communiter; & ità etiam indistinctè seruatur vbique.

27 Subextende secundo, vt in tantum spectet ad Canonistas, vt Theologi, quibus demandata est iurisdictio fori interioris, dum Confessariorum munere funguntur, debeant sequi canonum, & legum decisiones, quas si ignorent, à Iureperitis petere debent, vt consentit Mich. Sal. in loco, supra proximè citato: quare Theologus, (vbi ageretur in foro conscientiæ de restitutione rei, facienda, vel non facienda) scire tenetur, quando lex concedat, aut neget actionem, seu repetitionem tantum; quia tunc, qui auctoritate huius legis possideret, non esset tutus in foro conscientiæ, etiam si sit tutus, quoad forum contentiosum: scire etiam tenetur quando lex concedat, aut neget rerum dominium transferri, quia tunc is, in quem ex legis dispositione transferretur, esset tutus in foro conscientiæ, Medin. in suis tract. tom. 1. tit. de reb. restit. q. 1. col. 14. in fine, vers. nota tamen. fol 8. in fine, & fol. 9. quod idem breuius sub alijs verbis dixit postea, q. 3. caus. 7. vers. tunc autem. fol. 44. dicens, liberum esse à restitutione agenda eum, qui possidet auctoritate iuris concessiui, secus si auctoritate iuris permissiui, aut iuris concedentis actionem, aut negantis repetitionem, quia talia, inquit, iura non releuant in conscientia debitorem: & cum istis concordanda sunt, quæ, loquendo de ludo, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit.

de restit. cap.21.q.5. vers. secundo dicendum.& seq. col. 296. & quæ nos scripsimus infra num.116. vsque ad nu.120.inclusiuè, & consequenter lex conscientiæ conformari debet cum lege scripta, Anch.in cap.peccatum num.22.col.18.de reg.iur.in 6.

Ratio huius subextensionis est duplex: Prima, quia lex positiua non debet esse nutritiua peccati, sed debet esse iusta, & rationabilis, vt ostendi infra q.7. par.2.ampl.19. num.15. & 16. si debet esse talis: Ergo debet esse conformis legi fori interioris, & conscientiæ: Secunda, quia in foro interiori seruari debet ius naturale, vt secutus sum eadem ampliat.19.sub num.57.& 73. Sed lex positiua est fundata in iure naturali, vt secutus sum ead. ampl. 19. num. 14. & seqq. Ergo Theologi in foro interiori non debent iudicare contra legem positiuam.

28 Explica hanc subextensionem, eiusq; rationes, vt vbi lex positiua, quod habet in mente, habet etiam in dispositione, Theologus indistinctè debeat sequi dispositionem legis, & ità procedant indistinctè subextensio, & eius rationes; at vbi lex positiua vnum habet in mente, & aliud coacta disponit, vel omittit disponere, Theologus sequi debeat mentem legis.

Infero ex hac explicatione sequentes septem conclusiones, quibus veritatem totius subextensionis, & explicationis ostendo.

29 Prima sit conclusio, quòd vbi lex, veritate comperta, delictum liberè punit, vel impunitum dimittit; aut condemnat ad restituendum, vel absoluit, vel aliter cōtractum, vti illicitum, rescindit, Theologus quoque pœnitentiam dare, vel dimittere, condemnare, vel absoluere debet, sequendo legis determinationem; quare, si lex punit homicidium, Theologus pœnitentiam dabit; si lex impunitum dimittit, quia licitum decernat; vt puta, quia ad sui necessariam defensionem sit commissum, Theologus etiam absoluet, & cum hac conclusione concordant regula, quam ex Abb retuli infra q. 7. par.2.ampl.19. sub num.57.vers.prima doctrina. & quæ scripsi infra sub num 116.

30 Ratio huius conclusionis est, quia, si lex est condita ab habente potestatem, est recepta à populo, & habetur, obseruaturq; pro iusta, nec Theologi, nec alij de illa possunt iudicare, sed debent secundum illam iudicare, ex quò, cum sit iusta, & consequenter non sit nutritiua peccati, disponit illud idem, quod disponere deberet lex conscientiæ; & obligat in conscientia, vt secutus sum infra q.7. par.2.ampl.19. num.47.

31 Aduerte obiter circa hanc conclusionem, quòd licèt delinquens sit punitus sufficienter, & rigorosè in foro fori, & fecerit omnimodam restitutionem; tamen adhuc est puniendus in foro pœnitentiali, seù conscientiæ; quia delinquens lædit tres; nempe, Deum, Remp. & partem: & pœna, imposita in foro fori, est pro satisfactione Reip. & partis: ergo debet in foro pœnitentiali satisfacere Deo per contritionem, & pœnitentiam, quia qui fecit te sine te, non saluabit te sine te, Io. Andr.in cap.peccati venia. sub num.3.& Anch. sub num.2.de reg. iur. in 6. & Medin.in suis tract. tom.2.tit. de reb. restit.q.37. col.10.coroll.2.vers.sequitur amplius. fol. 260. & proinde pœna vnius fori non tollit pœnam alterius fori, Anch. in d. cap.peccati venia. num.5. vers.sed iuxta, vbi in fine remissiuè; an pœna mortis temporalis, vel alterius cruciatus tollat æternam, vel purgatorij; pro quo articulo vide etiam text.in cap.1.14.q.6.

32 Secunda sit conclusio; quòd vbi lex in foro fori condemnat, vel absoluit coacta ex actis, & probatis, & non condemnaret, vel non absolueret, si veritas appareret; Theologus, cui veritas apparet, non debet condemnare, seù non debet absoluere; quia talis esset mens legis, si veritatem ex actis haberet, quare si lex condemnet ex falsis testibus, vel absoluat eo, quia actori deficiat non ius, sed probatio; Theologus debet absoluere, & debet condemnare, vt latè scripsi infra q.7.par.2.ampl.19.num.85.& 86.

33 Tertia sit conclusio, quòd vbi lex ad obuiandum fraudibus, vel ex quauis alia causa, non valens in singulis casibus habere veritatem, coacta iudicat ex præsumptione, & aliter iudicaret ex veritate, Theologus debet iudicare, prout lex iudicaret ex veritate, & non prout iudicat ex præsumptione per ea, quæ latius secutus sum d. ampl. 19. num.87. & seqq. & ratio est eadem cum præcedenti.

34 Quarta sit conclusio, quòd vbi lex coacta permittit aliquod malum, indulgendo pœnam, sed non culpam; vt puta, quia tolerat fornicationem, adulteri homicidium passiuum, & similia, si quæ sunt; Theologus, qui remanet iudex culpæ, eam puniet, quia lex eam non remisit, nec potuisset remittere, sed

sed solam pœnam coacta indulget, per ea, quæ secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 41.

35 Quinta sit conclusio, quòd vbi lex coacta tolerat minus malum, vt euitetur maius, seu tolerat, quia non potest illi occurrere propter veritatis difficilem cognitionem; Theologus malum illud adhuc debet punire, quia in eo cessant hæc impedimenta, quæ si cessarent in foro fori, etiam lex illud puniret: quare si lex tolerat fornicationem, vt dixi, ad euitandum maius malum, si tolerat inter contrahentes læsionem infra dimidiam propter difficultatem cognoscendi punctualiter iustum pretium, & ad euitandas lites, vt dixi infra q. 7. par. 2. ampliat. 10. num. 1. 2. 41. sub num. 44. & 46. Theologus in foro interiori non tolerabit per ea, quæ dixi sub. d. num 41. 46. & 49.

Sexta sit conclusio, vt Theologus perquirere debeat, an lex humana disponat de actione, seu repetitione tantum, an verò de translatione dominij, vt scripsi sup. num. 27.

36 Septima sit conclusio, quòd Theologus debet iuris diuini, & naturalis peritiam habere, quia cum ius humanum aliquando, vt dixi in præcedentibus conclusionibus, coactè non puniat, seu aliter iudicet, quàm esset, remotis impedimentis, iudicandum, casus, decidendus in foro conscientiæ, remanet sub dispositione iuris diuini, & naturalis, vt dixi infra num. 531.

Intellige hanc conclusionem, vt quamuis ius naturale, & diuinum sit in cuiuslibet etiam rustici corde impressum, ideoq; illud omnibus sit notum, vt dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 7. & 9. & consequenter ad illius cognitionem opus non sit theologia; tamen quia hæc notitia, quæ omnibus est communis, est generica, & implicita, quæ in arduis, & distantibus à primis principijs, non sufficit, ideo requiritur notitia, & scientia explicita, quam habent solum Theologi, & Casistæ litterati.

Reliqua, quæ circa materiam huius explicationis, harumq; conclusionum tibi occurrent, requiras infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 83. & seqq.

37 Extende secundo, vt procedat, quando lex municipalis, prouincialis, aut synodalis haberet aliquem contractum pro vsurario, & ideo illum prohiberet tanquam vsurarium, ne sub illius pallio absconderentur vsurarum fraudes, quamuis in se ille contractus non esset vsurarius; vt puta, si constitutio prohiberet venditionem ad terminum pro maiori pretio, quàm fieret sine termino, quia cognitio huius vsurarij contractus pertineret ad Iurisperitum, Conrad. tract. de contract. q. 49. in 3. suppositione, & 4. conclus. & generaliter pertineret ad Iurisperitum, quoties lex humana ex præsumptionibus statuit, aliquem contractum haberi pro vsurario, vt in cap. nauiganti. de vsur. de quo scripsi infra num. 428. & seqq. nam in hoc differt lex humana à diuina, quia humana sæpè præsumptionibus mota determinat, at diuina semper soli veritati innititur, vt secutus sum infra num. 461. quare cum sit ius humanum, eius interpretatio non ad Theologos, sed ad Iurisperitos pertinet.

38 Declara idem notabile, vt quamuis vsuræ cognitio spectet ad Canonistas, tamen si in arduis adhibeatur consilium Theologorum, tutius erit, quia vtraque disciplina eandem docente sententiam, temerarium esset dubitare, & ita seruauit aliquando Rota Romana, vt testatur Rot. diuers. decis. 336. honorius. sub num. 6. in Rom. Societatum, Lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Mellino inter impressas Lugduni 1612. recensens in casu illarum societatum officij, cum dubitaretur, an essent licitæ, fuisse adhibitum etiam consilium Theologorum, & postea fuisse à Papa ad hunc effectum deputatos quinque Cardinales, tres Rotæ Auditores antiquiores, & tres Theologos, eisdemq; omnibus Rotæ decisionem placuisse.

Confirmatur hæc declaratio ex Pij V. constitutione super censibus, dum contrahentes censum hortatur in Domino, vt singulos contractus censuræ bonorum religiosorum subijciant, & animarũ saluti consulãt.

Notabilibus his duobus absolutis, accedo ad quæstionem.

SVMMARIVM.

Commercia an sint prohibita, vel permissa, num. 39. & seqq. num. 45. & seqq. & num. 66.

Ius naturæ est indispensabile, sub num. 39.

De iure naturæ omnia sunt communia, num. 40. & quomodò hoc intelligatur, num. 53. & seqq.

Meum, & tuum turbarunt quietem humanam, num. 41. sed quomodo illam restituant. num. 57. & turbant, dum in esse producuntur, sed producta confirmant, num. 58.

Com-

Commercia quietem producunt, num. 59.
Actio Christi est nostra institutio, num.42. *Declaratur*, num.60.*&* 65.
Paupertas est de iure diuino, num. 43.
Opinionum diuersitas in terminandis litibus vnde nascatur, num.44.
Diuitiæ an & quando sint malæ, *& quando bonæ*, num. 61. *& seqq. vsque ad num.* 65. *inclusiue*.
Opes cur italo sermone vocentur robba, *& latine*, bona, *sub num.*59. *vers.infero*.
Permissa sunt omnia, quæ per legem non reperiuntur prohibita, num.45.
Lex vetans derogat legi permittenti, num. 46.
Prohibitio præualet permissioni, num.46.
Negatiua magis negat, quàm affirmatiua affirmet, num.47.
Natura status duplex, num. 48.*&* 49.
Diuisio, & dominia rerum vnde processerint, num.49.*&* 56.
Vitia, & peccata vnde orta sint, num.50.
Aetas ab adolescentia ad malum prona, num. 51.
Natura humana prona ad dissentiendũ, ibidem.
Communio parit discordiam, & negligentiam, num.52.
Ius naturale est duplex, num.56.

39 QVAERO, an commercia sint regulariter prohibita, vel regulariter permissa?

Videtur prima facie dicendum, quòd sint regulariter prohibita ex pluribus.

Primò, quia ius naturæ est omnino indispensabile, & nullo alio iure, vel consuetudine potest abrogari, ideoq; non potest licere, quod est contra ius naturæ, per ea, quæ secutus sum infra num. 312. & 320.

40 Sed de iure naturæ omnia sunt communia, & indiuisa, cap. 7. ius naturale. dist. 1. cap. 1. dist. 8. cap. 2. dilectissimis. 12. q. 1. cap. 8. sicut ij. dist. 47. cuius verba retuli infra num.43. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restituen. q. 1. in 1. & seqq. argum. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. initio, fol. 301. & hoc admittunt communiter Philosophi, & Theologi, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. vers. vtebantur hi. fol. 124. & de vno limo Dominus fecit pauperes, & diuites; & pauperes, & diuites vna terra supportat, vt admonet Fort. Garc. in l. 1. §. ius naturale. sub num. 28. ff. de iust. & iur. inter Repet. tom. 1. fol. 31. vnde in primordijs Hierosolymorum ecclesiæ, quò feruentius omnium amor coalesceret, in communi viuebant, atque hoc exemplo Monachorum vitæ institutæ sunt, Sot. vbi supra.

Ergo commercia, quæ tollere nituntur communionem rerum, & inducere diuisionem earum, vti contra ius naturæ, sunt illicita, & ideo prohibita.

41 Secundo, quia, quòd hoc sit meum, & illud tuum, procedit ab iniquitate, d. cap. 2. dilectissimis. 12. q. 1. vnde fit, vt hæc duo pronomina, meum, & tuum, turbent quietem humanam, quia, vt inquit Senec. lib. de morib. *quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba à natura omnium rerum tollerent; meum, & tuum*; quod etiam aduerti in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 51. num. 31. & his duobus versibus, relatis à Sot. d. q. 3. art. 1. notauit Poeta ille,

Si duo de nostris tollas pronomina rebus:
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

At quod procedit ab iniquitate, & turbat quietem humanã, esset prohibẽdum ratione publicæ vtilitatis, vt, argumentando contra commercium emptionis, & venditionis, quia sufficeret permutatio, motiuat Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 1. paulò post initium; imò amicitia, quæ ad humanæ societatis conseruationem, & ad christianam vnionem est apprimè necessaria, emptionis, venditionisq; commercia abhorret, & proinde emptio rerum, maximè leuium, inter amicos leuem arguit amicitiam; hincque Hispani, apud quos antiquæ gentis Romanæ, veræ amicitiæ, nobilitatis, ac fidei permansere vestigia, emptionem inter amicos amicitiæ indignam credunt, & quasi illa aurea prima ætate liberali vtuntur permutatione, si credimus Fortunio Garc. in l. iurisgentium, num. 17. versus finem, vers. ideo forsan. ff. de pact. inter Repet. tom. 1. fol. 401. Ergo commercia, quæ ad hoc tendunt, vt faciamus meum, & tuum, suntq; indigna inter verè amicos, essent prohibenda.

42 Tertiò, quia omnis CHRISTI actio est nostra institutio, Anch. in cap. peccatum. num. 2. vers. tertio confirmatur. de reg. iur. in 6. Iacob. Zocch. tract. de ieiun. num. 6. tom. 14. fol. 160. Io. Arz. de nobil. hispan. cap. 7. num. 9. tom. 16. fol. 241. & Beninc. tract. de pauper. q. 2. nu. 16. tom. 18. fol. 140.

43 Sed actio CHRISTI respuit commercia, quibus nos terrena colimus, diuitias cumulamus, & commoda sectamur, & diligit paupertatem, Luc. 14. in fine, *sic ergo omnis*

ex

ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. & Matth. 19. num. 21. *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, &c.* imò etiam de iure naturæ nihil proprium nos hic in mundo habemus, cap. sicut ij. dist. 47. *O impudens dictum: propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus, quæso facultatibus, quibusque subsidijs stipatus ingressus es? proprium nemo dicat, quod est commune, &c.* & vt dicit Ecclesiastes 5. num. 14. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo*; quare omnia sunt Dei, & sic nostra paupertas procedit ex iure diuino, Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo*; & 1. ad Corinth. 3. in fine: *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi: Christus autem Dei*; ergo omnia sunt Dei; & nihil certi habemus, sed tempus, & casus in omnibus; non enim velocium est cursus, nec fortium bellum, Ecclesiastes 9. num. 11. *Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus, casumq; in*

44 *omnibus*: † hincque dum mecum aliquando cum admiratione cogitarem, quid esset in causa, quòd, orta inter aliquos lite de aliqua re, prætendens quisque eorum, eam suam, statim eminentes, ac insignes inueniunt Iureconsultos, qui eorum causam, vti iustam, sibi inuicem contrarij acerrimè defendendam suscipiant; & iudices, quamuis sinceræ integritatis sint, pugnantes in ea ferant sententias, ac demum litis exitus, tanquam incertus rei euentus, omnino ignoretur; hæc vna mihi causa in mentem venit, quòd, cum re vera nihil proprium sit nostrum, nisi per ambages, & magna cum difficultate, sed omnia sint Dei, & nos, quasi momentanei conductores, temporaneo ad nutum Dei potiamur vsu; Iureconsulti, quasi res ad pristinam redire debeat naturam, & proprium, quasi non existat, discernere non possunt, aut per ambages, & maxima cum difficultate cognoscunt; quia res sicut se habet ad esse, ita se habet ad cognosci.

Ergo nemo potest aliquid, vti proprium, habere, & præsertim nos Christiani, qui sumus discipuli Christi, vt ex Luc. supra cit. (ità enim Christiani vocabantur tempore Christi: Ergo proprijs diuitijs studere non debemus: nam si Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; neque putauit, se simul posse & virtutes, & diuitias possidere, quomodo nos, suffarcinati auro, Christum pauperem sequimur? vt ait D. Hieron. relatus in cap. 71. gloria episcopi. 12. q. 2. alia loca ad ostendendum, quòd non licet bona temporalia appetere, citat Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 27. col. 3. vers. in his. fol. 202.

45 His non obstantibus, concludo, contrarium esse verum; nempè, commercia esse de genere permissorum, & ideo licita, præterquam in casibus, in quibus reperirentur expressè prohibita, & moueor hoc argumento; quia omnia sunt permissa per legem, quæ prohibita non inueniuntur, l. 28. nec non. vers. quod eis. & ibi Gl. in verbo, non prohibeant. ff. ex quib. caus. maior 25. ann. &c. & hæc est regula satis nota, quam, tractando de permissa iurium cessione, sæpè repetunt Io. de Grass. tract. de cess. iur. §. 2. num. 1. §. 4. num. 1. & Iacob. de Aren. eod. tract. num. 24. & 61. inter tract. diuers. tom. 3. par. 2. fol. 73. 75. & 76. & quòd ex regula omnia censeantur permissa, probatur hac ratione, quia posteriora derogant prioribus,

46 & species derogat generi, vulg. iurib. † sed lex vetans, derogat alteri legi præcipienti, quemadmodum negatio derogat affirmationi, non autem affirmatio derogat negationi, Steph. de Federic. tract. de interpretat. iur. par. 2. num. 86. tom. 1. fol. 217. & sic prohibitio derogat permissioni, ita vt, concurrentibus simul duabus causis, prohibitiua, & permissiua, in dubio attendatur prohibitiua, vt ex Bar. & Vant. secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 46. sub num. 18. hinc, stantibus duobus statutis, vno affirmatiuo, & altero negatiuo, seù prohibitiuo, præualet prohibitiuum, Dec. cons. 3. num. 4. vers. secundum verò. & Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 4. cap. 1. num. 19. quia fortior est dispositio legis prohibitiuæ, quàm permissiuæ,

47 † & ideo præcepta negatiua obligant semper, & pro semper; affirmatiua autē non ita pro semper. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. initio, vers. ad primum, in fine, fol. 12. & Pegn. ad Eymer. direct. par. 1. in q. 9. comment. 24. vers. his ita positis, & negatiua magis

magis negat, quàm affirmatiua affirmet; nam affirmatiua verificatur in primo actu, sed negatiua intelligitur in infinitum, Dec. in cap. 4. nam concupiscentia. not. 3. num. 4. & seqq. de constit. in 2. lect. copiosè Tiraq. in l. boues. §. hoc sermone. limit. 7. num. 1. & seq. & num. 4. & clarè declarat Natt. conf. 525. fuit lata. num. 6. in fine, & num. 7. lib. 3. & sic potius attendi debet, quod nocet, quàm quod prodest, latè Tiraq. de retr. lign. §. 30. vers. & quamuis.

Ergo in vniuersum permissio est vti regula, & tanquam genus, & sic est prior; & prohibitio est vti limitatio, & tanquam species, & sic est posterior, & prædicto argumento, dũ quæritur, an assecuratio sit licita, vsus est Santer. tract. de assecurat. par. 1. sub num. 5. ibi, quoad primum. tom. 6. par. 1. fol. 348. quem secutus sum infra exemplific. 2. sub num. 129. & loquendo in cõtractibus, quòd, cum sint iuris permissiui, ab omnibus, & de omnibus fieri possint, nisi reperiantur prohibiti, scribit Sebast. Medic. tract. de definit. par. 2. definit. 43. in fine, tom. 18. fol. 303.

Imò, relictis emendicatis suffragijs, commercia non solùm non sunt expressè prohibita, sed sunt expressè permissa, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 66. & seqq. & non solum sunt expressè permissa, sed prohiberi non possunt, quod hac vnica inconcussa, & vrgentissima ostenditur ratione.

Quod est necessarium ad conseruandam societatem humanam, illud prohiberi non potest, per ea, quæ scripsi infra num. 73. & infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 44. vers. veruntamen.

Sed commercia post lapsam naturam sunt ad societatis humanæ conseruationem necessaria, per ea, quæ scripsi num. seq. & adeo necessaria, vt qui ea damnaret, non procul distaret ab errore, de quo scripsi infra num. 68. Ergo, &c.

Reliquum est, vt respondeamus ad argumenta contraria.

48 Ad primum, & secundum argumentum de bonorum possessione in communi, & de humanæ quietis turbatione, priusquam formaliter respondeam præmitto, quòd in natura potest considerari duplex status: Primus dicitur status naturæ incorruptæ, idest, innocentiæ, & considerato illo statu, omnia poterant esse communia; nam in statu innocentiæ appetitus per donum iustitiæ originalis erat subiectus rationi, & ratio Deo, & sic homines sola ratione, & diuina lege ducebantur, & consequenter omnia prætulissent proprijs, quia ratio, & lex diuina ita exigunt: item ex eodem iustitiæ dono habebant, vt nullus seipsum, & sua inordinatè diligeret, aut nimio sui ipsius amore afficeretur, sed quantum recta ratio, & lex Dei patiuntur; vnde sequebatur, vt summo amore, & charitate se inuicem dilexissent, & proximis suis non minus, quàm sibi omnia bona optassent, nullaq; inter ipsos aut cupiditas, aut inuidia boni alieni orta esset: similiter in illo statu homines vestibus non indiguissent, iustitia originali omnium oculos pudore, & sancta simplicitate replente, nec domibus, aut ædificijs, quia nulla fuisset in paradiso terrestri aeris intemperies, vel coeli iniuria; nec fuissent tunc agri arandi, seminandi, & multo labore colendi, quia terra, & arbores sua sponte fruges, & fructus sapidissimos produxissent, solum debuissent homines ameno quodam, & placido exercitio, ab omni & labore, & molestia alieno, illos curare, sicut nobiles, qui in nemoribus, & hortulis suis curandis animi refocillandi gratia se exercent, Genes. cap. 2. num. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* & huic innocentiæ statui conueniunt versus illius Ethnici.

Ipsa quoq; immunis, rastroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus;

49 *Contentiq; cibis, nullo cogente creatis:* Secũdus verò status dicitur status naturæ corruptæ, idest, lapsæ, postquam homo peccauit; & considerato isto statu, fuerunt ex necessitate à iure gentium introducta diuisio, & rerum propria dominia, quia aliter societas humana non stabat, cum boni egerent, & mali omnia raperent, Arch. in cap. ius naturale. num. 6. & 7. dist. 1. Card. Alex. in cap. 1. quo iure. vers. nota quòd dominia rerum. dist. 8. Fortun. Garc. in l. 1. §. ius naturale. sub num. 37. ff. de iust. & iur. inter Repet. tom. 1. fol. 32. & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. his tamen. col. 4. fol. 5. & vers. esto igitur. col. 9. fol. 6. & quòd post peccatum hæc dominiorum diuisio nõ solum fuerit licita, sed etiam salutaris generi humano, scribit Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. num. 2. corrupta enim, seu lapsa natura per peccatum originale, amissum fuit donum iustitiæ originalis, & consequenter omnia prædicta, quæ

ex

ex illo dono procedebant, cessarunt; quare nec rationalis voluntas legi Dei subiecta est, nec appetitus rationi, sed sensu, & appetitu communiter ducimur, propter quod in sacra scriptura comparamur iumentis, & indigemus vestibus, & domicilijs, & agri sunt arandi, irrigandi, seminandi, & fructus colligendi, & maximo cum labore, quia tunc fuimus eiecti de paradiso voluptatis, vt vesceremur pane in sudore vultus; Gen. cap. 3. sub num. 17. 18. 19. & 23. *maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; in sudore vultus tui vesceris pane, &c. & emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur*

50 *terram, de qua sumptus est.* † & multa alia peccata, & vitia ex illo peccato originali orta sunt, Gl. penult. in cap. 1. in verbo, origi-

51 nalia. de pœnit. dist. 4. † adeo quòd omnis ætas ab adolescentia in malum prona est, cap. 1. 12. q. 1. Medin. in loco, supra proximè citato, *non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet;* vt habetur Ecclesiaste, 7. num. 21. *quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, Gen. 6. num. 5. & multa similia ad hoc sacræ scripturæ testimonia adducit Medin. d. tit. de reb. restit. q. 27. in 3. dub. circa tertium argumentum, vers. in tertio. & seqq. col. 8. fol. 205. & humana natura prona est ad dissentiendum, cap. 5. quia diuersitatem. de concess. præben. cap. 151. sicut in sacramentis. de consecr. dist. 4. & l. quia poterat. ff. ad senatusc. trebell. & communio parit discordiam, quia omnis conuentus, & communitas hominum adeo difficilis est, vt quandoque etiam pro paruis, vilibusque rebus, & occasionibus dissentiant; vlterius hodie, sublata diuisione, tolleretur etiam debita di-

52 ligentia ad res procurandas; † cum ea, quæ communiter possidentur, negligi soleant, l. 2. C. quando & quib. quar. par. deb. & tollerentur virtus liberalitatis, & alia, de quibus Card. Alex. in d. dist. 8. initio; & quòd ad tollendam contentionum occasionem, & vt homines in rebus curandis diligentiores sint, introducta sit dominiorum distinctio, scribunt etiam Fortun. Garc. & Medin. in locis, supra proximè citatis, Bolog. de leg. iur. & æquit. cap. 24. sub num. 5. tom. 1. fol. 314. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. num. 3. & dominiorum diuisionem fuisse necessariam, latius ostendo infra num.

57. in resp. ad secundum, & demum, sublato statu innocentiæ, & dato statu naturæ lapsæ, nihil humanæ societati perniciosius, quàm destruere commercia, sicut, dato morbo, nihil perniciosius, quàm tollere medicinam, & admissa potentia ad offensionem, nihil iniquius, quàm tollere defensionem.

Hoc præmisso, respondeo formaliter ad argumentum dupliciter.

Primò, quòd licèt maior argumenti propositio, posita supra sub num. 39. esset simpliciter, & absolutè admittenda, in quo

53 nolo insistere; † tamen minor propositio, in qua dicitur, de iure naturæ omnia esse communia, recipit triplicem declarationem, & qualibet earum tollitur argumentum.

Prima declaratio est, quòd illud ius naturæ est latum super statu innocentiæ, & in eo habet locum per ea, quæ dixi hic in præsupposito, & ad illum statum restringitur, Medin. in suis tract. tom. 1. tit. de reb. restit. q. 1. vers. ad rationes. col. 4 in fine, fol. 3. & sic in eo statu est immutabile; quicquid contra hanc declarationē nitatur dicere Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. art. 1. concl. 4. vers. nunc ad argumenta. in fine, fol. 126. & 127.

54 Secunda declaratio est, vt illud naturæ ius, mandans, rerum vsum debere esse communem, restringatur ad personas, quæ sunt in extrema necessitate, quia naturali iure, & præcepto tenemur fratri, extremè indigenti, subuenire, tamquam tunc rerum vsus sit communis, Gl. in cap. 7. ius naturale. in verbo, communis. dist. 1. & quòd in extrema necessitate omnia sint de iure naturæ communia, ideoque qui tunc accipit, seu occupat, non teneatur, durante illa extrema necessitate, restituere, quia illud accipit, non vt alienum, sed vt suum, scribit Medin. d. tit. de reb. restit. q. 3. vers. si secundum. & vers. sed contra. & vers. est alia. fol. 24. & seqq.

55 Tertia declaratio est, quòd ius naturæ circa rerum possessionem noluit nos obligare, vt possessio esset communis: duplex enim est ius naturæ: alterum, quod districtè obligat, modo præcipiendo, vt puta, quòd veneremur parentes, & modo prohibendo; vt puta, quòd non furemur, & hoc ius ex mente Theologorum dicitur positiuum; quia positiuè præcipit, vel prohibet: alterum verò, quod non obligat, sed relinquit in hominum arbitrio; vt puta, quòd quis ducat, vel non ducat vxorem; quia in hoc vult, vt quisque faciat, quod sibi videtur expediens

& hoc ius ex mente eorundem Theologorum dicitur negatiuum; quia, nihil præcipiendo, vel nihil prohibendo, negatiuè disponit; & eiuſmodi eſt ius naturæ, quo dicimus omnia eſſe communia, quia natura omnia omnibus indifferenter conceſſit, & nulli hanc, vel illam rem priuatim tribuit; & ſicut ipſa nihil diuiſit, neque tribuit, ita nec prohibuit, quominus; ſi quando expediret, diuiderentur, ſed relinquit in arbitrio hominum, vt iuxta rectæ rationis dictamen diuidant, vel non diuidant, prout erit expediens, vt ex D. Thom. ſequuntur Mich. Sal. ad eum d. q. 4. art. 1. concl. vlt. verſ. vnde. & verſ. obſeruemus, fol. 128. & Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. q. 2. in fine, verſ. dicendum itaque. col. 11. & cap. 3, q. 1. verſ. reſpondeo, col. 14. & breuius, & nemine citato, ſcribunt Bologn. tract. de leg. iur. & æquit. cap. 18. num. 7. tom. 1. fol. 309. & Leonar. Leſs. de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 5. ſub num. 3. verſ. reſpondent.

Illud obiter, & poſtremò huius reſponſionis materiæ adnecto, quòd illa communio, & æqualitas, quæ erant in ſtatu innocentiæ, fuiſſent ſolum quoad exiſtentia extra hominem; non autem quoad ea, quæ intus hominem ſunt; quia horum quiſque habuiſſet, & habet proprium dominium; eiuſmodi ſunt animi dotes; nempè actiones, & operationes propriæ, cum in his conſiſtat noſtri arbitrij libertas, quæ nunquam fuit ſublata, Mich. Sal. d. art. 1. in fine, fol. 125. quare licet in ſtatu innocentiæ omnes æqualiter, & pares manſiſſent liberi ab omni malo, ab omni ſeruitute, & ab omni incommodo; tamen non manſiſſent pares in virtute, ſiquidem alij magis, alij minus extitiſſent ſapientes, & prudentes, hacque ratione magis ſapiens habuiſſet quodammodo dominium in minus ſapientes; ſed hoc dominium habuiſſet, non pro commodo ipſius dominantis, nec vt prouidentis, & conſulentis illorum miſerijs, & imbecillitati, ſed vt conſulentis, & dirigentis illos ad ampliorem virtutem, ac vtentis voluntarijs obſequijs illorum obedientium, non ſolum abſque omnis laboris moleſtia, ſed cum gaudio, & lætitia, vt ex Io. Dried. de libert. Chriſtian. lib. 1. pag. 8. ſequitur Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 11. ſub num. 5. verſ. octauo principaliter. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 658.

56 Secundo reſpondeo, quòd etiam dominiorum diſtinctio, & rerum diuiſio à iure naturali proceſſerunt: duplex enim eſt ius naturale; primarium ſcilicet, & hoc attento, omnia erant communia; & ſecundarium, & hoc inſpecto, introducta eſt rerum diuiſio, vt latius explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 23. & 38. declar. 1.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo tripliciter.

57 Primo, quòd hæc duo pronomina, *meum, & tuum*, quæ à ſtatu innocentiæ, ideſt, incorruptæ naturæ quietem ademerunt, ſtatui nocentiæ, ideſt, lapſæ naturæ, (quam poſſunt) reſtituunt: ſic bellum, quam ex placido ſtatu pacem adimit, turbato reſtituit; vndè dicimus, (bellum gerimus, vt acquiramus pacem;) ſic arma, quæ in pacifico ſtatu læderent, in turbulento proſunt: medicamentum quoque, quod frigidum minuit morbum, calidum auget: demum ſic Scorpius, & Achillis haſta, quos læſerunt, ſanare valent; quare licet illa pronomina, vti peccati originalis conſecutiua, quietem ſtatus innocentiæ turbauerint, & quæ quietem turbant, ſint ratione publicæ vtilitatis prohibenda, vt dicitur in maiori argumenti propoſitione; tamen in ſtatu nocentiæ, in quo locum habent, quietem non turbant, ſed producunt; in tantum, vt ſine dominiorum diuiſione genus humanum citra miraculum neutiquam poſſet longo ſeculo durare, Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. verſ. reſponſum ergo col. 3. fol. 302. Ergo, retorquendo argumentum, tantum abeſt, vt ſint prohibenda, quòd ex neceſſitate ad ſocietatem humanam conſeruandam ſint omnino neceſſaria; hocq; adeo eſt verum, vt ſicut qui in ſtatu innocentiæ rerum communem negaret vſum, erraret; ità qui in ſtatu nocentiæ rerum diuiſionem, quę fit per meum, & tuum, prohibendam aſſereret, in hæreſim, de qua infra num. 66. laberetur.

58 Secundo reſpódeo, quòd etſi hæc, meum, & tuum, humanam turbarent quietem, etiam in ſtatu nocentiæ, & corruptæ naturæ; tamen hoc eſt verum, dum in eſſe producuntur, at producta, quietem non turbant, ſed inducunt, & ſublato per naturæ lapſum communi rerum vſu, ea produci neceſſarium fuit, vt dixi hic ſupra; ſic etiam bellum, dum geritur, pacem turbat, geſtum confirmat.

59 Tertio reſpondeo; quòd dato etiam, quòd

quòd quietem humanam turbarent, tamen commercia, quibus meum, & tuum disponuntur, quietem producunt: sic lites, & iurgia Remp. infestant; at iuris ordines, quibus lites peraguntur, quietem nutriunt.

Infero ex his responsionibus, quòd opes, quas habemus, rectè italo sermone vocamus, *robba*, & latino, *bona*: nam etsi pugnare videantur, cum nomen, *robba*, deriuetur à verbo italo, *robbare*, quod est verbum criminosum, & peccaminosum, & consequenter opes etiam, quas vocamus, *robba*, videantur criminosæ, quia sonant in furtū; nomen verò, *bona*, quod significat etiam opes, non solum non sit criminosum, sed sonet in virtutem; tamen vtrunque nomen conuenit: si enim inspiciamus statum innocentiæ, vt in prima responsione, & dum opes in esse producuntur, vt in secunda, & malum rerum vsum, vt possumus intelligere in tertia responsione, rectè opes vocamus, *robba*, præsertim, attento statu innocentiæ, in quo omnia erant communia, & sic meum, vel tuum, fuisset vti furtum; si verò consideremus statum nocentiæ, in quo diuisio rerum fuit necessaria, vt dixi, & consequenter fuit etiam bona ad euitanda mala, de quibus dixi sup. sub num. 49. & seqq. & præsertim num. 57. possunt iure optimo vocari, *bona*.

60 Ad tertium respondeo, quòd etsi CHRISTI actio sit nostra institutio, considerato eo, non prout habuit naturam diuinam, seu naturam humanam & diuinam simul; quia, prout habuit has naturas, impossibile est, vt aliquis possit esse capax illius actionum; sed considerato eo, prout habuit simplicem naturam humanam, in qua consideratione valemus illum imitari; tamen adhuc quasdam institutiones voluit esse de præcepto; & quasdam de consilio: de præcepto voluit esse (non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum, &c.) Matth. 19. num. 18. de consilio autem voluit esse cœlibatum, seu virginitatem: *de virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. 1. ad Corinth. cap. 7. num. 25. item mutuum, vt dixi infra sub num. 402. & 405. in secunda respons. & infra q. 7. par. 1. num. 72. & similia, inter quæ est paupertas; ideoq; in Matth. d. cap. 19. num. 17. ex quo sumptum est argumentum, Redemptor noster iuueni, quærenti, quæ ad vitam consequendam æternam forent necessaria, respondit, *serua mandata*, & nihil amplius iniunxit, sed deinde num. 21. explicans, quid exigatur ad perfectionem, adiecit: *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; prout aduertit etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. concl. 3. in fine, fol. 126. & ad illud in Luc. 14. num. 33. *nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, &c.* respond. quòd procedit nō de renuntiatione quoad effectum, sed quoad affectum, qualiter renuntiant hi, qui non adeò bonis temporalibus sunt affecti, quin parati sint, quando, & quomodo, & quibus ea oportuerit expendere, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restir. q. 27. col.

61 4. vers. quæ autem. fol. 203. † & quòd diuitias habere sit peccatum, quando propter eas deseritur iustitia, vel cum homo in eis suam spem ponit; secus si cum eis adsint opera bona, scribit Gl. in cap. 5. clericus. in verbo, si aurum. 12. q. 1. imò diuitiæ sunt de genere bonorum, vt ex Arist. sequitur Troil. Maluet. tract. de sortib. par. 3. num. 4. tom. 11. par. 2. fol. 401. sunt enim bonæ, si ad bonum finem dirigantur, quia secundum regulam physicam: cuius finis est bonus, ipsum quoque bonum est, Maluet. d. par. 3. sub num. 2. nec diuiti obsunt opes, si eis benè vtatur, nec pauperem ægestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam peccata non caueat, S. Hier. in epist. ad Saluianam, quem citat, & sequitur Simancb. de cath. instit. tit. 45. sub num. 30. eod. tom. 11. par. 2. fol. 178. & num. 31. vbi ostendit diuitiarum vtilitatem, tam pro corpore, quàm pro anima; quare diuitiæ sunt bonæ, dummodo, qui eas habet, noscat, quòd transibunt, & ideò de eis non fiat superbus, & misericordiam faciat cum non habentibus, cap. 5. secundum. in fine, 33. q. 5. *nam & diuites cum iustitia, & operibus bonis non abijcimus*, dicit text. in cap. 16. hæc autem. dist. 31. Omnes ergo homines, quos Deus ditat, dispensatores constituit dominicæ facultatis, ità vt creditæ illis potius diuitiæ, quàm concessæ videantur, vt ex Caiet. refert, & sequitur Marf. de eccles. redit. cap.

62 31. num. 4. tom. 15. par. 2. fol. 363. † & quòd diuitiæ sint bonæ, dummodo ex eis fiat misericordia, & Episcopis expediat habere diuites subiectos, quia imperium abundat, si habeat subditos locupletes, & quòd, ex quo hodie creuit decus Ecclesiæ, aliud sit dicendum hodie; aliud verò secundum tempora antiqua, scribunt Gl. in cap. 1. clericus. in

verbo, necessitatem. 21. q. 1. & Io. de Selu. tract. de benef. par. 1. q. 5. num. 225. & seqq. tom. 15. par. 1. fol. 22. † & demum, quòd diuitiæ non sint reprobatæ, si sint bonis operibus acquisitæ, ostendit Abb. in cap. 22. super eo. num. 5. de testib. & attest. & quòd licitum sit augere diuitias, scribit Gl. in cap. 5. militare. 23. q. 1. † & ex sanctissimis viris fuisse aliquos diuites, ostendunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 27. col. 3. in fine, vers. ab horũ. fol. 202. & col. 4. vers. quæ autem. fol. 203. Simanch. d. tit. 45. num. 30. & latius Marsil. de redit. ecclesi. cap. 27. num. 28. & 29. fol. 361. quare concludendum est, diuitiis animam esse quidem in magno periculo, vt dixi etiam infra num. 78. sed tamen posse saluari, vt habetur in Eccles. 31. num. 8. *beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris: quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua, qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

65 Confirmatur hæc responsio, dum dicimus, paupertatem non esse de præcepto, sed de consilio; quia, quæ sunt de præcepto, omnibus expediunt, cuique vtilia sunt, & eorum transgressio omnibus nociua, & perniciosa, ideoq; sunt de præcepto, & necessaria; quæ autem sunt de consilio, erga paucos sunt optima, & præstantissima; toti autem generi humano essent, non dicã, nociua, & perniciosa, vt inaduertenter loquitur Mich. Sal. infra citatus, sed, vt scribit Medin. d. tit. 2. de reb. rest. q. 1. fol. 5. col. 1. initio, non expedirent; vt puta, vita contemplatiua, & cœlibatus, quæ in paucis optima sunt, toti generi humano non expedirent, quia dissiparentur matrimonia, & exercitia vitæ actiuæ, quæ ad Reip. conseruationem sunt necessaria, Medin. vbi supra, & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. concl. 4. in respons. ad 4. argum. vers. obseruemus secundo. fol. 128. conuenit enim, vt in his dicamus cum Apostolo, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* cap. 34. aliud quidem. 11. q. 1. At paupertas non omnibus expedit, quia eam quilibet non patienter ferret, vt in Prouerb. 30. sub num. 8. *mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus, aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei.* & ex Salom. refert Gl. in cap. 3. si testes. in verbo, locuples. 4. q. 2. adde, quæ scripsi infra q. 7. par. 1. num. 58. in respons. ad 1. argumentum.

SVMMARIVM.

Commercia sunt regulariter permissa. Qui contrarium assereret, erraret, num. 66. Et sunt permissa de iure gentiũ, ciuili, & canonico, num. 67. Imò sunt pro Reip. vtilitate inuenta, num. 68. Ideoque quò plura reperiri possunt, licita tamen, eò maior est Reipub. vtilitas, num. 70.

Bella, captiuitates, & omnes penè contractus introducti sunt à iure gentium, num. 68. & quotuplex sit seruitus, num. 69.

66 FIRMATA conclusione, quòd commercia regulariter sint licita, & ideo permissa. AMPLIA I. eam, vt adeo sint licita, vt qui assereret contrarium, non procul distaret ab hæreticali illorum errore, qui asserebant, omnia bona debere esse communia, de quorum errore Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. concl. 1. versus finem, col. 6. ibi, est ergo assertio. fol. 304. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. initio, & vers. præter. versus finem, & maximè, dum in communione bonorum includebant mulieres, de quorum hæresi in cap. 2. dilectissimis. 12. q. 1. & consequenter non distaret ab errore eorum, qui post naturæ lapsæ peccatum rerum diuisionem, ac propria earum dominia in fidelibus damnarunt, de quorum errore scribunt Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. sub num. 2. & idem Mich. Sal. d. art. 1. concl. 3. fol. 124. & 126. nam si errat, qui rerum diuisionem, & appropriationem damnat, vt dixi; ergo errat, qui damnat commercia, quibus ad diuisionem, & appropriationem deueniendum est.

67 AMPLIA II. vt procedat tàm de iure gentium per ea, quæ dixi ampliat. seq. quàm de iure ciuili, & iure canonico, vt patet ex tit. de empt. loc. depos. donat. censib. & alijs, de quibus in ff. C. & decret. & in specie de venditione patet certa regula affirmatiua in l. 34. si in emptione. §. omnium rerum. ff. de contrah. empt.

68 AMPLIA III. vt nedum sint permissa,

missa, sed sint etiam ad Reip. vtilitatem, veluti necessaria, excogitata, & inuenta; quia corrupta, seu lapsa natura, ideoque bonorum communione sublata, vt dixi sup. num. 49. orta sunt de iure gentium bella, secutæ captiuitates, & omnes penè contractus introducti sunt, vt emptio & venditio, locatio & conductio; societas; depositum; mutuum; & alij innumerabiles, §. ius autem gentium. Inst. de iur. nat. gent. & ciuil. & negotiationes, contractus, & commercia hominum non solum non esse illicita, sed esse in Rep. ità necessaria, vt sine ijs societas hominum consistere non possit, scribit Conrad. Brun. tract. de seditios. lib. 5. cap. 7. num. 1. tom. 11. par. 1. fol. 136. tolle enim humanã commercia, & tunc necesse erit, homines aliena rapere, vt sustentari possint, aut certè fame, nuditate, aut alias miserabiliter quàplures perire, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 30. vers. tertio illud. fol. 221. col. 1. & certè humanæ societati non minus necessaria sunt commercia, quàm artes.

69 Pro aliquali huius ampliationis intelligentia, dum dicimus, de iure gentium introductas esse captiuitates, distinguo duplex genus seruitutis.

Primum genus, seu prima seruitus est illa, quæ fuit à primæuo iure naturæ; & idcirco conuenisset etiam statui innocentiæ; eiusmodi seruitus est minus prudentis ad prudentiorem, iuuenis ad senem, vxoris ad virum, & filiorum ad parentes, vt scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. si obijcias. col. 13. fol. 8. Couar. & Io. Azor. infra citati; hæcque seruitus pertinet ad honorem, & reuerentiam, vel instructionem seruientium, ideoque non est ad dominantis vtilitatem, sed ad vtilitatem seruientis, quia minus prudens regitur à prudentiori, & instruitur perfectiori scientia, & prudentia, vt ex Arist. & D. Thom. sequuntur Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 11. sub num. 5. vers. octauo principaliter. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 658. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 4. q. 4. vers. sciendum est. col. 21. & de hac seruitute locutus sum etiam supra sub num. 55.

Secundum genus, seu secunda seruitus est introducta à iure gentium propter bella; hæcque seruitus est vilis, molesta, & miserabilis seruientibus, & tota ad dominantis vtilitatem, & de hac seruitute loquitur hæc ampliatio, vt sequitur etiam Couar. d. vers. octauo principaliter. in fine; suntque, vt dixi, in hac seruitute, qui capiuntur in bello, sed cum distinctione quoad Christianos captos: aut enim capiuntur à Saracenis, seu Turcis, qui verè sunt hostes; & tunc de iure ciuili Romanorum efficiuntur serui, sed secundum Couar. infra citatum, non indigent fictione postliminij: aut capiuntur à Christianis; & tunc non efficiuntur serui, etiamsi in bello iustissimo capti sint, Couar. qui alios citat, sub eodem num. 5. vers. illud hoc.

70 AMPLIA IV. vt sicut commercia sunt Reip. vtilia ad conseruandam societatem humanam, vt dixi, ità etiam maior commerciorum multitudo maiorem Reip. pariat vtilitatem, tùm ad euitandas vsuras, vt dixi infra sub num. 173. vers. ratio. tùm ad maiorem inducendam hominum societatem, quia sicut hominum conditiones sunt variæ, ità etiam varia debent reperiri commercia; aliud enim commercium expedit pupillis, mulieribus, religiosis, impotentibus, debilibus, & paucas habentibus pecunias; aliud verò expedit viris sagacibus, diuitibus, & similibus, qui negotiationi idonei sunt.

DE NEGOTIATIONE, & Mercatura.

SVMMARIVM.

Negotiatio & mercatura sunt permissa, & quare num. 71. & 81. Contrarium, num. 77. Datur distinctio, d. num. 81. & 82.

Negotiatio de sui natura non est bona, neque mala, sed est indifferens, num. 72. Et Reip. est vtilis, & necessaria, num. 73. & 74. Ideoq; publicè exercetur, num. 76.

Actus Reip. vtilis, & necessarius, non est indistinctè damnandus, num. 73.

Mercatura, & diuitiæ versantur in eodem periculo, num. 75.

Negotiatores abominabiles, qui sint, num. 71. in fine, & 81.

Mercator eijciendus è templo Dei, qui sit, num. 77. & 81.

Diuitis anima est in magno periculo, num. 78. Omnisq; diues aut iniquus, aut hæres iniqui. num. 79. Declaratur, num. 82.

Acus porta in Hierusalem, sub num. 82.

Principum anima etsi propter diuitias videatur

tur magis periculosa, num. 80. Tamen maiorem in coelis consequuntur gloriam, si Principes virtuosè suo munere functi sint, sub num. 82.

Emptio, & venditio sine negotiatione est licita, num. 83.

71 AMPLIA V. vt habeat locum in commercijs, quæ vocamus negotiationem, & mercaturam, quæ quid sint, dixi supra num. 6. 8, & seqq. & infra sub num. 41. quia etiam negotiatio est licita, vt scribit D. August. relatus in cap. 10. fornicari. dist. 88. *negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet; antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto non licet.* & in cap. 12. quoniam. ead. dist. 88. *sed ait mihi negotiator: affero ex longinquo merces, mercedem laboris mei, unde viuam, peto, dignus est operarius mercede sua: de mendacio, de periurio agitur, non de negotio: ego enim mentior, non negotiam.* & paulò post: *negotiatio enim me non facit malum, sed iniquitas mea, & mendacium meum.* & à D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. vers. sed contra. *negotiator, auidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretijs rerum mentitur, & peierat, sed hæc vitia hominis, non sunt artis, quæ sine his agi potest: ergo negotiari secundum se non est illicitum.* & Cassiod. super Psal. 70. relatus in cap. 13. quid est. ead. dist. 88. & à D. Thom. d. art. 4. initio, *negotiatores ergo illi abominabiles existimantur, qui iustitiam Dei minimè considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periurijs onerando, quàm pretijs: tales eiecit Dominus de templo,* hancq; ampliationem, disputãdo, tuetur, & sequitur Medin. in suis tract. tom. 1. tit. de reb. restit. q. 30. vers. his non obstantibus. & seqq. fol. 210. col. 1.

72 Confirmatur primo hæc ampliatio, quia negotiatio de se, hoc est, de sui intrinseca natura non est bona, vt est charitatis virtus, neque est mala, vt est mendacium, sed est indifferens, vt est comedere, quod secundum finis, & circumstantiarum qualitatem potest fieri benè, & malè, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 2. vers. pro quæstionis. concl. 1. & Nauar. in cap. 2. qualitas. nu. 10. 11. & 12. vers. ex quibus. 34. q. 3. de pœnit. dist. 5. & idcirco est bona, si ad bonum conuertatur, & mala, si ad malum; imò & ea, quæ de sui natura ad malum inclinant, licita sunt, si conuertantur ad bonum, vt in arte campsoria secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 64. in respons. ad 5. argumentum.

73 Confirmatur secundo, quia nullus hominum actus, qui Reip. sit non solùm vtilis, sed necessarius, est indistinctè damnandus, tanquam illicitus, quia esset implicare iniustitiam in lege Dei, & in natura, vt actum, qui esset illicitus, fecissent necessarium: sed negotiatio est actus Reip. nedum vtilis, sed necessarius, quia cum in aliquo Regno deficiant res, hominibus illius Regni necessariæ, opus est, illas aliunde illuc adduci, & adductas industriosè conseruari, vt, cum eis homines indigeant, inueniant incorruptas, & in promptu: hæcq; rerum ex vno in aliud Regnum trãslatio, & earundẽ postea venditio cũ lucro, est ipsa negotiatio, & mercatura; pro cuius lucri iustificatione plura sunt consideranda, nempè, pretium, quo res sunt emptæ, expensæ, solicitudines, curæ, & pericula tàm rerum, quàm aliquando personarum, & quandoque damna; vt enim retuli supra, dignus est operarius mercede sua, quare inquit Apost. 1. ad Corinth. 9. nu. 7. & 9. *quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c. scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bouis trituranti.* Hæc omnia versantur in negotiatione, hæcque eadem sunt necessaria, & iusta: ergo negotiatio est licita, Conrad. de contract. q. 51. concl. 1.

74 † & quòd mercatores, seu mercatura sit Reip. vtilis, & necessaria, patet ex his, quæ scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 2. vers. pro quæstionis. in 3. conclus. Nauar. in cap. 2. qualitas. sub num. 11. 34. q. 3. de pœnit. dist. 5. Thom. Garzon. in plat. vniuers. discur. 65. & broccardice Stracch. tract. de mercat. par. 2. tit. de stat. mercator. &c. sub num. 16. tom. 6. par. 1. fol. 290. imò Bal. in vulg. eius cons. 348. seu 349. factæ fuerunt. lib. 1. ait, massam mercatorum esse summum bonum, & quintum elementum.

75 Confirmatur tertio, quia mercatura, & diuitiæ habent analogiam, & videntur quasi à pari procedere; sed S. Ambros. super Luc. 8. admonet diuites, vt discant, non in facultatibus crimen haberi, sed in his, qui vti nesciunt: nam, vt inquit, diuitiæ vt impedimenta sunt improbis, ità bonis sunt adiumenta virtutis.

Con-

76 Confirmatur quarto, quia negotiationem,& mercaturam in omnibus ciuitatibus, benè institutis, videmus palàm, & publicè exerceri, tanquam licitam & honestam; imò Venerijs, Genuæ, Florentiæ, & Lucæ illam etiam nobiles exercent, vt inter alios testantur Stracch.d.tit.de stat.mercat. sub num.18.fol.290.& Thom.Garz.vbi sup.

77 Contrariam opinionem, nempè, mercaturam, seu negotiationem esse illicitam, docuisse videtur Saluator Redemptor noster, Matth.21.num. 12. *& intrauit IESVS in templum DEI, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit,&c.* super quo loco Chrysost. relatus in cap. 11. eijciens. dist. 88. & à D. Thom.2.2.q.77.art.4.inquit, *quicumque rem comparat, non vt ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed vt materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, vt illam ipsam integram,& immutatam dando,lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eijcitur.* quod etiam ratione, & alijs suadetur auctoritatibus: nam mercatura, & sic mercator est suæ spiritualis salutis negligens; hic enim est sensus horum verborum, quæ habentur in Ecclesiast. 26. in fine: *duæ species difficiles, & periculosa mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.* vt explicat Medin.in suis tract.tom.2.tit. de reb. restit. q.30.in 2.modo,vers.secundum est.fol.224. col.2.& mercator, vt plurimum, vtitur periurijs, & mendacio, vt patet ex his, quæ scripsi supra num. 71. imò qui emit, & vendit, sine mendacio, & periurio esse non potest, d.cap.11.eijciens. *Os autem, quod mentitur, occidit animam,* Sapien. 1.sub num.11.vnde mercator non potest habere lucrum, nisi fraudem fecerit,sed lucrum est esca, & fraus est laqueus; & consequenter, dum mercator lucratur, fraudis laqueo capitur, sicque mercator nunquam placere potest Deo, qui propterea ementes,& vendentes eiecit de templo; & ex his nullus Christianus deberet esse mercator, & qui vult esse, deberet proijci de ecclesia, dicente Propheta Dauid psal. 70. num. 15. *quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini,* vt ex Chrysost. habetur etiam d. cap. eijciens. dist. 88. vbi illud, *litteraturam,* vertit in, *negotiationes,* & itá aliter se habere litteram scribit Nauar.in cap.2.qualitas.paulò supra num. 1. 34. q. 3. de pœnit. dist. 5. & ratio versionis est, quia dictio, *sephorot,* Hebræis sonat, *litteraturas, numeros,* siue *negotiationes,* Nauar.d.cap.qualitas.sub num.24.vers. ad sextum. quia *difficile est inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum,* d. cap. qualitas. & quia ex substantia negotiatorum nihil remanet, nisi peccatum, vt retuli infra q. 6. sub num. 19. nam *sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic inter medium venditionis, & emptionis angustiatur peccatum,* Eccles.27 num. 2. quod apertè ostendi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num.44. vers. ad gersonis. & proinde Stracch.tract. de mercat. par. 2. tit. de stat.mercator.&c.num.4.& 5.tom.6.par. 1. fol. 290. verum forsan diceret, dum ait: *O quo vadis anima mercatoris,* sed mendax verum diceret, cum Bal.in cap.cum causam.de testib. quem ita dicentem allegat, nihil tale in meo libro dicat; & adde quæ scribunt Salyc.in auth.ad hæc.num.18.versus finem, C.de vsur.& Bon.de Curtil.tract.de nobilit. par.3.num.137.tom.16.fol.9.

Cóprobatur primò hæc contraria opinio, quia mercatura, & negotiatio anhelant ad cumulandas diuitias per fas, & nefas; nempè mendacijs, periurijs, alijsq; iniquitatibus, & fraudibus, vt dixi supra num. 71. in fine, & sup.hoc eodem num.

78 Sed anima cuiuslibet diuitis, etiam istis iniquitatibus in eo non consideratis, est in magno periculo, etenim *facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum,* Matth.19.num. 24. *& si diues fueris, non eris immunis à delicto,* Eccles.11.num. 10. *nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli,&c,* 1.ad Timoth.6. num.9. & ideo dicebat quidam mercator, quòd qui timebat Diabolum, non faciebat diuitias, vt referunt Thom.Garz.in plat.vniuers.discur. 65.fol.546.& Marches.tract.de cómiss.par. 1.de commiss.super dilat. morat. cap.1. sub num.48.fol. 127. in fine, & in hac vlt. impress.sub num.69. vers. cuidamque. par. 5. fol.275. cuius mercatoris dictum & si à veritate non distet, quia, cum volens fieri diues, incidat in laqueum Diaboli, vt hic dixi, consequens est, vt Diaboli laqueum timere non debeat; tamen, quia iste mercator, sic dicendo, eligebat adhuc fieri diues, esset stygijs nonnisi dignus aquis, vt di-

xit

xit Poeta ille his duobus verſibus:

Periurata ſuo poſtponit numina lucro
Mercator, ſtigijs nonniſi dignus aquis:

quos referunt Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q.77.art.3.controu. 1.ſub num.20. verſ.quæ carmina. fol.89. Garz.& Marcheſ.vbi ſupra, & certè ſi verum eſt, quòd hic mercator fuerit Genuenſis, prout fuiſſe ſcribunt Thom. Garz. & Marcheſ. in locis, ſupra proximè citatis, & dicunt alij; ego opinarer, quòd hic mercator eſſet ille, cuius animam ſtygijs lachrymis vnà cum peiori Romandiolo in inferno cruciari, ſcribit Dant.in ſuo poemate propè finem inferni, cant.33. † Et demum omnis diues aut eſt iniquus; aut hæres iniqui, Hier. epiſt. 69. quia omnes diuitiæ iniquitates dicuntur, vt ex lib. de quæſtion. Euang. refert Socc. tract. de oblat. libel. 61 num.20. tom.14.fol.125. † Hacque diuitiarum forſan ratione Boſſ. tract. crim. tit. de captura, num.71. in fine, veritus non eſt ſcribere, quòd Principum animæ rarò beatas aſcendunt ſedes.

Ergo in maiori periculo eſt anima mercatoris: ergo mercatura ad euitandum hoc periculum eſt prohibenda.

Comprobatur ſecundò iiſdem argumentis, quibus vſus ſum ſupra num.41.42.43.& infra q.7.par.1.num.17.

Non diſcedo ab ampliatione.

Ad adducta in contrarium, num. 77. reſpondeo diſtinguendo: Aut loquimur de negotiatione, ſeu mercatura, quæ fit ob lucrum, quod ordinatur ad aliquem effectum neceſſarium, vel honeſtum; puta, ad ſuſtentationem ſuæ domus, vel pro pauperibus indigentibus, vel propter publicam vtilitatem, ne ad victum neceſſaria deſint: & iſtis caſibus, ſi negotiator ratione ſui laboris ſuperlucratus eſt; ſic familiæ prouidendo, vel aliàs ex iuſta cauſa carius vendat; non peccat, poſtquam pretium eſt mutatum, & auctum ratione loci; temporis, vel fortè propter periculum, cui ſe expoſuit, transferendo rem de loco ad locum: Si verò non ob cauſam aliquam ex prædictis, ſed solùm ſpe lucri emit vilius, & vendit carius; & iſto caſu, ſi ſpecies empta non mutatur in ſubſtantia, nec loco, nec tempore; talis negotiator, vēdendo carius, peccat, quia fateri oportet, in tali emptione, ſeu venditione iniuſtitiam eſſe in re, vel pretio, & ideo eſt turpe lucrum, Anch. in cap. peccatum. ſub num. 21.verſ.& primo.de reg.iur.in 6.qui tamen, vt ferè teſtatus eſt etiam Franc.de Aret.in cap. 42. cum cauſa. ſub num. 27. de teſtib. prolixè, & perplexè loquitur; quare in eiuſmodi mercatura, ſeu negotiatione ad bonum finem ordinata, vitium non eſt in mercatura, ſeu negotiatione, ſed erit in negotiatore, ſeu mercatore; vt dicunt auctoritates citatæ ſupra num. 71.in ampliatione. Aut loquimur de negotiatione, ſeu mercatura, quæ fit propter ſolum lucrum, non ordinatum in finem bonum; & tunc negotiatio eſt turpis, & illud lucrum ex ſe bonum non eſt; quare negotiari propter ipſum ſolum, & non propter ſuſtentationem familiæ ſuæ, vel alium bonum finem, peccatum eſt ex ſe veniale, Card. Tolet. de inſtr. ſacerd. lib 8. cap. 53. verſ. primo ratione. & cum hac diſtinctione, reſpondendo ad D.Chryſoſt. ſoluit contrarietatem D. Thom. quem refert & ſequitur Stracch. tract. de mercat. par. 1. num.28.& 29.tom 6.par.1. fol.485.

Ex qua diſtinctione poteſt ſatis reſponderi ad auctoritates citatas; & vlterius dico, quòd illæ auctoritates intelliguntur de negotiatoribus, qui per immoderatam pecuniæ ambitū polluuntur, vt loquuntur auctoritates, citatæ ſupra num. 71. in ampliat.

Fateor tamen, quòd negotiatio, & mercatura animarum ſaluti magnum minantur periculum, à quo volens liberari, abſtineat à negotiatione; ſed iſtud periculum non facit mercaturam illicitam: nam in diuitijs eſt idem periculum, vt dixi ſupra num.78.& tamen diuitię ex ſe ſunt licitæ, niſi ex earum vſu fiant illicitæ, & ideo nulla lex eas prohibet, eaſq; nemo abijcit.

Ad adducta in contrarium ſupra num. 78. contra diuites, & diuitias, reſpondeo, diſtinguendo triplicem diuitum, & diuitiarum ſpeciem: Primò enim quidam eſt diues, & auarus; & in iſto habet locum quod ſcribit Matth. 19. quia eo in loco ſub nomine diuitis intelligitur auarus, & ideo aliqui dixerunt, in Hieruſalem fuiſſe paruam portam, quæ vocabatur Acus, ad quam cum veniebant cameli pro compendio vitæ cum oneribus ſuis, non poterant tranſire ſub ea, ſed exonerati tranſibant, & iterum, receptis oneribus, itinerabantur; vt ex hac ſimilitudine intelligamus, quòd auarus debet opum amorem dimittere, ſi vult ingredi ad vitam, Archid. in cap. eijciens. ſub num. 5. diſt.88. imò eo ipſo, quòd eſt auarus eſt in imminenti, & maximo periculo perdendi ani-

animam; quia auaritia non solùm est malum, & peccatum mortale, sed est radix omnium malorum, & nihil scelestius auaro, vt retuli infra q.7.par.1.sub num.40. Secundo quidam inordinatè desiderat, & cum anxietate quærit, & nititur acquirere diuitias; & iste non est immunis à delicto, & facile incidet in laqueum Diaboli, vt dicunt auctoritates allegatæ, quia iste parum distat ab auaro; & iste, qui est diues, non solùm re, sed affectu, & spiritu, ita vt in diuitijs glorietur, & fœlicitatem ponat, non potest ingredi in regnum cœlorum, Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. restit. q. 27. col.4. vers.quæ autem.fol.203. Tertio quidam est diues, sed cum liberalitate, & charitate erga pauperes, & quoad sui animum est pauper, quia etiam paupertatem æquo animo ferret; & iste, quamuis habeat diuitias, tamen potest collocari inter beatos pauperes, & de eiusmodi diuite, & diuitijs scripsi sup. num.61.&seqq. vsque ad num.64. inclusiuè. Et ex his dico etiam, quòd, si Principes sint diuites hoc tertio modo, eorum animæ facilè beatas ascendent sedes: nec omnis Princeps est diues; imò consideratis eorum statu, & dignitate, aliqui sunt pauperes; sunt tamen eorum animæ adhuc in maiori periculo, non propter diuitias, sed quia maioris villicationis rationem reddere debent; quare sicut eorum labor esse debet maior, & in maiori periculo sunt positi, ita vbi virtuosè munere suo functi sint, maiorem in patria cœlesti cõsequentur gloriam.

83 Subamplia hanc ampliationem, vt idcirco multò magis licita sit simplex emptio, & venditio sine negotiatione, prouidendo de necessarijs suæ domui, & familiæ; quia etsi emptio, & venditio sit materia, ex qua conficitur negotiatio iuxta ea, quæ scripsi supr. num.71.in fine, num.77. & seqq. & ipsa negotiatio sit valdè exposita periculis animæ, vt dixi d.num.77.& seqq. tamen sicut est licita negotiatio, vt firmaui in ampliatione, ità multò magis est licita simplex emptio, & venditio; & emptionis, venditionisq; commercium esse ex regula permissum, scripsi supra num.67.ampl.2.

DE SPONSIONE, ET LVDO.

SVMMARIVM.

Commercia, consistentia in mera fortuna, sunt permissa, num. 84. & seqq. Et al. quando necessarium est ad fortuna iudicium recurrere, num.170.

Sponsio, habens causam honestam, est licita, num. 88.& seqq.& 94.& seqq. Extenditur primo, etiam si sponsio esset de futura morte, & inde infertur ad aliquos contractus, similes societati officij, num. 97. & seq. Extenditur secundo tam ad sponsionem de re futura, quàm ad sponsionem de re præsenti, & præterita. Extenditur tertio ad ludum, num. 101. Et quæ sponsiones dicantur inhonestæ, & ideo sint prohibita, num. 124. & seqq. vsque ad num. 128. exclusiuè.

Sponsiones aliquæ, quæ Romæ non admittuntur, num.125.& seqq. Declaratur, hoc esse verum in sponsione nuda, secus in sponsione vestita, quæ transeat in aliam speciem contractus, num.127.

Fortuna nomen quomodo sumatur, sub num.84.

Ludus generaliter est prohibitus, & numeratur inter delicta, & quare num.85. & sub qua pœna sit prohibitus, remissiuè, nu.105.in fine.

Fortuna, & casui se supponere sine necessitate, est stultum, num.86.

Conditionis euentus habetur pro causa legitima in sponsione, num.89.& 90.

Ludus, & sponsio à pari procedunt, ideoque valet argumentum à ludo ad sponsionem, num.91. & 93. In quo tamen differant, & damnabilis sit ludus, & non sponsio, num.95.& 96.

Mutui contractus cum periculo perdendi sortem mutuatam perdit naturam mutui, & assumit naturam sponsionis, ideoque alicubi est in vsu, sub num. 97.98. & 99.& qua ratione iustificetur, num.100.

Ludus an & quando sit licitus, num.101.& sub num.105.122.& 123.

Ludus de iure naturæ non est prohibitus, nu.102. secus de iure positiuo, num. 103. sed hæc distinctio reijcitur, num.104.

Ludorum genera sunt tria. Primus est ludus taxillorum, & similium, in quo fortuna dominatur simpliciter. Secundus est, in quo fortuna dominatur mixtim; & vterque est prohibitus. Tertius est, in quo dominantur vires, & ars, & hic est licitus, sub num.105 & seqq. in quibus latè explicatur, an & quando ludus sit prohibitus.

Ludus, in quo non dominatur fortuna, & ideo est licitus, est multiplex, & quando sit licitus, num.120. & 121. & quando non sit licitus, num.122.& 123.

Ludens, & perdens in ludo fortuna impiè solet diuino numini irasci, num.106.

Ludus

84 AMPLIA VI. vt procedat etiam in illis commercijs, in quibus absolutè, seù præcipuè fortuna dominatur; quia nihilominus sunt permissa; innumeri enim sunt contractus, habentes obiectum pecuniarum, expositarum fortunæ, qui nihilominus sunt liciti, & honesti, & per quos tuta conscientia transfertur dominium, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præsenti, &c. concl. 1. vers. secundo si iure. fol. 166. tom. 1. & quòd mulia sint humana negotia licita, quæ ancipiti fortunæ committuntur, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. col. 5. fol. 322. & patebit ex seqq. exemplificationibus.

Aduerte obiter priusquam vlterius procedamus, quòd hoc nomen *fortunæ*, prout erroneè significaret nostri liberi arbitrij impedimentum, est nomen impium, hæreticale, & damnatum, per ea, quæ scribit Albert. de agnos. assert. cath. q. 16. num. 1. & seqq. tom. 11. par. 2. fol. 65. & in hoc sensu procedit, quod scribit ibidem, num. 13. & 14. sed prout non significat nostri liberi arbitrij impedimentum, sed significat omnimodam futuri euentus incertitudinem, est nomen licitum, & irreprehensibile, nihilque absurdi sonat inter Christianos, Sot. in loc. supra proxime citato, & quia in hoc sensu sumitur à Sot. & alijs, ideo; ne loquendi nouo genere vtamur, eosdem in sententia & verbis citamus.

Contra hanc ampliationem multa adducit argumenta Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 22. vers. loquor igitur. & seqq. fol. 167.

Ratio tamen, quæ mihi occurrit, vt de hac ampliatione possit dubitari, est triplex.

85 Prima, quia ludus generaliter est prohibitus, l. vlt. alearum vsus. C. de relig. & sumpt. fun. & l. 1. & seqq. ff. de al. lus. & aleat. Par. de Put. tract. de lud. num. 1. tom. 7. fol. 151. Clar. recept. sent. lib. 5. §. ludus. initio, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. initio, fol. 320. & Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 4. cas. 399. num. 1. & seqq. imò ludi prohibiti; puta, taxillorum, alearum, & cartarum; sunt crimina, Caccialup. tract. de lud. q. 18. & vlt. num. 82. in vltimis verbis, tom. 7. fol. 161. & quòd alearum vsus sit adeo reprobatus, quòd pro crimine reputetur, & hoc procedat in omni ludo reprobato, & reputetur crimen non leue, sed graue, scribit Steph. Cost. tract. de lud. art. 2. princip. num. 37. tom. 7. fol. 166. licet enim ludus de per se non reprobetur, vt dicunt communiter Doct. quos secutus sum infra num. 102. tamen, quia innumera sunt mala, quæ ex ludo surgunt, & ab Host. in summ. tit. de excess. prælat. sunt versibus descripta: ludo illaqueari solent adolescentes, & à bonis moribus diuerti, & de diuitibus fieri pauperes, de studiosis discholi, de gaudentibus lugentes, de catholicis blasphemi, sacrilegi, falsarij, fures, raptores, quærentes alios spoliare, & honestè non viuentes, Par. de Put. d. tract. de lud. num. 1. & Caccialup. eod. tract. in præfat. fol. 155. Sot. d. q. 5. art. 2. col. 1. fol. 320. & Mich. Sal. d. art. 6. tit. an liceat ludere. concl. 2. initio, fol. 164. & quòd ludentes varijs nectantur malis; nunc periurijs, rixis, aut etiam blasphemijs, si res sinistrè succedat; nunc fraudibus, & deceptionibus, alijsq; iniurijs aduersus colludentes; interdum conuertendo noctes in dies, & dies in noctes, sacraq; diebus festis omittendo, & interdum proprium patrimonium, vxorisque, ac filiorum bona dissipando, atque cum ingenti familiæ, aliorumq; negotiorum dispendio, longum tempus in eo insumendo, multisq; alijs modis, ex quibus omnibus varia alia vitia, ac dispendia in perniciem propriam, Reipublicæq; malum oriri soleāt,

scribit

ſcribit Lud. Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 511. initio, & idcirco ludus, qui tot, tantorumq; malorum eſt cauſa, prohibetur, vt dicunt Ang. tract. de malef. in verbo, mentitor de mali dadi. ſub num. 2. ibi, ipſe namque ludus. & Dec. conſ. 115. ſub num. 4. & communiter omnes vel expreſsè, vel tacitè; Hæcque ludi prohibitio, & tot mala, ab eo procedentia, reſtringuntur ad ludum, in quo dominatur fortuna, vt patet ex his, quæ ſecutus ſum infra num. 105. verſ. declara.

86 Secunda ratio, quia ſtultum eſt ſupponere ſe caſui, & fortunæ, vbi poteſt quis aliter ſibi prouidere, Caccialup. d. tract. de lud. ſub num. 10. fol. 156. quare omne illud videtur prohibitum, quod viribus fortunæ tantum nititur, vel partim fortunæ viribus, & partim ingenio, vt ſcribit Par. de Put. d. tract. de lud. num. 37. in fine, fol. 153.

Ergo commercia, in quibus ſors, caſus, & fortuna dominatur, & ſic fraternizant cum ludo; imò, loquendo de ſpõſione, ſunt ludus, vt dixi infra num. 91. & 93. ſunt prohibita.

Tertia ratio, quia, circumſcripta etiam in his commercijs ludi, & fortunæ natura, ſunt contra ius diuinum, & Reip. inutilia, cum nutriant otium, vt latius in alia commercij ſpecie ſcripſi infra num. 172. verſ. ratio dubitandi. quinimo non ſolum ludus, ordinatus ad lucrum, ſed ordinatus ad ludum, iocum, riſum, & delectationem mundanam, videtur illicitus, & fugiendus, Luc. 6. num. 25. *væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, ſuper quo Ambr. lib. 1. de offic. ait, non ſolùm ergo profuſos, ſed etiam omnes iocos declinandos arbitror. & Prouer. 14. num. 13. *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* & alia ſimilia, adducta per Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 21. fol. 162.

87 His non obſtantibus, ampliatio eſt vera, & ſeruatur in praxi; & rationibus, in contrarium adductis, patet reſponſio ex his, quæ, defendendo ſponſionem, ſcripſi infra num. 94. & ſeqq.

88 EXEMPLIFICA I. hanc ampliationem in commercio ſponſionis, quæ, licet pendeat à mera fortuna, vt ſcribunt Medin. Sot. & Mich. Sal quos ſecutus ſum infra num. 131. tamen, ſi ſit honeſta, ſeu habeat cauſam honeſtam, eſt licita, & poteſt vnus ratione incertitudinis, & dubij euentus lucrari, & alius perdere, tanquam in ludo iuxta ea, quæ ſcribunt Santer. tract. de aſſecur. par. 2. num. 1. & ſeqq. tom. 6. par. 1. fol. 349. & Stracch. tract. de ſponſion. par. 3. num. 1. & ſeqq. eod. tom. fol. 304. & quòd contractus ſponſionis ſit licitus ex natura rei, ſcribit Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 19. dub. 1. verſ. ſed dicendum. col. 1024. & quòd licitæ ſint depoſitiones, videlicet, dum certantes pignore aliquid apud arbitrum deponunt, quod illi conſignetur, à quo ſteterit veritas, ideſt, qui erit victor, ſcribunt Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. col. 5. fol. 312. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præſenti &c. concl. 4. verſ. ſecundo ſi iure. fol. 166. Lud. Molin. in loco, infra proximè citato, & de hac ſponſione loquitur text. in l. 19. ſi rem. §. fin. ff. de præſcript. verb. & ſcribunt Strach. d. tract. de ſponſ. par. 2. num. 2. fol. 303. & Caccialup. tract. de lud. q. 2. in fine, ſub nu. 6. tom. 7. fol. 156. allegãtes illud Virg. in Buccol. *Deponas tu dic, mecum quo pignore certes*. haſque depoſitiones Hiſpani vocant, *apueſtas*, Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 22. col. 6. verſ. de vadiatione. fol. 169. Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 4. ſub num. 2. & 6. verſ. ſed contrariam. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 625. Boninſ. tract. de lud. cap. 15. initio, Lud. Molin. de iuſtit. tom. 2. de contract. diſput. 508. initio, Mich. Sal. vbi ſupra, & Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs, cap. 19. in rubr. col. 1023. & nos dicimus, *metter ſcommeſſe*. & quòd iſtæ ſortes, quas vulgo ſcommeſſas appellamus, ſint licitæ, quia dubius fortunæ euentus contractus illicitos non facit, ſequitur ex communi opinione Clar. recept. ſent. lib. 5. §. ludus. verſ. quæro etiam. & promiſſionem, inuicem factam, de futuro euentu, vt puta, (promittis mihi decem, ſi talis Dominus morietur hoc anno, &, ſi non morietur, ego promitto tibi centum) fuiſſe Florentiæ validam iudicatam, refert, licet ipſe noluerit conſulere; Paul. de Caſtr. in l. 107. à titio, ſub num. 3. ff. de verb. oblig. & quòd aliquando quis, volens ſapere pluſquam oportet, ponat ſponſionem, quòd Princeps morietur infra tale tempus, vel perdet terram, & talis ſponſio teneat, ſcribunt Par. de Put. tract. de lud. ſub nu. 35. verſ. an quãdo. & ſub num. 37. tom. 7. fol. 153. & Caccialup. eod. tract. ſub num. 21. in 5. caſ. fol. 157. & quòd relata ſponſio, & ſimiles ſint validæ, latè

tuetur,

ueetur, dispungendo dubia Castrensis, in Stracch. d. tract. de sponsi. par. 4. num. 1. & seqq. fol. 304. &, inhærendo prædictis sponsionibus, & sponsionis naturam sequendo, Consilium determinauit, validam esse conuentionem, data fide inter Marinum, & Battinum, quòd si dictus Marinus ostenderit quoddam instrumentum, factum inter ipsum Battinum, & eius sororem, Battinus solueret Marino certam quantitatem. &, si non ostenderit, ipse Marinus soluat dicto Battino certam pecuniæ quantitatem, vt testatur Afflict. decis. 389. super dubio. num. 1. & seqq. & quòd sponsiones, seu vadiationes suaptè natura damnari non possint, & suo genere crimina, præsertim mortalia, nō sint, & Christianæ vitæ, ac virtutibus non aduersentur, & consequenter acquisita ex eis non sint de necessitate restituenda, aut pauperibus eroganda; licet ob multa, quæ ex eis facilè ex eis oriantur occasiones scandali, & mali; ideoque reprehendendæ, cauendæq. sint, & sanctum, & verè Christianum consilium esset, si ex eis acquisita restituerentur, aut pauperibus erogarentur, scribit Bonins. d. cap. 15. per totum.

89 Ratio, quare hæc exemplificatio etiam in casu, relato per Paul. de Castr. videatur vera, est; tum quia in stipulatione conditionali solus euentus conditionis habetur pro causa, Paul. de Castr. Par. de Put. Caccialup. & Stracch. in locis, supra proximè citatis, & Dec. cons. 115. num. 1. versus finem, ibi, nam conuentio. & num. 2. tum propter frequentem vsum mercatorum, tam Florentiç, quàm alibi, vt dicit Paul. de Castr. nam mercatores consueuerunt futura pronosticari, vt dicunt Par. de Put. & Caccialup. sup. citati.

90 Confirmatur primo hæc exemplificatio, eiusque ratio ex d. l. 107. seu 108. à titio. ff. de verb. oblig. vbi, quòd si tu promittis mihi dare decem, si aliquis ascenderit Capitolium, promissio tenet, &, eueniente conditione, teneris dare decem. Ergo idem dicendum est in sponsione, seù vadiatione, in qua quis promittit dare centum, si Imperator Romam venerit, vel quid simile.

Confirmatur secundo, quia iste contractus nulla reperitur lege prohibitus: ergo remanet sub regula permissiua, de qua supra num. 45.

91 Confirmatur tertio, quia valet argumentum à ludo ad sponsionem; sed licitum est virtutis causa ludere etiam in pecunia, vt puta, si quis certat hasta, vel pila, iaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, vel pugnando; vel alio licito modo ludendo. Ergo virtutis causa licitum est etiam facere sponsionem, d. l. 2. & 3. ff. de al. lus. & aleat. & Glos. in l. 19. si rem. in verbo, victori. ff. de præscript. verb. & è conuerso in casibus, in quibus non licet ludere, non licet facere sponsionem, Par. de Put. tract. de lud. sub num. 37. versus finem, tom. 7. fol. 153. & quòd ludere non sit aliud, quàm species spōsionis, scribit Franc. Garc. de contract. cap. 43. initio, & quòd ludus reducatur ad contractū spōsionis, quāuis nonnihil discriminis agnoscatur, quia ludus gratia recreationis assumitur, licet cum opere intendatur victoria; sponsiones autem non gratia recreationis sint inuentæ, scribit Lud. Lopez tract. de contract. lib. 2. cap. 21. circa initium; sed quid plura? ludere, & spondere sunt vnum, & idem, & proinde nos italo sermone promiscuè, & passim vtimur vtroque verbo, dicendo, *scommettiamo, giocamo*.

92 Contrariam opinionem, nempè, contractum hunc sponsionis, seu vadiationis, esse illicitum, & prohibitum, latè nititur defendere Conrad. de contract. q. 71. in 2. concl. vsque ad finem quæstionis.

Ratio, qua is mouetur, est duplex. Prima; quia vadiantes postea incipiunt se odire, nempè, victus vincentem, & sæpè in vadiatione contentiosè agitur, & hic contractus est similis ludo fortunæ, factus principaliter spe lucri; quæ omnia sunt illicita. Secunda, quia licet vadiationis contractus, postquam est factus, teneat, & oriatur obligatio, ita vt, conditione impleta, vni eorum competat actio contra alterum; tamen contrahendo peccant; nam sunt & alij contractus, qui facti tenent, & eos facere fuit illicitum, Conrad. d. q. 71. vers. contra prædicta.

93 Comprobatur hæc contraria opinio, quia (& retorqueo tertiam confirmationem eiusdem exemplificationis) ludus, & sponsio sunt in substantia vnum & idem, ideoque valere argumentum à ludo ad sponsionem, dixi sup. num. 91. in tertia confirmat. & hic addo rationem, quia aliàs facilè fieri posset fraus legi, prohibenti ludum alearum, seù taxillorum, quia possent ludentes taxillis deponere pignora, quòd alter altero plura puncta faciet; & sic facere sponsionem (si tu feceris plura puncta, dabo tibi decem; sin minus, dabis mihi) quod non est dicendum, Stracch. tract. de spons. 4. par. vers. quæritur.

titur.num.2.in fine,& num. 3.tom.6. par.1. fol.305. quia quando non licet ludere, non licet sponsionem facere, Par.de Put.quem retuli supra num. 91. in 3. confirmat. Ergo sponsio, & ludus sunt æqualiter prohibendi.

94 Non discedo ab exemplificatione, tum quia communiter tenetur,tum quia contraria facilè tolluntur.

Quicquid in contrarium titubando dixerint Paul. de Castr. quem citaui supra sub num.88.& Caccialup. tract.de lud.in 6.cas. sub num. 23.24.25.& 26. qui eundem Castrens. citat in alio loco.

Ad primam Conradi rationem respondeo, quòd odium debet cessare,quia; cum vterque æquè pecuniam suam periculo exposuerit; fortunæ,ac sorti succensendum est, non victori. Ad secundam, nego, quòd sit peccatum.

95 Ad comprobationem respondeo, sponsionem esse quidem speciem ludi, sed ludi liciti, & esse differentem à ludo alearum, & taxillorum, quamuis & ipsa, sicut ille pendeat omninò ab euentu incerto, &,vt aiunt, à fortuna; nam ludentes non recreationis causa, lucro absolutè inhiant; & propter illud præcipuè ludunt: item incerta est quantitas, quam aleæ committunt; qui enim in eiusmodi ludo perdit, vt plurimum non sui iuris efficitur, ideoque quam in animo decreuit,ludendo, quantitatem non excedere, vix contineri potest,quin eam excedat,quia dum amissum recuperandi spe alitur, ad ludum ita inflammatur, vt ab eo discedere non valeat, quin prius à se propriæ discesserint substantiæ; hacquè dum spe luditur fallaci, ad iram accenditur, ex ira ad impiam rapitur rabiem, ex rabie ad blasphemias: quæ omnia absunt à sponsione; plerunque enim sponsores non propter lucrum,sed propter aliud, quod desiderant, spondent; vt puta, quis ex vxore prægnante, desiderat filium masculum suscipere; spondet, quòd pariet fœminam; & concipit pactum (si pariet fœminam, dabis mihi quinquaginta, seù decem; si masculum, dabo tibi centum, vel decem) quod exemplum ponit Caccialup.tract.de lud.sub num. 23. in 6.cas.tom. 7. fol.157. quo casu desiderabit potius perdere centum, quàm vincere quinquaginta, quia non propter lucrum spondet, sed propter desiderium suscipiendi filium masculum: huicque sponsionis casui, tanquam honestæ, adaptatur satis vsitatus contractus emptionis, & venditionis equi, vel quid similis,pro pretio etiam longè vltra dimidiam iusti pretij, sed nunquam soluendo, nisi adueniente aliqua conditione, vt scripsi infra num. 97. & quando sponsores contrario inuicem detinentur desiderio, quilibet libenter perdit: vt puta: ego desidero, quòd N. sit Dux, quia spero, quòd me subleuabit, & tu,quòd non sit, quia times, quòd te persequetur; ideo ego dico, quòd non erit,& tu, quòd erit: spondemus inuicem, vt qui nostrum veritatem dixerit, habeat ab altero centum; quo casu quisque nostrum,perdendo, vincit, quia consequitur desiderium, ac proinde sponsio est veluti remedium,consolatio, & compensatio quædam cum casu sinistro: vlterius nunquam lucri, sed solum virtutis causa ostendendæ sponsio videtur introducta; nam quisque sponsorum prætendit ostendere, se altero prudentiorem, ac rerum futurarum, & absconditarum præuisorem, ideoque spondent: Item esto, quòd sponderent propter lucrum, tamen certa est quantitas, qua contendunt, in eaque contendentes sui iuris sunt, & ad maiorem quantitatem fallaci spe non alliciuntur, & vna soluta sponsione, alia in illo animi calore non est prompta: quare ludum taxillorum esse prohibitum, & sponsionem permissam, scribit Dec. cons. 115. sub num.4.ibi; secundo non obstat.

96 Ad id, quod dicebamus,quòd si aleæ ludus non esset idem, quod sponsio, posset ludens taxillis, fraudando legem, facere sponsionem, vt qui plura faciet puncta, habeat ab altero tot: respondeo, quòd esset sponsio in verbis, sed in re, quæ attenditur, esset ludus taxillorum,qui est prohibitus, vt ibidem dixi; quare, militante diuersa ratione inter ludum & sponsionem, nego, quòd sponsio debeat æquè prohiberi, sicut ludus.

Ad ea, quæ contra hanc exemplificationem considerauit Paul.de Castr.in d. l.à titio. ff.de verb.oblig.dicens,quòd propterea ipse noluit illo casu consulere, respondet Stracch. à me citatus supra sub num. 88. in postremo loco.

97 Firmata exemplificatione, quòd sponsio sit licita.

Infero, licitum esse contractum, in quo ego do tibi equum, seù gemmam valoris scutorum centum pro pretio scutorum 250. seù 300. non tamen mihi vnquam soluendorum, nisi cum tu vxorem duxeris, si eam

C non

non habeas, vel si habeas, nisi cum filium masculum susceperis, vel sub alia futura, & incerta conditione, Ita vt si illa conditio nunquam euenerit, tu lucreris illum equum; huncq; contractum ego vidi pluries initum hìc Romæ, & similem contractum, nempe, Titius accipit à Caio 100. ea conditione, vt Titius reddere teneatur 200. si post duos annos, visa Vrbe Roma, saluus redierit in patriam, vel si vxorem duxerit, vel si fiat presbyter, fieri solere in Flandria, & Francia, & esse contractum licitum, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 21. initio, col. 1027.

Extende primo eandem exemplificationem, vt habeat locum etiam si sponsio esset de præterita, seu futura morte alicuius Principis, siue Magnatis, vt in casu, de quo supr. sub num. 88. vel alterius personæ priuatæ, quia sponsio ex suo genere esset adhuc licita per ea, quæ dixi d. num. 88. & seqq.

Confirmatur hæc extensio, quia etsi ex eiusmodi sponsione detur occasio optandi mortem alterius; & ideo videatur contra bonos mores; tamen hoc est accidentarium, & ex hominum malitia, & non ex natura contractus, qui tendit ad lucrum; & ideo talis occasio non debet habere vim inficiendi ipsum contractum; quod videmus in testamentis, legatis, fideicommissis, substitutionibus, donationibus causa mortis, & societatibus officij, quæ, nulla huius occasionis habita ratione, valent; hacq; ratione validitatem contractus assecurationis vitæ hominis defendunt Lud. Molin. de iustit. tom. 2. de contract. disput. 507. vers. vtrum autem. il 2. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 18. dub. 8. vers. nec obstat. col. 1022. Præterea non datur vni ex spondentibus occasio optandi mortem, quin alteri detur occasio optandi vitam; sed hæc non est tuta ratio, quia magis attenditur causa, quæ nocet, vt in alijs terminis scripsi supra sub num. 47.

Contraria opinio, quòd hæc sponsio non sit admittenda, suadetur hoc argumento, quia eiusmodi sponsio de facili potest turbare mentem Principis, & illum mouere ad magnam indignationem contra spondentes, aut saltem contra alterum eorum, ex quo naturale est, vt indignetur is, cuius mors, seu alius tristis euentus videtur optatus; &, indignatione Principis excitata, periculum vitæ, & rerum imminet illi, contra quem est excitata, ideoque videtur contra bonos mores, & inhonesta; hacque ratione prudenter Stat. Genuæ lib. 4. cap. 17. §. sine licentia. prohibent, fieri vadimonia super vita Principum sine licentia Senatus; & Paul. de Castr. noluit consulere, vt retuli supra sub num. 88. & prudentius facient, qui ab eiusmodi sponsionibus, quando ex eis potest irasci Princeps, abstinebunt.

Concludo, distinguendo duos casus.

Primus casus est; quando ex eiusmodi sponsione potest irasci animus Principis, seu alterius personæ etiam priuatæ, & ex illa ira possunt sequi damna, & inconuenientia: & isto casu dico, sponsionem esse inhonestam, & ideo prohibendam; & quia sponsio fit sine iudicis auctoritate, & an sponsio sit honesta; spondentes cognoscere non debent, & facta in causa inhonesta, posset parere inconuenientia; quibus lex obuiare debet, ne ei dicamus, quòd sero sapiunt Phryges, sapienter statuta Genuæ supra citata, in certis casibus prohibent eas fieri sine licentia Senatus.

Secundus casus est; quando ex eiusmodi sponsione verisimiliter præfata damna, & inconuenientia non sunt ventura; & tunc dico, sponsionem esse licitam.

Pone exemplum huius secundi casus, quando Christiani facerent sponsionem de morte Turcæ, seu alterius Principis, qui nominis Christiani esset inimicus.

Retento hoc secundo casu, quando non imminent damna.

Infero, quòd hæc spōsionis ratione etiam, quòd ex ea detur occasio optandi mortem, sustinentur contractus, de quibus scripsi infra hoc eod. num. & seqq. licet enim Doct. ibidem citati, de illis contractibus agant sub nomine contractus mutui, vel sub nullo certo nomine; tamen reduci possunt ad quandam sponsionis naturam, & magna ex parte similes sunt societatibus officij, quæ contraherentur sine officio, sed solùm super periculo vitæ, & à Theologis infra citatis non improbantur; & ideo, vbi sunt vsu recepti, non sunt condemnandi.

Primus contractus est, quando quis mutuat alicui mille aureos eo pacto, vt si intra decem annos mortuus fuerit mutuator, vel mutuatarius; illa mille sint mutuatarij, & eius hæredum, si verò vterque superstes fuerit, teneatur mutuatarius reddere mille, & quingentos; quem mutui contractum esse

se licitum, scribunt Nauar.consil.25 quæstio. sub num. 3.lib.5.de vsur. Card. Tolet. de instruct.sacerd.lib. 5.cap.34. de alijs causis exigendi,&c. in fine, sub num. 3. vers. vltima causa. &, nulla de eo facta mentione, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap.6. q.2.& quòd si mutuator mutuat 100. aureos ea conditione, vt si intra decem annos ipse mutuator moriatur, mutuatarius lucratus sit illos 100. aureos; sin verò superuixerit, teneatur mutuatarius reddere illos 100. & vlterius 100. seù 120. alios, ad rationem decem, seu duodecim singulis annis, sit contractus licitus, qui caret omni vsura, latè tuetur idem Azor. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7.q. 7. quamuis enim contractum hunc nominent contractum mutui; tamen ex eius pacto dignoscitur, esse contractum sponsionis, sicut esse contractum societatis, quando datur pecunia mutuo, vt exponatur negotiationi, cum communi lucro, & damno, secutus sum infra q.7.par.2.ampl.20.num.4.

98 Secundus contractus huic similis est, quando (exempli gratia) Titius dat Caio centum ea conditione, vt si ipse Titius intra duos annos Romam venerit, & saluus in patriam redierit, Caius reddat Titio centum,& viginriquatuor; sin minus, Caius lucretur illa centum, & hunc contractum admitti à consuetudine in Germania, Anglia, alijsq; Prouincijs, & esse consuetudinem liberam ab omni vsura sequitur ex Nauar.supra citato, Io. Azor. de instit.moral. par.3. lib.9. tit.de societ.cap.9.vers.certi iurisibi, in germania. quod prius dixerat lib.7.tit.de mutuo, cap.7.q.7. vers.hic contractus.

99 Tertius contractus, huic omnino similis est, quando pater, habens duos, vel tres filios impuberes; præter primogenitum, dat Communitati, siue Ciuitati ducentos, vel trecentos aureos ea conditione, vt si illi filij vltra septennium vixerint, Communitas, siue Ciuitas in singulos annos debeat reddere centum, & duodecim pro centenario; si verò filij intra septennium obierint, Communitas, seu Ciuitas illos ducentos, seù trecentos lucretur; & hic contractus seruatur etiam in Anglia, Io. Azor. d.cap.9.vers. certi iuris. & d.cap.7.vers.hic contractus.

100 Ratio, quare hi contractus non damnentur, quamuis eorum exitus pendeat à mera fortuna, & tamen damnetur ludus alearum, & taxillorum, eò quia eorum exitus procedat à fortuna; est, quia fortuna horum contractuum differt à fortuna ludi alearum; nam fortuna in istis contractibus ligatas habet manus, vt contrahentium proprias substantias subuertere, ac dissipare non possit: quo ad eum enim, qui pecunias dat, is eas pro tempore, quo viuit, sua sponte, non adhuc victus, dat; illis non indiget, quia alteri non daret; cum verò moriretur, dicitur quidem tunc victus dedisse, sed vincitur in tempore, quo, etiam non victus, illas perderet, licet alter eas non lucraretur: si verò superuixerit; sors vna cum accessionibus ad eum redirura est: quo verò ad eum, qui pecunias accipit; is in primis, dum recipit, vtiliter agit; si qui dedit, moriatur, lucrabitur, ideoque vtilius contraxisset: si vterque superuixerit, potuit ex pecuniarum negotiatione nedum debitas accessiones lucrari, sed etiam maiores; & sic neutri potest fortuna iniuriam facere: qua fortunæ iniuria remota, cessat in eis occasio blasphemiæ, & aliorum malorum: at in ludo alearum fortuna laxas, ac solutas habet manus, ideoq; ludentes possunt eius iniuria proprias substantias coacti perdere; quibus perditis, surgit blasphemiæ, aliorumq; malorum occasio. Nec vsuræ suspitione damnantur, quia accessiones & lucra non à tempore, sed à periculo procedunt.

Neque hi secundus,& tertius contractus, imò neque primus redduntur vsurarij, seù illiciti ex his, quæ contra contractum, ab istis prima facie non longè distantem, consuluit Dec.cons.123.perlectis.sub num.1.& seqq. dicens, mutui vsuram non putari ex periculo perdendi pecunias capitalis, motus ex cap.vlt.nauiganti. de vsur.

Quia respondeo, quòd illud Decij consilium nititur duobus fundamentis, quorum primum est d.cap. nauiganti. & secundum, sunt coniecturæ, & præsumptiones, quas cumulat in casu suo: & vtrumque fundamentum ruit: nam d.cap.nauiganti. secundum communem intellectum, quem retuli infra num. 498. non improbat mutuum, in quo ratione periculi accipitur vltra sortem, nisi quando mutuator non mutuasset, nisi mutuatarius promisisset inire contractum assecurationis cum mutuatore; quæ promissio causat vsuram: & hic casus est longè diuersus ab istis casibus: & illas præsumptiones, de quibus posset etiam valdè dubitari; non supponimus in istis contractibus.

C 2 Exten-

Extende secundo, vt sponsio possit fieri non solùm de re incerta futura, sed etiam de re incerta præsenti, vel præterita, vt secutus sum infra q.7.par.2.ampl.10.nu.22.

Subextende has extensiones, vt ius, acquisitum ex sponsione, sit alienabile, & ideo vendibile, sicut ius acquisitum ex quouis alio contractu, quare potest ius sponsionis donari, cedi, & vendi, & quidem non solùm pro eodem pretio, sed pro maiori, & minori, prout sponsionis spes manet eadem, vel crescit, seù decrescit, & sic in sponsionibus, quæ olim fiebant super electione Pontificis, & creatione Cardinalium, eiusdem sponsionis pretium eodem die per singulas horas crescebat, & decrescebat, prout crescebat, & decrescebat spes, Io. Azor. de instit. moral.par.3.lib.11.tit.de contract.dub.cap.20. dub.4.vers.item consuetudo.col.1026.

101 Extende tertio, vt eiusdem sponsionis ratione licitus sit etiam ludus; cum sponsio, & ludus fraternizent, imò sponsio ipsa sit ludus, vt dixi supra num.91. & 93.

Huius extensionis materiam esse amplissimam, in eaq; Doctores inculcasse casus fori fori, & fori poli, idest, conscientiæ, scribit August.ad Ang.tract de malef.in verbo, mettitor de mali dadi. sub num. 21. 22. & 23. & conatur dilatare fimbrias, sed pauca docet, ego conabor clarè, & distinctè omnia, quæ nostro instituto inseruiunt, tradere, & prius refero duas inspectiones, quæ ex Doctorum mente colliguntur.

102 Prima inspectio est iuris naturalis: & in hac inspectione concludo, extensionem esse veram, quia ludus iure naturæ, & ex suo genere non est peccatum, seù delictum, latè Medin.in suis tract. tom.2. tit.de reb. restit. q. 21. col. 3. & seqq. & specialiter vers. his tamen. & seqq. fol. 163. & seq. & q.22.col.6.initio, vers. his non obstantibus. fol. 169. Sot. de iust. & iur. lib.4. q. 5. art.2.col.2.vers.ad quæstionem. fol.320. & col.4.versus finem, in 4. conclus. fol. 321. Lud. Molin. de iustit. tom. 2. de contract. disput. 510.vers.quoad secundum.& disput. 511.initio, & Mich.Sal.ad D. Thom. 2.2. q.5.de dominio, art.6. tit.an per ludum pecunia præsenti, &c. concl.1.vers.primo quia. & seqq.fol.166. tom.1.& quòd ludus taxillorum in se non sit illicitus, sed solùm propter prohibitionem iuris positiui, ita vt, cessante lege positiua, talis ludus non dicatur prohibitus, sequitur ex mente D. Thom. Steph.Cost.tract.de lud.art.4.princip.num. 5. tom.7. fol. 168. & quòd ludus fortunæ, puta, taxillorum de se non reprobetur, quia sicut possum tibi promittere decem sub conditione, quæ pendet à fortuna, puta, (si nauis ex Asia venerit) ita possum tibi promittere decem, si plura puncta habueris à fortuna, quàm ego, vt ex eod. D. Thom. sequitur Dec. cons. 115. num. 3. nam si quis potest iure naturæ donare, & donando, transferre dominium rei donatæ, à fortiori potest, ludendo, transferre dominium, quia ludus non est simplex donatio, sed est quædam pactio; nempe, meam pecuniam expono periculo, vt tu vicissim exponas tuam; & tanti æstimatur periculū vnius, quanti alterius, Sot.d. concl.4.col.5.fol.322.& Mich.Sal.vbi sup.

Ad ea, quæ ex sacra scriptura adduximus etiam contra ludum causa ioci, & recreationis, bene respondet Medin.d.q.21. vers. his tamen. & specialiter vers. per hæc patet.& seqq.fol.164.

103 Secunda inspectio est iuris positiui, & in hac Doct. quos citaui supra num. 85. concludunt ex regula, ludum, veluti delictum, seu rem illicitam, esse prohibitum.

104 Hæ duæ inspectiones (Doctorum pace dixerim) sunt vanæ, quare etsi apud Doctores adeo inualuerit hæc distinctio inter ius naturale, & ius humanum, vt ab ea recedere sit durum, tamen recedendum est, quia lex positiua non potest esse diuersa à lege naturæ per ea, quæ latè scripsi infra q.7.par. 2. ampl. 19. num. 40. & seqq. consideratis enim malis, de quibus supr.num.83. quæ sequuntur ex ludo, debet prohiberi tam à lege positiua, quàm à lege, & ratione naturali; sicut, semotis malis, ab vtraque permitteretur.

105 Retenta ergo prohibitione ludi propter tristes euentus, qui ex eo sequi solent.

Declara, distinguendo tria ludorum genera; quorum distinctione explanata erit materia ferè totius extensionis.

Primum ludi genus est illud, in quo casus, fortuna, & sors simpliciter dominantur, vt in ludo taxillorum, & similium: Secundum est illud, in quo vires, ingenium, & ars præcipuè regunt, vt est ludus palestræ, pilæ, scacchorum, & similium: Tertium, in quo & sors, & ars mixtim gubernant: Primum, & Tertium genus sunt prohibita: Secundum verò est permissum, Ang. tract. de malef. in verbo, mettitor de mali dadi. sub num. 2.

Cac-

Caccialup. tract. de lud. num. 26. tom. 7. fol. 157. Clar. recept. sent. lib. 5. §. ludus. vers. hæc autem conclusio. & Sal. ad D. Thom. 2.2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præsenti, &c. initio, & vers. ex his. fol. 165. & sic extensio de iure positiuo procedet solùm in ludo secundi generis, non autem in ludo primi, & tertij generis.

Sub qua pœna ludus aleæ sit prohibitus à iure communi, vide l. 1. ff. de aleæ lusu, & aleat. Clar. recept. sent. lib. 5. §. ludus. vers. sed quæro. & latè Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cēt. 4. cas. 399. & sub qua pœna, & quibus legibus in Hispanijs, vide Molin. de iust. tō. 2. de contract. disput. 512. vers. in hoc. & seqq.

106 Ratio, quare ludus primi generis, quando scilicet fortuna, & sors dominantur, sit prohibitus est duplex: prima, quia, cum fortuna sit Deus, vt dicit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 22. col. 3. vers. quinto illa. fol. 167. seù cum sors diuino attribuatur numini, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 16. limit. 6. num. 1. qui in eiusmodi ludo perdit, diuino numini, quasi sibi aduerso, & ab eo lusus, impiè irascitur, & iratus ad conuicia, & blasphemias insanè prorumpit; vt aduertit Medin. in loco, supra proximè citato; Secunda, quia dùm fallaci fortunæ spe ludendo luditur, omnia non sobrius perdit: non sic est in ludo, in quo ars, & ingenium regunt, quia qui in eo perdit, ignorantiæ non sorti succensendum esse agnoscit, ac proprijs artis, & ingenij viribus non deceptus, à ludo desistendum non ignorat: & ratio quare prohibeatur etiam ludus, in quo mixtim ars, & fortuna gubernant, est, quia vbi concurrunt causa permissiua, & causa prohibitiua, attenditur prohibitiua, vt dixi supra num. 46. & 47. & sic vtile per inutile vitiatur: adhuc enim, qui in hoc ludo perdit, non inscitiæ, sed sorti succensere solet, & dum spem in sorte, magis quàm in arte collocaret, à ludo vix se continebit; hancq; rationem in ludo mixto ex Mar. Socc. sequitur in substantia Par. de Put. tract. de lud. sub num. 40. vers. tamen aduerte. tom. 7. fol. 153.

107 Subdeclara primo eandē declarationem, distinguentem ludū in tria genera, vt in proposito nostro duo tantum sint consideranda: alterum, in quo fortuna, siue sola, siue mixta dominatur; & hoc diximus esse prohibitum: alterum verò, in quo vires, ars, & ingenium sine fortuna gubernant; & hoc diximus esse permissum.

108 Subdeclara secundo, dum diximus, ludum, in quo dominatur fortuna, siue sola, siue mixta, esse prohibitum, vt hoc recipiat aliam ludi distinctionem.

Primus ludus ergo est ille, qui non habet aliud obiectum, quàm lucrum, & indeterminatum, ideoque de sui natura potest in infinitum procedere, qualis est ludus aleæ, seù taxillorum sine particulari obiecto: & in isto ludo concludo ampliatiuè, quod est adeo prohibitus, vt dixi supra num. 83. vt lex, quæ sub pœna illum prohibet, habeat locum, etiam si in illo ludo cessassent blasphemiæ, & alia mala, quorum causa lex ludum prohibuit; licet enim cessassent effectus, tamen non cessasset potentia, aptitudo, & occasio, quas lex, prohibendo ludum, respexit iuxta ea, quæ scripsi infra sub num. 521. concludo etiam, quod habet locum in quauis quantitate ludatur, quia ex parua quantitate itur ad magnam.

109 Secundus ludus est ille, qui etsi de sui natura haberet infinitatem, vt est ludus alearum, tamen ex obiecto virtuoso, seù aliter licito restringitur ad certam modicam quantitatem, quam excedere non potest; & in isto ludo concludo, quòd lex, quæ prohibet ludum, in quo dominatur fortuna, non comprehendit istum, qualis est ludus, qui fieret conuiuandi gratia, l. vlt. quod in conuiuio. ff. de al. lus. & aleat. Salyc. in l. vlt. alearum. num. 5. vers. circa istam. C. de relig. & sumpt. fun. Caccialup tract. de lud. sub num. 26. tom. 7. fol. 157. dicens, non esse prohibitum, quando fieret gratia recreationis in conuiuio, vt ludere vnum hedum, seù vnum par caponum, & Steph. Cost. eod. tract. art. 2. princip. num. 35. in fine, fol. 166. & ideo ludens modicum causa recreationis, non tenetur illud restituere, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 4. in fine, de immunit. eccles. nam in isto cessant non solùm mala, & sic effectus, sed etiam occasio, & aptitudo ad mala.

110 Tertius ludus est ille, qui non solùm habet certam modicam quantitatem ex obiecto determinatam, sed de sui natura non habet infinitatem, ideoq; non est multiplicabilis, qualis est ludus, quem nos italo sermone dicimus, *lotto*, is enim, etsi absolutè subiectus sit incertæ fortunæ voluntati; tamen est licitus, quia non potest modicam excedere quantitatem; & de hoc forsan sentit Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præsenti,

ti.&c.concl.1. verſ.ſecundò ſi iure. fol. 166. in fine, dum ait, licitas eſſe ſortes, ideſt, hiſpanicè, *las joyas*. & non adeò obſcurè Sot. de iuſt.& iur.lib.4.q.5.art.2.col.5.fol.322. dum inquit,licitum eſſe ſortium genus,dum pecunia multorū congeſta iocalia coemuntur, quæ inter eos ſors prolata diſtribuit, & clarè Troil.Malu.tract.de ſortib. par. 3. ſub num.5.tom.11.par.2.fol.401. dum concludit,quòd in caſu, quo quis indigeret pecunia, nec aliter habere poſſet, vel vellet vendere rem ſuam, nec aliter poſſet, niſi, ponendo rem ſuam ſub ſorte, vt Bononiæ, talis, inquit, ſors non eſt prohibita; eſt enim hoc caſu quædam indirecta venditio, dummodo talis non colligat maiorem quantitatem pecuniæ, quàm res ipſa valeat, & ceſſet omnis fraus, & clarius Lud.Molin.de iuſt.tom.2. de contract. diſput. 509. initio, ibi, & fit interdum contributio. & verſ.ſeqq. in quibus, explicata prius cognitione huius ludi, ſcribit de iniuſtitia, quæ hoc in ludo poteſt cōmitti; & nos tam hìc Romæ, quàm alibi ſæpè vidimus hanc ſortem, ſeu ludum: fit autem eiuſmodi ludus, cum in vrnam multæ paruulæ conijciuntur ſchedulæ, ſingulæ albæ, exceptis tribus, vel quatuor, in quibus deſcripta ſunt certa præmia, & has ſchedulas, beneficiatas propterea vocamus, & in aliam vrnam conijciuntur itidem aliæ paruulæ ſchedulæ, habentes ſingulæ deſcriptum diuerſum numerum, & aliqua breuia verba ad ſignificandas perſonas ludentes: & deinde ex vrnis extrahuntur ſingulæ ſchedulæ, & cui contingit, vt cum ſua ſchedula extrahatur aliqua ſchedula beneficiata, debetur præmium in ea deſcriptum, & latius explicat Medin.in loco ſupra proximè citato.

111 Subdeclara tertio,vt prohibitio ludi,fortunæ voluntati ſubiecti, operetur duos effectus: primum, ne victori detur actio: ſecundum, vt victo detur repetitio, l.vlt.alearum.C.de relig.& ſumpt.fun. imò actio non ſolùm non datur victori contra victum, ſed neque contra tertium promiſſorem, Par. de Put.tract.de lud.num.25.tom.7.fol.152. & Caccialup.eod.tract.q.8.ſub num.35. caſ.9. & num.36. fol.158. & de hoc ſecundo effectu obſcurè, & non diſtinguendo in quo foro loquatur, licet generaliter agat de foro conſcientiæ, Innoc.in cap.8. quia plerique. num.4.verſ.de eo autem. de immun. eccleſ. ſcribit, quòd vincens in ludis, ſi fuit tractus ad ludum, non tenetur reſtituere,quia tunc nihil dolo feciſſe videtur, ſecus, inquit, eſſet, ſi alium traxiſſet,quia tunc reddere tenetur, quaſi dolo fecit, ſed hic forte, inquit, melior erit conditio poſſidentis, ſed ſi aliquid amiſit, poteſt repetere; tu adde quæ ſcripſi infra nu.118.verſ.alij diſtinguunt. & an detur actio ei, qui mutuauit ludenti, vide eundem Par.de Put.d.tract.de lud. num. 17. & 18. Caccialup.eod.tract.q.8.ſub num.32.& 33.eod.tom.7.fol.157. & Steph. Coſt.eod. tract.art.6.princip.num.1.& ſeqq. fol. 168.

Ratio huius ſubdeclarationis eſt, quia, denegata victori actione, & conceſſa victo repetitione,ceſſat lucrum, quod eſt cauſa finalis ludi, & conſequenter ceſſabit ludus.

112 Intellige primo ſecundum effectum de repetitione, danda perdenti, vt procedat de iure, ſecus quando extaret conſuetudo, quæ permitteret ludum alearū,ſeu ſimilem, prohibitum à iure poſitiuo, quia tunc vincens nec in foro poli, nec in foro fori teneretur reſtituere, Par.de Put.tract.de lud.num.33. verſ.an conſuetudo. & ſub num.40. verſ. & aduerte. tom. 7. fol. 153. Caccialup. eod. tract.q.9. ſub num.40. ibi, quando verò luſum. fol.158.& Steph.Coſt.eod.tract.art.3. princip.ſub num.8.fol. 167. & eſſe communem refert, & ſequitur Clar. recept.ſent.lib. 5. §.ludus. verſ.item vincens. & infra quantum tempus concedatur hæc repetitio in Hiſpanijs,& multa alia,ad id pertinentia, ſcribit Lud. Molin. de iuſt. tom. 2. de contract.diſput.512.verſ.lex 2. & verſ. ſeq.

113 Ratio,qua confirmatur hæc intelligentia, eſt, quia ſtatutum, vel conſuetudo poſſunt facere ludum prohibitum eſſe impunitum, vel ludum de iure illicitum, poſſunt facere licitum, quia omnis pœna contra ludentes eſt inducta de iure poſitiuo; ergo contrario ſtatuto, vel conſuetudine poteſt tolli per ea, quæ referunt Par.de Put. d.tract.de lud. ſub num.49. verſ. vtrum ſtatutum. & num. 51. fol.154.Caccialup.eod.tract.q.17.num.71. & reſolutè num.76.& 79.fol.160.& Steph. Coſt.eod.tract.art.4 princ.num.1.& ſeqq.& præſertim num. 5. fol. 167. quos in occurrenti caſu videas, quia referunt varia dicta, & loquuntur cum multo ſalis grano,miſcendo varias declarationes, & conſiderationes.

114 Ratio rationis, quare ſtatutum, & conſuetudo poſſint victo repetitionem iuridicè denegare, eſt, tum quia victus, repetendo, allegat propriam turpitudinem, nempè, quod, ſpreta lege, contra illius prohibitionem luſerit; tùm quia, committendo in le-

gem,

gem, indignus videtur legis auxilio; & cum victor, & victus sint in pari causa turpitudinis, potior debet esse causa possidētis, Steph. Cost. sub d. nu. 5. fol. 168. quod, loquendo de eo, qui dat meretrici, seù mathematico, scribunt Innoc. & alij, quos citaui, & secutus sum infra, q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 98. vbi videas, quare irrationalis videtur lex, quæ tendit in fauorem victi, & in odium vincentis, qui æqualiter contra legem commiserunt, & consequenter rationabilis videtur consuetudo contraria.

115 Difficultas, quæ huius intelligentiæ occasione insurgit, & à citatis Doct. non vidi excitatam, est, nunquid consuetudo, quæ eo ipso, quòd permittit ludum alearum, siuè taxillorum, intelligitur denegare victo repetitionem, intelligatur eodem iure permissionis ludi concedere victori actionem, & sic corrigere ius in vtroque effectu, de quibus sup. num. 111. subdecl. 3.

Breuiter, & resolutiuè procedendo, crederem, quòd non, etiam si victor vellet agere infra summā vnius solidi, pro qua vincenti in ludo, non prohibito, datur actio, per ea, quæ dixi infra nu. 123. & moueor, quia correctio iuris est odiosa, & maximè ista, quæ corrigendo ius, fouet malos mores, & ideo est euitanda, & quando euitari non potest, debet ità strictè intelligi, vt minus corrigat; vnde si ista consuetudo potest intelligi, vt corrigat in vtroque effectu, vel in vno, debet intelligi, vt corrigat in vno, vt, loquendo de statuto corrigente, secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 411. & hoc est verum, quando correctio est obscura; secus si esset clara in vtroque effectu, vel clarè disponeret, quòd iste ludus esset licitus, quia tunc vndique conuenirent ei omnes effectus ludi liciti: & supposito, quòd corrigeret in vtroque effectu, certum est, quòd adhuc denegata esset actio vltra summam vnius solidi, quia vltra hanc summam denegatur etiam in ludis, qui de iure sunt liciti, vt dixi infra d. num. 123.

116 Intellige secundo, vt quamuis victo detur repetitio, non tamen per hoc sequitur, quòd victor teneatur in foro conscientiæ restituere, antequam per iudicis sententiam sit condemnatus ad restituendum, quia cum in victorem transierit dominium, is, donec condemnetur, potest tuta conscientia retinere, per ea, quæ scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 21. vers. ad quartam. vers. corollariè sequitur. in fine, & vers. seq. fol. 174. & 176. quem sequitur Bonins. tract. de lud. cap. 12. in fine, num. 4. & 5. & cap. 7. num. 4. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. præsertim concl. 4. col. 4. fol. 321. & seqq. latè Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 4. num. 1. & 2. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 624. & quòd omnes recentiores Thomistæ sequantur hanc intelligentiam, testatur, eam sequendo, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præsenti, &c. vers. oppositam. & seqq. fol. 166. & tit. an quando luditur pecunia absente, &c. vers. vltimo si ludens. fol. 168. quare concedit lex, vt quæ aliquis in ludo amisit, possit in iudicio recuperare, sed hæc lex nec tribuit pecuniæ dominium illi, qui perdidit in ludo, nec expoliat dominio illum, qui lucratus est, sed solum præstat, vt is, qui perdidit, possit apud iudicem repetere, & iudex victorem compellere ad restituendum, Mich. Sal. d. q. 5. de dominio, art. 1. concl. 2. vers. hæ duæ. fol. 135. & quòd hæc sit communis opinio inter Doct. quòd acquisita per ludum nō sint obnoxia restitutioni, antequam feratur sententia condemnatoria ad restituendum, quamuis ille ludus sit iure humano prohibitus, & concedatur repetitio, scribit, & sequitur Lud. Molin. de iustit. tom. 2. de contract. disput. 513. vers. contraria. quod latius repetit disput. 514. vers. dubium est vtrum. & quòd hæc opinio sit verior, & in praxi sequenda, testatur Io. Azor de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 5. vers. tota igitur. in fine, col. 296.

117 Contra hāc intelligentiam, nempè, quòd acquisitum ex ludo non retineatur cum bona conscientia, sed debeat pauperibus erogari, & non peccaret, si victor restitueret victo, scribit Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. sub num. 7. ibi, credo quod acquisitum. de immun. eccles. à cuius sententia non videtur discedere ibidem Abb. sub num. 35. q. 11. vbi post remissiones, formando tres casus, ait indubitanter reperi lucrum, quando ludus erat prohibitus per legem communem, vel municipalem, & postea in fine subdit, tene menti opin. Ant. de Butr. quæ satis est tuta in foro animæ. & qui alij tenent hanc eandem contrariam opinionem, adducit Mich. Sal. d. tit. an per ludum, &c. vers. his positis. fol. 166.

118 Alij distinguunt, vt si vincens fuit tractus ad

ad ludum, non teneatur restituere, secus si ipse traxerit victum, sed postea dubitando dicunt, quòd hic fortè melior erit conditio possidentis, & confusè addunt, quòd si aliquid amisit, potest repetere; ita Innoc.in d.cap.quia plerique. num.4. vers.de eo autem quem licet referant,& non impugnent, tamen ad alios se remittunt, Io. Andr. ibid. sub num. 4. ibi, quid de eo quod quis. & Anch.num.13. q.6. & Innocentij verba inuertunt, dum in fine ponunt dicta verba, *vel fortè melior erit conditio possidentis*.

Hæc Innocentij distinctio est non minus breuis, quàm confusa, nec aperit in quo foro loquatur, licet in illo cap. generaliter agat de foro animæ, vt aduerti etiam supra nu.111.& infra q.7.par.2 ampl.19.nu.120.

Cæterum, si vis videre aliquas Theologorum opiniones super hac distinctione, vide Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput.516.per totam.

Quæ pro & contra hanc secundam intelligentiam adduci possent, sume ex alio non dissimili articulo, discusso infra q.7. par. 2. ampl.19.num.98.& seqq.

120 Retenta tamen intelligentia.

Infero primo, ampliando eam, quòd in tantum non tenetur restituere ante sententiam iudicis, vt neque illi, qui in ludo amisit, liceat tantundem de bonis collusoris, qui vicit, furari, aut aliter retinere, etiam si aliter amissum via iudicis non posset recuperare, ideoque si illud occultè, aut aliter retineret, teneretur restituere, Lud. Molin. d.disput.514.vers.ex dictis.

Nisi quando, qui lucratus est, iniustè impediuisset, ferri iustam sententiam, quia tunc posset sibi retinere, Molin. vbi supra.

Et procedit illatio tam in foro conscientiæ, quàm in foro fori.

Infero secundo ampliando etiam, quòd huic, qui amisit in ludo prohibito, & via iudicis recuperare non potest, non propterea licet in alio ludo cum eodem, qui lucratus est, vincere, & lucrari tantundem per dolum, & fraudem; & lucrando, tenetur restituere, Molin. d.vers.ex dictis.in fin.

Et procedunt istæ illationes tàm in foro conscientiæ, quàm in foro fori.

Nisi is, qui lucratus est, iniustè impediuisset, ferri iustam sententiam, quia tunc contra illationes posset retinere, Molin. vbi supra.

Tempera eandem intelligentiam, vt non procedat, quando lex diceret, ludum fore nullum, & irritum tàm in iudicio, quàm extra iudicium, quia tunc lucrum ludi etiam in foro conscientiæ, & sententia etiam non lata, non posset retineri, cum sit nullum, etiam extra iudicium, nisi per consuetudinem esset huic legi derogatum per ea, quæ, loquendo de sponsione, quam Pontificis constitutio diceret nullam, & irritam tàm in iudicio, quàm extra, scribit Io. Azor. de instit.moral.par.3.lib.11. de contract. dub. cap.20.dub.3.col.1026.

Subdeclara quarto, vt ludus, in quo non dominatur fortuna, sed dominantur vires, ars, & ingenium, & diximus esse licitum, sit multiplex, vt recensendo varios ludos, scripserunt Caccialup tract.de lud.num.7 & 8. tom.7.fol.156 & Steph.Cost.eod.tract.art. 1.§.1.num.1.& seqq fol.162.& Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.restit.q.21.initio, fol.162.

121 Ratio, quare hi ludi sint permissi, est, quia etsi homo, ad laborem natus, in sudore vultus vesci debeat pane suo, vt retuli infra num.172. tamen cum sit corruptibilis, non potest in labore durare, nisi aliquando animi recreatio laborem temperet, sudoremq; abstergat, vt latius hanc rationem probant Sot. de iust. & iur. lib.4. q.5. art. 2. vers. ad quæstionem, col.2 fol.320.& Steph.Cost.d. §.1.num.3.in fine,4.5.& 6.fol.162.& art.2. princ num.36.fol.166.

122 Excipe primo ab hac subdeclaratione, dum dicimus, ludum, qui non sit subiectus fortunæ, esse licitum, vt non procedat in ludo cruento, & sanguinolento, in quo sanguis spargitur, vel ludentium strages sequi potest, quia hi omnes ludi iure nouo prohibiti sunt, vt citatis iuribus, & auctoritatibus, adductis etiam particularibus ludis, explicat Cost. tract. de lud. art. 1. §. 2. sub num.30.31.& 32.tom.7.fol.164.

123 Excipe secundo, vt quantumuis ludus sit permissus, tamen in eo non licet ludere vltra valorem vnius solidi, l.vlt.alearum. C.de relig.& sumpt.funer. Clar.recept.sent.lib.5. §. ludus. vers. scias tamen. & Mich. Sal. ad D.Thom.2.2 q.5.de dominio,art.6. tit. an per ludum pecunia præsenti,&c.vers.ex his. fol.165.& quanti valeat hodie solidus, vide §.seq.gl.3.num.13.& seqq.

Excipe tertio quemuis ludum licitum, siue ex dispositione iuris, siue ex consuetudine, in quo committeretur dolus, vel fraus; quia

quia isto casu is, qui in eo fraudolenter, aut dolosè vinceret, teneretur in vtroque foro ad restitutionem, Franc. Garcia de contract. cap. 43. num. 9. vers. hora si domanda. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. cap. 25. in 2. & 3. notab. col. 439. & communiter omnes, & satis probatur ex his, quæ in contractu emptionis secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 7. & seqq.

Pone casus huius doli, & fraudis, prout ponunt Garcia d. cap. 43. num. 8. vers. esplicaremo. & Azor. in loco supra proximè citato.

Amplia primo hanc exceptionē, vt teneatur restituere non solùm lucrū, quod ipse fecit, sed etiam lucrū, quod collusor deceptus facturus esset, Io. Azor. d. cap. 25. in 2. not.

Amplia secundo, vt teneatur restituere, non solùm, quod adhibito dolo lucratus est, sed etiam quod lucratus esset sine dolo in toto ludo; nam qui vtitur chartis, seù taxillis falsis, aut alio signo, quod ab eo, qui à tergo videret chartas, sibi daretur, diceretur lusisse inæqualiter, & cum excessu sibi cognito, & collusori ignoto, & consequenter totus ille ludus esset illicitus, quia satis est, quòd alter collusor fuerit in toto ludo positus in maiori periculo perdendi; hacque inæqualitatis, & maioris periculi ratione tenetur restituere tàm in foro fori, quàm in foro conscientiæ per ea, quæ in casu minus scrupuloso secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. infero tertio. & seqq. & præsertim vers. subinfero secundo. & in foro fori tenetur etiam propter præsumptam fraudem in toto ludo, cum difficile esset probare non fraudem.

Tempera primo, limitando eandem exceptionem, vt non procedat in dolo, qui non repugnat naturæ, & moribus ludi, quia iste dolus est licitus, vt explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 12.

Tempera secundo, vt ludus sit nullus, ideoque facienda sit restitutio in odium collusoris, qui vsus est dolo, & sic, volente collusore, qui passus est dolum; secus eo nolente; & consequenter si collusor, qui chartis falsis, vel alio modo doloso vsus est, adhuc perdidisset, ei restitutio fieri non deberet, quia nemini proprius dolus, & culpa debet patrocinari.

Excipe quarto quemuis ludum licitum, in quo esset notabilis inæqualitas, quia is, qui vinceret, teneretur restituere, vt latè explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. infero tertio. & seqq.

124 Absolutis extensionibus huius primæ exemplificationis, positæ supra num. 88.

Restringe primo eandem exemplificationem ad sponsionem licitam, vt locuti sumus in ipsa exemplificatione, & sponsio dicitur licita, dummodo sit honesta, prout etiam locutus sum sup. in eadem exemplific. num. 88. & quæ sponsiones dicantur honestæ, vide Stracch. tract. de spons. par. 4. per totam, tom. 6. par. 1. fol. 304. & seq. & quæ dicantur inhonestæ, vide Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 19. dub. 6. col. 1026. ex cuius, & aliorum dictis, & ex nomine ipso collige regulam, quòd inhonestæ sunt omnes illæ, quæ sunt de re inhonesta, seù contra bonos mores, vt in exemplis, traditis ab Azor. in loco sup. proximè citato, & quæ sponsiones, securitates, vadimonia, seù partita sint prohibita in Reipub. Genuæ, Genuenses habent in statutis lib. 4. cap. 17. §. fine licentia. & §§. seqq.

Restringe secundo, dummodo à sponsione absit læsio, vt dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. infero tertio. & seqq. & secutus sum etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub num. 476. in 2. cas. & dummodo absit dolus, quia dolus inficit quemuis contractum, per ea, quæ secutus sum d. ampl. 10. num. 7. & seqq.

Declara primo hanc restrictionem, vt ludi, & sponsionis iniustitia, ex qua causatur læsio, & ex læsione obligatio ad restituendum, sit inæqualitas periculi, & securitatis, prout latè explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. infero tertio. vsque ad vers. extende secundo. vbi videas.

Declara secundo notabiliter, vt in Vrbe Roma, vbi iustitia, & boni mores magis quàm alibi debent splendescere, aliquæ sponsiones, quæ aliàs ex sui natura non essent illicitæ, partim iure humano, & partim consuetudinario sint prohibitæ; Prima quarum est, quando, sede vacante, Cardinales, conclaue ingressi, tractant de eligendo futuro Pontifice, quia nec tunc, nec alio tempore potest fieri sponsio, quòd hic, vel ille erit Pontifex, id Pij IV. bulla prohibente, de reformat. conclauis. quod notauit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 20. dub. 1. col. 1026. Secunda est, quando agitur de promotione Prælatorum ad Cardinalatum, quia sponsiones

siones, quis eligetur, & quis non, recesserunt ab aula, & credo fuisse similiter prohibitas, licet Io. Azor.d.cap.20.dub.4.dicat, non fuisse prohibitas; Tertia sponsio, quæ in Curia non admittitur, est ille contractus, qui per viam sponsionis haberet eundem effectum, quem haberet societas officij; quare societas officij sine officio non sustinetur per viam sponsionis, iuxta ea, quæ scripsi infra num.305.vers.secundum est forum.

Declara tertio, vt aliqui contractus, quamuis sint compositi ex natura sponsionis, tamen, quia habent vestem, quæ eos cohonestat, & ex qua eorum iustitia apertius videri potest, sunt communiter recepti, qui sine illa veste in nuda sponsione essent suspecti, & ideo disputabiles; & forsan non admissibiles, præsertim in Romana curia, huiusmodi sunt census vitalitius, societas officij, qui Romæ passim fiunt, vt patet ex his, quæ scripsi infra in diuersis locis, similiter iactus rethis, qui est emibilis, Par. de Put. tract.de lud. sub num. 37. tom. 7. fol. 153. Caccialup.eod.tract.num.23.in fine, cas. 6. fol.157.& Mich.Sal.ad D.Thom. 2.2. q.5. de domin.art.6. tit. an per ludum pecunia præsenti,&c.concl.1.vers.secundo de iure, fol.166.& tamen hi omnes à sponsione non discrepant, quia si in censu, vel societate mors euenerit, vnus lucratur capitale, si non euenerit, alter lucratur tot pro centenario, quos fructus vocamus; & qui emit iactum rethis, si iactus erit plenus, lucratur, si vacuus, perdit.

Nota pro intelligentia nominum, quòd depositio, & sponsio idem sunt in hac materia, vt patet ex his, quæ dixi supra num.88. dicitur namque depositio, eò, quòd deponatur pecunia, seu quid aliud pecunia æstimabile, soluenda ei, qui vicerit: sponsio verò dicitur eo, quòd vnus spondet, se soluturum alteri, si verum fuerit, quod affirmat, Io. Azor.de instit.moral. par.3.lib.11.tit.de contract. dub. cap.19. not. 1. vers. vnde huiusmodi. col. 1023.

Et hæc satis: si quæ enim tibi plura de sponsione occurrat videre, legito, quæ scripsit Stracch. tract.de sponsi. & de ludo, quæ scripserunt Par.de Put. & alij, qui de eo peculiarem ediderunt tractatum; nobis enim, qui cambij materiam copiosè, & specialiter explicare proposuimus, in his, quæ generaliter de alijs commercijs præmittimus, non licet æqualiter insistere.

DE ASSECVRATIONE.

SVMMARIVM.

Con-

Conditio importat formam, & continet non leuem solemnitatem, num.150.

Nisi, *est dictio aduersatiua orationi præcedenti, & importat conditionem. sub num.149.*

Forma non potest adimpleri per æquipollens, nu. 151. Fallit, vt in num.152.

Casus sinister, si euenerit dolo, seù culpa assecurati, non comprehenditur in assecuratione casus sinistri, num. 154. & quid si euenerit culpa ministrorum ipsius assecurati, num. 155.

Notitia casus sinistri ante assecurationem non potest ab assecuratore probari per testes in iudicio executiuo, & quid si fuerit probata, num. 156. Assecurator tenetur notitiam probare, non autem assecuratus tenetur probare ignorantiam, num.157. Notitia potest probari per coniecturas, & verisimilitudines, facientes probationem, etiam minorem semiplenа, num. 159. & 168. Quæ sint ista coniecturæ, num.160. & seqq.

Fama probat notitiam casus sinistri, sub num. 158. & 166.

Probationes notitiæ casus sinistri sunt arbitrariæ, num.159.

Notitia casus sinistri probatur ex distantia loci, & quantitate temporis, sub num. 160. Quomodo mensuretur distantia loci, & quantitas temporis, num.161. & seqq. Quando sit difficilis hæc probatio notitiæ ex distantia loci, & quantitate temporis, num.167.

Iter, & tempus aliter consideranda in citatis, aliter ad præsumendam notitiam casus sinistri contra assecuratum, sub num.161. & 162.

Distantia inter locum secuti casus sinistri, & locum factæ securitatis, quando casus sinister est secutus in mari longinquo, sumitur à primo loco terræ firmæ, in quem fuerit delata notitia casus sinistri, sub num.162. & 163. & non est isto casu necessaria notitia famosa, sed sufficit nouum, sub num. 164. vers. contraria. & num.165. & 166.

Nouum, & rumor qui dicantur, nu.165. & 166.

Secuto casu sinistro in mercibus assecuratis, quodnam pretium sit attendendum, sub num. 168. vers. vndecima difficultas.

128 EXEMPLIFICA II. in contractu assecurationis, quo quis vult assecurari à casu sinistro, cuius contractus formulam in assecuratione nauis, & in assecuratione vitæ hominis posui infra num.141. & 142. de vitæ hominis assecuratione locutus sum infra §.3.gl.3.nu.51.

129 Hic assecurationis contractus (siue sit emptio, & venditio, vt dixi infra q. 7. par.3. limit.6.num.5. seù similis emptioni, vt dicam, siue sit locatio, & conductio, vt dicunt Archiep. Floren. tract. de vsur. cap. 2. §. 46. num.76.tom.7. fol. 86. & Conrad. de contract.q.71.initio; siue sit contractus innominatus, similis venditioni ad ea, quæ scribunt Santer.tract.de assecurat.par.1.num.7. tom. 6.par.1.fol.348. & Stracch.in præfat.num. 47.vers.& illud. fol.360. siue sit contractus fideiussionis, vt ex Albornoz. sequitur Frãc. Garc.de contract.cap.39. num.3. vers.hora molto. & ex eo Lud.Lopez de contract.lib. 2.cap.16.in fine initij, & nemine citato, videtur sequutus Io. Azor. de instit. moral. par.3.lib.11.tit.de contract.dubijs. cap. 18. dub.2.col.1020. siue sit periculi alieni præstatio, seù contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se, vel gratis, vel certo pretio ad eam compensandam, si perierit, & proinde, si gratis hanc obligationem suscipiat, sit promissio gratuita, si pretio, sit contractus similis emptioni, & venditioni, quia qui pretio assecurat, videtur vendere suam obligationem, qua se obligat ad soluendum rei æstimationem, in euentum, quo perierit, & alter hanc videtur emere, vt scribit Leonar. Less.de iust. & iur. lib.2.cap.28. num. 24. & demum quicquid sit) est contractus licitus, quia non reperitur in iure prohibitus; & quòd sit licitus, est de mente Pauli de Castr.in l.in naue saupheli. ff.loc.& aliorum, quos sequuntur Par.de Put.tract.de lud.num.35. vers.an quãdo.tom.7.fol.153. Caccialup.eod.tract. num.21, cas.4. fol.157. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb.restit. q. 38. caus.3.vers. præterea qui alienarum. fol.272.col.1. Santer.d.par.1.num.5. Stracch. in præfat.num. 44.fol.360. idem Stracch.in tract. de spons. par.4.vers. item quærit paul.num.1. tom.6. par.1.fol.305. Couar.var.resolut.lib.3.cap. 2.sub num.5, vers.constat sanè. & Io. Bapt. Lup.in cap.nauiganti. §.1.idest, post præfationem, sub num.4.vers.colligitur modo. & num.5.de vsur.inter tract.diuers.tom.7.fol. 135. & esse licitum, sequuntur Archiep. Floren. & Conrad. vbi supra, & quòd iste cõtractus assecurationis maritimarum mercium sit licitus, & honestus, testantur Medin.d.tit.de reb.restit.q.22.col.6.in fine, vers. in quo casu. fol. 169. & Mich. Sal. ad D.Thom.2.2. q.5.de dominio, art.6. tit.an

per

per ludum pecunia præſenti, &c. concl. 1. verſ. ſecundo ſi iure. fol. 166. & quòd vno Doctorum conſenſu habeatur tanquam licitus, in quo tamen plurimum dominatur fortuna, ſcribit Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. verſ. quamobrem. col. 5. fol. 322. & quòd iſte vſus aſſecurandi ſit receptus, idéq; tàm Theologis, quàm Iuriſconſultis probatus, ſcribit lib. 6. q. 7. art. vnico, in 3. argum. col. 2. fol. 601. & quòd hic contractus habeat rectitudinem, & iuſtitiam, quia ſicut fideiubenti licitum eſt accipere pretium fideiuſſionis, ita & multò magis licitum ſit aſſecuranti, cum grauioribus ſubiaceat periculis, ſcribunt Franc. Garc. de contract. cap. 39. num. 4. verſ. di queſta. & Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 16. verſ. ex hac autem. imò quòd iſte contractus aſſecurationis ſit licitus, ſatis probatur ex cap. nauiganti. de vſur. vbi Papa non prohibet, fieri aſſecurationem, ſed prohibet ſolùm, ne in fraudem vſurarum is, qui mutuat, aſſecuret mutuatarium ex obligatione præcedenti, vt retuli infra num. 498. confirm. 3. 130 † & quòd aſſecurans poſſit ob aſſecurationem aliquid accipere, & aſſecurationes fieri in magnam Reip. vtilitatem, ſcribunt Sot. & Nauar. quos ſecutus ſum d. limit. 6. num. 5. & quòd rebus publicis ſit maximè proficuus, ſcribit Medin. in loco, ſupra proximè citato; & hunc contractum aſſecurationis frequentari à Florentinis, & Genuenſibus ex Alex. & Iaſ. refert Lup. vbi ſup.

131 Et tamen huius contractus, ſeù commercij lucrum, & damnum pendent à mera ſorte, & fortuna; vt ſcribunt Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 22. verſ. loquor igitur. col. 2. fol. 167. Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. col. 5. fol. 322. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præſenti, &c. concl. 1. verſ. ſecundo ſi iure. fol. 166. tom. 1. & communiter omnes, quia id rei euidentia demonſtrat: nam aſſecurationis natura hæc eſt, vt volens tranſuehere ſuas merces per mare, vel per terram, & timens illarum amiſſionem, ſeù aliter periculum, inueniat aliquem, qui prædictum veriſimile mercium periculum ad ſui inſtantiam ſuſcipiat, pro quo periculo poteſt aliquid iuſtè ab ipſo mercium domino exigere, eo, quia hic, qui periculum ſuſcipit, res ſuas proprias, quas in tuto habet, periculo eas amittendi exponit, ex quò, ſi merces pereant, ipſe de rebus proprijs tenebitur domino earum valorem ſoluere, &, mercibus manentibus ſaluis, id, quod pro ſuſcepto periculo accepit, non tenebitur reſtituere, & hanc eſſe communem Doctorum approbatam ſententiam, teſtatur, & ſequitur Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 38. cauſ. 3. verſ. præterea qui. fol. 272. & hic contractus aſſecurationis in ſubſtantia, & iuſtitia pretij non differt à contractu ſponſionis, differunt autem ſolùm in hac qualitate, quòd aſſecuratio habet euidentem cauſam, iuſtam, & vtilem, quia aſſecuratus intendit euitare damnum; at ſponſio habet latentem cauſam, cuius vtilitas non apparet, & hac ratione commercium aſſecurationis eſt Reipublicæ vtilius, & iuſtius.

132 Declara primo obiter iſtam exemplificationem, vt aſſecurationis commercium, ſicut quoduis aliud reſcindatur, ſi alter ex contrahentibus ſit læſus, quia etiam in contractu aſſecurationis datur exceſſus & læſio, vt declaraui infra q. 7. par. 2. ampliat. 10. ſub num. 5. verſ. infero ſecundo. vbi explicaui pretium periculi.

Extende hanc declarationem, vt, ſi læſio ſit dolo, vel per fraudem commiſſa, hi contractus, ſicut alij, ſint ipſo iure nulli, vt ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 19. & ſeqq.

Declara ſecundo, vt aſſecuratio teneat, etiam ſi fiat poſt ſecutum caſum ſiniſtrum, dummodo aſſecuratus de eo notitiam non haberet iuxta ea, quæ ſcripſi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 19. & ſeqq.

Subdeclara hanc declarationem: cui incumbat onus probandi notitiam, & quomodo probetur ex his, quæ ſcripſi infra num. 156. & ſeqq. in 6. & ſeqq. difficultatibus.

Et quid in caſu, quo quis fecit aſſecurari merces in naui, & nullæ aderant merces, vide in d. ampl. 10. num. 21. & 22.

133 Declara tertio, an & quando mutuatori liceat, pretio accepto, aſſecurare mutuatarium ex his, quæ latè explicaui infra num. 498. & ſeqq. & nu. 502. Et quòd fideiuſſor, aſſecurans mutuantem ad inſtantiam mutuatarij, poſſit aſſecurationis pretium exigere à mutuatario, vide infra ſub nu. 493.

Declara quarto, vt hic aſſecurationis contractus poſſit fieri, & habeat locum in quauis re, ſeù de quauis re, quæ ſubiacere poſſit periculo, & interitui, quare poſſunt aſſecurari merces tàm ſi per mare ſint tranſferendæ,

ferendæ, quàm si sint transferendæ per terram; item assecurari possunt pecuniæ, ex vno in alium locum traijciendæ; possunt assecurari naues, aliaq; nauigia, vna cum mercibus, & etiam separatim, similiter potest assecurari alicuius personæ transitus, vt sit liber, vt puta, si Titius transiturus sit per loca hæreticorum, turcarum, aut latronum, seu hostium, & demum potest assecurari vita, & superuiuentia hominis pro certo tempore, vt de his omnibus in diuersis huius tractatus locis egimus, & ideo superfluè Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs, cap. 18. dub. 6. col. 1021. nititur assecurationem reducere ad quatuor modos, seu species.

Nota ex hac declaratione, dum loquitur de assecuratione vitæ hominis, & obiter collige ex ea cautelam pro eo, qui pro sequenti semestri societatis officij, super sua, vel alterius vitæ periculo initæ, fructus accepit, & durante illo semestri, timet mortem, & consequenter pecuniarum amissionem; & pro eo, qui, cum sit infirmus, non admittitur ad resignandum, & pro eo, qui fuit admissus, sed debet superuiuere per aliquot dies; & pro quouis, qui, si moriatur infra certum terminum, perdit aliquam pecuniarum summam; quia hi, si sint in Ciuitatibus, vbi frequentantur commercia assecurationis, possunt per viam contractus assecurationis euadere hoc periculum perdendi pecunias; & adde, quæ scripsi infra §. 3. gl. 3. sub num. 51.

Quia in Ciuitatibus, in quibus mercatura florescit, & præcipuè in maritimis, hoc assecurationis commercium est valdè vsitatum, & de eo plures oriuntur lites, & difficultates, quas nec Theologi, nec Canonistæ tetigerunt, ideo earum aliquas, quæ mihi insigniores, & in vsu forensi frequentiores visæ sunt, breuiter proponam, & pro viribus dissoluam.

134 Prima difficultas erit: Quis dicetur casus sinister?

Resp. casum sinistrum dici casum aduersum, & obnoxium, Straech. tract. de assecur. gl. 24. num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 376. & comprehendit casum fortuitum, vt patet ex infra dicendis; & casus fortuitus dicitur ille, quem nullum hominum consilium præuidere potest, l. 2. §. si eo tempore. ff. de administr. rer. ad ciuit. pertin. seu dicitur inopinatæ rei euentus, cui prouideri non potest, Stracch. d. tract. de assecur. par. 3. num. 65. fol. 352. & latius gl. 22. num. 1. fol. 376. Beninc. tract. de pauper. &c. q. 2. num. 11. tom. 18. fol. 140. latè Sebast. Medic. tract. de fortuit. casib. q. 12. num. 1. & seqq. tom. 7. fol. 208. Hier. Præuid. tract. de pest. &c. vers. subsequenter. num. 5. & seqq. tom. 18. fol. 180. Laur. Silu. tract. de feud. recogn. q. 109. num. 36. tom. 10. par. 1. fol. 95. & cum his concordant Stat. Genuæ. lib. 4. cap. 17. §. casus sinister. quare casus fortuiti possunt etiam diligentissimo patrifamilias contingere, quia nullum hominum consilium eos præuidere potest, Mantic. tract. de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 17. num. 3. & casus fortuitus dicitur insolitus, ideoq; suscipiens in se casum fortuitum, tenetur etiam de casu insolito, vt, reprobata contraria opinione, sequitur Crot. in cap. nauiganti. sub num. 3. & seqq. de vsur. inter Repet. tom. 4. fol. 373.

135 Secunda difficultas. Quando dicatur, casui sinistro prouidentia humana prouideri non posse?

Respond. quando procedit à superiore, cui resisti non potest, vt puta, si procedat à fortuna, seu voluntate diuina, quia superiorem non habent, iuxta ea, quæ scripsi in meo tract. de appell. q. 16. limit. 6. num. 1. huiusmodi autem casus, seu facta, quibus resisti non potest, ideoque hominis culpam excludunt, & excusant, ita vt de eis non teneatur, eum diuinam vim habeant, sunt violentia ventorum, vis fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut ruinæ, aut incendij, aut terremotus; horum enim vim nemo sustinere potest, l. 24. fluminum. §. vitium. vers. seruius quoque. ff. de damn. infect. valetudo, tempestas, & vis fluminis, l. 2. §. si quis in iudicio. ff. si quis caut. naufragium, l. 3. vers. inde labeo. ff. naut. caup. & stabul. incendia, naufragium, latronum, hostiumvè incursus piratarum, quibus resisti non possit, l. 18. in rebus. ff. commod. & l. 1. C. depos. & quòd incursus bannitorum, deprædantium merces, reputetur inter casus fortuitos, scribit Rot. diuers. decis. 208. placuerunt. num. 1. coram R. P. D. Sacrato, in Rom. mercium, ven. 27. Ianuarij 1604. in impressis Romæ 1615. vis tempestatis calamitosæ, fluminum, graculorum, sturnorum, & demum omnis alia vis, cui resisti non possit, 136 l. 16. ex conducto. ff. loc. † Idem si procedat à Principe, quia eius factum connumeratur inter casus fortuitos, l. lucius. ff. de euict.

euict. Alex.conf.57.quoniam.num.3.in fine, lib. 1. Natt.conf. 181. viso.num.4. Crauet. conf.95.visis his.nu.1. Bois. tract. crim. tit. de temiss. merced.num.76. Affl. decis. 54. quidã casinus.nu.2. & alij, quos citat Surd. decis.vlt.causa domini.nu.15.† Imò etiã factũ Iudicis ordinarij, l.2.§.fin.ff. si quis caut. & hoc quodanimodo siue sit iustũ,siue iniustum,Bar.& Ang.d.§.fin.num.1. Alex.nu.2. Fulgos.nu.4.Ias.nu.2. & Iacob.de S.Georg. num. 5. vers. in ead. gl. Ang. in l. sed & si quis. §.illud sciendum. ff. si quis caut. nam quicquid euenit ex iniusta iudicis sententia dicitur casu fortuito euenisse, l. 51. si per imprudentiam. & Bar. ibi, dico ergo.ff. de euict. idem Bar. in l. 68. exceptione. num. 4. ff. de fideiuss. Bal. in l.quæ fortuitis.num. 3. C. de pign. act. Santer. tract. de assecur. par.4 num.25.in fine,26.& 27.tom 6. par. 1. fol.354.& par. 5. num.8. fol. 357. † cum iniustitia, & casus fortuitus æquiparentur, cap.1.vers. & si contingerit. vbi Bald. de nou.form.fidel.& Silu.tract.de feud.recogn. q.109.num.36.in fine,tom.10.par.1.fol.95.

137

138

139 † Et quòd nauigio iussu superioris loci intercepto, aut saxito, vel, vt dicitur, de eo facto imbarco, ita quòd sit coactum capere aliud viagium, & merces assecuratas exonerare,dicatur casus sinister, disponunt stat. Gen. lib.4.cap. 17. §. casus sinister. & quòd relinquatur arbitrio iudicis, quis dicatur casus insolitus,scribit Surd.d.decis.vlt.nu.53.

De his casibus fortuitis & si nemo teneatur,quia eis resisti non potest; vnde Procaccius merces, hoc fortuito casu deperditas, non tenetur restituere, nisi eius culpa præcesserit, Rot.d. decis.208. sub num.1. & 2. hæcq; culpa, seu non culpa, à quo probari debeat, declarat ead. Rot. ead. decis. 208. nu.2.& 3.tamẽ de his casibus tenebitur,qui ad eos voluerit teneri,suscipiendo in se risicũ,& periculum, vt dixi in seq. tertia diffic.

140 Tertia difficultas. An casus sinister, cui prouidentia humana prouideri non potest, dicatur tàm ille, cui nec antequam veniret, nec dum veniebat, nec postquàm venit poterat prouideri, quàm ille, cui potuit prouideri postquã venit,& pro absoluta huius difficultatis intelligentia fingamus casum, & ponamus tenorem assecurationis; finge ergo, quòd nauis sit à piratis Turcis aggressa, & bellicis tormentis percussa, vel alias maris tempestate ad scopulos alliserit, ita vt ex hostium percussione, aut ad scopulos allisione sit in alueo, vel alia sui parte fracta, indeq; aquam hauriat; & ideo sit inhabilis ad nauigandum: finge vlterius, quòd non solùm sit à piratis aggressa,sed sit ab eisdem per spatium noctis obsessa, & tota ferè die sequenti eam ante oculos habuisse, & postea eam ibidem pro derelicta habuisse. Finge rursus, quòd nauicularius, seu nauis gubernator potuisset nauis fracturam restaurare, illaq; restaurata, iter prosequi; sed restaurandi diligentia omissa fuisse temporis iniuria ita discerptam,vt nunquam amplius restaurari posset; nunquid dicetur euenisse casus sinister; & consequenter agi possit contra assecuratorem, qui in se nauis periculum, casumq; omnem aduersum, & fortuitum susceperat sub eiusmodi, vel simili formula, qua passim vtuntur Genuenses:

141 † *Iesus, 1605. die ... Nomine D. Baptistæ q.Oberti toto infrascripto tempore durante super corpore, naulis, corredijs, & apparatibus nauis,nominatæ Sanctus Ioseph,Capitanatæ per Thomam Bordonum, vel per quemuis alium, &, deficiente vna re, risicum restet super alia, vel alijs, spectante risico dicto Baptistæ, vel alijs quibusuis, incipiendo risicum die, & hora, qua dicta nauis recesserit ex præsenti portu Genuæ, & duret per menses tres, tunc proximè venturos inclusiuè, prima, & vltima die comprehensis, & possit patronus, & quisuis cum dicta naui, & alijs prædictis fuerit, toto dicto tempore durante, vbique tangere, ire, stare, & nauigare vbique, & quocunque, in locis, & ad loca tàm infidelium, quàm Christianorum, & à dextris, & à sinistris antecedere, & retrocedere, tàm intra limites, quàm extra onerare, exonerare, & reonerare semel, & pluries, portus quoscunque, & schalas facere, ac vnum, & plura nauigia facere ad quasuis mundi partes, toto dicto tempore durante, viaggio mutato, vel non mutato, prout dicto patrono videbitur, & placuerit: nec per aliquam onerationem, exonerationem, & reonerationem, vbi vis, & per quemuis faciendam, de præsenti risico aliquid minuatur;imò sit, & restet semper firmum, & integrum super restantibus: de risico, valore, spectatione,qualitate,& quantitate prædictorum credatur simplici verbo cum iuramento dicti D.Baptistæ,vel persona pro eo absque aliqua alia fide, seu probatione facienda, & demum in cæteris cum omnibus, & singulis suis clausulis, cautelis, solemnitatibus, & renunciationibus, quæ apponi solent*

in

in similibus apodixijs securitatum ad beneficium illorum, qui se assecurari faciunt, qua habeantur hic pro expressis de verbo ad verbum ad exigendum casum sinistrū (quod absit) prædictum D.Baptistam, vel personam pro eo legitimam, renuntiantes, &c. dantes, &c.promittentes, &c. Sub, &c. iurantes, &c. Iesus, die 16. Septembris 1615. notata per me Stephanum Caneuarium Gub. Cabellæ securitatum, & per me Io. Andream de Andrea notariū,& dictæ Cabellæ scribam.

Io N. assicura scudi quattrocento, & son pagato, Dio la salui.

Io N. assicuro scudi ducento, & son pagato, Dio la salui, &c.

Aliam formulam vulgari sermone ponit Stracch.tract.de assecurat. fol. 363. tom. 6. par. 1.

142 Addo obiter pro curiosis, & connexitatis occasione formulam assecurationis vitæ.

Nomine D.Io. Baptistæ Semini q. D.Hieronymi de ordine D.Camilli Sebastiani Suarez Florentiarum, pro computo D.Camilli Sebastiani Suarez, & Antonij Valderana super vita, & persona R.D.Equitis fratris Ferandi Ruijz. de Coral Equitis Hierosolymitani, & Baliui nouarum Villarum super vita, & persona d. D. Equitis Fratris Ferandi, incipiendo risicum in solutionibus feriæ augusti præsentis anni millesimi sexcentesimi decimi, Florentiæ celebrandis, & duret vsque in solutionibus feriæ apparitionis anni proximè venturi millesimi sexcentesimi vndecimi Florentiæ celebrandis, & quatenus, dicto tempore durante, d.R.Frater Ferandus decederet, seu vita careret ex quauis morte, tam naturali, quàm accidentali, quàm etiam quouis alio modo, quo dici, imaginari, seu cogitari possit, nemine excluso (quod Deus auertat) tali casu infrascripti assecuratores soluere teneantur d. D. Io. Baptistæ, seu personæ legitimè pro eo intra tres dies, proximè venturos, secuturos à notificatione dictæ mortis, si sequeretur, sine vlla contradictione, summas pecuniarum, per eos infrascribendarum respectiuè, omni exceptione, & contradictione remotis, &c.& possit d. D. R. Eques Fernandus toto dicto tempore durante, stare, ire, & morari, antecedere, & retrocedere in quauis mundi parte, tàm via terrestri, quàm maritima ad eius libitum, nullum generando præiudicium præsenti securitati, Nec d. D. Io. Baptista teneatur, nec obligatus sit ad ostensionem, nec ad aliquam fidem faciendam de præsenti risico ipsi DD.Camillo, Sebastiano, & Antonio spectante, sed quòd credatur, & stari debeat soli verbo d. D.Io. Baptistæ, seu personæ pro eis, quia ita declararunt per præsentem apodixiam securitatis, quibusuis in contrarium facientibus non obstantibus: Et præsens securitas valeat, & teneat, nec contra eam aliquid opponi possit, renunciantes infrascripti assecuratores omnibus, & quibusuis statutis, in contrarium facientibus; qui quidem infrascripti assecuratores teneantur solutioni præsentis securitatis; vt supra dictum est d. D. Io. Baptista Semino, quatenus intra dictum tempus sequeretur dicta mors; de qua morte stetur fidei, faciendæ per testes, etiam minus legitimè receptos, & ad formam statuti, de causis breuioribus in §. in exactionibus securitatum. &c. Renunciantes, &c. Dantes, &c. Promittentes, &c. Sub, &c. Iurantes, &c. Acto, quòd, adueniente casu mortis, non possint assecuratores aliquid dicere, opponere, nec excipere, nisi prius facta integra solutione summæ, per eos respectiuè assecuratæ, & ita cum iuramento promittunt, & obligant, & absolutionem à iuramento non petere, nec impetrare, &c. Et declarato ad cautelam, quòd dictus risicus incipiat in dictis solutionibus feriæ augusti Placentiæ, & finiat in dicto foro apparitionis Placentiæ, quia sic, &c. & seu in solutionibus dictæ feriæ apparitionis, &c.num.30. Nouembris 1609. die 17. augusti, notata per me Iulium Pasqua Gubernatorem Cabellæ securitatum, &c. & per me Io. Stephanum Carderinum notarium, &c. & dictæ Cabellæ scribam, &c.

Io N. assecuro scudi trecento de lire quattro, e sono pagato à tre, e tre quarti per cento, che Iddio faccia saluo. ——— sc.300.

Io N. assecuro scudi trecento da lire quattro, e sono pagato à tre, e tre quarti per cento. Nostro Signore lo salui. ———sc.300.

Io N. N. N. assecuro, &c.

Die 24. Septembris 1609. registrata pro scutis tribus milibus de 3. & tribus quartis pro centenario, soluerunt de numerato, Io.Baptista, Laurentius, & Benedictus Vernalia N. Capserio libras sexaginta, & prout in mandato C. 11. relat. &c. per me dictum Iulium, & per d.Io.Stephanum, &c.

His præmissis, redeo ad difficultatem de casu sinistro nauis.

143 Prima opinio est affirmatiua, quòd casus sinister euenerit, & consequenter assecuratus possit agere, quia certi iuris est, nauem

 passam

passam esse casum sinistrum, & sufficit, casum sinistrum aduenisse, illiusq; conditionem semel extitisse, & esse impletam, quamuis exinde conditionis implementum non durer, vt, loquendo in vltimis voluntatibus, probant text. in l. 7. si quis hæredem. & ibi Gl. fin. Bal. in princ. Ias. num. 1. cum seqq. & alij C. de instit. & substit. l. cum vxori. in princ. & ibi Paul. de Castr. & Salyc. C. quan. dies leg. ced. l. fin. §. 1. & ibi Bal. not. 2. Paul. de Castr. num. 1. C. de indic. vid. toll. Peregr. tract. de fideicomm. art. 43. num. 18. vers. conditionem autem, & art. 11. nu. 120. & seqq. vbi declarat, & secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1217. & in terminis nostris Rot. Genuens. decis. 101. num. 2.

144 Secunda opinio est negatiua, quia licet nauis capiatur ab hostibus, ramen non statim, atque capta est, transit in eorum dominium, & quousque non transit, non dicitur casus sinister, quia potest interim recuperari; quare ad hoc, vt nauis, seu alia res, capta ab hostibus, efficiatur ipsorum hostium, requiruntur duo: primum, quòd nauis capta ducatur intra præsidia ipsorum hostium, idest, ad confines: secundum, quòd ita sit ducta, vt sit in tuto, ne à militibus accurrentibus momento recuperari posset, & sic debet pernoctasse, Bal. sed obscurè in l. ab hostibus. la 2. versus finem, & clarè Salyc. ibidem num. 2. C. de capt. & postlim. reuers. Vinc. de Franch. decis. 268. lib. 2. & Rot. Rom. coram R. P. D. Orano, in vna Neap. Aromand. ven. 28. Nouembris 1597. in impressis post Farinacij consilia lib. 1. decis.

145 120. antonius. num. 1. † quia res, donec non est deducta intra præsidia, non dicitur mutare dominium, & consequenter nequè statum, l. 5. postliminij ius. ff. de capt. & postl. reuers. vbi habetur, quòd captus in bello remanet semper ciuis, donec non ducitur intra præsidia, ductus autem efficitur seruus: ex quibus suadetur, quòd non sufficit, euenisse casum sinistrum, sed requiritur etiam, quòd habeat effectum; quare, si, secuto casu sinistro in mercibus, quia piratæ, seu latrones cœperint nauem, & dominus mercium assecuratarum, dato aliquo ipsis piratis, recuperauerit merces, vtique assecurator tenetur solùm ad illud, quod dominus mercium dedisset pro recuperatione, & non ad pretium omnium mercium, Santer. tract. de assecur. par. 4. sub num. 27. vers. quid autem. & num. 28. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 354. quod ego intelligo verum, quando merces nondum transijssent in dominium hostium, per ea, quæ dixi num. seq. & ita sentit Rot. d. decis. 120. sub num. 1. & 2. dum ita distinguit: aut quis emit merces ab hostibus, postquam transierant in eorum dominium; & tunc sunt irreuocabiliter effectæ ipsius emptoris; secus si eas emerit priusquam transierint in eorum dominium, quia tunc, restituto pretio emptori, tenetur emptor eas restituere domino: aut eas emit à latronibus, & tunc tenetur eas restituere vero domino, restituto sibi pretio, si fuerit modicum, ita vt videatur gessisse vtile negotium ipsius domini, quia verisimiliter ipse dominus eodem pretio redemisset, cui decisioni ego adhæreo in primo casu, quando res transiuit in dominium hostium, sed quando non transiuit, vel quando est capta a latronibus, qui nunquam efficiuntur domini, res habet controuersiam, an dominus debeat emptori pretium restituere; & quidem, suppositis his, quæ dicit Rot. supra citata, & Couar. in cap. peccatum. par. 3. versus finem initij, num. 5. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 663. ego non auderem ab eis discedere.

Reliqua quædam de restitutione rei alienæ, vide infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 82. illat. 6.

146 At vbi nauis, seu triremis capta transierit in dominium hostis, tunc euadit alia triremis, & consequenter quæ prius fuit, amplius reparari non potest; vnde si daremus casum, quòd illa triremis rediret in piraticâ, & à priori domino recuperaretur infra spatium decem, aut sexdecim dierum, tamen triremis diceretur iam passa casum sinistrum, & ideo assecurator teneretur, etiam si ex dispositione statuti daretur terminus ad prouidendum casui sinistro, vt in stat. Gen. lib. 4. cap. 17. §. casus sinister.

147 Confirmatur hæc opinio apud Genuenses, quia eorum stat. in d. §. casus sinister, pinguius, & negatiuè disponitur, vt casus sinister non intelligatur, nisi nauigium assecuratum redactum sit casu fortuito in eum statum, qui prouidentia humana reparari non possit intra tempus, declarandum per magistratum loci, dummodo dictum tempus non excedat mensem vnum.

Pro solida huius tertiæ difficultatis resolutione considero, quòd etsi nauis æquè dicatur

catur passa casum sinistrum, quando est capta ab hostibus, sicut quando est capta à latronibus, seu aliter est impedita, aut fracta, tamen quia non sufficit casus sinister, nisi sit talis, vt reparari non possit infra mensem ad summum, secundum statuta Genuæ in d. §. casus sinister. ideo ad cognoscendum, an & intra quantum tempus possit reparari; distinguo tres facti species.

Prima facti species est, quando id, quod in naui reparatione *indiget*, est ita manifestum, vt *Consul*, siue alius magistratus possit certò cognoscere quantum tempus requiratur ad illam reparationẽ, vt puta, quia nauis sit in aliqua sui parte passa fracturam, seu aliud damnum, sed tamẽ nauis sit in potestate nauarchi, seu nautarum, vel quia sit intercepta, seu aliter impedita, sed tamen sit nota causa interceptionis, & impedimenti, ita vt iudex possit de interceptionis, & impedimenti amotione cognoscere; & in hac facti specie concludo, casum sinistrum ad effectum exigendi pretium nauis assecuratæ, non dici euenisse, nisi iudex iudicauerit, non esse locum reparationi infra congruum terminum; & ita procedat secunda opinio, posita sup. num. 144.

Secũda facti species est in opposito, nempè, quando id, quod reparatione indiget, est adeo occultum, vt iudex de eo cognoscere non possit; vt puta, quia nauis sit capta ab hostibus, seu à latronibus, & ignoretur vbi nauem duxerint: & in hac facti specie cõcludo, casum sinistrum euenisse, & cessare statutum Genuæ; & ita procedat prima opinio, posita supra num. 143. nam vel nauis transiuit in dominium hostium, & acta res est, vt dixi supra sub num. 145. & 146. vel non transiuit, seu est capta à latronibus; & concludo idem, quia si ignoratur locus, vbi ea sit, certum est, quòd iudex non potest declarare, an & infra quantum tempus possit recuperari, seu reparari, quare statim erit locus exactioni pretij nauis assecuratæ, nulla præcedente iudicis declaratoria, quam tamen in Ciuitate Genuæ, vbi stant in littera statuti, censeo adhuc fore non solùm de consilio, sed necessariam: si tamen nauis isto casu rediret incolumis, & ante mensem, præsertim nondum exacto pretio, censerem, non esse locum exactioni, quia alter casus propitius docuit per rei euidentiam, potuisse reparari, imò fuisse reparatam infra mensem.

Tertia facti species est, quando nauis fuit capta à latronibus, vt supra, seu ab hostibus, & antequam in eorum dominium transiuerit, redijt ante lapsum mensem, imò valdè cito ad manus nautarum, non tamen incolumis, sed fracta: & in hac concludo idem, quod supra, sed addo, requiri omnino iudicis declaratoriam circa tempus necessarium ad reparandam fracturam.

148 Quarta difficultas: An, omissa hac declaratione, requisita ex forma statutorum Genuensium, possit assecuratus aliunde ostendere, quòd illi casui sinistro infra mensem prouideri non poterat.

Prima facie videtur, quòd non, quia hæc declaratio est forma substantialis, ita vt, ea omissa, actus sit nullus, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 1. num. 56. & strictius cap. 11. sub num. 117.

149 Et hæc forma in casu dicti statuti importat conditionem, quia est data sub illa dictione, *nisi*, quæ in casu contrario importat conditionem affirmatiuam, ex quò præcedit oratio negatiua, ***casus sinister non intelligatur, nisi***, & virtus huius dictionis, *nisi*, est aduersari præcedenti orationi negatiuæ, sicq; sequitur, quòd, secuta declaratione, nauem reparari non posse infra mensem, cessat prior pars negatiua statuti, vt explicat Dec. in cap. 60. præterea. num. 1. & seqq. de appell. & fusius Couar. super 4. decret. tit. de matrim. cap. 4. §. 1. sub num. 8. fol.

150 182. † & conditio importat non solùm formam, sed continet semper non leuem solemnitatem, ideoq; necesse est, vt ea existat, vt secutus sum §. seq. gl. 5. num. 22. & in nihilo deficiat, Dec. in cap. 11. de appellationibus. num. 12. vers. secundus casus. de appell.

151 Contrariam sententiam in puncto iuris credo veriorem, quia etsi regulariter forma adimpleri non possit per æquipollens, Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 21. sub nu. 11. & Iacob. Nouell. tract. de iur. prothom. §. 3. num. 21. tom. 17. fol. 35.

152 Tamen hæc regula recipit limitationem, de qua Dec. in l. si mater. sub num. 4. C. de instit. & substit. dicens, quòd, si forma respicit certum effectum, potest adimpleri in æquipollenti, Paris. cons. 99. iste. num. 16. & 17. lib. 3. & cons. 20. gratia. num. 14. & 17. lib. 4. Rot. Genuen. decis. 210. sub num. 2. & seqq. dum scribunt, satis esse, quòd sit seruata effectualiter, & virtualiter, licet non

superficialiter, & satis esse, quòd tacitè includatur in actu, qui geritur; quare etsi expressio grauaminis nominatim in appellatione ab interlocutoria sit de forma substantiali, tamen potest adimpleri per æquipollens, videlicet per relationem ad certam partem actorum, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 4. num. 32. Item licet solutio sit apposita à testatore per modum conditionis, tamen potest adimpleri per æquipollens, vt secutus sum infra d. gl. 5. num. 21.

153 Verùm in praxi difficile est isto casu inuenire æquipollens huic formæ, &, quando adimplementum non est æquipollens, forma per illud nõ adimpletur; quare si hebræo sit data certa forma, seruanda in eius libro pro describendis pignoribus, ad excludendam fraudem, quæ non ita facilè possit euitari, si nõ obseruetur illa forma ad vnguem, non potest dari adimplementum æquipollens, & consequenter, ea ad vnguem non seruata, liber non probat, Rot. diuers. decis. 182. facultas. num. 9. cotam Illustrissimo Card. Millino in Rom. pignorum, ven. 14. Iunij, 1602. in impressis Romæ 1615. & ita præcipuè seruaretur Genuæ propter statutum de extrinseco intellectu, & scio in casu huius quartæ difficultatis fuisse seruatum.

154 Quinta difficultas. An assecuratores teneantur de casu sinistro, secuto culpa, seu dolo assecurati, vel dolo, & culpa nauarchi, siuè nautarum.

Resp. Si casus euenit culpa assecurati, non tenentur, Crot. in cap. nauiganti. sub num. 2. de vsur. inter Repeten. tom. 4. fol. 373. vt puta, si merces sint interceptæ, quia sint prohibitæ, vel quia nõ fuerit soluta gabella, vel quid aliud simile culposè, aut dolosè commissum sit, l. cũ proponas. C. de naut. fœnor. Santer. tract. de assecur. par. 4. num. 16. in fine, & num. 17. & 19. tom. 6. par. 1. fol. 354.

155 † Si verò euenerit culpa alterius, puta, Gubernatoris nauis, seu nautarum, assecurator tenetur, Santer. num. 18. in fine, & d. num. 19. Sed contrarium tenet Crot. in loco, supra proximè citato, & dubitando, sub verbo, *fortè*, scribit, loquendo de naue exarmata ex imperitia magistri nauis, Stracch. eod. tract. de assecur. gl. 8. sub num. 6. fol. 367.

Sed tu in his, maturius cogitaturus, vide omnino quæ scribit Stracch. tract. de assecurat. gl. 20. num. 2. 3. & 4. & gl. 29. num. 8. in fine, & num. 9. eod. tom. fol. 375. & 378.

156 Sexta difficultas. An notitia casus sinistri in assecurato ante factam assecurationem, vt assecuratio non teneat, possit ab assecuratore probari per testes in iudicio executiuo.

Resp. quòd non, & ita practicatur per ea, quæ scripsi in meo tract. de appell. q. 17. limit. 9. num. 52. secus in iudicio ordinario.

Cæterum, si ex actis ipsius processus executiui appareret, assecuratum notitiam habuisse casus sinistri, deneganda ei esset securitatis exactio, Stracch. tract. de assecur. gl. 29. num. 8. in fine, vers. audiendusque, tom. 6. par. 1. fol. 378.

157 Septima difficultas. An onus probandi ignorantiam casus sinistri ad validitatem assecurationis incumbat assecurato, agenti ad exigendum pretium assecurationis, vel incumbat assecuratori onus probandi notitiam ad infringendam assecurationem?

Resp. quòd incumbit assecuratori, & ita vidi practicari etiam in terminis statutorum Genuensium, lib. 4. cap. 17. §. securitates factæ. tùm quia notitia isto casu includit dolum assecurati, & dolus non præsumitur, Stracch. tract. de assecurat. gl. 27. sub num. 5. vers. tertia facti. ibi, circa secundam fol. 377. quia in dubio quilibet præsumitur bonus, vt in alio proposito retuli infra num. 499. tùm, quia ignorantia vel probatur per assertionem assecurati, vel alias habet naturam negatiuæ, quæ est improbabilis, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 7. num. 298.

158 Octaua difficultas. An hæc notitia casus sinistri possit probari per coniecturas, verisimilitudines, præsumptiones, & inditia?

Resp. quòd sic, Stracch. tract. de assecur. gl. 27. num. 5. tom. 6. par. 1. fol. 377. & quòd possit probari præsumptiuè, satis patet ex eo, quòd in hac notitia includitur dolus assecurati, & dolus probatur ex præsumptionibus, verisimilitudinibus, & coniecturis, & sufficiunt leues, & semiplenæ probationes, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 309. & seqq. Imò sufficiunt minores, semiplena probatione, præsertim secundum stat. Gen. in d. §. securitates factæ. dum disponunt, notitiam casus sinistri in assecurato probari præsumptiuè, eo ipso, quòd probatur, famam casus sinistri secuti extitisse in loco factæ securitatis ante ipsam securitatem, dummodo hæc fama legitimè probetur; nam si ipsamet fama legi-

legitimè probata in specie respectu notitiæ ipsius assecurati, quòd ipse sciret, casum sinistrum esse secutum, non faceret semiplenam probationem notitiæ, per ea, quæ, loquendo in criminalibus, secutus sum d.cap. 9.num.85. & satis patet ex eo, quòd fama facit inditium ad inquirendum, sed non ad torquendum, quia ad torquendum requiritur semiplena probatio, vt secutus sum eod. tract.de iudic.caus.lib.1. cap.84. num. 6. & 7. ergo multò minus, quàm semiplenè probabit fama notitiæ, probata in genere respectu multorum, seu maioris partis populi.

159 Nona difficultas. An istæ probationes de notitia casus sinistri sint arbitrariæ?

Resp. quòd sic, adhibito discreto, & regulato iudicio, per ea, quæ in his terminis scribit Stracch.d.gl.27. sub num. 5. & 6. & quæ generaliter loquendo, secutus sum d. cap.9.num.530.& 531.

160 Decima difficultas. An multæ oriri possint coniecturæ ad coniecturandam notitiã casus sinistri, & quæ sint hæ coniecturæ.

Resp. dari quamplures, quarum vnam, vel alteram, quæ sunt vsu & praxi receptæ, prosequar.

Prima ergo, & præcipua coniectura est illa, quæ sumitur ex distantia loci casus sinistri ad locum factæ securitatis, & ex quantitate intermedij temporis, quod fuit interpositum inter casum sinistrum, & factam assecurationem; nam si secundum potentiam humanam intra illud tempus nuntius non potuisset ex loco casus sinistri peruenisse ad locum factæ securitatis, præsumitur ignorantia, Stracch.d.gl.27. sub num.2. vers. prima. & è conuerso, si potuit peruenisse, præsumitur notitia, vt disponunt etiam Stat. Genoen. d.§. securitates factæ.

Verùm pro huius coniecturæ praxi multa sunt aduertenda.

161 Primò aduertendum est, quòd iudici, mensuraturo distantiam istorum locorum, & quantitatem temporis necessarij ad conficiendum iter ex illo ad illum locum, non est à iure data certa mensura, nisi recurreremus ad eam, qua mensurandum est iter terrestre, quod conficere debet vocatus ad iudicium, cui datur vna dies pro singulis viginti milliaribus, & vlterius vna dies quietis pro qualibet hebdomada, & pro itinere maritimo vna dies pro singulis quinquaginta milliaribus, iuxta ea, quæ retuli in meo tract.de indic. caus.lib.1.cap.91. sub nu.32. Quæ tamen mensura mihi hac in re non placet, & multò minus placuit statutis Genuensibus lib.4.cap.17. §. securitates factæ. quæ propterea mandarunt, vt quælibet hora sit mensura duorum milliariorum, † statuendo, vt notitia præsumatur, quando fuit transactum spatium tanti temporis, quo à loco, vbi secutus fuerit casus sinister, calculatis milliaribus duobus pro qualibet hora, ad locum, in quo facta est securitas, haberi potuisset: & si casus secutus esset in mare longinquo, adeo quòd notitia deferenda esset per mare, antequam peruenire posset in terram firmam, mandant, calculari tempus ad rationem prædictam à loco, in quem primò venerit notitia, seu nouum: quare, vt vides, prædicta statuta calculant ad rationem 48. milliariorum pro qualibet die, & considerant solùm iter terrestre; & rectè, quia iter maritimum semper est incertum, nisi concordatis ventis.

162

163 Secundò est aduertendum (& hoc infertur quasi ex dictis in præcedenti) quòd locus casus sinistri in ista mensura non est locus maris, in quo sequitur casus sinister, sed est terra firma: nam aut casus sinister euenit in mare propinquo, puta propè portum Genuæ, seu in ipso portu; & tunc iter sumit initium à terra firma proxima illi mari propinquo, & sic à Genua: & proinde si securitas esset facta in Ciuitate Florentiæ, calcularetur iter, vt supra, à Genua ad Florentiam: aut casus sinister euenit in mare longinquo, puta in mare Cypri, & tunc iter, vt supra calculandum, sumit initium ab illa terra firma, in quam prima venerit notitia dicti casus sinistri, vel ab illa, in quam peruenerit secunda, aut vlterior notitia, si inde celerius possit peruenire ad locum factæ securitatis.

164 Tertiò est aduertendum, quòd dubitatur, præsertim in statutis Genues. supra citatis, qualis debeat esse illa notitia, delata ad terram firmam, quando casus sinister euenit in mare longinquo.

Et prima facie videtur, requiri notitiam famosam, idest, famam legitimè probatam de illo casu sinistro, tum quia statutum prædictum initio illius §. loquitur de notitia, saltem per famam, legitimè probatam, & in fine, loquendo de initio itineris, sumendo à terra firma, in quam primò venerit notitia casus sinistri, dicit (*prædicta notitia*) tum quia vt notitia præsumatur in pluribus, sicq; in eo

in eo, qui facit se assecurari, non debet esse notitia vnius, seu duorum, sed debet esse diuulgata.

Contraria opinio, quam censeo veriorem, suadetur ex eo, quòd aliud est, scientiam casus sinistri præsumi ex sola notitia, aliud præsumi ex notitia, & ex distantia loci, & temporis: conuenit enim, vt prior notitia sit famosa, cum aliud non requiratur ad præsumendam scientiam; secus est in secunda notitia, quia vltra ipsam notitiam, requiritur distantia loci, & temporis, vt dixi supra num. 162. & quòd in hac secunda non requiratur fama, probatur ex eo, quia si propè portum Genuę sequatur naufragium, & securitas reperiatur facta Florentiæ, fiet calculus itineris ex Ciuitate Genuæ ad Florentiam, & numerabitur tempus ab illo puncto, & hora, qua euenit casus sinister, siue euenerit de die, siue de nocte, sicq; siue sit Genuæ diuulgatus, siue non, nulla prorsus habita consideratione, quòd tunc temporis, quando incipit ratio calculi, non potuerit esse orta fama; meritò, quando casus sinister est secutus in mari longinquo, & ideo notitia illius est deferenda per mare ad aliquem locum terræ firmæ, statutum vtitur verbo, *seu nouum*. quod est diuersum à fama, †si quidem in nouo non est necessarium, quòd testes dicant, & nominent à quo audierint, quia nouum, & rumor subalternantur, ideoq; Dec. consl. 115. sub num. 1. ibi, nam multa. loquendo de sponsione, promiscuè loquitur de nouo, & de rumore; † sed rumor est ille, qui procedit ab incerto authore ad differentiam famæ, Ant. de Butr. tract. de notor. num. 9. tom. 4. fol. 50. ergo idem dicendum est de nouo, & nos in communi vsu loquendi quotidie dicimus, delatum esse nouum de aliqua re, quod tamen nouum pauci sciunt illa hora; qua est delatum, & tamen ita dicitur nouum, quando scitur à paucis, sicut quando postea magis diuulgatum scitur à multis: imò quòd statutum non possit intelligi, vt loquatur de notitia famosa, probatur ex eo, quia loquitur de notitia, deferenda per mare, quæ non potest esse famosa, quia dum defertur, non est, nec potuit esse famosa in mare: ergo quando statutum vtitur verbo, *prædicta notitia*, intelligit de notitia, de qua in proximiori loco locutum est; & ex his tolluntur rationes, adductæ pro contraria opinione.

165

166

167 Quartò est aduertendum, quòd vbi ex mensura, de qua locutus sum supra nu. 162. multum superest, vel multum deest, ita vt appareat, securitatem fuisse factam multò post, vel multò ante, quàm notitia potuisset peruenire; tunc mensura claram reddit coniecturam: secus vbi ex mensura non videtur superesse, vel deficere, quia tunc insurgere potest prima controuersia de momento horæ, & quandoque de ipsa hora, in qua est secutus casus sinister, cũ horologia in modica temporis quantitate non sint concordantia; secunda controuersia insurgeret circa mensuram milliarij, an sit inchoanda à porta ciuitatis, vel ab ædificijs, & burgis propè ciuitatem, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 91. sub num. 32. & circumscripta hac difficultate, posset oriri alia ex diuerso numero milliariorum, si quidem aliquando non conueniunt homines de numero milliariorum.

168 Infero ex dictis in hac decima difficultate, laudabile esse præfatum Genuæ statutum, dum præsumptiones, & coniecturas ad probandam notitiam, & ignorantiam casus sinistri, quales esse debeant, determinat, & non iudicis arbitrio committit, quia arbitrio iudicis paucissima committenda sunt, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. num. 297. sed tamen infero etiam, reprehendendum non esse statutum Florentinum, quod iudicio sex iudicum mercaturæ committit, vt dirimant, an nuncius potuerit esse, vel non esse, non de negato recursu, vt refert Stracch. tract. de assecur. gl. 27. sub num. 5. vers. tertia facti. tom. 6. par. 1. fol. 377. quia, vt ex dictis in hac quarta aduertentia constat, insurgunt tàm ex facto, quàm ex iure inexplicabiles difficultates.

169 Secunda coniectura ad coniecturandam notitiam casus sinistri est fama ipsius casus sinistri, orta in loco factæ securitatis ante factam securitatem; hancq; coniecturam canonizauit idem stat. Genuæ d. §. securitates factæ. requirit tamen, quòd hæc fama sit legitimè probata.

Video me, agendo de itinere, & casu sinistro in mare distanti, ventis quasi impulsum longè à proposito itinere diuertisse, transeamus ad alia.

Vndecima difficultas: Assecuratis mercibus in numero, & pondere, & contingente casu sinistro, ita, vt assecurator teneatur soluere earum valorem; quodnam pretium erit

erit attendendum: an pretium loci, in quo merces emptæ, seu oneratæ sunt, vel pretium loci, pro quo sunt assecuratæ, & an tempus, quo emptæ sunt, vel tempus casus sinistri.

Resp. distinguẽdo duos casus principales. Primus casus est, quando merces fuerunt æstimatæ in assecuratione; quæ æstimatio tripliciter fieri potest; Primus modus est, quando dominus mercium dixit (si merces meæ peribunt, dabis mille) &, ita æstimatis, dico soluenda esse mille sine vlla dubitatione, Santer. in loco, infra proxime citato, & Stracch. tract. de assecur. gl. 6. sub num. 4. vers. prima si. tom 6. fol. 365. Secundus modus est, quando dixit, quòd vult, assecurari suas merces, quæ valent mille; &, ita æstimatis, dico, quòd si assecurator reperitur deceptus, prædicta æstimatio rescinditur, Santer. tract. de assecur. par. 3. num. 43. ibi, quid autem. & num. 44. & 45. tom. 6. par. 1. fol. 352. & non dissentit Stracch. d. gl. 6. sub num. 4. vers. tertia facti. & num. 5. dubitat solum ipse; cui incumbat onus probandi, merces non tanti valuisse, & videtur inclinare, quòd hoc onus incumbat assecurato, quia præfata verba non probent; nisi, vt moris est, partes in instrumento assecurationis iurassent, omnia contenta in instrumento esse vera, quia tunc staretur æstimationi, relato modo enunciatæ, & ideo assecuratori incumberet onus probandi contrarium. Tertius modus est, quando æstimatio est facta in hæc verba (super mercibus, quæ ascendent ad scuta 2000.) &, ita æstimatis, dico, quòd assecurato incumbit onus probandi, merces tanti valuisse, Stracch. d. gl. 6. sub num. 4. vers. secunda facti.

Secundus casus est, quando merces fuerunt sine aliqua æstimatione assecuratæ: & in hoc casu duæ sunt considerandæ species assecurationis: Prima species est, quando quis promittit, & assecurat, merces saluas fore in aliquo loco, puta Romæ; & tunc dico, Romæ inspiciendam esse æstimationem, l. fin. ff. de condic trit. Santer. de assecur. par. 3. num. 41. fol. 352. & Stracch. eod. tract. gl. 6. sub num. 1. fol. 365. Sed stat. Gen. lib. 4. cap. 17. vers si inter partes. rationabiliter, controuersiam hanc componendo, disponit, vt, si casus aduenerit ante medietatem itineris confecti, consteum ipsarum cum expensis vsque ad mercium onerationem soluatur; si verò vltra medietatem itineris confecti casus occurrerit, intelligatur pretium illud, quo valerent in loco, ad quem fuissent destinatæ; quare si quis assecuraret tibi ex Carragena, seu Alicantera pro Ciuitate Genuæ saccos 500. lanarum, & ex his 500. venirent salui 400. ad portum Genuæ, & 100. perirent in itinere, appretiandi essent solùm sacchi 100. qui perierunt; Secunda assecurationis species est, quando quis promittit, & assecurat non merces ipsas, sed earum æstimationem, & valorem pro tali loco, puta assecurat vsque ad summam scutorum 4000. & in hac specie maximè insurgit difficultas proposita, & præsertim, quando mercium tanta pars venisset salua ad locum destinatum, illicq; tanti illa merces valeret, vt ex illa sola haberet totam æstimationem assecuratam: & quia ego in præsentiarum sum vnus ex iudicibus, qui casum hunc debent iudicare, nihil pro nunc determino, tu interim consulas Santer. d. par. 3. sub num. 41. & seqq. & Stracch. d. gl. 6. sub nu. 1. & seqq.

Et hæc sufficiant, reliqua huius commercij inuenies apud præfatos Doctores Santer. & Stracch.

170 Absolutis exemplificationibus huius sextæ ampliationis, positæ supra num. 84.

Subamplia eam, vt commercium, in quo dominatur fortuna, seu sors, sit non solùm licitum, & vtile; modo ad temperandum dolorem, quo, euenientibus, quæ nobis displicent, afficimur, prout ad hoc inuentum est commercium sponsionis, per ea, quæ dixi supra sub num. 95. modo ad euitandos casus aduersos, quibus vt obuiemus, inuenta est assecuratio, de qua supra num. 128. & seqq. & modo ad virium restaurationem, vt per ludum, de quo supra num. 120. sub declar. 4. & nu. 121. sed sit etiam quandoq; ex necessitate inuentũ, vt in l. 14. sed cũ ambo. ff. de iudic. quare cũ aliqui conuenire non possunt de diuisione facienda, eam tunc fieri debere per sortes scribit Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. concl. 4. col. 5. fol. 322. & quòd in hæreditate diuidenda, aut diuidendis animalibus, alijsq; rebus, quæ, finita societate, diuidi solent, licitum sit sortiri, maximè si non aliter concordari possint, & sæpe etiam, si qua est controuersia in dignitatibus, & honoribus acquirendis, forte dirimi soleat, quamuis huiusmodi bona fortunæ exponantur, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb restit. q. 22. col. 6. vers. secundum dictum. fol. 169. quin & in electione

ne Matthię ad summum Apostolatus munus sortibus vsi sunt Apostoli in actib. Apost. cap. 1. in fine, & notant Boninf. tract. de lud. cap. 5. sub nu. 4. & latè Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. sub num. 59. Tiberius etiam, cũ cœpisset infirmari apud Capuam, & orasset ad Deum, dubius quem ex duobus suis nepotibus, quorum vnus vocabatur Caius, & alter Tiberius, eligeret in Imperatorem post mortem suam, statuit, vt qui prius ad eum veniret in crastino, esset Imperator, & venit Caius, & fuit Imperator, & sic per sortem, vt refert Neapod. ad consuet. neap. de iure congrui. sub num. 87. sortis enim iudicium tollit ambitionis, vel gratiæ suspicionem, & propterea est à lege introductum. l. 34. generaliter. §. proinde vers. quis ergo. ff. de fideicom. liber.

Pro huius subampliationis clariori intelligentia, & vt occurramus alicui difficultati, aduerte, quòd triplex est genus sortium.

Quædam enim sortes dicuntur diuisoriæ, & hæ in plerisque rebus, quæ commodè distribui non possunt, & quandoq; etiam in functionibus, vbi de honore agitur, licitæ sunt, vt in casibus, de quibus locutus sum in subampliatione, & etiam vbi agitur de periculo; nam si oppidum inuadendum est, sorte inter milites diuersarum nationum decidi solet, quæ natio prior inuadere debeat: & in hoc genere sortium, quæ licitæ sunt, intelligimus loca sacræ Scripturæ, in actib. Apost. 1. in fine, *& cecidit sors super Matthiam*. Paralipomen. 1. 26. num. 13. *Missæ sunt ergo sortes ex æquo, & paruis & magnis per familias suas in vnamquamque portarum, cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ*. Psalm. 30. num. 16. *In manibus tuis sortes meæ, &c.* & Iosue 15. num. 1. *igitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit*. & multa alia similia, adducta per Neapod. ad consuet. Neapol. de iure cõgrui, sub nu. 87. & de his sortibus scripsi aliqua in meo tract. de appell. q. 16. limit. 6.

Quædam verò sortes dicuntur consultoriæ, & hæ regulariter sunt illicitæ, nisi quando humanum consilium nõ suppetit, vel nisi Deus inspiret illis vtendũ, vt declarat Leonar. Less. de iustit. & iur. lib. 2. cap. 43. nu. 60.

Quædam dicuntur diuinatoriæ, & hæ omnino illicitæ sunt, quia sunt incantationes, & sortilegia, vt declarat Less. d. cap. 43. n. 61. & de his sortilegijs scripsimus aliqua in nostro tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 12. n. 19. & seqq.

DE CENSIBVS.

SVMMARIVM.

Commercia, in quibus pecunia pecuniam parere videtur, qua ratione videantur illicita, & qua ratione sint licita, num. 171. 172. & 173.

Census est contractus emptionis, & venditionis, & ex quibus complicatis contractibus consitiatur, num. 174. & 209. Et quis sit iste census, num. 198. & 200.

Census contractus an esset licitus, valdè fuit dubitatum, & quare, num. 175.

Fundo in toto, vel in parte perempto, proportionabiliter perit census, num. 176. Secus si pereat culpa vendentis censum, num. 178.

Fundus censuatus debet de sui natura esse fructiferus proportionabiliter census, certisq; finibus designatus, num. 177. Potest tamen census non esse proportionabilis fructibus fundi, dummodo valor totius census sit in omnibus fructibus fundi, num. 192. & seqq. Et in qua specie census hæc procedant, num. 198. & 200.

Fundus debet esse vendentis censum, alioqui, si sit alterius, census non tenet, num. 179. Et emptor posset agere ad restitutionem sortis, num. 182. Nec sufficit esse vendentis quoad vtile dominium, num. 184. Quia census, super eo impositus, teneret quoad præiudicium vendentis, sed non quoad præiudicium ementis, num. 185. & 190. Teneret autem vndique, accedente consensu veri domini, num. 181. Et quando fructus ex censu, super alieno fundo imposito, licitè percipiantur, num. 180. 190. & 191.

Emphyteota, imponendo censum sine consensu directi domini, incidit in commissum, num. 184. 186. & seqq.

Emphyteota non potest rem emphyteoticam obligare, &, tradendo possessionem, tenetur soluere laudemium, num. 187.

Censum imponere non potest, qui non potest alienare, num. 187. & 188.

Emphyteota, & fideicommissarius possunt vendere censum, duraturum quousque durabit vtile eorum dominium, num. 191.

Census quare sic vocetur, num. 195.

Censuum plures diuisiones, num. 196. Alius dicitur reseruatiuus, num. 197. Alius consignatiuus, num. 198. Alius personalis, num. 199. Et de quo censu loquatur Pij V. constitutio, num. 200.

Census potest emi non solum iam creatus, sed etiam qui creatur, num. 201.

Cen-

171 AMPLIA VII. vt procedat etiam in illis commercijs, in quibus ex pecunia pecunia, quasi per modum fœtus, seu, vt ita loquar, fructificationis procedere videtur sine vllo acquirentis labore, vel industria, quasi pecunia pecuniam pariat, mediante aliqua approbati contractus veste, vt in seqq. exempl.& iuxta ea, quæ scripsi infra q.7.par.1.num.69.

172 Ratio dubitandi in hac ampliatione est duplex.

Prima, quia huiusmodi commercia, seu contractus nutriunt otium, ita vt homo ex istis commercijs quærat victum sine labore. Sed hoc est contra ius diuinum; nam Genes.3.num.19. dicitur, *in sudore vultus tui vesceris pane*, quæ sententia transit non

modo

modo supèr personam Adæ, sed super totam naturam humanam, in eo contentam, Eccles. 40. num. 1. *iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium*. idest, in terram, de qua homo formatus fuit. & Iob. 5. num. 7. *homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*; ex quibus auctoritatibus Doct. inter alias, quas allegant, rationes, quare contractus vsurarius sit illicitus, adducunt istam, quia, si permitteretur vsura, homo posset licitè viuere sine labore, quod est contra naturam hominis, vt patet ex præcitatis auctoritatibus.

Est etiam contra rationem ipsam: nam sicut in corpore naturali nullum membrum deputatur ad actum, nisi ad eum, qui natus est vtilitatem afferre cæteris commembris, vel corpori, sic etiam in corpore mystico, idest, in Rep. actus hominum debent esse nati afferre vtilitatem Reip. Ergo commercia, quibus homo viuit sine labore, sunt Reip. perniciosa, quia ijs homines non inuicem iuuantur.

Secunda ratio est, quia eiusmodi commercia, quibus pecunia paratur pecunia sine labore, & industria, videntur in effectu inuenta pro vestimento, & pallio mutuorum vsurariorum, cum capitale sit pecunia, &, illo remanēte integro, alia paretur pecunia.

173 Ratio decidendi in hac ampliatione, seu verius in eiusmodi commercijs, de quibus egi in seqq. exemplific. est, quia cum auctæ mirum in modum sint pecuniæ, & emptionis, & venditionis contractus sæpè deficiat, & homines naturaliter diuitias, & ideo lucrum appetant, & mutuatariorum fides deficiat, & ideo, qui mutuet, ferè amplius non reperiatur; & vice versa, cum multi opera, & industria pollentes, pecunijs adeò indigeant, vt vtilius sibi forè existimarent, mutuatores sub moderato fœnore reperire, quàm nullatenus reperire; multa propterea sunt in dies excogitata, & inuenta commercia, vt dixi supra num. 68. & 70. & plura, si inuenirentur, melius foret, tum vt palliatæ, ac implicitæ vsuræ euitarentur, siquidem ex commerciorum defectu negotiantes quandoque contrahunt fœnus sub simulato contractu, quod non contraherent sub vero aliquo commercio, à Pontifice approbato: tùm vt multæ euitarentur lites, quæ postea super istis fictis commercijs oriuntur; hæcq; consideratio multum conuenit, cum ea, quam ad defendendam societatem, initam cum assecuratione capitalis, adducit Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 25. sub num. 32. vers. nihilominus. dicens, expediens esse, vt talis societas sustineatur, quia si non sustineretur, sequerentur prædicta inconuenientia.

174 EXEMPLIFICA I. hanc ampliationem in contractu, seu commercio census pecuniarij, in quo emptor videtur in effectu pecunia pecuniam annuam emere; complicando eodem contextu virtualiter plures contractus, ordine intellectus distinctos: nam iste emptor emit annuos fructus alicuius prædij, eosdem retrouendit venditori, &, retrouendendo, eosdem pro singulis futuris annis ex tunc æstimant, & taxant, ita vt pro quolibet centenario pecuniarum emerit tot fructus, qui valeant sex, septem, octo, & vsque in decem annuos, prout fuerint concordes, quia fructus rei sunt pecunia æstimabiles: sicut ergo licet dare fructus, ita etiam licet dare pecunias pro reditu, Card. Tolet. de instruc. sacerd. lib. 5. cap. 44. sub num. 1. vers. præterea. num. 2. & sub num. 3. in fine, & latius Franc. Garcia de contract. cap. 27. sub num. 2. in 5. conclus. Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 56. vers. his tamen. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 4. q 1. col. 813. & quòd in contractu census verè non emantur fructus, sed ematur ius illos percipiendi, optimè explicat doctissimus Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquisit. q. 11. vers. sequitur amplius. il 1. col. 3. fol. 383. & dixit Rot. diuers. decis. 159. cum in vltima. num. 6. vers. non obstat. coram bon. mem. Card. Pamphilio, in Bononien. census, lunæ 26. Iunij 1600. in impressis Romæ 1615. & latè explicant etiam Franc. Garcia d. cap. 27. sub num. 2. concl. 5. fol. 448. & Lud. Lopez d. cap. 56. vers. his tamen. & quòd non emantur pensiones, sed ematur ius ad pensiones, quod communi hominum æstimatione æquiualeat certæ summæ pecuniæ præsentis, ideoq; non referat, quòd pensiones superent, quia hæ sunt instar fructuum illius iuris, quod primo, & principaliter emitur, & cuius pretium vel lege publica, vel communi hominum æstimatione statuitur; alioqui emptio census irredimibilis esset semper iniusta, ex quò aliquot annis pensiones superabunt pretium, scribit Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. sub num. 39.

quare

quate census est ius percipiendi fructum, seu rem aliquam vtilem, aut etiam pecuniam de re illa, in qua dicitur census constitutus: aut est ius percipiendi pensionem aliquam de re ipsa, in qua est census; & hæc descriptio conuenit censui formali, non autem materiali, quia census materialiter sumptus est ipsa pensio, quæ ex præfata re percipitur, vt explicat Medin. in d.q.11.initio, & quòd contractus census sit verè contractus emptionis, & venditionis, dixi etiam infra num. 209. & sub isto inuolucro, seù multi-

175 plicatione contractuum, † & non alia ratione sustinetur hoc census commercium, quod an esset licitum, olim valde dubitabatur, vt aduertunt Tiraq. de retr. lignag. §. 1. gl. 6. num. 15. vers. sed dubitari. Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 69. not. 22. & sub nu. 78. 14. q. 3. Franc. Garcia de contract. cap. 27. nu. 2. vers. due cose. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 4. q. 3. & cap. 17. q. 1. vers. secundo dicendum. & rationes dubitandi, quod iste contractus esset illicitus, & vsurarius, breuiter sub triplici argumento deducit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 1. initio, fol. 586. & aliam addit art 3. concl. 3. col 4. fol. 595. & eam retuli infra num. 238. vers. contra. & sex adducit argumenta Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 385. & ego vltra eos motiuo, quòd ex isto inuolucro, & multiplicitate contractuum insurgebat suspicio, quia si quis rem vili pretio emat, cum pacto retrouendendi, eamvè incontinenti, nulla eius possessione adepta, venditori pro certa annua mercede locet, & ad nullum gabellarum, & vectigalium onus velit teneri, simulatè, & illicitè emit, vt scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 31. vers. exemplifica. sed hæc & simulatiora committere videbatur, qui emit annuum censum; siquidem is partem incertorum annuorum fructuum alicuius prædij emit, eosdem eodem contractu taxant, & taxatos venditori retrouendit, vt dixi hic supra, & ad nullum vult teneri onus, sed vult censum habere liberum ab omni onere, vt dicit Rot. diuers. decis. 19. fuit conclusum. num. 2. vers. non obstat. coram R.P. D. Cantuccio in Rom. nullitatis census. 4. Febr. 1583. in impressis Romæ 1615. minori pretio illos emit, & maiori retrouendit: nam scutis 100. emit quinque, quia prædium non maioris quantitatis fructus reddere solet; & tamen eos taxant septem, vel octo, & ita taxatos eidem retrouendit, ac propterea eidem venditori facultatem se ab hoc onere quandocunque redimendi, restituta emptori sorte scutorum centum, concedit; qua facultate venditori concessa, census pretium ab iniustitia defenditur ex his, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 37. & 38. vnde ad remouendas omnes dubitationes, suspiciones, & difficultates, quæ super isto contractu oriebantur, duæ fuerunt editæ extrauagantes inter communes tit. de empt. & vendit. quarum prima est Martini V. & secunda Calixti III. & deinde aliæ duæ constitutiones, quarum prima est Nicolai V. & vltima Pij V. quæ vberius declarat, & disponit, & hodie cautè attenditur, & licitum esse hunc contractum, etiam non consideratis istis constitutionibus, latè ostendit Lud. Molin. d. disput. 385. vers. sententia. & seqq.

176 Confirmatur primo hæc exemplificatio; dum dicimus, emi fructus, & hac ratione sustineri hoc commercium quia si prædium, seù fundus, super quo census imponitur, seù cuius fructus vendunrur, casmate, vel aliter sine culpa, & dolo venditoris pereat, census amplius non debetur, ita vt si fundus integer, vel pro parte pereat, vel aliter in totum, vel pro parte efficiatur infructuosus, ad ratam peribit census, vt disponitur in constitutione Pij V. & notant Nauar. in d. cap. si fœneraueris. num. 95. gl. 12. 14. q. 3. Io. Azor de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 4. q. 2. vers. item res. & cap. 5. q. 3. vers. communis. & Rot. diuers. decis. 227. domini dixerunt. num. 1. & 3. coram R.P. D. Manzanedo in Rom. census, mercurij 10. Maij 1606. in impressis Romę 1615. & hoc procedit etiam si in contractu census sit appositum pactum, quòd venditor non possit petere reductionem, & defalcationem pro quouis casu, & euentu, etiam penitus incogitato, quia illud pactum non intelligitur respectu damni, contingentis in substantia rei; esset enim pactum illicitum, sed intelligitur respectu damni, contingentis in fructibus rei, Rot. diuers. decis. 757. quamuis. num. 3. par. 1.

177 † & quòd hæc confirmatio sit vera etiam de iure communi, sequitur Surd. cons. 162. memini. num. 17. lib. 2. & patet ex his, quæ scribit Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. sub nu. 35. & facit, quod scripsi infra num. 279. & ideo fundus, seù res, super qua census imponitur, debet

E esse

esse tunc de sui natura fructifera, & certis finibus designata, vt in eadem Pij V. constitutione, alias census constitutio esset vsuraria, Rot. d. decis. 227. num. 2. vers. vlterius. & fundus ille debet verè illos fructus reddere; si enim non reddit, aut non reddit tot, quot venduntur, iniusta est venditio, Card. Tolet. d. lib. 5. cap. 45. sub num. 1. vers. secundum vt reddat. & quòd res censualis debeat reddere tãtum, quantum est census, alias emptor sit similis vsurario, qui emit pecora ab eo, qui ea non habet, & postea ea illi locat, scribit Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 79. vers. octaua scilicet. & sub num 85. vers. octaua. 14. q. 3. dicens, hoc colligi ex Pij V. constit. in illis verbis, *de sui natura fructifera*, quamuis enim, inquit, non dicatur, expressè, quantæ frugis debeat esse, satis tamen, inquit, significatur, quòd debeat esse tantæ, quantus est census, Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 3. num. 28. & hanc esse communem opinionem Canonistarum testatur, & sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 6. q. 1. col. 821. & ita etiam in terminis iuris communis sentit Medin. quem secutus sum infra sub num. 202. vers. primo enim.

178 Dixi in hac confirmatione, non deberi, si sine culpa venditoris pereat; quia secus est, si periret eius culpa, vt puta, si molendinum, super quo impositus est census, destrueret: isto enim casu venditor teneretur emptori actione de dolo, vel alia, aut ad minus cogeretur reddere pretium census, aut illum denuo cõstituere, super nouo molendino, vel super alia re, Nauar. d. cap. si fœneraueris. num. 118. q. 25. in fine. 14. q. 3. & hanc culpam considerandam esse in montibus, secutus sum infra sub num. 252.

Explica restringendo, quod dixi in hac confirmatione de peremptione census, perempta re, vt non procedat in censu vitalitio, quia etsi in eo fundus, & quidem frugiferus, sit æquè necessarius, vt dixi infra sub num. 202. vers. extende. & num. 243. tamen quoad peremptionem fundi non retinet naturam fundi census perpetui, sed assumit naturam societatis officij; quare sicut socius non amittit sortem, sed debet sibi restitui, quando morte officialis, vel alio casu perditur officium, quia redeat ad Pontificem, ita etiam, perempto fundo in censu vitalitio, debet reddi sors data, sed ex ea fructus percipi non possunt.

Ratio est, quia sicut socius in societate officij non se exponit duplici periculo, nempè periculo mortis eius, super cuius vita est contracta societas, & periculo amissionis officij, sed se exponit vni periculo, nempè mortis eius, super cuius vita contracta est societas; ita etiam in censu vitalitio emptor se exponit soli periculo suæ mortis, vt tunc perdat sortem datam.

Infero primò, confirmando magis eãdem exemplificationem, quòd idcirco secunda venditio census, stante prima, quæ absorbeat vniuersos fructus fundi, non tenet; quia est emptum, quod non extat, sed est consumptum, cum illi fructus sint iam alteri venditi; & similiter venditio census impositi super fundo, alteri hypothecato, non manet firma in præiudicium emptoris, qui hypothecam ignorauit, sed solùm in præiudicium venditoris, per ea, quæ dixi infra num. 190.

Intellige hanc illationem, vt quamdiu emptor ignorat, fructus esse alteri venditos, possit eos saltem in foro conscientiæ accipere, cum sit in ignorantia excusabili, ideoq; in bona fide, per ea, quæ dixi remissiuè infra num. 180. secus, cum scit, illos esse alteri venditos, quia tunc debet repetere sortem, & agere ad interesse, iuxta ea, quæ scripsi infra eod. num. 180. 182. & 183. hancq; excusabilem, & inexcusabilem ignorantiam, sicq; bonam, & malam fidem considerani etiam in societate officij infra num. 329. & seqq. ad eum: Cæterum, quando fundus est solùm alteri hypothecatus; potest licitè percipere fructus indistinctè, & sic etiam quòd sciuerit illam hypothecam; quia illa scientia operatur solùm, vt emptor non possit agere contra venditorem ad liberandum fundum ab hypotheca, ad quod posset agere, si illam ignorasset.

179 Infero secundo, confirmando eandem exemplificationem, quòd idcirco census, impositus super prædio alieno, est illicitus, quia fructus, quos vendit, non sunt sui, & imputet sibi emptor, qui scienter emit censum, impositum super re aliena, ideoque nec ad interesse poterit agere, & fructus, quos exegisset, renetur restituere, vel compensare in sortem, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 15. vers. sequitur hinc. col. 13. fol. 408. & scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 17. num. 8.

180 Declara primo hanc illationem, vt emptor

ptor census quandiu ignorat, censum impositũ esse super re omnino aliena,& interim bona fide annuos census exigit, sit tutus in foro conscientiæ,vt secutus sum inf.q.7.par.2. ampl.17. n.24.vers.confirmatur. secus cum exigit,postquam resciuit,impositũ esse super re aliena,vt secutus sum d.ampl.17.n.27.vers.cõprobatur.

181 Declara secundo,vt census impositio super re aliena non teneat, non accedente consensu domini illius rei; secus si accedat, quia tenet impositio census, Lud.Molin.de iust.tom.2.de contract.disput.394.in fine, vers. septimum vtrum. Surd.cons.318.pro antonello.num.2. 6. & 7.& Rot. coram R. P.D. Caualerio in Rom. seu Sabinen.census,ven.26.aprilis,1612. inter venerabilem Archiconfraternitatem,&c. & Dominos de Matthæis.

182 Declara tertio, vt si census sit, emptore ignorãte, impositus super re aliena, possit emptor agere contra venditorẽ ad interesse, tàm dãni emergentis, quàm lucri cessantis,si quod fortè passus sit, Medin.in suis tract.to.2.tit.de reb.per vsur.acquis.q.15. vers. sequitur hinc. col.13.in fin.fol.408.& sic potest agere ad restitutionem pretij, si vẽditor non faciat dominum rei consentire in illa impositione,& præsertim si venditor promiserit soluere omnia damna, & interesse, quia loco damnorũ, & interesse tenetur restituere pretium,quando non adimplet ea,quę promisit,seu ad quę tenetur; Rot. diuers. decis. 741. domini dixerunt. sub num.1. par.1.& decis.153.dubitaui. nu.1. coram R. P. D. Iusto in Tudertina census, ven. 26.Maij,1600.in impressis Romæ 1615.

183 Subdeclara hanc declarationem, vt si census sit impositus super re quidem propria, sed cum assertione, quòd est libera ab omni alio censu, & onere, & cum iuramento, & promissione faciendi consentire omnes personas, ius in dicta re habentes, & postea apparuerit,eandem rem esse pro alijs censibus alteri obligatam, & ipse venditor hunc alterum non faciat consentire; nihilominus,si illa res sit tanti valoris,vt latè omnium censuũ sit capax,emptor agere non potest ad restitutionẽ sortis principalis,neque ad faciendum cõsentire, quia emptor nullum patitur damnum, quo cessante, cessat obligatio, & cessat periurium, Rot. diuers.decis.126.cum anno.nu.1.& seqq.coram R.P.D. Penia in Rom. census, ven. 17. Aprilis 1598.in impressis Romæ 1615.

184 Subinfero, ampliando eandem illationem, quòd in tantum res,super qua imponitur census, debet esse eius, qui super ea imponit censum, vt debeat esse etiam res libera; quare si maioratus vinculo sit adstricta,super ea census imponi non potest, Sot.tract.de iust.& iur.lib. 6.q.5.art.1.col.3.concl.1.fol.587.ideoq; non satis est, si eius esset, quoad vtile dominium tantum,certo,vel incerto tempore, seù ætate, vel ex alia causa finiendum,& consolidandum cum dominio directo; & proinde emphyteota non potest super re emphyteotica imponere censum,Virgin.de Boccat.tract.de censib.par. 2.nu.76. quem sequitur Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.10.tit.de censib.cap.7.q.4. quia hic census, facta consolidatione, deficeret, & hæres emphyteotæ,qui erat censuarius, teneretur, redimendo censum, restituere sortem, sicq; non esset perpetuus.

185 Et licet Foller.tract.de censib.in verbo,census enim.n.21.fol.142. Bened.Bon.eod.tract. art.28.nu.55.fol.169. vterque tom.6. par.2. & Redoan. de reb. eccles. non alien. rubr.16. num.24.tom.15.par.2..fol.419.& alij dicant, emphyteotam posse constituere censum,duraturum tempore emphyteusis.

Tamẽ hoc est verum duplici casu.Primo,in præiudicium ipsius emphyteotæ, vt, loquendo de censu, imposito à fideicõmissario super re, subiecta fideicommisso,secutus sum ex Rota inf.sub nu.190.Secundo est verum,si fuisset impositus census vitalitius, duraturus non ex persona ementis (vt solet imponi) sed ex persona vendentis, vt dixi infra num.191.

186 Vtilitas præcipua huius subillationis est, quia emphyteota, imponendo annuũ censum sine consensu domini directi, incidit in commissum, vt ex cõmuni opinione sequitur Corbul.tract.de caus.ex quib.emphyt.&c. tit. de caus.priuat.ob alienat.ampl. 49.nu.1.& seqq. & præsertim sub n.16.vers.sed his non obstantibus. nec excusatur eò, quia sit rusticus, mulier, & similis, Corbul.vbi supra ampl. 46. & imponendo cum consensu domini directi, tenetur soluere laudemium, Surd. decis. 204. si pro venditione. nu. 6. sicut etiam fit locus fideicommisso per impositionem census, quia super re, alienari prohibita, non potest census imponi, Rot.diuers.decis.121. resolutum fuit. num.5.vers.præterea. par.2.

187 Ratio huius vtilitatis est,quia licet emphyteota possit hypothecare, & pignorare rem emphyteoticam sine consensu domini directi, Gl.in l.fin.Bal.ibidem in addit. n.7.vers.quæro an domino. & Salyc.n.6. C.de iur.emphyteot.Affl.decis.191. abbas. sub nu.3.Clar. recept.sent. lib.4.§.emphyteosis. q.18. & Vinc.

de Franch. decis. 226. venditis. quicquid in contrarium scribat Franc. Sol. in lucer. laud. in 8. cellul. num. 4. tom. 10. par. 2. fol. 217. tamen non potest hypothecare, tradendo possessionem sine consensu domini directi. quia caderet à iure emphyteotico, Corbul. de caus. priuat. ob alien. limit. 33. sub n. 5. in fine, vers. declaratur. & multò minus potest alienare; sed imponere cẽsum est species alienationis, Corbul. d. ampl. 49. nu. 3. † quare prohibitus vendere res immobiles, est prohibitus imponere annuum censum, per ea, quæ scribunt Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 6. sub nu. 6. ibi, nec qui non potest. & Foller. tract. de censib. in verbo, census enim. num. 24. tom. 6. par. 1. fol. 142. hicq; census etsi sit redimibilis, tamen dicitur perpetuus, Tiraq. ead. gl. 6. num. 8. in fine, & latius in gl. 14. num. 120. & 121. fol. 163. non enim consideratur facultas redimendi quandocunque, data venditori, sed consideratur facultas repetendi sortem, perpetuò emptori denegata, quia, concurrentibus causa permissiua, & prohibitiua, consideratur prohibitiua, vt secutus sum supra num. 46. & infra sub nu. 556. exempl. 7. vers. res sua.

188

Ergo emphyteota, imponendo censum, alienar, & consequenter incidit in cõmissum.

189 Declara primo, eandem vtilitatem procedere, quando census est impositus super ipsa re emphyteotica, quia tunc venditor incidit in commissum, vt, loquendo de censu imposito super domo, prohibita alienari, tenuit Rot. diuers. decis. 480. in causa. in fine initij, vers. secunda. & sub num. 1. 2. & 3. par. 1. secus si census fuerit impositus super fructibus rei prohibitæ alienari, quia tunc non cadit à iure sibi competente, Rot. vbi supra.

190 Declara secundo, dum diximus, censum impositum super re emphyteotica, seu subiecta fideicommisso, non valere, vt sit verum, volente emptore censu; & ita procedant allegata supra num. 184. & seqq.

Secus si emptor velit valere, quia valebit, etiam inuito venditore, toto tempore vitæ ipsius venditoris; nam si venditor in instrumento census, vt moris est, asseruerit, rem esse de sui natura fructiferam, nulli hypothecæ, & fideicommisso purificato, vel purificando subiectam, sed liberam, francam, & allodialem, &c. & postea non sit talis, emptor potest agere ad rescissionem, Rot. diuers. decis. 304. imposuerat. num. 1. in Bononien. census, lun. 20. Martij 1600. coram R. P. D. Penia, inter impressas Lugduni 1612. sed venditor non potest, quia ipse non est deceptus, & non debet venire contra factum proprium, & allegare aliquando turpitudinem propriam; & non potest dare de iure, quod competit tertio, præsertim ipsi emptori, qui potest malè emere, & pecuniam propriam iactare: imò venditor in tantum non potest, quòd emptor potest contra eum agere ad adimplementum promissorum, alias ad damna, & interesse, & venditor nihil replicare posset, quia in effectu quoad præiudicium eius, qui censum imposuit super re, subiecta fideicommisso, census sustinetur, Rot. diuers. decis. 311. pater. num. 7. in Rom. societ. officij lunæ, 9. Maij 1588. coram R. P. D. Gypsio in impressis Lugduni 1612.

191 Infero ex hac declaratione, quòd sicut emptor potest emere censum vitalitiũ intuitu suæ propriæ vitæ, iuxta ea, quæ secutus sum infra n. 294. & seqq. ita etiam potest eundem emere intuitu vitæ ipsius venditoris, sicq; emphyteota, & fideicõmissarius possunt vendere annuum censum, durante eorum vita, cum, durante eorum vita, habeant fructus, quos vendunt, Foller. de censib. in verbo, census. n. 6. & seqq. fol. 142. & licet in censu vitalitio intuitu vitæ ementis supponatur census impositio super re fructifera, libera, & franca ipsius venditoris, & ideo careat hac difficultate; tamen idem est dicendum in censu vitalitio intuitu vitæ vendentis, imposito super re emphyteotica, seu fideicommisso subiecta, quia hi census vitalitij sunt fundati, non in constitutione Pij V. sed in iure communi, cui in hoc d. constitutio non derogat. Et hæc de prima confirmatione, posita supra num. 176.

Confirmatur secundo ex his, quæ dixi in seq. exemplif. num. 249. & seqq. & num. 252.

192 Nec obstat huic exemplificationi, & adductis pro ea, quòd census sustineatur, etiam si prædium non reddat tot fructus, vt puta, quia census sit ad rationem octo pro centenario, & tamen fundus reddat solùm fructus ad rationem quinque, vel sex, & sic contra primam confirmationem.

Quia huic obiectioni satisfieri potest ex his, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 36. restrict. 1.

193 Pariter non obstat, quòd in censu vitalitio longè maior soluatur census, quàm sit valor fructuũ prædij, vt scripsi inf. n. 294. confirm. 3.

Quia respondeo, quòd ille excessus reducitur ad æqualitatem propter periculum, cuius ratione datur etiam lucrum, vltra fructus, vt secutus sum infra num. 431. & seqq. & S.

& §.seq. gl.5. num.150. & alibi sæpè.

194 Minus obstat, quòd è conuerso census sit iustus, & licitus, quamuis prædium reddat fructus ad rationem sex pro centenario, & emptori dentur solùm quinque.

Quia huic etiam obiectioni satisfit ex his, quæ scripsi infra q.7 par.2.ampliat.10. num.69.

195 Pro intelligentia huius exemplificationis, & omnium, quæ in ea dicturus sum, operepretium est, tria breuiter præmonere: primum *circa nomen census:* secundum circa diuisionem census: tertium, de quo censu loquatur Pij V. constitutio.

Quoad primum. Census nomen deriuatur à verbo, censendo, nam in qualibet regione erant cuiusque facultates recensendæ, & totius populi, idest, singulorum capita describenda; vt ex facultatibus quisque pro earum ratione tributum solueret in Regis, seù Reip. subsidium, l.4.forma. ff. de censib. & ex capite in subiectionis signum solueret censum, ac inde Princeps sciret quantum eius esset imperium, quem censum an liceret dare Cæsari, fuit Christus à Iudæis interrogatus; *dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?* quibus Christus respondit: *ostendite mihi numisma census*: quo sibi ostenso, dixit, *cuius est imago hæc, & superscriptio?* & dixerunt ei, *Cæsaris*: tunc Christus dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Matth. 22. quare de nascentibus terræ soluitur tributum, de capite census: at in præsentiarum nomine census nihil aliud censetur, quàm pensio, quam quis super suis bonis constituit, vt hæc omnia latius explicat Sot.de iust.&iur.lib.3.q.7.art.7. col.2.& 3. fol. 280. & lib. 6. q. 5. art. 1. vers. quæstio præsens.col.2.fol.587.& , nulla de eo facta mentione, breuiter Lud.Lopez de contract. lib. 1.cap.53.vers.igitur. & multi alij, quos omitto, & citantur à Lud. Molin. de iust. tom.2.de contract.disput.381.vers.vt verò. & seq. col. 574. & quomodo census differat à vectigali, & portitorio, scripsi infra §. 3. gl.4.num.2.

Aduerte igitur, quòd census, primo modo sumptus, soluitur superiori in recognitionem, & signum dominij, vt scribit Franc. Garcia de contract. cap. 26. initio, & satis patet ex prædictis; secundo autem modo sumptus soluitur cuicunque, qui cum sibi reseruauerit ex fructibus rei, quam dederit, vel quos pecunia emerit, Garc. vbi sup. & iste impropriè dicitur census, Surd.cons.162. memini.num.5. lib.2. & licet censum vocemus illam pensionem, quam soluimus, vt dixi supra, & ideo promiscuè vtamur nomine census, & pensionis, tamen, propriè loquendo, pensio differt à censu, quia pensionem soluimus de re aliena, censum verò de re nostra, vt secutus sum infra sub num. 248.vers.reseruatiuus.

196 Quoad secundum. Census habet multas diuisiones, quas colligunt Conrad. de contract.q.72.in 3.& 4.supposit. Sot.de iust. & iur.lib 6 q.5.art.1.col.2.& 3.fol.387.Card. Tolet.de instruct.sacerd.lib.5.cap.43. Leonar. Less.de iust.& iur.lib.2.cap.22.num.4. & Io.Azor.de instit.moral par.3. lib.10. tit. de censib.cap.3. quidam enim cēsus dicitur reseruatiuus; quidam consignatiuus; qui vel est pecuniarius, vel fructuarius; consignatiuus enim æquè dicitur si consistat in reditu pecuniario, sicut si consistat in reditu alterius rei, Lud.Molin.de iust. tom.2. de contract. disput. 383. vers. contractus. col. 581. quidam dicitur census personalis: quidam perpetuus: quidam temporalis: quidam redemibilis, & quidam non redemibilis.

197 Reseruatiuus dicitur, quando quis in re, quam alteri confert, reseruat sibi ius quotannis recipiendi aliquam partem, seù aliquam certam pensionem, iuxta materiam legis vlt. C.de rer.permut. & cap. 6. constitutus. de relig. domib. Sot. & Azor.supra citati, & de hoc censu scribunt etiam Crauet.cons.217. fuit in rerum. num.4. vers.secundo. Foller.tract.de censib.in verbo, census enim.num 5.tom.6.par.2.fol.142.& Redoan.tract.de reb.eccles.non alien.rubr.16. num.2.& seqq.tom.15.par.2.fol.418.& loquendo de duplici modo formandi censum, Surd.cons.162. memini, num.4.lib.2.

198 Consignatiuus, & pecuniarius dicitur ille, de quo supra num.174. in exemplificatione; & iste est in frequenti vsu, Io. Azor. d.cap.3.vers.consignatiuus. iuncto vers. secundo diuiditur. & cap.4.q.1. & de hoc loquuntur etiam Crauet. Foller. Redoan. & Surd. in locis supra proximè citatis, & hic est ille census, de quo magnam fuisse inter Doct. dubitationem, & controuersiam, an esset licitus, retuli supra num.175.

199 Personalis dicitur ille, qui constituitur in aliqua persona, ex qua, cum artem, indu-

striam, operam, aut vires habeat, vtilitas, & commodum percipi potest, Sot. vbi supr. & Azor. d. cap. 3. vers. tertio diuiditur. & cap. 5. q. 1.

Reliquas diuisiones, seu species vide apud eosdem; ego enim eas, vti nostro instituto inutiles, cēseo omittendas præsertim, quia nostri instituti est agere solùm de censu consignatiuo, cum is habeat maiorem difficultatem, ideoq; nostræ conueniat ampliationi, quam posuimus supra num. 171. & specialiter omittendam censeo diuisionem, quam facit Garcia de contract. cap. 26. num. 2. dum sub contractu census comprehendit etiam emphyteosim, feudum, & liuellum, quæ impropriè dicuntur census, & à nostro instituto maximè distant, & separatam, & amplam habent in iure materiam, & differunt etiam à censu reseruatiuo, vt secutus sum infra sub nu. 248. vers. reseruatiuus. & quòd contractus census, & cōtractus emphyteosis lōgè inter se diuersi sint, quāuis interdum eorum nomina impropriè cōfundātur, scribit Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 381. vers. iuxta. col. 574.

200 Quoad tertium. Constitutio Pij V. de censibus, tradendo formā, qua census creari debeat, & disponendo, vt, ea non seruata, census sit fœneratitius, loquitur solùm de censu consignatiuo, qui pecunia emitur, quia in eo poterat quodammodo palliari vsura, cui palliationi vt obuiet, dat formam, qua census contrahendus sit: quare illius constitutionis prohibitio, & forma non se extendit ad census, qui aliter quàm pecunia emuntur, & consequenter non comprehendit censum resignatiuū, de quo locutus sum supra nu. 197. minusvè comprehendit census, constitutos gratuitò per viam vltimę voluntatis, & donationis tam causa mortis, quàm inter viuos sine interuentu pecuniæ emptricis, Nauar. in cap. si fœnerauеris. num. 98. gl. 17. 14. q. 3.

Et hic census consignatiuus est duplex, videlicet, census annuus pecuniarius, idest, annua pensio pecuniaria, & census annuus, consistens in alia re, quàm in pecunia numerata, nempè in vino, oleo, vel alia re, vt dixi supra num. 196. & licet dicta Pij V. constitutio, concedēdo emptionem census consignatiui sub forma, quam tradit, videatur loqui de censu annuo pecuniario, dum prohibet solutiones, quas vulgo, anticipatas appellant, tamen ex nulla illius constitutionis parte colligi potest, quòd prohibeat censum, consistentem alia in re, quàm in pecunia numerata, & consequenter cum non sit prohibitus, remanet sub dispositione iuris communis, quo attento, est licitus, vt ex Innoc. communiter recepto, sequitur Nauar. in d. cap. si fœnerauеris. num. 104. in 3. q. imò in ea sum opinione, quòd iste census comprehendatur sub dicta Pij V. constitutione, sicut census, qui consistit in pecunia numerata, & vtrique forma, & dispositio dictæ constitutionis æquè applicetur, & accommodetur.

201 Extende nunc eandem exemplificationem, positam supra nu n. 174. & sic restrictam ad censum consignatiuum, vt procedat non solùm in censu iā creato, sed etiam in creando de nouo, Sot. de iust. & iur. lib 6. q. 5. art. 1. concl. 1. ibi, veruntamen salua. col. 4. fol. 588. Nauar. in cap. si fœnerauеris. sub num. 70. ibi, tertium est. de vsur. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 4. q. 4. vers. secunda sententia. col. 815. & hanc esse communem, & certam sententiā testatur, & sequitur Leonar. Less. de iust. & Iur. lib. 2. cap. 22. nu. 13. & non esse in opinione contraria multum immorandum, quia illi non tantum communis vsus, & opinio communis, sed etiam extrauagantes Martini, Calixti, & Pij V. aduersantur, scribit Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 57. vers. his præmissis.

Ratio, quare in censu creato sit minor difficultas est, tùm quia multa facta tenent, quæ ab initio fieri prohiberentur; tùm quia census creatus potest pro debito dari creditori insolutum, sed non potest ex debito nouus creari ad fauorem creditoris, per ea, quę dixi infra num. 210. & 212.

202 Ad huius census consignatiui validitatem plura requiruntur ex Pij V. constitutione, omissis in hoc constitutionibus aliorum Pontificum ante Pium V.

Primò enim requiritur, vt census constituatur super re immobili, seù quæ pro immobili habeatur, vt colligitur etiam ex extrauagantibus Martini, & Calixti, & est expressum in constitutione Pij V. & notant Nauar. in cap. si fœnerauеris. sub num. 86. vers. ex quo infertur. 14. q. 3. Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 3. num. 28. vers. sexta conditio. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 5. initio, & q. 4. & cap. 7. initio, &, nulla de his extrauagantibus

bus habita mentione, & sic in terminis iuris communis, censum institui non posse, nisi in re, quæ vsu non consumatur, & sit fructifera illius census, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 11. vers. sequitur amplius. il 2. col. 3. fol. 383.

Extende hoc requisitum, vt sit necessarium etiam in censu vitalitio, qui etsi extinguatur cum vita emptoris, tamen debet constitui, habita relatione ad rem, & sic in re, vt, loquendo indistinctè de censu, scribit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. post rubr. q. 12. sub num. 46. vers. soluit quod. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 20 & communiter omnes, &, loquendo de censu vitalitio, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 14. vers. itaque non. col. 5. fol. 499. & ita procedunt quæ de eo scripsi infra num. 243. & 294. & seqq. & hac ratione iste cẽsus est licitus, attenta etiã Pij V. constitutione, & passim celebratur, vt dixi infra num. 297. in fine; & ratio huius extensionis est manifesta, quia potest quis emere certo pretio possessionem, detinendam toto tempore vitæ suæ, ita vt post mortem suam redeat ad venditorem, Laur. de Rodulph. vbi sup. num. 49. q. 15. fol. 20. qua ratione procedit census vitalitius, vt patet ex his, quæ scripsi infra d. num. 294. & seqq. & S. seq. gl. 5. num. 150.

Secus est in censu personali, quia iste constituitur, nulla habita relatione ad rem, sed solùm ad personam, & in hoc differt à vitalitio, ideoque est illicitus secundum eundem Rodulph. d. num. 46. in fine, & secundum Pij V. constitutionem, de quo tamen censu habes controuersiam num. seq. præsertim circumscripta Pij V. constitutione.

Pro intelligentia huius extensionis vide omnino quæ scripsi supr. sub num. 178. vers. explica. & infra num. 305. in fine, vers. amplia.

203 Infero ex hoc requisito, censum personalem non esse licitum, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 75. & 81. & seqq. 14. q. 3. Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 2. num. 76. in fine, & latius Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 5. q. 1. & 2. vbi, quòd hic census est damnatus, non solùm ex constitutione Pij V. sed etiam ex constitutionibus Martini V. Calixti III. & Nicolai V.

204 Extende hanc illationem, vt sit vera, etiam circumscriptis Pontificijs constitutionibus, ijs enim non consideratis, seù non cognitis, ita tenet Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. post rubr. q. 12. sub num. 46. vers. soluit. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 20. & latè tuetur Nauar. d. num. 81. & 82. adducendo nouem argumenta, & esse communem opinionem, testatur, sed non sequitur Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 7. sub num. 5. vers. ego sanè.

Contrariam opinionem; nempè, quòd, circumscriptis Pontificijs constitutionibus; & præsertim Pij V. census personalis de iure naturæ possit constitui, firmat ex veriori sententia Io. Azor. d. cap. 5. q. 1. vers. secunda sententia. hancq; sententiam, nulla tamen facta mentione alicuius constitutionis Pontificiæ, latè disputando firmant simpliciter Conrad. de contract. q. 74. & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 11. vers. hæc tamen. iuncto vers. præcedenti, sed quæret aliquis. col. 7. fol. 385. & facta etiam mentione de illis duabus extrauagantibus, quæ sunt inter communes, sequuntur Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 1. in tertia concl. post tertiam rationem, vers. veruntamen de censu personali. & concl. 4. col. 5. & 6. fol. 588. & 589. Couar. d. cap. 7. sub num. 5. vers. ego sanè. & seqq. & præsertim vers. tertio idem. & vers. non obstant. vbi respondet dictis duabus extrauagantibus Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. num. 18. & seqq. & late, articulo discusso, & consideratis, & non consideratis præfatis constitutionibus, reassumpto solo iure naturæ, in hac contraria opinione residet Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. de censib. controu. 5. num. 6. vers. sit prima conclusio. fol. 458. & pro hac opinione possunt allegari Innoc. in cap. 6. in ciuitate. num. 2. vers. ex forma, in fine; & versus finem dicti cap. & Abb. sub num. 7. vers. extra. gl. de vsur. vbi tenet, & testatur tenere omnes, quòd hic contractus sit licitus; & cum Innoc. transire videtur Anch. in d. cap. in ciuitate. sub num. 4. not. 5. vers. quærit hic. & ita referendo transire videtur ibidem Io. de Anan. sub num. 22. ibi, si verò illa obligatio.

In hac contrarietate Abb. in suis quæst. q. 5. augerio. versus finem, non discedendo in effectu ab hac cõtraria opinione, pro concordia ita distinguit: aut quærimus, an per eiusmodi censum personalem contrahatur emptio, & venditio, & credo, inquit, quòd non, quia abest res, sine qua venditio non confi-

consistit; nam iste, qui dicitur venditor, non potest personam vendere, cum nemo sit dominus membrorum suorum: aut quærimus an possit se obligare ad dandum annuatim certam quantitatem, & tunc, inquit, indubitanter dico, quod sic:

Quid dicendum in hac quæstione, in qua Nauar. sub d.num.81. vers. secundo quod, & Mich.Sal.d.controuers.5. nu.1. fol. 455. decepti, Innoc. Abb.& alios Canonistas allegant pro extensione, qui tamen tenent contra extensionem, vt ex nostra fideli allegatione potes cognoscere,& deceptus etiam videtur doctissimus Couar. cum hæc opinio contraria, quam etiam ipse sequitur, sit communis, & ipse dicat, extensionem esse communem; & parum sibi constitisse videtur Medin. quem retuli supra sub num. 202. dum prius ead.q.11.vers.sequitur amplius, il 2. scripsit, censum constitui non posse super re, quæ vsu consumatur, etiam si fructifera sit.

Breuiter distingo: aut admittimus, prout communiter solent admittere Doct. dari legem humanam, quæ non sit contra legem naturæ, nec secundum legem naturæ, sed sit præter legem naturæ, & eiusmodi esse legem, seu constitutionem Pontificiam, prohibentem censum personalem; & tunc libenter admitto hanc communem contrariam opinionem, quòd census personalis de iure naturæ sit licitus: aut non admittimus, dari aliam legem humanam, quàm eam, quæ sit secundum legem naturæ, prout non dari suadent ea, quæ scripsimus infra q.7.par.2, ampl. 19.num. 14. & seqq. vbi demonstrauimus, legem positiuam non posse disponere contra legem naturalem, sed solùm posse illam interpretari: & tunc debemus necessariò tenere extensionem, quod etiam de iure naturæ sit illicitus, quia cum Pius V. vti iustus legislator interpretatus sit, & disposuerit, esse illicitum; & ad ipsum per viam legis condendæ spectet interpretari ius naturale, & nemo potest illi dicere, cur ita facis? per ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 39. & 45. & non videtur licitum, quod dicamus, eius legem esse contra legem naturæ: quòd si sanxisset, posse censum etiam personalē constitui, diceremus pariter, & libentius, eius sanctionem esse secundum legem naturæ, quia, vt dixi, ad legislatorem pertinet, condendo legem, interpretari ius naturæ, & eius interpretationi stare debemus, & conuenit nobis in hoc (noli plus sapere, quàm oporteat.)

Declara, inferendo ex eodem primo requisito, quòd census potest constitui super annuo redditu, quia licet ille non sit propriè res immobilis; tamen habetur pro re immobili, vt securus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 308. & consequenter posset constitui census super censu maiore, vel æquali, iam antea constituto, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 87. vers. secundo sequitur. 14. q. 3. nam feudum etiam constitui nō potest, nisi super re immobili, & tamen potest eadem ratione constitui super annuis redditibus, Bal. in præludijs feud. num. 20. & Card. Alex. sub nu. 16. quos sequitur Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 6. sub num. 6.

Contra hanc declarationem tenent Virg. de Bocc. tract. de censib. par. 1. num. 49. & in censu non perpetuo, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 7. q. 1. col. 823. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. dubit. 12. sub num. 77.

205 Secundo requiritur, vt census imponatur super re certa, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 7. initio; & non generatim super omnibus bonis censum vendentis, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 86. vers. ex quo infertur. 14. q. 3. & Io. Azor. d. tit. de censib. cap. 5. q. 5. & satis est expressum in Pij V. constitutione, in illis verbis, *& quæ nominatim certis finibus designata sit.*

Ratio huius requisiti est, quia iniusta videtur emptio, si periculum rei emptæ non æquè spectaret ad emptorem, sicut spectat res empta, cum de natura emptionis sit, vt res empta pereat emptori, toto tit. ff. & C. de peric. & comm. rei vend. at periculum, re certa non designata, non spectaret ad emptorem, nisi peremptis omnibus bonis vēditoris, quod videtur iniustum, maximè, quia census hoc pacto videretur accedere magis ad naturam vsuræ, quàm ad naturam emptionis; si quidem in mutuo sors perit mutuatario, & in emptione res empta perit emptori. Imò sequeretur hoc aliud forsan absurdum, quòd idem annuus census pluris valeret, venditus à diuite, habente plura prædia, quàm venditus à paupere, habente pauciora, quia census, consistens in pluribus bonis, videtur magis securus.

206 Declara primo, restringendo hoc requisitum, vt procedat in censibus, constitutis

post

post Pij V. constitutionem, quæ ita dispo- nit; secus in censibus, impositis ante Pij V. constitutionem, quia de iure communi, & attentis constitutionibus Martini V. Calixti III. & Nicolai V. poterat census imponi generaliter super omnibus bonis vendētis censum, Rot.diuers.decis.286. de anno. in fine, sub num.7. coram R.P. D. Litta die 10. Februarij 1597. in Eugubina census. & decis. 328. dominis. initio, coram R.P. D. Iusto, die 29. Maij 1600. Ciuitatis Castelli census. in impressis Lugduni 1612. quare Sot. de iust.& iur.lib.6.q.5.art.1.coroll.1.col.8.initio, fol.590. qui scripsit ante Pij V. constitutionem, infert, censum constitui posse super indefinitis, atque incertis, nempè super quibuscunque, quæ venditor census possideret; motus,eo quòd venditor census obligatur in personam.

Ratio istius declarationis est, quia sicut quis potest emere annuum censum, qui imponeretur super vno certo prædio frugifero, magno, ideoq; capaci non solùm illius census, sed decem aliorum similium censuum, Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de censib. cap.6. q.2. vers.in primis. col. 821. ita etiam non videtur inconueniens, quòd quis emat censum, impositum super omnibus bonis venditoris, cum possit etiam contingere, quòd prædium vnius venditoris excederet valorem omnium bonorum alterius venditoris.

Retenta hac declaratione in censibus, creatis ante Pij V. constitutionem.

Infero,quòd in illis censibus impositis super omnibus bonis venditoris, perempta vna re frugifera venditoris, deberet pro rata illius rei perire census.

Declara secundo ex his, quæ scripsi infra q.7.par.2.ampl.20.num.12.

207 Declara tertio, prout latè explicat,& declarat Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de censib.cap.5.q.5.& 6.

208 Tertio debet res esse fructifera, vt dixi supra num.176.& 177.confirm.1. idest, debet esse nata apta ad ferendum fructus, Ioan. Azor.de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib.cap.6.initio, quamuis etiam fructum non ferret, Surd.cons.162. memini. sub nu. 18.& seqq.lib.2. vbi latè de hoc.

Extende,restringe, & declara hoc requisitum in censu vitalitio, & personali ex his, quæ scripsi sup.sub num.202. vers.extende. num. 203. 204. & infra num. 243. 294. & 297.

209 Quarto debet pretium census verè solui in pecunia numerata, quia contractus census est verè contractus emptionis, & venditionis, Io. Azor. de instit.moral. par.3. lib. 10. tit.de censib. cap.8.initio, & quòd contractus census consignatiui habeat in se contractum emptionis, & venditionis, firmant Franc.Garcia de contract. cap.27.sub num. 9.concl.4.& 5.Lud.Lopez de contract.lib.1. cap.56. in pluribus locis, & præsertim vers. circa autem, in fine, & Lud. Molin. de iust. tom.2.de contract.disput.383.initio,& vers. hoc loco. col.581. & vers.ex dictis. col.586. & de hoc non debet esse controuersia, cum satis pateat ex suppositis in exemplificatione, posita supra num. 174. at in contractu emptionis, & venditionis pretium in pecunia numerata est de substantia contractus, vt scripsi in meo tractat. de iudic. &c. lib. 2. cap.8. num. 449. & ideo census, in quo non interuenisset pecunia numerata,esset nullus, Rot.diuers. decis. 343. licet pro. vers. attamen. coram R. P. D. Litta die mercurij 11. Decembris 1602.in impressis Lugduni 1612. decis. 189. cum aliàs. num. 1. coram Reuerendissimo D. Sacrato in Rom. census de Mutinis.eod.die,& anno,& decis.254. quia secundum. num.1.coram R.P.D. Decano in Assisien. census, lunæ 5. maij 1608. in impressis Romæ 1615.

Imò licet contractus census sit contractus emptionis, & venditionis,& hac ratione Doct. dicant,requiri in eo pretium in pecunia numerata; tamen in eo videtur adhuc magis necessarium, tum quia in emptione aliarum rerum potest haberi fides de pretio; sed census debet emi pretio præsenti in pecunia numerata, tum etiam quia si contractus emptionis, & venditionis aliarum rerum, non interueniente alia pretij numeratione, quàm illa, qua emptor erat prius factus ex quauis causa creditor ipsius debitoris; non esset propriè contractus emptionis, & venditionis,erit datio in solutum,per ea, quæ, adducendo differentias, & identitates inter dationem in solutum, & venditionem, scribit Caball. tract. de euict. §. 4. sub num. 38. vers. quid in datione, & num. 39.& seqq.tom.6.par.1.fol.93.& sic solutio pretij potest fieri compensatiuè; non sic est in contractu census, quia, si is non teneat, vti emptio, & venditio census, eò quia non interuenerit realis numeratio, & exbursatio pretij, quod est necessarium, vt dixi in requisito, minus potest valere, vti datio in solutum

lutum; quia si census nondum fuit creatus, & non potest creari sine interuentu numerationis pretij, est impossibile, vt detur insolutum; cùm id, quod nondum est in rerum natura, dari non possit: secus est in venditione aliarum rerum, iam existentium, quia cum existant, possunt dari insolutum.

Quicquid scripserit Surd. cons. 162. memini. sub num. 40. vers. secundo moueor. & num. 41. lib. 2. vbi existimat, quòd etsi in emptione census non sit præsens pecunia, tàmen emptio teneat, si præcedens debitum vendentis censum versetur in solutionem census, quia datio insolutum habeatur pro numeratione, & solutione pretij.

Infero primo ex hoc requisito, quòd fructus, percepti ex censu, constituto sine pecunia numerata, sunt restituendi, seu compensandi cum sorte, etiam si dicerentur bona fide percepti, & consumpti, quia Pij V. constitutio inter alia requirit pecuniæ numerationem, & census, sub alia forma initos, declarat fœneratitios; quare sequitur, quòd tanquam recepti in causam vsuræ, nunquam transierint in dominium recipientis; & allegatio bonæ fidei in materia vsuraria aliquid non operatur, Rot. d. decis. 189. sub nu. 1. 2. & 3. & quòd vsurarius non acquirat dominium vsuræ, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. in difficultate 3. argum. vers. alij verò. fol. 348. & ex Clar. & Lud. Molin. secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 67.

Ad maiorem huius illationis intelligentiam vide quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 20. num. 9. & seqq. confirm. 1.

210 Infero secundo, quòd census, constitutus ex fructibus census decursis, & non solutis, est nullus, sic disponente eadem Pij V. constitutione: & ratio est, tùm quia requiritur pro forma numeratio actualis pecuniæ, tùm quia vsuræ vsurarum sunt prohibitæ, vt retuli infra §. 7. gl. 2. num. 39. adde omnino ad maiorem declarationem, quæ scripsi infra d. gl. 2. num. 53. & 54.

211 Extende primo idem requisitum, vt non solùm solutio pretij debeat fieri in pecunia numerata, sed debeat ita fieri, vt pecuniæ solutæ dominium transeat in venditorem census; alioquin, si solutio ita fieret, vt venditor illam pecuniam statim redderet emptori, venditio esset nulla, iniusta, & vsuraria, siuè ista ficta solutio fiat ex pecunijs ipsius, qui emit censum, siue ex pecunijs alterius tertij, qui eas ad hunc solum effectum commodauerit, statim illas rehabiturus, quia pretium non dicitur solutum, quod statim redditur, l. 55. qui sic soluit. ff. de solut. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 8. q. 2. vers. sed quid. & hæc extensio procedit tàm in foro interiori, quàm in foro exteriori, cum eiusmodi census, nullo prorsus soluto pretio, maiorem contineret vsuram, quàm mutuum cum lucro, quia mutuatarius saltem habuit capitale.

Confirmatur primo hæc extensio, quia ad essentiam emptionis, & venditionis requiritur, quòd pretium sit perpetuò mansurum penes venditorem, alias, si post immediatè restitueretur per venditorem emptori, non diceretur venditio facta, nec dominium translatum, Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. princip. sub num. 33. tom. 6. par. 1. fol. 53. sed census est emptio, & venditio: Ergo.

Confirmatur secundo quodammodo ab exemplo decreti Senatus Romani, qui militem, qui fictè, & ideo inutiliter, & in fraudem iuratæ promissionis redijt in Castra Hannibalis, vinctum ad Hannibalem, quia non diceretur redijsse, remisit, vt retuli infra §. 6. glos. 1. num. 16. vers. & demum.

212 Subextende primo hanc extensionem, vt procedat etiam si venditor census, pecuniam, sibi solutam, ideo statim emptori reddat, quia ipse venditor eandem pecuniæ quantitatem eidem emptori ex alia causa debet soluere, nam nihilominus si emptor hac conditione pecuniam numerauerit, vt sibi incontinenti redderetur, census, vti factus contra formam constitutionis Pij V. esset illicitus, Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 64. vers. quidam. & tract. de censib. par. 1. num. 51. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 8. q. 2. & in foro exteriori non discedit Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 88. in gl. 5. 14. q. 3. hæcq; extensio est etiam de mente Rotæ, quam citaui infra num. 216. in 3. subextensione.

Confirmatur primo hæc subextensio, quia contractus census, in quo venditori non soluitur iustum pretium, est illicitus per ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 81. sed pretium absens non tanti valet, quanti valet pretium præsens, & dicitur absens, quando esset exigendum, & soluitur compensatiuè: ergo cum venditori detur pretium absens pro eodem valore, quo valet pretium præsens, pretium est iniustum, vt

ex

ex Io. Azor. d. q. 1. retuli etiam infra q. 7. par. 1. sub num. 80. comprob. 3. in fine.

Confirmatur secundo, quia census constitui non potest pro pretio antea recepro, etiam si fuerit integrum, & iustum, ita prohibente constitutione Pij V. vt dixi infra num. 232. in 3. extens.

213 Restringe hanc subextensionem, vt non procedat in foro interiori, quia in eo est licitus, Nauar. in d. cap. si fœneraueris. sub num. 88. vers. est tamen quæstio. & nu. 121. q. 31. & sub num. 105. in fine, dicens, quòd, attento solo iure naturali, & diuino, census posset iustè coram Deo constitui, soluto pretio in alia re, quàm pecunia numerata, si illa res coram Deo esset venditori census æquè vtilis, aut vtilior, quàm pecunia numerata.

Confirmatur primo hæc restrictio, quia in foro interiori attenditur ius naturale, & non ius positiuum, testibus his, quos citaui infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 41. & ampl. 19. sub num. 57. vers. prima. in fine.

Sed pretij solutio in celebratione contractus census est necessaria solum ex lege Pontificia, & sic ex lege positiua, & non ex lege naturæ, ideoq; ante Pontificiam legem valebat contractus census, etiam si solutio pretij interuenisset antea, vt scribunt communiter Doct. quos secutus sum infra num. 216. 234. Ergo ex communi Doctorum opinione vera est restrictio.

Confirmatur secundo, quia si contractus census esset fœneratitius ex eo, quòd solutio pretij non interuenisset in actu celebrationis contractus, Papa non confirmaret, seu non concederet licentiam, vt iste contractus posset celebrari, prout sæpè, partibus instantibus, confirmat, seu dat licentiam, quando constat de vero credito ementis censum, vt dixi infra num. 225.

Confirmatur tertio, & corroboratur præcedens, quia lex Pontificia, declarans eiusmodi contractum fœneratitium ob non interuenientem pretij numerationem in ipso contractu, intendit obuiare fraudibus, ideoque requirit, numerationem fieri coram testibus, & notario, vt dixi infra num. 232.

Sed lex positiua, quando disponit obuiando fraudibus, mouetur ex præsumptionibus; & ideo in casu, quo veritas est in contrarium, non obligat in conscientia per ea, quæ dixi infra num. 529. & q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 83. 87. & seqq. aliàs sequeretur, quòd etiam si emptor numerasset pretium in contractu, sed non coram testibus, & notario, census adhuc esset fœneratitius, quod est alienum ab omni ratione.

Contrariam opinionem; quòd enim neque in foro interiori iste emptor sit tutus, contra Nauar. tenet Virg. de Boccat. in locis supra proximè citatis, quem sequitur Io. Azor. d. q. 1. & apertius q. 3. & licet Virg. de Boccat. non supponat hanc fictam numerationem, tamen Nauar. quem sequitur in foro exteriori, & impugnat in foro interiori, eam supponit.

Comprobatur primo hæc contraria opinio, quia lex positiua, præsertim Ecclesiaca, obligat in conscientia, vt securus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 47. & seqq. sed lex ecclesiastica disponit, vt in contractu census interueniat solutio pretij in pecunia numerata, & aliter declarat contractum fœneratitium: ergo obligat in conscientia.

Comprobatur secundo, quia ius Ecclesiasticum, seu Pontificium est idem, quod ius naturale, seu diuinum, cum sit interpretatio dicti iuris, & non contra dictum ius, per ea, quæ secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 14. & seqq. num. 40. 43. & 45. sed ius naturale obligat in foro interiori, in eoq; debet seruari; vt dixi sup. hoc eod. num. confirm. 1. Ergo, retorquendo primam confirmationem, adductam pro restrictione, contractus census sine solutione pretij in ipso contractu, est illicitus, etiam in foro interiori.

Comprobatur tertio, quia societas officij, contracta compensatiuè ex credito sine præsenti pecunia numerata, est illicita etiam in foro interiori, vt ex Io. Azor. retuli infra num. 217. & 231. & tamen numeratio pecuniæ in societate officij non requiritur ex dispositione alicuius legis, seu constitutionis, sed solùm de stylo, & ex ratione, vt ostendi infra num. 229. & 230. ergo quantò magis id dicemus in contractu census, in quo præsens pecunia numerata requiritur ex dispositione constitutionis Pontificiæ?

214 Non discedo à restrictione, quicquid contra eam dixerint Virg de Bocc. & Io. Azor. supra citati.

Ad primam comprobationem respódeo, quòd obligat in conscientia, quando disponit ex veritate, & voluntariè; secus quando disponit ex præsumptione, siue coactè, & veritas, liberaq; voluntas esset in contrarium, vt

vt in casu nostro, per ea, quæ secutus sum in locis citatis num. præced. vers. sed lex positiua. quia tunc eius vires non excedunt forum fori, per eã, quæ dixi in eisdem locis.

Ad secundam respondeo, vt ad præcedentem; nam sumendo etiam ius positiuum pro iure naturali, vt nos sumimus, concedo maiorem propositionem, sed distinguo minorem: aut enim ius positiuum disponit super re certa; & concedo similiter minorem propositionem: aut disponit super re præsumpta, & tunc si res præsumpta est vera, concedo similiter minorem; secus si res præsumpta est falsa, quia tunc non obligat in foro interiori.

Nec replicetur, ineptam esse hanc distinctionem, eo, quia solum ius positiuum disponat super re præsumpta, ius autem naturale habet semper notam veritatem, ideoq; non disponit super re præsumpta.

Quia respondeo, verum esse, quando illud exercetur in tribunali Dei; secus quando exercetur in tribunali nostro: Vnde tantum operatur veritas in foro interiori, quantum præsumptio in foro exteriori.

Ad tertiam respondeo, quòd sicut opinionem Ioannis Azot. reprobamus in censu, ita à fortiori reprobare debemus in societate officij.

Remanet, vt respondeamus ad pretij iniustitiam, quam considerat Azor. citatus supra sub num. 212. in 1. confirmatione; & breuiter dico, hanc pretij iniustitiam turpiter allegari ab ipso debitore, & ideo in ea non esse audiendum, quia debet erubescere; nam ad ostendẽdum, quòd sua pecunia non valet, quanti valet pecunia sui creditoris, necesse est, vt dicat se esse malum debitorem, quia sit rixosus, litigiosus, cauillosus, & fideifragus, aut se esse impotentem: sed in prima allegatione debet erubescere, & in secunda conuincitur mendax, quia ex compensatione ostenditur capax: ergo.

215 Subextende secundo, vt procedat etiam si vendens censum, esset ementis debitor ex causa fructuosa, vt puta, quia ipse vendens iam ab eo prius fructuosam emerit rem, cuius pretium non soluerit; ideoque ex æquitate legis deberet eidem emptori soluere fructus recompensatiuos, iuxta ea, quæ secutus sum Infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 155. & seqq. adhuc enim census erit illicitus ob non seruatam formam legis; sed poterit emptor census agere pro fructibus recompensatiuis, Rot. diuers. decis. 189. cum alias. sub num. 3. vers. hinc cessant. versus finem, coram Reuerendiss. D. Sacrato in Romana census de Mutinis, mercurij 11. Decembris 1602. in impressis Romæ 1615.

216 Subextende tertio, vt emptor census, etiam vendirore requirente, non possit ei per compensationem soluere, sicq; compensatio, etiam de venditoris vltroneo consensu facta, non est solutio, testibus Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 89. in gl. 4. 14. q. 3. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 8. q. 3. & Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 1. num. 52. & tract. de societ. offic. num. 64. licet ipsi loquantur sub alijs verbis, & Virg. de Boccat. citer Nauarrũ, qui loquitur, quando interuenit etiam actualis numeratio pecuniæ, sed ficta, vt retuli sup. num. 212. & 213. hancq; subextensionem, attenta Pij V. constitutione, tenet etiam Rot. diuers. decis. 286. de anno. num. 1. & 2. coram R. P. D. Litta die 10. Februarij 1597. in Eugubina census. & decis. 328. dominis. num. 1. coram R. P. D. Iusto die lunæ 29. Maij 1600. Ciuitatis castelli. inter impressas Lugduni anno 1612. dum scribit, de iure communi debitum ex vna causa, non esse prohibitum ex consensu partium conuerti in debitum ex alia causa, & sic ex causa census, & ideo censum contractum ante Pij V. constitutionem esse validum, quamuis non interuenerit pecunia numerata, dummodo vendens censum deberet antea emptori pretium, pro quo ei vendit censum; secus post Pij V. constitutionem.

Ratio huius subextensionis est triplex. Prima, quia compensatio non est vera, sed ficta solutio, vt secutus sum S. seq. gl. 5. num. 43. & in constitutione census requiritur solutio vera. Secunda, quia si non sufficit solutio ficta cum apparenti pecunia, vt in casu primæ subextensionis, multò minus debet sufficere solutio ficta sine apparenti pecunia. Tertia ratio est, quia quando lex, obuiando fraudibus, disponit, seu dat certam formam, tunc illa dispositio, seu forma in foro exteriori est præcisè obseruanda, etiam in casu, in quo in rei veritate fraus cessaret per ea, quæ contra mutuatorem, assecurantem periculum pecuniæ mutuatæ, secutus sum infra num. 507. & seqq. num. 521. & 524. & facit etiam quod scripsi infra num. 428.

217 Confirmatur hæc subextensio, quia etiam socie-

ſocietas officij, contracta compenſatiuè, in vtroque foro reprobatur; quare qui eſt creditor officialis in ſcutis centum ex aliqua alia cauſa; puta ex cauſa mutui, vel ob merces venditas, non poteſt ex illis centum contrahere ſocietatem officij, ita vt officialis habeat illa centum pro datis in ſocietate officij, Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de ſociet. cap. 10. q. 1. & verſ. quæres an valeat.

218 Contra hanc ſubextenſionem, & magis contra eius confirmationẽ facit, quod contra hanc ipſam confirmationem reſpondidit Hieron. Gabr. conſ. 81. in ſpecie. lib. 1. vbi firmat, quòd ſi quis certo pretio credito vendat, & tradat officiali veſtem, poſſunt deinde conuenire, quòd ipſe officialis debitor admittat ipſum creditorem in ſocium, & participem dicti officij pro rata pretij, in quo eſt creditor, & talis ſocietas ſecundum

219 eius reſponſum eſt valida; † & ad ita reſpondendum mouetur ea præcipua ratione, quia debitum ex vna cauſa, in aliam conuerti poteſt, Bar. in l. 15. ſingularia. num. 20. verſ. veniamus. ff. ſi cert. pet. & in l 6. ſi ex pretio. C. ſi cert. pet. Rot. Genuen. deciſ. 1. ſub num. 3. & ſub num. 7. verſ. & primo. vbi de communi, de qua, remota ſimulatione, non eſt dubitandum, quia contractus legem accipiunt ex conuentione partium, & quando eſt conuerſum in aliam, ex illa alia, & ſic ex ſecundo contractu, & non ex primo agi poteſt, Rot. Genuen. d. deciſ. 1. ſub num. 7. &

220 † talis conuerſio in effectu non eſt ſimulatio, cum habeat fomentum ex veritate cauſæ præcedentis, Bar. d. l. ſi ex pretio. C. ſi cert. pet. quem ſequitur Dec. in l. certi condictio. §. fin. num. 2. ff. eod. dicens, quòd exceptio ſimulationis contra inſtrumentum guarintigiatum habet locum, quando promiſſio eſt facta ſimulatè ex cauſa non vera, vel nõ iuſta, & quòd ità loquitur tit. plus valere quod verè agitur, quàm, &c. ſecus autem quando debitum in veritate eſt ex vna cauſa, & in inſtrumento confitetur, vti debitum ex alia cauſa, quia iſto caſu non dicitur ſimulatum, cum obligationis ſubſtantia non deficiat, & debitum ex vna cauſa in debitum ex alia conuerti poſſit, & ideo ſtatutum loquens de ſimulatione, iſto caſu locum non haberet; hæcq; omnia benè confirmantur ex his, quæ dixi infra num. 234. reſtrict. 2.

Nec multi facienda videtur Azorij authoritas in iſto puncto, cum is pro illa confirmatione adducat Sixti, & Pij V. conſtitutiones, quarum neutra loquitur de ſocietate officij, imò illa Sixti decernit ſolum illicitas illas ſocietates, in quibus ſors non ſubiacet periculo; & illa Pij V. loquitur de cenſibus.

Contra eandem ſubextenſionem firmat in terminis Surd. conſ. 162. memini. ſub nu. 38. & ſeqq. quem reprobaui ſupra ſub num. 209. verſ. quicquid. dum contra Nauar. à nobis ſupra citatum, ſcribit, quòd ſi Titius debitor Meuij ex cauſa mutui, non habens promptam pecuniam, conſtituit in re ſua cenſum annuum, quem vendit, vel dat in ſolutum eidem Meuio pro quantitate, quam ei debet, cenſus tenet etiam in terminis conſtitutionis Pij V.

221 Quid dicendum, præſertim in articulo confirmationis?

Concludo primo, ſubextenſionem, attenta Pij V. conſtitutione, eſſe veram in foro fori; ſecus in foro conſcientiæ, per ea, quæ dixi ſupra num. 213. & ad Hier. Gabriel. qui tenet contrarium in foro fori, poteſt abundè reſponderi, ex his, quæ ſcripſi infra num. 229. & ſeqq.

Concludo ſecundo, veram eſſe eodem modo confirmationem, videlicet in foro fori tantum, & conſequenter diſcedo ab Azorio, qui eam tenet in vtroque foro; & maximè diſcedo, quia ipſe in caſu, quo ſocietas contrahitur non pecunia numerata, ſed mercibus æſtimatis loco pecuniæ, reprobat ſocietatem ſolùm in foro fori, non autem in foro conſcientiæ, prout eum retuli infra nu. 231. & tamen ille caſus eſt ex eadem farina, imò magis ſuſpectus in foro conſcientiæ, per ea, quæ ſcripſi infra num. 230.

222 Subextende quarto, vt procedat etiam ſi venditor non probet, ante cenſus contractum præceſſiſſe tacitum pactum de ſtatim reddendo pecuniam emptori; quia hoc pactum, ſeu conuentio, & multò minus eius probatio non eſt neceſſaria ad inualiditatem cenſus, ſeu alterius contractus, in quo ex ſui forma ſit præcisè neceſſaria ſolutio vera: & moueor, quia eo ipſo, quòd creditor, & debitor mutant ſolùm cauſam crediti, & debiti, nulla poteſt interuenire ſolutio, niſi ſimulata, & ficta; & ſimulata, ſeu ficta ſolutio dicitur illa, in qua pecuniæ dominium non mutatur: quòd autem creditor & debitor mutent ſolùm cauſam, patet quia ſecundo contractu extinguunt primum: ſecus tamen

esset, quando secundo non extinguerent primum.

223 Hinc noto, quòd ineptè Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num.88. gl.3.14. q.3. dixit, quòd si emens censum erat creditor pretij, quo censum emit, & ideo pretij pecuniam, quam soluit, statim retrahit, est tutus in foro exteriori, nisi probari possit, quòd ante pretij traditionem fuit conuentum, vt accipiens, illud statim redderet: superfluè etiam eadem ratione solutionis cōditionem considerat Io. Azor. quem, prout loquitur, secutus sum supra num.212.in prima subextensione, dum dicit, censum esse nullum, si emptor, qui est creditor vendentis censum, hac conditione pecuniam soluat, vt sibi incontinenti reddatur: nam dico, quod illa conditio de se patet; quia res magis quàm sermo loquitur.

224 Imò amplius dico, quòd etiam si constaret, emptorem census soluisse pecuniam, & tamen non appareret, sibi fuisse incontinenti redditam, adhuc census esset nullus, supposito, quòd contractu census annulletur obligatio alterius contractus præcedentis: quia hæc duo sunt incompatibilia, & non possunt simul stare, quòd quis verè soluat suo creditori id, quod iste creditor sibi antea debebat ex alio contractu; &, soluendo, extinguat etiam suum creditum: nam si verè solueret, non esset compensatio; si non esset compensatio, remaneret primus contractus.

225 Declara primo has subextensiones, vt huic census nullitati possit occurri, adita gratiæ Signatura, quæ, citato censu venditore, & constito sibi de vero credito, facilè dispensando solet sanare hanc nullitatē.

226 Declara secundo, vt quamuis contractus census sit nullus, tamen non sit creditori sublata via agendi ad interesse, quatenus ei debeatur, præsertim in casu secundæ subextensionis, positæ supra num.215.

227 Extende secundo idem quartum requisitum, de quo supra nu.209. vt pecuniæ præsentis numeratio actualis adeo sit necessaria, vt alia res, seu aliæ merces in eius locum supponi non possint, quamuis merces iusto æstimarentur pretio loco pecuniæ, Virg. de Boccar. tract. de censib. par. 2. num. 50. quem sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap.8. q.2. & in foro exteriori non discedit Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num.88. in gl.3.14.q.3. hancque extensionem laudat Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 59. vers. ad hæc.

228 Confirmatur hæc extensio, quia in censu vera & actualis numeratio pecuniæ videtur magis necessaria, quàm in societate officij, cum in societate officij requiratur ex vsu, & ex ratione, vt dixi num. seq. & in censu requiratur ex forma tradita per constitutionem Pij V. vt dixi supra num. 209. & seqq. & infra num. 232.

229 Sed in contractu societatis officij requiritur pecunia numerata, alias societas non tenet, etiam quòd merces darentur æstimatæ loco pecuniæ, Franc. Castrac. tract. de societ. offic. cap.7. sub num.7. vers. sed in contrarium. & num.8. & seqq. iunctis nu. 3.

230 & seqq. † & ratio est, quia mutuum eo vinculo contractum, vt mutuatarius vel in totum, vel in partem accipiat à mutuatore loco pecuniæ tot merces, quibus mutuatarius non indiget, est mutuum vsurarium, cum ex illo mutuo inducatur obligatio mutuatarij ad emendum illas merces, quæ obligatio est pecunia æstimabilis, vt scribit Sot. de iust. & iur. lib.6. q.1. art.2. col.6. fol. 535. quem latius secutus sum infra num. 570. vers. ratio quare.

Sed iste, qui vult accipere pecunias in societate officij, cogitur accipere merces, & eas quasi emere, quia non inuenit, qui ei det pecunias, quibus & non mercibus indiget: imò quando loco pecuniæ numeratæ dantur merces, tunc ratio præcipua, ob quam iste contractus conceditur, cessat: ratio enim quare fuerit permissus iste contractus, est, quia is, qui volebat emere officium, aliquando non habebat totam pecuniæ quantitatem, vt dixi infra num. 262. Ergo merces loco pecuniæ dari non possunt, quia officialis mercibus officium emere non potest, nisi mediante aliquo stocco, cui facilè via aperiretur, vt aduertit Castrac. d. cap. 7. in fine.

Si ergo requiritur pecunia in contractu societatis; à fortiori requiritur in contractu census.

231 Nec obstat, quòd, consulendo contra hāc minorem propositionem, Hier. Gabr. cons. 81. in specie num.5. lib.1. scripserit, societatem officij contractam, datis mercibus loco pecuniæ, esse adhuc validam, eique sic consulenti adhæreant in foro conscientiæ Virgin. de Boccar. tract. de societ. offic. num.68. versus finem, iunctis num. 64. & seqq. & Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 9. tit.

tit. de societat. cap. 10. quæst. 2. col. 781.

Quia respondeo, quòd contra illud consilium in prima parte, de qua scripsi supra num. 218. vers. contra hanc, videlicet quando socius conuertit creditum in societatem officij, tenuit Io. Azor. quem secutus sum supra num. 217. vers. confirmatur. & contra secundam partem, de qua in ista obiectione, videlicet, quando in ipso societatis contractu socius non conuertit creditum præcedens in societatem officij, sed in ipso contractu loco pecuniæ numerandæ tradit merces æstimatas, tenet, respondendo Gabrielis rationibus, Castrac. citatus num. præced.

Declara hanc extensionem, vt procedat in foro exteriori ad obuiandum fraudibus vsurarum; secus in foro interiori, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 88. in fine. 14. q. 3. quia, stando in iure naturali, hoc non repugnat, Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 59. vers. ad hæc, & in foro conscientiæ attenditur ius naturale, & non positiuum, quod fundatum sit in præsumptione fraudis, quia quando verè cessat fraus, illud ius positiuum cessat in foro conscientiæ.

232 Extende tertio, vt actualis pecuniæ vera solutio debeat fieri, præsentibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoq; pretio; sic disponente Pij V. constitutione: voluit enim sanctissimus ille Pontifex quoad potuit obuiare simulationi, & fraudibus, cum iste contractus videatur exorbitans, & ideo illum permittendo, exorditur à permissione negatiua, *statuimus, censum, seu annuum redditum creari, constituiue nullo modo posse, nisi in re immobili, &c.*

233 Restringe primo istam extensionem, vt non procedat in solutione per cedulam bancariam, quia sufficit, vt in actu celebrationis instrumenti coram testibus, & notario detur cedula bancaria, cuius vigore vera solutio postea sequatur, vt secutus sum §. seq. gl. 5. num. 63. & 64. & ratio est, quia Pij V. constitutio videtur prohibitionem restringere ad pretium prius receptum, & non ad recipiendum, de quo verè constet, quia in eo non potest considerari fraus.

234 Restringe secundo, vt hoc requisitum procedat solùm ex dicta Pij V. constitutione, & ideò non procedit in censibus, contractis ante Pij V. constitutionem, quia ante Pij V. constitutionem poterat debitum ex vna causa conuerti postea in debitum ex causa census; vt ex Rot. secutus sum supra num. 216. in 3. subextens. & quòd, circumscripta hac Pij V. constitutione, census possit constitui ex pecunia mutuo data, sequuntur Foller. tract. de censib. in verbo, census enim num. 95. tom. 6. par. 2. fol. 145. Redoan. de reb. eccl. non alien. rubr. 16. nu. 61. tom. 15. par. 2. fol. 419. in fine, & communiter omnes; nam debitum ex vna causa potest conuerti in aliam, vt retuli supra n. 219.

235 Declara dupliciter easdem extensiones, prout declaraui supra num. 225. & 226.

236 Quinto requiritur, vt census sit redimibilis quandocunque ad libitum venditoris, sic disponente Pij V. constitutione, & sic census quoad venditorem est ad eius libitum resoluibilis, restituto pretio, quo census fuit venditus, Rot. diuers. decis. 139. fuit resolutum. num. 2. coram bon. mem. Card. Pamphilio in Rom. census. 29. Nouembris 1599. in impressis Romæ anno 1615. huicq; facultati redimendi etiam spatio centum annorum, & vltra præscribi non potest, quamuis alias præscriptio reputetur vtilis Reip. ad minuendas lites; ideoque pacto redimendi quandocunque, & semper, apposito à venditore in venditione aliarum rerum, præscribatur spatio triginta annorum, vt scripsi infra §. 7. gl. 7. sub num. 3. sed ex parte emptoris est semper perpetuus, Rot. diuers. decis. 206. contractus. num. 1. in fine, coram eodem, in Foroliuien. rescissionis contractus, ven. 19. Decembris. 1603. in eisdem Romæ impressis; & ita procedit quod scripsi supra sub nu. 188. & quòd, circumscripta etiã Pontificia constitutione, pactum, vt venditori liceat censum redimere quandocunque, sit licitum, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. concl. 2. col. 3. initio, fol. 595.

Ratio huius requisiti illa esse potest, quia cum legislator ex vna parte cognouisset, commercium hoc quampluribus agitari difficultatibus, vsuram respicientibus, & ex alia parte commercij necessitas vrgeret, hoc prudenter inter alia adhibuit temperamentum, vt suspecti, ac difficilis commercij vita potius moritura, quàm perpetua statueretur.

237 Extende primo hoc requisitum, vt ista facultas redimendi censum sit adeo necessaria, vt nullo temporis spatio, nullove pacto in contrarium præscribi, aut tolli possit, & proinde census perpetuus non redimibilis, attenta præfata Pij V. constitutione, est prohibitus, nullus, & vsurarius, Virgin. de

Boccat.tract.de censib.par.2. num. 37. & in effectu Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10.tit.de censib.cap.17. q.1. vers.postremo cæteræ. & seqq.& præsertim in vers.secundo dicendum. col.839.

238 . Contra hanc extensionem, quòd enim census perpetuus irredimibilis sit nō solùm licitus,& ematur in aliquibus locis,vt refert Io.Azor.d.q.1.& vers.deinde.& vers.postremo cæteræ . sed sit magis licitus,quàm redimibilis ; siquidem redimibilis maiorem effigiem præseferre videtur mutui, ac subinde vsuræ; nam quò minus est in venditore redimendi facultas,eò maior est in cōtractu ratio emptionis, ac subinde minor vsuræ suspitio; & consequēter minorem habet vsuræ repræsentationem census perpetuus, quàm temporalis, scribit Sot.de iust.& iur. lib. 6. q.5.art.3. concl.4. col.4. fol. 595. & facit, quod scripsi supra sub nu.175.ibi,& ego vltra. & quòd census irredimibilis non sit de sui natura illicitus, scribunt Lud. Molin. de iust.tom.2.de contract. disput.391. claus.9. vers.arbitror tamen. & Io. Azor. d. cap.17. q.1.vers.in hac re. &, nulla excitata dubitatione, licitam esse emptionem census irredimibilis, testatur, & sequitur communem esse sententiam Leonar.Less.de iust.& iur.lib. 2.cap.22.num.34.

Nec obstat, quòd pretium census irredimibilis videatur semper iniustum, cum certum sit, quòd veniet dies, quo pensiones solutæ erunt in tanto numero, vt longè sortem datam excesserint, & in dies amplius excessuræ sint.

Quia respondeo,quòd,attenta hac ratione, omnis emptio prædij frugiferi esset iniusta, quod est absurdum, & contra totam praxim, & vniuersalem obseruantiam.

Retenta extensione, quæ seruatur in pra-239 xi, cum præfata Pij V. constitutio clarè loquatur, & opinio contraria posset procedere solùm, circumscripta præfata constitutione, & in terminis iuris communis, vt aduertit Azor.d.cap.17.q.1.vers.duo hic.col.839.

Subextende eam, vt procedat etiam si census irredimibilis emeretur longe maiori pretio, & quasi duplo, quàm census redimibilis, Virg. de Boccat. & Io. Azor. in locis supra proximè citatis; quod etiam (subobscurè tamen) videtur sensisse Lud.Lopez.de contract. lib.1. cap 59. vers. deinde suo ordine, licet enim is dicat,quòd vsus acceptat hunc censum irredimibilem, supposito, quòd soluatur pretium census irredimibilis; tamen postea subdit, quòd lex consilio valde maturo sanctè statuit, vt venditores censuum possint illos redimere, & clarè Franc. Garc.de contract.cap.28.num.13. & 14. in 7. conclusione.

Quicquid in contrarium scribant Lud. Molin.d.disp.391.claus.9.vers pars tamen. & seqq. & ante eum Nauar.in cap. si fœneraueris.num.98.in fine,14.q.3.dicens,quòd præfata Pij V. constitutio non videtur includere censum perpetuum, qui longè maiori pretio, & quasi duplo, quàm redimibilis constituitur, quoniam in eo videtur cessare ratio præsumendi mutuum vsurarium, cum cessent facultas redimendi,& paruitas pretij, quod illa facultas minuit.

Infero ex eadem extensione, annuos redditus,qui pretio vendūtur à Rege Hispaniarum,& peculiari nomine appellantur, *iures*, non benè forsan emi vti irredimibiles, quia annuorum redituum emptio non videtur posse iustificari,nisi per viam contractus censūs, qui ex Pij V.constitutione debet esse redimibilis; quamuis Lud. Molin. de iust. tom.2.de contract. disput. 383. vers.in hoc regno. supponat, eos esse etiam irredimibiles, & vti tales latè conetur defendere, interpretando, seu verius vim inferendo Pij V. constitutioni, disput. 391. claus.9. vers. ducor primo. & seqq.

Extende secundo, vt hæc facultas redimendi competat tam pro toto censu simul, quàm membratim per partes,Nauar.in cap. si fœneraueris.sub num.85. in 5. condit.&, articulo discusso,sub num.101.& seqq. vers. pro parte.14.q.3.Virgin.de Boccat. tract de censib.par.2.num.106.& quòd hoc expressum sit in constitutionibus Martini V. & Calixti III. licet Pij V. constitutio nihil de hoc disponat, scribit Io. Azor.de instit. moral.par.3.lib. 10.tit. de censib. cap. 17. q.3. & vers.dicendum igitur. col.840. & 841. & quòd de iure naturali possit census per partes extingui, nullo etiam super hoc apposito pacto, scribit (sed confusè) Azor.d.vers. dicendum igitur. idque videtur concludendum ex rationibus, quibus Foller. tract. de censib. in verbo, vt vides.sub num.37.tom. 6.par.2. fol.151. mouetur ad tenendum, quòd vnus ex hæredibus vendentis censum possit cogere emptorem ad retrouendendum sibi partem suam dicti census, dicens, quòd propterea in Ciuitate Neap. stylus notariorum

tariorum inoleuit, apponere clausulam (qui non possit redimi, nisi in totum.)

Confirmatur hæc extensio, quia licet Azor. supra citatus, dicat hanc extensionem non colligi ex Pij V. constitutione; tamen Nauar. supra citatus, eam colligit ex illis verbis, *postremo census, &c.* nam Pontifex in ea constitutione, postquam dixit, re perempta in parte, pro ea parte extingui censum, subdit, posse censum pro eodem pretio extingui, quasi vnica sit *illius* constitutionis determinatio, quæ debeat pariformiter determinare.

Contrariam opinionem, nempè, quòd emptor non cogatur retrouendere partem, nisi redimatur totus, tenent Bened. Bon. tract. de censib. num. 123. art. 90. tom. 6. par. 1. fol. 175. & 176. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. num. 73. hancque esse communem opinionem, etiam in casu, quo vnus ex hæredibus venditoris velit redimere partem suam, testatur (licet eam non sequatur) Foller. in loco supra proxime citato.

Pro huius contrarietatis resolutione, omissis conclusionibus, quibus procedunt Franc. Garc. de contract. cap. 28. sub nu. 16. vers. diciamo à questa. & vers. seqq. & post eum Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 59. vers. pro decisione. & vers. seqq. breuiter distinguo duos casus.

Primus casus est; quando in contractu census est appositum pactum affirmatiuum, quòd liceat redimere censum membratim, & per partes, vel pactum negatiuum, quòd non liceat: & isto casu concludo, seruandum esse pactum, quia nec istud pactum negatiuum est contra naturam census, etiam stante constitutione, quòd census possit redimi per partes, hancq; conclusionem tenent Sot. de iust. & iur. *lib. 6.* q. 5. art. 3. concl. 4. col. penult. fol. 596. & Franc. Garcia d. cap. 28. vers. diciamo secondariamente.

Quicquid in contrarium scribant Nauar. in d. cap. si fœnerau eris. sub num. 85. in 5. condit. & sub num. 101. vers. pro parte. 14. q. 3. & Io. Azor. d. q. 3. dicens, quòd constitutio Pij V. de hoc non loquitur, & aliæ duæ constitutiones Martini, & Calixti hoc pactum non condemnant, & postea vers. dicendum igitur. col. 841. quasi se ipsum corrigendo, dicit, hoc pactum negatiuum fas non esse apponere.

Declara primo hanc conclusionem, vt si emptor maiori emerit pretio censum, quia est appositum pactum negatiuum, tunc contractus census non solùm non sit vsurarius, sed neque iniustus in foro conscientiæ, & sic de iure naturali, secus si emptor emerit eodem pretio, quo emitur census sine isto pacto negatiuo, quia tunc licet census non sit vsurarius, tamen esset iniustus, Sot. d. art. 3. concl. 4. & de communi testatur Molin. de iust. tom. 2. disput. 393. vers. cum pius. & quòd ex natura rei, circumscripto iure positiuo, possit hoc pactum apponi, scribit Azor. d. vers. dicendum igitur.

Subdeclara hanc declarationem, dum dixi, pretium esse iniustum, nisi augeatur pretium, quando est appositum pactum negatiuum, vt non procedat, quando venditor census habet facultates idoneas ad redimendum totum censum vnica redemptione; secus si venditor esset pauper, quia tunc pretium, nisi fuisset auctum, esset iniustum; Lud. Lopez. d. cap. 59. vers. quarta cõclusio.

Declara secũdo, vt si in contractu census sit expressum quotam partẽ liceat redimere qualibet vice, tunc illam, & non minorem licebit redimere; sed si non sit expressum, & in redemptione, membratim facienda, oriatur discordia, tunc standum erit arbitrio prudentis iudicis, quia non debet venditor adeo minutatim velle redimere, vt damnum inferat emptori, præsertim si emptor sit pauper, & venditor diues, vt ostendunt Sot. d. concl. 4. versus finem, Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 59. vers. secunda conclusio. & ita, loquendo in foro conscientiæ, scribit intrà dentes Azor. d. vers. dicendum igitur.

Secundus casus est; quando in contractu census nullum est ex prædictis appositum pactum, sed solum est appositum pactum simplex de retrouendendo, seu etiam istud est omissum, quia satis est intellectum per constitutiones Martini V. & Calisti III. & isto casu concludo, veram esse opinionem contrariam extensioni, quòd emptor cogatur retrouendere totum, sed non membratim per partes, & ita vbique seruatur, Garc. d. cap. 28. versus finem, sub num. 16. vers. diciamo secondariamente. Lud. Lopez d. cap. 59. vers. verum à nobis. & vers. insuper. & Lud. Molin. de iustit. tom. 2. de contract. disput. 393. vers. cum pius. & vers. seq. ego cum domino.

Ratio conclusionis in hoc secundo casu est, quia præfatæ constitutiones, quæ volunt, cẽsum redimibilem posse redimi membratim,

bratim, & per partes,non intendunt cogere emptorem ad retrouendẽdum membratim, & per partes, ſed intendunt ſolum diſponere, & declarare,quòd contrahentes cenſum, poſſunt paciſci, quòd emptor teneatur retrouendere etiam per partes; vt ſcribunt Garc. d.cap.28. ſub num. 16. verſ.diciamo ſecondariamente. ibi, hora la determinatione. & Lud.Lopez d.cap.59.verſ.inſuper. nam licet in illis conſtitutionibus approbentur cenſus, qui proponebantur initi cum pacto de retrouendendo etiam per partes; tamen non ſequitur, omnes cenſus eo pacto eſſe celebrandos,alioqui fore iniuſtos, Molin.d.diſput.393.verſ.ego cum domino. & quòd Pij V. conſtitutio non ſtatuerit, vt emptor teneatur retrouendere etiã per partes, ſcribunt idem Lopez d. verſ. inſuper. in fine, & Lud. Molin. d. diſput. 393. verſ. ego cum domino. iuncto verſ. præcedenti, cum pius.

Ratio rationis, quare conſtitutiones prædictæ hoc non iuſſerint, ſed ſolùm declarauerint, eſt, quia cum cenſus ſit contractus emptionis, & venditionis, & in aliarum rerum (puta domus) venditione hoc pactum retrouendendi etiam membratim ſit forſan parum adaptabile iuſtitiæ,ex quò nulla pars domus proportionabiliter, & determinatè reſpondeat partibus pretij; operepretium fuit, declarare, hoc pactum in cenſu eſſe multum adaptabile iuſtitiæ; ſi quidem in cenſu ſemper inuenitur certa, & determinata proportio inter ſortem cenſus, & eius penſionem; etenim ſi ſors principalis cenſus impoſiti ſuper domo ſint ſcuti centum, & penſio annua ſint ſcuti quinque,planum eſt, quòd vnum penſionis, & viginti ſortis habent ita certam, & determinatam proportionem, & æqualitatem, vt nulla poſſit alteri contingere læſio; Lud.Lopez. d. cap.59. verſ.ad ſecundum.

Extende tertio,vt procedat tàm in annuo cenſu pecuniario,quàm in annuo cenſu non pecuniario, quia vterque dicitur cẽſus conſignatiuus, & vtrique conuenit diſpoſitio conſtitutionis Pij V.vt ſcripſi ſup.ſub n.200. nulla enim diuerſitatis ratio reddi poteſt.

Reſtringe primo idem requiſitum, vt non ſit neceſſarium in cenſu reſeruatiuo, neque in cenſu,qui aliter quàm contractu emptionis conſtituerentur, quia Pij V. conſtitutio hos cenſus non comprehendit, quod etiam dixi ſupra ſub num. 200.& ſic hi cenſus poſſunt eſſe redimibiles, & perpetui, prout concedens diſpoſuerit.

Reſtringe ſecundo, vt non habeat locum in cenſu vitalitio, quia iſte ex ſui natura, participante de ſponſione,habet redimibilitatem per mortem eius, ſuper cuius vita emitur, vt dixi ſupra num.190.& 191.

240 Sexto requiritur, vt pretium cenſus ſit iuſtum, Lud.Lopez de contract. lib.1. cap. 58.initio, & Io.Azor.de inſtit.moral.par.3. lib.10.tit.de cenſib.cap.8. verſ.ſexta vt pretium. & licitas eſſe annuorum redituum emptiones, ſi modo fraus abſit, & interueniat iuſtum pretium, latè refert, & ſequitur Tiraq. de retract. lign. §. 1. gl.6. num. 15. verſ.ſed dubitari.& num.16. verſ.verum huiuſmodi. in fine.

Ratio huius requiſiti eſt clara, quia iuſtitia commutatiua, quæ eſt neceſſaria in contractu, oritur principaliter ex iuſtitia pretij.

241 Declara primo hoc requiſitum, vt pretium iuſtum requiratur magis intuitu vendentis cenſum, ne in eo lædatur, quàm intuitu ementis, vt latè declaraui infra q. 7. par.2.ampl.10.num.69.& 70.

242 Declara ſecundo,vt quamuis iuſtũ cenſus pretiũ poſſit eſſe maius fructu, quem reddit fundus, ſuper quo cenſus imponitur, vt puta, quia cẽſus ſit ad rationem octo pro centenario, & fundus reddat fructum ad rationem quinque; & iſte cenſus toleretur, eo quia facultas redimendi minuat valorem, ſeu pretium annui redditus, vt declaraui infra q.7.par.2.ampliat.8. num.36. & ſeqq. Tamẽ fundus, ſuper quo imponitur cenſus, debet reddere tot fructus, quot capit cenſus, vt ſecutus ſum ſupra num. 176. & 177. confirm.1. quare ſi annuus cenſus ſit ſcutorum decem pro centenario, & fundus, ſuper quo imponitur, reddat ſolùm quinque pro centenario, iſte fundus debet valere, non ſolùm illis cẽtum, ſed debet valere ducentum: & ſic cenſus eſt validus: alias ſi valeret ſolùm centum, cenſus non poſſet ſuſtineri, niſi pro quinque annuis, & non pro decem, per ea, quæ ſcripſi ſup. d. num.177.

243 Extende hanc declarationem, vt procedat etiam in cenſu vitalitio, quia etiam in eo requiritur, vt res, ſeù bona imponentis illum cenſum ſint apta ad reddendam illam annuam penſionem, alias ſi eam non redderent, vel non redderent tantam, cenſus non teneret, ſeu non teneret pro illa parte: & dato quòd cenſus perſonalis valeret, iuxta

ta ea, quæ scripsi supra num.204. procederet hæc extensio etiam in eo, quia si ex persona, super qua constitutus esset census, non posset capi tanta vtilitas, census pro ea parte non teneret.

Ratio omnium semper est, quia, deficiente fundamento, corruunt ædificata.

Pro vlteriori explicatione huius extensionis adde, quæ scripsi supra sub nu.178. vers. explica. & infra nu.305. in fin. vers. amplia.

144 Declara tertio, vt iustum pretium census, quod dicatur, Doctores quos citaui infra q.7. par.2. ampl.10. num.80. & 81. multum inter se dissentiant: Illud tamen est certum, & in praxi communiter receptum, vt pretium summum etiam census extinguibilis ad libitum venditoris excedere non possit vnum pro decem, & sic decem pro centum, etiam in illis locis, in quibus magna est pecuniæ penuria; & hoc ex constitutione Martini V. & Nicolai V. quibus in hoc Pij V. constitutio non derogat, per ea, quæ scripsi d. ampl.10. num.81.

145 Septimum requisitum, omissis alijs, est, vt vbi res censualis vendenda sit, dominus census alijs omnibus præferatur, eiq; denuntiari debeant conditiones, quibus res vendenda sit, & per mensem expectari, sic iubente Pij V. constitutione, de censib. quod requisitum habet locum etiam in alienatione rei, quæ habeat vicinos; si enim aliqua domus, siue fundus, siue vinea, aut solum, volente sua sponte domino, vendendum erit, tenetur venditor perquirere à vicinis quotquot erunt, qui rem aliquam immobilem, illi contiguam, habuerint (etiam si se empturos nullo modo antea professi sint) an aliquis eorum velit rem vendendam emere, eisq; pretium, atque omnia pacta, & conditiones, quibus cum alio verè, omniq; procul fictione contraxit, intimare, &c. sic disponente Gregorij XIII. constitutione, de ædificijs, & iure congrui. vers. sed & cum. num. 8.

Super quo requisito tres excito difficultates.

Prima est. An hæc prælatio ad fauorem domini census habeat locum etiam si res sit vendenda ex necessitate in causa iudicari plus offerenti per subhastationem, & adiudicationem, faciendam creditori, oblatore non reperto.

Prima sit opinio, quòd non habeat locum, & moueor ex tribus.

Primo, quia etsi illa constitutio loquatur indistinctè, tamen debet recipere distinctionem, quam recipiunt alia iura, & constitutiones etiam municipales, loquentes de simili prælatione in re vendenda, qualis est, vt dixi, constitutio in Vrbe, in Regno Neap. & in Regno Franciæ, & alibi, quæ mandat, vicinum, seù consanguineum præferri alijs emptoribus non vicinis, seu non consanguineis, super qua Regni Neap. constitutione scripsit Afflict. & super constitutione Regni Franciæ latè Tiraq. de retract. lignag. eadem enim ratio, quæ restringit præfatas constitutiones, restringit etiam constitutionem de censibus.

At præfata constitutio de iure congrui, & de retractu admittit hanc restrictionem, seu distinctionem, vt habeat locum in re, sponte alienanda, seu vendenda; non autem in re, coactè alienanda per dationem in solutum, factam per iudicem, Affl. in constitut. sancimus. §.3. num.16. & 26. tom.17. fol.11. Fab. de Mont. tract. de empt. & vend. in 14. q.4. princip. sub num.39. tom.6. par. 1. fol. 47. & latè Tiraq. qui alios more suo congerit tract. de retract. lign. §.1. gl.14. num.8. vers. secundo intellige. num.9. & proprius num.11. vers. & generale. fol. 144. & 145. Neapod. in consuet. Neap. de iure congrui. si quis emit. num. 6. & in datione in solutum necessaria, quæ fit per iudicem, scribunt ibidem Steph. de Caieta, & Mar. Freccia fol. 327.

Confirmatur hæc secunda propositio ex citata Gregoriana constitutione de ædificijs, & iure congrui, vbi Pontifex, qui erat etiam Iurisconsultissimus, ideoq; præuiderat fore, vt dubitaretur, an illa constitutio haberet locum etiam in re coactè vendenda, tollendo dubitationem, & tacitè approbando adductam distinctionem, locutus est apertè de re vendenda, volente sua sponte domino; quæ tacita approbatio debet esse nobis solida interpretatio in similibus constitutionibus.

Ergo eandem distinctionem, seu restrictionem debet admittere constitutio de censibus.

Secundo moueor, quia, concurrentibus dominò census, & vicino, debet præferri vicinus, vt dixi infra vers. concludo. ergo absurdum est, quòd in re, vendita coactè per subhastationem, excludatur vicinus, & admittatur dominus census: quia si vicinus exclu-

excludit censuatorem, & emptor rei subhastatæ excludit vicinum, à fortiori excludet censuatorem ex regula (si vinco vincentem te, à fortiori vinco te) de qua regula Paris. cons. 47. si consideramus. sub num. 18. lib. 3. & Gabr. in conclus. lib. 4. tit. de success. ab intest. concl. 4. vbi ponit limitationes.

Tertio moueor, quia præfata constitutio de censibus prius prohibet, ne in contractu census apponantur pacta, adimentia, aut restringentia facultatem alienandi rem, censui suppositam, & loquitur illa constitutio de pactis, adimentibus facultatem alienandi voluntarie, quia quoad alienationem, quæ fieret ex necessitate iuris, & ex dispositione legis, vana fuisset prouisio, quòd pacta, impedientia hanc alienationem, non apponerentur, cum lex ipsa satis illa reijceret; quare cum illa constitutio immediatè postea loquatur de re vendenda, debemus interpretari, vt loquatur etiam in venditione voluntaria; quia in dubio præsumendum est, vt eo modo, quo superius sumpsit alienationem, eodem sumat inferius; præsertim quia in alienatione necessaria vrgebat sententia Doctorum in contrarium, adeo vt requireretur expressio.

Non obstat, quòd Tiraq. in d. gl. 14. sub num. 18. vers. sed antequam. motus ex auctoritate Baldi in cons. 300. statuto cauetur. lib. 1. dicat, quòd deliberatio, facta in subhastatione plus offerenti, non est datio insolutum, sed est mera venditio.

Quia resp. quòd quicquid sit de hoc, sicut statutum, loquens de alienatione, non habet locum in alienatione necessaria, sed solùm in alienatione voluntaria, vt dixi supra vers. at præfata. quamuis alienatio necessaria sit vera, & mera alienatio; ita etiam statutum, loquens de venditione, non habet locum in venditione necessaria, quamuis esset vera venditio.

Minus obstat, quòd factum iudicis censeatur factum partis, sicq; paria sint, quòd aliqui spontè vendant & emant, vel emant & vendant facto iudicis, rem creditori, vel alteri vltimo licitatori adiudicantis; & hac forsan ratione aliquę consuetudines expressè disponant, vt ius congrui locum habeat etiam in venditionibus, quæ fiunt à iudice in vim iudicati, vt scribit Tiraq. d. gl. 14. num. 13. & 12.

Quia resp. quòd adhuc remanet coactio; factum enim iudicis censetur factum creditoris, ad cuius instantiam Iudex cogit debitorem ad vendendum; quare non dicemus, quòd isto casu factum iudicis sit factum debitoris, qui velit sponte vendere, sed dicemus, quòd sit factum creditoris, qui vult cogere debitorem ad vendendum.

Secunda opinio, contraria præcedenti, est, quòd prælatio habeat locum, quia in iure congrui contrariam opinionem, nempè, quod ius congrui habeat locum in venditione necessaria, facta per subhastationem plus offerenti; imò etiam in datione insolutum, facta ipsimet creditori pro pecunia, ei debita, quia est adhuc vera venditio, tenent ij, quos citat, & sequitur Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 370. vers. dubium est si res. quibus addi possunt Io. Ang. Pisanel. & Camil. Saler. in consuetud. Neap. de iure congrui. si quis emit. post Neapod. sub num. 7.

Nec obstat, quòd statutum, loquens de alienatione, non habeat locum in alienatione necessaria; quia resp. id posse procedere, quando statutum punit, seu aliter onerat alienantem; puta, quòd non possit alienare sine consensu domini directi, & quòd teneatur soluere laudemium.

Minus obstat, quòd Dec. cons. 222. viso puncto. sub num. 4. vers. vlterius tamen. & clarius vers. tertio principaliter. & num. 5. scripserit, quòd ista denuntiatio non requiritur, quando res venditur publicè sub hasta.

Quia respondeo, distinguendo etiam ex mente eiusdem Decij ibidem: aut denuntiatio requiritur solùm ad inducendam scientiam; & tunc procedit, quod scribit Dec. cum posit sufficere scientia, aliunde habita, etiam si sit præsumpta, vt in consuetud. Neap. de iure congrui, si quis emit. vbi datur annus à die scientiæ, &c. & ita in ea constit. notauit Neapod. num. 39. & clarius Io. Ang. Pisanel. in verbo, idem de scientia. fol. 333. in fine; aut denuntiatio requiritur pro forma; & tunc hęc scientia pręsumpta non sufficit, Dec. vbi supra; & proinde cum denuntiatio in re vendenda sit de forma, quia constitutionis titulus dicit, *super forma creandi census*. censuator non excluditur à prelatione, eo quia res fuerit vendita publicè sub hasta.

His non obstantibus, non recederem à prima opinione.

Secunda

Secunda difficultas est. Concurrentibus domino census, & vicino in re vendenda; quis eorum sit præferendus.

Concludo, præferendum esse vicinum triplici ratione: Prima, quia si diceremus aliter, facilè aperiretur via ad fraudandum vicinos iure congrui; si quidem vendens & emens, volentes excludere vicinum, prius inirent contractum census super eadem re vendenda: Secunda, quia hoc ius prælationis in re vendenda videtur introductum pro pacificè viuendo, ne coniunctus vicinus detur alicui, eius fortè non conueniens voluntati, & propterea, si rei vendendæ est coniunctus dominus vtilis, qualis est emphyteota, & ad eam emendam concurrant ipse emphyteota, & dominus directus, emphyteota erit præferendus, quia ipse possidet, & in possessore est consideranda ratio pacis, & bonæ congruentiæ, ob quas est introductum ius prælationis; hac enim ratione dicitur ius congruum, quia debeant vicini congruere, idest, simul gruere, quod est concordare, seu conuenire, sicut grues, quæ simul benè conueniunt, prout scribit Neapod. in d. consuetud. si quis emit. num. 33. hæcq; concordia, seu conuenientia tolleretur, si inimicus, vel alius malus homo, qui censum emisset, non postponeretur vicino; quia, vt est in vulgari prouerbio: *chi hà mal vicino, hà mal mattino*. & esset contra bonum publicum, si in re vendenda posset sine alterius dãno haberi ratio pacis, & quietis inter subditos, & non haberetur: Tertia ratio, quia ius vicini præcedit semper ius emẽtis censum, siquidẽ vicinitas oritur ex ipsa rerum existentia; at census imponitur deinde; & non est verisimile, quòd Pontifex voluerit tollere ius, alteri quæsitum, & ob hanc ipsam tertiam rationem ita tenuerunt Nauar. in cap. si fœnercaueris. sub num. 127. q. 44. 14. q. 3. in impressis Romæ in ædibus Populi Rom. anno 1580. quam impressionem aduerto, quia in impressione Veneta anno 1588. apud Zenarium deficiunt decem quæstiones, nempè à 36. vsque ad 46. & Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 394. versus finem, vers. sextum verũ. col. 648. & præsertim hæc ratio vrget Romæ, vbi post d. Pij V. constitutionem habemus constitutionẽ Gregorij XIII. sub num 8. quæ mandat, cæteris exclusis, vicinũ esse præferendum, & in fine habet solitam clausulam derogatoriam.

Quicquid contra hanc conclusionem, & speciatim contra hanc tertiam rationem tenuerit Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 2. num. 62. & 63. q. 44.

Tertia difficultas, quã in praxi nunquam vidi, est. Nunquid contractus census, à quo contrahentes expressè excludunt hoc requisitum prælationis, sit validus, vel potius illicitus, & vsurarius.

Concludo, quòd est validus, & licitus, quia hoc requisitum, seu conditio non videtur spectare de sui natura ad iustitiã census, ideoq; iustè potuisset omitti, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 91. gl. 7. 14. q. 3. nam hoc requisitum non continet ius naturale diuinum, neque modum præsumendi, censum esse vsurarium, quamuis sit æquum, Nauar. d. cap. si fœneraueris. sub num. 107. q. 6. quem sequuntur Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 391. clauf. 10. in fine, col. 636. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 22. num. 84. in 6. condit. & num. 71. dicens, posse in contractu census apponi eiusmodi pactum, quia non est iniquum, & sic secundum Less. tantum abest, vt hæc renuntiatio contineat vsuram, seu vsuræ suspicionem, vt solùm firmandum sit, posse licitè apponi pactum, quod debitor census non possit rem vendere, non requisito prius illo, qui in re censum habet.

Solidatur hæc conclusio ex his, quæ dixi infra, vers. ad primum.

Nec obstat, quòd Surd. cons. 282. constituendis. sub num. 1. vers. mihi verò. & seqq. lib. 2. contrarium firmet, septem adductis argumentis, quia omnia facilè soluuntur.

Ad primum enim, quòd constitutionis verba sint clara, resp. esse clara, quoad hoc, quòd Pontifex vult, emptorem esse præferendum; sed non sunt clara quoad hoc, vt si contrahentium pacto huic prælationi renuntiaretur, contractus census sit nullus, & fœneratitius, eo, quòd esset contractus contra formam constitutionis, quæ contractus, sub alia forma initos, iudicat fœneratitios; quoad hoc enim constitutio illa indiget interpretatione, quæ talis esse debet, vt constitutio appareat iusta, & ratione muniatur, ne alias veniret reprehendenda à sapientibus, & esset cadauer legis, non lex; quia sicut homo, spoliatus anima, remanet cadauer, sic etiam lex, sublata ratione, remanet cadauer legis per ea, quæ dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 18.

Sed si constitutio ob hanc renũtiationem iudi-

iudicaret censum fœneratitium, vtique videretur iniusta, & sine ratione; quia constitutio intendit remouere vsuram, & ea, quæ sunt suspecta de vsura, & introducere quæ ne dum vsura, sed vsuræ suspicione carent; & vsuræ suspicio oritur ex ijs, quæ tendunt ad ementis vtilitatem, non autem ex his, quæ tendunt in eius damnum, & ad vtilitatem vendentis, quia vsura consistit in accessione ad mutuum, non in diminutione; quare vsura committitur, quando mutuator recipit vltra sortem, non autem quando recipit infra eam, & emptor census videtur induere vestem mutuatoris, & venditor vestem mutuatarij; & ideo dato, quòd iustum cẽsus pretium sint 100. pro quinque annuis, & emptor minori pretio emere non possit; tamen venditor potest vendere pro 110. pro 120. 130. & 140. vt scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 69. sic etiam licet creditor in decem non possit stipulari, vt debitor teneatur ad vndecim; tamen debitor potest stipulari, vt teneatur solum ad nouem, vt secutus sum ead. ampl. 10. num. 70. in fine, & latius ampl. 8. sub num. 292. Item licet mutuator, cui mutuatarius soluit vltra sortem, committat vsuram, etiam si mutuatarius soluendo diceret, quòd illud vltra sortem, dat titulo donationis, quia præsumeretur coactè datum, & in fraudem vsurarum, vt secutus sum infra q. 7. par. 2. ampliat. 19. num. 65. & par. 3. limit. 20. num. 5. tamen solutio infra sortem, idest dimissio totius, vel partis debiti nõ solùm nõ est capax vsuræ, sed est actus virtutis, & charitatis. Ergo cum hæc duo, nempè, prælatio in re vendenda, & denunciatio facienda tendant ad emptoris vtilitatem, & non venditoris, sequitur, quòd ex huius vtilitatis remotione, nec verè, nec præsumptiuè considerari possit vsura, & consequenter non potuit constitutio disponere, vt census, in quo emptor remitteret hanc prælationem, præsumatur fœneratitius.

Confirmatur primo hæc responsio, quia licet Pij V. constitutio disponat, censum posse quandocunque extingui pro eodem pretio, tamen de voluntate emptoris posset sine vlla vsuræ suspicione extingui etiam pro minori, & hoc nullam admittit dubitationem.

Confirmatur secundo, quia non omnia, quæ præcipit illa constitutio, sunt pro forma contractus, ita vt, illis non seruatis, contractus sit nullus, & fœneratitius; siquidem sunt aliqua, quæ etsi apponantur contra dispositionem illius constitutionis, tamen non vitiant contractum, sed ipsa vitiantur, vt retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 20. nu. 9 & seqq. & præsertim nu. 11. & 12. & in hoc videtur deceptus Surd. d. cons. 282. in 5. argum. nu. 6. & seqq. dum censet, omnia esse de forma.

Confirmatur tertio, quia idcirco cũ mysterio illa cõstitutio aliqua disponit sub præcepto nullitatis cõtractus, aliqua sub præcepto contractus fœneratitij, & aliqua simpliciter, vt prælationem, & denunciationem in re vendenda: nouerat enim legislator, quòd quædam præcepta concernebãt substantiam census, quædam remotionem vsuræ, seu illius suspicionem, quædam verò iustitiam, & æquitatem contractus, vt sub alijs verbis eruditè explicauit Nauar. in cap. si fœnerateris. num. 105. & seqq. in 4. q. 14. q. 3.

Neque nos deterrere debet, quòd verba dictæ constitutionis, loquentia de prælatione in re vendenda, sint clara, vt dicit Surd. ideoque videatur temerarium illa interpretari: quia dico, quòd etiam lex euangelica in hac ipsa materia vsuræ, *mutuum dantes, nihil inde sperantes*. satis clara videtur, & tamen admittit omnes interpretationes, quas secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 82. & seqq.

Ad secundum, tertium, & quartum, quòd pluribus copulatiuè requisitis, non sufficiat vnum, & quòd clausula in fine posita respiciat æqualiter omnia præcedentia: respond. quòd aliter requiritur vnum, & aliter aliud: vnum enim ita requiritur, vt eo omisso, præsumatur fraus vsurarum, aliud verò non ita: & nego, quòd illa clausula posita in fine, referatur æqualiter ad omnia præcedentia, & ita in terminis eiusdem constitutionis negat Rot. diuers. quam secutus sum infra d. ampl. 20. num. 17. consolidaturq; hæc negatio ex his, quæ scripsi sup. vers. sed si constitutio. & vers. confirmatur tertio.

Ad reliqua Surdi argumenta patet solutio ex his, quæ dixi in præcedentibus: omnia enim facilè tolluntur.

Intellige conclusionem huius tertiæ difficultatis, vt procedat in terminis, in quibus loquitur, nempè, quando emens censum pacto expresso remittit hanc prælationem.

Secus quando emit simpliciter, nullo expresso pacto, quia tunc præferretur, etiam si emisset censum in terris, dominio temporali Ecclesiæ non subiectis; imò arbitror, quòd neque dominus, cui illæ terræ subiectæ

ftæ essent, auderet aliter statuere, cum ista prælatio sit satis æqua & iusta, per ea, quæ scribunt Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap.21.sub nu.71.& Surd. d.conf. 282. sub num.18. ibi, pontifex autem. & seqq. & ita procedat casus, super quo consuluit Surd.d. conf.282.

Alia requisita necessaria ad census consignatiui creationem, quæ sint, omitto, tu ea colliges ex Pij V. constitutione,& apud Nauar.in cap.si fœneraueris. num. 85. & seqq. vers.quoniam. 14.q.3. Bonins.tract.de censib.cap.4. vbi colligit 16.conditiones, Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78. art. 1.2. & 3.fol.433.& seqq.tom.2.Leonar.Less.tract. de iust.& iur.lib.2.cap.22.sub num.75.vers. conditiones. & num.76.& seqq. in quibus ponit 14. conditiones. Molin. de contract. disp.389.& seqq.tom.2. & Io.Azor. de instit.moral.par.3.lib.10. tit.de censib.cap.5. & seqq. vsque ad cap.18. inclusiuè, in quibus colligit 17. seu 18. conditiones.

246 An & quomodo interesse ob census, non solutos, debeatur, vide infra q.7.par.2.ampl. 8. num.58. in fine, num.294.& 296.

247 An ex contractu census amoueatur pactum illicitum, & remaneant licita, vide infra q.7.par.2.ampl.20.num.9.& seqq.

Quod sit iustum pretium census perpetui, & census redimibilis ad libitum venditoris, vide infra q.7.par.2.ampl.8. num.38. & 39. & ampl.10.num.69.80.81. & 82.

248 De censu vitalitio, eius pretio, & iustitia vide quæ scripsi sup. num. 239. in fine, restrict.2.& infra num.294.& seqq.

Pro vberiori huius contractus censualis cognitione vtile est, imponendo finem huic commercio census, scire, quòd census differt ab albergamento, locatione perpetua, siue emphyteosi, quæ idem sunt.

Census enim est duplex: reseruatiuus scilicet, & consignatiuus, vt dixi supra num. 197. & 198.

Reseruatiuus differt ab emphyteosi in pluribus. Primo, quia in isto censu transfertur dominium tàm vtile, quàm directum, in capientem, ita quòd nihil iuris super illa re remaneat penes concedentem; sed in emphyteosi transit in emphyteotam vtile tantum dominium, directo remanente apud dominum, Gl.in cap.6.cōstitutus. in verbo, iuxta ratam. versus finem, & Abb.num.20. not.2.de relig dom. Crauet. conf.20. quòd contractus. sub num.2.& conf.217. fuit in rerum. sub num.4. Clar. recept. sent. lib. 4. §.emphyteosis.q.1. vers.contractus autem. Lud. Molin.de iust. tom.2. de contract. disput. 381. vers. differt. col. 574. & concordant in effectu, quæ scribit Ias. in l. 1. num. 48.q.4. C. de iur. emphyteot.& quòd non sit de ratione census, quòd is, qui censum habet (quem censualistam aliqui vocant) habeat dominium directum in re, in qua census est constitutus, scribit Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.per vsur.acquis.q. 11. vers.ex hac.col. 1.fol.382. Vnde, propriè loquendo, censum dicimur soluere de re nostra, vt patet in censu, debito Impetatori, pensionem verò soluimus de re aliena, & sic ex contractu censuali soluitur census, & ex contractu emphyteotico soluitur pensio, quamuis generaliter vtamur promiscuè his nominibus, Abb.Clar & Molin. in locis supra proximè citatis. Secundo differt, quia ex non solutione census res non perditur, sed potest solùm censuarius compelli ad soluendum; at in contractu emphyteotico, si non soluatur pensio infra biennium Ecclesiæ, & infra triennium priuato, res incidit in commissum, Abb. in d. cap. constitutus. num.21.& Ias.in d.l.1.num.49. vers.nam inter contractum. & Lud. Molin. de iustit. tom.2.de contract. disput. 381. vers. secundo differunt. col.575. vbi de communi opinione; quinimo, quòd in contractu census non possit apponi hoc pactum, vt ob non solutionem census amittatur res, disponit constitutio Pij V. Verum aduerte, quòd illa constitutio loquitur de censu consignatiuo; non autem de reseruatiuo, in quo posse apponi hoc pactum, scribit Lud. Molin. d. disput.381.vers.dubium est. il 1.col.575.quia nihil repugnat, quominus donans, siue concedens rem suam alteri, non possit apponere legem, quam vult. Tertio differt, quia res censuaria potest alienari sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, & præsertim ex dispositione dictæ constitutionis Pij V. secus in alienatione rei emphyteoticæ, Lud. Molin. d. disput. 381. vers. tertio differunt. & scripsi supra num.187.

Consignatiuus census differt etiā à prædictis contractibus, idest, ab emphyteosi in omnibus, prout ab ea differt reseruatiuus; differt tamen & ipse à reseruatiuo in hoc, quòd census reseruatiuus soluitur ex re quidem propria, sed data ab eo, cui soluitur census; at consignatiuus soluitur ex re propria

pria, aliunde acquiſita, vt dixi ſupra nu. 197. 198. & 200. & hæc ſufficiant.

Reliqua, quæ ad cenſus contractum pertinent, vide apud Nauar. in cap. ſi fœneraueris. num. 69. & ſeqq. per totum, 14. q. 3. Lud. Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 381. & ſeqq. vſque ad diſput. 395. incluſiuè, Franc. Garc. & Lud. Lopez de contract. & alios Theologos, inter quos vide Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de cenſib. cap. 5. & ſeqq. & alia, quæ in materia poſſunt occurrere, videbis apud eos, qui de cenſibus particulares ediderunt tractatus.

Cenſualis inſtrumenti formula quæ ſit, eſt ſatis nota, eamve poteſt quilibet legere in modernioribus inſtrumentorũ formularijs.

DE LOCIS MONTIVM.

SVMMARIVM.

Montium loca ſunt licita, & iuſta, quamuis in eis pecunia videatur parere pecuniam, num. 249. *&* 251.

Montis loca qua ratione ſint licita, & quando illicita, num. 251.

Montium conditiones ſunt ſimiles conditionibus cenſus, num. 252. *&* 254. *Ideoque ſunt redimibilia, num.* 253. *& non vacabilia, niſi, &c. num.* 255.

Montis nomen in hoc commercio, vnde procedat, num. 250. *&* 440.

249 EXEMPLIFICA II. eandem ſeptimam ampliationem, poſitam ſupra num. 171. in emptione locorum montium, quia emptor, vt dixi in cenſu, videtur, effectu inſpecto, pecuniam pecunia emere, cum is ex pecunia, nullo labore, nullave induſtria adhibitis, certam annuam pecuniæ quantitatem acquirat, & capitale ſit ſemper ſaluum, vt patet ex his, quæ ſcripſi infra num. 465. verſ. confirmatur.

250 Hoc montis nomen vnde poſſit procedere, dixi infra num. 440. agendo de monte pietatis.

Hæc montium loca eſſe in Italia, & præſertim Romæ valde vſitata, & quomodo erigantur, ſeu inſtituantur à Principe, ſeu Rep. dixi infra d. nu. 465. verſ. confirmatur.

251 Vt iſta emptio, & venditio locorum montium ſit iuſta, & valida, requiritur præcipuè, vt etiam in cenſu dixi ſupra num. 177. & in ſocietate officij infra num. 272. in fine. & 276. quòd, calculatis reditibus montis, tantam mons accipiat pecuniam, quanta valent illi reditus, quare; ſi mons habeat in reditu ſcuta 4000. aureos, ex quibus pro ſingulis centum conſtituantur octo; ſupra hunc montem poteſt loco capitalis accipi ſolùm tanta pecuniarum ſumma, quanta eſt neceſſaria ad emendum annuum reditum ſcutorum aureorum 4000. ad rationem octo pro centenario, ita vt erigenti hunc montem, ac vendenti illius annuum reditum pro quolibet octono ſcutorum, annuatim ſoluendorum, dentur aurei centum, donec abſorbeatur numerus quatuor millium aureorum, annuatim percipiendorum: quem calculum relinquo calculatoribus: & vlterius debet ſupereſſe aliquid, quod ſoluatur miniſtro, ſeu miniſtris pro eorum labore: quòd ſi domino, qui annuum reditum vendit, daretur ſumma maior, & caperetur reditus, eſſet vſura, quia ea quantitas, quam reditus non caperet, haberet rationem mutui, Card. Tolet. tract. de inſtruct. ſacerd. lib. 5. cap 39. verſ. ſecunda eſt. & verſ. tertia eſt.

252 † Et quòd conditiones montium debeant eſſe tales, quales requiruntur in cenſibus: prima ſcilicet, vt mons inſtituatur in veris reditibus annuis Principis; nam emptio debet eſſe alicuius rei emptio: ſecunda, ne plura loca, ſiue portiones vendantur, quàm mons ipſe contineat: tertia, vt ſi mons fortuito in totum, vel ex parte pereat; ex toto etiam, vel ex eadem parte pereant loca empta: quod eſt verum, ſi fortuito, vt dixi, pereant, ſecus ſi culpa Principis, ſcribit Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vſur. cap. 10. verſ. de his montibus. & lib. 10. tit. de cenſib. cap. 23. q. 3. hancq; culpam conſiderandam eſſe in cenſu, ſecutus ſum ex Nauar. ſupra num. 178. verſ. dixi in hac.

253 Requiritur etiam, quòd iſta loca montium ſint redimibilia ad beneplacitum domini montis, iuxta ea, quæ de præſtitis Venetiarum, alijsq; montibus, ſcripſi infra nu. 460. & ſeqq. vbi videas.

254 Et demum conditiones montis non debent differre à conditionibus cenſus, Io. Azor. quem ſecutus ſum ſupra num. præced. in fine, & cum de conditionibus cenſus ſcripſerim ſupra num. 202. verſ. ad huius cenſus. & ſeqq. ideo pluribus non inſiſto.

255 Declara, vt hæc loca montium, quæ habent eaſdem conditiones, quas habent cenſus,

ſus, ſint perpetua ſicut cenſus, ideſt non vacabilia; ſecus eſt in locis montis vacabilibus, quia iſta transeunt cum conditionibus officiorum vacabilium, de quibus ſcripſi infra num.260.& ſeqq.

De monte Pietatis vide quæ ſcripſi infra num.440.& ſeqq.

Obiter nota, dum ſæpè loquimur de reditu, quòd ſcribentes non conueniunt, an ſit ſcribendus cum vnico d. an verò cum duplici; ego non inſiſto, curioſi poſſunt videre Tiraq.de retr.lign.§.1.gl.6.num.1.

DE IMPRESTITIS.

SVMMARIVM.

Venetiarum impreſtantia, Florentia mons, & S. Georgij loca, qua ratione ſint licita, &c. num.256.452.& ſeqq.

256 EXEMPLIFICA III. in preſtitis Venetiarum, Monte Florentiæ, & locis comperarum Sancti Georgij Ciuitatis Genuæ; quæ preſtita, mons, & loca, qua ratione ſint licita, cum maxima de eis orta eſſet inter Theologos diſputatio; latè, vti in loco congruo, explicaui infra num.452.& ſeqq. & ideo hic non repeto.

DE SOCIETATE.

SVMMARIVM.

Societas, aſſecuratis capitale, & certa parte lucri, accedente contractu aſſecurationis tenet, num.257. Si verè, & non fictè contrahatur, nu.258. Et qua ad huius ſocietatis iuſtitiam requirantur, remiſſiuè num.259.

257 EXEMPLIFICA IV. in ſocietate cum aſſecuratione capitalis, & certi lucri, quam ſocietatem poſſe fieri, & quomodo, & quibus interuenientibus contractibus, ſatis ſcripſi infra §.3.gl.3.num.36.declar.2. ideo hic non repeto: & tamen iſta ſocietas eſt licita & iuſta, quáuis in ea, inſpecto effectu, pecunia annuam reddat pecuniam, ſaluo ſemper capitali; & nullo dantis pecuniam labore, aut induſtria adhibito, pecunia pecuniam parere videatur.

258 Declara hanc ſocietatem eſſe validam, & licitam, ſi verè contrahatur, ſecus ſi fictè, vt puta cum perſona inhabili ad ſocietatis negotium, vt ſecutus ſum infra q.7. par. 2. ampl.17.num.9.confirm.2.

259 Sed quæ ad huius ſocietatis iuſtitiam requirantur, & an Sixti V. conſtitutio eam tollat, vide infra d.gl.3.num.36.& ſeqq. in quibus ſufficienter omnia neceſſaria declaraui.

DE SOCIETATE OFFICII.

SVMMARIVM.

Societas officij Curia Romana quando fuerit inuenta, eſt frequentiſſima, & veteres de ea non ſcripſerunt, num.260.

Societatis officij origo vnde proceſſerit, num.261.

Officia Rom. Curia vendibilia, num. 261. Eaq; Papa vendit ad vitam ementis, num.262. Et quare non vltra, num.264.

Societas officij initur etiam cum priuato, qui non habet, neque intendit habere officium, num.263.

Pretium officij vacabilis per obitum, & pretium cenſus vitalitij videntur aqualia, num. 265. Maius tamen debet eſſe pretium officij vacabilis, num.266.

Societas officij ad ſui validitatem requirit, quòd officium ſit officium Rom. Curia, ſub nu.267. & 269. Et qua ſit ratio, num. 268. & 269. Et quando ſocietas officij poſſit contrahi etiam ſuper alijs officijs, quàm Romana Curia, num. 271.

Societas officij non poterat contrahi, niſi infra medietatem officij, ſed hoc fuit reuocatum, num. 272. Similiter non poterat iniri, niſi ſignata ſupplicatione per ſignaturam Papa; & hoc etiam fuit ſublatum, num. 273.

Officialis, contrahendo ſocietatem, tenetur interrogatus dicere, ſi alias in eius officio habeat ſocietates, quot, & cuius ſumma, ſed hodie hac interrogatione omiſſa, contrahuntur, num. 274.& 275. Et quare, num.330.& 331.

Officium in ſocietate officij eſt praciſè neceſſarium, & debet eſſe capax, alias ſocietas eſt nulla, & quomodo, num.276. & latè, num. 321. & ſeqq. vbi diſtinguuntur quatuor caſus, vſque ad num. 331. incluſiuè, & 339. & 340. Hocq; procedit etiam de iure communi, num.279. Et eſt nulla, etiam ſi ſit contracta ſuper periculo vita, num. 280. 281. 282.& 306. Quamuis multa deducantur in contrarium, num. 283. & ſeqq. Non obſtante etiam conſuetudine, num. 306. ſed cum diſtinctione, num.307. & ſeqq. Et non obſtante

G reſcripto

rescripto Papæ, num. 311. adhibita eadem distinctione, num. 313. & seqq. Et non obstante dolo officialis, & socij, num. 336.

Officio, super quo sit inita societas, alienato, resoluitur societas, & ideo socius etiam ignorans alienationem officij non potest accipere fructus, num. 332. & 333. Etiam si sibi sponte soluerentur, num. 334. Et vbi acceperit, tenetur eos restituere, ideoque multò magis repelleretur, si ageret, num. 335.

Nullitas societatis officij, quamuis officialis, & socij indemnitatem videatur æquè respicere, tamen fauet magis officiali, num. 337.

Societate officij nulliter contracta, seù resoluta, an pecunia remaneant apud officialem, vti mutuo data, num. 277. & 338.

Pactum lucrandi pecunias in societate officij vacabilis per obitum, est de substantia societatis, sub num. 282. vers. aliam.

Societas officij, contracta sine officio, an possit stare vti census vitalitius, seù sponsio, num. 281. 283. & seqq. 301. & seqq. vsque ad nu. 306. Et an propter dolum officialis socius possit consequi lucrum cessans, num. 342. Et quando dicatur contracta sine officio, num. 341.

Periculum socij in societate officij est maius periculo officialis, num. 285. Habetq; periculum socij magis naturam sponsionis, quàm assecurationis, num. 293.

Contractus, qui eo modo, quo est gestus, non potest sustineri, sustinetur eo, quo potest, nu. 284. Quia si quod ago, vt ago, non valet, valet vt valere potest, num. 287.

Commercia potius sustinenda, quàm infringenda, num. 316. Etiam si in eis versetur occasio deceptionum, num. 317.

Pacta in societate officij diuersa à pactis, quibus officialis emit officium, num. 286. Et possunt in ea apponi quæuis pacta licita, & honesta, num. 301.

Fructus in societate officij ad rationem 12. pro centenario vnde originem habere videantur, num. 288. & seqq. & 291. & seqq. Ex his 12. quot capiantur ratione fructuum, & quot ratione periculi, sub num. 305.

Vsura centesima quæ sit, & vnde dicatur, num. 288. & sub num. 289. remissiuè.

Pecunia traiectitia quæ, & vnde dicatur, num. 289. iuncto num. 288.

Fœnus nauticum quid, & vnde originem habeat, num. 290. iunctis, num. 288. & 289.

Leges de assecuratione pecuniæ nauticæ, extenduntur ad assecurationem vitæ hominis, num. 292.

Census vitalitius ratione maioris periculi reddit maiores fructus, & ratione periculi est licitus, num. 294. & 297. Imò est magis licitus, quàm census perpetuus, num. 295. Et in eiusmodi censu cessat læsio, quæ contingit ex longitudine vitæ ementis censum, num. 296.

Census vitalitij pretium sumitur ex verisimili longitudine, seu breuitate vitæ ementis, num. 298.

Vsura est indispensabilis, num. 319.

Dispensari non potest, quod est contra præceptum naturale, num. 320.

Consuetudo nihil operatur in vsuris, sub nu. 306. Distinguitur num. 307.

Papa non dispensat super vsuris, num. 311. Sed cum distinctione, num. 313. & seqq.

Consuetudini præsertim mercatorum inhærendum in commercio societatis, sub nu. 317.

Viduæ licet non debeãtur fructus dotis, ideoq; fructus, quos ex pignore cœpit, computare debeat in sortem, tamen debentur vigore statuti confirmati à Papa, num. 315.

Deceptio toleratur in commercijs, & quare, num. 317.

Legem debet Princeps quoad potest reducere ad vsum populi, num. 318.

Fructus societatis officij taxantur ex quantitate, quam illud officium communiter reddere solet, sub num. 322.

Dolus cum dolo compensatur, sub num. 324. vers. ratio, & num. 336.

Vtile per inutile an vitietur in societate officij, num. 326. & seqq.

Officialis habet hodie nudum nomen in societate officij, ideoque, &c. num. 330.

Societas officij, quamuis officialis pro parte sua non adimpleat, habet suos effectus, volente socio, qui adimpleuit ex parte sua, num. 343. & seqq. Et quomodo declaretur hæc voluntas, num. 376. Et quousque voluntas non declaratur, societas remanet in suspenso, num. 379. Secus, socio nolente, num. 350. & seqq.

Fideiussorem licet officialis dare promiserit, & non dederit, tamen socius potest agere ad fructus societatis, num. 343. Etiam si promissio sit cum clausula resolutiua societatis, nu. 344. Et quamuis promiserit dare duos fideiussores, & dederit vnum, num. 345. Et dum socius agit ad fructus, non per hoc renunciat iuri agendi, vt fideiussor præstetur, num. 346. Et cui iuri censeatur renunciare, num. 347. Et potest agere ad fructus, etiam si in obligatione præstandi fideiussorem nulla sit apposita dies, & officialis non sit interpellatus, num. 349. E contra, socio nolente fructus, officialis lucrari non potest pecunias, nu. 350. & nu. 361.

Reiecta

Reiecta contraria opinione, nu.360. & 362. Et hoc præcipuè procedit quando ſocius nullos recepit fructus, num. 363. Procedit etiam quando recepit ſolùm fructus primi ſemeſtris, num.364. 366. & 367. Et maximè, ſi adeſſet clauſula reſolutiua, num. 368. Procedit etiam ſi teneretur dare fideiuſſorem infra duos menſes, num.369. Et quamuis ſocius ſtatim, receptis fructibus primi ſemeſtris moreretur, num. 370. Quos fructus hæredes compenſare tenerentur, num. 375. Quod ſi receperit fructus ſecundi, aut vlterioris ſemeſtris, officialis pro toto illo tempore poſſet lucrari pecunias, num. 365. 376. & 377. Et non vltra illud tempus, num.378.

Voluntas ſocij ad declarandam ſocietatem initam exprimitur expreſſè, & tacitè, num. 376.

Renuncians iuri dicendi ſocietatem non eſſe initam, non renunciat iuri agendi ad alia ſibi promiſſa, num.347.

Dominus directus recipiendo canonem, renunciat caducitati incurſæ, ſed non iuri emphyteotico, num.348.

Contractus commodum reportare non debet, qui contractum non adimplet, ſub num.350.

Agere non poteſt ex contractu, qui contractum non adimplet, num.351.& ſeqq.

Emptor non agit ex empto, niſi venditori pretium offerat, num.352.

Exceptio non adimplementi repellit agentem, non obſtante quouis inſtrumento, & ſtatuto executiuo, num.353.& ſeqq.

Statutum, tollens omnes exceptiones, non tollit exceptionem non adimplementi, num. 353. & ſeqq.

Exceptio (tu non impleuiſti) poteſt opponi etiam per iudicem ex officio, num.356.

Mens, & cauſa finalis contrahentium attenditur, num.358.

Locator promittens non expellere conductorem, intelligitur ſi ſoluat, num.359.

Mora an & quomodo conſideretur, & contrahatur, num. 370. & ſeqq. & num. 386. 387. & ſeqq.

Mora ad excludendum à lucro, & ab actione eum, qui non adimplet, non eſt neceſſaria, num.372. 373. & 374.

Interpellatio non eſt neceſſaria, quando obligatus eſt certus de ſua obligatione, & ex non adimplemento reportaret commodum, num. 349. Secus quando non eſt certus, quare, &c. num. 380. & ſeqq. 385. & ſeqq. & num. 389 & 390.

Dies incerta habetur pro conditione, num.382. Et illius aduentus non conſtituit in mora ſine interpellatione, num.384.

Ablatiui abſoluti faciunt conditionem, num.383.

Obligatio, & mora eodem momento non naſcuntur, num.386. & 387.

Iuramentum quando habeat vim conſtituendi in mora, num.387.

Pecunia præſens requiritur in contractu ſocietatis, num.391.

Perſona, ſuper cuius vita periculo contrahitur ſocietas, quomodo debeat nominari, & quid ſi non ſit nominata, num.393.& ſeqq. vſque ad num.398.

Mors, quæ condemnato infligitur à iuſtitia, dicitur mors naturalis, &c. num.397.

260 EXEMPLIFICA V. in ſocietate officij Curiæ Romanæ, quod commercium fuit primum à Leone X. deinde à Paulo IV. & poſtea à Pio IV. approbatum, & hodie eſt frequentiſſimum in Vrbe, vt ſciunt qui in ea verſantur: in vſu enim eſt Romæ, & in multis Ciuitatibus, Eccleſiæ ſubiectis, vt contrahantur ſocietates ad certum tempus, plerunque ad ſex menſes, deinde ad beneplacitum, cum diſdicta quindecim dierũ ſuper officijs Romanæ Curiæ, quæ per obitum vacant, in quibus alicui officiali datur nomine ſocietatis certa pecuniæ ſumma, ſuper periculo vitæ ſuæ, vel cuiuslibet alterius perſonæ certæ: officialis autem promittit pro rata pecuniæ ſocium participem facere fructuum ſui officij, ſocietate durante, quos etiam conducit ad rationem duodecim pro quolibet centenario, &, ſocietate finita, promittit reſtituere ſortem, Hier. Gabr.conſ.78.in vſu. lib.1. ſed quia hoc commercium antea erat incognitum, ideo de officiorum ſocietatibus nihil expreſsè ſcriptores veteres tradiderunt, Io.Azor.de inſtit.moral.par.3.lib.9. tit.de ſociet.& mand. cap. 8. initio. ſed poſtea de eis quædam breuiſſimè attigit Sot.de iuſt. & iur. lib.6. q.6.art.2.ad finem, quem ſecutus eſt Ioſeph. Angles in ſuis floribus quæſtionum theologicarum, in q. de contractu ſocietatis, dub. 3. & 4. & paulò exactius Philiarch. in ſuo man. ſacerd. eum agit de vſuris, in cap. quib. mod. fiat vſura palliata, Nauar. conſ.25.& 27. lib.5. de vſur. Card. Tolet. de inſtruct.ſacerd. lib.5.cap.50. & in alia impreſſione cap. 40. Rot. diuerſ. in diuerſis deciſ. quas citamus in locis opportu-

nis, & multa scripsit Io. Azor. d. cap. 8. & seqq. & tractatum ediderunt Virg. de Boccat. & Franc. Castrac.

261 Harum societatum origo inde processit, quia cum Papa habeat in Rom. Curia multa officia, quorum aliqua sunt gratiosa, & aliqua vendibilia, vt officium Camerariatus, Thesaurariæ, Auditoris Cameræ, Clericorum Cameræ, Prothonotariorum, Secretariorum, Cubiculariorum, Contradictarum, Summistæ, Abbreuiatorum, Correctorum, Præsidentis, Collectorum, Iannizarorum, Plumbi, Notariorum, Cursorum, Militum, seu Equitum S. Petri, Pij, Gilij, & alia, vt testantur Castrac. tract. de societ. offic. in procem. num. 4. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. & mand. cap. 8. vers. in romana. † hæcquè officia, quæ vendibilia sunt, Papa vendat ad vitā ementis; vt scribunt Castrac. d. procem. num. 2. in fine, num. 3. & 8. in fine, & Ioan. Azor. d. vers. in romana. & ijs, qui volunt ea emere, aliquando deficiat aliqua pars pretij, Papa concedit eis, vt possint esse plures vnius officij emptores, dummodo in vno solo resideat titulus, & emptio officij, quare is, qui in emptione officij confert proprias pecunias, efficitur pro rata socius, & particeps redituum illius officij vna cum officiali, qui illud emit, Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 50. alibi cap. 40. num. 1. & Castrac. d. tract. de societ. offic. cap. 3. nu. 1. & seqq.

262

263 Verum, succrescente commerciorum necessitate, aut potius callida hominum astutia, anhelantium ad lucrum, hæ societates fieri cœperunt etiam cū officiali, qui pecunia non indigeat ad emendū officium, siquidem fieri cœperunt cū officiali, qui officium iam emit, imò cū alio, qui nec emit, nec vult emere, sed pecuniam quærit pro suis necessitatibus, seu negotijs, aliquo tamen officiali adhibito, qui in sui officij societate pecuniam illam accipiat, & conseruetur indemnis, cum in ea societate solum nomen habeat, vt dixi infra q. 7. par. 1. num. 88. quod idem fuit factum in cambio, cum enim esset introductum gratia mercaturę, & peregrinationis, fuit postea ipsummet factū mercatura, & conuersum ad negotiationem lucratoriam, vt scripsi infra q. 6. num. 8.

De prædictis officijs, & officialibus varij, quorum aliquos citat Castrac. d. tract. de societ. offic. in procem. num. 5. & seqq. varijs in locis scripserunt; & nos de aliquibus in nostro tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 21. & seqq. & lib 3. cap. 2. q. 8. num. 144. 146. & seqq.

264 Ratio quare Papa hæc officia vendat ad ementis vitam, & non vltra, est, vt in cuiusque Pontificis sede eorum aliqua semper sint vacatura, & ita cuiusque Pontificatus eosdem possit habere reditus.

265 Horum officiorum pretium ex communi æstimatione hodierna à multis iam annis est illud, quo quis vitalitium emeret annuum reditum, certum, & securum scutorum octo circiter pretio scutorum centum; itaque scutis 1000. emeretur officium, quod reddere soleret scutos 80. annuatim, comprehensis omnibus expensis: cum enim sit vitalitium, non tanti emitur, quanti emeretur, si esset perpetuum, transitorium ad hæredes: &, cum reddat lucrum, seu fructus, ad rationem octo pro centenario, maiori emetur pretio, quàm si redderet ad rationem quinque pro centenario.

266 Et licet pecunia, periculo vitæ exposita, soleat reddere non solùm octo pro centenario, sed maius lucrum, nempe decem, vel duodecim pro centenario; sicque scutis 1000. posset emi officium, quod reddat, non scutis 80. sed scutis 100. vel 120. annuatim; tamen est aduertendum, quòd pecunia, qua emuntur hæc officia, non est ita præcisè exposita periculo vitæ ementis, vt is periculum aliquando per viam resignationis ante mortis euentum non possit euadere, recuperando pretium à resignatario, quare potest officialis cum consensu Papæ per viam resignationis officium illud alienare in singularem successorem cum sua natura vacantiæ per obitum ipsius singularis successoris; & hac ratione annuus reditus, seu census omnino vitalitius, minori æstimari debet pretio, quàm reditus annuus officij vacabilis per obitum, quia pretium solutum pro censu vitalitio non potest eximi à periculo amissionis, at pretium, solutum pro officio vacabili per obitum, potest eximi, vt dixi, per viam resignationis.

267 Ad huius societatis validitatem multa sunt necessaria ex dispositione constitutionum, editarum à Pontificibus, de quibus mentionem feci supra num. 260.

Primo requiritur, quòd eiusmodi societas contrahatur super officium, quòd sit Rom. Curiæ; quia etsi hæc qualitas, nempè, quòd

quòd fit Rom. Curiæ, non pertineat ad intrinsecam rationem contractus societatis, ideoq; nulla repugnante ratione, posset iniri etiam super officijs Regijs, Ducalibus, & similibus, tamen, quia Paulus IV. id prohibet, esset vsura, si super alijs officijs, quàm super officijs Romanæ Curiæ contraheretur, Card. Tolet. de instr. sacerd. lib. 5. cap. 50. alibi cap. 40 sub num. 1. vers. prima est. & ideò accuratè loquitur Hier. Gabr. cons. 78. in vsu. initio, lib. 1. dicens, in vsu esse Romæ, & in multis Ciuitatibus, Ecclesiæ subiectis, vt contrahantur societates super officijs Rom. Curiæ, quæ per obitum vacant.

268 Ratio huius requisiti, seu qualitatis officij potuit esse (licet nec ista vndique satisfaciat) quia dum Pauli IV. constitutio dispensat, vt iste societatis contractus super officijs Romanæ Curiæ possit fieri, taxata, & soluta ab initio certa quantitate pro fructibus; hæc constitutio videtur quodammodo vulnerare ius commune, cui eiusmodi determinatæ taxationes, & anticipatæ solutiones solent esse suspectæ, vt latè explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 27. & seqq. & nu. 87. At constitutio specialis, vulneratoria iuris communis, est intelligenda, vt quò fieri potest, minus vulneret; vnde sicut statutum, quod potest intelligi, vt corrigat ius commune in duobus, vel in vno, intelligitur hac ratione, vt corrigat in vno, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 410. & 411. ita etiam eadem ratione constitutio, quæ potest intelligi, vt corrigat in pluribus locis, vel in vno loco, debet intelligi, vt corrigat in vno loco.

269 Ratio rationis, quare hæc dispensatio restringatur ad officia Rom. Curiæ, est, quia Curia Rom. est forum commune, ad quod ex totius Orbis Christiani partibus gentes confluunt, quæ cum ibi diuersis ex causis aliquo tempore commorentur, hoc societatis commercio sibi facilius, quàm alio subuenire possunt.

270 Extende hoc requisitum, vt sit necessarium etiam hodie, quia licet procedat ex Pauli IV. constitutione, eaque constitutio cum omnibus, in ea appositis clausulis, sit cassata, & annullata per constitutionem Pij IV. tamen illa annullatio non tollit hoc requisitũ, tùm quia omnis constitutio Pontificia de societatibus officij loquitur de officijs Curiæ Romanæ, prout de eis loquitur etiam constitutio Pij IV. quia cùm sint correctoriæ iuris communis, vt dixi supra sub num. 268. non sunt extendendæ ad officia, quæ non sunt Romanæ Curiæ, tùm quia illa annullatio, etsi generalis sit, exprimit quid corrigat, & quid disponat.

271 Declara idem requisitum, vt non sit necessarium, quando nulla fit lucri, seu fructuum taxatio, sed fit simpliciter societas tàm in lucro, quàm in damno, iuxta iuris communis dispositionem, quia, seruata iuris communis dispositione, societas ita potest contrahi super officijs Romanæ Curiæ, sicut super alijs.

272 Secundo requiritur, quòd societas non contrahatur vltra dimidium valoris officij, sic expressè disponente Pauli IV. constitutione, quod aduertunt etiam Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 40. nu. 2. vers. altera est. & num. 9. vers. prior est. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. initio, & Rot. diuers. decis 336. honorius. sub num. 1. coram Illustrissimo Card. Millino, in Rom. societatum. lunæ 29. Ianuarij 1601. inter impressas Lugduni, anno 1612.

Hoc requisitum ex societatis natura non est necessarium; & fuit expressè reuocatum per constitutionem Pij IV. & in societate officiorum, seruata dispositione iuris communis, potuisset omitti etiam sine ista reuocatione: quare societas tenet vsque ad valorem officij, super quo contrahitur, dummodo valorem officij non excedat, sic disponente dicta Pij IV. constitutione, reuocatoria dictæ constitutionis Pauli IV. Io. Azor. in loco supra proxime citato, & Rot. d. decis. 336. sub num. 1.

273 Tertio requiritur, quòd fiat, accedente supplicatione, signata vel manu Papæ, vel in eius Signatura, vt in constitutione Leonis X. & Pauli IV. Card. Tolet. d. cap. 40. num. 9. vers. prior est. & Rot. d. decis. 336. num. 1.

Hoc etiam requisitum fuit dicta Pij IV. constitutione expressè sublatum, Rot. vbi supra, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 5. num. 1. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 8. vers. prima conditio.

274 Quarto requiritur, vt officialis in actu celebrationis instrumenti, seu prius in ipso societatis contractu interrogatus, an in suo officio habeat alias societates, quot, & cuius summæ, teneatur eas exprimere specialiter,

ter, quòd si falsò eas in totum, vel in parte negauerit, seu cœlauerit, eò ipso intelligeretur priuatus officio, super quo societas contracta esset, sine vllo tamen detrimento creditorum, quatenus illis aliunde satisfieri non possit: sed in primis tenentur ipse officialis, & fideiussores satisfacere, vt in dicta Pij IV. constitutione, & scribunt Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. num. 3. & 4. Virgin. de Boccat. eod. tract. num. 103. vers. & in dicta. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. in fine initij.

Sed hoc requisitum, quamuis bonæ fidei consonum esset, tamen de consuetudine, quæ contra bonos mores non est, omittitur; nam & requisitum, & consuetudo habent diuersis respectibus iustam causam; etenim requisitum nititur rationi, ne societates fraudolenter, & nulliter contrahantur; consuetudo autem nititur difficultati, seu impossibilitati, vt dixi num. seq.

275 Ratio enim, quare hoc requisitum possit omitti, est, quia Pij IV. constitutio non præcipit socio, vt officialem interroget, nec officiali, vt, etiam non interrogatus, exprimat, si alias contraxerit societates: sed solùm præcipit, vt ad requisitionem secum contrahentis teneatur exprimere.

Ratio rationis potuit esse, quia hodie si officialis interrogaretur, non posset respondere, cum ignoret societates, quæ super eius officio contrahuntur, vt scripsi infra nu. 330. & ideo diuinitus Papa eo modo locutus fuit, non obligando.

276 Quinto requiritur, quòd officium Rom. Curiæ, super quo contrahitur societas ad rationem duodecim pro centenario, possit illum fructum conuentum reddere; alias si officium, super quo contraheretur, non haberet tantum fructum, vel si haberet, iam in eo essent contractæ aliæ societates, ita vt vltimo socio vel nihil, vel non vniuersi fructus superessent, societas non teneret, vel non teneret pro ea parte, pro qua in eo officio fructus non extant, quia Pauli, & Pij IV. constitutiones disponunt, ne societas officij contrahatur vltra valorem officij, & ratio est euidēs, quia sicut societas officij, inita sine officio, esset nulla; ita etiam erit nulla, si sit inita super officio, quod sit penitus inutile, quia omnes illius fructus alteri, seu alijs debeantur socijs, vel erit nulla pro ea parte, in qua deficiunt fructus, quia valet argumentum de toto ad partem, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 8. q. 4. & cap. 9. vers. hæc conditio. & Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 126. & sub num. 197. deficit enim materia, siue res substantialis contractus, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 5. sub num. 7. cum officium sit subiectum societatis officij, vt dicit Rot. diuers. decis. 287. habebat. vers. dubitaui. in fine, coram Blanchetto in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. inter impressas Lugduni 1612. & decis. 336. honorius, num. 1. in fine, vers. secundo circumscriptis. coram Illustriss. Card. Millino in Rom. societatis, lunæ 29. Ianuarij 1601. inter easdem, & ideo nō potest stare sine officio, Rot. d. decis. 336. num. 4. quare requiritur in primis officium, & deinde, quòd illud officium sit capax illorum fructuum; alias societas esset illicita, iniusta, & vsurariam prauitatem contineret, Castrac. d. cap. 5. nu. 5. & Rot. d. decis. 336.

277 sub nu. 6. † & quòd vsurariam contineat prauitatem, satis colligitur ex eo, quòd, sublata societate, remanet mutuum, vt dicit Rot. d. decis. 287. vers. dubitaui. in fine, & decis. 292. conclusum. in Rom. damnorum. 3. Iunij 1575. coram R. P. D. Cotta, & decis. 338. fuit per dominos, coram d. Illustriss. Card. Millino, lunæ 20. maij 1602. in Romana societatis inter easdem impressas Lugduni. ex quo mutuo si recipiatur vltra sortem, est vsura, sicut ergo, inquā, societas sine officio est nulla, illicita, & vsuraria, ita etiam nulla, illicita, & vsuraria est pro ea parte, in qua deficit officium, Io. Azor. d. cap. 9. vers. hæc

278 conditio. † & ideo pro ea parte fructus sunt computandi in sortem, vel restituendi, vt colligitur ex dicta Pij IV. constitutione, & scribunt Rot. diuers. decis. 291. domini. nu. 2. 5. & 6. d. decis. 338. & d. decis. 287. vers. dubitaui. inter impressas Lugduni anno 1612. Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. num. 7. & seqq. Virg. de Boccat. eod. tract. nu. 102. & Io. Azor. d. cap. 9. vers. cum verò.

Non obstat, si contra hoc requisitum; dum pro subiecto societatis officij requirit existentiam officij, quod sit capax fructuum soluendorum; dicatur, societates officij, attēto hoc subiecto, semper esse validas; etiam si ab eodem socio contrahantur super eodem officio plures societates, quæ longè officij valorem, & fructus excedant; siquidem officium, cum sit de regalibus, ideoque non possit obligari, semper remanet integrum apud officialem, & remanendo integrum, nun-

nunquam defecit idē subiectum societatis.

Prout non obstat secundo, si dicamus, quòd cum officium non possit obligari, videtur exemptum à commercio, & consequenter societatis validitas non erit sumenda ex capacitate fructuum officij, sed ex periculo.

Quia resp. quòd nihilominus officium ad effectum communicandi fructus remanet in communi commercio, prout, soluendo præcedens primum obiectū, respondet Rot. d. decis. 336. num. 3. quod suadetur ex his, quæ, loquendo de censu, imposito super re inalienabili, scripsi supra num. 190. & 191. & hoc modo, quo remanet in commercio, debet habere iustitiam contractus, quæ est, vt societas super fructibus officij possit contrahi, si fructus extent, alias societas sit ficta, & quasi vterque videatur se ipsum decipere.

Minus obstat, si dicatur, quòd sicut vendens idem prædium duobus, tenetur secundo emptori, cui tradere non possit, ad interesse; ita etiam officialis, contrahens societates cum pluribus, teneatur etiam posterioribus ad interesse.

Quia, vltra responsionem Rotæ ead decis. 336. nu. 4. cū forsan tibi videri posset, quòd non tollat omnino illud simile, respondeo, quòd si nos supponeremus societates, bona fide contractas cū diuersis, vt in 4. casu, de quo infra num. 329. admitto oppositionem, quòd fructus licitè recipiantur à socijs pro omnibus societatibus, vt ibi dixi, sed si supponamus, esse contractas mala fide; vt puta, cum eodem socio, tunc aliæ societates, quæ excedunt, nō tenent, per ea, quæ secutus sum infra nu. 325. quod idem forsan dicerem in secundo emptore, qui scienter emit rem, alteri venditam per ea, quæ de emente scienter rem alienam scripsi infra sub num. 556. exempl. 6.

Pro absoluta tamen & clara explicatione huius requisiti vide omnino casus, de quibus scripsi infra num. 322. & seqq. & 329.

279 Extende primo hoc requisitum, dum dicimus, societatem officij, contractam sine officio, vel vltra valorem officij, esse nullam in totum, vel in ea parte, vt procedat non solùm de iure dictarum cōstitutionum Pontificiarum, sed etiam de iure communi, Rot. diuers. d. decis. 336. sub num. 1. vers. secundo circumscriptis. imò etiam de iure naturali, quia, deficiente fundamento, quod est officium, impossibile est, naturaliter loquendo, vt cætera ædificata, quæ sunt societas, & fructus non corruant.

Pro maiori explicatione adde omnino quæ scripsi infra num. 322. & seqq.

280 Extende secundo, seu potius declara, vt procedat etiam, quòd in societate officij sit appositum pactum solitum, vt, socio, vel alio, ab eo nominato, moriente intra sex menses, officialis lucretur pecunias, sibi in societate datas, (quod pactum supponimus semper ex necessitate, cum sit de substantia huius societatis, vt dixi infra sub num. 282. vers. aliam addo.) quia adhuc societas, contracta sine officio, vel cum officio, quod non sit tanti valoris, quanti est summa data in societatem, & ideo non reddat tot fructus, est nulla in totum, seu in illa parte, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 5. num. 5. & cap. 6. num. 7. & seqq. Rot. diuers. decis. 336. honorius. sub num. 4. vers. quod verò. in Rom. societatum, lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino. quæ decisio in d. vers. quod verò. & pleræque aliæ vitio copiæ, vel impressionis nimis corruptæ leguntur; hancq; eandem extensionem in foro exteriori sequitur Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. versus finem, vers. ego sanè. vbi, trepidando, ait, quòd ipse nunquam consilium daret, vt societates tali pacto contraherentur; si tamen contractæ sint, ait, quòd eas non facile, secundum conscientiam condemnaret: at cum iudicio res agitur, societates, inquit, tali pacto contractæ, meritò condemnantur: quod idem apertius iam dixerat cap. 8. præced. q. 4. in fine. & ego ita video seruari.

281 Ratio huius extensionis ex mente Rotæ in d. decis. 336. vers. quod verò. (supposito etiam officio, sed incapaci tot fructuum, seu, quod fructus ita pingues, & numerosos non habeat, quales dantur socio) est, quia hoc pactum non potest reduci ad aliquam iustitiam contractus: non enim potest reduci ad iustitiam contractus census, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 6. art. 2. post corollarium, col. penult. in fine, fol. 600. quia pecunia, data pro censu, repeti non potest, Nauar. conf. 25. quæstio prima. sub num. 1. lib. 5. tit. de vsur. imò neque reduci potest ad iustitiam contractus census vitalitij, quia licet in eo propter vitæ periculū licitè soluātur annuatim certi fructus, vt scripsi infra nu. 294. & seqq. confirm. 3. tamen etiam in eo stat natura, & iustitia

iustitia emptionis,& venditionis,cum emens huiusmodi censum, pecuniam amplius repetere non possit: at in isto contractu remanet natura mutui, eum, lapso semestri, possit repeti pecunia data, prout in istis etiam terminis considerauit Rot.diuers.decis.287. habebat.vers.nec obstat periculum.in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon.mem. Card. Blanchetto inter easdem Lugduni impressas; &, hac mutui natura attenta, fructus accipi non possunt, per ea, quæ scripsi infra num.403. & seqq. & 408. Vlterius census vitalitius est licitus, quia constituitur, habita relatione ad rem, vt dixi supra sub num.202.vers.extende. at in societate officij, sublato officio, non remanet relatio ad aliquid. † Minus reduci potest ad iustitiam contractus sponsionis, quia in sponsione periculum lucri, & damni debet esse commune cum iustitia commutatiua proportionabili, cum etiam in isto contractu considerentur læsio, & dolus, vt dixi supra num.132.& infra §.3. gl.9. num. 51. sed in isto contractu non adest hoc periculum cum iustitia commutatiua, quia officialis pro centum cum periculo vitæ suæ habet ab officio Papæ octo circiter, & incerta; & socius eiusdem officialis pro centum, cum periculo similiter vitæ suæ, habet ab eodem officio duodecim certa vigore societatis;sicque vtrobique est æquale periculum, seu, vt dicit Rot.d.vers.quod vero. & clarius num. 2.in fine, periculum cum periculo compensatur, sed non est æquale lucrum. Vlterius hic contractus, seu sponsio respectu Papæ, & officialis habet iustitiam, quòd ille fructus, seu lucrum non est fundatum in euentu sortis, & fortunæ, hoc est, in sola sponsione, sed est fundatum in officio, empto à Papa, quod verè illos fructus reddit, quia Papa habet illud officium, quod vendit, & alteri illud non obligauit: at sponsio respectu officialis, & socij caret ista iustitia,dum supponimus, officialem vel nullum habere officium, vel habere sine illo fructu.

282

Aliam addo rationem, nimirum quia hoc pactum lucrandi in casu mortis officialis, seu socij respectiuè, operatur, vt pinguior, ac numerosior constituatur reditus in officio, eiusq; societate; enim alias sine isto pacto Papa non daret officiali, nec officialis socio reditum ita pinguem, & numerosum, sed daret minorem, nempè, ad rationem quinque pro centenario: vnde hoc pactum, cum sit semper de substantia,& natura societatis officij, Castrac. tract. de societ. off.cap.8. num.1. non operatur, vt societas possit consistere sine officio, quia implicaret contradictionem, sed operatur, vt reditus augeatur in septem pro centenario, ita vt in societate quinque capiantur ex officio, & septem ex periculo vitæ, sed vnum nō possit stare sine altero;& ita seruat stylus.

283

Contrariam opinionem; nempè, quod, quamuis iste contractus non possit iustificari ratione emptionis, vel venditionis, quia nulla talis sit, nec ratione mutui, quia mutuans nihil vltra sortem capere potest, neque sola ratione societatis, tum quia capitale remanet saluū, quamuis officialis perdat totam pecuniam. & sic non adest æqualis participatio lucri & damni, tum quia si hæc est societas officij; & nos supponimus, deficere officium, deficit substātia societatis officij, & non entis nullæ sunt qualitates, neque ratione census; tamen sustineri possit in vim sponsionis, propter periculum vitæ, videntur tenere Sot.d.q 6. art. 2. versus finem, Nauar.cons.25.quæstio prima.num. 2.& 3.lib.5.de vsur. Virg. de Boccat. tract. de societ.offic num.196. & 197. vbi,supposita societatis disdicta, & facto deinde pacto cum eo, qui societatis bonam fidem recognouerat, quòd si ipse, qui pecunias dedit in societatem, moreretur infra sex menses, & is, qui bonam fidem recognouerat, solueret fructus semestris, lucraretur pecunias datas in societatem, & supposito casu mortis secutæ intra sex menses, articulo examinato, censet pro validitate pacti, & factum esse locum lucro pecuniarum;Et Sor. vbi supra,quamuis re vera ostendat se huius societatis naturam ignorasse, cum dubitat simpliciter de eius iustitia, tamen concludit, hanc societatem iustificari ex solo periculo, nulla habita consideratione de officio, vel officij reditu, dum ait, quòd illud periculum perdendi illa centum est pecunia æstimabile,ideoque sicut in ludo, alijsque fortuitis videntur pro illo periculo durante per semestre iustè recipi sex pro illis centum.

284

Confirmatur primò hæc contraria opinio, quia contractus, qui eo modo, quo est gestus, non potest sustineri, debet sustineri eo, quo potest, ad euitandum alterius damnum, per ea, quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl.20.num.3. & seqq. vsque ad num.22. exclusiuè, & specialius ead.q.7.par.3.limit. 7.sub

7. sub num. 11. Sed iste contractus videtur posse sustineri in vim sponsionis super periculo vitæ, quia ita potuisset fieri, nulla accedente societate, vt patet ex his contractibus, de quibus scripsi supra nu. 97. & seqq. quare cum hoc pactum videatur præter naturam, & non contra naturam, & substantiam societatis, in foro conscientiæ ex iure naturali non est improbandum; imò etiam si hoc pactum esset contra naturam societatis officij, tamen tunc mutat societatem in alium iustum, & licitum contractum, quasi illæ pecuniæ sint datæ ea conditione, vt, si is, qui eas dedit, obierit infra sex menses, sint officialis, vt, disputando hanc extensionem, discurrit Io. Azor. d.cap. 9. vers. certi iuris. & ideo societates officiorum cautelatè contrahuntur cum appositione huius pacti, quia si societas non tenebit, vt societas, eo quia desit officium, vel, si non desit, non habeat tot fructus, sustineatur tanquam contractus sponsionis.

285 Non obstat, quod dicebamus supra num. 282. de æquali periculo, seu periculi cum periculo compensatione, & inæquali lucro: Quia respondeo dupliciter: Primo, videtur posse negari periculi æqualitatem, cum socius, receptis fructibus semestris, subiaceat etiam inuitus periculo per totum illud semestre; ita vt ab illo periculo se per viam solutionis societatis eximere non possit; at officialis non subiacet tanto periculo, cum possit quandocunque ab illo se eximere per viam resignationis: & licet Papa posset non admittere resignationem, tamen de stylo solet admittere, & de facili, non obstantibus, quæ considerat Rot. diuers. decis. 288. fel. recordat. nu. 5. coram bo. mem. Card. Seraph. in Roman. offic. Lunæ, 19. Octobris 1598. inter impressas Lugduni anno 1612. & quod est de stylo, & de certa obseruantia, illud consideratur: nam nisi possent resignari, & ita alienari, non ita de facili inuenirentur emptores.

286 † Secundo respondeo, quòd socius potest contrahere cum officiali sub pactis diuersis ab illis, sub quibus officialis contrahit cum Papa, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 301. confirmat. 4. & ideo non videtur teleuare consideratio compensationis periculi cum periculo: imò videtur non posse dici propriè compensationem, quia non est de periculo reciproco, qualis esset, si officialis, & socius subiacerent inuicem periculo, vt, præmoriente socio, lucraretur officialis, & è contra, præmoriente officiali, lucraretur socius: sed est de periculo alieno, cum periculum vitæ officialis non cedat lucro socij, sed lucro Papæ, sed benè periculum vitæ socij cedit lucro officialis.

Minus obstat, quòd maior sit iustitia in contractu huius sponsionis inter Papam, & officialem, quàm in contractu sponsionis inter officialem, & socium: Quia respondeo, id esse verum, sed tamen hoc est, de quo dubitatur, an hæc iustitia sit de sui natura necessaria in contractu sponsionis, vel sit necessaria solùm ex Pontificijs constitutionibus, & stylo Curiæ Romanæ, quæ iustitiæ excellentia fulgent, per ea, quæ dixi infra sub num. 305.

287 Pariter non obstat, quòd noluerint, quod potuerunt, quod verò voluerunt, adimplere nequierint: Quia respondeo, quòd isto casu; si quod ago, vt ago, non valet, valebit, vt valere potest, per ea, quæ latè scripsi infra q. 7. par. 3. limit. 7. num. 11. & seqq.

288 Confirmatur secundo, quia iste stylus soluendi fructus societatis ad rationem 12. pro centenario, est sumptus, vt arbitror, ex l. 3. in nautica. & l. seq. nihil interest. ff. de naut. fœn. nam sciendum est, quòd cum mercator aliquis mutuo accipiebat pecuniam, transuehendam per mare, & illius pecuniæ periculum volebat spectare ad mutuantem, eidem mutuanti, qui illius pecuniæ periculum in se suscipiebat, vsuram centesimam per stipulationem promittebat, vt in d. l. 3. & seq. & scribunt Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 14. not. 8. 14. q. 3. Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. nu. 5. vers. constat sanè. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. in præfat. num. 10. vers. colligitur modo. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 135. Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. nu. 18. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 304. vers. quoad ius cæsareum. ibi, maxima nàque. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. q. 3. vers. notandum est. & lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7. q. 8. initio, & vers. verum aliter. quare, secuto naufragio, & perdita pecunia, mutuatarius non tenebatur eam restituere;

289 † hæcq; pecunia in iure nostro sæpe vocata est traiectitia, vt in l. 1. & seqq. ff. de naut. fœn. Et an sine stipulatione debeatur vsura centesima, vide Strach. tract. de assecur. in præfat. num. 24. & 25. tom. 6. par. 1. fol. 359. Et quæ dicatur hæc vsura centesima, & quare sic vocetur, vide

vide infra q.7.par.2.ampl.8.num.53.not.3. Et an hæ leges ciuiles, nauticum fœnus permittentes, sint lege Pontificia sublatæ, vide ead.ampl. 8. num.43. not.2.

290 Ratio huius fœnoris fuit, non solùm periculũ, quod in se suscipiebat mutuator, sed fuit etiam impensa, quã, transmittendo seruum, faciebat: nam creditor, & debitor in nautica pecunia conuenire solebant, vt seruus creditoris nauigaret cum debitore ad locum, ad quem pecunia erat transuehenda, illamq; præstituto die exactam custodiret, & ad domum reduceret, & creditor pro operis, & sumptibus huius serui aliquid in singulos dies stipulabatur, quòd centesimam vsuram non excedebat, Gl. in d. l. nihil interest. in verbo, pro operis. Strach. tract. de assecurat. in præfat. num.16. vers. sed vt traiectitiæ. tom.6. par.1. fol. 358. & Io. Bapt. Lup. in d. cap. nauiganti. in præfat. sub num. 9. de vsur. inter tract. diuers. tom.7. fol.135.

291 Sic in societate officij, stylus, taxando fructus ad rationem 12. pro centenario, videtur respexisse non solùm periculum, cui creditor se exponit, non in casu, quo pereant pecuniæ, sed in casu, quo pereat ipse creditor, cui forent restituendæ, volens, quòd, perempto ipso creditore, pereat creditum: sed videtur respexisse etiam fructus, quos ipse officialis debitor capit ex illis pecunijs, mediante officio; & ideo sicut in nautica pecunia vsura cẽtesima ratione periculi excedit operas, & sumptus serui, quorum causa videtur permissa; ita etiam fructus, soluendi socio, possunt ratione periculi excedere fructus, quos officialis capit ex officio: & ideo licet officium, quod habet officialis, non reddat vltra octo pro centenario, tamen ratione periculi potest super eo contrahi societas ad rationem 12. pro centenario, vt dixi infra.

292 Et licet prædictæ leges loquantur de susceptione periculi, idest, de assecuratione pecuniæ nauticæ, tamen earum legum dispositio, & materia extenditur etiam ad assecurationem vitæ hominis, iuxta casum, quem tetuli infra §.3 gl.3. num.51. decl. 5. quare si iturus Hierusalem, vel ad alium longè distantem locum nauigaturus, vellet sibi vitam per annum assecurari, potest suæ vitæ pretium imponere, puta scutis decem mille, & pro tanta summa soluere assecuratori pretium assecurationis, puta scut. 1200. ad rationem 12. pro centenario, ita vt assecurato non moriente infra annum, assecurator lucretur dictos scut. 1200. & eo moriente, assecurator soluat assecurati hæredibus dictos scutos decem mille.

293 Licet etiam periculum vitæ socij, dantis pecunias in societate officij, conueniat magis periculo sponsionis, quàm periculo assecurationis, cum iste socius non emat suæ vitæ periculum, sed potius videatur vendere, cum recipiat 12. pro centenario. Satis tamen est, quòd assecuratio, & sponsio conueniant in pretio, & substantia, & differant in hac sola qualitate, quòd assecuratio habet certam, & iustam causam, sponsio verò habet latentem, vt dixi supra num. 131.

294 Confirmatur tertio, quia ratione periculi potest quis licitè obligari ad soluendos maiores fructus, quàm percipiat ex re, in cuius fructibus fundata est obligatio soluendi illos fructus, vt in censu vitalitio, cuius fructus possunt esse decem pro centenario, quamuis fundus, seu res, super qua census imponitur, non reddat nisi quinque pro centenario, & tamen iste contractus propter dubium euentum, quia potest diutius viuere, & citius mori, est licitus, vt in annua pensione, quam ex monasterio S. Dionysij vendiderunt Abbas & conuentus dicti monasterij Episcopo Eboracen. scribunt Oldrad. cons. 207. vniuersis. num.4. vers. præterea. in fine, & num. seqq. Petr. de Anchar. in solemni disputat. antiquis. Io. de Anan. in cap.6. in ciuitate. sub num.23. vers quartus articulus. de vsur. & alij, quos sequuntur Dec. cons. 123. perlectis. initio & num.1. & Natt. cons. 498. deductum fuit. num. 13. & 14. & secutus sum § seq. gl.5. num. 150.

295 † & quòd census vitalitius possit licitè emi, & vendi, modo pro eo iustum pretium tradatur, scribit Medin. in suis tract. rom.2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.14. vers. itaque non dubitatur. col. 5. fol. 409. imò, quòd emptio census annui ad vitam ob incertitudinem lucri, & damni, sit magis licita, quàm emptio census perpetui, scribit Io. Bapt. Lup. in l.2. §.2. num.34. vers. similiter. C. de pact. int. empt. & vendit. tom.7. fol. 128.

296 † & quòd Ecclesia, recipiens ab aliquo fundum, valentem mille, cum pacto alendi eum toto tempore vitæ suæ, non dicatur læsa, quamuis ille vixerit tanto tempore, vt alimenta longè excesserint pretium fundi, quia sicut longo tempore vixit, ita etiam statim mori potuisset, & ideo iste contractus non sit fœnera-

neratitius, sed licitus, refert etiam & sequitur Castrac. tract. de societ. off. cap. 4. num. 46. † Et quòd ob istum incertum euentum iustus, & licitus sit contractus, quo quis monasterio religiosorum, vel collegio clericorum dat mille aureos, vel res, totidem æstimatas, ea lege, vt dum vixerit, debeat monasterium, vel collegium certam pecuniæ quantitatem quotannis soluere, & post eius obitum illa mille sint monasterij, & hanc consuetudinem esse approbatam ex communi Doct. sententia, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. vers. certi iuris est. in fine, & nos passim videmus hic Romæ, quòd collegia religiosa vendunt hos census vitalitios: † & quia in censu vitalitio maior, & minor reditus constituitur, non ad rationem fructuum, sed ad rationem periculi, & spei vitæ illius, qui vitalitium censum emit, pretium ex illius ætate, & valetudine, & alijs circunstantijs metiri debemus, adhibito boni viri prudenti arbitrio; si communis deficeret Prouinciæ æstimatio, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 7. vers. quamobrem. & quòd emens censum ad vitam debeat dare pretium, secundum quod est verisimile, quòd viuere possit, alias, si iuuenis homo emeret mille libras pro centum libris, non procederet securè talis contractus, & quòd posset conditio contrahentis cum Ecclesia esse naturæ tàm debilis, ætatisq; tam decrepitæ, vt tunc excedere vltra duplum, vel triplum, non esset peccare in Spiritu sancto, scribit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. post rubr. q. 15. sub num. 49. & q. 16. num. 51. in fine, de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 20. & 21. & quòd debeat attendi quantitas pretij, & qualitas personæ, puta an sit iuuenis, vel senex, vel infirmus, robustus, vel debilis, sequitur Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. num. 21. de vsur. alij tamen sentiunt, hoc census vitalitij pretium sumi debere ex l. 68. hæreditatum. ff. ad l. falc. vt refert idem Couar. sub eod. num. 7. vers. sed fortassis. cuius l. dispositionem retuli, & secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub nu. 477. vers. quia respódeo. & seqq. vbi videas; at Laur. de Rodulph. in locis supra proximè citatis, id non simpliciter affirmat, sed docet, vt eum retuli, & Couar. d. cap. 9. num. 8. & præsertim vers. cæterum quod. expressim tenet, ex ea l. pretium iustum deduci non posse, & quod sit iustum pretium, latè examinat, copioseq; expendit intellectum d. l. hæreditatum. tu poteris eum videre, addendo, quæ scripsi d. cap. 2. sub num. 477. & hic concludo cum doctissimo Medin. infra citando, qui videtur his omnibus melius explicasse, dum, relatis duobus modis taxandi pretium huius census, ijsq; impugnatis, concludit, esse taxandum secundum consuetudinem, communiter approbatam à bonis, & prudentibus, & vbi non extaret hæc consuetudo, esse attendendam ætatem, qualitatem, officium, atque complexionem ipsius, qui vitalitium vult emere, similiter & loci (in quo est habitaturus) temperie, & cæteris, quæ solent vitam prolongare, aut abbreuiare; & vlterius, constituto ex his considerationibus certo pretio, si illud tantum sit, quòd si homini prudenti daretur optio ad vnum de duobus eligendum, puta, ius percipiendi decem per singulos annos vitæ illius emptoris, aut pretium in promptu datum, & animus illius esset ad vnum, vel alterum eligendum indifferens, aut saltem parum plus, vel minus, quàm ad alterum declinaret, illud diceretur pretium iustum illius vitalitij, quia præsumeretur æqualitas inter pretium, & rem, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 14. sub vers. alius modus. iunctis vers. præcedentibus. col. 6. 7. & 8. fol. 400. quare iusta esset emptio annui reditus triginta pro centenario, si emptor esset nonagenarius, & infirmus, & quamuis prædium censuale solùm quinque fructificaret; dummodo totidem fructificaret.

297

298

299 Imò maior reditus, quàm sit in fructu, potest constitui non solùm in censu vitalitio ratione periculi, vt dixi supra num. 294. sed etiam in censu perpetuo redimibili, ratione facultatis, quam venditor habet redimendi quandocunque, cum census liber pluris valeat, quàm redimibilis, vt latius explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 37. vers. ratio.

300 Requiritur tamen semper, quòd bona, super quibus iste census imponitur, sint capacia illius annui reditus, alias annuus reditus non teneret, nisi pro ea parte, cuius illa bona essent capacia, vt declaraui supra nu. 242. & 243. declar. 2.

301 Confirmatur quarto, quia pactum, seu contractus sponsionis est licitus, vt secutus sum supra num. 88. & seqq. & societati officij non repugnat; imò habent simbolum, cum in vtroque exponatur lucrum sorti, & fortunæ:

fortunæ; Sed contractui societatis possunt addi alij contractus, id est, pacta licita, & honesta, vt disponitur in Pij IV. constitutione, cum omnis contractus, etiam societatis legem accipiat ex partium conuentione, l. contractus. ff. de reg. iur. & ideo in societate officij socius addit pactum, quòd per mortem officialis non vult perdere pecunias societatis; & tamen de natura societatis deberet illas perdere: Ergo debet etiam societati posse addi hoc aliud pactum, quòd societas, si non valet vt societas, valeat vt sponsio, cum sponsionis iustitiam habeat.

Corroboratur hęc confirmatio, quia, sicut vnius scuti pretio in singulos menses officialis à socio emit contingentiam mortis ipsius socij, qua contingente intra semestre, socius perdit centum, & officialis ea lucratur, vt dixi supra num. 280. ita etiam socius eodem scuti pretio in singulos menses potest à tertio emere eandem contingentiam suæ mortis, qua contingente, tertius amittat centum, & socius lucretur; si enim socius, receptis fructibus anticipatis vnius semestris ex officij societate, omnibus numeris absoluta, timeret intra illud semestre obire mortem, & sic perdere capitale societatis, vtique posset mortis periculum emere, & ita se assecurare, quòd illud capitale non perdet; quia quod perderet cum officiali, recuperaret cum tertio; hicque contractus, qui dicitur assecurationis, reputatur ab omnibus licitus, vt dixi supra num. 129. & sub num. 133.

Sed contractus inter socium & tertium fundatur in sola emptione periculi, & ad sui validitatem aliquod non requirit officium; ergo idem esset dicendum in contractu inter socium, & officialem, cum inter casum, & casum non sit dare rationem diuersitatis.

302 Confirmatur quinto, quia si iustitia societatis officij penderet à qualitate reditus officij, & non à vi sponsionis, sequeretur, quòd omnis societas, contracta ad rationem 12. pro centenario super officio, quod vel certitudinaliter, vel probabiliter reddit solùm octo pro centenario, esset iniusta, & vsuraria, etiam si officium esset tanti valoris, vt eius reditus longè excederet fructus, quos officialis soluit socio; quia non per hoc tolleretur societatis inæqualitas, quæ societatem facit leoninam; quare nihil interest, quòd fructus soluātur socio ex reditibus officij, vel ex alijs reditibus, dūmodo soluātur cum inæqualitate: & nugatoria esset lex, & quasi verbis, & non rebus imposita, si inæqualitatem sine causa admitteret magis vna via, quàm alia; sequeretur etiā, quòd ex pluribus societatibus officij, cōtractis à diuersis super eodem officio, capace cuiuslibet societatis de per se, sed incapace plurium, societates posteriores essent nullæ, quia nihil cum eis communicandum superesset; & ex his sequelis daretur alia, quòd iudiciorum vsus, qui prædictas societates admittit, vt dixi infra num. 322. 329. in primo & 4. casu, nutriret peccatum.

Sed istæ sequelę non videntur concedendæ: ergo nec illarum antecedens, & consequenter videtur concludendum, iustitiam societatis pendere à vi sponsionis: & si pendet à vi sponsionis, ita debet valere societas in vno casu, sicut in alio, & sic etiam in casu, quo fructus officij non adæquarentur fructibus societatis, eo quòd summa societatis excederet summam capitalis officij, imò etiam si nullum extaret officium; maximè si verum esset, quòd officia interponerentur ad colorandum contractum, vt dicit Rot. diuers. quam citaui infra sub num. 322. vers. ratio qua.

303 Confirmatur sexto, quia ex officio, considerato eius valore, potest in societate latenter nullitatis vitium, & subinde vsuraria prauitas frequenter obrepere, & sic socio citra eius culpā facilè damnum, & deceptio oriri; hoc modo, quia etsi officia quoad Papam habeant certum valorem, tamē quoad alios, qui eadem alijs per viam resignationis reuendūt, est incertus, & difformis, iuxta fori æstimationem; sicque potest frequentèr oriri, vt dans pecunias in societate, ignoranter credat, illud officium esse maioris valoris, cum in hoc stemus proxenetarum dicto, imò qui simpliciores sunt, & huius contractus naturam ignorant, adeo bona fide contrahunt, vt, nulla habita officialis notitia, officij valore penitus ignorato, societatis initæ fidem à notario bona fide accipiant, ignorātes, an illa fides, de more subscripta, sit ab officiali, vel ab alia persona falsò subscripta, hæcq; bona fides adeo creuit in hoc contractu, vt etiam prudentes viri hac simplicitate contrahant; quare aut hæ bona fides, & consuetudo tollendæ sunt; aut officij vsus, ex quo in dies insurgunt, multiplicanturq; lites, esset ita reformandus, vt litium occasio, quoad fieri posset, cessaret.

Con-

Confirmatur ſeptimo, cęteris cõfirmationibus præcedentibus omiſſis, quia ipſamet Rota Rom. ſuſtinet aliquãdo ſocietatem officij ſola vi ſponſionis, nempe, quando ſuper aliquo officio ſunt contractæ tot ſocietates, vt longè excedant officij valorem, & alius, illis ſocietatibus ignoratis, ſocietatem ſuper eodem officio contrahit, quo caſu fructus, ex ea perceptos, non eſſe reſtituendos, quia ſuſtinetur in vim ſponſionis, ſcripſi infra num. 329. & ſub num. 331. verſ. declara.

304 Pro reſolutione huius controuerſię diſtinguo duplex forum.

Primum eſt forum interius: & in iſto videtur concludendum, poſſe ſuſtineri, dummodo nihil fiat in fraudem legis, & pretium ſcutorum duodecim ſit iuſtum pretium periculi; dicitur autem non fieri in fraudem legis, quando contrahentes habuerunt verè animum contrahendi ſponſionaliter ratione periculi: quia in foro interiori inſpicitur ſola veritas, & non inſpiciuntur præſumptiones, & coniecturæ fraudis, & cum hac concluſione concordat Io. Azor. quem citaui ſupra ſub num. 280.

305 Secundum eſt forum exterius: & in iſto diſtinguo: Aut loquimur in Vrbe, & ſtatu eccleſiaſtico, & concludo, ſocietatem officij, contractam ſine officio, vel cum officio, in quo non ſit totus reditus, qui debetur ſocio, eſſe nullam, & non poſſe in foro fori ſuſtineri in vim ſponſionis, quia in Vrbe hæc ſponſio non admittitur, & præſertim in ſocietate officij, niſi habeat conditiones, quas præcipit conſtitutio Pontificis, nempè, vt ſimul cũ ſponſione concurrat capacitas officij pro illo reditu, ita vt quinque capiantur ratione fructuum, & ſeptem ratione periculi, ſed omnia 12. ex fructibus; quia in Vrbe, vbi eſt tribunal Vicarij Chriſti reſtringi debent commercia, quæ otio, & quaſi ludo nutriuntur, per ea, quæ dixi ſupra ſub num. 124. declar. 2. & magna poſſent diſputatione controuerti, per ea, quæ dixi ſupra ſub num. 85. & ſeqq. & ſtrictè prohiberi debet non ſolùm vſura, ſed etiam id, quod vſuræ ſuſpicionem videtur habere, & vt ab illicito abſtineamus, prudenter quandoque quod vix eſt licitũ, nobis denegatur, iuxta ea, quæ ſcripſi ſupra ſub n. 17. & ita in hoc foro, in quo iudicat Rota, optime procedũt magiſtralis deciſ. 336. corã Illuſtriſs. Card. Millino, & Azorij doctrina allegatæ pro extẽſione ſup. num. 280. Nec obſtat caſus, in cõtrarium relatus ſup. ſub nu. 303. in 7. confirm. quia ille caſus habet ſuã rationem, & quod in eo eſt toleratum, in alijs denegatur, quia, cum in ſocietate officij timeamus latentem vſuram, non licet ex vna tolerantia non irrationali deducere aliam. Aut loquimur extra Vrbem, & extra ſtatum Eccleſiaſticum, & ſic de iure communi: & tunc, ſuppoſita iuſtitia periculi cum lucro, cenſerem, hunc contractum poſſe ſuſtineri, non vti ſocietatem officij, quia vti ſocietas officij illud periculum non æſtimatur 12. pro centenario, niſi concurrat reditus officij; ſic ſocietatis natura compoſita; ſed cenſeo, poſſe ſuſtineri de iure communi in vim ſponſionis, cum ſatis oſtenderimus, ratione periculi poſſe conſtitui aliquod lucrum, nullo conſiderato fructu, vel intereſſe; & ſic materia de ſui natura non repugnat: imò officium ſeruit ad colorandum contractum ſocietatis, Rot. diuerſ. quam citaui infra q. 7. par. 1. num. 89. in reſponſ. ad 10. argum. & infra ſub num. 322. verſ. optima. vbi videas.

Amplia obiter, & notabiliter vniuerſam hanc reſolutionem, cum diſtinctione duplicis fori, vt habeat locum etiam in cenſu vitalitio, celebrato ſine fundo, quia omnes conſiderationes ſpõſionis, & cætera, dicta in ſocietate officij, bene quadrãt cẽſui vitalitio.

306 Retenta extenſione, poſita ſup. num. 280. quòd ſocietas ſine officio, vel pro ea parte, in qua fructus deficiunt in officio, ſit nulla, & ideo fructus ſint illicitè percepti, iuxta tamen diſtinctionem quatuor caſuum, quos poſui infra nu. 322. & ſeqq. & 329.

Subextende primo eam, vt procedat, non obſtante conſuetudine in contrarium, Rot. diuerſ. deciſ. 291. domini. num. 2. in Rom. ſocietatis, ven. 23. Iunij 1600 & deciſ. 309. domini. ſub num. 2. quæ eſt denuo ſuperfluè impreſſa, & deciſ. 336. honorius. in fine, num. 7. in Rom. ſocietatis, lunæ 29. Ianuarij 1601. & deciſ. 338. fuit per dominos. in Rom. ſociet. lun. 20. Maij 1602. coram Illuſtriſs. Card. Millino inter impreſſas Lugduni 1612. quæ ſuperfluè legitur denuo deciſ. 177. inter impreſſas Romæ anno 1615. quia conſuetudo nihil operatur in vſuris, Rot. diuerſ. deciſ. 193. concluſum. num. 1. par 1. & in deciſionibus ſupra proximè citatis, & deciſ. 84. fuerat. num. 2. coram R.P.D. Gypſio, in Vrbeuetana cenſus, lunæ 6. Iunij 1594. & deciſ. 85. fuit reſolutum. num. 2. coram bo. mem. Card. Blanchetto, in Rom. cenſus, lun.

13. Iunij 1594. in impreſſis Romæ 1615. Caſtrac. tract. de ſociet. offic. cap. 4. num. 23. & in alijs terminis Io. Azor. quem ſecutus ſum infra q. 7. par. 1. num. 88. in fine.

307 Declara hanc ſubextenſionem, diſtinguendo conſuetudinem in duas ſpecies.

Prima ſpecies eſt conſuetudo interpretatiua, quæ habet locum dumtaxat in caſu dubio: & in hac rurſus diſtinguo: Aut in ea concurrit ſcientia, ideoque tacitus Pontificis conſenſus, & caſus, ſublata conſuetudine, haberet probabilem dubitationem: & tunc concludo, quòd illa conſuetudo habet vim approbandi contractum, & conſequenter erit ſeruanda non ſolum in foro exteriori, ſed tuebitur etiam in foro interiori: Aut non concurrit, & tunc vim non habet; & in hac conſuetudine, in qua ſcientia Principis nõ cõcurrit, procedit hæc prima ſubextẽſio.

Secunda ſpecies eſt conſuetudo toleratiua, nempè ad euitandum maius malum: & in hac demũ diſtinguo: Aut loquimur in foro conſcientiæ: & concludo indiſtinctè, non eſſe attendendam, & eum, qui eam ſeruaret, peccaturum per ea, quæ dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. ſub num. 45. Aut loquimur in foro fori; & rurſus diſtinguo: Vel Pontifex non conſentit huic conſuetudini, & non conſentire præſumendum eſt; & iſto etiam caſu procedit hæc prima ſubextenſio: Vel Pontifex conſentit, ideſt, tolerat hanc conſuetudinem, quod eſt non ſolùm creditu, ſed etiam dictu difficile: & tunc dico, quòd hæc conſuetudo toleranda eſt in foro exteriori, de quo loquimur, per ea, quæ dixi d. ampl. 10. num. 45.

308 Subdeclara vlterius hanc declarationem, vt conſuetudo interpretatiua dicatur illa, qua ſublata, caſus, ab ea deciſus, remaneret valdè dubius; nam tunc, ſi illa conſuetudo habeat ſua requiſita, non poteſt eſſe niſi interpretatiua: præcipuum autem requiſitum illud erit, vt habeat in ſe ſcientiam, & conſequenter tacitum Pontificis conſenſum, quia ad eum, vti Chriſti Vicarium, pertinet iuris diuini interpretatio. Toleratiua verò per oppoſitum dicetur ea, qua toleratur caſus, qui eſt clarus contra apertam iuris diuini, ſeu naturalis diſpoſitionem, qualis eſt caſus fornicationis, læſionis inter ementem & vendentẽ, & ipſius vſuræ iuxta ea, quæ ſcripſi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 45. & ſeqq. Et quia eiuſmodi conſuetudo toleratiua eſt dura, debet clarè probari.

309 Infero primo ex hac ſubdeclaratione, quòd, data conſuetudine ineundi ſocietates officij, etiam ſuper officijs, quæ non ſint capacia fructuum, promiſſorum pro pecunijs, acceptis in ſocietate, & ſuppoſito, quòd eiuſmodi conſuetudo videatur nutritiua vſurarum, ad iudices, & Rotam pertinet declarare, an hæc conſuetudo ſit interpretatiua, ſeu toleratiua, & an habeat ſua requiſita, &, iſtis conſiderationibus, & circunſtantijs adhibitis, intelligo Rotam, quam citauimus ſupra ſub num. 306. dum dixit, illas ſocietates non tenere, non obſtante conſuetudine in contrarium.

310 Infero ſecundo, hac conſuetudine interpretatiua poſſe ſuſtineri impreſtita Venetiarum, & alios contractus, de quibus infra num. 452. & Pontificia interpretatione ſublatam eſſe difficultatem, quæ erat in Monte Pietatis, & in contractu cenſus, & in ſocietatibus officij; de quibus monte, contractu cenſus, & ſocietatibus officij, ſcripſi infra num. 444. ſupra num. 175. & 260. & ſeqq.

311 Subextende ſecundo, vt procedat etiam ſi quis ſuper eiuſmodi ſocietate officij reſcriptum confirmatorium à Papa extorqueret, quia adhuc non ſuffragaretur, cum vſuræ ſint prohibitæ, etiam de iure diuino, & Papa contra illud, & ſuper pacto, vſuram ſapiente, non diſpenſet, Rot. diuerſ. deciſ. 292. concluſum. ſub num. 3. verſ. & ad ſupplicationem. & num. 4. & 5. in Rom. damnorum, 3. Iunij 1575. coram R. P. D. Cotta inter impreſſas Lugduni 1612. quæ eſt denuo ſuperfluè impreſſa deciſ. 307. & latius deciſ. 85. fuit reſolutum. num. 3. verſ. confirmatio autem Papæ, in Rom. cenſus, Iun. 13. Iunij 1594. in impreſſis Romæ 1615. & quod ſuper diuina prohibitione vſurarum non diſpenſetur, quouis etiam fauore militante, ſecutus ſum infra §. 3. gl. 5. ſub

312 num. 43. verſ. quia. † Imò vſura eſt prohibita etiam de iure naturæ, vt ſecutus ſum in meo tract. de iudic. cauſ. &c. lib. 2. cap. 9. num. 554. cui iuri naturali nullum humanum contrauenire poteſt, Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. initio, fol. 301. & ideo eſt omnino indiſpenſabile, & nullo alio iure, aut conſuetudine poteſt abrogari, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. verſ. vtebantur hi. fol. 124. & efficacius Sot. quem, loquentem de indiſpenſabilitate vſuræ, ſecutus ſum infra num. 320. cum

ius

ius naturæ sit immutabile, vt retuli, & declaraui infra q.7.par.2.ampl.19.num.11.& 21. & ratio quare lex positiua non possit tollere, seu derogare iuri naturæ, est euidens, videlicet, quia omnis lex profluit à iure naturæ; ergo non debet destruere suum principium, per ea, quæ dixi d. ampl. 19. num. 40.& 45.

313 Hæc subextensio (quicquid sit in casu illius decisionis) supposita legitima rescripti impetratione, eiusq; clara dispositione, indiget eadem declaratione, de qua supra num.307. nam ego admitto, quòd nec consuetudo, nec Papa possint, derogando iuri diuino, permittere in foro interiori vsuram, & ideo admitto, quòd si contractus sit clarè vsurarius, ita vt de eo probabiliter dubitari non possit, consuetudo, mos regionis, & Princeps non possit illum approbare, sed dico, quòd tàm Papa, quàm consuetudo, accedenre eius consensu, saltem tacito, possunt tolerare vsuram in foro exteriori, idest, eam aliquo casu non punire, & quando casus esset dubius, possent circa vsuram interpretari ius diuinum etiam quoad forum conscientiæ, prout explicaui supra d. num. 307. & larè etiam infra §.6. gl.1. num. 48. & seqq.

314 Infero ex hac subextensione, & superius dictis, eos, qui dicunt, quòd consuetudo, & lex, præsertim Pontificia possunt ex rationabili causa aliquo casu derogare iuri diuino, vt retuli infra d.gl.1. num. 48. & 49. aut non verè, aut impropriè locutos, quia

315 non est derogatio, sed interpretatio,† & ideo admitto, quòd viduæ non debeantur fructus dotis, hocq; adeo sit verum, vt nec pactum, nec statutum in contrarium valeant, & tamen ei debeantur ex statuto, confirmato à Papa, vt scribit Hier.Gabr.cons.152.iure communi. num.3. lib.2.& an & quando viduæ debeantur fructus dotis, & quid, stante statuto, vide quos citaui in meo tract. de appell.q.17. limit. 8. num.5. vers.sed an. & vers.sed hæc difficultas. & infra q. 7. par. 2. ampl.8. sub num.176.vers. quinta facti species. Item admitto, quòd soluto matrimonio, vidua vsuram committat, si ex pignore, sibi ab hæredibus mariti dato, fructus percipiat, & non computet in sortem, Archiepisc. Floren. tract. de vsur. cap.2.§.29. num.46.tom.7. fol.83.& tamen Papa possit confirmare statuta Vrbis lib.1.cap.137.quæ mandant, vt vidua possit loco alimentorum ex pignore dotali percipere fructus, & eos non computare in sortem; sed dico, quòd Papa non facit hoc per viam derogationis, sed per viam interpretationis;& quando Papa, seu lex videntur ex causa recedere à lege diuina, seu naturali, sicque videntur eisdem derogare, non recedunt, quia lex ipsa naturalis & diuina videntur ex illa causa mutare dispositionem, vt declaraui infra q.7. par. 2.ampl.19.num.40.& 41. quare multò minus verè, aut magis impropriè loquuntur, qui dicunt, hanc, vel illam legem positiuam esse contra ius naturale, vt aduerti eodem num.40.

316 Declara rursus notabiliter vtramque subextensionem, vt in dubio sustineri debeant commercium, & contractus, & proinde videtur dicendum, quòd tàm Rota, quàm ipsimet legislatores proni esse non debent ad infrigenda commercia, quę Populi vsus enixè desiderat, & moueor ex pluribus.

Primo, quia commerciorum vsus est adeo Reip. vtilis, & necessarius, per ea, quæ dixi sup.num.45. & seqq. & num.66. & seqq. vt in dies commercia dilatentur, ideoq; contractus, alias de vsura suspecti, quales erant census, montes, & ipsa officij societas fuerunt non prohibiti, sed certa præscripta forma concessi, vt loquendo de censu explicaui sup. num.175. & seqq. & loquendo de monte pietatis, infra num. 444. & seqq. & loquendo in societate officij, supra nu. 260. & seqq.ad eum, & à consuetudine ampliati, vt scripsi supra nu. 263. vers.verum.& infra q.6.num.8. versus finem; cui quidem consuetudini, ob nimiam Curialium necessitatem inductæ, etiam ipsa Rota solet adhærere, & in societatibus vt plurimum esse adhærendum, à communiq; obseruantia, & indubitata mercatorum consuetudine non licere recedere, scribit, loquendo de consuetudine societatis officij, Rot. diuers. decis. 311.pater. sub num.5.& 6.in Rom.societat. lunæ 9. Maij 1588.coram R.P.D.Gypsio, in impressis Lugduni 1612.

317 Secundo, quia propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ vtilitates impedirentur, si omnia districtè prohiberentur, ius tàm Cæsareum, quàm Pontificium in commercijs potius tolerat, quàm coerceat; qua ratione vtrumque ius tolerat, vt contrahentes se inuicem decipere possint vsque ad medietatem, vt, declarando, secutus sum infra q.7.par.2.ampl.10.num.1.sub

num.5.extens.3.& num.41.& seqq.ad eum. & aliquando consuetudini indulgendum est, ne peiora committantur, vt dixi infra §.6.gl.1.num.53.versus finem.

318 Tertio, quia Princeps legem, quam tulit, debet, quoad potest, reducere ad vsum populi;cum leges nulla alia ratione adstringant, nisi quia populi consensui nituntur,ita vt aliquam vim habere non videantur, nisi quatenus ab vsu receptæ sint, l. 31. de quibus. ff.de legib. in illis verbis, *nam cum ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quàm quòd iudicio populi receptæ sunt*, & secutus sum in meo tract.de iudic.caus. lib.2. cap.9. num. 417. Et hoc procedit, dummodo consuetudo illa non sit talis, quæ à Principe iudicaretur contraria inconciliabiliter iuri diuino, quia consuetudo non potest tollere ius diuinum, per ea, quæ dixi supra nu.307. & dummodo Princeps contra legis inobseruantiam non insisteret, quia hodie Princeps potest legibus iustis populũ etiam inuitum ligare, quia, vt dicit Apost.ad Rom. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Medin. in suis tract.tit.de reb.rest.q.37.vers.ad quintam. col. 8. fol. 259. & ad l.de quibus. resp. quòd procedit in legibus, quæ condebantur, accedente populi consensu, vt seruant hodie Respublicæ.

319 Subextende tertio obiter, quod diximus, vsuram esse indispensabilem, vt nedum consuetudo, & Papa, seu ius canonicum non dispensent super vsuris, vt iam diximus,sed neque Deus ipse, seu ius diuinum,quia vsuræ vitium est contra naturam, seu contra præceptum naturale, vt secutus sum infra num.401.& 404.

320 Sed quod est contra naturam, seu contra præceptum naturale, neque à Deo ipso dispensatur, Sot.de iust.& iur.lib.2.q.3. art.8. vers. & per hæc. col. 9. ibi, ac perinde potuit. fol.117.& lib.6. q.1. art. 1. vers. in secundo argumento. col. 11. fol.529. tum quia præceptis naturalibus, quæ innatam habent iustitiam, repugnat ex parte rei dispensatio,& ideo,quia Deus est ipsissima iustitia,si super præcepto naturali dispensaret, se ipsum negaret, eò quòd ordinem iustitiæ subuerteret, & tamen, vt ait Apost. 2. ad Timoth.2.num.13.loquendo de Deo, *ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*. Sot. d.art.8. tum quia, quod natura vetat, tàm intrinsecè malum est, quàm est homini esse rationalem, cuius contrarium non est factibile,& eadem ratione licere non potest, quod natura vetat, Sot.d.art.1.

Hanc eandem subextensionem intelligas cum eodem grano salis, quo intelleximus præcedentes duas, vt sicut ius canonicum ex causa videtur derogare, & non derogat, sed interpretatur ius diuinum: ita etiam ius diuinum non destruit,sed interpretatur precepta naturalia, ideoque potuit iudæis tolerare vsuras,vt declaraui infra §.3.gl.3.num. 44. & seqq.

321 Subextende quarto, vt procedat etiam si officialis haberet officium, & ad illius societatem alium non adsciuerit, & vltra illius valorem pecunias non acceperit, sed tamen socio promiserit soluere fructus numerosiores illis, quos ipse officialis ex officio percipit; quia adhuc hæc societas quoad illum fructuum excessum est illicita, Card. Tolet. de instruc.sacerd.lib.5.cap.40.num.4. vers. tertia enim.& num.10.vers.posterior etiam. vbi multum exclamat contra istas societates, quæ contrahuntur ad rationem duodecim pro centenario super officijs,quæ non fructificant nisi octo, vel nouem pro centenario, imò etiam super officijs, quæ reddunt solum quinque, subdens, quòd talis contractus est pessimus, obligans ad restitutionem, & quòd isti socij non excusantur ignorantia, quia est nimis crassa, neque excusantur eo, quia fingant locare fructus suos officiali pro tanto pretio; & ideo, quamuis deficiant, sibi tamen debeantur.

322 Breuiter agendo pro resolutione non solum huius quartæ subextensionis, sed totius huius quinti requisiti,de quo supra nu.276. & illius extensionum, & subextensionum, de quibus supra num.279.& seqq.dum in eis egimus de societate officij; quod non est capax omnium fructuum promissorum socio, seu socijs, considero quatuor casus, & declarationem,de qua infra num.339.

Primus casus est;quando officium est tanti valoris, vt nihilominus reddat illos fructus;vt puta,quia officium valeat scut.2000. & ad rationem octo pro centenario reddat officiali annuos scut. 160. & ipse super hoc officio accipiat in societate scut. 1000. ad rationem duodecim pro centenario, ita vt socio soluere debeat ex suo officio annuos scut.120.& isto casu concludo societatem esse validã, vt tenuit Rot. diuers. decis.300. domini dixerunt. num. 1. & 2. par.1. & ita seruatur, Castrac. tract. de societ. offic.cap. 10.num.

ro. num. 23. iunctis num. 13. & seqq.

Ratio, qua mouetur Rota, est, quia à communiter accidentibus solent 12. percipi pro centenario, & ad hoc, quod ex communiter accidentibus prouenit, inspici consueuit, & non ad officia, quæ ad colorandum contractum, & euitandam vsurariam prauitatem interponuntur.

Optima est ratio; dum inquit, in taxatione fructuum attendi fructus, qui à communiter accidentibus percipi solent: sed dum dicit, officia interponi ad colorandum contractum, aduerte, quòd Rota non sumit verbum, colorare, pro simulare, & fingere, sed sumit pro formare, ita vt officia interponantur ad formandum contractum, hæcque sit forma necessaria ad iustitiam societatis; vtitur tamen verbo, colorare, vt significet, officium non esse adeo necessarium ad taxationem fructuum, quin possint taxari vberiores ijs, qui percipiuntur ex officio.

Confirmo hanc conclusionem, tùm quia hoc idem seruatur in contractu census, vt scripsi supra num. 242. tùm quia maius est periculum in socio, quàm in officiali, & ratione illius maioris periculi maius debetur lucrum, vt scripsi supra num. 285. & 291.

Non obstat, quod retuli ex Card. Tolet. (si is fuit, qui illa verba scripsit) quia eius sententia procederet in simplici societate, in qua socius subiret omnino eandem fortunam cum officiali tàm in lucro, quàm in damno, secus in societate cum pacto, de quo supra in extens. num. 280. & illud pactum præsupponitur in omnibus societatibus officij.

323 Secundus casus est; quando officium quidem est tanti valoris, sed non reddit tot fructus, quot officialis soluit socio, vt puta, quia officium valeat scut. 1000. & ad rationem octo pro centenario reddat annuos scut. 80. & ipse in societate officij accipiat similiter scut. 1000. & promittat soluere duodecim pro centenario, quæ in anno constituunt scut. 120. & isto casu societatem esse nullam scribit Virgin. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 102. & 126. & multò magis Card. Tolet. qui hoc tenet in primo casu posito supra num. præced. in quo militat maior ratio pro validitate societatis.

Contrarium censeo verum, quia etsi hæc sit durior societas, &, si attenderemus naturam census, non teneret quoad illos fructus, qui excedunt fructus officij, per ea, quæ dixi supra num. 177. & 242. tamen militant adhuc ratio maioris periculi, vt dixi supra, & ratio, quòd officium non est adeo necessarium, vt taxatio fructuum debeat omnino sumi ab eo, & posset sufficere sola ratio maioris periculi, per ea, quæ dixi sup. num. 291. & ita practicatur.

324 Tertius casus est, quando non solùm in officio non sunt tot fructus, quot officialis promittit socio, sed neque officium ipsum est tanti valoris; vt puta, quia officium sit valoris scutorum 500. & officialis accipit ab vno in societate scut. 600. & isto casu societatem esse nullam, scribit Virgin. de Boccat. tract. de societ. off. num. 126.

Ratio huius couclusionis est, quia etsi officialis sit in aperto dolo, dum accipit eodem tempore super suo officio pecunias vltra illius valorem, ideoq; ex proprio dolo commodum reportare non deberet; tamen quia etiam socius est in æquali dolo, seu latissima culpa, dum illi dat pecunias, quas scit, aut scire debet excedere valorem officij, doli cum dolo facta compensatione, dolus in neutro consideratur, vt etiam dixi infra num. 336. vel dicemus, quòd vterque voluit se ipsum decipere.

Sed quomodo hoc procedat, vide infra num. 326. & 327.

325 Amplia primo hunc casum, vt habeat locum etiā quando vnus contrahit non vnam solam societatem officij, excedentem valorem officij, vt in isto tertio casu, sed contrahit plures societates cum eodem officiali, quarum nulla excedit de per se valorem officij, sed vna, vel duæ iam absorbent totum valorem officij, quia aliæ, quas postea contraxit super eodem officio, sunt nullæ, & illicitæ, quia sciens & prudens eas contraxit, vt in his terminis loquitur Rot. diuers. decis. 287. habebat. initio, & vers. dubitaui. in Rom. societatis, lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto. & decis. 336. honorius. initio coram Illustriss. Card. Millino. quas citaui supra num. 276. & 280. in extens.

Ratio huius ampliationis est, quam adduxi num. præcedenti.

326 Amplia secundo, dum diximus, vnicam societatem, excedentem valorem officij esse nullam, vt sit nulla non solum in excessu, sed in totum, quia vtile per inutile vitiatur, cum vitium non sit circa personam, sed circa rem, & officialis sit in solidum obligatus pro to-

ta ſumma fructuum, extrahendorum ex officio, qui extrahi non poſſunt, & ſit in fraudem legis, ſiue contra legem, vel conſuetudinem, Virgin. de Boccat. tract. de ſocietat. off. ſub num. 126. qui hanc eandem ampliationem ponit, ſed dubitatiuè ad ſecundum caſum, poſitum ſupra num. 323.

327 Contrariũ mihi videtur iuſtius, & æquius ex his, quæ ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 20. num. 18. confirm. 3. vbi videas.

328 Retenta tamen ampliatione, ſi placeret. Reſtringe, declarando eam, vt procedat in vnica ſocietate, quia videtur indiuiſibilis, ſecus in pluribus ſocietatibus ſeparatis, quia in ſeparatis vtile per inutile non vitiatur, & ideo ſocietates prius contractæ, quarum officium fuit capax, remanent validæ, licet aliæ annullentur, Rot. diuerſ. d. deciſ. 336. quam citaui ſupra num. 250. ampl. 1. etiam ſi omnes ſint contractæ cum eodem; quia militat eadem ratio ſeparabilitatis.

329 Quartus caſus eſt, quando non vnus ſocius, vt in præcedenti tertio caſu, & eius prima ampliatione, ſed plures ſocij ſeparatim, & quilibet pro ſe contraxerunt plures ſocietates, quarum prima ſola, vel prima, & ſecunda etiam coniunctæ non excedunt valorem officij, ſed ſecundæ & poſteriores excedunt, ſed nulla de per ſe excedit: Et iſto caſu licet videatur dicendum idem, quod diximus in 3. caſ. præced. & eius 1. ampliat. propter defectum officij in poſterioribus ſocietatibus, ſicque propter identitatem rationis; tamen aliter, conniuentibus oculis, obſeruat vſus, quia dummodo officium ſit capax cuiuſlibet ſocietatis, prout eſt vnica ſocietas, & ſint initæ cum diuerſis perſonis, omnes ſocietates tolerantur: & hoc colligimus eſſe etiam de mente Rotæ diuerſ. deciſ. 287. habebat. verſ. dubitaui. in Rom. ſocietatis, lun. 28. Ianuarij 1591. coram bo. mem. Card. Blanchetto, dum annullat illas ſocietates, quia is, qui pecunias dederat, ſciens, & prudens ſocietates iniuit, & deciſ. 336. honorius. num. 5. verſus finem, in Romana ſocietatum, lun. 29. Ianuarij 1601. coram Illuſtriſ. Card. Millino. dum reſpondendo, excuſat ſocietatem, quę allegabatur in contrarium, eo quia aderat probabilis ignorantia dantis pecunias ad ſocietatem, & apertè deciſ. 310. fuit reſolutum, num. 5. verſ. non obſtat. in Rom. ſociet. offic. 12. Febr. 1601. corã R. P. D. Ortembergho, in impreſſis Lugduni 1612. dum declarando nullas ſocietates, vltra valorem officij contractas à procuratore ſuper officio domini, & reſpondendo ſtylo contrario, ſcribit, quòd contrarius ſtylus Curiæ Romanæ, admittens ſocietates longè vltra valorem officiorum, toleratur propter ignorantiam contrahentium.

330 Ratio huius tolerantiæ poteſt eſſe, quia hi omnes, qui contrahunt, præſumuntur bona fide contraxiſſe, cum ſint ignari aliarum ſocietatum, eaſq; diuinare non teneantur, & inuenire non poſſint: cum nec ipſemet officialis eas ſcire teneatur, quia cum hodie ſocietates officij non amplius contrahantur ad commodum, & incommodum officialis, ſed ad commodum, & incommodum aliorum, ipſe, habens in eis nudum nomen, eſt ignarus, an illæ ſocietates, quas contrahit, ſint conſenſu, vel per obitum ſolutæ, cum earum fructus, & lucrum ad alios ſpectent, & ideo vanum eſſet interrogare officialem de alijs ſocietatibus, cum hodie ipſe ſtet ad colorandum, vt dixit Rot. quam citaui infra q. 7. par. 1. num. 89. in fine, & interrogaretur non amplius de facto proprio, ſed de facto alieno, & conſequenter lex videretur indiſcreta, ſi has ſocietates rigoroſè annullarer, quia videretur obligaſſe ad impoſſibile; & diſſiparetur hoc commercium, quia multi probi viri in eo remanerent decepti: quæ ratio ceſſat in eo, qui plures ſocietates contrahit cum eodem officiali vltra valorem officij, quia in eo nulla poteſt cadere ignorantia.

331 Nec aduerſus hãc rationem obſtat, quòd ignorantia cum bona fide ſocium, qui poſt alienationem officij exigit fructus, non excuſet à reſtitutione fructuum: quia reſpondeo, quòd illa ignorantia non eſt excuſabilis, ſed eſt culpoſa, vt declaraui infra num. 333. vbi videas.

Declara, extendendo eundem quartum caſum, ac illius rationem, vt dicta in eis, ſuppoſita verè hinc inde ignorantia, procedant non ſolum in foro fori, (ne alias in eo tota die eſſent ſuper hoc lites, quarum euitandarum cauſa idem forum fori tolerat aliqua, quæ in foro conſcientiæ non ſunt toleranda, per ea, quę dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 41. & ſeqq.) ſed procedant etiam in foro poli, quia lex humana, ſeu conſuetudo hoc caſu videtur ex neceſſitate contractum hunc reducere ad ſponſionem, cum eum ſuſtineat ſine capacitate officij; & quod acquiritur per contractum ſponſionis, imò etiam

etiam in ludo, retinetur etiam in foro conſcientiæ, vt ſecutus ſum ſupra ſub num. 88. & 116. & certè data præfata ignorantia non aliter dicendum eſt in contractu ſocietatis officij, quia alias infinitus ferè conſcientiarum numerus inuolueretur.

Secus ſi non ſupponamus hinc inde ignorantiam; ſeu ſaltem in ſocio, quia tunc ex qualitate fori, & qualitate ignorantiæ, ſeu ſcientiæ, pro abſoluta explicatione formo tres caſus.

Primus caſus eſt, quando vterque; nempè officialis, & ſocius ſciebant incapacitatem officij: & iſto caſu diſtinguo inter forum, & forum.

Aut enim loquimur in foro fori: & concludo, ſocietatem eſſe nullam, & conſequenter à ſocio ſingulos fructus, quos accepiſſet, eſſe reſtituendos, ſeu computandos in ſortem, vti illicitè captos; remanente tamen ſemper debito capitalis, quia ille contractus ſocietatis habetur pro non facto, & pecuniæ datæ reſoluuntur in creditum ob cauſam non ſecutam, ſeu, vt dicere ſolet Rot. in ſimplex mutuum per ea, quæ latè ſcripſi infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 60. & clarius ampl. 20. num. 6. & ſeqq. & ita dixi etiam infra num. 336.

Contra hanc concluſionem oppono, quia, cum iſto caſu vterque ſit in dolo, & ſic in turpi cauſa, & in pari cauſa turpitudinis melior ſit conditio poſſidentis, vt ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. ſub num. 98. & num. 102. verſus finem, ſocius, qui eſt in poſſeſſione fructuum, quos exegit, non deberet cogi ad illorum reſtitutionem.

Reſpondeo, quòd adhuc tenetur reſtituere; nam: aut ſocius erat paratus inire eiuſmodi ſocietates; & tunc in materia vſurarum turpitudo verſatur ſolum ex parte recipientis vſuras: is enim ſolus peccat, & committit vſuram, non autem is, qui ſoluit, per ea, quæ ſcripſi infra ſub num. 407. verſ. vna circa hoc. & ſic ceſſat omnino oppoſitio: aut non erat paratus, ſed ad ita contrahendum fuit inductus, & perſuaſus ab officiali: & tunc ob prædictam rationem paris turpitudinis videtur vrgere oppoſitio, cum vterque ſit in peccato vſuræ, vt ſcripſi infra ſub d. num. 407. verſ. ſecundus. ſed tamen adhuc eſt dicendum, quòd teneatur reſtituere tàm in foro poli, quàm in foro fori, quia nego, eſſe vtriuſque parem cauſam turpitudinis: maior enim eſt turpitudo ex parte recipientis vſuram; quia etſi vterque ſit in pari cauſa quoad peccatum vſuræ; tamen, ſi vſura eſt, ſtat ſemper alia concluſio, quòd ex parte recipientis ſit rapina, vt ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. ſub num. 64. & prout rapina reducitur ad actum, implicat contradictionem, vt dicamus, eam committi de conſenſu ſoluentis vſuras, cum rapina ſit, quæ committitur, inuito domino, & ſic non eſt par ratio.

Aut loquimur in foro poli; & ſimiliter diſtinguo inter intentionem & intentionem: Vel enim vterque intendebat contrahere ſponſionem, ſed ad euitandas lites, quas ſuper contractu ſponſionis poterant timere in foro fori, per ea, quæ dixi ſupra num. 305. ſiue ad alium bonum finem, ſponſionem veſtiuerunt ſocietatis contractu; & tunc dico in foro poli contractum eſſe validum, & non eſſe faciendam reſtitutionem fructuum; cum de iure cōmuni eiuſmodi contractum ſponſionis eſſe licitum dixerim ſup. ſub d. n. 305. & partes ſupponamus intentionaliter contraxiſſe, inſpecto iure communi: expedit tamen, vt deinde inter ſe publicum de hac intentione documentū habeant, ne ijs, vel eorum altero vita functo, & controuerſia inter hæredes, vel cum hærede mortui orta, alter eorum contra defuncti conſcientiā ageret, vt dixi infra in 3. caſu, in fine. Vel vterque intēdebat inire verè ſocietatem officij, & ſic in contemptum Pontificiæ conſtitutionis, eaq; ſpreta, voluerunt eam inire ſine officio: & tunc in primis concludo, quòd, contemnendo Pontificis conſtitutionem, peccant: non tamen auderem affirmare, quòd teneatur reſtituere, ſaltem ante latam à iudice ſententiam; quia ſic etiam dicimus de eo, qui ludit alea, quia etſi is, ludendo, contemnat legem, tamen non tenetur acquiſitum ex ludo reſtituere ante latam à iudice ſententiam per ea, quæ ſcripſi ſupra num. 116.

Secundus caſus eſt; quando ſocius, qui ponit pecunias in ſocietate officij, ignorat incapacitatem officij, ſed officialis benè ſcit incapacitatem: & iſto caſu concludo eadem, quæ concluſi in præcedenti, quia cum vſura non conſideretur in officiali, ſeu debitore, qui ſoluit fructus, ſed conſideretur in ſocio, qui ex pecunijs, quas dedit in ſocietatem, recipit fructus, vt ſcripſi infra ſub num. 407. verſ. vna circa hoc. & ignorantia ſaluet contractum ſocietatis, mutando quaſi illum in contractum ſponſionis, vt dixi ſupra verſ. declara.

clara. satis est, quòd ignorantia sit in ipso socio; quia medicina datur infirmis, non autem sanis, Matth. 9. num. 12. & Marc. 2. num. 17. *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.*

Amplia hanc conclusionem, vt procedat etiam si socius postea nouerit incapacitatem officij; quia, etiam scientia superueniente, non tenetur restituere fructus, cum, data hac ignorantia, iste contractus assumat naturam sponsionis, vt dixi supra vers. declara. quam naturam non perdit per superuenientiam scientiæ.

Non obstat, quòd si vnus ex contrahentibus lædat alterum ignoranter in pretio, sit tutus in foro conscientiæ, durante illa ignorantia, sed postea, superueniente scientia læsionis, teneatur ad restitutionem secundum communem & tutiorem opinionem, quam secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 52. vers. contra.

Quia resp. quòd in casu nostro societas transit in sponsionem, vt dixi, in qua cum non requiratur officium, nil releuat, quòd socius postea sciat, societatem fuisse initam sine capacitate officij: & iste transitus est fundatus in iustitia commutatiua, & æqualitate, quia sicut officialis isto casu potuisset, moriente socio, lucrari pecunias positas in societate, etiam quòd in socio superuenisset scientia incapacitatis officij ante ipsius socij mortem, ita etiam conuenit, vt socius possit tuta conscientia retinere lucrum, quod, mediante periculo perdēdi capitale, acquisiuit.

Tertius casus est è conuerso, quando ignorantia incapacitatis officij est solum in officiali, quæ ignorantia videtur impossibilis, nisi pro officiali sumamus eum, pro quo inseruiunt pecuniæ, cum alioqui officialis ipse semper, & nulla adhibita industria, seu opera, sciat quanti valeat, & quot fructus parere soleat suum officium, & an plures societates super eo contraxerit: & isto casu, in quo ignorantiam supponimus solum ex parte soluentis fructus, & scientiam supponimus in socio, qui fructus recipit, similiter considero forum fori, & forum poli: Si enim loquimur in foro fori, concludo sine difficultate, quòd socius tenetur restituere fructus, seu compensare in sorte, per ea, quæ dixi supra num. 324. & apertius num. 325. Si verò loquimur in foro poli, tunc videtur dicendum idem, quia etiam si iste socius intentionaliter voluisset inire sponsionem, tamen extrema non coniungebantur, iuxta ea, quæ scripsi infra q. 7. pat. 2. ampl. 10. sub nu. 33. vers. prima. & dato, quòd sine extremorum coniunctione hic contractus staret tanquam sponsio, adhuc iste socius non videtur tutus in conscientia, nisi prius per scripturam publicam apud officialem, seu debirorem declarasset hanc suam intentionem, ne alioqui, ipso socio mortuo, suus hæres, ignorata defuncti conscientia, allegaret, hanc societatem fuisse nulliter contractam, ex quò fuit contracta sine officio, vel cum officio incapaci, & sic debitor, seu officialis excluderetur à lucro pecuniarum datarum in societatem, quamuis hęres teneretur restituere fructus perceptos, qui posset esse lōgè minores: & hæc de secūda extens. posita sup. nu. 280.

332 Extēde tertio idem quintum requisitum, positum supra num. 276. vt in tantum procedat, quòd si officium desit eò, quia sit alienatum, & ideo per eius alienationem sit soluta societas, socius (quamuis ignarus alienationis, & consequenter solutionis societatis) non possit amplius exigere fructus, & exigendo, quamuis bona fide exigeret, teneretur illos restituere, vel computare in sortem, quia ignorantia venditionis officij non operatur, quòd societas duret, Rot. diuers. decis. 291. domini. num. 2. in fine, & num. 3. in Romana societatis. ven. 23. Iunij 1600. coram Illustriss. Card. Millino. inter impressas Lugduni 1612.

Nec obstat, quòd eiusmodi societatum lex, seu consuetudo videatur iniusta, aut saltem inæqualis, cum, dato duplici ignorantiæ casu, eam in vno excuset, & in alio condemnet: Primus casus, in quo ignorantiam excusat, est, quando socius contraxit societatem super officio, super quo iam tunc tot aliæ erant contractæ societates, vt nihil superesset communicandum cum ipso socio; quo casu ipsum socium, ignorantem alias societates, & ideo fructus bona fide exigentem, excusat, ne teneatur illos restituere, nec computare in sortem, per ea, quæ dixi supra num. 329. & 330. Secundus casus, in quo ignorantiam non excusat, est, quando socius post alienationem officij exigit fructus societatis, quo casu socium, officij alienationem ignorantem, ideoque bona fide fructus exigentem, non excusat, & ideo ad illorum restitutionem condemnat, vt in casu huius extensionis: & tamen ignorantia hoc secūdo casu excusabilior videtur, quàm in

in primo; satis enim (loquendo de primo casu) notum est, quòd hodie aliqui pauci officiales, quorum officium non excedit valorem scutorum octocentum, seu duorum millium, contrahunt indistinctè super eorum officijs tantum societatum numerum, vt earum summa longè in maxima quantitate excedat officiorum valorem; vnde videtur ignorantia affectata: notum etiam est (loquendo de secundo casu) quòd multi socij, præsertim absentes ab Vrbe, officij alienationem ignorantes, fructus bona fide exigunt.

333 Quia respondeo, diuersam esse rationem inter ignorantiam primi casus, & ignorantiam secundi, ex duabus causis: Prima causa est, quia ignorantia in primo casu est iusta, & omnino excusabilis, vt ostendi supra num. 330. at in secundo casu est iniusta, & culpabilis, quia socius potest facilè scire, an ille officialis exerceat illud officium, & sic an duret societas, vt dixit etiam Rot. d. decis. 291. domini. in fine; quare debet saltem semel in mense de hoc interrogare notarios in banchis; alias ignorantia erit culpabilis, & forsan affectata; & ideo non debet ei prodesse: Secunda causa est, quia, si ignorantia non excusaret in primo casu, societatis officij commercium, quod degentibus in Vrbe extimatur valdè expediens, facilè dissiparetur, cum, non tolerata hac ignorantia, ex mille societatibus, quæ contrahuntur, non contraherentur duæ, hacque ratione, ne istud commercium dissipetur, contra officialem procedi non solet: non sic est in secundo casu, quia licet ignorantia non toleretur; huius tamen commercij frequentia nō deficit, quod experientia docet.

334 Subextende primo hanc extensionem, vt procedat etiam si socio fructus sint spontè soluti, & à sciente, illos esse indebitos, quia adhuc repeti possunt, seu computari debent in sortem, cum vsuræ possint repeti, etiam si fuerint scienter, & spontè solutæ, Rot. diuers. dicta decis. 291. num. 5. & 6. vers. non obstat.

335 Subextende secundo, vt quemadmodum socius, idest, creditor, in casibus prædictis teneretur restituere fructus exactos, ita à fortiori repelleretur in prædictis casibus, si ageret ad eos exigendos, quia quem de euictione teneret actio, eundem agentem repellit exceptio.

336 Confirmatur hæc subextensio, quia in fortioribus terminis licet officialis sciuerit, super eius officio initas iam esse cum eodem socio alias societates, quæ officij valorem adæquent, vel forsan superent, & proinde aliam societatem, quam contrahit, scit esse nullam, & consequenter, contrahendo, est in dolo, vt in casu, de quo supra num. 325. nihilominus, quia etiam socius est in æquali dolo, cum vterque sciat nullitatem societatis, dolus cum dolo compensatur, ideoque officialis, dolo hoc non obstante, potest recusare soluere fructus, quia non extat societas, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. num. 11. in fine, ibi, verum quia. iunctis num. 7. & seqq.

337 Infero ex eodem quinto requisito, eiusq; extensionibus positis supra num. 279. 280. & seqq. quòd nullitas societatis non magis respicit fauorem accipientis, quàm dantis pecunias in societate, quia si is, qui accepit, liberatur à solutione fructuum, is, qui dedit, liberatur à periculo eas amittendi, quia, societate cessante, cessat omnis effectus societatis, Tiraq. de caus. cessan. num. 241. in verbo, societate cessante.

Verum, re ad vsum deducta, non æque vtriusque fauorem respicit, quia raro is, qui dedit, perderet, & è contra qui accipit, vt plurimum solueret fructus: sicque hæc annullatio potest reputari damnosa dantibus pecunias.

338 Subinfero, quòd, cessante, seu resoluta, vel annullata societate, pecuniæ datæ resoluuntur in creditum causæ non secutæ, sicq; competit condictio causa data, causa non non secuta, tot. tit. ff. de condict. cau. dat. & non resoluuntur forsan in simplex mutuum absolutè, per ea, quæ latè scripsi infra q. 7 par. 2. ampl. 8. num. 207. & seqq.

339 Declara primo nunc restringendo idem quintum requisitum, positum supra num. 276. dum dixi, societatem inæqualem fructibus officij esse nullam, saltem in ea parte, in qua est inæqualis, vt possit procedere in societate officij vacabilis per mortem officialis, cum amissione capitalis, adhibita consideratione illorum quatuor casuum, quos posui supra num. 322. & seqq. & 329.

Secus est in societate officij non vacabilis, & contracta cum periculo vitæ socij, dantis pecunias; quia huic socio debentur non solum fructus, qui percipiuntur ex officio ad ratam; sed debetur pretium periculi vitæ, quod potest valere quinque, vel sex, vel septem

ptem pro centenario; & cessat in hac societate compensatio illa periculi cum periculo, quam retuli supra num. 282. quare iniusta esset societas, in qua officialis perciperet ex officio sine periculo quinque, & socius ipsius officialis quinque cum periculo.

Hæc declaratio in secunda parte, idest hæc societas super officio non vacabili cum certo lucro propter periculum, quamuis iuridica videatur, Romæ tamen, vbi sponsionis contractus vsu receptus non videtur, nunquam posset obtineri per ea, quæ dixi etiam supra sub num.124.declar.2. in fine.

340 † Si tamen admitteretur, & daremus in hoc contractu separabilitatem inter fructus officij, & lucrum propter periculum, societas quoad lucrum, procedens à periculo, semper valeret.

341 Declara secundo, vt societas non dicatur contracta sine officio, quamuis is, qui pecunias accipit, non habeat officium, & propterea recognoscat bonam fidem officialis, qui accepit eius precibus super suo officio, & declaret, officialem habere in ea solum nomen nudum, vt latius explicaui infra q. 7. par. 1. num.88.& 89.

342 Declara tertio, vt quamuis societas contracta sine officio, sit nulla, tamen si officialis, seu accipiens pecunias, dolosè induxerit eum, qui eas dedit, fructus licitè capientur in foro interiori, & ratione lucri cessantis etiam in foro exteriori, prout declaraui infra q.7.par.2.ampl.8. num.120. illat.4. vbi videas.

343 Declara quarto, extendendo idem requisitum, vt societas, contracta cum officio capace, sit valida, etiam si officialis promiserit socio dare fideiussorem, & non dederit, quia nihilominus, socio volente, tenetur officialis soluere ei fructus, tùm quia negligentia, & culpa officialis debitoris non debet nocere socio creditori, & morosus ex propria mora, & inobseruantia commodum in alterius præiudicium consequi; tùm quia illa promissio dandi fideiussorem respicit fauorem socij creditoris: ergo non debet retorqueri in eius odium, vt, illa promissione non adimpleta, fructus consequi non possit, hæcque declaratio est clara, naturalis, & seruatur passim in praxi, quia contractus societatis in se est perfectus, accedente voluntate socij.

344 Extende primo hanc declarationem, vt procedat, etiam si in promissione dandi fideiussorem sit apposita certa dies, puta, per totum præsentem mensem, & cum pacto, seu clausula resolutiua eiusdem contractus, ita vt, fideiussore non dato, sit locus restitutioni sortis principalis, perinde ac si finita esset societas; quia adhuc, socio volente, societas remanet valida, & officialis tenetur ei soluere fructus societatis, cum illud pactum resolutiuum intelligatur appositum fauore contrahentis, qui adimplet pro parte sua, per ea, quæ latissimè in materia indifferenti, & in certis casibus secutus sum in meo tract.de iudic.caus.&c.lib.2.cap.2. nu.383. & seqq. iunctis etiam aliquibus præcedentibus, & in his terminis Castrac. tract. de societ.off.cap.69.il 1.sub num.10.& num.33. & cap.68.in fine, num. 33.

345 Subextende hanc extensionem, vt procedat, etiam si officialis promisisset dare non vnum, sed duos fideiussores, & dederit vnum tantum, ita vt fideiussori dato, & soluenti socius non possit actionem cedere pro rata, sicq; datio alterius fideiussoris videatur respicere etiam fauorem, & vtilitatem alterius fideiussoris, quia adhuc societas tenet, volente socio, qui adimpleuit pro parte sua, & poterit totũ exigere à fideiussore dato, quia promissio facta de dando duos fideiussores, fuit ad fauorem, & maiorem cautelam socij; & ideo, si ambo non accesserint, non debet in eius damnum redundare, & ita, reuocata sententia, lata in prima instantia, fuisse in secunda benè iudicatum, refert, & sequitur Castrac.tract.de societ. cap.66.num. 4.in fine, & seqq. alias si illa promissio dandi duos fideiussores respiceret æquè fauorem dati fideiussoris, hæc subextensio non procederet, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic.caus.lib. 2.cap.2.num.396.

346 Extende secundo, vt quauis socius agat, etiam non præstito fideiussore, ad fructus societatis, tamen non per hoc censetur liberare officialem debitorem ab obligatione dandi dictum fideiussorem; imò potest adhuc agere, vt det fideiussorem, Castrac. tract.de societ. cap. 69. il 2. num. 8. versus finem,

347 † quia, agendo pro fructibus, videtur tacitè renunciare iuri dicendi, societatem non fuisse contractam, seu facultati annullandi societatem, vt dixi infra num.377. quæ tacita renunciatio non debet extendi, vt censeatur renunciasse etiam actioni, quam habet ad cogendum debitorem, vt det fideiussorem, quia satis habet, in quo operetur, & renunciatio

ciatio est strictissimi iuris, ideoque si sit dubia, interpretatur in eam partem, quæ renunciant minus noceat, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 5. num. 163. & hinc videmus, quòd socius, qui dat pecunias in societate officij, in ipso contractu recipit fructus anticipatos primi semestris, quamuis officialis nunquam eo tempore dederit fideiussorem, quem promisit date.

348 Confirmatur hæc extensio, quia licet dominus directus emphyteosis, recipiendo canonem, seu pensionem, censeatur remisisse, & renunciasse caducitati, ad tradita per Clar. in §. emphyteosis. q. 10. tamen non censetur renunciasse emphyteosi, & iuri consequendi in posterum futuras pensiones, sicque in reliquis non censetur renuciare iuri emphyteotico.

Non recedas ab hac extensione, quicquid in contrarium scripserint aliqui.

349 Extende tertio, vt procedat etiam si in promissione dandi fideiussorem nulla sit apposita dies, & officialis ad dandum fideiussorem non sit interpellatus, quia adhuc, socio volente, tenetur soluere ei fructus, & ratio est, quia ipse satis est certus de obligatione sua, & ex non adimplemento illius non debet consequi hoc commodum, vt propterea non teneatur ad fructus.

350 Extende quarto eandem declarationem positam supra num. 343. (dum dixi, quòd officialis debitor non debet ex propria mora commodum, & lucrum reportare in damnum socij, qui adimpleuit pro parte sua) vt in casu contrario declarationi, quando socius non agit ad consequendum fructus secundi semestris, & multò magis quando oblatos recusat, ex quò officialis nondum dedit fideiussorem promissum, officialis tunc lucrari non possit pecunias sociales, moriente persona, super cuius vitæ periculo societas contracta est, quia non debet quis ex contractu, quem non adimpleuit, commodum reportare; & ad effectum, vt ex contractu quis actionem, vel exceptionem consequatur; in primis docere debet, se pro parte sua adimpleuisse, & promissis stetisse, vt in similibus terminis tenuit Rot. diuers. decis. 331. ad tres. num. 1. vers. bandinis. in Romana pecuniaria, die lunæ 2. Decembris 1596. coram R. P. D. Penia inter impressas Lugduni anno 1612. & apertius in proprijs terminis eadem Rot. diuers. nemine contradicente, decis. 329. fuit per dominos. per totam, in Romana duorum millium, die 19. Martij 1574. coram bo. me. Card. Seraphino. inter easdem Lugduni impressas, quam decisionem integram refert, & sequitur Virgin. de Boccat. tract. de contract. & societ. off. num. 143. vers. societas.

351 † & quòd vbi contractus est vltro citroque obligatorius, nisi quis impleat pro parte sua, non possit effectualiter agere, quia quælibet promissio habet tacitam conditionem, si sibi fides seruetur, sequitur Rol. à Val. cons. 53. viso & diligenter. num. 27. vers. quibus, & num. 28. lib. 1.

352 † quare emptor, cum ex empto agit, venditori pretium offerre debet; & ideo si partem pretij offerat, agere ex empto nō potest, & venditor rem, quam vendidit, quasi pignus retinere potest; hincq; est, quòd si emptor partem pretij soluisset, & res empta euicta sit tota, emptor, agens ex empto, non integrum pretium consequetur, sed illud solum, quod enumerauit l. 14. iulianus. §. offerri. ff. de act. empt.

353 † vnde exceptio rei non traditæ repellit venditorem, agentem ad pretium, si rem non integram, vel non liberam tradidit, quamuis emptor per publicum instrumentum soluere promiserit, & statutum mandet, quòd instrumenta publica habeant executionem paratam, & nulla possit aduersus ea opponi exceptio; & è conuerso exceptio pretij non soluti repellit emptorem, non obstante prædicto statuto, Dec. cons. 119. num. 1. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 4. cap. 1. num. 78. & 79.

354 † nam exceptio (tu non impleuisti pro parte tua) semper potest opponi, licet statutum prohibeat, exceptiones opponi, Crauet. cons. 151. neminem. num. 10. & Rol. à Val. d. cons. 53. num. 32. & 33. quia hæc oppositio fit ex instrumento, & opponere ex instrumento, non est opponere contra instrumentum, Matth. Coler. d. num. 79.

355 † & ideo licet statutum disponat, quòd contra publicum instrumentum non admittatur aliqua exceptio, tamen istud statutum non habet locum in exceptione, quæ descendit ex ventre illius instrumenti, Canar. & Gallesi. quos secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 63. sub num. 1. vers. sed nimis.

356 † imò hæc exceptio (tu non impleuisti pro parte tua) adeo est fauorabilis, quòd iudex ex officio, parte non opponente, supplet, Crauet. in loco supra proximè citato, & licet Rol. à Vall. sub d. num.

d. num. 33. de hoc dubitet, tamen ego censeo, id esse verum, quia iudex etiam in causis ciuilibus potest supplere in facto sine partis instantia in notorijs, quæ occurrunt, post intentatam actionem, ideoq; potest libellum ineptum ex se dentibus lacerare, & repellere agentem sine actione, vt latè scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 68. sub num. 2. in futura noua impressione, sed eiusmodi exceptio non implementi est notoria ex instrumento, vt sequitur Matth. Coler. d. cap. 1. sub num. 74. fall. 10. & adde quæ secutus sum infra §. 7. gl. 5. num. 26.

357 Confirmatur primo hæc extensio, quia socius, seu verius hæredes illius, repetentes sortem, & capitale, petunt id, cuius contrarium etiam petijssent; imò hoc contrarium voluerunt: nam petunt, reddi capitale, cum non fuerit adimpleta societas, quia voluerunt, etiam fructus sibi non deberi; & non deberi fructus, est, non extitisse societatem, vnde cessat illud absurdum, quòd quis admitti non debeat ad petendum id, cuius contrarium nollet, iuxta ea, quæ secutus sum §. seq. gl. 5. num. 149.

358 Confirmatur secundo, quia in contractibus attenditur mens, & causa finalis contrahentium, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1369. nam non est maior qualitas in mundo, quàm illa, quæ importatur per causam finalem, sine qua quis non aliter erat contracturus, Bal. in auth. præsente. num. 4. vers. quæro dicit statutum. in fine, C. de fideiuss. & mandat.

359 † ideoq; si locator promiserit sub certa pœna non expellere conductorem per certum tempus, & conductor biennij continui pensionem non solueret, nihilominus sine metu pœnæ poterit eum expellere, quia quamuis nihil expressum sit in pœnali stipulatione de solutione pensionum, tamen verosimile est, ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oporteret, coleret, l. 56. quæro. §. inter locatorem. ff. loc. & conduc. Sed mens contrahentium, & verosimile est, quòd dans pecunias illi, à quo voluit sibi præstari fideiussorem, noluerit se exponere duplici periculo, nempè, periculo perdendi capitale in casu mortis, & perdendi capitale, & fructus in casu inopiæ debitoris.

360 Contra hanc extensionem motiuat Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 2. sub num. 3, vers. in contrarium. dicens, quòd contractus societatis est contractus nominatus, qui propter inobseruantiam non reuocatur, sed agitur ad implementum, vel ad interesse, & pro isto motiuo facit, quod scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 391. & seqq.

Comprobatur hæc contraria opinio, quia aliàs pactum resolutiuum esset superfluum contra non adimplentem, si absque isto pacto posset resolui.

In hac contrarietate Castrac. d. cap. 69. il 2. sub num. 5. vers. sed pro resolutione. & num. seqq. adhæret in effectu huic opinioni contra extensionem, dum distinguendo, tenet, extensionem esse veram, si sit appositum pactum resolutiuum, secus si non sit appositum; sed tamen se multum inuoluit cum sub num. 7. vers. si verò. terminando, societatem esse contractam, se fundet in eo, quòd cum fructus perceperit, videtur voluisse societatem contrahere: nam parcat mihi, si societas dicitur contracta, manebit contracta siuè percipiantur fructus, siuè non percipiantur.

361 Ego non discedo ab extensione, tùm quia habet magnam æquitatem, & iustitiam, tùm quia adducta in contrarium benè tolluntur.

362 Ad motiuum enim, quòd societas propter inobseruantiam non reuocetur: & ad comprobationem, quòd pactum resolutiuum esset superfluum. Resp. distinguendo: Aut sumus in contractu, cuius implementum etiam tardum, & siuè fiat in specie præcisa, siuè in æquipollenti per satisfactionē eius, quod interest, potest iuuare, & conseruare indemnem alterum contrahentem, qui adimpleuit pro parte sua; & in eiusmodi contractu concludo, veram esse opinionem contra extensionem, & tunc procedere distinctionem, & comprobationem: Aut sumus in contractu, cuius implementum, si sit tardum, non potest iuuare, & conseruare indemnem alterum contrahentem, & ipse, qui adimplet, nullam penitus ex adimplemento suscipit obligationem, nullumque prorsus recipit, aut recipere potest incommodum; & in isto contractu concludo, veram esse extensionem: sed eiusmodi est contractus societatis officij, quia si socius, qui dedit pecunias, nolit accipere fructus, & officialis non dat fideiussorem, nisi post mortem eius, super cuius vitæ periculo societas est contracta, & sic postquam lucratus esset pecunias sociales, frustratoria, & stulta

esset

esset ista fideiussio, qua socius, qui dedisset pecunias, non iuuaretur, & officialis, qui eas lucratus esset, ad nihilum obligaretur: imputet ergo sibi officialis, qui sperabat lucrari pecunias, si fideiussorem ante casum mortis non dedit, quia ab ea die, qua fideiussorem dedisset, vtrique ex contrahentibus commodum, & incommodum societatis cucurrisset; nam sicut officialis non antea potest lucrari, ita etiam socius non antea potest exigere fructus, ex quò antea cessabat periculum; hocq; vltimum distinctionis membrum benè probatur ex Rot. quam secutus sum infra num. 369.

363 Sed pro clariori omnium intelligentia distingue adhuc tres casus.

Primus casus est, quando socius, qui dedit pecunias, nullos fructus societatis recepit: & isto casu extensio est non solùm vera, sed habet minorem difficultatem, quia cessat difficultas, quæ ex dictis per Castrac. posset motiuari, quando recepti sunt fructus primi semestris, vt in casu sequentis subextensionis, num. 366.

364 Secundus casus est, quando recepit solum fructus primi semestris: & isto etiam casu vera est extensio, quia illa prima receptio potuit fieri citra approbationem societatis sine fideiussore, vt dixi in sequenti subextensione.

365 Tertius casus est, quando socius recepit fructus secundi, aut vlterioris semestris; & isto casu extensio non procedit, quia officialis poterit lucrari pecunias sociales, vt dixi infra num. 376. subdeclarat. 1. & num. 377. explicat. 1.

366 Subextende primo ergo eandem quartam extensionem, positam supra num. 350. vt procedat etiam si socius acceperit fructus primi semestris, quia adhuc officialis, si fideiussorem non dederit, non posset lucrari pecunias; & ita videtur de mente Rotæ diuers. decis. 332. certum est. in fine, coram bo. mem. Card. Seraphino, inter impressas Lugduni anno 1612. dum facit vim in exactione fructuum secundi semestris, & ita in terminis, citata Rota diuers. decis. 329. quā nos citauimus supra in extensione sub num. 350. firmat Virg. de Boccat. tract. de contract. & societ. offic. nu. 143. & tenuit Rot. in Rom. societ. off. lunæ 2. Iunij 1608. coram Illustrissimo Card. Lancellotto.

367 Ratio huius subextensionis est, quia socio, qui dat pecunias, competit ius dicendi, societatem non esse initam, quando officialis, qui accepit pecunias, non dat fideiussorem, quem promisit dare, sicq; quando est in mora adimplendi; & huic iuri potest socius tacitè renunciare, recipiendo fructus: sed in receptione fructuum primi semestris anticipatè in ipso contractu societatis nondum est orta mora officialis, quia impossibile est, vt eodem momento detur promissio, & mora, vt dixi infra num. 386. & consequenter socio nondum est ortum ius dicendi, societatem non esse contractam: Ergo impossibile est, vt iuri, nondum nato, dicatur tacitè renunciatum per illam fructuum anticipatam receptionem.

Quicquid contra hanc subextensionem videatur sentire Castrac. quem citaui supra sub num. 360. vers. in hac.

368 Hæc subextensio facilius procedit, si promissio dandi fideiussorem haberet clausulam resolutiuam, quia in casu, quo aderat pactum resolutiuum, loquitur Rot. in citata decis. 332. vers. in casu proposito.

369 Subextende secundo, vt procedat etiam si officialis promisisset dare infra duos menses fideiussorem pro fructibus soluendis, & fructus primi semestris essent iam soluti, ita vt illa promissio videatur respicere duos menses secundi semestris, cum fructus soluendi respiciant secundum semestre, & fideiussio sit præstanda pro fructibus soluendis; quia nihilominus si officialis non dederit fideiussorem infra duos menses primi semestris, non lucratur pecunias sociales, dando illum infra duos menses secundi semestris, secuta iam morte socij, Rot. in Rom. societ. off. lunæ 2. Iunij 1608. coram Illustrissimo Card. Lancellotto, citata etiam in præced. subextensione; & facit, quod nos in nostra distinctione aduersus Castrac. diximus supra sub num. 362.

370 Subextende tertio, vt procedat, etiam si socius, qui pecuniam dedit, statim moreretur, & recepisset fructus primi semestris, vt in præcedenti subextensione, & officialis intra tàm breue tempus arbitrio recti iudicis non posset dici morosus in non dando fideiussorem, quia adhuc officialis, ex quo fideiussorem non dedisset, non lucraretur pecu-

371 nias sociales: † nam licet, qui promittit, seù tenetur statim aliquid facere, intelligatur cum aliquo temperamento temporis, l. 105. quod dicimus. & ibi Gl. in verbo, intelligendum. ff. de solut. & ideo non statim atque

I quis

quis interpellatur constituitur in mora, sed necesse est, quòd labatur tantùm temporis, infra quod commodè id, super quo interpellatur, explicari possit; quod tempus veniet arbitrio iudicis moderandum, M. Ant. Bauer. tract. de mor. par. 3. num. 1. tom. 6. par. 2. fol. 410. nam intra quantum temporis spatium fieri debeat id, quod incontinenti, & statim fieri debet, relinquitur arbitrio iudicis, vt cumulatè videbis, si Deo placuerit, in futura impressione nostri 2. lib. de iudic. caus. cap. 7. sub num. 674.

374 Tamen est aduertendum, quòd officialis excluditur principaliter à lucro, quia non adimpleuit pro parte sua, & commodum percipere non debet ex contractu, quem non adimpleuit; mora autem venit considerata accessoriè, & non principaliter, quare siue dicatur in mora, siue non, lucrum consequi non debet, Rot. diuers. decis. 329. quam secutus sum supra num. 350. in 4. extensione; & latius dixi infra q. 7. par. 2. ampl.

373 8. num. 158. † & in omnem casum, quando secundum Doctores esset consideranda mora, dicunt, quòd mora esset necessaria contra eum, qui ob non adimplementum incideret in pœnam, quia in eo vltra non implementum requireretur mora, sine qua non incideret in pœnam; secus contra eum, qui ob non adimplementum excluderetur à lucro, quia iste licet non sit in mora, tamen si non adimpleuit, adhuc ob non adimplementum excluderetur à lucro, Rot. d. decis. 329. quæ hoc deducit ex sententia Decij in l. cum proponas. la 2. num. 4. C. de pact. dum ait, quòd fidem frangenti fides obseruari non debet, etiam si fidem fregerit ex necessitate, quia, inquit, necessitas & impedimentum excusat à pœna, vel mora, sed non facit, quòd impedito competat actio,

374 ex quò pro parte sua non impleuit, † quasi dixerit Decius, licet impeditus aliqua necessitate excusetur à mora, sicq; non sit in mora, tamen ex quò non adimpleuit pro parte sua non habet actionem; quod idem apertius videtur dixisse Rip. in l. quod te. num. 48. in 7. declarat. ff. si cert. pet. dicens, quòd difficultas, quæ excusat à mora, prodest ad euitandum damnum, sed non ad lucrum consequendum, quod etiam scripsit Steph. Forcat. tract. de mora, par. 3. num. 2. vers. sanè verò. tom. 6. par. 2. fol. 429. dicens, quòd in præmijs, & lucris difficultate remissio non quæritur, quia non sic fauemus lucro inhiantibus, vt damna moræ vitantibus.

Sed quod Rot. Dec. & alij, hic citati, dicunt, non procedit, quando agens, casu fortuito impeditus, non adimpleuit in forma specifica, & vult adimplere in æquipollenti possibili, quia is adhuc consequitur lucrum, l. vlt. cum quidam. C. de condict. inser. &c.

375 Aduerte, quòd in casu huius secundæ & tertiæ subextensionis positarum supra num. 369. & 370. hæredes socij defuncti tenerentur restituere illos fructus primi semestris, idest, tenerentur illos computare in sorte, sibi restituenda ab officiali.

376 Subdeclara primo eandem quartam declarationem, positam supra num. 343. (dum dixi, quòd, volente socio, cuius fauore est præstandus fideiussor, societas remanet contracta, etiam fideiussore non prestito) vt hæc voluntas possit declarari, non solùm verbis expressis, sed tacitè per receptionem fructuum secundi, aut vlterioris semestris, Rot. diuers. decis. 331. ad tres. in fine, vers. postremo non obstat. in Rom. pecuniaria, lunę 2. Decemb. 1596. coram R. P. D. Penia inter impressas Lugduni anno 1612. & clarius decis. 332. certum est. in fine, ibi, verum quia. inter easdem Lugduni impressas, & Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 1. num. 11. & cap. 69. il 2. num. 7. in fine, & num. 8.

377 Explica primo illatiuè hanc subdeclarationem, vt eo ipso, quòd socius recipit fructus secundi, aut vlterioris semestris, ex tūc pro toto illo tempore, pro quo percepit fructus, perdat ius dicendi, societatem non esse initam ob non præstitum fideiussorem, per ea, quæ dixi supra num. 346. & 347. extens. 2. & consequenter ex tunc ipse subit periculum perdendi pecunias sociales, & officialis acquirit potentiam lucrandi in casu mortis; quia alias non posset recipere fructus sine vsuraria prauitate, cum is, qui non subiacet periculo mortis, non possit lucrari fructus societatis officij ad rationem 12. pro centenario, Rot. diuers. d. decis. 332. & in alia Romana fructuum & interesse, mercurij 10. Decembris 1614. coram R. P. D. Pamphilio: Vnde ille fauor, quòd possit vti, vel suspendere societatem, non potest in eo, quod elegit, operari effectus contrarios.

Secus si receperit solùm fructus primi semestris, vt dixi supra num. 366. in prima subextensione.

378 Explica secundo, vt societas, quam, non obstante

obstante non adimplemento, diximus intelligi contractam propter receptam fructuum solutionem, non extendatur vltra illud semestre, seu tempus, pro quo recepta est solutio; quare si contingat mors in alio semestri, seu tempore, pro quo fructus soluti non sunt, non erit locus pecuniarum lucro, Rot.d.decis.331.ad tres. in fine, sub num.3. vers.postremo non obstat. & ratio est euidens, quia ille tacitus socij consensus, qui, recipiendo fructus, velit societatem stare, non se extendit latius, quàm se extendat ipsa fructuum receptio, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum in meo tract.de appell.q.12.nu.87. ideoque qui vult posse lucrari societatem, vel adimpleat ex parte sua, vel saltem fructus soluat.

379 Explica tertio, vt quamuis officialis, non dando fideiussorem, non adimpleuerit pro parte sua; tamen socius, qui dedit pecunias, quo vsque non declarauerit altero ex prædictis modis, de quibus supra num. 376. in subdeclaratione, se velle vti societate, non poterit percipere fructus; & ideo non potest prætendere fructus pro tempore præterito, quando nondum suberat periculum, & sibi imputet, si prius non declarauit, Rot. d.decis.332. vers.iure itaque. quia societas interim remanet in suspenso.

380 Subdeclara secundo in casu, quo officialis dederit fideiussores, cum hoc pacto, (quòd eisdem fideiussoribus, seu aliquo eorum deficiente, moriente, ex Vrbe recedente, aut conditionem deteriorante, alium, seù alios fideiussores idoneos intra dies 15. ad beneplacitum socij, qui pecunias dedit, loco deficientis, seu deficientium dabit, aliàs sit locus restitutioni pecuniarum socialium, vt quamuis isto etiam casu possit socius exigere fructus, non aliter adimpleto pacto renouandi fideiussionem per eadem, quæ scripsi supra num.343.in 4.declarat.& num.344.& 349.in 1.& 3.extensione, remanente tamen eidem salua facultate agendi ad implementum, per ea, quæ dixi supra num. 346. in 2. extens.& recipiendo fructus, agnito non adimplemento, tacitè renunciet iuri dicendi, societatem non esse initam, & consequenter se subijciat periculo perdendi pecunias sociales in casu mortis, & officiali nascatur ius in potentia lucrandi eas, per ea, quæ dixi supra num. 377. & in terminis sentit Rot. diuers.decis.331. ad tres. in fine, in Romana pecuniaria, die lunæ 2. Decembris 1596. coram R. P. D. Penia in impressis Lugduni 1612. & è conuerso non recipiendo eos, seu non agendo ad illos, & officiale constituto in mora, euitet periculum perdendi, & officialis amittat potentiam lucrandi, per ea, quæ dixi supra num. 350. in quarta extens. & eadem decis.331.num.1.& in fine, & demum licet promissio renouandi, seu subrogandi fideiussores, deficientibus primis, conueniat in omnibus cum promissione prestandi fideiussores.

381 Tamen differt in hoc, quòd promittens dare fideiussorem, tenetur illum dare etiam absque alia interpellatione, per ea, quæ secutus sum infra q.7.par.2.ampl.8.num.156. sed promittens renouare, seu subrogare in casu, quo datus deficiat, non cogitur, nisi sit interpellatus ab homine, & consequenter, eueniente interim ante interpellationem casu mortis eius, super cuius vitæ periculo contracta est societas, officialis lucraretur pecunias, & pactum resolutiuum, in eo appositum, non operatur, nisi postquam is, ad cuius fauorem fuit appositum, declarasset, velle vti illo pacto, per ea, quæ scripsi supra num.344. in prima extensione; & in terminis nostris Castrac. tract. de societ. cap. 69. il 1. sub num. 10. Vnde cum supponamus, casum mortis euenisse, antequam socius, qui dedit pecunias, interpellauerit officialem pro renouatione fideiussoris, & sic ante officialis moram, & multò magis antequam declarauerit, se velle vti resolutione contractus, dicimus, casum euenisse, durante societate.

382 Ratio quare promittens, deficiente fideiussione præstita, dare aliam, debeat interpellari, alias non teneatur, est, tùm quia hæc promissio continet diem incertam, quæ habetur pro conditione, l.74.dies incertus. ff.de condit.& demonstrat.& l.38.stipulatio ista. §.inter certam. ff. de verb. oblig. Alex. cons.55. viso titulo. num.1. in fine, & nu.2. lib. 2. Corn. cons. 156. videtur dicendum num.1.lib.1. præsertim, quando est incerta omnino, nempè, an, & quando, vt loquitur Bar.in l.155.ita stipulatus. num.42.q.2. ff. de verb. oblig. prout omnino est incerta in

383 casu nostro, † tum quia illi ablatiui absoluti, *deficiente, moriente, &c.* secundum grammaticos resoluuntur in *si*, vel *postquam*, ideoque faciunt conditionem, Corn. vbi su-

384 pra. † Sed nec aduentus diei incertæ constituit promissorem in mora sine interpellatio-

ne, Bar. in d. l. 115. ita ſtipulatus. num. 44. nec euentus conditionis ſecundum communem opinionem, de qua teſtatur,& ſequitur Dec. conſ. 2. ſub num. 5. ibi, nam quando obligatio; † imò aliquando non ſolùm eſt neceſſaria interpellatio, ſed eſt neceſſaria notificatio per inſtrumentum, vel ſaltem per teſtes, M.Ant. Bauer.tract.de mora, par. 1. num. 25. verſ. ſecundo tempera. tom.6. par. 2.fol.407.

385

386 Ratio rationis eſt, quia repugnat, vt quis eodem tempore, ſeu momento obligetur,& conſtituatur in mora, ſeu contrahatur obligatio, & mora, Bar. in d. l. ita ſtipulatus. ſub num.41. verſ. ſi quæratur. num. 44. & ſub num. 51.ff.de verb.oblig. Dec. in loco ſupra proxime citato, Caſtrac.tract.de ſociet.cap. 69. il 1. ſub num. 22. 25. & 26. & Rot. diuerſ. quam citaui infra q.7.par.2.ampl.8.nu.104. verſ. ratio. † & ideo licet iuramentum, preſtitum ſeparatim poſt contractum debitum, habeat vim interpellandi, & conſtituendi in mora, tamen ſecus eſt, ſi debitum non præceſſerit iuramentum, quia iſto caſu iuramentum non habet vim interpellationis, & ideo debitorem in mora non conſtituit, cum ſit inconueniens, vt eodem tempore quis obligetur, & conſtituatur in mora, Bar. in l. 30. eum qui. §. ſi iurauero. verſus finem, ff. de iureiur. quem notabiliter ſequitur M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 2. ſub num. 21. & 22. fall. 12. tom.6. par.2. fol. 409. hæcq; ratio fundatur in l. 105. quod dicimus. ff. de ſolut. quam clarius adduxi ſup. num. 371.

387

388 Sed ſi veritatem amamus, hæc ratio, quamuis ſit communis, & videatur vndique iuridica, non eſt bona, quia in contractu vltro citroque obligatorio, in quo vnus adimpleuerit pro parte ſua, alter, qui non adimplet, ſtatim ſine alia interpellatione, loquendo more noſtrorum Doctorum, dicetur conſtitutus in mora, ſicque officialis, qui recipit pecunias, & promittit dare fideiuſſorem, eodem momento obligatur, & conſtituitur in mora, ergo hæc ratio non eſt bona.

389 Ratio ergo differentiæ erit, quia promittens ſimpliciter dare fideiuſſorem, eſt certus de ſua obligatione, ideoque, nullo alio requiſito, tenetur illam adimplere, at is, qui eſt obligatus conditionaliter,& poteſt ignorare euentum conditionis, non obligatur illam adimplere, quin prius is, cuius fauore adimplenda eſt, obligetur conditionis euentum notificare, Rip. in l. quod te. ſub nu. 64.

390 & 65. in 6. concluſ. ff. ſi cert. pet. † & ideo vbi quis tenetur non ex obligatione propria, ſed ex obligatione alterius, cui ſucceſſerit, debet ob iuſtam ignorantiam non ſolùm interpellari, ſed debet fieri eidem fides obligationis, vt ſcribunt Alex. conſ. 135. viſo proceſſu inter paſquutium. verſus finem, ſub num. 4. verſ. nec obſtat. lib. 7. & Iaſ. in l. ſi ex legati cauſa. in fine, verſ. vltimo bar. ff. de verb. oblig. quare ſibi imputet, ſi non notificet.

Et hæc ſatis de quinto requiſito, poſito ſupra num. 276.

391 Sextò requiritur, quòd ſocietas contrahatur pecunia præſenti, & numerata, & non pecunia debita; quare ſi officialis eſſet debitor Petri in ſcutis 100. ex alia cauſa, & Petrus ex iſtis ſocietatem contraheret, ſocietas eſſet inualida, vt ſecutus ſum ſupra nu. 217. & ſub num. 221. concluſ. 2. & num. 229. & ſeqq.

Quamuis contra hoc requiſitum tenuerit Hier. Gabr. quem citaui ſupra num. 218. ſed tu vide diſtinctionem in d. num. 221. concluſione 2.

392 Extende hoc requiſitum, vt ſocius non poſſit loco pecuniæ tradere merces, quia requiritur pecunia vera, & actualis, vt ſecutus ſum ſupra num. 229. & 230.

393 Septimo requiritur, quòd perſona, ſuper cuius vitæ periculo ſocietas contrahitur, ſit certa, & nominatim expreſſa; alias ſocius non ſubiret periculum, quod eſt pars ſubſtantialis ſocietatis officij, vt ſcripſi ſupra num. 280. & ſeqq. num. 291. 293. 301. 377. & alijs in locis.

Pro integra huius requiſiti explicatione conſidero quatuor caſus.

Primus caſus eſt, quando in contractu ſocietatis officij non nominatur perſona, ſuper cuius vitæ periculo ſocietas contrahitur, ſed facultas eam nominandi reſeruatur ei, qui dat pecunias, ſub pacto, vt, ſi ſocius, dans pecunias, obijerit ante alterius nominationem, officialis lucretur pecunias: & hoc caſu concludo, ſocietatem eſſe validam, ideoq; officialem poſſe pecunias lucrari, Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de ſociet. cap. 11. q. 1. quod pactū ſolet hac clauſula concipi, (quòd moriente perſona nominanda, & interim ipſo N. qui pecunias dedit, morte naturali, &c. officialis lucretur ſortem) nam pecuniæ ante nominationem ſtant ſub periculo vitæ ipſius dantis, &

post nominationem sub periculo vitæ nominati, & sic semper adest periculum, & consequenter quoad periculum societas semper tenet, Castrac. tract. de societ. cap. 8. sub num. 13. vers. vnde. & num. 14.

394 Secundus casus est; quando tàm facultas nominandi certam personam, quàm ipsa nominatio suæ personæ non est simplex, sed videtur restricta ad certum terminum; puta, quindecim dierum, inclusa sub hoc pacto; quòd pecuniæ stent risico vitæ, & personæ, ab ipso, qui dat pecunias, nominandæ infra 15. dies, & interim risico ipsius, qui pecunias dedit: Et hoc casu videtur dicendum, quòd societas, non facta nominatione infra dictos quindecim dies; & illis elapsis, resoluatur, ita vt si is, qui pecunias dedit, moriatur post dictos 15. dies, officialis non lucretur pecunias, quia non fuit adimpleta conditio societatis, Castrac. tract. de societ. cap. 8. sub n. 24. vers. aliquando. & n. 25. & seqq.

Contrarium, nempè, quòd societas remaneat valida, & non sit resoluta, tenuit Rot. coram R.P. D. meo Caualerio, lunæ 9. Aprilis 1612. in Rom. societ. officij. dicens, quòd si socius reseruet sibi facultatem nominandi personam infra 15. dies, & interim, &c. idest, & interim velit esse nominatam propriam ipsius socij personam, & postea, alia persona infra illos 15. dies non nominata, continuaret societatem, censeretùr expressim nominata propria persona, ideoque, eius morte contingente ante disdictam societatem; officialis lucraretur sortem principalem.

395 Tertius casus est, quando in hoc secundo casu adderetur clausula, (alias, &c.) pacto ita concepto: (super periculo vitæ, &c. infra quindecim dies proximos nominandæ, alias & interim, &c. ipsius N.) & in hoc casu nulla remanet difficultas, quòd societas tenet, & ideo hic est stylus hodiernus, quo passim conficiuntur instrumenta societatis cum facultate nominandi.

396 Quartus casus est, quando notarij culpa eiusmodi pacta, seu clausulæ essent prætermissa: & isto casu concludo, quòd societas adhuc teneret, ac si prædictum pactum fuisset appositum, quia socij contrahere videntur, prout moris est, & quæ moris sunt, quamuis expressa non sint, habentur pro expressis, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 11. q. 1. in fine: Et posset notarius hoc pactum prętermissum etiam ex interuallo adijcere, vt contra Castrac. d. cap. 8. tenet Azor. eod. cap. 11. in fine, q. 2.

397 Mors, quæ condemnato propter sua scelera infligitur per manus iustitiæ, dicitur naturalis, & non violenta; quare, stante pacto solito, quòd moriente socio morte naturali, & non violenta, illata ab homine ferro, veneno, aqua, igne, vel alias quomodolibet violenter, officialis lucretur pecunias; socio mortuo, vt supra per manus iustitiæ, officialis lucratur pecunias, Rot. diuers. decis. 358. quidam. sub num. 1. & seqq. coram Reuerendiss. D. Sacrato, ven. 16. aprilis, 1612. in Romana societat. inter impressas Romæ anno 1615.

Instrumentum societatis officij, sub qua conficiatur formula habes apud moderniora instrumentorum formularia, & breuem formulam ponunt Virgin. de Boccat. tract. de societ. officij, initio, num. 2. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. &c. cap. 8. q. 1. vers. in nomine.

DE MVTVO, VSVRA, EMPTIONE, & venditione rescissibili, & vt dicitur *à godere à godere*.

SVMMARIVM.

Mutuata pecunia diceretur pecuniam parere, si vltra sortem restituatur, num. 398. *Et quibus casibus possit in mutuo licitè vltra sortem recipi, num.* 409. 415. 422. 439. 440. 452. 493. 531. *& seqq.*

Etymologia vsuræ, num. 399.

Definitio vsuræ, remissiuè, num. 400.

Vsura est omni iure damnata, num. 401. *& seqq. & nu.* 407. *&* 408. *Imò est contra naturam, Contra præceptum naturale, ideoque indispensabilis, num.* 404. *Et asserere, ipsam non esse peccatum mortale, est hæresis, num.* 405.

Mutuare est de consilio, non sperare autem vltra sortem est de præcepto, sub num. 405. *&* 407. *Reiecta opinione, quod lex euangelica, mutuum dare, &c. tota sit de consilio, num.* 402. *iuncto num.* 403.

Mutuatorem non posse aliquid vltra sortem accipere, naturales ostendunt rationes, num. 403.

Mutuans, si ei restituatur quando pluris valeat, recipit plus, sed non vltra sortem, num. 409. *& seqq. &* 415. *Declaratur, vt non procedat, quando mutuum transiuit in emptionem, quia tunc mutuator non potest recipere plus quàm pretium quo valebat res mutua-*

EXEM-

398 EXEMPLIFICA VI. eandem ſeptimam ampliationem, poſitam ſupra num. 171. in commercio, ſeu contractu mutui, in quo & ſi pecunia pecuniam parere non poſſit, tamen multi ſunt in mutuo caſus, in quibus ex pecunia maior pecuniæ quantitas procedit, & non ſolum in mutuo pecuniæ, ſed etiam in mutuo aliarum rerum.

Pro abſoluta, & faciliori huius exemplificationis introductione præmitto ſex.

Primum, quid ſit mutuum, & in quibus conſiſtat rebus: & de his vide, quæ ſcripſi infra nu. 403. & q. 7. par. 1. nu. 21. 25. & 26.

Secundum, quòd vſura non committitur in alio contractu, quàm mutui expliciti, vel impliciti, vt declaraui ſub d. num. 25. vbi videas.

399 Tertium, quòd, omiſſis vſuræ etymologijs, ſeu alluſionibus, quas tradunt Sot. de iuſt. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. verſ. in capite. Nauar. in cap. ſi fœneraueris. num. 2. not. 2. 14. q. 3. Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vſur. cap. 1. initio, col. 451. & alij in diuerſis locis, cum ſit indagatio magis curioſa, quàm vtilis; vſura dicitur quaſi vſus æris, ideſt, pecuniæ, quia propter vſum pecuniæ datur pecunia, Laur. de Rodulph. in cap. conſuluit. in princ. num. 9. de vſur. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 15. vſura enim idem ſignificat, quod vſus; nam ſicut à cultu dicta eſt cultura; ſic ab vſu dicta eſt vſura, quæ ex communi loquendi vſu eſt, quicquid ex rei vſu accreſcit, vti fructus rei, & in hac ſignificatione non eſt nomen vitij; ex accommodatione tamen vſus ſumptum eſt ad ſignificandum lucrum ex mutuo, Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 303. initio, & verſ. iuxta has. col. 225. & 226 & nuncupatur etiam fœnus à fœtu, quaſi ſit partus, & fructus pecuniæ.

400 Quartum, quòd vſuræ definitio variè traditur, de qua poſt alios Sot. de inſt. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. verſ. tunc enim. fol. 525. Nauar. in man. confeſ. cap. 17. de vſura circa cambia, num. 206. verſ. in quinto. & latè in cap. ſi fœneraueris. nu. 1. & ſeqq. & præſertim num. 6. not. 5. 14. q. 3. Io. Bapt. Lup. in l. curabit. § 1. per totum. C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 114. Molin. de iuſt. tom. 2. de cõtract. diſput. 303. verſ. vſura pro obiecto. & verſ. vſura pro vitio. col. 227. & 228. & Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vſur. cap. 1. verſ. vſura. & verſ. cæterum. col. 452.

Quintum, quòd vſura habet multas diuiſiones, quas tradunt Molin. d. diſput. 303. verſ. diuiditur vſura. col. 229. & methodicè ſub quadruplici diuiſione Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vſura. cap. 3. verſ. tertio diuidi ſolet. col. 457. & de vſura formali, & virtuali locutus ſum infra q. 7. par. 1. ſub num. 25.

401 Sextum, quòd & ſi aliquã ſint loca in ſacra ſcriptura, ex quibus diſputationis gratia, & pro ſolidiori reſolutione argumẽtari poſſit, vſuram non eſſe illicitã; quę loca, & argumenta deducit Lud. Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 304. initio, col. 229. & 230. & poſtea ſoluit ibidem, verſ. ſatisfaciendum. & ſeqq. col. 237. nos tamen, quaſi nefas ſit quoquomodo dubitare, omiſſa penitus diſputatione, vti ſuperflua, & temeraria, dicimus, vſuram eſſe omni iure prohibitam, vt ſecutus ſum in meo tract. de iudic. &c. lib. 2. cap. 9. num. 554. & ſic eſt prohibita etiam iure naturali, ſeu à natura ipſa, vt ſcribit, & oſtendit idem Ludou. Molin. d. diſput. 304. verſ. vſuram tamen. & verſ. ex natura rei. & ſeqq. & dixi ſupra num. 312. & ex communi omnium Theologorum, & Iuriſconſultorum ſententia teſtatur, & ſequitur Io. Azor. d. lib. 5. tit. de vſur. cap. 2. q. 4. col. 455. & oſtendo infra ſub num. 404. eſt etiam prohibita iure noui teſtamenti, ſeu lege euangelica, Luc. 6. num. 35. *mutuum date, nihil inde ſperantes*. quem Euangelij locum ſic interpretata eſt ſancta mater Eccleſia, in cap. 10. conſuluit. de vſur. ideoque etiam in cap. 3. quia in omnibus. & cap. 4. ſuper. eod. tit. dicit, vſuram vtriuſque teſtamẽti pagina eſſe damnatam; & de communi Theologorum, & Canoniſtarum ſententia teſtatur, & ſequitur Ioan. Azor. d. cap. 2. q. 2. col. 453. & 454. & explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 64. & ſeqq. & quòd vſuræ non ſint permiſſæ, inſpecto etiam iure ciuili, & eſſet hæreticale, ſi quis aſſereret, à iure ciuili permitti vſuras, tanquã licitas, retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 10. ſub num. 45. & nihilominus leges ipſas ciuiles, quæ tolerabant vſuras, vt dixi ſub d. num. 45. eſſe correctas à iure canonico, ſcripſi infra d. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 43. & 44. imò eſſe correctas ab eodem iure ciuili ſcripſi d. ampl. 10. ſub num. 45. verſ. aduerte.

402 Non obſtat, quòd Carol. Molin. in quodã ſuo opere, ad ignem dãnato n. 11. & 12. ſentiendo

tiendo contra hoc præmissum, distingueret duplicem vsuram, quarum alteram dicebat esse sua natura malam, ideoq; prohibitam; alteram verò licitam,& meritoriam; dicens, sua natura malam, iniquam, ideoq; prohibitam esse eam, quæ est contra charitatem; quando scilicet mutuator ex pecunia,mutuo data, maximum exigit lucrum,etiam si mutuatarius nihil ex ea pecunia lucraretur, vt accidebat in vsuris vsurarum, vel vsuris vltra centesimam, quæ idcirco etiam iure ciuili prohibentur; siquidem perspicuum est, has esse proximo perniciosas: eam verò esse licitam, & meritoriam dicebat, quæ charitati est consona, cum scilicet mutuator dat mercatori, seu pauperi pecuniam, vt ex ea aliquod exerceat negotium lucratiuum, & ex illo lucro, quod fecerit, partem aliquam vna cum sorte ipsi mutuatori restituat;siquidem dicebat, huiusmodi vsuram esse honestam; tum quia dictat ratio,vt qui cum mea pecunia facit lucrum, quod alias nullo modo fecisset, in recompensam tanti beneficij partem aliquam illius mihi exhibeat; tum quia vsura hoc modo à iure diuino non est prohibita, cum ius diuinum in contractibus id tantum prohibeat, quod rectæ rationi, & charitati repugnat,dicēte Christo in Matth. 7. num. 12. *omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Sed certum est,quòd mutuans pecuniam pauperi ad negotiandum, si ipse eam sibi vice versa indigeret mutuari, vellet aliquod modicum ex lucro; quod faceret, dare mutuatori; ergo potest hoc idem velle ipse ab eo,cui mutuat.

Quia resp. Molineum ob hoc ipsum fuisse hæreseos notatum, vt scribit Nauar.in cap. si fœneraueris.num. 11. 14.q.3. & Io.Azor. d.cap.2.q.4. col.455. quam ob causam nobis illum legere non licuit, sed eius dicta latè in hoc, & alijs vsurarum articulis refert,& damnat Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. q.78. art. 1.cont. 1.initio, ante num. 1.fol.191. & art.2.contr.1.sub nu.2. vers. primum igitur. fol.223.& contr.9. sub num. 1.vers.his positis. vers. caballinus.& seqq. fol.256.& 259. & sub num. 22. vers. iam ad argumenta. & seqq. fol.269. & sub num. 27. in secondit. vers. qua ratione. fol. 271.& contr. 11. sub num. 4. vers. molineus. & seqq. fol. 281. & contr.14.sub num.3.vers.carolus molineus. & seqq.fol.293.tom.2.

Minus obstat, quòd contra idem præmissum, dum dicimus, lege euangelica Luc. 6. vsuram esse prohibitam, sentiant Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb. per vsur. acquis. q.2.vers.quod autem.& vers.seq. col.5. fol. 304.dicens,in eo Euangelio dari consilium, & non præceptum, subdens tamen postea in respons. ad secundum argumentum.vers. quando secundo. col. 15. fol. 309. quòd quicquid sit de apparentia rationis in oppositum, captiuandus est intellectus, & declarationi Sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter subiiciendus, & postea subdit, quòd quantum attinet ad vim, & efficaciam, quam ille locus Euangelij ad probandam prauitatem vsuræ habet (seclusa Ecclesiæ declaratione, seu interpretatione)ex textu ipso non aliud colligi,quàm quòd infructuosa sit mutuatio, & non meritoria, si propter spem similiter recipiendi fiat; sicut, inquit,& cætera officia charitatis propter retributionem, ab homine speratam, facta, gratiam, & mercedem apud dominum non merentur; quod idem, nulla Medinæ facta mentione, audentius prosequitur Sot.de iust. & iur.lib.6.q.1.art.1.vers.quapropter.fol.526. dicens, in eo Euangelio non prohiberi vsuram, sed dari consilium mutuandi sine spe humanæ compensationis, & Christum eo loci non præcipere, ne aliquid ex mutuo recipiatur, sed præcisè consulere,vt mutuetur, nihil inde sperando,quasi tota illa lex euangelica sit de consilio: commendat enim Christus illic dilectionem,quam non amicis solum, sed etiam inimicis debemus, admonetque subinde, ne ob fauorem humanum, & gratiam, quam homines rependunt,charitatis beneficia præstemus, sed solum diuinam intuentes mercedem, & ideo ait: *si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt,quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt; & si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia*: ex quibus verbis Sot.infert, quòd si Christus loqueretur de vsura, non dixisset,*æqualia*,quia non est in more, vt fœnebre lucrum sit sorti æquale, sed dixit, *æqualia*, hoc est paria bona gratuito refusa: idem est, inquit, quod subdit: *Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes*, idest, nullam ab hominibus gratiam, sed à Deo,quare subdit: *erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi*; & ex his Sot. concludit, ineptam

ptam esse glossam, quæ hunc Euangelij locum: *mutuum date, nihil inde sperantes*, exponit, vt prima pars, *mutuum date*, sit consilium, posterior verò pars, *nihil inde sperantes*, sit præceptum: Vlterius Sot. ne videatur in hoc dissentire ab Ecclesiæ interpretatione, de qua in iuribus citatis, num. præcedenti, ait, verum esse, vt dicitur in dd. cap. quia in omnibus. & cap. super. vtraque testamenti pagina prohibitam esse vsuram, quia de testamento veteri patet in pluribus locis, de quibus mentionem faciunt ij, quos citaui in meo tract. de iudic. &c. lib. 2. cap. 9. num. 554. & de testamento nouo patet, inquit, in septimo Decalogi præcepto, *non furtum facies*, quod est noua lege confirmatum, Matth. 19. num. 18. & ad cap. consuluit. respondet, quòd Papa non vbicunque citat testimonia sacræ paginæ in aliquo sensu, intendit canonizare eundem sensum, tanquam de fide, sed citat quandoque illum secundum Doctorum opinionem. Præterea, inquit, illa euangelica sententia subministrat vim argumento per locum à maiori, nempè, quòd si Christus consuluit, vt neque speremus illud donum, quod est gratuitum, ideoq; separatum ab vsura, à fortiori significat, non esse expectandum lucrum vsurarium: huicq; Soti interpretationi consensit omnino Boninf. tract. de vēdit. ad temp. cap. 3. nu. 29. & seqq. & ab ea discedere non videtur Molin. de iust. tom. 2. de cōtract. disp. 304. vers. ex nouo. col. 235. & quòd vsura satis sit prohibita in testamento nouo, nempe in septimo Decalogi præcepto, vt dicit Sot. considerat etiam Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 7. 14. q. 3. cum vsura sit furtum, & rapina, vt latè ostendi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 64.

Quia his omnibus sigillatim respondeo.

Quoad Medin. resp. quòd etsi eius intellectus sentiat repugnantiam in eo sensu, vt prohibeatur illic vsura, tamen illum captiuat, & Ecclesiæ declarationi subijcit.

Quo verò ad Sot. & Boninf. qui non ita, vt Medina, captiuarunt eorum intellectum, respondeo dupliciter.

403 Primo, quòd tàm Medin. quàm Sot. Boninf. & cæteri communiter (quod ad rem principaliter attinet) profitentur, vsuram esse prohibitam, & multis quidem rationibus, quas referunt Io. Andr. in cap. peccatum. sub num. 12. q. 2. de reg. iur. in 6. cuius repetitionem ipse ponit per appendicem, ad cap. possessor. Calder. in cap. nauiganti. num. 23. & seqq. de vsur. inter Repeten. tom. 4. fol. 371. & Laur. de Rodulph. in d. cap. consuluit. in princ. num. 13. & seq. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 16. &, omissa illa generica, quòd; si vsura esset licita, sequerentur omnia mala, quia plus intenderetur fœnori, quàm agriculturæ; vnde homines, maximè pauperes fame perirent, & quia soluentem ducunt ad paupertatem, & alia producit mala, vt referunt Calder. & Laur. de Rodulph. in locis proxime citatis; omissa etiam illa, quòd vsus pecuniæ etsi non sit ipsius pecuniæ consumptio, sed sit distractio, tamen pecunia est similis vino, alijsq; rebus, quæ vsu consumuntur; & ideo sicut qui vellet vendere seorsum vinum, & seorsum illius vsum, bis eandem rem vendere videretur, & sic venderet id, quod non est; ita etiam qui mutuat pecuniam, non potest vsum pecuniæ separare ab ipsa pecunia, & consequenter non potest duas recompensationes petere, nempè restitutionem rei equalis, & pretium vsus; quæ ratio placet D. Thomæ, vt refert Calder. in d. cap nauiganti. sub num. 24. omissis inquam his rationibus, & alijs tribus, quas idem Laur. de Rodulph. adducit num. 14. ad ostendendum, vsuram esse contra naturam; ratio, quam Iuristæ communiter adducunt, & ipse eam sequitur num. 15. versus finem, & mihi cæteris efficacior, & clarior videtur, est, quia mutuator reciperet lucrum ex eo, quod non est suum; mutuum enim est, quod de meo sit tuum, sicq; cum mutuatarius efficiatur dominus pecuniæ mutuatæ, non debet soluere vsuras rei suæ, Dec. cons. 119. sub num. 4. imò efficitur dominus, & possessor: Ergo impossibile est, quòd res pariat fructum non domino, & non possessori, Anch. in cap. peccati. sub num. 9. vers. ad quintam rationem. de reg. iur. in 6. & Dec. remouendo aliquas difficultates, in l. 2. §. creditum. num. 3. not. 3. in 2. lect. ff. si cert. pet. & Nauar. in d. cap. si fœneraueris. num. 7. versus finem, & de his rationibus latè etiam Couar. var. resolut. lib. 3. 404 cap. 1. num. 5. vers. superest. † sicque vsura habet malitiam in se ex inæqualitate, quæ iustitiæ aduersatur, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 2. vers. iam ad argumenta. col. 11. in fine, fol. 307. & consequenter ex natura rei est illicita, quia ex natura rei est illicitum, & contra iustitiam commutatiuam, in vnius rei commutatione

pro

pro alia plus exigere, aut accipere, quàm res, quæ datur, valeat: sed accipere aliquid vltra sortem pro mutuo, est pro commutatione rei mutuo datæ accipere plus quàm valeat. ergo est contra naturã, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 304. vers. ex natura rei. col. 230. ideoque vsura est peccatum, quod originem non ducit à prohibitione legis, sed à se ipsa, quia ex sui natura est vitiosa, & habet malitiam conuolutam, & virtuti contrariatur, & quia ex sui natura est peccatum, ideo est prohibita, non autem est peccatum, quia sit prohibita, Medin. in loco supra proximè citato, & Io. Andr. in d. cap. peccatum. sub num. 12. q. 2. quod eo potissimo ostendit argumento, quia Arist. lib. 1. polit cap 7. quem citaui etiam infra q. 7. par. 1. sub num. 68. nulla lege arctatus, vel edoctus, sed sola naturali ratione ductus, vsuram detestatus est, dicens, quòd monstruosè tempus ex nulla præexistente materia pareret pecuniam, & esset contra naturam, vt nummus pareret nummum, quod Arist. dicere non potuisset, nisi vsura ex sui natura esset vitiosa; quo eodem argumento vtuntur Boninf. d. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. sub num. 27. & 28. & Molin. d. disput. 304. vers. confirmare etiam. col. 235. & adde quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 64. & proinde vsuræ peccatum est contra præceptum naturale, seu, inquam, vsura est prohibita etiam de iure naturali, vt dixi hic supra num. 401. ideoque vsuram esse indispensabilem scribit Sot. d. art. 1. vers. in secundo argumento. col. 11. & 15. fol. 529. quem secutus sum supra nu. 320. subext. 3.

405 † Adeoque vsuram committere est peccatum mortale, vt asserere contrariũ sit hæresis, clem. vnica, in fine de vsur. Sot. eod. art. 1. vers. quapropter. in fine, Nauar. in man. confes. cap. 17. de vsura circa mutua, n. 207. vers. habetur secundo. & in cap. si fœneraueris. num. 14. not. 8. 14. q. 3. Molin. d. disp. 304. vers. iam verò. col. 236. Hocque vsuræ peccatum est punibile non solum in foro interiori, cum sit peccatum mortale, vt dixi, sed est punibile etiam in foro exteriori, & seculari, vt secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 20. in fine, num. 30. quare concludendo dico, quòd communiter omnes conueniunt in hoc, quòd vsura sit omni iure prohibita; & tolerantia iuris ciuilis est sublata, vt scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 45. vers. aduerte.

Secundo resp. particulariter ad Sot. quòd etsi ex illo textu Luc. 6. posset sumi ille intellectus, vt loqueretur de consilio, eo modo, quo explicant Med. Sot. & Boninf. & non de præcepto, tamen quia potest etiam intelligi eo modo, quo explicat Gl. nempe, vt prior pars, *mutuum date*, sit de consilio, & posterior, *nihil inde sperantes*, sit de præcepto, vt contra Sot. scribunt Nauar. d. cap. si fœneraueris. num. 8. in fine, & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. q. 2. col. 454. vbi de communi Theologorum, & Canonistarum opinione, de qua communi etiam ante eum testatus est Couar. d. cap. 1. sub num. 5. vers. iure diuino. & hunc intellectum iam approbauit Ecclesia in d. cap. consuluit. debet Sot. ex duabus præcipuis rationibus huic intellectui acquiescere:

406 † Prima ratio est, quia temerarium est reuocare in dubium interpretationem Sanctæ Matris Ecclesiæ, deq; ea disputare est illi inferre iniuriam, siquidem, vbi habemus casum legis, cessat disputatio, alias fieret iniuria legum latori, vt scripsi in meo tract. de iudic. &c. lib. 1. cap. 63. sub num. 1. vers. sed nimis. Neque dicat Sot. quòd ipse non contendit contra Ecclesiæ interpretationem, sed contendit, Ecclesiam in illo cap. consuluit. non approbasse illum sensum, quem allegat, quia (sit Soti pace dictũ) hic videretur error peior priori, vt Ecclesia non approbet dictum, in quo dispositionem fundat.

407 † Secunda ratio quare Sot. debeat acquiescere, est, quia hęc interpretatio admittit, quòd Christus loquatur illic consultiuè etiam quoad mutui dationem, cum datio mutui ponatur inter consilia, ideoq; homo non semper teneatur dare mutuo, D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. in 4. argum. & in respons. ad illud. & sic satis est, quòd inter alia opera charitatis consulat etiam mutuationem, ad quam ex præcepto non tenemur, sed velle, quòd illic etiam consulat, retributionem, quantumuis licitam, non esse sperandam, & sic omittat prohibere vsuram, quæ committitur, sperando retributionem illicitam, est quasi redarguere legislatoris prudentiam, vt maiorem habuerit curam de consulendis, quàm de præcipiendis; sed nos debemus euitare interpretationem, quæ prudentiam dicta tacitè reprehenderet, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 2. sub num. 28. ergo. Nec dicat Sot. legislatoris prudentiam non redargui, quia vsura, vt ipse ait, satis fuit

fuit prohibita in illo præcepto, *furtum non facies*. Quia resp.quod cum vsura sit peccatum graue, quasi non inferius homicidio, sicq; potius maius furto, vt scripsi infra q.7. par.2.ampl.19. sub num. 64. ideoq; in lege veteri de ea nominatim, & repetita sit facta prohibitio; quasi ea, quæ includeretur sub prohibitione furti, non sufficeret; debuit etiam lex noua eam nominatim prohibere, ne de illius prohibitione daretur ansa dubitandi: etsi enim sub illis præceptis, quasi primis principijs, *facere bonum, & declinare à malo*, includantur, ac deducantur omnia; tamen lex prudenter cætera explicat, & proinde sicut sub præcepto, *nec rem cupies alienam*, includitur prohibitio furti, & tamen lex nominatim prohibet furtum; ita etiam fuit expediens, vt quamuis vsuræ prohibitio posset contineri sub prohibitione furti, tamen nominatim prohiberetur.

Vna circa hoc sextum præmissum superest addenda declaratio, quòd etsi committere vsuram sit peccatum contra naturam, vt ostendi supra sub num. 404. tamen eam committere dicitur is solus, qui eam recipit, non autem is, qui eam soluit: licet enim is, qui eam soluit, videatur consentire; imò occasioné præbere; tamé is non peccat, Nauar.in man.confess.cap.17.nu. 246.vers. non obstat,&, articulo discusso, Sot.de iust. & iur. lib. 6.q.1. art.2.fol.553.& ratio est, quia is, qui eam soluit, censetur per vim soluere; & ideo, qui vsuram accipit, dicitur rapinam, & furtum committere, vt secutus sum infra q.7.par.2. ampl.19. nu.64. ergo sicut in rapina, & furto peccat, & punitur raptor, & fur, & non is, qui rapinam, & furtum patitur; ita etiam peccat & punitur, qui vsuram recipit, & non qui soluit.

Subdeclara adhuc cum Soto vbi supra, & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. contr.1.& 2.fol.420.& seqq. tom.2. distinguendo duos casus.

Primus casus est, quando qui dedit pecuniam ad fœnerandum, & inde vsuras recepit, erat paratus pecuniam dare sub vsuris: & isto casu procedit declaratio,& in his terminis loquuntur Sot. & Mich. Sal. supra citati: hincq; est, quòd accipere pecunias sub vsuris à Iudæis, qui sunt parati ad fœnerandum, non est peccatum, siue Iudæi, dando eas, peccent contra naturam, per ea, quæ scripsi infra §.3 gl.3.num.45.& seqq. siue non peccent: alias Christiani, accipiendo ab eis pecunias sub vsuris, peccarent, quod est falsum, quia Ecclesia hoc non toleraret.

Secundus casus est; quando qui dedit pecunias sub vsuris, non erat paratus, sed fuit inductus, & persuasus ad fœnerandum ab eo, qui pecunias accepit sub vsuris: & isto casu concludo, vtrumque peccare, testibus Sot.& Mich. Sal.in locis supra proximè citatis, quia, vt loquendo generaliter de facientibus malum, inquit Apost.ad Rom.1. in fine: *qui talia agunt, digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

Et nunquid isto casu, cum sint in pari causa turpitudinis, teneatur qui vsuras accepit, eas restituere, dixi supra sub num.331. vers. respondeo.

Restringe cóclusionem huius secundi casus, vt tunc qui inducit ad mutuandum sub vsuris peccet, quando non erat in extrema necessitate; sed, si erat in extrema necessitate, Nauar.in man.confess. cap. 17. nu.263. nulla adducta controuersia, transit cum opinione negatiua, quòd non peccet; pro qua bene militant quæ scripsi infra q. 7. pat. 2. ampl.19. sub num. 67. vers.non obstat. Verum, quia articulus est satis dubius, tum propter opinionum contrarietatem, tùm propter argumenta hinc inde militantia, tu maturius cogitabis, & interim consulas Sotum d.art. 2. & Mich.Sal. d. controu.1. qui latè examinant, & mihi diutius non licet insistere.

408 His præmissis, concludo, quòd etsi mutuans, qui ratione temporis, recipit aliquid vltra quantitatem, mutuo datam, faciat contra præcepta naturalia, & diuina, vt ostendi; & ideo committat vsuram, Spec.tit. de vsur. sub num. 6. vers. sed pone. lib. 4. fol. 188. & latè Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti.§.2.num.1.de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. & communiter omnes in diuersis locis.

Tamen extant plures casus, in quibus potest in mutuo sine vsura aliquid recipi vltra sortem, non tamen ratione solius temporis.

409 PRIMVS casus principalis est, quando ego mutuo solidú, qui modo valet vnum modium, & post valebit duos, quia licet isto casu plus recipiam, quàm dederim, tamen non est vsura, Archid.in cap. 5. si quis clericus. versus finem, 14. q.4. Lauren.de Rodulph.in cap.consuluit.par.2. q.28. nu. 10. in fine,

in fine, de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. & latius par. 3. sub nu. 1. & 2. fol. 37. Alex. cons. 61. viso processu. sub num. 13. vers. nec obstat. lib. 2. dicens, quòd si mercator Bononiæ recipit à te centum sex florenos auri, & facit tibi dari in ciuitate libras decem grossorum: istud, inquit, potest esse cambium licitum, quia poterit esse, quòd libræ decem grossorum tempore, quo soluuntur, valebũt vltra dictos centum sex florenos, & poterit etiam esse, quòd valebunt minus, & hoc licet sit plus accipere, tamen non est vltra sortem accipere, quod idem scribit Laur. de Rodulph. in d. cap. cõsuluit. par. 2. q. 26. sub num. 8. versus finem, tom. 7. fol. 22. dicens, quòd Florentiæ tantum valent centum sex, vel septem floreni, quantùm Venetijs centum ducati, vel plus, vel minus, & ideo, inquit, non plus soluitur, sed tantundem, & ex eo sequitur Archiep. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 48. num. 76. tom. 7. fol. 86.

410 Ratio huius primi casus est, quia valor monetæ mutuo datæ, crescit, & decrescit mutuanti, Laur. de Rodulph. d. par. 3. nu. 2. & 3. fol. 37. & Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, num. 294. versus finem, & in cap. nauiganti. vers. decimonono. num. 48. vers. sequitur secundo. de vsur. vbi loquitur, quando moneta crescit, & mutuãs erat illam seruaturus, vel alias fecisset pactum, vt redderetur eiusdem speciei; sed de his vide quæ latius secutus sum §. seq. gl. 5. num. 148. & seqq.

411 Confirmatur hæc ratio, quia in hoc valet argumentum à mutuo aliarum rerũ ad mutuum pecuniæ, vt dicit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 7. q. 2. vers. duæ sunt. & vers. seq. sed in alijs rebus valor crescit, & decrescit mutuanti, vt secutus sum cas. seq. num. 415. ergo.

Quicquid dicant Sot. & Card. Tolet. quos citaui §. seq. gl. 5. num. 152.

412 Restringe hanc rationem, seu potius casum, vt non procedat, quando mutuans faceret pactum cum mutuatario, quòd teneatur restituere eandem speciem monetæ secundum æstimationem, quam habet tempore mutui; & procedit hæc restrictio, etiam si mutuans probabiliter credat, valorem illius monetæ Principis auctoritate esse minuendum, ideoq; faciat prædictum pactum; quia dummodo mutuatarius velit eam monetam in suos vsus impendere, antequam minuatur, hoc mutuum est licitum, & non potest argui de vsura, Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 7. vers. quæres an qui. quia mutuans non intendit lucrari, & sic recipere vltra sortem, sed intendit euitare damnum, & sic se defendere, quæ defensio conceditur, etiam si ex ea sequatur damnum alterius, quia prima charitas incipit à seipso, vt secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 73.

413 Contra hanc restrictionem in eo, quòd mutuans scit, illam monetam esse minuendam, obstat, quia licet sciat etiam, mutuatarium illam expensurum, antequã minuatur, tamen ex hoc conuincitur, quòd scit etiam hoc, quòd recepturus illam monetam à mutuatario, remanebit deceptus; & sic tam mutuans, quàm mutuatarius, si ipse quoque diminutionem futuram sciret, erunt in mala fide, ideoq; contra eos posset dubitari ex his, quæ scripsi par. seq. ampliat. 10. num. 16. exempl. 3.

414 Contra eãdem restrictionem obstat, quia creditor non tenetur accipere monetam, cuius valor est de proximo minuendus, per ea, quæ scripsi §. seq. gl. 3. num. 117. vers. confirmatur. si non tenetur, & dolo aduersarij inducitur in damnum ipsius creditoris ad accipiendum, hæc inductio erit contra bonos mores.

415 SECVNDVS casus principalis est in mutuo aliarum rerum, vt puta, cum ego mutuo tres corbes frumenti, & tempore, quo reddi debet, efficitur carius, tamen mihi reddi debent tres corbes, & hoc non est vsura, quia si efficeretur vilius, nihilominus mihi tres corbes frumenti essent reddendæ, & non plures, Archid. in d. cap. 5. si quis clericus. Salyc. in auth. ad hæc. num. 17. q. 19. C. de vsur. Laur. de Rodulph. in d. cap. consuluit. par. 2. q. 27. num. 9. fol. 22. & exagerat par. 3. num. 2. & 3. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 37. Archiep. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 49. num. 79. & 80. eod. tom. 7. fol. 86. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. in 2. conditione vsurarij contractus, col. 9. fol. 537. & q. 12. art. 1. conclus. 2. in fine,

416 fol. 614. † quare qui mutuat vnam corbam, quæ nunc valet vnum aureum, & quando recipit valet duos, dicitur recipere plus, quàm dederit, sed non vltra sortem, Alex. d. cons. 61. sub nu. 13. & ita etiam (excepto casu, quo mutuans pacisceretur, vt debitor non posset restituere, nisi eo tempore, quo

mutuans petet, quia iste casus est vsurarius) concludit Anch. in cap. peccati. q. 7. sub nu. 11. de reg. iur. in 6. Quinimo iste secundus casus est verus, etiam si pretium creuisset solùm post moram, quia adhuc mutuator potest licitè recipere illud plus, tanquam interesse, Salyc. vbi supra, adde quæ scripsi §. seq. gl. 5. sub num. 147. & seqq.

417 Declara hunc casum mutui in certa specie rerum, vt procedat cum hac intelligentia: quis mutuat rem tempore, quo minus valet, quàm valeat tempore, quo restituitur, nullo tamen existente pacto, nullavè existente probabilitate illius maioris valoris, nec illius gratia mutuum factum est; vt puta mutuat vinum, vel frumētum, vel aliquid aliud tempore, quo minus valet, accidit postea, vt cum ista reddi debent, plus valeant; in tali casu potest aliquando esse vsura, aliquando non: Aut enim non mutuauit, sed vendidit, & tunc non potest plus accipere, quàm pretium, quo illa valebant tempore, quo vendita sunt, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. in 2. conditione vsurarij contractus, col. 8. in fine, & col. 9. fol. 536. & 537. Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 34. de alijs causis, &c. num. 1. initio, & Nauar. in man. confes. cap. 17. n. 225. ibi, quia non est etiam. & in hac venditione potuerunt dupliciter conuenire: vel enim conuenerunt, quod emptor soluat pretium in pecunia numerata, & soluet: vel conuenerunt, quòd det ei in solutum tantam quantitatem eiusdem speciei mutuatæ, & dabit; vt puta, vendidit decem modios frumenti, pecunia credita pro pretio scutorum decem ad rationem vnius scuti pro modio: tempore solutionis modius valet solum medietatem vnius scuti, & sic pro scutis decem debet dare modios viginti, Sot. & Nauar. vbi supra; & adde quæ scripsi infra q. 7. par. 1. num. 56.

418 Et hæc de venditione: † Aut non sunt vendita, sed mutuata: & isto casu debet restitui eadem quantitas speciei mutuatæ in ipsa specie, vel in pretio, quo valet res mutuata; quare si mutuati sunt decem modij frumenti, & tempore, quo restitui debent, quilibet modius valet quinque iulijs, & quando fuerunt mutuati, quilibet modius valebat decem iulijs, debet mutuatarius restituere præcisè decem modios, vel quinquaginta iulios, vt secutus sum supra num. 415. † Sed

419 istud mutuum posset ex tempore, adiecto solutioni, consideratoq; probabili valore rei mutuatæ, & intentione mutuatoris, effici, vel non effici vsurarium: Vel enim mutuator sciebat probabiliter, tempore, quo illa erant restituenda, plus valitura, obligauitq; mutuatarium, vt non antea solueret, spe lucri, & tunc plus accipere, quàm erat pretium tempore mutui, est vsura, Sot. d. art. 2. col. 10. initio, fol. 537. Card. Tolet. vbi supra, & Nauar. quem secutus sum infra q. 7.

420 par. 1. num. 32. † Vel ignorabat, nec tali intentione mutuauit, sed casu plus illo tempore res valuit, seu ipse non mutuauit lucri intentione, & tunc potest exigere frumentum, vinum, vel oleum sibi dari, etiam in pretio, quo valet tempore restitutionis, vt ex communi opinione sequitur Card. Tolet. d. cap. 34. de alijs causis, &c. num. 1. initio, & ad hoc facit, quod ex Nauar. secutus sum d. num. 32. ibi, secus tamen si verisimiliter. quia si valeret minus, idem dicendum esset in damnum mutuatoris, siquidem debet recipere tot in mensura, quot dedit, licet minus valeant, Card. Tolet. d. cap. 34. in fine initij.

421 Subdeclara, vt si quis mutuaret alicui, non præscripto tempore restituēdi mutuum; & tamen, quando videret, talem rem vilius valere, non peteret, expectando tempus, quo carius valeret, talis esset auarus, & peccaret contra charitatem, non tamen esset vsurarius, nisi impediret mutuatarium, quò minus restitueret, cum vilius valeret res mutuata; aliter non facit contra iustitiam; non enim tenetur debitorem aduertere, nam ille debebat hoc considerare, Sot. d. q. 1. art. 2. col. 9. ibi, quæris autem quid si mutuo, fol. 537. & Card. Tolet. d. cap. 34. num. 2. vers. primum est.

422 TERTIVS casus principalis est; quando qui pecuniam mutuo, seu cambio accepit, est eam danti restituturus in alio loco, in quo potest duabus ex causis minoris æstimari, & consequenter debetur interesse: primo, quia loci ad locum est dare interesse propter onera expensarum, quæ fiunt, conducendo institores ad illa loca, vt recipiant pecunias, Io. de Anan in cap. 19. nauiganti. sub num. 46. de vsur. & ibidem Ioan. Bapt. Lup. §. 2. sub num. 34. vers. infertur quinto. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 140. † & quòd

423 in puro mutuo mutuans possit vltra sortem recipere lucrum, non ratione mutuationis, seu dilationis solutionis, sed ratione loci, eo quia mutuans est solutionem recepturus in

distanti

distanti loco, pro qua receptione, & reductione pecuniæ ad domum requirantur labores, impensæ, & operæ, scribit Conrad. de contract. q. 99. in 4. supposit. in fine, & in 4. concl. in quarto modo, ibi, secundo autem seruit ei in loco. & probatur ex his, quæ secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 74. † quatenus moneta præsens regulariter pluris valet, quàm moneta absens, quia emens monetam absentem, debet maiora onera, & pericula subire in eam conducendo, Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 26. sub num. 8. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. Archiepisc. Florent. quem copiosè secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 42. in fine, & sub num. 44. Io. à Capistr. tract. de vsur. par. 2. secundæ par. num. 146. tom. 7. fol. 111. Io. de Anan. in cap. vlt. 19. nauiganti. sub num. 50. Nauar. vers. decimotertio. num. 15. & vers. vigesimoprimo. nu. 62. de vsur. quem latius secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 45. idem Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cãbia. sub n. 295. ibi, & sic qui mutuat. & cons. 31. reuerendiss. vers. tertium notabile. lib. 5. de vsur. Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, pro decisione. num. 21. tom. 6. par. 1. fol. 409. Fabian. Genuen. tract. de camb. cap. 4. sub num. 53. tom. 6. par. 1. fol. 416. & clarius cap. 6. initio, & num. 61. fol. 417. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 6. q. 3. vers. caietanus. & Romoald. Coli Lucen. tract. de cãb. cap. 17. & cap. 25. vers. francesco. † & quod cãpsor ex cãbio de loco ad locũ, siue prius recipiat, vt alibi reddat, siue prius det, vt alibi recipiat, possit licitè pretium accipere, suadetur, quia posset agaso, & nauta, vt transportaret pecuniam, pretium perinde, atque ob aliarum rerum vecturam recipere; & qui hic dat pecuniam, vt alibi recipiat, idem efficit, siquidem transfert pecuniam aliunde huc; sicut & qui hic recipit, vt alibi reddat, transfert eam hinc illuc; ergo id potest pretio æstimari: accedit, quòd pecuniarum traductio, maximè ab vno Regno in alterum, multis subijcitur periculis, tàm bellorum, quàm latronum, atque etiam submersionis, si mari, & ventis committatur; imò aliquando inhibitum est, pecunias à Regno extrahi, ideoque hac ratione sola campsori pretium debetur, hisq; demum de causis expedientissimum esse, vt campsores existant, qui in diuersis prouincijs pecuniam habeant, aut fide polleant, & vt aiunt, creditum habeant, quo absque auri, & æris transportatione pecuniam per litteras transmittãt, scribit Soto de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 1. rat. 2. col. 3. initio, fol. 609. quod per alia verba antea eum scripsit Conrad. de contract. d. q. 99. in 4. concl. in 4. & 5. modo seruiendi, & post hos & breuius, nemine ex his citato, Romoal. Col. d. cap. 17. vers. la seconda. ibi, la terza è. † & quòd nummularius ratione obsequij, quod alteri præstat, cum fungatur officio illius, qui tunc pecuniam hinc aliò deferret, item ratione periculorum, laborum, & impensarum, quas sustinet, vt in alio pecuniam soluat, & demum ratione publici officij, quod facit in gratiam, & vtilitatem multorum, congerendo, asseuerando, & parando pecunias; & famulos, & ministros conducendo, debeat semper ex hoc cambio lucrum accipere, scribit Io. Azor. de instir. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 3. & ead. repetit cap. 6. q. 3. vers. caietanus. & vers. seqq. & cap. 7. vers. in primis. & vers. seqq. † & in summa non conuenit, vt mercator, qui dat pecuniam præsentem pro pecunia absenti, recipienda in alio loco, ponat expensas, operam, & sudorem ad aliorum vtilitatem, Hier. de Luc. in loco supra proximè citato, & Archiepisc. Floren. quem secutus sum infra q. 7. par. 1. nu. 44. & quòd in cambijs eò maius exigatur lucrum, quò ad distantiorem locum cambitur, cum maior distantia maiores exigat labores, & impensas, quàm minor, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 8. initio, & vers. & dicendum. in fine, col. 2. fol. 369. Et demum habendam esse in cambijs rationem longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, statuit Pius V. in constit. super cambijs in fine, edita anno 1566. Kal. Februarij, quam habes infra §. 9. nu. 52. † & in hac pecuniarum translatione non consideratur, quòd campsor aliquando transuehit sine labore, & sine expensis, & quòd imò vt plurimum lucratur, quia nihilominus ei debetur merces, seu aliquod lucrum honestum, tùm quia non est verum, quòd trahat sine labore, & expensis, siquidem conficit litteras cambij, litteras, vt vocant, *de auuiso*, & curam ponit in hac negotiatione, tenendo famulos, & scriptores, cuius curæ, & officij ratione conuenit, vt habeat remunerationem, tum quia hoc est per accidens, vt latius hæc omnia considerabui infra ead. q. 7. par. 2. ampl. 6. num. 1. bergè

verum est, quòd ista merces, seu remuneratio non debet habere ullam proportionem cum illa, quæ daretur agasoni, seu nautæ, qui propriè sine alio negotio realiter transportaret; sic videmus, tabellarijs publicis pro litterarum redditione dari quid minimum respectu eius, quod dari deberet illi, qui litteras sine alio negotio afferret, & ita intelligas, quod non apertè scribit Romoal. Col. tract. de camb. cap. 5. in fine principij, & ista merces, seu lucrum solet esse quinque pro centenario, & vulgariter dici solet, *il costo*.

429 † Secunda causa est propter copiam, vel inopiam pecuniarum, quia etiam ratione copiæ, vel inopiæ datur interesse de uno ad alium locum, sicque potest sine usura plus, minusvè recipi, quàm sit datum, vt secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 48.

430 Confirmatur primo iste casus in prima causa; quia propter eandem expensarum, & risici rationem potest quis nomen debitoris, præsertim non idonei, emere tanto minori pretio, quantum possunt importare impensæ, & labores, qui erunt necessarij ad illud nomen debitoris, idest, debitum exigendum; vt puta, si debitum sit scutorum mille, & impensæ, & labores, necessarij ad consequendum dictos scutos mille, possint ascendere ad scutos tercentum, pretium competens erunt scuti septingenti, quia tot remanent, deductis expensis, & labore, Bar. in l. 22. per diuersas. num. 6. & 7. C. mand. & Bal. in l. 2. nu. 3. in fine, C. ne lic. in potent. al. quod idem sentire visus est Innoc. in cap. 2. ex parte. num. 3. vers. & est sciendum. de alien. iud. mut. ca fac. dicens, quòd redemptiones litium inter laicos non potentiores satis licitæ sunt, & eis datur actio vsque ad quantitatem datam, & sub num. 2. ait, simulatam præsumi actionis cessionem, si pro modico pretio vendatur actio, & ita videntur communiter sentire Doct. quòd actio non possit emi pro minori pretio, quàm sit in ea, nisi habito respectu ad expensas, & labores; prout de hac communi testantur Abb. in d. cap. ex parte. sub num 6. & loquendo de emptione certi, liquidi, & exigibilis crediti, soluendi infra certum terminum, quòd non possit, eo quòd ematur præsenti pecunia, emi minori pretio, scribunt Franc. Garcia tract. de contract. cap. 19. sub num. 2. vers. ma il contrario. Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 3. vers. porrò. & seqq. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 17. sub num. 4. vers. oppositum docent. & num. 5. vers. ex his. fol. 308. & 309. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 10. q. 5. vers. in hac controuersia. col. 653. & lib. 10. tit. de camb. cap. 7. q. 3. vers. in hac quæstione. iuncto vers. duæ sunt. col 877. quam opinionem secutus est etiam Boninf. tract. de dimin. pretij, &c. cap. 4. per totum, & ex his Garcia, & Lopez testantur, & sequuntur hanc esse veriorem, & securiorem opin. & reliqui, esse communem contra tertiam comprobationem, quam posui infra q. 7. par. 1. sub num. 80. supposito tamen debito liquido, certo, & exigibili sine ulla difficultate, Ita vt habita sit ratio solius solutionis anticipatæ, & sic solius temporis.

431 Quinimo ratione periculi, seu risici potest, etiam impensis, & laboribus deductis, adhuc minori pretio emi, vt scribunt Abb. vbi sup. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 2. col. 4. ibi, facti enim. fol. 617. dicens, æs alienum, quod à debitore propter paupertatem, vel fidei tenuitatem non est recuperatu facile, minoris vendi posse, quàm sit eius quantitas, quia, inquit, neque merces, insanis ventis commissæ, tanti emerentur, quàti, si essent in portu, Garcia d. cap. 19. circa initium, sub num. 1. Io. Azor. d. q. 3. vers. cæterum. & non discrepat Lopez d. cap. 3. vers. igitur conclusio. dum emptionem pro minori pretio impugnat, quando absunt pericula, &c. & ab hac opinione non videtur discedere Archiepisc. Florent. tract. de usur. cap. 3. §. 12. num. 23. tom. 7. fol. 88. dicens, quòd est usura, si emptor vult diminuere pretium solùm propter hoc, quia nunc soluit, secus si propter alias causas iustas; quem latè sequitur Boninf. tract. de diminut. pretij, &c. cap. 4. num. 1. in fine, & 2. & satis comprobatur ex his, quæ scripsi infra q. 7. par. 1. num. 80. præsertim comprob. 3. & hæc similiter est communis opinio; quicquid dixerit in contrarium Crot. in cap. 6. in ciuitate. num. 43. & seqq. de usur. inter Repet. tom. 4. fol. 367.

432 † & quòd quis possit à creditore emere ius crediti minori pretio, etiam ob anticipatam solutionem, licet debitor minori pretio redimere non possit, scribit Io. Azor. quem citaui infra q. 7. par. 2. ampl. 3. sub num. 13. & quòd ratione periculi pecunia minus valeat, & periculo dicatur exposita, etiam quando est absens, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per usur. acquis. q. 7. col. penult. vers. inde fit. fol. 368. dicens,

dicens, quòd licitum est pro multa pecunia, in naui tempore tempestatis existente, longè minorem dare, & pro centum ducatis, Hispali, aut alio in loco distanti soluendis, licitum, inquit, est aliquod minus dare.

433 Ratio est, quia minus valet actio, quàm res, ad quam datur actio, tum propter dubium litis euentum, cum posset perdere causam, etiam iustam propter iudicis defectum, tùm quia debitor posset interim effici inops, ideoq; cum quis emat quasi spem, & euentum iudicij futuri, ridiculum est dicere, quòd pretium de necessitate debeat esse tantum, quantum est in actione, Abb. vbi supra; pro qua ratione adde quæ scripsi infra q.7.par.1.sub num.80.comprob.3.quicquid contra Abb. scripserit Crot.in loco supra proximè citato. † Imò, si debitor sit valdè potentior, creditum potest minori pretio vltra dimidiam emi, quia est quasi perditũ, vt scripsi infra q.7. par.2.ampl.10.num.75. in fine. † & quòd ratione dubij, quantum res sit valitura, contractus sit licitus, scribit Innoc.in cap.6.in ciuitate. versus finem, de vsur. & quòd propter timorem vexationis, & futuræ inopiæ, & malignitatis debitoris possit venditor ad credentiam carius vendere, secutus sum ex B.Io.à Capistr.& Medin. infra q.7.par.1. num. 78. sicq; periculum habet vim vndique mutandi pretium.

434

435

Alio ergo pretio emi potest nomen debitoris potentis, & rixosi, seu difficilis; alio nomen debitoris facilis; alio nomen debitoris diuitis; alio nomen debitoris inopis; alio nomen certum, & sine periculo; alio nomen dubium, litigiosum, & cum periculo, vt scripsi etiam infra q. 7. par. 2. ampliat. 10. sub d. num. 75.

436 Confirmatur secundo, attenta vtraque causa, de quibus supra num. 422. & 429. quia pretium iustum cuiusque rei dicitur illud, in quo æstimantur, & considerantur bonitas intrinseca ipsius rei, copia, & inopia, impensa, & labor, qui in transportatione de vno ad alium locum requiruntur, item solicitudo, & impensa, quæ in eius conseruatione sunt adhibendæ, & demum considerari debet periculum, quod vendens in illius rei acquisitione, & transportatione subijt, prout considerat Sot. quem secutus sum §.seq.gl.3.num.104. & latius hæc omnia, nulla de Soto facta mentione, Nauar. in man.confess. cap.23. sub num.78.

437 Infero ex adductis in isto tertio casu, quòd nummularius ex hoc cambio, seu mutuo lucrum consequi non potest ratione lucri cessantis, quamuis sit nummularius, seu mercator, Ioan. Azor. d. tit. de camb. cap.6.q.3.

438 Contra hanc illationem: quòd enim nummulario mutuanti, seu campsanti, possit hoc lucrum deberi, etiam ratione lucri cessantis, & nulla habita ratione prædictorum laborum, periculorum, & impensarum, suadetur ea ratione, quia mutuanti debetur interesse lucri cessantis, si eo pacto mutuauerit, vt secutus sum infra q.7. par. 2.ampl.8. num.1.& seqq. sed nummularius; cum eius officium, & exercitium, ex quo se, suamq; familiam sustẽtat, versetur, in campsando, seu mutuando, videtur virtualiter, & ex natura negotij pacisci de lucro cessante, quia non est verosimile, quòd velit illud officium, ex quo forsan viuere debet, gratis in aliorum vtilitatem exercere: & pecunia mercatoris pluris valet, quàm pecunia non mercatoris, vt secutus sum infra q.7.par.2. ampl.8. sub num.225.

Nec obstat responsio, seu consideratio, quam facit Sot. de iust. & iur. lib. 6.q. 10. art.2. col. vlt. in respons. ad secundum arg. fol.611.& q.12. art.5.col.5.fol.626.&, de eo nulla facta mentione, Io. Azor. in loco sup. proximè citato, dum dicit, quòd nummularius suas pecunias in hanc, non in aliam negotiationem contulit: ideoque in eo non considerari lucrum cessans.

Quia replicando, distinguo: Aut consideramus aliam negotiationem, seu mercaturam, quàm nummularius non exercet, neque erat paratus exercere; & dico, quòd lucrum cessans respectu illius negotiationis sibi non debetur, quia verè ab illo lucro propter illud cambium, seu mutuum non cessauit: Aut consideramus negotiationem aliquam, à qua cessauit propter illud cambium, & tunc deberetur: Aut consideramus cambium verum, & licitum, à quo cessauit propter mutuum, seu cambium fictum, & dico similiter, ei deberi interesse lucri cessantis veri cambij, vt secutus sum infra q.7. par.2.ampl.8.num.1.& seqq.

439 QVARTVS casus principalis est, quando is, qui mutuo dat, patitur interesse ob illud mutuum, ideoq; de illo interesse in ipsa mutuatione paciscitur cum mutuatario, vel aliter, pacto non facto, ex mora mutuatarij patitur interesse; quo casu mutuatarius

tarius ratione interesse tenetur restituere, non solum, quod mutuo accepit, sed etiam totum illud amplius, quod mutuatoris interest, & quia huius casus materia est ampla, & extenditur ad quodlibet creditum, idcirco eum latè in opportuniori loco examinamus infra q.7. par.2. ampl.8. nu.1. & seqq. num.98.& seqq. & §. seq. gl.5. sub nu.147.

440 QVINTVS casus principalis, & formalis est in mutuo montis pietatis; sed prius quàm vlterius loquar de isto quinto casu, præmitto, quòd mons pietatis, substantialiter loquendo, est quædam summa pecuniæ, aut rerum, pecunia æstimabilium, quæ in pauperum refugium, vel à diuite vno, vel multis, aut Principe, vel Rep. aut aliqua Communitate reposita est, ex qua solet pauperibus mutuari gratis, Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.10. initio, fol.376. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §.3. num.2. de vsur. inter tract. diuers. tom.7. fol.141. Card. Tolet. tract. de instr. sacerd. lib.5. cap.38. de monte pietatis. Lud. Molin. de iust. tom.2. de contract. disp. 325. initio, col.300. vel dicitur mons per metaphoram, quia est pecunia in aceruum congesta, vt scribit Io. Azor. de instit. moral. par.3. lib.10. tit. de censib. cap.22. vers. primo itaque. in fine, & cap. 23. initio, & ante eum Sot. de iust. & Iur. lib.6. q.1. art.6. initio, & quòd mons pietatis constituatur modo prædicto, scribit idem Azor. d. vers. primo itaque.

441 † hoc præmisso, dico, quòd mons pietatis mutuat, accepto pignore, & postea recipit mutuum, & aliquid vltra, vt est notum omnibus, & Romæ, & in alijs quibusdam Italiæ Ciuitatibus, habet enim mons pietatis tria capitula: Primum, quòd ministri dicti montis custodiant pecuniam, positam in dicto monte, & stent parati ad mutuandum ægentibus tot aureos, puta, tres ad summum:

442 † Secundum, quòd ab accipientibus mutuo capiant pignora, & suo periculo custodiant in domo, ad hoc conducta, & pignora reddentibus mutuum intra annum restituant, alias, elapso anno, seu sesquianno, publicè vendant, & deducto prius pretio, quod monti debetur, quod superest, restituant domino rei pignoratæ, & omnium, & totalis suæ administrationis rationes scribant, & red-

443 dant: † Tertium, quòd vltra pecuniam mutuatam exigant duo, vel tria denaria pro quolibet scuto, & mense, vt recensent etiam Thom. de Vio Card. Caiet. tract. de mont. piet. cap.1. num.2. tom.6. par.1. fol.419. Io. Azor. d. cap.22. vers. primo itaque. & vers. tres. & seqq. vsque ad vers. his positis. & Card. Tolet. d. cap.38. dicens, dari mutuum ad breue tempus, vt possit pecunia multis mutuari, & per eam multis subueniri: item mutuari sub pignore, ne pauperes in soluendo sint negligentes, & mons consumetur, &, elapso tempore, vendi pignus, vt detur monti, quod ei debetur, & inde alijs possit subueniri: & mutuatarium debere singulis mensibus aliquam breuem summam erogare, pro expensis, quas ministri faciũt, hæcq; ferè omnia breuiter dixit Nauar. in man. confess. cap.17. nu.213. vers. in notabili 20. & quòd ratione operum ministrorum possit ex isto mutuo aliquid accipi, scribit etiam Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.10. vers. oppositum. fol.377.

444 Et licet Sot. de iust. & Iur. lib.6. q.1. art.6. & alij etiam post Lateranense Concilium, de quo infra, adhuc controuerterint, an illud mutuum montis pietatis sit licitum, vt recensent Io. Bapt. Lup. in d. cap. nauiganti. §.3. num.1. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol.141. & Boninf. tract. de montib. cap.3. num.1. in fine, & 2. & olim ante Lateranense Concilium sub Leone X. magna fuerit controuersia inter Doctores tàm Theologos, quàm Iuristas, an iste mons esset licitus, cum pro mutuo aliquid accipiatur, Medin. d. q.10. vers. facit. fol.379. Card. Tolet. d. cap.38. vers. quarto vt cui. Azor. d. cap.22. vers. his positis. & vers. seqq. & Card. Caiet. in toto illo tract. varias recenseat opiniones, & tandem in cap. vlt. 15. concludat, montem pietatis esse approbatum à Sede Apostolica, non autem eius capitula, nisi cum clausula (quatenus non sint sacris canonibus contraria) & tertium capitulum ipse impugnet, & dicat, peccatum fuisse facere imprimi illam constitutionem inter bullas, truncata dicta clausula, quam ipse oretenus audiuit, & vidit in copia bullæ Mantuanæ, & in 2.2. q. 1. art. 10. referat, se interfuisse Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. quo fuit declaratum, mutuationem montis pietatis non esse vsurariam.

445 Tamen, quicquid isti dicant; nos de hoc nullum habemus scrupulum, tum quia ità in Vrbe, sciente Pontifice, seruatur, & ideo nullus pœnitentiarius, seu confessarius super hoc audit, & scientia Papæ pro-

446 batur, † quia in Concilio Triden. cap.8. sess. 22. de

2. de reformat. disponitur, vt Episcopi visitent montem pietatis: Ergo Papa, qui est Episcopus Vrbis, debet habere notitiam, quid fiat, & seruetur in illo monte, tùm quia hodie ita, nulla considerata dubitatione, scribit Virg. de Boccat. tract. de interd. cap. 18. num. 160. tom. 3. par. 2. fol. 316. & alij moderniores, & mutua montis pietatis, vtì licita, contra Caiet. defendunt latè Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquisit. q. 10. col. 4. vers. oppositum & seqq. fol. 377. & contra eundem Caiet. & Sot. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia num. 288. quem retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 1. sub num. 1. & defendit etiam in cap. nauiganti. post vers. decimotertio. & ibi, septimo quia, nu. 15. de vsur. & latius in cap. si foeneraueris. not. 20. n. 59. & seqq. 14. q. 3. Card. Tolet. tract. de instr. sacerd. cap. 38. lib. 5. vers. quarto vt cui, & seqq. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 325. vers. contrariam sententiam. col. 301. & 302. & latè Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 22. vers. secūda sententia. & vers. seqq. & ad Caietanum, dum dicit, in illa bulla fuisse appositam præfatam clausulam (quatenus non sint sacris canonibus contraria) latè respondet Boninf. d. cap. 3. num. 2. versus finem, & seqq. & ego addo, quòd cum magna esset controuersia super hoc puncto, vt dixi supra num. 444. non est verisimile, quòd in bulla apponeretur eiusmodi clausula, qua difficultas, & controuersia denuo reuiuisceret, vel mōtis pietatis approbatio fuisset superflua, quia mutuare, & nil recipere vltra sortem à mutuatario, non habet controuersiam, ideoq; non indiget approbatione:

447 imò hodie hæc sententia non solum est communiter recepta, vt testatur & sequitur Io. Azor. d. vers. secunda sententia. sed, vt scribit Lup. d. §. 3. nu. 3. in fine, & nu. 4. fol. 141. hodie est temerarium de hoc disputare, &, vt ait Azor. d. cap. 22. vers. accedit, in fine, nemo potest absque periculo contrarium affirmare, cum in dicto Concilio Lateranēsi excommunicationis lata sententia constringatur, qui oppositum prædicare, & disputare verbo, vel scripto ausus fuerit, quod præmonuit etiam Lud. Molin. d. disput. 325. vers. in cōfirmationem. col. 302. vbi ex hoc miratur, Caietanum, & Sotum, viros doctissimos, ac de Theologia, Christianaq; religione benemeritos, parum reuerenter, nimisq; audacter circa Sūmi Pontificis, ac generalis Concilij definitionem, ad mores pertinentem, locutos, & plus iusto potestatem, quæ in Ecclesia est ad definiēdum, & declarandum, quæ ad fidem, & mores spectant, voluisse coarctare: sed licet Caiet. & Sot. cuius sententiam retuli supra sub n. 21. videantur nimis audacter locuti de auctoritate Pontificis, eamq; voluisse coarctare, tamen est aduertendum, quòd non sunt audacter locuti de potestate, sed de voluntate Papæ, de qua datur licentia dubitādi; sed, omissis prolixis, varijsq; disputationibus, concludendum est, ordinationem dicti mōtis pietatis non solùm esse licitam, sed esse etiā piam, Lup. d. num. 4. imò Leo X. sub quo fuit celebratum Concilium Lateranense, quod approbauit montem pietatis, edidit bullam, qua gratias & indulgentias concessit multas his, qui præfato monti adiutrices porrexerint manus, cuius bullæ tenorem posuit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 10. vers. bulla. & seqq. fol. 380.

448 Quare cum Mons Pietatis, in quo resident pietas, charitas, & consequenter iustitia, mutuando pauperibus in casu præsumptæ necessitatis, & ideo modicam summam, possit ratione damni, nempe salariorum, & expensarum aliquid vltra sortem, mutuo datam, accipere; vt se conseruet indemnem, quia non propterea quidquam lucratur, & ideo non potest dici, quòd mutuum non sit gratuitum; argumentum sumimus efficax pro corroboratione præcedentis casus, nu. 439. quòd priuatus etiam potest, mutuando, velle se conseruare indemnem, vel ratione damni emergentis, vel ratione lucri cessantis, aut ob impensas, & labores, quas faceret, & sumeret, præsertim si pauper mutuaret diuiti, quia esset contra charitatem ordinatam, vt indigens, cum suo damno opem non indigenti ferret, & cadens niteretur subleuare stantem.

449 Nec replices, quòd pecunia montis pietatis, quæ mutuo datur pauperibus, est ipsorum pauperum, cum is, qui montem instituit, & erexit, & in eo pecuniam contulit, eam absolutè donauerit, & amplius repetere non possit, Boninf. tract. de montib. cap. 3. num. 9. & Ioan. Azor. d. cap. 22. vers. ad secundum. & consequenter videtur ineptè vocari mutuum, cum nemo possit sibi mutuare rem propriam.

450 Quia respondeo, quòd sicut aliud est corpus vnius societatis, & aliud est quilibet socius

cius ipsius societatis; vnde si socij societatis cambij faciant bursam communem, & vnum ex socijs constituant, qui praesit illi bursae communi, & hic praepositus petat ab vno ex socijs, quod debet conferre in bursam communem, & iste socius respondeat praeposito; tu debes mihi tantundem, compenso tecum; non est audiendus, quia, quod debet societati, non potest compensare cum eo, quod debet habere ab vno ex socijs, cum societas non teneatur soluere debitum alienum, Cyn. in l. 3. in ea. in fine, Bal. in l. 9. eius. num. 3. vers. extra quaeritur & Salyc. num. 3. vers. quarto cum. C. de compens. Socc. Sen. cons. 65. conclusio. in fine, vers. postremo. lib. 4. Rot. Genuen. decis. 26. in causa. num. 30. & Rot. coram R. P. D. Caualerio in Rom. pecuniaria, ven. 16. Iunij 1609. & ita disponunt etiam Reip. Genuen. stat. lib. 4. cap. 14. Si vnus habet. & scripsi etiam infra §. 6. glos. 1. num. 95. ideoq; etiam vnus ex socijs, durante societate; non potest quicquam ex ea extrahere, nisi nomine proprio fiat debitor societatis; 451 † sic dico in nostro proposito, quòd, cum illae pecuniae sint vniuersitatis pauperum, non possunt pauperes in particulari, durante illa vniuersitate, quicquam ab ea accipere, nisi pro eo, quod accipiunt, fiant nomine proprio debitores ipsius vniuersitatis, & sic ab ea mutuo accipient; siquidem aliud est nomen Petri, Ioannis, & Martini pauperum, & aliud nomen vniuersitatis pauperum.

Hic mons pietatis aliquo in loco alterauit suam naturam, quia licet in eo maxima deponatur pecuniae quantitas, tamen modica est illa, quae pauperum vsui inseruit; ideoq; hunc montem vocant montē depositarium, inspecto pecuniarum vsu, qui inseruit negotio lucratorio; & interesse lucri cessantis, vt explicabo: & mons in isto vsu partim videtur similis montibus, de quibus num. proximè seqq. dum ipse accipit prius à ciuibus siue voluntarijs, siue coactis magnas pecuniarum quantitates, soluendo illis certum fructum; & partim videtur similis monti pietatis, dum postea alijs mutuat, recipiendo vltra sortem mutuatam, nam pro intelligentia huius montis est sciendum, quòd iste mons accipit, vt dixi, à ciuibus magnam pecuniarum quantitatem, & soluit illis ad rationem quinque pro centenario, saluo capitali, & in hoc est, vt dixi similis montibus, de quibus dd. num. proximè seqq. & postea mons partem ex illis pecunijs negotiatur in cambijs, alijsq; negotijs, & partem mutuat non pauperibus, sed alijs, & mutuat ad rationem sex pro centenario; & sic lucratur vnum pro centenario; & de hoc monte latè scripsit Boninſ. tract. de montib. cap. 4. & seqq. inuestigando huius montis iustitiam, & defensionem.

Ego, omisso longo Boninsignij discursu, concludo, illa quinque, quae ciues mutuantes monti recipiunt singulis annis, non posse alia ratione defendi, quàm societatis cum assecuratione capitalis, & certi lucri, iuxta ea, quae dixi infra §. 3. glos. 3. num 36. quia isti ciues non dicentur mutuare monti, sed dare illi pecunias in societatem ad negotiandum: & illa sex, quae postea mons accipit à mutuatarijs, iustificantur ratione lucri cessantis, quod mons patitur, cessando à negotiatione illarum pecuniarum, vt eas mutuet; licet haec eadem ratio posset tueri mutuantes monti, si essent negotiatores, &, vt mutuarent, cessarent à negotio: Vide de his Boninſ. d. tract. de montib. cap. 8. sub num. 1. & seqq. & cap. 9. num. 1. & seqq. quia multa possent disputando dici de iustitia, vel iniustitia huius montis, quae omitto.

Et haec sufficiant de isto quinto casu: omitto enim nonnullas quaestiones in hac materia, quas ponit Azor. d. cap. 22. quia non faciunt ad rem nostram.

452 SEXTVS casus principalis est per oppositū in mutuis, seu praestitis Venetiarum, Monte Florentiç, & locis comperarum Banchi S. Georgij Ciuitatis Genuç, de quo banco, & locis locutus sum infra §. 7. gl. 3. num. 7. quae loca, mons, & prestita non dant mutuo, prout dat mons pietatis, sed ipsa videntur capere mutuo à ciuibus coactis, qui propterea vocari solent creditores montis, & eis postea soluunt singulis annis septem, quinque, vel minus pro centenario, donec restituant eis capitale, prout originem harum prestantiarum, seu montium enarrant Salyc. in auth. ad haec. num. 10. q. vlt. C. de vsur. & Ambr. de Vignatin cap. salubriter. post rubr. in textu sub num. 49. vers. item quod. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 54. & huius mutui formulam cum clausulis ponit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. in 3. partic. num. 12. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 38. & aliqua scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. de vsur. cap 10. lib. 10. de consib. cap. 24. per totum.

Nam

453 Nam licet circa istas imprestantias, & montes, an sint liciti, maxima olim fuerit Florentiæ altercatio inter magistros Theologos ordinis Prædicatorum, & Minorum ex vna parte, & ordinis Heremitarum ex alia parte, vt refert Boninf.tract. de montib. cap. 2.nu.1.& variæ fuerint Doctorum,& Theologorum opiniones, vt scribit Io. de Anan. in cap.6.in ciuitate. sub num.24.& 25.de vsur. quas opiniones refert Lauren. de Rodulph.in d.3.partic.num.13.& seqq.& post dictam 3. partic. num. 1. & seqq. fol.38. & seqq.fol.43.& seqq. vsque ad fol.50.& ipse d.num. 12. pro examinatione huius controuersiæ eliciat octo dubia, in quorum resolutione consumat totam illā 3. partic. & Petr. de Anch. in sua solemni disputatione,quem refert Io.de Anan.in d.cap.in ciuitate.num. 13.in fine,& num.14.& seqq.& num.19.latè eandem controuersiam examinet, & distinguat quatuor casus;& similiter Magister Gregorius de Arimino ordinis Heremitarum,& iidem Salyc.in d.auth.ad hæc. q.vlt. num.21.& seqq.& Ambr.de Vign.in d.cap. salubriter. post rubr. in textu, sub num. 52. vers.& hoc. & num. seqq. fol.55. qui eum, & eius dicta referunt, & sequuntur, disputando, an hi montes, & imprestantiæ sint liciti,sub tot multiplicibus considerationibus, & circunstantijs discurrant,vt cerebrum potius inuoluant, quam difficultatem tollant; imò difficultates multiplicant, & ita nutantet loquuntur, vt, quam quisque voluerit 454 sententiam, secuti videantur, † Licet pariter B.Io.à Capistr.tract.de vsur.num.137. tom. 7.fol. 110. disputato articulo, teneat indistinctè, vsuram committi, siue mutuum sit 455 spontaneum, siue coactum. † Licet etiam Io.Bapt.Lup.in cap.nauiganti.§.3.sub num. 5.de vsur.inter tract. diuers.tom.7. fol. 141. & in l. curabit. §. 6. sub num. 11. C.de act. empt. eod.tom.7. fol. 121. & Virg. de Boccat. tract.de interd. vti possid. &c. cap. 18. num.161.tom.3.par.2. fol.316. loquantur restrictiuè, vt ista solutio quinque, seu alia similis pro centenario sit licita,solùm quando ciues coacti mutuant; secus si spontè, ob rationem, quam adducunt, & ita in ciuibus, coactè mutuantibus, benè, facilè, & resolutè ex communi opinione determinat Abb. 456 in d.cap.in ciuitate.in fine,nu.8.† Licet pariter Nauar.Io.Bapt.Lup. quos secutus sum par.seq.ampl.8. num.114. restr.1. & Card. Tolet.tract.de instruct.sacerd. lib.5.cap.33. vers.conueniunt secundo. dicant, quòd is, qui inuitus, vi,vel fraude cogitur pecuniam expositam mutuare,possit licitè pacisci de lucro cessante,& vltra sortem recipere,& ita 457 conueniant Doct. † Licet etiam Archiepisc. Florent.tract.de vsur.in fine,cap.5.num.14. tom.7. fol. 91. quem Additionator ad Abb. in d.cap.in ciuitate.in fine,in 1.casu citat,& sequitur sub nomine Summæ Pisanellæ, dicat, quòd ciuis, coactè mutuans, & ob id mutuum multam fortè incommoditatē patiens, non committat vsuram, si aliquod lu-458 crum accipiat. † Licet etiam Io. Azor. de instit.moral.par.3.lib.5.tit.de vsur. cap.10. vers.de his montibus. loquendo de isto genere montium, dicat ad hoc, vt hi montes sint liciti,requiri, quòd ciues pecunias,quas dant, non mutuo dent. Licetq; cum horum doctrina concordent, quæ scripsi d. am-459 pliat.8.num.114. vers.restringe primo.† Et demum licet in eiusmodi articulis quot sunt homines, tot fuerint sententiæ, vt ex Petr. de Anch. vocando eum dominum suum,refert Ioan. de Anan.in d. cap.in ciuitate. sub num. 24. Et quicquid dixerint illi magistri sacræ Theologiæ in tribus disputationibus super isto articulo, quia huius dubij decisio ad eos non spectat,cum loquantur sine vllis allegationibus iuris diuini, canonici,vel ciuilis, & erubescimus sine iuribus loqui, Io. de Anan. sub d.num.24.

460 Tu tamen dicas indistinctè, istas prestantias Venetorum, montem Florentiæ, & loca Genuæ, à Republica, seu Principe licitè institui, & ciues etiam cogi, necessitate vrgente, dummodo eiusmodi montes, seu imprestantiæ habeant rationem, & naturam emptionis redituum communitatis; quare siue coactè,siue spontè ciues pecunias dederint, licitè reditum percipiunt, quia sortem nunquam repetere possunt, vt post multa concludit Petr. de Anch. quem, vocando eum dominum suum, refert, & sequitur Io. de Anan. sæpè citatus in d.cap. in ciuitate. sub num.24. & ita ex eod. Anch. refert ibidem, tenuisse Magistrum Franc. de Empoli ordinis Minorum, Nicolaum de Anglia ordinis Prædicatorum, & fuisse consultum per duodecim vtriusque iuris Doctores. Ias. etiam in l.1.in 1.& 2.lectura. nu. 61. & 40. C. de sum. trin. &c. post alios, quos citat, simpliciter dicit, licitè pecuniam percipi ex reditu dictorum montium; & ita sub multiloquio, & sibimet non constans residet

Ambr.

Ambr. de Vign. ſub num. 77. & ſeqq. & num.80.fol.56. vbi de communi opinione, & ſatis manifeſtam eſſe horum montium iuſtitiam, ſiue ciues ſpontè, ſiue coactè pecuniam in monte conferant, quia eſt contractus cenſualis, ſcribit Boninſ. tract. de montib. cap. 2. initio, & num. 2. & 3. & inter Theologos fuiſſe olim in Italia magnam altercationem, an eiuſmodi montium erectio eſſet licita; ſed communem eſſe opinionem hunc contractum eſſe licitum, quia eſt cenſualis emptio,& venditio: & ciues, ſiue ſubditos licitè cogi ad conferendum pecunias in montem propter Reipub.ſeu Principis neceſſitatem, in qua verſetur vtilitas publica, ſcribit Io.Azor.de inſtit.moral.par.3.lib.10. tit.de cenſib.cap.24. quod eſt vlt.q.1.& 3.

461 † & eod.lib.10. tit. de cenſib. cap. 22. verſ. quarto quæritur.in fortioribus terminis format dubium, an montium pietatis adminiſtratoribus liceat pecunias ab ijs, qui eas in montem conferunt, ea lege accipere, vt,qui conferunt, recipiant quatuor, vel quinque quotannis, & deinde adminiſtratores dent mutuum pauperibus ea conditione, vt aliquid præter ſortem reddant, vnde ſatisfiat his, qui pecuniæ ſummas in montem contulerunt; quare qui poſtea mutuo accipit à monte teneatur vltra capitale ad rationem ſeptem pro centenario, ex quibus ſeptem, duo, vel tria accipiat mons, vt miniſtris debitum ſalarium ſoluat, & quatuor,vel quinque reddat ei, qui mutuauit: quo dubio ita formato, præmittit, de hac re magnam fuiſſe controuerſiam inter Theologos Dominicanæ, & Franciſcanæ familiæ, & Theologos ordinis Auguſtiniani, & poſtea refert, & ſequitur, fuiſſe communi conſenſu receptam ſententiam affirmatiuam,quòd erat licitum, quoties illi,qui pecunias conferunt in montem, ita dederunt, vt amplius repetere non poſſint, quamuis liberum ſit montium adminiſtratoribus eas pecuniarũ ſummas reddere; imò Boninſ. tract. de montib. cap. 4. num.3.videtur punctum melius definire, dicens, quòd mons pietatis aliqua neceſſitate compulſus, vt pauperibus ſubueniat,poteſt mutuo ab aliquibus accipere, & ij, qui charitate moti, vt indigentijs,& ſummæ neceſſitati montis occurrant, mutuant, & ex tali mutuo damnum ſiue emergens, ſiue lucri ceſſantis ſentiunt, eò quia pecuniam ſuam ab actuali negotiatione diuertũt,poſſunt aliquid vltra ſortẽ arbitrio boni viri accipere;

462 Sed (non diſcedendo tamen à firmata indiſtincta reſolutione) pro vberiori doctrina conſidero tres caſus: Primus eſt,quando iſte cenſus, ſeu reditus habet cauſam neceſſariam, ideſt, quando ciues coacti mutuant Ciuitati,quæ eis conſtituit certum reditum, vt loquuntur plures,quos citaui ſupra num. 455. & ſeqq. & iſto caſu non committitur vſura; quia non eſt propriè mutuum, cum non poſſit repeti, ſed eſt emptio,& venditio cenſus, ſeu reditus,vt ſcribunt Addition.ad Abb.in d.cap.in ciuitate. in fine, de vſur. & Azor.in d.cap.22. verſ.quarto quæritur. & clarius in cap.24.initio, & q.1. & ante eos Abb.in d.cap.in ciuitate.num.8. nam non ſunt attendenda verba contractus, ſed pacta, & conditiones contractus, vt ſecutus ſum in meo tract. de iudic. cauſ. &c. lib. 2. cap.9.num.1347.& 1352.& infra q.7.par. 2.ampl.20.ſub num.4. licet ergò ciuitas,ſeu mons capiat ſub nomine mutui, quia tamen capit ea lege,vt reſtituere non cogatur, perdit naturam mutui, & tranſit in emptionem,

463 & venditionem, vt dicunt citati Doct. † Secundus caſus eſt, quando iſte reditus habet cauſam voluntariam, vt, ſi quis ſpontè dat certam pecuniam ciuitati, puta, mille, & ciuitas pro iſtis mille cõſtituit ei perpetuum cenſum quinquaginta ſingulis annis: & iſto etiam caſu non eſt vſura, quia non eſt propriè contractus mutui, ſed venditionis.

464 † Tertius caſus eſt, quando eſt verum mutuum; & iſto caſu id, quod accipitur vltra ſortem, regulariter eſt illicitum, & vſurarium; quare ſi ſtatutum diſponeret, quòd, qui vult mutuare ciuitati, habeat tantum pro centenario ſingulis annis, & quòd vltra annum poſſit repetere capitale;& tu ita mutuares, committeres vſuram, Alex. de Neuo.in vlt.addit.ad Abb.in d.cap.in ciuitate. in fine,de vſur. & cum hac triplicis caſus diſtinctione benè accommodatur doctrina Baldi in l.iuſiurandum.col.31.32.& 33.in fine, verſ.ſed quid ſi reus. ibi,ſed iuxta præmiſſa quæritur. ff. de iureiuran. vbi format quæſtionem de mutuo, coactè, vel ſpontè facto Regi Angliæ, qui legem conſtituit, quòd quicunque mutuaret ſibi, haberet ad rationẽ quinque pro centenario, an dictum mutuum ſit licitum;& poſt multa ad vtramque partem diſputatiuè adducta, d. col. 33. verſus finem, diſtinguit tres caſus: aut, inquit, qui mutuat, mutuat nunquam recepturus ſortem, ſed ſolum annuum fructum promiſ-

promissum in æternum: & tunc, inquit, iste contractus iure diuino, & humano est licitus, quia non est mutuum: aut qui mutuat, receptutus,quando debitor voluerit,& concludit idem: aut qui mutuat, mutuat recepturus, quando ipse mutuator voluerit, vel post certum diem, & isto casu, inquit, hoc mutuum non est licitum,sed est vsura, etiam si iste fructus,seu interesse accederet ex prouisione legis, separata ab ipso contractu, vt quia dictaret statutum, quòd cuilibet mutuanti detur sine vllo pacto tantum de prouisione.

465 Confirmatur,quod dixi in secundo casu, quia in Italia, & præsertim Romæ vsitatum est genus montium, quos Princeps, seu Respublica instituit, & erigit, vendendo vni, vel multis, sponte ementibus, reditus, qui minutatim à subditis soluuntur: nam, cum Princeps habet exempli gratia 30. millia scutos annuos ex gabellis Dohanæ, seu alio vectigale,potest vendere illos reditus ad rationem quinque pro centenario, ita vt, qui dat Principi scutos 100. Princeps soluet ei singulis annis scut. quinque; sicque ex prædictis scut. 30. millibus redituum constituit montem vnum, idest, aceruum pecuniæ, ascendentem ad scutos 600000. ex quibus constituuntur 6000. loca mōtis;ita vt quilibet locus valeat scut. 100. quibus locis venditis, Princeps mandat suis conductoribus, seu affictuarijs dictæ Dohanæ, vt soluāt emptoribus dicta scuta 30. millia singulis annis, prout latius tu videre poteris in constitutionibus, quas Pontifices super erectione diuersorum montium ediderunt, & explicat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 23. initio, & patet ex constitutione,quam posui infra §. 9. num. 50.

Et tamen ista loca venduntur sponte ementibus, & nulla interuenit vis, seu coactio.

466 Quot sint huiusmodi montium genera: An emptores locorum montium possint ius suum alteri vendere: An, vendendo alteri minori pretio,& Principe redimere volente, teneatur nihilominus Princeps huic secundo emptori restituere integrum pretium, quod habuit à primo, vide Azor. d. cap. 23.

467 Non obstat, quòd B. Ioan. à Capistr. quem citaui supra num. 454. teneat, quòd fructus, quos ciues accipiunt ex mutuo, quod coactè fecerunt Communitati, est vsura.

Quia respondeo multipliciter.

468 Primo resp. quòd etsi vis non possit vsuram licitam facere, cum illa iure diuino, & naturali prohibita sit, vt contra Sot. quem citaui infra q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 93. arguit Nauar. in cap. si fœneraueris. not. 15. num. 44. vers. secunda quòd. 14. q. 3. & sub num. 48. vers. duodecima. dum,inquit, virtuti potius fauendum esse, quàm vitio, & mutuare coactè non esse actum virtutis, prout est mutuare ex amore, & charitate.

Tamen ex illa vi inducuntur mora, & pœna, ob quas interesse debetur, vt secutus sum d. ampl. 8. num. 114. vers. restringe primo. & vers. ratio.

Secundo respondeo, quòd si pecunia, mutuo data, erat exposita negotiationi, debetur interesse lucri cessantis, siue mutuum sit coactum, siue sit voluntarium, vt latè firmaui d. ampl. 8. num. 1. & seqq.

Tertio respondeo, quòd mutuum, de quo agimus in isto sexto casu, non est mutuum, sed transit in emptionem, & venditionem fructuum, seu redituum, vt satis ostendi supra num. 460. vers. tu tamen. & num. 462. vers. sed non discedendo, & seqq. & sic cessant omnia eorum argumenta, & rationes.

469 Firmata conclusione, quòd isti reditus licitè percipi possint ex istis imprestantijs, montibus, & locis.

Extende eam, vt procedat non solum quoad singulares successores, & cum titulo oneroso, vt puta, cū hi reditus fuerint prius gratis constituti, & donati alicui, & deinde iste donatarius hoc ius redituum vendit alteri; seu quando vnus iam emerat hos reditus, & deinde vendit alteri, quibus casibus multi, sic materiam restringentes, scripserunt, hos singulares successores posse licitè percipere eiusmodi reditus; sed procedet etiam quoad ipsos primos acquirentes, quia vt dixi supra num. 460. & seqq. hæc loca, & imprestantiæ sunt adequata censibus; sed hæc restrictio reijcitur in censu, quia reditus potest licitè percipi tam ex censu iam creato, quàm ex censu de nouo creando, vt, reprobata contraria opinione, firmant Sot. & alij, quos secutus sup. num. 201.

470 Infero notabiliter ex his omnibus, quòd contractus, quem vulgariter vocant, *à godere a godere*, & quem in Italia esse vsitatum scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 20. est licitus, quatenus

non

non discedat à contractu emptionis census, & locorum montium.

Sed quia iste contractus habet magnam difficultatem, ideo pro illius plena intelligentia, & explicatione tria sunt videnda.

471 Primum, quid sit iste contractus.

Secundum, in quo differar ab alijs contractibus emptionis, & venditionis rescissibilibus.

Tertium (deueniendo ad illationem) an, & quando iste contractus sit licitus.

Circa primum concludo (non definiendo, sed aliqualiter describendo) esse commutationem vsus rei cum pecunia; qua commutatione rescissa, quisque eorum restituat, quod habuit.

472 Circa secundum concludo, contractum emptionis, & venditionis rescissibilem differre ab isto contractu, *à godere à godere*, in eo, quòd rescissibilitas aliorum contractuum pendet à voluntate venditoris, qui habet facultatem redimendi ad sui beneplacitum: at rescissibilitas istius pendet à voluntate emptoris, vel vtriusque, prout latè explicamus infra num. 475. & seqq. & num. 491.

473 Circa tertium, an, & quando hic contractus sit licitus, adhibeo tres inspectiones.

Prima inspectio est, quando is, qui dat pecuniam, dat eam liberè, & reseruat venditori facultatem redimēdi quandocunque, vt in venditione census, & aliarum rerum cum pacto retrouendendi: Et in hac inspectione concludo duo: Primo, quòd hæc inspectio non respicit contractum, *à godere à godere*, cum in eo facultas non detur venditori, sed emptori, vt dixi num. præcedenti: Secundò, supposita iustitia commutatiua contractus, sicq; cessante suspicione, & fraude vsurarum, concludo hunc contractum esse absolutè iustum, & licitum; quia iste contractus discedit à natura mutui, cum is, qui dat pecuniam, eam repetere non possit, & sic est vera venditio, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. concl. 2. ibi, at verò cum emptor. col. 3. fol. 595. & periculum rei emptæ transit in emptorem, vt loquendo generaliter de contractu emptionis, latè explicat Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 366. initio, & per totam. col. 482. & seqq. qua ratione sustinentur imprestantię Venetiarum, & loca montium, vt scripsi supra num. 460. & seqq.

474 Contra secundam conclusionem huius primæ inspectionis adhuc oppono; quia vel iste contractus differt ab alijs emptionibus, & venditionibus, eò quòd in alijs emptionibus dominium rei transeat in emptorem, ideoq; ad eundem pertineat periculum rei emptæ, & consequenter, qui rem emit, non potest eo prætextu pretiū recuperare, quòd re empta amplius frui non possit: at in isto contractu dominium non transeat, ideoque periculum rei emptæ spectet ad venditorem, ita vt cum emptor re, sibi concessa, amplius frui non possit, venditor pretium restituere teneatur, quamuis emptor rem restituere non possit; & quamuis venditor, in cuius faculrate stat, contractum rescindere, rescindere nolit; & supposita ista differentia, hic contractus claudicaret, esseтq; inæqualis, & consequenter iniustus, & illicitus, vt tacirè per alia verba, & obscurius sentit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 20. vers. prærerea si quis. quia haberet naturam mutui lucratorij cum pignore, quod continet vsuram, vt secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 12. sub num. 4. vel hæc differenria non est vera, quia semper dominium transeat in emptorem: & tunc contractus non esset *à godere à godere*: sed esset mera venditio cum pacto retrouendendi.

Huic oppositioni (non discedendo à conclusione) respondeo, quòd hic contractus non differt ab emptione census, seu locorum montium in alio, quàm in hoc, quòd emens censum, seu locum montis, emit certam, & taxatam annuam pensionem, & vt plurimum pecuniariam, quæ nunquam emprori perire porest, nisi pereat ipsa res in totum, seu pro parte, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 176. & 252. at in isto contractu *à godere à godere*, emitur incerta pars fructuum, peribilis, etiam non perempta re, vt puta quando est sterilitas: & forsan differt etiam in hoc à vera emptione fructuum, quòd accipiens *à godere à godere*, non habeat illam liberam facultatem vendendi, & locandi eosdem fructus, prout habet is, qui eos emit; sed possit solùm ipsemet vti frui; quam tamen differentiam hic nullatenus firmo: &, data hac sola differentia, an hic contractus rectè vocetur, *à godere à godere*: est quæstio verbalis, & ideo inutilis.

475 Secunda inspectio est: quando hic contractus est rescissibilis ad beneplacitum emptoris, qui dedit pecunias: Et in hac inspectione promptior, & acrior potest esse disputatio.

Prima

Prima enim opinio erit affirmatiua pro validitate, quia contractus emptionis, & venditionis cum pacto, quòd venditor teneatur rem, quam vendit, redimere ad libitum emptoris, est licitus, Imol.in cap.4.illo vos. num.18.de pign. Alex. conf.54. circa primum. sub num. 1. lib.6. Medin. & Io. Maior.quos citat, & sequitur Couar.var.resolut.lib.3.cap.9.initio, & num. 2. prope finem, & de validitate non dubitat Anr. de Burg.in cap.ad nostram. sub num. 33. vers. primus est. ibi, pro resolutione, de empt.& vendit.inter Repeten.tom.4.fol.263. † hæcque opinio probatur ex d.cap.illo vos. vbi, vt venditionis contractus præsumatur fœneratitius, requiruntur hæc tria, quorum duo non sufficerent: primo requiritur hoc pactum redimendi ad libitum emptoris; secundo requiritur conuentio, vt in casu retrouenditionis fructus computentur in sortem: tertio, quòd reuenditio fiat maiori pretio, sicque primus venditor plus reddat, quàm acceperit, Imol.& Alex.in locis supra proximè citatis,& hunc esse communem intellectum, seu sententiam testatur, & sequitur Couar.d.cap.9.sub num.3.vers.tertio ex prænotatis. quare si requiruntur hæc tria, & duo non sufficiunt, necessariò sequitur, quòd solum pactum redimendi ad libitum emptoris non sufficiat ad faciendum hunc contractum esse illicitum.

476

477 Confirmatur primo hæc opinio, quia sicut res potest vendi liberè, vt emptor nunquam sit obligatus retrouendere; ita etiam, vt æqualia sint contrahentium iura; debet posse adstringi venditor, vt eam redimere teneatur: item sicut quis potest obligari ad emendam rem Titij,ita quoque potest obligari ad emendam rem, quam vendit Titio, dummodo semper interueniat iustitia pretij, Couar.d.cap.9.sub num.3.

478 Confirmatur secundo, quia si interim priusquam emptor declaret, se velle reuendere, res empta pereat, damnum & periculum erit ipsius emptoris, ita vt cum ipse rem tradere non possit,venditor pretium restituere non teneatur, cum periculum rei emptæ specter ad emptorem, quia qui rem habet, is eam perdere potest; & per hanc confirmationem videtur approbare hunc contractum Io. Azor. de instit.moral.par.3. lib.8.tit.de empt.& vendit.cap.12.q.8.vers. alij tamen. col.663.quem latius retuli infra num.490.vers.restringe.

Imò perit emptori etiam post denunciationem, & quandocunque, remanente re in suo dominio, & exclusa mora venditoris; secus si venditor esset morosus: res enim perit domino, quousque is, cui res debetur, non sit in mora,per ea,quæ dixi §. seq. gl.5. num.161.& sub num.342. quare si consanguineus denunciet emptori, se iure vicinitatis, seu consanguinitatis velle rem emptam retrahere, & interim pereat res,peribit emptori, non autem consanguineo, quia vel emptor non est in mora, & sic nondum est facta reuenditio, & cessio,& tunc perit ipsi, quia ipse adhuc est dominus; vel est in mora, & tunc tanto magis perit eidem, vt contra Ferr.concludit Tiraq. de retract. lign. in fine, in verbo, ad finem tituli. sub num. 32. fol. 399. & 400. sed mancus est Tiraq. in 1.memb.distinctionis: illud enim procedit, quando neuter est in mora; cæterum si emptor interpellatus, statim rem consanguineo offerret, & consanguineus esset morosus in non deponendo pretio, & res interim periret, vtique periret consanguineo.

479 Secunda opinio, contraria huic primæ, est, quòd iste contractus sit vsurarius à parte emptoris, qui dat pecunias, vt sequitur Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.9 tit.de societ.cap.20. vers.quæritur. vers.meo iudicio. & vers. ex his. & in hac opinione, quia eam vltimo ponit loco, dicemus stetisse etiam d.cap.12.q.8.vers.alij tamen. in fine.

Comprobatur primo hæc opinio, quia is, qui dat pecuniam, videtur in effectu non emere, sed mutuare,accepto pignore, & lucraturus pignoris fructus, quod est vsura,vt dixi sup. sub num.474.

480 Comprobatur secundo, quia hæc verba, *à godere à godere*, excludunt emptionem,& venditionem, & sic ruit vtraque confirmatio contrariæ opinionis; & includunt potius permutationem, seu locationem reciprocam temporaneam; quæ locatio pecuniæ non continet eam iustitiam, quam continet locatio alterius rei, cuius vsus est vtilis, remanente eadem re; licet deterioretur: quare pecunia non potest locari, Archid. Anch & B. Io. à Capistr. quos citaui infra q.4. sub num.23. quia dominium rei locatæ non transfertur in conductorē, prout transfertur dominium pecuniæ, nisi locetur ad pompam pro aliqua pensione, quæ erit modica, vt retuli vbi supra; est etiam pecunia incapax locationis, quia locator reci-

pit mercedem rei locatæ tam propter commodum, quod conductor ex illa recipit, quàm propter rei locatæ deteriorationem; at pecunia non deterioratur.

481 Non discedendo ab hac secunda opinione, &, omissis alijs, quæ adduci possent, pro resolutione omnium, & absoluta intelligentia distinguo duo membra.

Primum est; quando is, qui dat pecunias, vult in rescissione contractus compensare in sortem fructus, quos ex re, sibi tradita, percepit: & isto casu contractus est quidem licitus, vt scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. concl. 1. vbi idem bis repetit, fol. 594. & in fine articuli, in respons. ad 1. argum. fol. 596. & ita, nulla excitata dubitatione, an iste contractus sit licitus, transit Ant. de Burg. in cap. ad nostram. sub num. 33. vers. primus est. de empt. & vendit. inter Repeten. tom. 4. fol. 263. & probatur ex eo, quia quamuis iste contractus resolueretur in simplex mutuum cum pignore, tamen esset licitus per ea, quæ secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 12. num. 2. vers. confirmatur. & nu. 4. sed tunc non sumus in contractu, *à godere à godere*, quia iste non sibi gaudit, idest, non fruitur re; qui enim alieno nomine possidet, non possidet, sed possidet ille, cuius nomine possidetur.

482 Secundum membrum est; quando iste, qui pecunias dedit, non vult fructus compensare; sed vult eos sibi acquisiuisse: Et quia huius membri materia non est vniformis; considero plures articulos.

Primus articulus est; quando venditio dissoluitur ex causa de præterito, quæ inerat iam à tempore venditionis; & in isto articulo dico, quòd fructus, ab emptore percepti, sunt venditori restituendi, vt in actione redhibitoria, quando res vendita erat tempore venditionis vitiosa, & ideo rescinditur, l. 23. cum autem. §. cum redhiberetur. ff. de ædilit. edic. Tiraq. in l. si vnquam. in verbo, reuertatur. num. 286. vers. quod autem. C. de reuoc. donat. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. sub num. 9. vers. est & aliud. & lib. 3. cap. 9. sub num. 1. ibi, tandem his distinctionibus. & latius Copin. tract. de fruct. lib. 4. tit. 1. cap. 14. num. 1. & seqq. tom. 17. fol. 255. &, loquendo de rescissione venditionis ob enormem læsionem, retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 38. secus est, si non ex causa de præterito, sed ex causa, quæ superuenerit postea, Tiraq. vbi supra.

483 Secundus articulus est; quando venditio dissoluitur ratione pacti legis commissoriæ, vt quia emptor defecit adimplere id, ad quod tenebatur ex pacto, de qua lege commissoria loquuntur ll. 1. & seqq. ff. de leg. commiss. & scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub num. 384. & infra q. 7. par. 2. ampl. 12. sub num. 4. vers. primus. & in isto etiam articulo concludo, quòd fructus sunt restituendi venditori, quia nihil penes emptorem residere debet ex re, in qua is fidem fefellerit, l. 5. lege fundo. ff. de leg. commiss. Copin. tract. de fruct. lib. 4. tit. 1. cap. 12. num. 1. & 2. tom. 17. fol. 254. Tiraq. de retr. conuent. §. 5. gl. 2. num. 3. & Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 2.

Extende hanc conclusionem, vt procedat non solum si pactum legis commissoriæ sit conceptum verbis directis, quo casu dominium transfertur ipso iure in venditorem absque alia retraditione, & ideo, conditione adueniente, agi potest reiuendicatione; sed procedat etiam si sit conceptum verbis obliquis, seu inflexis, quo casu dominium non transit ipso iure, sed agitur actione ex vendito, vel præscriptis verbis ad obseruantiam contractus, licet etiam primo casu, quando trãsfertur dominium ipso iure, possit venditor agere ex vendito ad retradendum: & dicuntur verba directa, quando est dictum, quòd si emptor infra tot dies non soluerit, vel melior conditio sit allata, res sit inempta, seu ab emptione recedatur: obliqua verò dicuntur, quando est dictum, vt, non soluto pretio, res reuertatur ad venditorem; vt hæc omnia scribit Fab. de Mont. tract. de empt. & vend. q. 7. princip. sub num. 12. & 13. q. 2. tom. 6. par. 1. fol. 64. Et moueor ad hanc extensionem, quia licet Fab. de Mont. nullum proferat verbum de fructibus restituendis, tamen satis vtroque casu militat ratio, de qua hic sup. vers. secundus. & præsertim teneretur restituere fructus, quos percepisset post existentiam conditionis, & pactum esset conceptum verbis directis, cum tunc ipso iure transeat dominium in venditorem, vt dixi.

484 Tertius articulus est; quando venditio contrahitur sub conditione, quæ impedit natiuitatem venditionis, vt puta, vendo tibi, nisi mihi infra tantum tempus offeratur melior conditio; & in isto articulo dico, quòd, eueniente conditione, fructus sunt venditori restituendi, Couar. vbi supra.

Quartus

485 Quartus articulus est; quando venditio contrahitur sub conditione, seu pacto, quod inficit vẽditionem iam ortam, & perfectam, vt puta, vendo tibi hac lege, quòd si alter meliorem offeret conditionem, res sit inempta; & in isto articulo concludo, quòd fructus sunt emptoris, & ideo nõ sunt restituendi, seu compensandi, Couar. vbi supra.

486 Quintus articulus est; quando rescissio venditionis contractæ, pendet à voluntate venditoris: & in hoc articulo, qui est extra nostrum propositum concludo, fructus non esse restituendos, seu compensandos in sorte, quia distat à mutuo, & est venditio vera, & licita, vt scripsi supra num. 473. in 1. inspectione, vbi videas.

487 Sextus articulus est; quando rescissio pendet à voluntate emptoris: & in hoc articulo concludo, fructus, interim perceptos, non effici emptoris, sed esse restituendos, seu compensandos in sortem, Abb. in cap. 4. illo vos. sub num. 6. ibi, quandoque apponitur pactum. & ibi, nam facio magnam vim. de pign. Ant. Burg. in cap. ad nostram. sub num. 33. vers. primus est. de empt. & vendit. inter Repeten. tom. 4. fol. 263. Tiraq. de retr. conuent. §. 5. gl. 2. num. 3. vers. ex quibus. & esse communem testatur, sed non sequitur Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 1. & quòd vbi facultas resoluẽdi contractum, seu redimendi rem venditam, est collata in arbitrium emptoris, aut tertij cuiuspiam, puta, offerentis meliorem conditionem, emptor (quasi nihil possit venditori obijci, cur contractum resoluat) rem cum fructibus restituat, sequitur Franc. Zoan. tract. de empt. & vend. sub pact. retrouen. num. 44. concl. 2. tom. 6. par. 1. fol. 71. & consequenter si emptor aliter contraxerit, vt non teneatur restituere, seu compensare fructus, contractus est illicitus, & vsurarius, vt firmiter tenent Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. conclus. 1. fol. 594. dicens, esse manifestè vsurarium, & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 17. q. 4.

488 Ratio huius conclusionis est, quia sicut in rescissione, procedente à venditore, cessat mutuum, & inest vera venditio, vt dixi in art. præced. & supra num. 473. & ideo fructus non computantur in sortem, sed sunt ipsius emptoris; ita è conuerso, in ista, procedente ab emptore, cessat venditio, & inest mutuum cum pignore, cuius fructus nisi restituantur, mutuum est vsurarium, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 464. versus finem, ibi, aut qui mutuat.

Quicquid scripserint Couar. & alij, cum & ipsemet Couar. d. cap. 9. num. 3. in fine, vers. quarto est. asserat, proculdubio maiorem subesse vsuræ suspicionem, si rescissio procedat ab emptore cum retentione fructuum, quàm si procedat à venditore.

489 Non obstant adducta supra num. 475. & seqq. pro prima opinione, quia respondeo, quòd text. in cap. illo vos. facit pro hac secunda opinione, quia ideo rescissio, procedẽs ab emptore cum restitutione fructuum, non facit contractum illicitum, quia illa restitutio fructuum purgat vsuram, & labem illius rescissionis, & sic labem mutui: & ideo vult textus, vt, nisi interueniat augmentum pretij in rescissione, contractus sit licitus: ergo à contrario, nisi restituerentur fructus, remaneret mutuum labefactatum vitio vsurarum: & hoc est clarum.

Ad primam, & secundam confirmationem patet responsio ex his, quæ dixi supra num. 480. & vlterius dico, quòd procedunt, data restitutione fructuum: quia rescissio, procedens ab emptore, est licita & iusta, quoties fructus restituuntur.

490 Retenta ergo secunda opinione, de qua supra num. 479. quòd rescissio emptionis, procedens ab emptore sine restitutione fructuum, faciat emptionem vsurariam.

Amplia eam, vt maximè procedat, quando non emitur res aliqua stabilis, neque fructus incertus alicuius rei, sed emitur annuus reditus pecuniarius, quia isto casu etiam ipsemet Couar. qui, vt dixi, est contrariç opinionis in emptione aliarum rerum, admittit esse contractum suspectum & illicitum, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. num. 4. vers. verum in specie.

Restringe eandem opinionem, vt, dempto casu huius ampliationis, illa secunda opinio de cõsuetudine Italiæ, Germaniæ, aliorumq; locorum non procedat, quia id genus pacti esse per Italiam, Germaniam, alibiq; passim vsitatum, & frequens, testatur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vendit. cap. 12. q. 8. vers. alij tamen. col. 663. quæ consuetudo ea fundatur ratione, quòd periculum rei traditæ spectat ad eum, qui eam recipit pro pecunia, quam dat, & consequenter si iste emptor, qui dat pecuniam, vult sibi restitui pecuniam, debet posse restituere rem, alias si eam non potest restituere, non

potest repetere pecuniam, teste Azor. vbi supra, quem citaui etiam supra num. 478.

Et hæc de secunda inspectione.

491 Tertia inspectio est, quando rescissio contractus emptionis, seu, vt aiunt, *à godere à godere*, confertur in voluntatem vtriusque, venditoris scilicet, & emptoris, vt cuilibet eorum sit licitum recedere à contractu: & in hac inspectione licet Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. cap. 20. cócludat simpliciter, esse contractũ illicitũ; tamen quia hic articulus maiori indiget explicatione, tu distingue, faciendo duas considerationes, iuxta ea, quę scripsi supra num. 487. & seq. in 6. articulo.

Prima consideratio est; quando in rescissione veniunt restituendi fructus: & tunc concludo, contractum esse licitum, & iustum per ea, quæ dixi supra nu. 481. vers. primum est. & hæc conclusio procedit de plano, & sine difficultate.

492 Secunda consideratio est; quando emptor non intendit restiruere, nec compensare: & in hac consideratione oritur maior difficultas, quàm in secunda inspectione, de qua supra num. 475. quia quando rescissio pendet à sola emptoris voluntate, vt loquebamur in secunda inspectione, nihil imputari potest venditori, si non redimat, ne empror fructus percipiat; secus est, quando pendet etiam à voluntate venditoris, quia tunc ei imputari potest; prout hanc non imputationem, & imputationem considerant Abb. in cap. 4. illo vos. sub num. 6. ibi, ratio diuersitatis de pign. & Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 1. quare in hac consideratione non militat tanta ratio mutui, & tanta suspicio vsuræ.

Concludo adhuc contrarium, nempe, contractum esse illicitum, & vsurarium; quia hic concurrunt duæ causæ; vna permissiua, quæ respicit rescissionem collatam in voluntatem venditoris; & altera prohibitiua, quæ respicit rescissionem collatam in voluntatem emptoris; ideoq; hæc prohibitiua debet attendi, vt dixi supra num. 46.

Et hæc sufficiant de sexto casu.

493 SEPTIMVS casus principalis est in quouis mutuo, quod periculo sit expositum; quia mutuator ratione illius periculi potest à mutuatario aliquid vltra sortem accipere secundum communem opin. cuius est testis, & assecla Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 6. q. 1. col. 462. quam communem sequitur, tàm si periculum procedat ex fato, & fortuna, seu facto tertij, vt in pecunia nautica, & in pecunia itineratitia, per loca insidiosa, in quibus commorantur hostes, & latrones; quàm si procedat ex facto, & ex parte mutuatarij, cum possit is facilè vergere ad inopiam, aut soleat esse fraudulentus, vel malæ fidei; hancq; opin. in effectu tenuit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restir. q. 38. caus. 3. vers. in oppositum. & seqq. fol. 271. & tenet in venditione, credito pretio, caus. 4. vers. his tamen. fol. 274. & ratio secundum eos est, tùm quia periculum, cuius ratione Doct. admittunr, posse aliquid exigi vltra sortẽ, semper æquè

494 militat; † tum quia quælibet res, periculo exposita, est ob illud periculum semper minoris æstimationis; quare mutuaror potest mutuatario dicere, mutuabo libenter, & gratis, si dederis mihi pignus, aut idoneum fideiussorem, & vbi mutuatarius adiuerit, & requisiuerit aliquem, vt velit pro eo fideiubere, & cautum reddere mutuatorem de mutuo, si fideiussor timeat, poterit ei iure dicere, nolle se gratis exponere huic periculo; ideoq; mutuatarius tenebitur fideiussori aliquid dare pro pretio periculi, quod in se suscipit, vt scribunt Medin. d. vers. in oppositum. & Azor. d. q. 1. vers. altera opinio. & posse fideiussorem hoc pretium exigere, secutus sum infra §. 3. gl. 3. num. 7. vers. sed fideiussor. & periculum in eo, qui remittit, seu soluit tractam periculo suo de mandato alterius, esse pecunia æstimabile, & ita practicari in negotijs cambiorum, scripsi infra d. glos. 3. num. 29. & seqq. vers. primus. & seqq.

495 Ergo sicut fideiussor, qui se periculo exponit, potest illius periculi pretium exigere, ita etiam, si illi periculo se exponat ipse mutuator, mutuando sine fideiussore, poterit illud idem pretium, seu lucrum consequi, quia mutuator lucrum illud non accipit vi mutui, & sic non ratione vsus pecuniæ; quo casu si acciperet, esset vsura, sed accipit ratione periculi, quia mutuatarius potest redigi ad inopiam, vel sortem ipsam potest fraudibus omnino denegare, Medin. & Azor. in locis supra citatis.

496 Cofirmatur primo hæc opinio, quia mutuans non dicitur recipere vltra sortem, quando recipit aliquid pro periculo: nam est aduertendum, quòd pecunia reddenda à mutuatario est periculosa, vt dixi; & cum sit periculosa, non tanti valet, quanti valet ea,

quam

quam certò habuit à mutuatore: vnde valebit tantundem, si addatur, quod ei deest propter illud periculum; & quòd non tanti valeat propter periculũ futuræ litis, & inopiæ debitoris, secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 78. in secunda causa, & num. 79. in 3. causa, & satis patet ex eo, quia creditor, si de ea se velit assecurare, soluet fideiussori, seu assecuratori aliquod iustum pretium, & sic totum illud iustum pretium deest in pecunia reddenda: Ergo mutuatarius verè non reddit vltra sortem; quare esset vsura, si mutuatarius esset idoneus, & securus debitor, & nihilominus mutuator aliquid acciperet, quia illud non posset tunc ob aliam causam accipere, quàm ob vsum pecuniæ, seu dilationem temporis.

497 Confirmatur secundo vltra omnes, quia mutuator potest cum mutuatario inire contractum sponsionis; nempè, si centum mutuata, quæ vis transuehere, erunt salua, dabis mihi decem; si perierint, dabo tibi centum; quem contractum esse licitum, secutus sum supra num. 88. & seqq. & contra hunc contractum non vrget illa repugnantia, quam vrgere in assecuratione ostendi infra sub num. 503. vers. comprobatur secundo. huicque confirmationi applicatur, quod scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 6. q. 1. vers. altera opinio. in fine, dicens, nullam esse vsuram, si ego mutuem tibi hac conditione; si mutuum perierit ex quouis casu fortuito, nihil tenearis mihi reddere; si verò saluum fuerit, tenearis mihi sortem reddere cum tanta lucri portione.

498 Confirmatur tertio, (& intro hic, & infra num. 502. materiam textus in cap. nauiganti. de vsur. à quo pendere videtur resolutio huius septimi casus) quia tex. in d. cap. nauiganti. secundum communem intellectum admittit, vt mutuans liberè pecuniam nauiganti, seu eunti ad nundinas, possit pecuniæ mutuatæ periculum in se suscipere, & periculi suscepti pretium à mutuatario exigere; dummodo mutuatarius sponte sua, nullaq; cum mutuatore ad id obligatione præcedente, assecurationis contractum ineat; secus autem si assecurauerit, præcedente obligatione mutuatarij, qui, contrahendo mutuum, se obligauerit, pro eodem mutuo inire contractum assecurationis cum ipso mutuatore; cum alias noluisset mutuare, quia isto casu mutuator esset vsurarius, &, exigendo aliquid vltra sortem, teneretur restituere; vt, ita interpretando dictum cap. vlt. de vsur. scribit Santer. tract. de assecur. par. 1. num. 10. & seqq. & hunc esse verum, & communem intellectum testatur postea sub num. 18. vers. circa quod. tom. 6. par. 1. fol. 348. & hunc esse dicti cap. nauiganti. sensum verè proprium, & frequentiori Theologorum iudicio probatum, scribunt Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. sub num. 5. vers. secundo text. & Io. Bapt. Lup. in d. cap. nauiganti. §. 1. idest, post præfationem, sub nu. 3. vers. vnde & tertio. & sub num. 4. vers. tu autem. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 135. & veram, & crebriorem interpretationem esse, vt mutuans nauiganti, seu eunti ad nundinas eo proposito, atque animo suscipiendi periculum in se, & recipiendi aliquid vltra sortem, non aliter mutuaturus, sit censendus vsurarius, scribit Stracch. tract. de assecur. in præfat. num. 30. vers. prima facti species. tom. 6. par. 1. fol. 359. & quòd hoc sit indubitatum, scribit Nauar. citatus infra num. 502. & hanc opinionem esse communiter receptam, & veriorem, eo, quia illa obligatio ad ineundum mecum contractum assecurationis est pretio æstimabilis, & consequenter mutuator lucrum quærit ex mutuo, & vsuram committit, scribunt Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 318. vers. hae de re. col. 283. & vers. præcipue. col. 284. vbi de communiori Doctorum expositione ad d. cap. nauiganti. & Io. Azor. d. cap. 6. q. 3. vers. secunda opinio. & vers. verus ergo. & lib. 7. tit. de mutuo. cap. 7. q. 8. vers. dubitandum non est. & vers. dices quomodo. col. 555. & ita intelligas eundem, dum in loco infra citato dicit, communem esse opinionem, quòd sit contractus vsurarius, quando mutuans dicit mutuatario; tu esses daturus sex, vel quinque alicui, qui me assecuraret, cum ego nolim mutuare sine assecuratore, da mihi eosdem sex, vel quinque, & non curo de alio periculo, seu illius assecuratione, Io. Azor. d. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 18. dub. 7. col. 1021. nam sicut vsurarium est mutuum, quo mutuatarius obligatur accedere ad molendinum, seu ad emendum in officina mutuatoris, vt secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 89. & 91. in 4. & 6. exemplif. ita etiam vsurarium est istud mutuum, quo mutuatarius obligatur accipere assecurationem à mutuatore, Io. Azor. d. cap. 7. q. 8.

vers. dubitandum non est. & isto casu decretalis in d.cap. nauiganti. loquitur etiam in foro conscientiæ, quia iste mutuator est vsurarius etiam in tribunali Dei, Conrad. de contract. q. 39. in 1. conclus. secus autem si quis, vt amico morem gerat, ex charitate mutuauit absque intentione suscipiendi periculum, & ex eo pretiũ vltra sortem mutuatam; & deinde ab eo, cui mutuo dedit pecunias, rogatus vt assecurationẽ faceret, certo iusto pretio assecurationis recepto, assecurat, idq; constat ex circumstantijs; quia tunc non esse censendum vsurarium ex communi interpretatione, sequitur idem Stracch. vbi supra num. 31. vers. secunda facti species. & quòd de iure cæsareo sit permissum, quòd mutuans pecuniam nauticam, cuius periculum in se suscipit, possit periculi suscepti iustum pretium à mutuatario accipere, tùm quia quod vltra sortem accipit, non datur ratione mutui, nec propter vsum pecuniæ, nec propter nudũ interesse interusurij temporis, sed propter aliam iustissimam causam, nempè, periculi contra naturam mutui spectantis ad creditorem, tum quia sicut valet pactum cum tertio, à mercatore factum, quo si pecunia, aut merces aliæ saluæ venerint ad portum, habebit is certam summam in pretium periculi suscepti; si verò perierint, tenebitur emendare damnum; ita etiam debeat valere, si fiat cum creditore, dummodo absit fraus, scribit Couar. d. cap. 2. nu. 5. vers. constat sanè. & quòd si mutuans nauiganti, vel eunti ad nundinas, aliquid vltra sortem recipiat ratione mutui tantum, sit vsura, non obstante, quòd in se periculum suscipiat, & idem si recipiat partim ratione periculi, & partim ratione mutui, quãtum ad id, quod plus recipit ratione mutui: secus si recipiat præcisè ratione periculi, vt pretium periculi, quia tunc non est vsura, sed est licitum; cum etiamsi non mutuaret, & periculum nauigantis in se vellet recipere, licitè posset recipere pretium periculi, nec propter hoc, quòd ei seruitium faciat in mutuando, efficitur deterioris conditionis, sequitur Archiepisc. Florent. tract. de vsur. §. 21. num. 38. tom. 7. fol. 83. & ita relatiue ad plures Doct. sequitur Molin. d. disput. 318. in secunda conclus. & cum hoc communi intellectu, & distinctione concordat tacitè etiam Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. caus. 3. in 4. argum. & in solut. illius fol. 271. & 273. & exprese tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. corol. 1. vers. inde sequitur. fol. 340. dicẽs, quòd si pactum de periculo suscipiendo apponitur ex parte mutuantis, cõtractus non excusatur à vitio vsuræ, quãuis merces, pro periculo exacta, sit iusta: secus, inquit, si pactum apponatur ex parte mutuatarij.

499 Corroboratur iste communis intellectus in eo, quòd, non apparente de præcedenti mutuatarij obligatione capiendi assecurationem à mutuatore, in dubio præsumantur libera mutuum, & assecuratio, & consequenter mutuator non sit censendus vsurarius, quia Papa in d. cap. nauiganti. censet, illum mutuatorem fuisse vsurarium, quia erat certũ, quòd mutuauerat, vt mutuatarius secum iniret contractũ assecurationis; secus si esset dubiũ, quia tunc Papa non præsumeret eum vsurarium, & hũc esse verum, & communem intellectũ illius cap. testatur, & sequitur Sãter. tract. de assecur. par. 1. sub nu. 18. vers. circa quod. & sub nu. 23. reprobato intellectu Cornei, sub num. 17. tom. 6. par. 1. fol. 348. qui tenebat, in dubio præsumi vsurarium;

500 † & ratio huius cõmunis intellectus est, quia in dubio quilibet præsumitur bonus, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 12. sub num. 6. nam, vt exponendo verba illa, *nolite iudicare*, Matth. 7. & Luc. 6. num. 37. inquit tex. in cap. 2. de reg. iur. nolite iudicare: *hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*; & expedit, vt quis sæpius fallatur, habens bonam opinionem de malo homine, quàm, quòd raro decipiatur, habens malam de bono; quia ex hoc alteri fit iniuria, non autem ex illo, D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4. quem citat Nauar. cons. 31. reuerẽdis. vers. sed contra. lib. 5. de vsur. &, vt inquit Arist. in dubijs in eam partem vergere debemus, in qua si fuerit erratũ, leuius peccetur, ideoque dicimus, melius esse nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare, quia, vt ait Io. Chrysost. tutius est, chordas intentius remittere, quàm protendi: remissarum namque intensio artificis opera conualescit, at vbi chorda semel rupta est, nullo artificio reparari potest; & aliqua pro hac corroboratione adducit, sed non tenet Stracch. vbi supra sub num. 32.

Ergo sicut in cap. nauiganti. mutuans posset pro assecuratione periculi exigere vltra mutuatum, ita in hoc septimo casu, de quo supra nu. 493. ratione periculi, cui mu-

tuam

tuam exponit pecuniam, dum ob mutuatarij impotentiam, seu malitiam contingere potest, vt totam amittat sortem, debet propter illud periculum aliquid vltra sortem mutuatam posse exigere.

501 Confirmatur quarto, quia omnis negotiatio licita potest ratione periculi ex iustitia esse lucrosa, per ea, quæ scripsi sup. nu. 193. 424. 425. 426. 430. 431. 432. 436. & infra §. 6. gl. 1. num. 14. & ideo ratione solius periculi tolerantur lucra, & acceptiones in multis contractibus, qui aliter essent illiciti: Primus est contractus assecurationis, in quo assecurans ratione periculi, cui se exponit pro assecurato potest iustam mercedem, seu periculi pretium accipere, iuxta ea, quæ de vsu huius contractus scripsi supra num. 128. & seqq. & particulariter etiam infra q. 7. par. 3. limit. 6. num. 5. & infra §. 3. gl. 3. num. 51. Secundus est contractus sponsionis, qui fraternizat cum contractu assecurationis; nam in sponsione honesta, seu quæ habeat causam honestam, potest vnus ratione incertitudinis, & dubij euentus lucrari, & alius perdere, tanquam in ludo, iuxta ea, quæ ex Santer. & Stracch. secutus sum sup. num. 88. & assecurationem, & vadiationem, seu sponsionem fraternizare; imò, semota locatione, & conductione ab assecuratione, esse vnum & idem, late, hinc assecurationem tunc impugnando, nititur ostendere Conrad. de contract. q. 71. concl. 2. Tertius est contractus census vitalitij, vt scripsi supra num. 294. & §. seq. gl. 5. num. 150. Quartus est contractus societatis officij, in quo ratione periculi toleratur, vt lucrum excedat fructum societatis, vt secutus sum supra num. 280. & seqq. & nu. 291. & seqq. Alios contractus, in quibus sola ratione periculi licet vltra sortem capitalis accipere, vide supra sub num. 97. 98. & 99. in 1. 2. & 3. contract.

502 Contrariam opinionem aduersus hũc septimum casum: nempè, quòd mutuans, neque ratione periculi possit aliquid vltra sortem exigere, suadent illa quatuor argumenta, quæ contra venditionem ad tempus cariori pretio ratione periculi, expensarum, & laborum in exigendo pretio, adducit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. caus. 3. vers. hanc tertiam causam. & seqq. fol. 270. & 271. dicens etiam, quòd præcedens opinio communiter non tenetur: & tenet sibimet contrarius Io. Azor. quem citaui, & ideo improbaui infra q. 7. par. 1. sub num. 79. in fine, vers. quia huius. & in specie contra tertiam confirmationem adductam supra num. 498. de mutuante, qui assecurando mutuatarium, exigit pretium assecurationis, videtur tenere, reprehendendo communem intellectum, de quo supra d. num. 498. Nauar. in cap. nauiganti. nu. 1. & seqq. de vsur. & in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. initio, & num. 284. dicens, tex. in d. cap. nauiganti, non disponere in eo, qui mutuat pecuniam ea lege expressa, vt mutuatarius teneatur facere illam pecuniam assecurari ab ipso mutuatore, soluto iusto assecurationis pretio, quia inquit, quòd isto casu mutuanti vltra sortem acquiratur prædicta obligatio mutuatarij, & ideo sit vsura, erat indubitatum, ideoque indignum, vt tanta opera à Gregorio IX. declararetur in d. cap. nauigãti. & sic Nauar. reijciendo hunc intellectum, quem Doct. citati supra num. 498. vti communem sequuntur, addit secundum intellectum, vt illud cap. disponat, eum, qui mutuat pecuniam, traijciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretium, esse censendum vsurarium; & ex Nauar. sequuntur in effectu Franc. Garc. de contract. cap. 39. sub num. 12. vers. ma due. & copiosius Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 16. vers. porrò illa quæstio. & vers. seqq. & præsertim vers. quartum denique; quod idem in effectu tenet etiam Stracch. tract. de assecur. in præfatione, sub num. 32. vers. sed vt in quæstione. tom. 6. par. 1. fol. 359. vbi, postquam supra eodem num. 32. vers. tertia facti species, proposuit difficultatẽ, an mutuator sit censendus vsurarius, quando suscipit in se periculum pecuniæ mutuatæ, nulla expressa ad hoc lege, seu conuentione assecurandi, & ideo non constat, quo animo, quavè intentione mutuauerit, & an aliàs fuisset mutuaturus sine assecuratione; resoluit affirmatiuè, in dubio censendum esse vsurarium ex dispositione d. cap. nauigãti. de vsur. huncq; videri sensum verũ, & germanum illius cap. scribit sub nu. 33. & sic de diametro contra corroborationem positam sup. num. 499. & 500. quod idem tenet Corn. in l. si pascẽda. num. 15. vers. in dubio autem. C. de pact. vt refert, sed non sequitur Santer. tract. de assecur. par. 1. num. 13. tom. 6. par. 1. fol. 348. & licet Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 318. vers. præcipuè. scribat, intellectum, de quo supra num. 498. esse commu-

nio-

niorem, neque esse improbabilem, quicquid dicat Nauar. tamen postea hanc Nauarri expositionem nedum non impugnat, sed ait æquè eligibilem esse, sicut alias duas, nempè communem, & aliam, quam adducit; aliasq; expositiones, seu intellectus ad d. cap. nauiganti. retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 8. nu. 45. 46. & sub num. 50. in 5. intellectu.

503 Comprobatur primo hic intellectus ad dictum cap. nauiganti. quia Couar. & multò magis Io. Azor. ab assecuratione, facta à tertio, ad assecurationem, factã ab ipso mutuante, seu creditore, non benè inferunt, vt contra Couar. notat etiam Stracch. d. tract. de assecur. in præfat. sub num. 27. versus finem, vers. tertio & vltimo. cum in tertio non militet illa suspicio vsuræ, quæ militat in mutuante; siquidè in tertio nõ datur terminus necessarius, & præambulus ad vsurã, nempe, mutuum: quod idem in assecuratione capitalis, positi in societate; nempè, quòd assecuratio non possit fieri à socio, qui recipit capitale, & tamen possit fieri à tertio, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 6. art. 2. col. 4. in fine, & col. 5. fol. 600. nam in casu mutui tertius assecurans, cum non mutuet, est alienus ab vsura; quare si fideiussor est fictus, quia scilicet ipse est mutuator, & fingit, vt alius mutuet, & pro fideiussione illa vnum, vel duos ducatos accipit pro quolibet centenario, vsuram committit, si verò est verus fideiussor, quia alius mutuat, tunc an sit vsura, si fideiussor fideiussionis pretium accipiat, est punctus disputabilis, in quo potest teneri, quòd non sit vsura, Archiepisc. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 45. nu. 74. & 75. tom. 7. fol. 85. imò differentiam esse, quòd pactio contracta sit inter creditorem & debitorem; vel inter fideiussorem & debitorem, ostendunt in alio proposito ipsimet Couar. eod. cap. 2. num. 7. in pacto legis commissoriæ, dicens, quòd licet in pignoribus pactum legis commissoriæ sit illicitum, & improbatum inter debitorem, & creditorem, accipientem pignora, tamen est licitum, & permissum inter debitorem, & fideiussorem, Abb. in cap. 7. significante. sub num. 6. de pignor. Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 7. princip. sub num. 11. fallen. 3. tom. 6. par. 1. fol. 64. & alij, quos, testando de communi opinione, citat Couar. sub d. nu. 7. licet ipse nullam in casu legis commissoriæ constituendam esse differentiam credat, & Ioan. Azor. quem citaui vers. seq.

Comprobatur secundo, quia contractus assecurationis in substantia est contractus fideiussionis, seu illius habet naturam, vt scribunt ij, quos citaui supra num. 129. & in contractu fideiussionis is, qui assecurat, seu fideiubet, semper stat à parte debitoris, eumque repræsentat, induendo eius obligationem ad fauorem creditoris: sed hoc repugnat, vt idem, eodemq; respectu sit creditor, & fideiussor pecuniarum, sibi debitarum, assecurando, quòd erunt saluæ, quia essent duo contraria in eodem subiecto, vt lãtius explicant Franc. Garc. de contract. cap. 39. sub nu. 12. vers. ma due. ibi, noi dichiarammo di sopra. &, reprehendendo, & saluando eũdem Garciam cum distinctione, Lud. Lopez de contract. lib. 2 cap. 16. vers. in oppositum. & vers. igitur ad argumentum. & in alio proposito latius scripsi infra q. 7. par. 1. num 15. & infra §. 6. glos. 1. num. 24. quod idem scribunt Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs. cap. 18. dub. 7. vers. si obijcias. col. 1021. dicens, mutuatorem ex natura rei esse personam distinctam à fideiussore, & assecuratore, quia isti se habent ex parte debitoris, seu mutuatarij, & ideo repugnat, vt mutuator sit etiã sibimet fideiussor, & consequenter dispar, inquit, est ratio, quòd fideiubeat extraneus, vel ipsemet mutuator; quod etiam in effectu concludit Franc. Garc. tract. de contract. cap. 23. prope finem, & d. cap. 39. sub num. 12. vers. da quanto. & vers. seq. & ex huius confirmationis visceribus oritur illa conclusio, de qua in d. §. 6. gl. 1. sub num. 12. quòd iustitia & debitum non est ad seipsum, sed ad alterum. Ergo mutuator nunquam potest pro pretio assecurationis, seu periculi aliquid vltra sortem mutuo datam accipere, etiam si à mutuatario rogaretur ad assecurandum, quia verè vellet, se assecutari.

504 Quid dicẽdum in isto septimo casu; nam, si vera est opinio, de qua supra num. 493. quòd mutuatori liceat aliquid vltra sortem exigere à mutuatario, eo quòd mutuatarius posset redigi ad inopiam, vel aliter fieri malæ fidei, & quia sicut mutuatarius teneretur soluere pretium securitatis fideiussori, assecuranti mutuatorem; Ita etiam teneatur soluere mutuatori, qui vult fungi eodem officio fideiussoris; duæ sequerentur conclusiones, quæ videntur exorbitantes prima, quòd vix reperiretur mutuum, pro quo saltem in fore

foro fori non posset aliquid exigi vltra sortem: secunda, quòd mutuum, quod magis debetur pauperum indigentijs, quàm diuitum negotiationibus, pauperibus ipsis magis onerosum esset, quàm diuitibus; cum maius sit periculum in mutuatario paupere, quàm in diuite.

Pro absoluta totius controuersiæ intelligentia, & clariori eiusdem resolutione, distinguo tres casus.

Primus casus est, quando periculi assecuratio fieri deberet ad vtilitatem mutuatoris, formidantis damnum, & iacturam mutui; & hic est proprius casus controuersiæ, de qua principaliter agimus supra nu. 493. & seqq. & isto casu distinguo duplex forum: Primum est forum interius; & in isto concludo cum Medin. & Io. Azor. citatis sub d. num. 493. quòd ratione illius periculi, & semota omni fraude vsurarum, possit mutuator vltra sortem exigere aliquid, quod arbitrio boni viri sit iustum pretium illius periculi; dummodo non simulatè, sed verè exigat propter illud periculum, & non propter mutuum, seu vsum pecuniæ; hancq; conclusionem amplio, vt procedat etiam si periculum euanuerit, quia nihilominus illud pretium non tenetur remittere, siquidem sicut potuisset verisimiliter perdere totum capitale, vel partem illius; ita etiam debet potuisse aliquid lucrari, cum se exposuerit illi periculo; sicut neque assecurator tenetur assecuratario restituere pretium assecurationis, cum si euenisset casus sinister, assecurator fuisset coactus soluere sortem assecuratã, vt aduertit etiam Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. caus. 3. vers. præterea qui. fol. 272. & ita, loquendo de eo, qui propter verisimilem timorem litium, & impensarum in exigendo capitale rei vendendæ, eam vendit cariori pretio, pecunia credita, scribit idem Medin. quem secutus sum infra q. 7. par. 1. sub num. 81. Secundum est forum exterius: & in isto, ne aperiatur via fraudibus vsurarum, ego valde dubito de ista conclusione, quam posui hic supra in foro interiori, per ea, quæ adduxi sup. num. 502. & 503.

505 Secundus casus est, quando periculi assecuratio est ad euitandum damnum, & iacturam, quam pati posset mutuatarius in re mutuata: & isto casu reassumo illas duas difficultates, de quibus sup. num. 498. & 502.

Prima difficultas est; quando mutuator ea mutuat conditione, quòd mutuatarius teneatur facere se assecurari ab ipso mutuatore: & in hac difficultate concludo, mutuum esse vsurarium in vtroque foro, per ea, quæ latè secutus sum supra num. 498. hæcq; conclusio transit sine controuersia.

Declara primo, restringendo hanc conclusionem, vt non procedat, quando mutuator pecuniam, quam mutuat, parasset suo periculo transmittere ad negotiandum, puta, in Indias; sed precibus mutuatarij, vt ei eas mutuet, à proposita transmissione, & negotiatione desistit; quia isto casu potest mutuator nolle mutuare sine contractu assecurationis; cum enim isto casu mutuator mutuatarij causa cesset à ludo suæ pecuniæ, ei denegari non debet, vt, remanente mutuo, adhuc suam pecuniam fortunæ ludo per viam periculosæ assecurationis exponere possit, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 318. vers. dixi in conclusione. col. 283.

Subdeclara, vt hæc declaratio possit procedere in foro conscientiæ, sed in foro exteriori, ad euitandas fraudes valdè dubito, & inclino in contrarium.

Declara secundo, vt quamuis mutuator, exigens pretium assecurationis à mutuatario, sit censendus vsurarius, vt dixi supra; tamẽ vsura ista, ciuiliter agendo, non operatur, vt mutuator teneatur restituere aliquid de pretio assecurationis, si sit iustum, & moderatum pretium; sed solùm operatur, vt teneatur restituere id, in quo fuisset iniustum, & teneatur etiam ad id, quanti arbitrio boni viri æstimabitur onus illud assecurationis ineundæ cum mutuatore, Molin. d. disput. 318. vers. tertia conclusio. col. 284. & latius & apertius disput. 309. vers. illud aduersus. col. 253.

Ratio huius declarationis, quare teneatur ad æstimationem huius oneris est, quia hoc onus est pecuniâ æstimabile, alias non esset vsura, per ea, quæ dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 82. vnde, cum sit æstimabile potest æstimari.

Subdeclara, vt tunc mutuatuor teneatur restituere quanti fuerit æstimatum, quando illud onus fuerit executioni mandatum, secus si non fuerit executioni mandatum, quia tunc mutuator tenetur solùm liberare mutuatarium ab illo onere iniuncto, Molin. d. disput. 309. vers. calet.

506 Secunda difficultas est, quando mutuator assecurat mutuatarium à periculo, nulla ad ineundum assecurationis contractum obli-

obligatione præcedente; & in hac difficultate, in qua militant opiniones, quas adduxi supra num.498.& seqq.& num.502.& 503. ego distinguo duplex forum.

Primum est forum exterius, & in hoc, sequendo opinionem, de qua supra num.502. & 503. concludo, quòd mutuans pecuniam cum assecuratione, est vsurarius propter illam assecurationem; & ab hac conclusione non videtur discedere Molin. d.disput. 318. versus finem, vers. præcipuè. col. 285. referendo opinionem, seu expositionem Nauarri, de qua supra num.502.

507 Extende primo hanc conclusionem, vt mutuans, recepto pretio assecurationis, sit vsurarius, etiam si fuisset sine assecuratione mutuaturus.

Ratio, qua defendi potest hæc extensio, est vnica, quæ si deficeret, rueret extensio, & quia est ratio, de qua Doct. acerrimè contendunt; & qua passim vtuntur, cum sit veluti anima legum, operepretium est, sumpta occasione ab hac extensione, vt eam late, & diligenter examinemus: est igitur ratio huius extensionis, quia aliquando, cessante etiam ratione legis, seu dispositionis, non cessat lex, seu dispositio: quare licet mulieri, quæ ob adulterium à marito deuerterit, prohibitum sit, ne, pendente termino 60. dierum, qui dantur marito ad eam accusandam, possit seruos suos manumittere, ne illa manumissio fiat in fraudem euitandæ torturæ, cui serui subijci debent, l.3. verba. C. ad l. iul. de adult. tamen illa prohibitio manumissionis habet locum etiam in seruis, qui moram traxerint in alia prouincia, nunquam versati in ministerio mulieris, quo casu cessat ratio prohibitionis, & tamen non cessat prohibitio, l. 12. prospexit. ff. qui & à quib. manum. hæcque ratio est amica Ciuitatibus, & statuentibus, qui statuunt, vt eorum statuta seruentur ad litteram, & prout iacent, vt in Ciuitate Genuæ lib. 1. cap.16.

Ratio rationis in lege, condita ad obuiandum fraudibus, secundum Sot. de iust. & iur. lib.4.q.5.art.3.in solut. secundæ rat. col. 6.fol.327. est, quia, alioqui leges scrupulos pusillorum conscientijs inijcerent; sæpe enim, inquit, obscurum, & ambiguum esset, vtrum tanta esset fraus, vt sufficeret ad parendum inciuili legi, an verò tàm parua, vt præponendum esset ius naturæ.

Sed ego, clarius explicando, dico, quòd lex, quæ vult particulariter obuiare fraudi, debet non solum annullare actum, gestum cum fraude, quia fraus ex sui natura habet hanc annullationem, sed debet annullare actum, in quo fraus potest committi, & commissa difficile cognosci, vt puta; si lex velit obuiare fraudi eorum, qui, habita notitia, casum sinistrum esse secutum, faciunt se assecurari, debet declarare simpliciter, assecurationem, factam post secutum casum sinistrum, esse nullam, & sic comprehendere etiam assecurationem factam, ignorato casu sinistro, quia lex sic remouet omnem occasionem fraudis, cum alioqui homines eadem astutia, qua fraudem committere nouerunt, commissam tegere non ignorent.

Ergo licet in eo, qui fuisset mutuaturus sine assecuratione, cesset dolus, & suspicio fraudis vsurarum, & sic cesset ratio, qua ius in d.cap.nauiganti.de vsur.mutuantem cum assecuratione iudicat vsurarium per ea, quæ ex Nauar.retuli infra num.524.tamen illud ius non cessat & sic adhuc eum iudicat vsurarium; quia lex, quamuis dura sit, seruari debet, vt scripsi in meo tract.de appell.q.17. limit.48.num.11.

508 Corroboratur hæc ratio, quia licet lex prohibeat, vt quis sine causa non iuret, ne ex incauta iuratione sequatur periurium, tamen hæc lex habet locum etiam in eo, qui veritatem iuramento assereret; & sic etiam si ex illa iuratione periurium non sequatur: similiter licet lex prohibeat, matrimonium contrahi in gradu humana lege prohibito, & ex causa iusta cesset ratio legis prohibentis, tamen requiritur dispensatio, vt hæc omnia deducit Couar. in decret. tit. de matrim.cap.6.§.9.num.8. tom. 1. fol.207. licet etiam ieiunium præcipiatur ad reprimẽdam carnis tentationem, tamen & is, in quo illud tentationis periculum cessat, tenetur ieiunare, Sot.de iust.& iur. lib.4.q.5.art.3.rat.2. in solut.col.6.fol.327.& Couar. vbi supra, & Rodriq.in sum.par.1.cap.196. conclus.3. licet pariter contractus, cum minore initus, sit, minore volente, nullus, quia minor propter iudicij imbecillitatem facilè decipi potest; tamen, minore volente, erit nullus, etiam si non sit deceptus, neque læsus, imò etiam si vtilem inierit contractum, & ab hoc exemplo non videntur distare Sot. d. art. 3. in solut. ad secundam rationem, col. 6. fol. 327. & Mich. Sal.nulla de eo facta mentione, ad D.Thom.2.2.q.5.de dominio. art.4.

tit.

tit. an per contractum. verſ. quarto lex. fol. 145. dicens, quòd etſi finis legis prohibentis, ne pueri poſſint ſua propria ſponte bona ſua alienare, ſit, ne per eorum imprudentiam malè diſſipenrur, tamen, inquit, ſi contingat, eſſe puerum decem, vel duodecim annorum, qui ſapienter, & in rem ſuam poſſit de ſuis bonis diſponere, & faciat contractum, inconſulto rurore, talis contractus, inquit, in conſcientia non tenebit, & fundamentum recipit à l. 1. ff. de min. 25. ann. in fine, *nec ante rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamuis benè rem ſuam gerentibus*; & quòd quamuis finis conſtitutionis non lædatur, tamen pœna, in ea contenta, habeat locum, ſi talis conſtitutio non ſeruetur, videtur in effectu concludere in foro fori Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. num. 681. in fine, ibi, concludo igitur. iuncto præceden. num. 677. & ſeqq. de probat. inter Repet. rom 3. fol. 311.

509 Obijcitur contra hanc rationem, & ſic contra ipſam extenſionem, quòd imò totum oppoſitum eſt verum, nempè; quòd, ceſſante fine, ſeu ratione legis, ceſſat lex; quia, ceſſante cauſa, ceſſat effectus, l. 6. ad igere. §. quamuis. ff. de iure patr. cap. 60. cum ceſſante. de appell. & dixi in meo tract. de appell. q. 5. num. 117. & quòd vbi conſtitutio continet aliquid non propter ſe principaliter, ſed ad finem alicuius mali euitandi, tranſgreſſores non illaqueet ad pœnam, ſi finis, ad quem principaliter cõſtitutio tendit, non violetur, ſcribit, loquendo in vtroque foro, Abb. in d. cap. 11. quoniam contra. nu. 6. not. vlt. de probat. & quòd hæc regula (ceſſante ratione legis, ceſſat lex) ſit regula trita, omnibus nota, & in naturalibus manifeſta, à qua nullus fermè caſus excipiendus ſit, putat Coraſ. tract. de iur. ciuil. &c. par. 4. cap. 6. tom. 1. fol. 76. vbi dictæ l. proſpexit. ex qua ſumi videtur exceptio, ſecutus Oldr. Plumb. & Fulg. reſpondet, etiam in illis ſeruis non ceſſare rationem legis, quia, inquit, potuit ſeruus, qui vel abſens, vel extra mulieris miniſterium adulterij tempore fuerit, ex domina ipſa, vel ex conſeruis aliquid poſtea audire, aut de antiquis dominæ moribus atteſtari, quæ poterunt animum iudicis informare, eidemq; viam ad certius iudicium præſtruere; & pro hac eadem obiectione faciunt quæ ſcripſi infra q. 7. par. 2. limit. 17. num. 9. 11. & 12.

510 At quamplures alij noſtri Doct. huius obiectionis timore multas prædictæ regulæ, (quòd ceſſante ratione, ſeu cauſa, ceſſet lex, ſeu effectus) afferunt limitationes, ſeu declarationes, quibus, vel aliqua earum poſſit extenſio, eiusq. ratio defendi.

Prima limitatio eſt, quòd hæc obiectio, ſeu regula non eſt vera, quando ratio legis ceſſat in aliquo caſu ſingulariſſimo, quia non propterea reſtringitur lex: ratio enim legis debet attendi in ſua generalitate, ideſt, in generibus ſingulorum, non in ſingulis generum, Bal. in l. non dubium. ſub num. 7. verſ. ſequitur videre. C. de legib. Alex. conſ. 32. clariſsime. num. 6. lib. 7. Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. propè finem verſ. argumenta. fol. 330. requiritur ergo, quòd ratio legis ceſſet in communi, & vniuerſaliter, & non ſufficit, quòd ceſſet in caſu particulari; quia leges, quarum ratio continua eſt, & vniuerſalis, non ceſſant, licet in particulari caſu finis, per eas intentus, non ſequatur, vt, adducendo caſus, à me relatos ſupra num. 508. ſcribit Couar. ibidem à me citatus, & in cap. cum eſſes. num. 9. de teſtam. tom. 1. fol. 55. & per ſimilia verba Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. verſ. quarto lex. fol. 145. & ideo Rot. diuerſ. deciſ. 182. facultas. verſus finem, coram Illuſtriſsimo Card. Millino, in Romana pignorum, ven. 14. Iunij 1602. in fine, in impreſſis Romæ 1615. ait, quòd etſi in eo caſu, de quo in d. deciſ. non eſſet commiſſa fraus ab hebræo in deſcriptione in libro, tamen debebat obſeruare formam, quam cum non obſeruaſſet, libet eius non probabat, quia licet ceſſet ratio legis in cauſa particulari, tamen non ceſſat legis diſpoſitio, quæ eſt inducta ratione euitandæ fraudis; hancq; limitationem quidam, vt refert Innoc. tenent, etiam ſi lex eſſet contra ius naturale, ſed lata ex iuſta cauſa, vt horum ſententiam retuli infra in 6. argumento num. 540. verſ. ſexto quia.

511 Hæc limitatio, ſeu declaratio videtur ex pluribus impugnãda. Primo, quia non videtur declaratio, ſed deſtructio: dicere enim hoc, quod dicit hæc declaratio, eſt dicere, quòd, ceſſante ratione legis, non ceſſat lex: nam quando ceſſaret in ſua generalitate, vt dicit declaratio, tunc lex non ſolùm ceſſaret in vno, ſed ceſſaret in omnibus, ſicq; illa lex reduceretur ad non legem, quaſi tunc eſſet correcta ratio legis, & ſic ipſa lex: Vnde Euer. de loc. argument. in loc. à ceſſat. ratione.

tion.num.2.tacitè hac limitatione reiecta, inquit, cessante ratione legis, cessare legem, siue hoc contingat ex eo, quòd ratio legis cessat in casu, de quo est quæstio, quia tunc vtique cessat dispositio, siue hoc proueniat ex eo, quòd ratio legis est correcta, quia, correcta ratione legis, censetur etiam correcta ipsa lex; eandem limitationem reijcit Mantic.tract.de coniect.vlt.volunt.lib.2.tit. 14.sub nu.11. vers.sed hæc solutio. vbi contra Couar. supra citatum, inquit, verum esse, quòd non satis est, cessare rationem legis in aliquo casu particulari, vt cesset ipsa lex, sed requiri, vt cesset ratio ipsius legis in communi, & vniuersaliter; at subdit Mantic. debere cessare legem in casu, in quo cessat ratio ipsius legis, & sic Mantic. videtur negare in effectu hanc limitationem, sed, loquendo in foro contentioso, non figit pedes, cum loquatur cum formidine, & inconstanter. Secundo (& confirmo idem) quia valet argumentum de toto ad partē, sed quando ratio cessat in totum, in totum cessat etiam lex: ergo quando ratio cessat in partem, in partem etiam cessabit lex, l.quæ de tota. ff.de rei vendic. Tertio, quia in Ciuitate Genuæ, & Ciuitate Lucæ extat lex prohibitiua delationis armorum, cuius legis prohibitiuæ ratio est, ne sequantur homicidia, & vulnera: & tamen in eisdem Ciuitatibus videmus enses, & pugiones impunè deferri ab eo, qui eos defert vendendos, quia in eo

512 cessat prædicta ratio. † Quarto, quia, vt dicunt Sot.de iust.& iur.lib.4.q.5.art.3. circa initium, col.2.fol.325. Couar.in d.tit. de matr.cap.6 §.9.sub nu.8. fol.207. & Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.q.5.de dominio, art.4. tit. an per contractum, &c. vers. probatur hæc sententia. fol. 146. licet lex præcipiat correctionem fraternam, tamen si in aliquo particulari cesset spes futuræ correctionis, cessabit in eo præceptum legis præcipientis correctionem; quod & nos scripsimus in nostro tract.de iudic.caus.lib.1. cap. 56.nu. 2. in fine, & probatur ex cap. 4. si quis. 33. q.3.de pœnitent.dist.7. *nam ideo do tibi pœnitentiam, quia nescio, nam si scirem, tibi nihil prodesse, non tibi darem. item si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*. cum hac enim negatiua legendus est ille textus, prout eum legit Sot. supra citatus.

Posset tamen hæc limitatio procedere, quatenus conglutinetur cum his, quæ scripsi infra sub num.521. ibi, hinc demum est.

Vel posset procedere, (loquendo more nostrorum Doctorum) quando lex non esset contra ius naturæ, secus si esset contra ius naturæ, vt sentiunt Innoc. quem remissiuè citaui sup.num.510.in fine, & Sot.de iust. iur. lib. 4. q. 5. & art. 3. in solut. 2. ration. col.6. ibi, noluit ergo legislator. fol.327.

513 Secunda declaratio, seu limitatio est, quòd si ratio legis dirigitur in finem particularem, lex cessat eo casu, quo cessat ille finis, vt, loquendo in correctione fraterna, scribunt Sot.de iust. & iur. lib.4. q.5. art.3. prope finem, vers. argumenta. ibi; quod autem. fol. 330. & Couar. quem retuli num. præcedenti.

Hæc limitatio, salua eorum pace, videtur vana, quia omnis lex principaliter respicit bonum publicum, & secundario finem particularem: quare hæc limitatio posset singulis casibus adaptari.

514 Tertia limitatio est, vt non procedat, quando ratio non est expressa, seu scripta in lege, seu statuto, quia tunc attenduntur verba legis, & non ratio, ideoq; nihil releuat, an ratio cesset, vel non cesset: & idem esset, quando ratio esset dubia, vel ea congruè reddi non posset, quia tunc ex tali ratione non possumus arguere, quia tunc est solùm ratio magistralis, sed non necessaria, Alex. cons.32.clarissimè. sub num. 5. vers. quarto probatur. lib.7.

515 Limitatio hæc non videtur tuta, quia supponimus non plures, sed vnicam tantum rationem probabiliter reddi posse, quo casu illa habetur pro expressa, Felin. in cap. 5. si quando. sub num.11.vers.sed certè licet.de rescript.Coras.tract.de iure ciuil.&c. par.4. cap.5. rom. 1. fol. 76. & ideo sicut cessante ratione expressa in lege, cessat lex in casu particulari, in quo cessat ratio, ita etiam cessante ratione non expressa, si vnica tantum ratio reddi potest, Abb. in cap. 8. quia plerique. sub num.39. vers.ego latius. de immunit. eccles. & in dubio non debemus præsumere legislatorem varijs rationibus motum, quia in actionibus hominum pluralitas non præsumitur, Coras. vbi sup. cæterum si plures rationes reddi possent, res esset incerta, nisi appareret, quòd omnes cessarēt.

516 Quarta limitatio, omissis alijs, quas tu colligere potes ex traditis per Bal.in d l.non dubium. sub num. 5. vers. contra legem. & seqq. C.de legib. & Felin.in d.cap.si quando.

do. ſub num. 11. & 12. & latè ex congeſtis per Tiraq. in toto tract. ceſſante cauſa) eſt, vt non procedat in ratione, quæ non eſt generalior lege, ſeu non eſt æquè generalis, ſicut eſt lex; aut enim lex eſt generalior ratione, & tunc licet ceſſet ratio, tamen non ceſſat lex, quia quando lex eſt generalior ratione, ſeu cauſa, illa cauſa dicitur impulſiua, qua ceſſante, non ceſſat lex; aut ratio eſt generalior lege, ſeu æquè generalis, & tunc, ceſſante ratione, ceſſat lex, quia quando ratio, ſeu cauſa eſt generalior lege, ſeu æquè generalis, tunc illa cauſa dicitur finalis, qua ceſſante, ceſſat lex, vt ſequuntur Euer. de loc. argum. in loco à ceſſatione rationis. nu. 4. & 5. in 1. limitat. Tiraq. in tract. ceſſante cauſa. limit. 1. num. 62. verſ. tertium quòd cum lex. ad quem locum ſe remittit, limit. 9. in fine, nu. 2. declarando illam obiectionem, de qua ſupra num. 509. verſ. obijcitur. & ab hac limitatione poſt multa non videtur diſcedere Felin. in d. cap ſi quando. ſub nu. 12. ibi, ſed non eſt inferendum. de reſcript.

517 Verum & hæc limitatio licet communiter teneatur, & ſit etiam vera, nobis tamen nihil, aut parum explicat, quia ignota per æquè ignota docet, nam æquè eſt ignotum, quando ratio ſit generalior, vel non generalior lege, item quando cauſa ſit finalis, & quando impulſiua; ſicut eſt ignotum, quando, ceſſante ratione, ceſſet, vel non ceſſet lex; nam ego admitto, quòd, ſi ratio ſit generalior lege, ſeu cauſa ſit finalis, ceſſat lex, ceſſante illa ratione, ſeu cauſa: & è conuerſo, ſi lex ſit generalior ratione, ſeu cauſa ſit impulſiua, lex non ceſſat, quamuis ceſſet illa ratio: ſed dico, quòd ego certè ſcio, rationem eſſe generaliorem, vel non generaliorem lege, ſeu cauſam eſſe finalem, vel impulſiuam ex eo, quòd lex ceſſat, vel non ceſſat, illa ratione ceſſante, vel non ceſſante; & ſic ex ceſſatione, vel non ceſſatione legis diſco qualitatem cauſæ; & non ex qualitate cauſæ diſco ceſſationem legis.

518 His limitationibus, ſeu declarationibus concuſſis, remanet ſolida diſcordia inter obiectionem, & rationem, cuius etiam corroborationi facilè poteſt reſponderi; nam licet iuramentum ſine cauſa præſtari non debeat, ad ea, quæ dixi in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 2. cap. 8. ſub num. 660. ne ex incauta iuratione periurium contingat, cap. 26. etſi Chriſtus. de iureiur. tamen etiam ſi quis velit iurare veritatem, non debet eam ſine neceſſaria cauſa iurare, quia lex intẽdit obuiare occaſioni, & ſic non ſolum actui, ſed potentiæ actus, vt explicaui infra, addo, quòd prohibetur iuramentum propter nominis Dei reuerentiã, quæ nõ exhiberetur, ſi eius nomine ſine vrgenti cauſa, & ſine adorationis actu vteremur: quare, vt habetur Eccleſ. 23. n. 10. & 12. *nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo. Vir multum iurans implebitur iniquitate.*

519 † Neque eſt verum, quòd ieiunium iniungatur principaliter ad compeſcendam carnis tentationem, ſed iniungitur ad peragendam pœnitentiam, & ad imitationem Redemptoris noſtri, cap. 8. ſcire debet. diſt. 76. ſimiliter non eſt bona illa argumentatio, quòd ex iuſta cauſa requiritur diſpenſatio pro contrahendo matrimonio in gradu prohibito, quia illa iuſta cauſa non facit, penitus ceſſare rationem legis, & ideo dico, requiri diſpenſationem:

520 † Eccleſia enim prohibet, ne feria ſexta carnem edamus, cap. 11. de e u carnium. de conſecr. diſt. 3. non quia non ſumus infirmi. ſed quia illa die Redemptor noſter pro noſtris culpis fuit crucifixus, cap. 13. ſabbato. ead. diſt. 3. de conſecrat. ſed tamen diſpenſat, ſi iuſtam viderit cauſam diſpenſandi, vt puta, quia ex atteſtatione medici cõſtet de infirmitate, ſed ſine diſpenſatione Eccleſiæ quis eam, etiam ſi infirmus eſſet, non poteſt commedere; & ita corruunt fundamenta Couarruuię, adducta ſupra num. 508. verſ. corroboratur. Minus obſtat, quod nos cõſiderauimus in contractu minoris, quia reſpondeo, quòd lex contractum minoris declarat nullum, minore volente, non eo, quòd minor ſit deceptus, ſed eo, quia potuiſſet decipi, & ſic ceſſant omnia adducta pro corroboratione, & conſequenter dubia remanet extenſio, cum non ſit ex his probatum, quòd, ceſſante ratione legis in caſu particulari, non ceſſet lex.

521 Quid in re ſic perplexa dicendum? & quomodo adductam contrarietatem euitabimus, cum in iure nihil contrarium debeat admitti, § quibus. C. de nou. cod. facien. & l. vlt. §. contrarium. C. de vet. iur. enuncl.

Concludo duo: primo, extenſionem eſſe veram: ſecundo, rationem, pro ea adductam, non eſſe bonam; & ideo admitto obiectionem quòd, ceſsante ratione legis, indiſtinctè ceſset lex; ſed, retorquendo hanc obiectionem, dico, quòd, cum in eo qui mutuat cum aſsecuratione, non ceſset ratio legis, etiam ſi fuiſset mutuaturus ſine aſsecuratione,

ratione, non cessabit lex, & sic extensio est vera: & quòd ratio, qua lex prohibet mutuanti, ne assecuret, non cesset etiam in eo, qui fuisset mutuaturus sine assecuratione, ostendo distinguendo: aut enim causa, seu ratio legis est potentia: aut est ipse actus: declaro vberius: Aut lex intendit remouere non solum actum, seu effectum, sed etiam illud, per quod potest ad illum actum deueniri; & sic lex intentius agit;& isto casu non sufficit cessatio ipsius actus, seu effectus, vt cesset lex, sed requiritur cessatio illius, per quod deueniri potest ad illum actum; alias, si illud etiam non cesset, non cessat lex,quia isto casu parificantur actus, & potentia, & hoc non est nouum, quia etiam in definitionibus potentia habetur pro actu; siquidem dicimus, quòd genus prædicatur de pluribus differentibus specie, quamuis plures species non actu, sed potentia habeat, vt scripsi in meo tract. de iudic.caus. lib.1.cap. 2.num.18. quare, cum lex intendat non solum prohibere actum periurij, sed etiam id, quo peruenitur ad periuriũ, prohibet etiam iuramentum veritatis, quod sine causa necessaria præstatur, vt dixi supra sub nu. 508. quia actus,qui non est necessarius, & ex eo potest sequi malum,non est faciendus: non tamen prohibet iuramentum,quod ex causa necessaria adhibetur, quia necessitas lege non ligatur: hinc quoque est,quòd cum lex intendat non solum actum læsiuum, à minore gestum, destruere, sed etiam illud,per quod ad illum actum læsiuum potest deueniri, irritat, minore volente, omnem contractum,initum cum ipso minore, etiam si minor ex eo non læsionem,sed vtilitatem consequatur, vt dixi sub eod.num.508. & sic ex cessatione actus non cessat lex; hinc etiam est, quòd dato, quòd quis detineat librum prohibitũ,& damnatum, & illum nunquam legerit, & quòd quis illum etiã legerit, sed ex illius lectione nullũ fidei,aut bonis moribus damnum ortum sit; & iste sit præcipuus finis legis prohibentis illum librum; tamen quia lex intendit prohibere etiam potentiam, & occasionem ad legendum, & ad damnum; idcirco etiam is, qui librum detinet, & multo magis qui eum legit, cõmittit in legem; etiamsi ex detentione orta non sit lectio, neque ex lectione processerit damnũ; hinc quoque est, quòd cũ lex intẽdat prohibere non solũ vulnera,& iniurias, sed etiam arma, quibus ad hæc deuenitur, prohibet armorum delationem, etiam si ex illa delatione vulnus, & iniuria non processerint: quare in Ciuitate Genuæ, & Lucæ puniuntur deferentes arma, etiam si cum illis non fuerint apprehensi, & quamuis ex illorum delatione nullum sit secutum malum; & similiter Romæ, & vbique puniuntur apprehensi cum armis, etiam si armis illis neminem offenderint, nec constet, quòd vellent offendere; quia ex cessatione actus non cessat lex; cessaret autem lex, si cessaret ipsa potentia, & ideo si deferens arma esset infans, vel esset illorum armorum venditor, in quibus præsumeretur cessatio potẽtiæ ad offendendum, cessaret lex; & ab hoc exemplo non discedit Sot. de iust.& iur. lib. 4. q. 5.art.3.in solutione secundæ rationis, col.6. fol.327. dicens, quòd, prohibita nocturna armorum delatione, etiam pacificus illa deferre nõ potest; hinc quoque procedit,quòd etsi causa, qua alearum ludũ Princeps prohibet, sit, ne ex eo sequantur propriæ substantiæ amissio, lachrymæ, blasphemiæ, & similia mala, vt in l.vlt.C.de relig.& sumpt. fun. & ludens puniri debeat pœna arbitraria, Clar.recept.sent.lib.5. §.ludus. vers.sed quæro. & late Menoch. de arbitr. iud. cas. 399. tamen qui sine blasphemia, & sine amissione luderet, vt puta, quia neuter perdiderit, adhuc legis pœnam non euaderet; quia lex imponit pœnam occasioni, & periculo, cui quis se exponit; quamuis illius occasionis,& periculi effectus non sequatur; hincq; oritur, quòd cum lex intendat prohibere non solùm fraudem, quæ committitur in occultatione veritatis, sed etiam id, quo ad illam committendam deuenitur, prohibet seruorum manumissionem, siue versati fuerint in mulieris ministerio, siue non,quia ex seruorum manumissione euitatur tortura, qua ex seruorum ore veritas eruitur, vt dixi supra num. 507. & omissis alijs similibus,quæ essent infinita, hinc demũ est, quòd licet nummulario debeatur pretium cambij propter impensas, & labores in transuehendis pecunijs, tamen debetur ei, etiam si translationem faceret sine impensis, & sine labore; quia lex considerat expensas, & labores in potentia; & quòd eueniat casus,in quo illa potentia non reducatur ad actum, sit accidens, quod à lege non habetur in consideratione per ea, quæ scripsi supra sub num.428.& infra q.7.par.2.ampl.6.num.1. & seqq. Lex ergo considerat effectus, qui frequen-

frequenter à suis causis procedere solent, non autem effectuum cessationem, quæ rarò solet euenire, l. 5. nam ad ea. ff. de legib. & est solemnissimum Doctorum axioma, quòd lex accidentarios casus non respicit, sed ea, quæ vt plurimum contingunt, quia iura constitui debent in his, quæ accidunt, & vsu venire possunt, non autem in his, quæ præter opinionem, & insperato contingunt, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art 3. in secunda ratione. col. 5. in fine, fol. 327. & latius Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. vers. quarto lex. fol. 145. Aut lex intendit solum disponere super actu; & tunc dico, quòd sufficit cessatio illius actus, licet non cessauerit potentia; quare, cum lex intendat tollere grauamen, quod iudex, procedendo, seu iudicando, infert; concedit appellationem solum, quando prætenditur grauamen illatum, non autem antequam adsit grauamen, & sic non conceditur appellatio ex eo, quod iudex posset grauare, & ideo sufficit cessatio grauaminis actualis, quamuis non cesset id, per quod poterat deueniri ad illud grauamen; hinc quoque est, quòd cum lex, quæ præcipit, fieri correctionem fraternam, intendat, vt ex ea sequatur emendatio corrigendi, cessat ista lex, si cessatura sit ipsa emendatio, & sic, si emendatio non speretur, correctio non est necessaria ad ea, quæ dixi supra num. 512. quamuis non cesset illa aptitudo, quam correctio de sui natura habet ad emendandum.

Ex hac distinctione apparet, veram semper esse regulam, quòd, cessante ratione legis, cessat lex, & è conuerso, non cessante, non cessare: nam si lex pro ratione habet ipsam potentiam, & occasionem, requiritur cessatio ipsius potentiæ, & cessatio actus non sufficit; & in hoc decipiuntur Doctores, qui credunt, rationem legis cessare in particulari, & ideo non cessare legem, non aduertentes, quòd in particulari cessat actus, in quo non est fundata ratio legis, & non cessat potentia, in qua fundatur legis ratio.

Nec obstat, quòd hęc nostra distinctio videatur pati eandem reprehensionem, quam nos supra num. 517. arguimus quartam limitationem; cum æquè ignotum sit, quando lex disponat solum super actu, vel etiam super potentia ad illum actum, sicut est ignotum, quando ratio legis fuerit finalis, vel impulsiua.

Quia respondeo, aduertendum esse, quòd facilius forsan cognoscimus, an lex disponat super actu & potentia, vel super actu tantum, quàm cognoscamus, an ratio, qua disponit, sit finalis, vel impulsiua: fateor tamen, vtrumque esse difficile.

522 Cum ergo lex canonica in cap. nauiganti. prohibendo voluerit obuiare non solùm vsuræ commissioni, sed etiam committendi occasioni, intelligitur prohibuisse simpliciter mutuatori, ne, recepto pretio, assecuret, & sic etiam si sine assecuratione fuisset mutuaturus; quia hoc semper est occultum; & sic ideo non cessat lex, quia non cessat ratio.

523 Supposita autem illa quarta limitatione, de qua supra nu. 516. superesset, vt diceremus, quomodo cognoscatur causa finalis, seu mens legis; sed tu apud plures hoc inuenies, & præsertim apud Bal. tract. de statut in verbo, procemium. num. 2. & 3. tom. 2. fol. 139. Brun. eod. tract. art. 5. num. 96. fol. 173. & Stracch. tract. de decoctor. par. 4 nu. 3. tom. 6. par. 1. fol. 319. Et hæc sufficiant de prima extensione, posita sup. num. 507.

524 Extende secundo illatiue, vt; cum in foro fori iudicetur vsurarius, etiam si fuisset mutuaturus sine assecuratione, vt dixi supra d. num. 507. in praecedenti extensione; idcirco non admittatur ad probandum coniecturas, & præsumptiones, quibus tolli possit vsuræ præsumptio, Sant. r. tract. de assecur. par. 1. sub num. 17. tom. 6. par. 1. fol 348. dicens, quòd ideo non admitteretur probatio in contrarium, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub num. 284. dicens, quòd Pontificis animus in d. cap nauiganti. fuit obuiandi quamplurimis vsuris palliatis, quæ fiebant, mutuando cum assecuratione, suscepto pro ea pretio; quamplures enim, qui volentes, sibi mutuari, & non inuenientes, qui gratis mutuarent, fingebant, se velle traijcere pecuniam in alias terras, & velle sibi eam assecurari addito pretio iusto, quo inuenirent mutuatores; & obuiauit, inquit, inducendo præsumptionem iuris, & de iure, quia non dixit, talem mutuatorem esse vsurarium, sed, censendum vsurarium, hoc est, præsumendum, & ex Nauar. videtur secutus Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 318. versus finem, vers. præcipue. col. 285.

525 Ratio huius extensionis est, quia Papa non noscit secreta cordis, nec potest de occultis diuinare, cap. vnico. vt Eccles. benef.

ſine diminut.confer. & idco iudicat ex veriſimilitudinibus,& à communiter accidentibus,in quibus poteſt ſæpè falli;& cõſequenter poteſt euenire, vt Eccleſia iudicet aliquẽ vſurariũ,qui nõ ſit vſurarius:& è contra;iudicet, non eſſe vſurarium, qui eſt vſurarius, per ea, quæ latius adduxi infra ſub nu. 529.

526 Confirmatur hæc ratio, quia in foro fori vſura poteſt probari per argumenta, coniecturas, & præſumptiones, vt ex Ioan. Andr. Laur.de Rodulph. Affli&. Dec.& Stracch.& eſſe communem opinionem, ſecutus ſum in meo tract.de iudic.cauſ.&c.lib.2.cap.9. nu. 305.& ſeqq. in quibus huius confirmationis rationes latè deduxi.

527 Contra hanc extenſionem; quòd enim hæc vſuræ præſumptio, reſultans ex aſſecuratione, recipiat probationẽ in contrarium, cum ſit præſumptio iuris tantum, quia Pontifex in d cap.nauiganti. non decernit, mutuantem, recepto aſſecurationis pretio. eſſe vſurarium, ſed ſolum præſumit, quaſi dicat, alio in contrarium non demonſtrato; quare, ſi probetur, mutuantem eſſe virum probum, & ab vſuraria prauitate alienum, ſolitumq; gratis mutuare, & mutuaſſe amiciſſimo, & ſimiles probentur circumſtantiæ; tolleretur præſumptio vſuræ,quia vna præſumptio tollit aliam, ſcribit Stracch.tract.de aſſecur. in præfat.nu.40. verſ.nunc & illud.& num.41. tom.6.par.1.fol.360.

Non diſcedo ab extenſione, quæ eſt neceſſaria, admiſſa extenſione præcedenti. Et hæc ſatis de primo foro, nempe de exteriori, de quo egimus ſupra num.506.& ſeqq.

528 Secundum eſt forum interius, ideſt, conſcientiæ: & in iſto concludo, quòd mutuator,qui ſine vlla fraude,ſed requiſitus à mutuario,aſſecurat, & aſſecurationis pretium exigit, non eſt vſurarius, ideoq; poteſt tuta conſcientia retinere pretiũ, quod habuit ex aſſecuratione,Nauar.in man.confeſ.cap.17. de vſura circa cambia.ſub n.284.& proinde confitentem, ſe mutuaſſe cum aſſecuratione ſine vlla fraude,non debet confeſſarius condemnare ad reſtitutionem, Nauar.eod.cap. 17.nu.285. & quòd mutuatio iſto caſu non ſit vſuraria de lege diuina, vel naturali, & hic mutuator in foro conſcientiæ non ſit iudicandus vſurarius,firmauit ante eum Contad.tract.de contract.q.39. in 2. concluſ. & Nauarrum, tollendo difficultates, latè ſequitur Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 16.verſ.quartum denique.& ſeqq.vſque ad verſ.iam illa hic. excluſiue, & quòd text. in d.cap. nauiganti. non habeat locum in foro conſcientiæ, ex Nauar. videtur ſecutus Molin.de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 318. verſus finem, verſ.præcipuè. col.285.

Ratio huius concluſionis eſt, quia in foro conſcientiæ non eſt peioris conditionis mutuator ad aſſecurandum, quàm ſit alius tertius; ſi re vera mutuatarius hanc ſecuritatem (quia ea indigebat) erat petiturus à tertio; mutuator enim non eo, quòd, mutuando, exercet actum charitatis erga mutuatarium, debet eſſe peioris conditionis tertio,non exercente hunc actum charitatis, Nauar. in d. cap. nauiganti. ſub num. 5. de vſur. quem ſequitur Lud. Lopez d.cap. 16. verſ. porrò illa. & verſ. quartum denique.

529 Confirmatur primò hæc concluſio, quia ſicut præſumptio cedit veritati, ita lex poſitiua, quando iudicat ex præſumptionibus, cedit legi diuinæ, quæ ſemper innititur veritati, ideoq; in foro conſcientiæ, in quo iudicat Deus, ſeu lex diuina, attenditur veritas, Abb.in cap.8. quia plerique. ſub num. 18.& 20.de immun.eccleſ. loquens in caſu, de quo infra q.7.par.2 ampl.19. ſub nu.83. verſ.infero primo probando. & quando canon, vel lex fundatur ſuper præſumptis, ſi in foro animæ certum ſit, præſumptionem illam non eſſe veram, præualet ibi veritas, Felin.in cap.1.fallen.6. ſub nu.40. verſ.hæc fallentia. de conſtit. & nulla lex, fundata in præſumptionibus, ligat quem in foro conſcientiæ, ſi contrarium eius, quod præſumitur, eſt verum coram Deo, Nauar. in cap. ſi fœneraueris. num.106.in fine, verſ.quarto quod.14.q.3. & quòd lex ciuilis, quæ præſumptionem præfefert, in animæ iudicio locum ſibi non vendicet,quia in eo conſtat veritas,ſcribit Couar.in cap.cum eſſes.verſ.ſed eſt quæſtio.num.4.in fine,de teſtam.& ſtare communem concluſionem Theologorum, Legiſtarum, & Canoniſtarum,quòd lex poſitiua, fundans ſe in præſumptione, non ſit ſeruanda in foro conſcientiæ & animæ, ſequitur Io.de Anan.in cap.6.in ciuitate. num.9. verſ. quædam eſt deceptio. de vſur. & quod lex, ſeu forum conſcientiæ, quæ non ſit erronea, ſemper nitatur veritati, & rei exiſtentiæ, at lex humana diſponat, & iudicet ex his, quæ apparent, & non de occultis, ideoque iudex ſecundum probata,& non ſecundum conſcientiã iudicare debeat, & in foro conſcientiæ attendatur veritas, & non

non præsumptio, vel fictio, scribit motiuando, quòd hæres, etiam inuentario non confecto, non teneatur nec in foro conscientiæ, nec in foro fori vltra vires hæreditarias ad restitutionem vsurarum, ad quam tenebatur testator, Fed. de Sen. cons. 21. nunquid hæres. sub num. 2. quem Anch. in cap. possessor malæ fidei. num. 12. versus finem, de reg. iur. in 6. sequitur in puncto restitutionis vsurarum, & vlterius sub num. 13. contra eum tenet indistinctè, quòd hæres in foro conscientiæ non teneatur vltra vires hæreditarias; citans ad hoc Bar. & Bal. quare Papa, cum nesciat secreta cordis, nec possit de occultis diuinare, cap. vnico. vt ecclesiast. benef. sine dimin. confer. iudicat ex verisimilitudinibus, & à communiter accidentibus, & quandoque fallitur, & ideo Ecclesia ligat quandoque eum, qui apud Deum est solutus, & soluit, qui apud Deum est ligatus, vt, loquendo de decedente in excommunicatione, dicit text. in cap. 28. à nobis. de sent. excom. *iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: iudicium autem Ecclesiæ non nunquam opinionem sequitur, quā & fallere sæpe contingit, & falli; propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus.* Vndè non sequitur; Ecclesia iudicat hunc vsurarium: ergo est vsurarius: neque è conuerso: iudicat, non esse vsurarium: ergo non est vsurarius.

530 Confirmatur secundo, seu verius corroboro hanc primam, quia lex humana, cum fundatur in falsa præsumptione, neque dat, neque adimit ius in foro animæ; quare licet verè debitor, & conuentus in iudicio absoluatur, eo quia creditori defecerit probatio, nihilominus in foro conscientiæ remanet adhuc obligatus, & condemnatus ad soluendum Bal. quem secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 48. ibi, aut lex humana est fundata super præsumptione. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. vers. quarto leges. fol. 146 & hoc forsan est, quod confusè, & corruptè habet in libro meo Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. num. 9. il 2. ibi, nam verus debitor. de immun. eccles. & similiter non debitor, & tamen iniustè condemnatus per sententiam iudicis, in foro conscientiæ non tenetur soluere, testibus Innoc. & alijs, quos secutus sum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 84. & seqq. vers. subinfero generaliter.

531 Confirmatur tertio, quia sicut, cessante causa, cessat effectus; ita etiam cessante fine, & ratione legis positiuæ, debet cessare ipsa lex positiua, vt dixi supra num. 509. & cessante lege positiua, casus, qui erat ab ea decisus, remanet sub dispositione iuris naturalis, & iurisgentium, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. initio, col. 2. fol. 325. & Mich. Sal. d. art. 4. tit. an per contractum, &c. vers. probatur hæc sententia. fol. 146. sicut etiam dicimus, quòd casus omissus in statuto remanet sub dispositione iuris communis, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 696. At ratio, & finis legis positiuæ, prohibentis, ne mutuator possit, recepto pretio, assecurare mutuatarium, est, ne sub hoc colore assecurationis mutuatores recipiant vltra sortem, vt dixi supra nu. 524. Ergo; quando cessat ista fraus, quia mutuator non sub hoc colore mutuauit, cum fuisset mutuaturus sine assecuratione; & assecurauit, quia verè fuit requisitus, & verè mutuatarius voluit se assecurari; tunc tale mutuum non subest illi legi positiuæ, prohibenti assecurationem, & ideo remanet sub dispositione iuris naturæ, & gentium, quod hanc assecurationē, verè factā, nō improbat.

Corroboratur primo hæc confirmatio, quia licet census emptus ex vero credito sine pecuniæ numeratione sit inualidus in foro exteriori, tamen est validus in foro interiori, secundum Nauar. quem retuli supra num. 213.

Corroboratur secundo generaliter, quia esto, quòd in foro fori, cessante causa legis, non cessaret lex per ea, quæ retuli supra nu. 507. quando lex se fundat in potentia, vt dixi supra sub num. 521. & in præsumptione, vt dixi supra num. 524. & 525. tamen in foro conscientiæ vera est conclusio, quòd, cessante causa, seu fine legis, cessat lex, quare quoties non læditur finis, propter quem facta est lex, pœna, contenta in lege, non habet locum, quamuis lex non sit seruata, Franc. Niconit. in cap. 1. quoniam contra. num. 177. & resolut. num. 681. in fine, de probat. inter Repet. tom. 3. fol. 311. quod est de mente Abb. ibidem num. 6. not. vlt. licet Abb. videatur loqui in vtroque foro, & in hoc non benè: Veruntamen est, quòd etsi finis non lædatur, tamen si lex contemneretur, adhuc peccaret in foro conscientiæ, Abb. & Niconit. vbi supra.

532 Confirmatur quarto (& tendit ad idem) quia conſtitutio facta etiam ex iuſta cauſa, ſed contra ius naturale, reſtringi debet ad illum tantum caſum, in quo eſt iuſta, & ideo in alio caſu, in quo conſtitutionis iuſtitia ceſſaret, conſtitutio ſeruari non debet, præſertim in foro conſcientiæ; & proinde conſtitutio, quæ dat exceptionem macedonianam propter iuſtam cauſam, ſi certum eſſet, quòd illa cauſa non ſubeſſet; vt puta, ſi in neceſſitate mutuaſſet, peccaret, qui macedoniana exceptione ſe defenderet, Innoc. in cap. 8. quia plerique. ſub num. 5. verſ. ſed de hoc. de immun. eccleſ. quem ibidem notabiliter referunt Io. Andr. ſub num. 4. verſus finem, verſ. quid ſi imperator. Ant. de Butr. ſub num. 11. verſus finem, ibi, plus dicit quòd ſi conſtitutio. Anch. num. 16. ibi, ſed pone quod conſtitutio. q. 7. & Abb. q. 13. num. 38.

533 Confirmatur quinto, quia in foro conſcientiæ ſoluendum eſt, quod de iure naturæ debetur, licet de iure poſitiuo ſit indebitum, & ideo promiſſum ſeruo, vti ſeruo, ſolui debet in foro animæ, licet non in foro fori, teſtibus his, quos ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 95. extenſ. 2. nam vbicunque inter legem poſitiuam, & legem naturalem datur diſcrepantia, ſeruari debet æquitas legis naturalis in foro animæ, Abb. in d. cap. quia plerique. ſub num. 7. in 2. regula, quem retuli etiam d. ampl. 19. nu. 57. verſ. prima doctrina. verſus finem; & quòd in foro animæ ſolui debeat, quod naturaliter debetur, referunt Couar. in cap. cum eſſes. verſ. ſed eſt quæſtio. nu. 5. de teſtam. fol. 55. tom. 1. & Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib. 2. tit. 14. ſub num. 16. ver. tertio adducitur, & facit ad hoc, quod ſcripſi eadem ampliat. 19. ſub num. 83. & 112. verſ. infero primo probando. & verſ. extende quinto.

Confirmatur ſexto (& tendit ad idem) ex eorum ſententia, qui tenent, quòd legatarius, cui in imperfecto, ſeu minus ſolemni teſtamento relictum eſt legatum, & is, in quem ex contractu nullo tranſlata eſt res, poſſint tuta conſcientia legatum, & rem retinere, quia etſi eis non debeantur de iure poſitiuo, tamen debentur de iure naturæ, quorum ſententiam retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 19. ſub num. 114. extenſ. 6. verſ. infero. & num. 71. verſ. contra hanc. & ſeqq.

Confirmatur ſeptimo (& tendit etiam ad idem, ſed ſtrictius) quia licet ludus ſit à iure poſitiuo prohibitus, tamen quia in eo transfertur naturaliter dominium rei, quæ in ludo amittitur, vincens poteſt illam rem tuta conſcientia retinere, donec per ſententiam iudicis condemnetur ad eam reſtituendam, vt ſecutus ſum ſup. num. 116. ergo ſic etiam in caſu noſtro poteſt mutuator retinere tuta conſcientia pretium aſſecurationis, quia ex mutuo conſenſu illius dominium eſt in ſe naturaliter translatum.

Aduerte obiter circa has quartam, quintam, ſextam, & ſeptimam confirmationes, quòd etſi veræ ſint earum concluſiones, tamen earum locutio non eſt recta, dum contrarietatem conſtituunt inter ius naturale, & ius poſitiuum per ea, quæ dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 14. & ſeqq. ad eum.

534 Confirmatur octauo (& hæc eſt etiam corroboratio omnium præcedentium) quia notiſſima, & vſu indubitanter recepta eſt regula apud vniuerſum Chriſtianorum orbem, quòd duplex ſit forum, ſeu tribunal, vnum terreſtre, in quo iudicant homines, & nos vocamus forum fori, ſeu forum exterius; & alterum diuinum, in quo iudicat Deus, & vocamus forum poli, ſeu forum interius, animæ, & conſcientiæ, & huius duplicis fori diſtinctionem, & diuerſam diſpoſitionem latè oſtendit Feder. de Sen. conſ. 21. nunquid hæres. ſub num. 2. quem ſequitur Petr. de Anch. in cap. poſſeſſor malæ fidei. nu. 12. verſus finem, ibi, aduerte latius. de reg. iur. in 6. & ſub hac duplicis fori diſtinctione paſſim loquitur Doct. vt patet ex hucuſque dictis in hac concluſione, poſita ſup. n. 528. & ex alijs alibi in hoc noſtro tractatu, & præſertim infra q. 7. par. 2. ampl. 19. nu. 1. & ſeqq. n. 83. & ſeqq. Imò eſſe differentiam inter forum contentioſum eccleſiaſticum, & conſcientiæ, ſequitur, & oſtendit Felin. in cap. 1. fallen. 6. ſub nu. 41. verſ. quibus rationibus. de conſtit. & patet ex his, quæ ſecutus ſum infra d. q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 41. 52. & 53. & quòd forus contentioſus diſcrepet à pœnitentiali, quia in contentioſo cauſa non expeditur ſine lite, ſecus in pœnitentiali, ſcribit Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. ſub num. 9. il 1. verſ. ex his patet. de immun. eccleſ. & nemo eſt, qui ignoret, hoc Dei tribunal eſſe non ſolum maius, ſed omnium ſupremum; At, quando infimum tribunal diſcreparet à ſupremo, ridiculum eſſet, ſi infimo, & non ſupremo eſſet parendum: qui-

nimo

nimo statim atque supremum tribunal manum apponit, cessat minimum. Ergo nemini in dubium venire potest, quin lex Dei,& naturæ sit præponenda legi humanæ, siquidem lex Dei dicitur lex priuata, quæ instinctu sancti Spiritus in corde scribitur, quare, inquit text. in cap. 2. duæ sunt. 19. q. 2. *dignior est enim lex priuata, quàm publica; Spiritus quidem Dei lex est, & qui Spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur; & quis est, qui Spiritui sancto possit dignè resistere? quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate: iusto enim lex non est posita, &c.* &, loquendo de conscientia, Apost. 2. ad Corinth. 1. num. 12. scribit, *nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Ergo, quod est debitum, vel indebitum de iure diuino, & naturali, debet attendi, & non quod est debitum, vel indebitum de iure humano, & positiuo.

535 Contraria opinio, nempè, quòd mutuans cum assecuratione, sit vsurarius, etiam in foro conscientiæ, quamuis sine fraude mutuauerit, & consequenter pretium, quod ex assecuratione habuit, teneatur restituere, & confessarius ad illud restituendum debeat condemnare in foro pœnitentiali; suadetur alijs argumentis.

Primo, quia lex positiua, quæ sit iusta, obligat etiam in foro animæ, vt latè explicaui infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 47. vers. quoad secundum.

At lex Pontificia in cap. nauiganti. de vsur. disponens, vt mutuator, qui ratione suscepti periculi aliquid vltra sortem exigit, censeatur vsurarius; est lex iusta, tum quia est condita ab habente potestatem, nam non solum Pontifex, qui habet vniuersalem iurisdictionem, sed etiam alij inferiores Prælati, qui municipalem tantum, prouincialem, & synodalem legē ferunt, possunt aliquem contractum declarare vsurarium, & vti talem illum prohibere, vt dixi sup. sub num. 37. extens. 2. tum quia hæc lex continet bonum publicum morale, quia obuiat fraudi, & malis moribus, vt dixi num. seq. Ergo obligat etiam in conscientia; ergo est censendus vsurarius etiam in foro animæ; ergo debet etiam in foro animæ restituere, quod accepit vltra sortem.

536 Secundo suadetur, (& confirmo præcedens) quia iudex, iudiciali ordine veritate comperta, iudicat auctoritate diuina, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 11. num. 3. sed iudex hoc ordine iudicabit, assecurationis pretium non deberi: ergo eius iudicium, & sententia habebit auctoritatem etiam in foro animæ: repugnaret enim, quòd iudex, veritate comperta, (nempè assecurationem esse factam à mutuatore, & proinde contra bonos mores, cum mali moris sit agere, quod est suspectum, & ideo vti scandalosum à lege prohibitum) iustè iudicaret, pretium assecurationis non deberi, & mutuator illud posset tuta conscientia accipere: nam sequeretur ex hoc, quòd leges, quibus subijcimur, essent incertæ, quoad animarum salutem, vt in alijs terminis considerat Couar. in cap. cum esses. num. 7. vers. secundo ead. de testam.

537 Tertio suadetur, quia contractus vsurarius est non solum nullus, sed est adeo à iure condemnatus, vt ex eo nullum transferri possit dominium, testibus his, quos secutus sum supra sub nu. 209. illat. 1. & quia vsura est furtū, seu rapina, vt dixi sup. sub nu. 407. & latius infra q. 7. par. 2. ampl. 19. sub num. 64. sed fur, seu rapiens nullum acquirit dominium; ergo semper tenetur restituere, imò potest lex positiua ad obuiandum dolo, & fraudibus, & sic ex iusta causa impedire dominij translationem, annullando contractum; &, sublata dominij translatione, tenetur omnino restituere.

538 Quarto, (& tendit ad idem) suadetur ex sententia eorum, qui tenent, quòd legatarius, cui in imperfecto, seu minus solemni testamento relictum est legatum, & is, in quem ex contractu nullo translata est res, non possint tuta conscientia legatum, & rem retinere, quia possident sine titulo, & nullo in eos translato dominio, quorum sententiam retuli infra q. 7. par. 2. ampl. 19. nu. 116. extens. 6. vers. contrariam. & num. 68. illat. 2.

539 Quinto, (& adhuc confirmo eadem) quia omnis actus perficitur ex duobus, voluntate scilicet, & potestate, vt refert Bal. in l. 1. in 2. repet. num. 55. vers. vnde ego. C. de sacrosanct. eccles. & ex eo Couar. in cap. cum esses. num. 7. in fine, vers. tertio his. de testam. & quando voluntas à potestate, & potestas à voluntate discordat, nihil agitur, & inanis est voluntas, vbi deficit potestas, vt refert, & sequitur Mantic. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 3. vers. tertio hæc. ergo cum ius canonicum remoueat à mutuatore poten-

potentiam aſſecurandi, ſola voluntas non ſufficit, & hoc argumento in terminis teſtamenti imperfecti vtuntur Bal. & Couar. ſupracitati.

540 Sexto, quia conſtitutio, etiam ſi ſit contra ius naturale, dummodo iuſta cauſa fuerit conſtitutionem illam faciendi, licet poſtea veniat caſus, vbi ceſſat cauſa iuſta, tamen conſtitutio eſt ſeruanda, quæ generaliter fuit facta; non enim potuit, nec etiam fuit expediens omnes articulos ſigillatim comprehendere, ſic ex aliquorum ſententia referentibus Innoc. in cap. 8. quia plerique. in fine, num. 6. Io. Andr. num. 4. in fine, Ant. de Butr. num. 11. in fine, Anch. ſub num. 16. q. 7. & Abb. ſub num. 38. q. 13. de immun. eccleſ. hocq; argumentum probatur ex l. 12. proſpexit. ff. qui & à quib. manum. & vſus ſum eo ſupra num. 507. & confirmatur ex limit. quam ex Bal. Alex. Sot. Couar. Mich. Sal. & Rot. retuli ſupra num. 510. in 1. limit.

Ergo licet veniat caſus, vt mutuator ſine fraude aſſecuret mutuatarium, ramen non ceſſat diſpoſitio legis, quæ ad obuiandum fraudi diſponit, vt mutuator, aſſecurans mutuatarium, cenſeatur vſurarius.

Septimo, quia eſt impoſſibile, ideoq; repugnans naturæ, vt mutuator poſſit eſſe fideiuſſor pecuniæ, cuius ipſe eſt creditor, teſte Garcia, quem retuli ſupra ſub num. 503. verſ. comprobatur ſecundo. ſed quod repugnat naturæ, repugnat etiam conſcientiæ, quia lex naturæ obligat in conſcientia; & ex iſto argumento Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 16. verſ. quartum denique. & verſ. igitur ad argumentum. colligit, quòd Garcia tenuerit contra Nauar. hanc contrariam opinionem, quòd neque in foro conſcientiæ mutuator poſſit aſſecurare.

1 His non obſtantibus, non recedo à concluſione firmata ſupra num. 528. & ad hæc argumenta, contra eam adducta, reſpondeo.

Ad primum reſpondeo, negando conſequentiam: nam licet lex iuſta obliget in conſcientia, & ſic ad culpam mortalem, vel venialem, quia non obedire legi iuſtæ eſt peccatum, vt dictum eſt in prima argumenti propoſitione, num. 535. tamen non ſequitur ſequela, quòd in foro animæ fieri debeat reſtitutio; quia poteſt quis eſſe obligatus in conſcientia parere legi, &, non parendo, fieri reus culpæ, & peccare, & tamen in foro conſcientiæ non teneri ad reſtituendum, quod ex tranſgreſſione legis, & ſic, peccando, acquiſiuit, vt in meretrice, mathematico, & luſore ſecutus ſum infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 98. extenſ. 4. quare poſſunt ſimul ſtare, quòd quis ex damnata negotiatione habeat rem, ſed legitimo conſenſu domini, & ideo illam tuta conſcientia acquirat; & ſic eſto, quòd aſſecuratio ſit prohibita, tamen poteſt eſſe, quòd pretium illius tuta conſcientia retineatur. Reſpondeo etiam, quòd etſi mutuans, aſſecurando, cenſeatur vſurarius; vt dictum eſt in ſecunda argumenti propoſitione: tamen nego ſimiliter conſequentiam; quia cenſetur vſurarius in foro fori, & non in foro conſcientiæ, in quo licet lex poſitiua obliget, vt dixi ſupra; obligatio tamen reſtringitur ad ea, ſuper quibus lex non præſumptiuè, ſed certitudinaliter diſponit, vt explicaui infra num. 543. in reſponſione ad tertium.

542 Ad ſecundum reſpódeo, adhibendo duas inſpectiones: Prima inſpectio eſt circa iudicis conſcientiam; & in hac inſpectione concedo argumentum; quòd iudex, iudiciali ordine veritate comperta, iuſtè iudicat, etiam in foro animæ, quo ad ſuam conſcientiam: Secunda inſpectio eſt circa conſcientiam litigantium, quorum alteri iniuſtè datur, quod ab altero iniuſtè adimitur; quæ iniuſta datio, & ademptio poteſt multipliciter euenire, & diuerſam habere diſpoſitionem in foro fori, à foro conſcientiæ: & in hac inſpectione vide quæ ſcripſi infra q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 83. & ſeqq. verſ. infero primo probando. & ſeqq.

543 Ad tertium reſpondeo diſtinguendo: Aut contractus eſt verè vſurarius; & tunc concedo totum argumentum; tum quia vſura eſt prohibita etiam de iure naturæ, & de iure diuino, vt remiſſiuè dixi ſupra num. 401. & in conſcientia non poteſt retineri, quod contra ius naturale, & diuinum accipitur, tùm quia in vſurarium, tanquam in raptorem, non tranſfertur dominium, cum eius tranſlationi reſiſtant omnia iura: Ergo, non tranſlato dominio, conſcientia non habet in quo poſſit retentionem fundare; ergo renetur omnino reſtituere: Aut eſt vſurarius præſumptiuè, ſed in veritate eſt alienus ab omni vſuræ labe, & tunc dico, quòd licet in foro fori ſit vſurarius, & iuſtè contra eum ſequi poſſit condemnatio ad reſtituendum, & is, cui ex condemnatione fieri debet reſtitutio, poſſit reſtitutum tuta conſcientia retinere, niſi ſciat in conſcientia ſua, præſumptionem,

qua

qua lex mota est, cessare in eo,& legem non alia ratione esse motam, quàm propter illam præsumptionem; quia, si hæc sciat, & ideo sibi conscientia remordeat, non debet illud recipere, & receptum debet restituere; quia iustitia fori interioris est æqualis vtrique; & ratio quare in foro fori sit vsurarius, est, quia in isto foro præsumptio euidens, etiam,quòd possit esse erronea, præualet veritati occultæ: tamen in foro conscientiæ non erit vsurarius, quia in isto foro veritas etiam occulta præualet cuiuis præsumptioni erroneæ, vt ostendi supra num. 529. confirm. 1.

544 Ad quartum respondeo,opinionem communem esse in contrarium,& sufficere,quòd contraria opinio sit in æquali dubitatione, ad hoc vt non possit ad causarum decisionem allegari.

545 Ad quintum respondeo negando, inspecto iure naturæ, deficere potestatem; dummodo ius positiuum ex aliqua iusta causa non tollat expresse illam potestatem, quam habet à iure naturæ, quod posset facere, vt ex Abb.retuli infra q.7.par.2. ampl.19. sub num.57.vers. prima doctrina. in fine.

Ad sextum respondeo, quòd potest procedere in foro fori, & tamen argumentum adhuc non est tutum,quia potest illi responderi ex ijsdem, quæ contra hoc idem argumentum scripsi supra num. 509. vsque ad num.513.exclusiuè, & in terminis supra nu. 532.confirm.4.secus est in foro conscientiæ, de quo loquimur, quia in isto non attenditur lex, quæ mouetur ex præsumptione, si contra illam præsumptionem stet veritas, vt secutus sum sup.num.529.& seqq.

Ad septimum latè respondet Lud. Lopez de contract.lib.2. cap.16. vers.igitur ad argumentum. dicens, quod mutuator, dum assecurat,non fit simpliciter debitor mutuatarij in illa pecunia assecurata, sed fit debitor ex suppositione, quatenus scilicet pecunia assecurata perdatur ex aliquo casu fortuito; sed tu, clarius soluendo,dic,quòd nedum non repugnat, sed neque est inconueniens, quòd mutuator assecuret pecuniam, à se mutuatam, quia tunc illa pecunia non est amplius mutuatoris,sed mutuatarij,cum mutuum fit, quod de meo fit tuum, vt dixi supra sub num. 503. neque illa pecunia sibi debetur, quia de natura mutui ad differentiam commodati, & locati, est, vt eadem quantitas mutuata restituatur non in indiuiduo, sed in specie, & consequenter non est verum, quòd mutuator assecuret pecuniam, quæ sibi debetur, imò assecurat eam, quæ sibi non debetur, & sic ruit tota Garciæ argumentatio, quam retuli etiam supra sub num.503.vers.comprobatur secundo.

Et hæc sufficiant de secundo casu, posito supra num.505.& seqq.

546 Tertius casus est; quando mutuans non vult aliquid amplius ratione periculi, neq; assecurat mutuatarium, seu non suscipit in se periculum rei mutuatæ,vt in duobus præcedentibus casibus; sed vult ipse assecurari à mutuatario,qui propterea debet date idoneum fideiussorem: & isto casu concludo, nulli dubium esse, quòd mutuans nullam vsuræ labem committit;& ille fideiussor potest à mutuatario debitore pretium fideiussionis exigere, vt secutus sum supra sub nu. 493.versus finem, & infra §.3. gl.3. num.7.

547 Declara primo restringendo hanc conclusionem,vt non procedat, quando mutuās obligaret mutuatarium ad dandum fideiussorem illum, quem ipse mutuans offert, seu offeret, quia hoc mutuum adhuc esset fœneratitium; siquidem illa obligatio est vltra sortem, & est pretio æstimabilis,& ideo succedunt, quæ scripsi supra sub nu. 498. nam mutuator potuisset,seu posset cum eo,quem offert, conuenire, vt pretium ex fideiussione accipiendum, diuidatur inter eos, seu posset conuenire, vt totum illud pretium tradat ipsi mutuanti, qui illum à fideiussione liberabit: item posset non mutuare, sed offerre fratrem, vel alium mutuaturum, cui pecunias miserit, vt mutuet cum pacto, vt ipse, qui pecunias misit, fideiubeat, Nauar. in man. confess. de vsura circa cambia. sub num.285. licet is, titubando, dicat postea, quòd posset etiam teneri, his casibus non inesse vsuram,cum nihil vi mutui taciti, vel expressi accipiatur, sed solum vi alterius contractus; sed parcat mihi Nauar. est sibi parum constans per ea, quæ scripsi infra q. 7.par.2.ampl.10.num.89.& 91. in 4.& 6. exemplific.

548 Declara secundo restringendo, dum dixi, fideiussori licere aliquid accipere pro pretio, seu mercede fideiussionis, vt non procedat, quando, inspecta qualitate, & conditione debitoris, nullum fideiussori immineret periculum; quia tunc fideiussor non posset de aliqua mercede pacisci, & illud periculum simularetur in fraudem vsurarum; quare

quare ſicut creditor pro officio mutui nihil poteſt à mutuatore exigere, ita multò minus is, qui pro mutuatario intercedit, quia is minus officij impendit, quàm mutuator, Couar. var. reſolut. lib. 3. cap. 2. ſub num. 6. verſus finem, verſ. quarto hinc. Stracch. tract. de aſſecur. in præfat. ſub num. 45. tom. 6. par. 1. fol. 360. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 1. ideſt, poſt præfationem, n. 8. in fine, de vſur. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 136.

Contra hanc declarationem ſcripſi infra §. 3. gl. 3. num. 12. in fine, verſ. infero.

549 Declara tertio, vt non procedat, quando mutuator, nulla mutuatarij ad id obligatione accedente, faceret ſe aſſecurari, & aſſecuratori aſſecurationis pretiũ ſolueret, quia non poſſet illud à mutuatario loco intereſſe repetere, quia ſine mora, aut pacto nemo tenetur ad intereſſe, iuxta ea, quæ latè ſcripſi infra q. 7. par. 2. ampl. 8. nu. 100. & ſeqq. & 221. & ſeqq. & potuiſſet mutuatarius mutuum cum aſſecuratione facienda recuſare.

550 Secus tamen eſſet, ſi de voluntate mutuatarij ſe feciſſet aſſecurari, & multò magis ſi ita conueniſſent in mutuo, dummodo abſit fraus, de quã ſupra in 1. declarat. nu. 547. ſed ſola ſcientia mutuatarij, quòd mutuator fecit ſe aſſecurari, non ſufficeret, quia ſola ſcientia neque moram, neque pactum inducit. & hæc ſufficiant de ſeptimo caſu principali poſito ſupra num. 493.

551 OCTAVVS caſus principalis ſit in Ducatu Turingiæ, vbi ex illius conſuetudine pecunia datur mutuo ſub vſuris quincuncibus, ideſt, ſub intereſſe quinque pro centenario, quam conſuetudinem refert, & iuridicam arbitratur Matth. Coler. tract. de proceſſ. execut. par. 1. cap. 10. num. 74. 81. & 83. quæ conſuetudo non alijs rationibus, ibi forſan ſuſtineri poteſt, quàm his tribus: prima propter inopiam frugiferorum commerciorum, ſed hæc non ſufficit, imò eſſet deteſtanda: ſecunda ad euitandas lites, quibus partes ad probandum intereſſe conuentum, ſed non taxatum, diu ſub incertiſſimo euentu magnis laboribus, & impenſis defatigarentur, quaſi illa conſuetudo, nullo alio requiſito adhibito, ſic intereſſe cuiuſque mutui taxet: Tertia, quia homines illius prouinciæ ſint mercatores, & pecunias nunquam ſoleant otioſas tenere, & occaſiones negotiandi eas vtiliter non deficiant: nam hæc conſuetudo non diſponit, vt ſoluatur vſura de mutuo, ſed diſponit ſuper probatione veriſimilis intereſſe: Sed quicquid ſit de illa conſuetudine, Matthias Colerius, dum in ea Lutheri doctrinam, vti puriorem laudat, erroris complicem ſe demonſtrat.

552 NONVS caſus principalis, & alij in vlteriori numero, in quibus mutuator poteſt licitè accipere vltra ſortem, ſunt illi, de quibus egi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. ſub num. 82. verſ. primus. & ſeqq. quos poteris tu ibi legere.

553 DECIMVS caſus principalis, & ſi ſi qui ſunt vltra eos, quos collegimus, in quibus ex mutuo implicito, vel explicito aliquid vltra ſortem licitè exigi poſſit, congeſti ſunt ab Hoſtien. in ſumm. tit. de vſur. §. an aliquo caſu. ponendo eos per treſdecim fallentias, quas poſtea in fine contineri ait his verſibus:

Feuda, fideiuſſor, pro dote, ſtipendia cleri.
Venditio fructus, cui velles iure nocere.
Vendens ſub dubio: pretium poſt tempora ſoluens.
Pœna nec in fraudẽ: lex cõmiſſoria, gratis.
Dãs ſocij põpæ: plus ſorte modis datur iſtis.

eoſdemq; treſdecim caſus, ſequendo horum verſuum ordinem, explicat etiam Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. per totum.

554 Si, ijs non contentus, plures caſus habere deſideras, collige, ſi potes, ex congeſtis à Socc. in reg. 3. in verbo, accipere. vbi conatur cumulare 37. caſus, in quibus licitum eſt accipere aliquid vltra ſortem; licet Socc. Iun. nepos conſ. 24. ſub num. 4. lib. 3. quem refert Clar. recept. ſent. lib. 3. §. teſtamentum. q. 6. verſ. ſecundo infertur. dicat, ex ore ipſius Soccini patrui habuiſſe, librum illum non eſſe ſuum.

Et hæc ſatis de ſexta exemplificatione, poſita ſupra num. 398.

DE CAMBIO.

SVMMARIVM.

Cambij pecunia etſi pecuniam parere videatur, tamen eſt commercium licitum, niſi aliunde fœdetur, remiſſiuè, num. 555.

555 EXEMPLIFICA VII. eandem ſeptimam ampliationem, poſitam ſupra num. 171. in cõmercio, ſeu contractu cambij, in quo etſi nummus, ſeu pecunia pecuniam mirum in modum etiam per

per anatocismum, & superfœtationem parere videatur, tamen hoc commercium est in vtroque foro permissum, dūmodo seruetur iustitia cōmutatiua,& in foro fori seruetur etiā sine fraude dispositio legis positiuę.

Verum, quia in hoc commercio consistit principalis pars huius tractatus, vt ex eius inscriptione liquet, habet enim præ cæteris difficultates, vt satis ostendi q. seq. idcirco copiosam illi dotem constituentes, quæ omnium difficultatum onera sustinere valeat, illud separata, ac integra quæstione vltima huius primi §. in tres partes diuisa, congruè, vt spero, dotabimus.

DE COMMERCIIS PROHIBITIS.

SVMMARIVM.

Conclusio permissiua commerciorum multas recipit limitationes, num. 556.

Limitatur primo ratione rerum, quæ commercio subiectæ non sunt, eod. num. 556. hacq; limitatio exemplificatur multipliciter. Primo in re feudali. Secundo in libero homine, hacq; exemplificatio restringitur multipliciter. Tertio in re sacra, religiosa, & re publica, & cum duplici extensione. Quarto in veneno malo, &c. Quinto in frumento publici canonis, & cum extensione. Sexto in re aliena, sed cum distinctione, & declaratione. Septimo in quauis re, quæ vel natura sua, vel lege prohibente sit inuendibilis, sub eod. num. 556.

Limitatur secundo ratione personarum, hacq; limitatio exemplificatur multipliciter. Primo inter Christianos, & hostes Populi Romani. Secundo in priuato, cui prohibitum est vendere vellus muricis, &c. Tertio in personis religiosis, & nobilibus, quibus prohibetur negotiatio, & mercatura. Quarto in Iudicante, & officiali. Quinto in aduocato, & medico, quibus prohibitum est contrahere cum cliente, & infirmo. Sexto in impubere, minore, alijsq; personis inhabilibus ad contrahendum, num. 557.

Limitatur tertio ratione temporis festiui, & solemnis, num. 558.

Limitatur quarto ratione loci sacri, puta Ecclesiæ, num. 559.

Limitatur quinto ratione qualitatum, & pactorum illicitorum, num. 560. Hacque limitatio exemplificatur multipliciter. Primo in monopolio, num. 561. Secundo in venditione dolosa, &c. num. 562. & 563. Tertio in mutuo cum obligatione restituendi vltra sortem, &c. num. 564. & 565. Quarto in commercijs fictis, & circularibus, quæ vocantur stocchi, baroccoli, rompicolli, retrangoli, & ciauanze, num. 566. & seqq. vsque ad num. 576. inclusiuè, in quibus agitur de his commercijs extendendo, declarando, inferendo, & subdeclarando.

Limitatur sexto ratione fraudis commissæ in legem, num. 577. hacq; limitatio exemplificatur in commercio census, & in mutuo aliarum rerum, quàm pecuniæ, facto filiofamilias, num. 578. & 579.

Limitatur septimo ratione defectus substantialium, seu formæ, num. 580.

556 ABSOLVTIS septem ampliationibus, reliquum est, vt aggrediamur limitationes, quas eodem septenario prosequemur numero, sed compendiosè, & breuiter.

LIMITA I. eandem conclusionem, firmatam supra num. 45. & seqq. vt non procedat ratione rerum, nempè, quia res nostro commercio aut nullatenus, aut non omnino sit subiecta, quia tunc de ea eodem modo est prohibitum commercium, vt in seqq. exemplific.

Exemplifica primo hanc limitationem in re feudali, cuius alienatio est prohibita, cap. 1. de prohib. feud. alien. per Loth. & tit. de prohib. feud. alien. per Feder. & scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1577. & seqq. & quia de materia huius exemplificationis extant copiosę Doctorum explicationes inter tract. quos de feudis ediderunt, & nos de eisdem aliqua scripsimus d. cap. 9. num. 1334. & pluribus seqq. hic non insisto, hacq; eadem ratione, quòd sit materia ardua, & grandis, transit remissiuè Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 7. 4. q. princip. num. 12. in fine, tom. 6. par. 1. fol. 46.

Extende hanc exemplificationem, vt procedat in re emphyteotica, per ea, quæ scripsi supra num. 184. & 186.

Exemplifica secundo in homine libero; quia is nec sub ea lege vendi potest, cum erit seruus, l. 34. si in emptione. §. omnium rerum. ff. de contrah. empt. Fab. de Mont. de empt. & vend. q. 4. princip. sub num. 2. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 30. vers. secundo modo. col. 5. fol. 222. Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 4. vers. prætere-

rea quia. in fine, & verſ.ſecunda concluſio. & Lud.Molin.de iuſt.tom.2. de contract. diſput.340. verſ.homo liber.

Reſtringe primo declarando hanc exemplificationem, vt filius poſſit à patre vendi, donari, aut alio titulo alienari, vrgente famis neceſſitate, l. 1. & 2. C. de patr.qui fil. diſtrax. Medin. in loco, ſupra proximè citato, Franc.Garcia de contract. cap.17. nu.1. in 1. concluſ. & Lud. Lopez d. cap. 4. verſ. ineſt ius. qui duo poſtremi addunt hanc reſtrictionem eſſe vſu receptam ſolum apud Barbaros, & Mauros, & nunquam apud Chriſtianos, & temperari eius rigorem, conceſſa ab eadem lege facultate, vt ſe poſſit quandocunque redimere, & redemptus maneat liber, & non libertus.

Reſtringe ſecundo, vt non procedat, quando homo liber, excedens ſuæ ætatis annum vigeſimum, ad pretium participandum ſe venundari patitur. §. penult. ſerui autem. in fine, Inſtit. de iur. perſon. & ſcribunt Franc.Garc.de contract.cap.17.ſub num.2. concl.2.ibi, onde veggiamo. & Lud.Lopez de contract. lib.1.cap.4. verſ. ſecunda concluſio.& cap.5.initio, vbi eandem reſtrictionem ponit ex ll.Hiſpanicis in excedente annum vigeſimumquintum.

Confirmatur hæc reſtrictio ex ſacra ſcriptura, Gen.47.ſub num. 19. & ſeqq. *eme nos in ſeruitutem regiam, &c. emit igitur Ioſeph omnem terram Aegypti, &c.* Exod.21.& Leuit. 25.

Infero, confirmando eandem reſtrictionem, quòd homo liber poteſt ſe vendere pro remigando in triremibus, quæ venditio eſt genus ſeruitutis, Franc. Garc.in loco, ſupra proximè citato, & Lud.Lopez d.cap.4.verſ. ſecunda concluſio. in fine.

Reſtringe tertio, vt non procedat in ijs, quos Indi, & Barbari capiunt, vt eos impinguent, & impinguatos comedant, quia hi poſſunt legitimè emi, & empti (quamuis emptoris ſerui remaneant) eidem, qui eos à morte eripit, gratias agere debent, ſecundum Nauarri opinionem in man. confeſſ. cap. 23. num. 93. ſed de hac reſtrictione, & Nauarri opinione latè diſputāt Franc.Garc. de contract.cap.17.num.2. concl.2. & Lud. Lopez de contract.lib.1.cap.4. verſ.inſuper iam. & verſ. ſeqq. & cap. 5. verſ. igitur. & verſ. ſeqq. nos tamen huius diſputationis veritatem in ſuo loco relinquimus, quia huius reſtrictionis caſus adeo apud nos eſt inſolitus, vt in eo poſſimus dicere cum Eccleſiaſt. 11.num.9. *de ea re, qua te non moleſtat, ne certeris.*

Exemplifica tertio in re ſacra, aut religioſa, re publica, vt forum, vel theatrum, quia harum omnium rerum inutilis eſt ſtipulatio, §.1.Inſtit.de inutil.ſtipul. Fab.de Mont.tract.de empt.& vendit. q.4. princip. ſub num. 2.4. & 5.tom. 6. par. 1. fol.45.& Lud.Molin.de iuſt.tom.2.de contract.diſp. 340. verſ.item res ſacræ, vbi explicat, quæ ſint iſtæ res.

Extende primo hanc exemplificationem, vt procedat etiam ſi eiuſmodi res venderentur in tempus, quo tales non fuerint, Molin. vbi ſupra.

Extende ſecundo, vt rei ſacræ, vel religioſæ venditio adeo ſit prohibita, vt illas diſtrahens incidat in crimen læſæ religionis, Fab.de Mont. d.q.4.princip. num.5.

Reſtrictiones, & declarationes quaſdam ad hanc exemplificationem collige ex his, quæ ſcribunt Fab. de Mont. d. q. 4. princip.num.10.q.5.& Lud. Molin. d.diſp.340. verſ.item res ſacræ.

Exemplifica quarto in veneno malo, quia id vendi non poteſt, niſi id, admixtum alijs materijs, adeo nocendi naturam deponat, vt ex eo antidota, & alia quædam ſalubria medicamenta conficiantur, l.35.quod ſæpe. §. 1.ff.de contrah. empt. Medin. in ſuis tract. tom.2.tit.de reb.reſtit. q. 30. verſ. ſecundo modo. fol. 222. imò, ſi ſolam nocendi vim haberet, conterendum, anihilandumq; eſſet, quæ enim nociua ſunt, de medio tolli debent; hacque ratione libellus famoſus, tanquam occultum venenum conteri, lacerariq; debet, ita vt ſi quis publicè contumelioſam ſcripturam in alterius famam confectam prius inuenerit, eamve ſtatim non lacerauerit, auctoris facti cauſam incurret, vt dicit text. in cap. 1. 5. q. 1. quod etiam ſapienter Domini Lucenſes inter decreta ſeparata decreuerunt de anno 1551.in decreto. de i libelli famoſi. verſus finem, ne enim fiant, optimum remedium eſt, ſtatuere, vt qui libellum famoſum viderit, eumq; illico non lacerauerit, ita vt à nemine legi poſſit, acri puniatur pœna: ſublata namque libelli famoſi lectio, ceſſat finis libellantis, & conſequenter ceſſabit libelli confectio, vt de ludo dixi ſupra ſub num.111.verſ.ratio.

Exemplifica quinto in frumento publici canonis; qui enim emunt, aut vendunt eiuſmodi

modi frumenta, subduntur capitali pœna, & commercia in fraudem publicam contracta damnantur, l. 3. C. quæ res vend. non poss.

Extende hanc exemplificationem, vt habeat locum in frumento, quod deuotissimo exercitui mittitur; qui enim in eo fuerint mercati, si honestiores sint, stylum proscriptionis, & omnium bonorum amissionem incurrunt; inferiores autem, & viliores personæ capitali supplicio subiacent, l. vlt. C. quæ res vend. non poss.

Exemplifica sexto in re aliena, quæ vendi non potest; sed cum distinctione, & declaratione duorum casuum principalium.

Primus casus est, quando res aliena, quæ venditur, est mobilis: & isto casu distinguo: aut venditio fit inter scientes, rem illam esse alienam, & concludo, venditionem non valere, quia vergit ad crimen; vendens enim scienter rem alienam, committit furtum, & similiter emens scienter rrm furtiuam, incidit in criminis suspicionem, Fab. de Mont. tract. de empt. & vend. q. 4. princip. num. 3. q. 1. & num. 7. q. 4. tom. 6. par. 1. fol. 45. imò ipse quoque est fur, vt retuli infra q. 7. par. 2. ampliat. 19. sub num. 82. vers. extende. & consequenter ex hac venditione nullum transfertur dominium in emptorem, neque vsucapiendi conditio, Fab. de Mont. sub d. num. 3. qui emptor idcirco tenetur illam restituere domino, si res extat, sin minus valorem eius, vt latè explicaui d. ampl. 19. sub num. 82. illat. 6. per totam. & an emptor possit isto casu repetere pretium à venditore, maximè re euicta, vide eundem Fab. de Mont. d. q. 4. sub num. 7. 8. & 9. & Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 327. vers. obseruandum tamen. & disput. 340. vers. res aliena. & quid de eo, qui emit à piratis, latronibus, & hostibus, vide d. ampliat. 19. sub nu. 82. vers. restringe secundo. & de pœnis, quas imponunt leges Hispanicæ contra ementes scienter rem alienam, & contra eos. qui verisimiliter suspicari, & præsumere debebant, quòd res erat aliena, attenta qualitate venditoris, & rei, quæ venditur, vide eundem Molin. d. disput. 340. vers. res aliena. & seq. aut emens ignorat rem esse alienam, ideoq; emit bona fide: & concludo, venditionem esse nullam, quoad præiudicium domini quia nullum transfertur dominium in emptorem, neque vsucapiendi conditio, Fab. de Mont. d. q. 4. princip. sub num. 3. & num. 7. sed quoad præiudicium vendentis tenet venditio, ideoque venditor obligatur ex empto, tanquam si propriam rem vendidisset, & tenetur de euictione, Fab. d. num. 7. & hoc est, quod dicimus, posse vendi rem alienam, l. 28. rem alienam. ff. de contrah. empt. *rem alienam distrahere quem posse nulla dubitatio est: nam emptio est, & venditio, sed res emptori auferri potest.* quicquid motiuando contra cambium dixerit Nauar. conf. 31. reuerendiss. vers. iniustitia. lib. 5. de vsur. dicens simpliciter, venditionem rei alienæ non valere, allegando text. in l. 2. ff. eod. qui hoc non dicit.

Secundus casus est; quando res aliena, quæ venditur, est immobilis; & isto casu præmitto, cessare furtum, quia in re immobili non committitur furtum, & consequenter licet non transferatur dominium in emptorem, quia nemo dat, quod non habet, tamen potest in eum transferri præscribendi conditio hoc præmisso, distinguo: aut loquimur de validitate alienationis in præiudicium domini, & concludo, alienationem esse nullam, & inualidam, quia non debet quis posse disponere de re aliena, Fab. de Mont. d. q. 4. princip. num. 7. aut loquimur de validitate quoad vendentem, & ementem; & rursus distinguo: vel emptor emit sciens, rem esse alienam, & concludo idem in effectu; in tantum, quòd etsi dubitetur, an venditor isto casu teneatur de euictione, ac si contractus fuisset validus, per ea, quæ disputando scribit Fab. de Mont. d. q. 4. sub num. 7. & seqq. tamen eum non teneri de euictione, nisi de ea emptor expressè sibi cauerit, dicit l. 27. si fundum. C. de euict. & pro nullitate contractus contra emptorem facit, quod, loquendo de censu, scripsi sup. num. 179. & de societate officij, sub num. 331. vers. primus. & seq. & vers. tertius. & ex hac nullitate infero etiam, quòd nec venditor posset agere ad pretium contra emptorem, qui illud non soluisset, quia venditor non posset in eum transferre dominium: vel emit ignorans rem esse alienam, & dico, emptionem esse validam, & proinde venditorem teneri emptori ad damna, & interesse, & de euictione, d. l. si fundum.

Exemplifica septimo demum (colligendo regulam) in quauis re, quæ vel natura sua sit inuendibilis, vel lege sit prohibita vendi.

Res sua natura inuendibiles sunt, sacramentum, aut sacerdotium, quæ cum gratis

accipiuntur, gratis dari debent, Conrad.de contract.q.51.in prima conclus.& in primo exemplo, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb.restit. q. 30. vers. primo quia.& seq. fol.222.col.1.& Sot.de iust.& iur.lib.6.q.2. art.2.col.4.in 5.concl.fol.565. Item iudicis sententia, & testium ferenda testimonia, per ea, quæ retuli infra q.7.par.2. ampl.19. nu. 100. & seqq. licet aliquando his pro labore, & similibus iusta merces debeatur; & demum ex sui natura inuendibile est omne opus peccaminosum per ea,quæ scripsi infra q.7.par.2.ampl.19.n.99.101.& 103.& non solum quod est certò peccaminosum, sed & id quod æquè se habet ad bonum,& ad peccatum; quare res, quæ æqualiter se habet ad bonum, & ad malum, si vendatur indistinctè, venditor peccat; qua ratione ars ballistariorum,& sagittariorum prohibetur, & specialiter quando hæc instrumenta venderentur ijs, qui eis vsuri essent aduersus Christianos in bello iniusto, cap.vnico,de sagitt.Medin.d.q.30.vers.est tamen. & vers. ad aliud. fol. 222. & 223. & in his rebus regula constituitur, vt res fiat inuendibilis, si emptor eius sit qualitatis, vt venditor possit verisimiliter credere, emptorem re illa vsurum esse ad malum, secus si eius non sit conditionis;quod latè,adductis etiam exemplis, prosequitur Medin. d. vers. est tamen & seqq. & latius in tertio modo. fol. 225. col. 2.

Res verò, quarum alienatio prohibita est à lege, sunt eæ, de quibus in antecedentibus exemplis, & de quibus latè tractat Fab. de Mont.tract.de empt.& vendit. q.4. princip. per totam, tom.6.par.1.fol.45.

557 LIMITA II. ratione personarum, quia sæpè ob qualitatem personæ prohibetur commercium.

Exemplifica primo hanc limitationem in Christianis, quibus prohibitum est, ne vendant, aut aliter tradant hostibus populi Romani merces, &c. vt secutus sum infra q. 7. par.3.limit.17.num.24.exempl.3.

Exemplifica secundo in priuato, quia is vendere non potest vellus muricis,quo fucatur, seu tingitur purpura: cuilibet enim priuato prohibitum est sub pœna capitis, & discriminis bonorum suorum,ne illud vendat; quare tale vellus non est res simpliciter exempta à commercio, sed est exempta quo ad priuatum, qui illud vendere non potest, l.1.C.quæ res vend.non poss.

Exemplifica tertio in sacerdote, vel alia persona religiosa, quia istis negotiatio, & mercatura prohibetur, vt secutus sum infra q.7.par.2.ampl.11. num.7. vers. confirmatur.& d.limit.17.num.23.exempl.2. vbi videas. Similiter si esset persona nobilis, quia istis prohibetur mercatura, seu negotiatio, vt declaraui ead. limit. 17. num. 20. & seq. vbi videas.

Exemplifica quarto in iusdicente, seu officiali, vt explicaui ead. limit. 17. num. 16. & seqq.

Exemplifica quinto in aduocato,cui prohibitum est, ne contractum, aut pactionem aliquam ineat cum eo litigatore, quem in propria recepit fide, l. 6. quisquis. vers.præterea nullum. & ibi Gl.in verbo, nullum.C. de postul.quod idem dicimus de medico,cui prohibitum est, ne contrahat cum infirmo, vt dixi infra q.7.par.2. ampl. 19. num.124. vbi omnino videas.

Exemplifica sexto in impubere, minori, muliere,furioso,& similibus personis inhabilibus ad contrahendum, vt latè explicaui ead.limit.17.num.25.& seqq.

558 LIMITA III. ratione temporis, vt si in die Dominica, vel in alio festo solemni negotiatio exerceretur, quia prohibetur etiam ratione temporis, Conrad. de contract.q.51.concl.2.ibi,tertio redditur negotiatio illicita. & Sot.de iust.& iur.lib.6.q.2. art.2.in 5.conclus.col.4. fol.565. in fine, & dixi aliqua in meo tract.de iudic.caus. lib.2. cap.5. num.108. & seqq. & 112. nec pluribus insisto,quia limitationem hanc latissimè prosecutus est Conrad.vbi sup.& quòd cambia non possint exerceri in tempore festiuo, notat etiam Medin.in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q 5. col.4. vers.verum. fol.361.

559 LIMITA IV. ratione loci, vt si negotiatio fieret in Ecclesia, vel alio loco sacro, quia est prohibita, vt secutus sum infra q. 7. par. 1.num.60.

560 LIMITA V. ratione qualitatum, circumstantiarum, & pactorum, quia quoduis commercium,& quantumuis licitum, potest circumstantijs, & pactis illicitis fœdari, vt patet ex seqq.exempl.

561 Exemplifica primo hanc limitationem in mercatura, seu negotiatione, quam etsi licitam esse dixerim supra num. 71. ampl. 5. tamen, si in ea adsit qualitas monopolij,est illicita, prohibita, & punibilis, vt, loquendo

de

de negotiatione cambij cum monopolio, secutus sum infra q.7.par.3. limit.10. num.1. & seqq. vbi videas.

562 Exemplifica secundo in commercio emptionis & venditionis, quod etsi nedum esse licitum, sed etiam necessarium, dixerim sup. num.83.vers.subamplia.& infra q.6.num.6. tamen,si in eo sit fraus, deceptio, seu dolus ex proposito, efficitur iniustum,& illicitum, vt secutus sum infra q.7.par.2.ampl.10. nu. 7.& seqq.subdecl.1.vbi late explicaui,agendo etiam de venditione frumenti,agnito futuro edicto, promulgando, & de contractu assecurationis, habita notitia casus sinistri: Imò est iniustum, etiam si deceptio, & dolus non insit ex proposito, sed re ipsa tantùm, nempè, quia insit in eo læsio vltra dimidium iusti pretij; quo casu læsus potest agere pro indemnitate ad rescissionem, vel supplendum iustum pretium alternatiuè ad electionem rei conuenti, vt secutus sum ead.ampl.10.num.3.& seqq.vers.secus.

563 Et quod dicatur iustum pretium, vide quæ scripsi ead.ampl.10.num.56.& seqq.

564 Exemplifica tertio in commercio mutui, quod etsi non solum sit licitum, sed sit pietate, & charitate Christiana dignum,per ea, quæ scripsi supra sub num. 402. vers. minus obstat. tamen si in eo mutuatarius tacitè, aut expressè obligetur ratione temporis ad aliquid vltra sortem, efficitur nedum illegitimum,sed conuertitur in furtum,& vsuram, vt scripsi supra num.408.vers.his præmissis. & late infra q.7.par.2.ampl.19. sub nu. 64. & in pluribus alijs locis sparsim.

565 Extende hanc exemplificationem,vt procedat etiam in mutuo implicito, seu palliato sub veste alterius contractus,vt puta,sub veste emptionis, & venditionis, vendendo carius propter dilatam solutionem, seu emendo vilius propter anticipatam solutionem, vt declaraui infra q.7.par.1. nu.24.& seqq. seu vendendo cum pacto retrouendendi, iuncta modicitate pretij, & aliqua alia coniectura,vt secutus sum ead. q.7. par.2.ampl. 10.num.23.& seqq.& num. 31.

566 Exemplifica quarto in cõmercijs, in quibus pecuniæ egestate, seu inopia pressi coactè, damnosè, fictè, ac circulariter contrahunt; vt cum quis rem vendit summo pretio, eius solutione dilata, sed cum pacto tacito reemendi statim eandem infimo pretio, sed pecunia præsenti, quia huiusmodi commercia sunt illicita, contra bonos mores, & ideo prohibita, & vocantur stocchi, seu stoccoli, baroccoli, rompicolli, retrangoli,& ciauanze, quorum contractuum natura est, vt tu, verbi gratia, qui es mercator, pauperi, indigenti pecunia, vendis mercem cariori pretio, dilata, vt dixi,solutione, & postea ab eodem pecunia præsenti teemis minori pretio; scis enim, quòd ille pauper non emit illam mercem, vt eam habeat, sed vt ex ea pecunias acquirat; & sic est, ac si tu ei pecuniã mutuares,&(quod peius est) pauperem duplici gladio iugulares; vno dum à te emit plus iusto pretio; alio dum reuendit tibi minori pretio; quasi liceat tibi viliori pretio emere, eo quia soluis de contanti in pecunia numerata, & consequenter cariori pretio liceret vendere, quando venditur ad certam diem; quem contractum damnant Couar.var.resolut.lib.2.cap.3.num. 6. in fine, vocans latrocinij genus, maximè execrandum, Nauar.in man.confess.cap.17.de peccato vsuræ circa mutua, num. 241. vers. centesimosexto. & hos esse contractus de stoccoli, baroccoli, & ciauanze refert, & sequitur Virgin.de Boccat. tract. de interdict. vti possid.cap.18.sub nu.189.vers.sed quia. tom.6.par.2.fol.317.huncq; contractum ab Italis,& Summistis vocari stoccolam, & ab Hispanis, *mobarra*, scribit Mich. Sal. ad D. Thom.2.2.q.78.art.2.contr.7.num.1. & 2. fol.243.tom.2.& legibus Castellæ esse omnino prohibitum sub pœna perditionis officiorum, & 5000.dupondiorum,recensendo formalia verba legis, scribit sub d.nu.2.vers. tertio quia. fol.244.

567 † & de baroccolis, seu retrangulis, quando scilicet lanifex vendit retrangulatori decem pannos ad terminum vnius anni pro pretio quingentum florenorum, & ex transuerso venit Titius, egens pecunia, & conuenit cum retrangulatore, quòd de præsenti sibi tradat florenos quadringentos quinquaginta, & ipse contentabit lanificem de florenis quingentum in die termini; an, & quando, & respectu cuius sint liciti, vel illiciti, vide Laur.de Rodulph. in cap.consuluit. partic.3.num.6. vers.nunc secundo. de vsur. inter tract. diuers. tom.7. fol. 38. quem formaliter refert, & sequitur Archiepisc.Florent.tract.de vsur.cap.3.S.5. num.13.14.& 15.tom. 7. fol. 87. sed aliter hunc designat contractum Mich. Sal. d. contr.7.sub num.1.vers.secundo quando.& sub num.2.vers.circa secundum. fol.243. & 245. dicens,contractum,quem Itali vocant,

baracollam, & Hispani, *barattam*, esse, cum quis emit merces à mercatore, pecunia credita, easq; statim non eidem mercatori, vt in præcedenti contractu *mobarra*, sed alijs reuendit; quem contractum scribit non esse illicitum, seruata in eo latitudine iusti pretij, & remota omni fraude; & deinde sub eod. num. 1. vers tertio modo. & sub num. 2. vers. in tertio. tertium designat his duobus iniquiorem contractum; cum quis indigens adit proxenetam, qui ei de pecunis aliqua via prouideat, promittēs ipse indigens, quòd se obligabit, & cætera necessaria faciet; tunc proxeneta, intentus ad lucrādum, & cognoscens, indigentem esse idoneum debitorem, adit mercatorem, & ab eo proprio nomine merces pecunia credita carius emit cum pacto, vt cum primum alius, qui sit idoneus, se eidem mercatori obligauerit soluturum pretium dictarum mercium, ipse proxeneta sit à debito omnino liberatus; quibus mercibus sic emptis, iste, qui pecunijs indiget, easdē carius emit pecunia credita ab ipso proxeneta, seq; pro solutione obligat mercatori, & sic proxeneta liberatur; qui deinde easdem viliori emit pretio ab isto indigente, & statim easdem cum alio lucro vendit pecunia præsenti alicui alteri, & ex illo pretio soluit indigenti, adeo, quòd miser indigens læditur in primo, secundo, & tertio contractu, & proxeneta lucratur in singulis, quia etiam à mercatore, à quo in primis emit, habet aliquod lucrum, cum ipsius proxenetæ opera hac via suas merces vēdat.

568 † & contractus de stocco fuit in Vrbe à Romañ. Pōtif. prohibitus sub pœna perditionis bonorum, & quantitatis pecuniarum, in contractu contentarum, & aliarum pœnarum, contentarum in corpore iuris, vt in proclamatibus Reuerendissimi Gubernatoris Vrbis, sicut refert etiam Virg. de Boccat. d. cap. 18. num. 188. fol. 317. Et in Vrbe habemus statutum lib. 1. cap. 153. de contractib. illicitis, & ciauantijs nuncupatis; quo similiter non solum omnes contractus, qui vulgo, ciauanza, rompicollo, seu stocco, nuncupantur, prohibentur, & annullantur; sed contrahentes puniuntur.

569 Et qui contractus dicantur ciauantiæ, vide Virg. de Boccat. eod. cap. 18. num. 190. & statutum Vrbis d. cap. 153. declarans, quòd vbicunque res mobiles, seu se mouētes, vendantur ad tempus vltra tertiam partem iusti pretij, aut si eædem res in toto, vel in parte remaneant penes venditorem, aut interpositam personam, aut ab ipso venditore, vel per interpositam personam redimantur, vel si cum bonis pecuniæ sint admixtæ, præsumatur contractus ciauantiæ, & stocchi.

570 Ratio, quare hi, & similes contractus sint illiciti, & prohibiti, & his deformibus nuncupentur nominibus, est, quia habent quandam speciem mutui vsurarij: nam pauper, qui indiget mutuo pecuniæ, &, qui eam sibi gratis mutuet, non inuenit, conuenit cum mercatore mercium, vt ei vendat tot merces, credito pretio, & mercator, quamuis non ignoret, pauperem illum non indigere illis mercibus, tamen ei eas vendit, quasi eas tradat loco mutui, & (quod peius est) tradit merces peiores, & corruptas, & pretio rigido, ita vt pauper in earumdem reuenditione, vt inde pecuniam extrahat, enormiter, & multipliciter lædatur, & mutuator magno cum lucro per viam venditionis satisfecerit intentioni pauperis indigentis mutuo: est ergo hæc venditio similis, imò quasi eadem cum mutuo vsurario, de quo scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. col. 6. ibi, atque eandem ob causam. fol. 535. dicens, quòd si mercator sub eo vinculo mutuet, vt mutuatarius totum mutuum, vel partem in mercibus accipiat, mutuum est vsurarium, etiam si iusto pretio merces illas vendat, dummodo re vera mutuatarius illis mercibus non indigeat, sed ratione mutui se adstrinxit ad illas emendum, quia illa adstrictio est pecunia æstimabilis, & maximè, quia mercator hac via magnā mercium copiam vendit; & pro maiori intelligentia, & vlteriori explicatione, & confirmatione horum, quæ in hac ratione dixi, vide omnino quæ scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 82. & seqq. vers. primus casus. & seqq.

571 Extende hanc exemplificationē, loquentem in mercatore mercium, vt habeat locum etiam in artifice, vt puta, cum Titius, egens pecunijs, adit Caium aurificem, à quo credita pecunia emit vas aureum, seu argenteum, & in pretio computatur non solum pondus auri, seu argenti, sed etiam labor, industria, & ars aurificis, idest, vt aiūt, *la manifattura*, & postea Titius reuendit eidem aurifici idem vas, pecunia præsenti, æstimato solo auro, vel argento, sine manufactura, quia est contractus illicitus sub distinctione tamen, de qua Nauar. & Ioan. Azor. citati num. seq.

Declara

572 Declara, restringendo eandem exemplificationem, vt procedat, quando prędicti contractus sunt facti mala fide, vt puta, inito expressè, vel tacitè pacto retrouenditionis pro minori pretio, vel quia venditor scit, emptorem esse statim reuenditurum, quia indiget pecunia; secus si isti contractus fierent bona fide, non excedendo summum, & infimum pretium intra eius latitudinem, quia tunc isti contractus possunt esse validi, & liciti, vt puta quando mercator, vel quiuis, vendendo rem pretio iusto, quāuis summo, vendit eam simpliciter sine pacto, & sine intentione reemendi statim eam ab eodem, sed postea, ipso emptore volēte illam reuendere, & non inueniēte alium, qui emat, idem venditor iterum pretio iusto, quamuis infimo, & sic longè minori primo, reemit, Nauar. d. cap. 17. sub d. num. 241. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 11. vers. arbitror. iuncto vers. præcedenti, oportet. col. 656. & cum hac declaratione concordat in effectu distinctio, quam ex sum. Syluestr. refert, & exornat Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 7. sub num. 2. vers. siluester. fol 224. tom. 2. Et pro intelligentia istorum pretiorum, de quibus loquuntur Nauar. & Azor. aduerte, quòd supponunt extare triplex pretium eiusdem rei, vnum maius, aliud magnum, & aliud minus, & singula ista pretia supponunt esse iusta, de quibus dixi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. n. 101. sed Nauar. adhuc consulit mercatori, vt pro honore suæ famæ caueat, ne reemat, nisi in casu, quo ille emptor non reperiret alium, qui etiā infimo pretio reemeret.

573 Infero primo ex prima declarationis parte, & magis explicando exemplificationem, quòd mercator, qui mala fide vēdit, & emit, vt supra, & habet intentionem mutuandi, sed à mutuo formali abstinet timore pœnæ temporalis, & hac via venditionis, & reemptionis consequitur lucrum, quod intendit consequi ex mutuo, est animo, & voluntate re vera vsurarius, Io. Azor. d. cap. 11. vers. quarto si mercator. col. 657.

574 Infero secundo ex secunda declarationis parte, licitum esse contractum, quando tu mercator bona fide vendis mihi merces pecunia credita, quas postea ego trado præconi, sub hasta in publico foro vendendas pecunia præsenti; & tu, id sciens, offers illi pretium, quo alius maius in publico foro non offert, vel quando ego alium, qui præsenti pecunia emat, non inuenio, redeo ad te, vt emas, & tu emis, Io. Azor. d. cap. 11. vers. arbitror. col. 656.

575 Infero tertio, quòd aurifices, & similes artifices, qui bona fide vendunt, & emunt in casu, de quo supra num. 571. non tenentur ad aliquam restitutionem, imò nec peccant, quia horum artificum talis est mos, vt vendendo, vendant etiam manufacturam, sed emendo, illam non emant, & sic non soluant, Io. Azor. d. cap. 11. in fine.

576 Subdeclara eandem declarationem in secunda parte, vt si lex municipalis prohiberet eiusmodi contractum etiam, quòd alias de iure communi esset licitus, eo quia posset dici bona fide factus, consideranda sint tunc verba legis prohibentis: vel enim, prohibendo, ne quis emat minori pretio ab eodem easdem merces, quas paulò ante vendidisset, annullat, & irritat ipso facto contractum; & tunc contractus erit irritus, & nullus non solum in foro fori, sed is, qui reemit minori pretio, tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ ante sententiam iudicis: vel non irritat, sed vult, vt possit irritari, & rescindi; & tunc, qui ita reemit, peccat quidem, faciendo contra prohibitionem legis, sed in foro conscientiæ non tenetur restituere ante rescissionem per sententiam iudicis, Io. Azor. d. cap. 11. vers. tertio humanis.

577 LIMITA VI. ratione fraudis commissæ in legem, seruando verba legis, & offendendo eius mentem, l. 5. non dubium. C. de legib. & patebit in seqq. exemplific.

578 Exemplifica primo hanc limitationem in commercio census, in quo apparenti pecunia, sed non soluta, emitur census, idest, annuus reditus in fraudem legis, requirentis vt emptio fiat verè in pecunia numerata, quia hæc emptio, seu contractus census est illicitus, & ideo nullus, vt secutus sum sup. num. 209. & seqq. & num. 211.

579 Exemplifica secundo in mutuo aliarum rerum, quàm pecuniæ, facto filiofamilias, quia cum sit factum in fraudem legis est nullum, vt secutus sum infra q. 7. par. 2. ampliat. 10. num. 35. cas. 2.

580 LIMITA VII. ratione defectus substantialium, seu formæ, quia quantumuis contractus sit licitus; tamen, si in eo deficiat aliquod substantiale, ruit, seu non tenet, vt puta, si in contractu emptionis, & venditionis deficeret pretium, quod est de sub-

substantia emptionis, vt scripsi supra num. 209. vers. quarto debet. idem si deficeret forma tradita à lege, vt puta, si contractus census fieret super re mobili, & non fructifera, neque certis finibus designata contra formam constitutionis Pij V.

Hæc separatim dixisse sufficiat de commercijs; cæterum in seqq. qq. & §§. prout opportune obuiam factus est locus; multa de eisdem scripsimus, vt in præcedentibus limitationibus, & supra alibi, citatis locis, & num. indicauimus.

Explicita prima quæstione de pluribus commercijs, transeo ad quæstionem de commercio cambij.

---

§. 1. Quæstio 2.

ARGVMENTVM.

De cambiorum materia qui scripserint: Est materia difficilis, & periculosa.

SVMMARIVM.

Cambiorum materiam scripserunt multi, nu. 1. sed cambium non liberum antiqui non agnouerunt, num. 2.

Auctores, qui de cambijs scripserunt in iure cæsareo, num. 3. In iure pontificio, num. 4. In consilijs, num. 5. In tractatib. num. 6. In decis. num. 7. Inter diuersos tract. num. 8. In summis, num. 9. In peculiari tract. de camb. num. 10.

Materia cambij obscura, difficilis, & intricata, num. 11. & seqq. & num. 18. & seqq. & periculosa propter vsuram, num. 26.

Cambia sunt mutata ab antiqua forma, num. 12.

Cambiorum negotiationem mercatores intricant, num. 13.

Cambiorum controuersia non frequentes, nu. 14.

Fictiones in cambijs sunt plures, num. 15.

Termini, quibus mercatores vtuntur in negotiatione cambiorum, sunt concisi, num. 16.

Nauar. didicit practicam cambij à mercatoribus, sub num. 17.

Confessarij, Prælati, Concionatores, & alij sunt perplexi in materia cambiorum, &c. num. 18.

Cambiorum declaratio quare sit difficilior, quàm declaratum, num. 20.

Litteratis difficilis est materia cambiorum, num. 21.

Alchymia dantium cambio vtilior alchymia alchimistarum, num. 22. & 23. & quæ sit vera alchymia, num. 25.

Alchymistæ sunt suspecti de hæresi, & negotiatores cambiorum de vsura, num. 24.

Methodus huius tractatus cambij, num. 27.

1 CAMBIORVM materiam, vt mox ostendam, non pauci, sed quamplures, tàm ex Iureconsultis, quàm ex Theologis tractarunt, & licet Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 22. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. dicat, quòd quamplures Doctores nostri in vtraque schola hanc cambiorum seriem non solum non degustarunt, sed ne primoribus quidem 2 labijs attigerunt, † hoc tamen, quod ipse scribit, est verum, quoad cambium non liberum, quod veteres Theologi non agnouerunt, & propterea de illius iustitia, vel iniustitia non scripserunt, ita, loquendo de cambio, quod mercatores vulgariter vocāt, *con le contationi*, testatur grauis vir apud Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. & postremo. lib. 5. de vsur. & loquendo de cambio, in quo idem campsor curat, debitum campsuarij ex bonis suis in loco nundinarū persolui, ac sibi deinde cum lucro remitti (quod mercatores vulgariter vocant, *cambio con la ricorsa*) testatur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 12. num. 3. in fine, vers. hoc genus. tom. 2. fol. 587. potest etiam esse verum quo ad cambium Bezenzonense, quod non fit gratia mercaturæ, sed fit gratia sui ipsius, vt ipsummet cambium sit negotiatio lucratoria; nam cum hoc cambium non sit multum antiquum, teste Boninf. tract. de camb. cap. 7. versus finem, vers. resta à considerare. antiquiores illud noscere non potuerunt: cæterum cambium liberum, & præsertim cambium gratiæ mercaturæ veteres Theologi agnouerunt, & de eo scripserunt; & de cambio cum recursa, & cambio Berzenzonense multi ex recentioribus, vt in contextu operis videbimus, latè egerunt, & nos post

eos egimus infra q. 5. num. 83. & seqq. & infra §. 6. gl. 1. per totam.

Ex Iureconsultis (vt ab eis exordiar) qui scripserunt de cambijs, aliqui scripserunt in lecturis tàm iuris cæsarei, quàm iuris pontificij; aliqui in consilijs; aliqui in tractatibus de vsur. aliqui in decisionibus; aliqui inter diuersos tractatus; plerique in summis; & aliqui peculiares ediderunt tractatus.

3 In lecturis iuris cæsarei scripserunt aliquid Bal. in l. 2. num. 2. C. de vsur. rei iudic. idem Bal. & Salyc. in l. institoria. in fine, C. de exerc. & instit. act. Ias. in l. 1. in 1. lect. q. 6. num. 64. & in 2. lect. num. 39. C. de sum. trin. & fid. cath.

4 In lecturis iuris pontificij Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 46. & seqq. Nauar. num. 8. & seqq. per totum. & Io. Bapt. Lup. §. 2. de vsur. Laur. de Rodulph. in cap. 10. consuluit. de vsur. in pluribus locis, prout nos eum citauimus q. præceden. num. 424. & infra q. 4. num. 26. & q. 7. par. 1. num. 20. & 41. & Ambr. de Vign. in cap. salubriter. num. 268. 282 & 288. eod. tit. de vsur.

5 In consilijs, Bal. cons. 348. factæ fuerunt. lib. 1. & cons. 190. sempronius. lib. 2. Calder. cons. 11. mercator ianuensis. tit. de vsur. Alex. cons. 61. viso processu. sub num. 13. lib. 2. Nauar. cons. 1. in impressione Rom. & latius cons. 31. reuerendiss. in impress. Veneta, lib. 5. de vsur. & alij moderniores, quos opportunè, vbi opus fuit, citauimus.

6 In tract. de vsur. B. Io. à Capistr. in 2. par. secundæ par. num. 146. Archiepisc. Florent. cap. 2. §. 47. 48. & 49. num. 77. & seqq. & Nauar. in manual. confess. cap. 17. de vsur. circa cambia. in 126. pecc.

7 In decisionibus, Rot. diuers. decis. 811. dubitaui. par. 1. & decis. 315. diu fuit. num. 6. par. 2. & in multis alijs, quas in contextu operis videbis citatas, Affl. decis. 353. dubia. & alij, quos in suis peculiaribus locis citabimus.

8 Inter diuersos tractatus ex Iureconsultis, Petr. de Vbal. tract. de duob. frarr. par. 8. princip. num 33. Maran. in suo spec. par. 6. act. 6. nu. 49. vers. sed perpulchrum. & seqq. Sebast. Medic. tract. de fortuit. casib. q. 10. num. 79. Virg. de Boccat. tract. de interd. vti possid. cap. 18. num. 167. 172. & 174. tom. 3. par. 2. fol. 316. Couat. tract. de vet. collat. numis. cap. 7. sub num. 4. Stracch. tract. de mercat. par. 1. num. 67. & 68. Ex Theologis Conrad. de contract. q. 99. Io. Medin. tract. de reb. per vsur. acquis. q. 5. Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. & seqq. vsque ad lib. 7. exclusiuè, Franc. Garcia tract. de contract. cap 30. vsque ad cap. 38. exclusiuè, in impressis Brixiæ 1596. Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 1. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. tom. 2. fol. 523. Ludou. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 398. & seqq. vsque ad 410. inclusiuè, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. & Io. Azor. de instit. moral. pat. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 1. & seqq. col. 860. & seqq.

9 In summis, Angel. vsura 1. num. 51. Rosel. eod. verbo, 6. Siluester. eod. 4. Tabien. vsura 15. Armill. verbo, campsor. Rodriquez par. 2. cap. 104. & seqq. vsque ad cap. 107. inclusiuè, & alij, quos citat Azor. in loco supra proximè citato.

10 Peculiares ex Iureconsultis ediderunt tractarus Alex. Rauden. breue opusculum, super bancho S. Ambr. & Io. Bapt. Cauat. Ex Theologis, Card. Caiet. alias Thom. de Vio, Hier. de Luca, Fabian. Genuensis, Boninseg. Senens. Romoald. Coli Lucens. & alij, à nobis in contextu operis citati.

Ex omnibus, qui de hoc commercio scripserunt, volui hos multos nominatim hic recensere, vt hinc argumentum sumamus, quòd nisi huius negotiationis cognitio esset nedum vtilis, sed etiam necessaria, tot celeberrimi viri in ea non insudassent; quamuis enim cambiorum vsus non sit vbique frequens; tamen in dies dilatatur, & arduas circa iustitiam, & iniustitiam contractus habet difficultates, quarum resolutio non magis ad forenses controuersias decidendas, quàm ad animarum salutem, est omnino necessaria.

11 Hæc cambij materia apud omnes Theologos, & Iureconsultos reputatur obscura, difficilis, & intricata: Habet duas partes: prima respicit factum ipsius artis campsoriæ: secunda respicit dispositionem iuris: & ex vtraque parte innumeræ insurgunt difficultates, quibus mirum in modum scriptores torquentur.

Inspecta enim prima parte, quæ respicit factum, & negotiationem, difficultates scatent ex pluribus.

12 Primo, quia cambia, quibus hodie vtimur, valde sunt mutata ab antiqua forma, vt ex ipsorum mercatorum confessione testatur Boninseg. tract. de camb. cap. 1.

13 Secundo, quia mercatores nouis, quotidia-

dianisq; inuentis negotiationem istam intricant, vt restatur Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 1. initio, adeo quod, (loquendo de isto campo, barathroq; cambiorum) præter ipsos negotiatores rari sint, etiam inter scholasticos, qui facta ipsa intelligant, vt testatur idem Sot. eod. lib. 6. q. 11. arr. vnico, vers. postquam. fol. 612. quem sequitur Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 11. in fine, de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. & quòd plerique campsorum, diuinæ refugientes legis præcepta, quotidiè varios adinueniant contractus, quibus, euangelicæ doctrinæ verbis solummodo obseruatis, ipsi satisfecisse arbitrentur; sed an illius mentem offendant, non curent, quivè adeò cauillosè, & subtiliter sint adinuenti, vt etiam apud doctissimos Theologos, & iuris canonici doctores peritissimos plerunque dubitari contingat, an tales contractus, præsertim quos moderni cambia nominant, liciti, an fœneratitij sint censendi, scribit Aut. de Rosel. tract. de vsur. initio, tom. 7. fol. 67. & ab his minimè discedunt Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78 in disput. de camb. q. 4. art. 2. controuers. 10 vers. humana industria. fol. 583 tom. 2. dicens, quòd cupiditas excogitauit tot artes lucrandi in contractu cambij, vt illæ artes superent aciem, & acumen ingenij cuiusuis, qui cambij controuersias velit definire, & Romoald. Coli Lucens. tract. de camb. in epist. ad lectores, adducens difficultatem cambiorum, etiam in astutijs, & subtilitatibus mercatorum.

14 Tertio, quia, vt dixi supra sub num. 10. controuersiæ cambiorum non sunt vbique, sicut aliæ, frequentes, & ideo minus intellectæ.

15 Quarto, quia in hac negotiatione plures interueniunt personarum, & solutionum fictiones, quas aliqui censent fuisse à cambientibus excogitatas ad fraudandam constitutionem Pij V. aliasq. leges, contra vsurarios editas, cum, istis adhibitis fictionibus, legem seruare videantur, & illius mentem in foro fori impunè offendant; verum, quia ficta diu consistere nequeunt, fictiones hæ se ipsas implicitis contradictionibus conquassare videntur: nam pecunia, quæ seruit pro pretio rei emendæ, seruit etiam pro re ipsa emenda; item eiusdem monetæ valor modo sumitur in vna æstimatione, & modo in alia, & contrahentium cambium quis sit venditor, & quis emptor confunditur, & vnus & idem fungitur vice debitoris, & vice creditoris; & proinde sequitur, quòd negotiatio ista videatur paradoxica, labirinthus quidam, & perplexitas inextricabilis, & quæ sint istæ fictiones, & complicationes scripsi infra §. 6. gl. 1. num 23. & seqq. vlterius mercatores, istis fictionibus adhibitis, sub vna breui verborum structura ror complicant contractus, vt vix discerni possint, & in hoc sibi leges confingere videntur.

16 Quinto propter concisos, & nostris Iureconsultis incognitos terminos, quibus negotiatio hæc breuissimis conficitur litteris, adeo quòd materiam istam cambij esse in se difficilem intellectu, & intellectam expressu, scribit Lud. Lopez tract. de contract. lib. 2. cap. 1. in princ. & esse difficilem propter extraneos terminos, quibus mercatores vtuntur, considerauit etiam Romoald. Coli Lucensis tract. de camb. in epistola ad lectores, hancq; difficultatem satis cognoscemus nos ex his, quæ scripsimus infra q. 5. num. 17. 41. 42. 72. & seqq. & præsertim num. 88. & seqq. & § 6. gl. 1. sub num. 2. & seqq. imò posset quis probabiliter dubitare, cambiorum negotiatores de industria hunc concisum, abstrusum, & perplexum loquendi, contrahendique modum excogitare, vt Iureconsulti, alijq; docti viri, ignoratis cambiorum terminis, ea damnare nesciant.

17 Ex his omnibus, cum iste cambij contractus sit partim fictus, & variè laruatus, & partim ob concisum, & extraneum loquendi modum incognitus, non mirum, si vndique sit difficillimus, in tantum vt Nauar. cons. 31. reuerendiss. circa initium, vers. inter. de vsur. lib. 5. vir alioqui, vt omnes sciūt, præsertim in hoc genere doctissimus, fateatur, se cambiorum praxim, de qua ibidem tractat, didicisse à primoribus Vrbis mercatoribus.

18 Inspecta etiam secunda parte, quæ respicit dispositionem iuris, renascuntur difficultates, tùm quia ex facto ius oritur, ideoq; ignorato facto, nulla super eo dari potest responsio, quod innuit etiam Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. vers. postquam. col 1. fol. 612. vbi, supposita difficultate intelligendi facta cambiorum, subdit, ideo non posse circa ius ipsum non allucinari; tùm quia mercatores, & campsores multas excogitant subtilitates ad palliandum vsuras, Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in proœm. vers. cum autem. fol. 211. & talia contrahunt

cambia,

cambia, vt & confessarios teneant perplexos, & Doctores reddant obscuros, & varios, Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. in fine, & cambij materiam esse scrupulosam, in eaq; tàm ipsos contrahentes, quàm Prælatos, Concionatores, & alios Patres spirituales esse perplexos, & consequenter in ea aut conscientiæ crassitudine, aut nimia scrupulositate labi, etiam si litterati sint, cum theoricam practicæ applicare nescientes, nimis rigorosè totam ferè mercaturam illicitè damnent, scribit Boninſ. tract. de camb. cap. 5. tum quia doctiores Theologi habent diuersas opiniones, vt scribit Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. in epist. ad lectores; † quare in vniuersum esse materiam abstrusissimam, intricatissimam, & Doctorum opinionibus plurimum offuscatam, scribunt Sot. d. q. 8. art. 1. in princ. & Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 2. in fine, de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. In scholis non esse tractatam, & qui de ea scripserunt, partim ieiunè, partim confusè, & incertè locutos, ita vt vix discerni possit, quid sibi hac in re voluerint, scribit idem Lup. d. §. 2. sub num. 3. & de ea parum nos doctos esse à Ias. in l. 1. in 1. lectura num. 64. q. 6 & vlt. & in 2. lectura num. 39. C. de sum. trin. & fid. cath. Io. de Anan. in d. cap. vlt. nauiganti. num. 46. & seqq. Ambr. de Vign. in cap. salubriter. num. 282. de vsur. cum eorum traditiones sint defectiuæ; certamq; regulam nobis traditam non esse à Laur. de RoduIph. D. Ant. Florent. Caiet. Hier. de Luca, Siluest. Io. à Medin. & quamplurimis Theologis, qui ex professo scripserunt de natura cambij, testatur idem Lup. d. §. 2. sub num. 22. & demum cambij naturam nunquam fuisse intellectam, scribit Sot. d. lib. 6. q. 12. art. 2. vers. peruentum nobis. fol. 616. & ex eo Nauar. d. cap. nauiganti. num. 34. in fine, & ex vtroque Io. Bapt. Lup. d. §. 2. num. 22. versus finem, fol. 139. & esse à paucis scriptoribus intellectam, scribit Boninseg. tract. de camb. in epistola, & cap. 4. initio, & verius finem, & à paucis esse intellectam substantiam, & materiam huius contractus cambij, & ideo eligendos esse confessarios, qui huius negotiationis sint peritissimi, scribit Ioan. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de cambio sicco. vers. quæro quomodo. fol. 222. totamq; hanc rem, obscuram esse, & difficiles habere explicatus, scribit in rei veritate Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. initio; † quare huic cambiorum commercio apprimè conuenit, quod dicit Ecclesiastes 1. num. 8. *cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*. & nonnulli, volentes difficultatem, & obscuritatem huius negotiationis explicare, tanta verborũ multiplicitate vtuntur, vt eam obscuriorem reddiderint, vt scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. initio, quod etiam aduertit Romoal. Lucen. tract. de camb. in epist. ad Lectores; nam Iureconsulti, & Theologi cum ipsa negotiationis facta à principio pro maiori parte non intellexerint, ideoque ex ignoto ad ignotius processerint, difficilior facta fuit eorum declaratio, quàm declaratum, cum non solum remanserit eadem difficultas intelligendi factum, & negotiationem ipsam cambiorum, sed superaddita fuerit diffultas intelligendi, & intellecta dispungendi multa, quæ superfluè, & perplexè scripserunt: hi namque volentes soluere nodum, cuius ligamen ignorarunt, quò magis dissoluere nixi sunt, eò magis strinxerunt, vel nodos multiplicarunt. Vnde cum Theologi sint omnino ignari vsus, & consuetudinis mercatorum, & mercatores sint illius peritissimi, vt testatur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. contr. 5. num. 4. vers. vsus. tom. 2. fol. 568. plerique ex ipsis mercatoribus, vt ab eis aliquando audiui, suomet iudicio magis, quàm Iurisconsultorum, & Theologorum sententiæ acquiescendum arbitrantur.

21 Ego quandoque mecum cogitans, quid esset in causa, vt Doctores celeberrimi, & ingenio sublimes materiam istam non apprehenderint, has duas arbitratus sum: primam, quia negotiorum, foriq; experientia caruerunt: secundam, quia contractus cambiorum pro maiori parte consistit in plutibus ratiocinijs, vt patet ex his, quæ scripsi infra q. 5. sed inutile, & valdè laboriosum est, hominem litteratum in ratiociniorum causis occupari, cap. 8. inutile. dist. 88. † & dulce & leue est mercatoribus, cum ex illis occupationibus, & ratiocinijs lucrum, questumq; hauriant, cuius lucri causa cambiorum negotiationem tanquam noui alchymistæ inuenerunt; alij enim alchymistæ mendacem, & damnosam sequuntur alchymiam, hi verò mercatores veram, & vtilem sectantur; nam illi sunt pauperes, vt in extrauag. Ioan. XXII. incipienti, *spondent quas non exibent diuitias pauperes alchymistæ*, isti fiunt diuites, præsertim quando

Regi-

Regibus, & Principibus noxio subditorum casu Mars arma ministrat.

23 Illi crosolis, furnis, follibus, alijsq; fallacibus instrumentis ex vero auro, & argento fumum, ventum, & flatum colligunt, isti breuissimis circularibus litteris ex fictis marcharum scutis veros aureos scutos conficiunt.

24 Illi de demonum inuocatione, & ideo de hæresi suspecti redduntur, Eymet.in direct. inquis.par.3.tit.de signis,quibus necromantici hæretici cognoscantur, sub num.115.& ibi Pegn.vers.sed donec. fol. 477. & par.2. comm. 36. vers. quidam magnus. fol.285. isti verò suspecti sunt de vsura, per ea, quæ dixi infra num.26.& infra q.7. par.1. num. 21. & seqq. in septimo argumento.

25 Sed quid diximus,illam,vel istã esse vtilẽ, & veram alchymiam? vtraque est falsa: vera est illa, qua istis terrenis acquirimus cœlestia, istud est verum, reale, & lucrosum cambium, quo terrena cum cœlestibus permutamus, & centumplus accipimus, vt dixi infra q.7. par.2.ampl.10.num.83.exemplific. 1. & hæc de difficultate cambiorum.

26 Est pariter hæc materia cambiorum periculosa, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q.78.in disput.de camb.q.1.art.2.sub num. 1. vers.quinto.vsque ad num.2.exclusiuè,& num. 9. tom. 2. fol. 530. quia agitur in ea de periculo animarum propter vsuram, ad quam facilè deuenitur ex cambijs, vt scribunt Ioan. Bapt. Lup.in cap. nauiganti.§.2. sub nu.11.de vsur. inter tract.diuers.tom.7. fol.138.& idem Sal. d.art.2.num.2, versus finem, vers. alteram partem. fol.527. sub num.5. vers. habet tertio. sub num. 6. vers. tertio hæc. fol. 529. quare cambiorum disputatio ad vsuræ tractatum attinet, Sot. de iust.& iur. lib.6.q.8.art.1.initio,fol.603. &,loquendo contra cambia, quæ excessiuè contrahebantur Romæ, innuit Pius IV. in motu proprio, in illis verbis, *auaritiam omnium malorum,&c. & nimis excessiuam, penitusq; vsurariam,&c.*& generalius Pius V. in constitutione de cambijs, in illis verbis, *sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem sic deprauari, vt sub illius prætextu vsuraria prauitas à nonnullis exerceatur, &c.* & difficulter ab euidẽti,aperto, & apperibili lucro, etiam vsuræ admixto, abstinebit mercator, quia, vt est in prouerbio Hispano, *en arca abierta el justo pecca,* relato à Mich. Sal. sub d.vers.habet tertio.& in Italo *la commodità, fà l'huomo ladro,*& ideo cautius præcauendũ est, ne sub colore, & prætextu honesti cãbij, appetibili circũliri lucro,latẽter obrepat vsura,quæ animã inficiat, quia nõ dantur venena,nisi melle circumlita; demũ vt difficultatem, & periculum ex eorum sentẽtia paucis perstringã, cambiũ videtur labyrinthus conscientiarum, præcipitium salutis, conflictus sine concordia, pelagus sine portu, & ædificium sine fundamento; quamobrem Sot. tract. de iust.& iur.lib.6.q.8. art.1. initio, & art.2.in fine, & Ioan.Bapt.Lup. d.cap.nauiganti.§.2. sub num.3.cum formidine, & timore de eo scripserunt, titubantes, ne ipsi quoque in difficultate deficiant.

Hæc cum ita sint, satius forsan videri potuisset silere, quàm, veluti anserem, inter tot olores obstrepere; nam vel isti, qui scripserunt, difficultatem superarunt, & tunc agerem actum, vel non superarunt, & nimis de me præsumere viderer: Verum, vtcumque sit, neutra consideratio à scribendi proposito me deterruit; quinimo istæmet considerationes, quæ deterrendi vim habere videbantur, me animosiorem reddiderunt, acturus enim quæ ad animarum salutem spectant, spero, vt Redemptor noster pro sua clementia me instruat, & quod sapientibus abscondidisset, paruulo sit forsan aliquando reuelaturus, cap. esto. dist.96. *quia & linguas infantium fecit disertas.* Sapient. 10.in fine.

27 Et ne forsan nimia rerum mole, aut confusiõne lectorum ingenia prius obruantur, aut defatigentur,quàm quę scripturi sumus, intelligere valeant, hac methodo (veluti Thesei filo) sinuosissimum hunc labyrinthum ingrediemur, & commodè penetrabimus: in hoc primo §. prosequar quinque alias quæstiones,quæ facilem ad totam materiam præbebunt aditum, deinde sequentibus §§.super vniuerso cambij negotio scribam glossema, vt sic materiam, quæ omnium iudicio est valdè intricata, obscura, & difficilis, nos, si Dei benignitas largiatur, ordine distincto, dicendi facilitate, casibus, & doctrinis in suis sedibus repositis, æquiuocationibus semotis, & verioribus, in praxique receptis opinionibus selectis, explicitam, claram, & facilem; quantum in nobis est,reddamus, vel saltem doctioribus, superioribusquè,ad quos pertinet,ansam, vt explicent, & determinent, præbeamus: quorum alterum si assequar, non parum me animarum saluti consuluisse credam, soliq; Deo laudem, & gratias referam.

§.1.Quæ-

§. I. Quæstio 3.

ARGVMENTVM.

De nomine cambij, campsoris, campsuarij, collybistæ, trapezitæ, nummularij, mensularij, seu argentarij, & litterarum cambij.

SVMMARIVM.

Vox cambij non est latina, num. 1. Contrarium, num. 2. Quia reperitur, &c. num. 3. Distinguitur, num. 4.
Campsores qui dicantur, num. 5. & 8. Vnde dicantur, num. 6. Et in quo differant à Trapezitis, &c. num. 9.
Campsuarij qui dici possint, num. 7.
Collybistæ, & Collybus, qui dicantur, num. 8.
Trapezitæ, Nummularij, Mensularij & Argentarij } idem significant, & in quo differant à campsoribus, num. 9.
Argentarij qui sint, num. 10. Et quomodo eligerentur, num. 12.
Foro cedere decoctores cur dicantur, num. 11.
Litteræ cambij vnde dicantur, num. 13. Et qua ratione videantur meliores, quàm litteræ scientiarum, num. 14.

1 CAMBIVM esse vocem non vsu receptam apud latinos, scripserunt Couar. tractat. de vet. collat. numism. cap. 7. sub num. 4. vers. hac sanè ratione. vol. 1. fol. 705. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 5. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. & ab ista sententia non videtur discrepasse Tiraq. de retract. lignag. §. 30. num. 1. dum ait, cum latinè loqui volumus, cambium, appellamus permutationem, subdens, esse verbum non tam barbarum, quàm quibusdam videtur.

2 Contra esse vocem latinam, sentiunt Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 1. vers. primum omnium. Stracch. tract. de mercat. par. 1. num. 67. & 68. tom. 6. par. 1. fol. 288. & Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. primo igitur. fol. 111.

3 Confirmatur hæc opinio, quia verbum cambio, reperitur apud Priscianum lib. 10. cap. 2. vt notat Tiraq. vbi supra, & ex Tiraq. referunt Couar. Io. Bapt. Lup. & Stracch. in locis supra proximè citatis, & ideo hoc nomine cambij vsus est Compilator libri feudorum, tit. quo temp. miles. cap. si quis dominus. fol. 176. *si quis dominus fecerit inuestituram, vel cambium de beneficio sui militis, &c.* & tit. si de inuestit. feud. contr. fuer. §. cum autem. fol. 172.

4 In hac cõtrouersia Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 1. num. 1. fol. 523. tom. 2. distinguit, vt hæc vox non sit vsitata apud Ciceronem, Quintilianum, & alios candoris, & elegantiæ latinæ studiosos, sed tamen eam habeant alij auctores, latini quoque sermonis periti.

Quicquid sit, transeamus ad alia.

5 Campsores vocantur ij, qui paratas habebant pecunias ad permutandum, minores pro maioribus, & vice versa, maiores pro minoribus, seruata permutationis æqualitate, Couar. d. cap. 7. sub num. 4. vers. hac sanè ratione. & ex eo Io. Bapt. Lup. d. §. 2. num. 5. fol. 137. sed Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. col. penult. in fine, vers. verum. versus finem, fol. 361. explicat, campsorem propriè dici, qui ex officio habet cambire.

6 Dicuntur campsores à verbo antiquo, *campso, campsas*, quod hodie dicimus, cambio, seu permuto, Couar. & Io. Bapt. Lup. in locis proximè citatis: cambire enim est vnum pro altero permutare, Card. Tolet. tract. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 50.

7 Campsuarij verò dici possunt illi, qui requirunt pro cambio; nam campsores sunt illi, qui requiruntur, & hi campsores dicuntur cambire, non autem dicuntur cambire campsuarij, qui requirunt, Conrad. de contract. q. 99. in 2. supposit.

Hæc nominum differentia potest rectè procedere nõ solùm inter priuatum, & eum, qui publica auctoritate electus, seu confirmatus habet publicam tabernam ad cambiendum; vt is dicatur campsor, quia nomen verbale, desinens in or, requirit pluralitatem, & frequentiam actuum, seu auctoritatem publicam, vt retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. nu. 179. & seqq. seu requirit studiosam applicationem, vt in hoc ipso proposito scribit idem Conrad. ead. q. 99. in 6. supposit. sed potest procedere etiam inter priuatum, & priuatum, qui faciant

contra

contractum cambij pro nundinis, vt is, cui datur pecunia cambio, vocetur campsuarius, & ille, qui dat, vocetur campsor; sicut is, cui datur mutuo, dicitur mutuatarius, & qui dat mutuo, dicitur mutuator; item cui donatur, dicitur donatarius, & qui donat, dicitur donator; sed in hoc non insisto, voca, vt placet, quia lex imponitur rebus, non verbis.

8 Collybistæ idem sunt, quod campsores, quia dicuntur à collybo, qui est illa merces, quæ datur campsori pro illa permutatione, Couar. d. tract. de ver. collat. numism. cap. 7. sub num. 4. vers. hac sanè ratione. fol. 705. & Io. Bapt. Lup. d. cap. nauiganti. §. 2. num. 6. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. Boninseg. tract. de camb. cap. 7. vers. della prouisione. in responsione ad nonam difficultatem, seu datur pro detrimento pecuniæ, & dicitur vulgariter, *perdita de laggi*, Stracch. tract. de mercat. par. 1. nu. 68. tom. 6. par. 1. fol. 288.

9 Trapezitæ, nummularij, mensularij, & argentarij, qui idem significant, differunt à campsoribus, in eo, quòd non solum maiorem operam pecuniarum permutationi dabant, sed exercebant etiam simul negotiationem, accipiendo custodiendas pecunias, dandoque & proprias, & alienas sub iusto fœnore, Couar. vbi supra. & Io. Bapt. Lup. d. §. 2. sub num. 7 vers. erant præterea.

10 Hi argentarij sunt illi, quibus ad longum tempus locabantur publicæ Tabernæ, de quibus in l. 32. qui tabernas. ff. de contrah. empt. quare dicebantur Tabernæ argentariæ, non eo, quia in eis argentum venderetur, vt existimat Glos. in d. l. qui tabernas. sed ex eo, quia illas conducebant argentarij, vt benè aduertit Couar. vbi supra, & refert Io. Bapt. Lup. d. §. 2. sub num. 7. vers. vbi veteres. Et hæ Tabernæ, in quibus argentarij, & nummularij habebant mensas, constructæ fuerant Romæ à L. Tarquinio

11 Prisco in foro propè Castoris ædem; † vnde cum argentarij cedebant tabernis, & mensis, alioque fugiebant, & creditores fallebant, dicebantur foro cedere, vt ex Budeo referunt, & sequuntur Couar. & Io. Bapt. in locis, supra proximè citatis.

12 Argentarij isti quomodo eligerentur auctoritate publica, & quam fidem facerent eorum libri, & an bancherij nostri temporis retineant qualitatem argentariorum, vide quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 104. & seqq.

13 Litteræ cambij dicuntur ex eo, quia cambitur pecunia pro litteris, Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 20. vers. quæ litteræ. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. cambium enim fit de specie ad genus, vt dixi q. seq. num. 1. & licet mercator, dando pecunias pro litteris, videatur prodigus, ne dicam stultus, tamen non est ita, si is, à quo recipit litteras, sit soluendo, quia tunc illæ litteræ restituunt postea easdem pecunias cum lucro, & superfœtatione, iuxta ea, quæ scripsi q. præced. nu. 22. & 23. & infra in di-

14 uersis locis; † qua ratione istæ litteræ cambij videtur meliores litteræ quàm litteræ scientiarum, nempè philosophicæ, legales, medicæ, & similes; ideoque cum in quodam grauium virorum familiari colloquio vnus ex ipsis diceret, quòd expectabatur citò venturus vir, omnium ferè litterarum genere imbutus, alius ex ipsis interrogauit, quas litteras haberet, & cum varia litterarum genera sibi recenserentur, ipse, ea omnia quasi paruifaciens, denuò interrogauit, an alias haberet litteras, & fuit incótinenti pro responsione idem interrogatus, quas alias litteras posset habere? litteras cambij respondit ille; quia nisi istas habeat, meliores ei deficiét.

Hæc satis circa voces, & nomina, accedamus ad res.

§. 1. Quæstio 4.

ARGVMENTVM.

Cambium quotupliciter sumatur: De quo cambio sit noster tractatus: Hoc cambium, & recambium quid sint.

SVMMARIVM.

Cambium genericè sumptum quid sit, & in quo differat à permutatione, num. 1. Et quando retineat nomen specificum, num. 2.

Cambium, largè sumptum, includit triplicem permutationem, num. 2.

Permutatio in quo differat à cambio, num. 1. Et quotuplex sit, & quando transeat in aliam speciem

speciem contractus, num. 2. & 19.
Permutatio, quæ est cambium specificè sumptum, est materia præsentis tractatus, num. 3.
Cambium an sit mutuum, num. 4. & seqq. usque ad num. 16. inclusiuè. An sit contractus innominatus, num. 17. An sit permutatio pecuniæ cum pecunia, num. 18. & 19. An sit in eo admixtus contractus locationis, num. 20. An sit emptio, & venditio, nu. 21. & seqq. nu. 34. 35. & sub num. 37. vers. tamen. Et quòd nihil referat, qualis ex bis sit, num. 36.
Mutuum in quot, & quibus differat à cambio, num. 6. & seqq. usque ad num. 17. exclusiuè.
Mutuum in quo differat à contractu innominato, num. 8. Et in quo à commodato, & deposito, num. 10.
Mutuum est, licet ex accidenti mutuatori reddatur eadem res, num. 9.
Cambij contractus aliquando non est frugiferus, sed damnosus, num. 11.
Mutuata rei interitus spectat ad mutuatarium, num. 12.
Dilatio temporis ad soluendum in cambio non consideratur, cùm procedat ex accidenti, n. 13.
Mutui restitutio fit in eodem loco, num. 14.
Cambij solutio fit in alio loco, eod. num. 14.
Mutuum consistit in omnibus usu consumptibilibus, quæ pondere, numero, mensuravè constant, num. 15.
Permutatio an potius venditio sit, quando cum rerum permutatione interuenit etiam pecunia, num. 19.
Pecunia an possit locari, num. 22. & sub num. 23.
Locabile est vendibile, num. 23. Non tamen quod est vendibile, est locabile, num. 24.
Commutabile est vendibile, num. 31.
Aestimabile pecunia, ergo vendibile, num. 32.
Pecunia potest emi, num. 22. & seqq. Ideoque potest contractari, num. 30. Contrarium, quòd non possit emi, num. 34.
Pecunia æstimatio crescit, & decrescit, num. 25. Estq; variabilis, num. 27. Nam propter cursum plus valet uno loco, quàm alio, num. 26. Item propter copiam, vel inopiam monetæ, sub num. 28.
Moneta unius valor potest alterius monetæ valoris esse maior, vel minor octo ex causis, num. 28.
Pecunia continetur appellatione mercis, num. 29.
Pecunia est mensura rerum comparandarum, num. 32.
Pecunia unius generis æstimatur alia alterius generis, sub num. 32.
Bonitas intrinseca, & extrinseca reperitur in pecunia, sicut in alia merce, num. 33.
Recambium est secundum cambium, procedens à primo, num. 38. Fit cum eodem debitore, ideoque eum interesse alterius interesse, num. 42.
Recambium triplici modo consideratur, sub num. 38. & seqq.

1 CAMBIVM, genericè sumptum, est permutatio, velquælibet commutatio, etiam speciei ad genus, puta domus cum frumento; at permutatio est propriè speciei ad speciem, Bal. in feud. tit. de controuer. inuest. §. cum autem. num. 1. in fine. Bero. cons. 194. in præsenti. sub num. 14. lib. 1. Tiraq. de retr. lignag. §. 30. num. 1. in fine, Couar de vet. collat. numism. cap. 7. sub num. 4. vers. hac sanè ratione. tom 1. fol. 705. Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 5. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. Iacobut. de Franch. post decis. Vincentij de Franch. q. 12. nu 9. Item cambium est etiam generis ad genus, & tunc est contractus innominatus secundum ea, quæ scribunt Bal. & Bero. in locis supra proximè citatis, Ias. in l. 1. num. 10. vers. in fin. gl. ff de rer. permut. quem sequuntur Tiraq. Couar. 2 & Lup. in locis supra proximè citatis. † Et quòd cambium, largè sumpto vocabulo, includat, & comprehendat triplicem permutationem; prima quarum est permutatio vnius rei pro alia re differenti, sed in valore æquales, & ista propriè dicitur permutatio; & vulgo, *baratto*. secunda est permutatio pecuniæ cum re, & ista propriè dicitur emptio, & venditio; tertia & vltima est pecuniæ cum pecunia, & ista propriè dicitur cambium, scribunt Card. Caiet. tract. de camb. cap. 4. num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 405. Card. Tolet. tract de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 50. quid sit cambium. vers. prima est antiquissima. Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, pro decisione. nu 12. tom. 6. par. 1. fol. 409. Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 1. & Romoal. Coli Lucen. eod. tract. de camb. cap. 1. & 2. & quòd quamuis rerum permutatio possit dici cambium, tamen appropriato vocabulo solum permutatio numismatum dicatur cambium, scribit Conrad. de contract. q. 99. initio, in 1. suppositio-

positione, & adde, quæ scripsi infra sub nu. 19. sed permutatio in primo modo, quandoque dicta est emptio, legitur enim, quòd Iacob centum agnis emit agrum, Genes. 33. num. 19. Prima permutatio rei cum re, vt oleum pro vino, & similia, est omnino naturalis, & simpliciter necessaria. Secunda deflectit aliquantulum à sinceritate naturæ, nec est ad vsum vitæ simpliciter necessaria, sed secundario, est tamen licita, nisi aliunde vitietur. Tertia est minus naturalis, & traxit originem à varietate numismatum, & à varijs eorum pretijs in diuersis regionibus, cumq; eius vsus excreuerit, factum est, vt hæc sola permutatio nomen cambij sortiretur, prout hæc omnia colliges ex Arist. 5. polit. cap. 6. quare permutatio est antiquior emptione, quæ cœpit solum post inuentam pecuniam numeratam, quæ pecunia fuit inuenta, vt esset pretium, quo necessaria vitæ emerentur, & vt rerum venalium esset mensura quædam publica, & postea fuit inuenta permutatio pecuniæ, quæ permutatio dicitur cambium, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. num. 287.

3 De cambio ergo, specificè sumpto, prout est commutatio, seu negotiatio pecuniæ cum pecunia, erit præcipuus tractatus in seqq. qq. & §§.

Hoc cambium, specificè sumptum, quid sit, variæ sunt opiniones.

4 Prima opinio est, quòd sit mutuum, quam opinionem, eiusq; rationem latè adduxi infra q. 7. par. 1. num. 21. & seqq. in 7. argum. & ideo hic non repeto, hancq; opinionem secuti sunt omnes ij, qui hac ipsa de causa detestantur cambia, tanquam illicita, & vsuraria.

5 Contrariam opinionem, nempè, quòd non sit mutuum, tenent Bal. quem secutus sum infra d. q. 7. par. 1. nu. 41. vers. secunda. Card. Caiet. tract. de camb. cap. 2. num. 3. in fine, ibi, primæ enim fundamentum. iuncto num. 2. & cap. 3. num. 1. & seqq. vbi adducit differentias, tom. 6. par. 1. fol. 405. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. col. 1. vers. corollariè. fol. 359. Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. in tertia concl. col. 2. fol. 605. & q. 10. art. 1. in secunda ratione, col. 2. fol. 609. Nauar. in cap. nauiganti. num. 9. vers. vnde primum. & sub num. 21. vers. hic contractus. dicens, non esse tale mutuum, quod mutuum propriè dicitur, Boninf. tract. de camb. cap. 6. vers. ma chi andrà. fol. 14. Fabian. Genuen. tract. de camb. par. 2. cap. 5. num. 55. vers. nec etiam. & num. 56. rom. 6. par. 1. fol. 416. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disp. de camb. q. 1. art. 1. sub num. 4. vers. denique. & art. 2. sub num. 2. vers. secundo quo. fol. 527. & quòd, propriè loquendo, non sit mutuum, habes in quadam cambij disputatione, à me relata infra §. 9. nu. 5. & loquendo de cambio per litteras, quo nummularius pecunias prius recipit, vt in alio loco soluat, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 1. & postea in cap. 6 q. 1. loquendo de cambio opposito, quando nummularius prius dat, & postea per litteras soluit; & hi omnes vel expressè, vel saltem tacitè loquuntur de cambio per litteras.

6 Confirmatur primo hæc contraria opinio ex pluribus differentijs, quas aliqui nixi sunt inter mutuum, & cambium constituere.

Prima differentia est, quia, si consideremus personam accipientis ad cambium, differentia est manifesta, quia mutuans prius dat, & postea recipit: sed accipiens ad cambium facit oppositum; primo recipit, & postea dat, & sic ex parte ipsius accipientis non est mutuum, Boninf. vbi supra, Fabian. d. nu. 55. & Io. Azor. d. cap. 5. q. 1. vbi de communi. Si verò consideremus personam dantis ad cambium; tunc etsi dubitetur, vt scribit Io. Azor. in loco supra proximè citato, & videatur dicendum, quòd non differant, sed conueniant, quia sicut mutuans prius dat, & postea recipit, ita etiam dans cambio nundinali, prius dat, & postea recipit, Hieron. de Luca tract. de camb. in verbo, pro decisione. sub num. 24. rom. 6. par. 1. fol. 409. & & ipsemet Fabian. d. par. 2. cap. 7. sub num. 62. ibi, campsor enim. fol. 417. & è conuerso, sicut accipiens mutuo, prius accipit, & postea restituit, ita etiam accipiens cambio, prius accipit, & postea restituit; tamen adhuc remanet differentia, quia dilatio temporis ad restituendum in mutuo est de essentia mutui, at in cambio est ex accidenti, vt ex Sot. Boninf. Mich. Sal. & Io. Azor. secutus sum infra num. 13. in 5. differentia, versus finem: Imo ego do aliam manifestam differentiam inter mutuum, & cambium, quia mutuum redditur vsurarium eo, quòd mutuatarius restituit vltra sortem, non autem eo quòd restituat minus: at cambium per litteras sine nundinis redditur illicitum per oppo-

oppositum, nempè eo, quòd nummularius, qui accipit pecuniam, vt illam alio in loco restituat, minus, quàm acceperit, restituit, vt dixi infra q.7.par.1.num.43.

Illud circa prædictam primam differentiam monebo, quòd dum præfati Theologi ad ostendendum, cambiũ non esse mutuum ex parte accipientis cambio, hanc adducunt rationem, quòd is prius accipit, & posteà reddit, non benè discurrunt, quia hæc ratio potest solum concludere, ex parte eius non esse mutuum actiuè, sed non potest concludere, non esse mutuum passiuè: nam & in mutuo is, qui accipit mutuo, non mutuat, sed interuenit passiuè in mutuo, ideoq; vocatur mutuatarius; & qui dat mutuo, interuenit actiuè, ideoq; dicitur mutuator: sed licet in hoc non benè discurrant, tamen remanet differentia, considerata in dilatione temporis.

7 Secunda differentia, quia in mutuo res mutuata reddi debet in eadem specie, nempè vinum pro vino, moneta argentea pro argentea, & aurea pro aurea, l. 99. paulus. ff. de solut. at in cambio reddi debet res alterius speciei, vt pecunia argentea pro aurea, & similia, Card. Caiet. tract. de camb. cap.3.sub num.2.in 2.differ. tom. 6. par. 1. fol.405. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.5. col.1. & 2. vers. corollariè, fol.359. & 360. & Mich. Sal. ad D. Thom.2.2. d. art.2. sub num.2. vers. secundo quo. in 3. differentia, fol.527. &, loquendo de cambio per litteras, quando nummularius pecunias recipit, vt soluat in alio loco, Io. Azor. de instit. moral. par.3. lib. 10. tit. de camb. cap.5. q.1. vers. accedit. & è conuerso quando nummularius dat primum, vt in

8 alio loco recipiat, cap. 6. q.1. in fine: † Imò in tantum est vera hæc differentia inter mutuum, & cambium, vt mutuatarius teneatur restituere non solum in eadem specie, nempe vinum pro vino, vt dixi, sed teneatur restituere vinum in eadem qualitate; quare si mutuo accepit vinum vetus, non debet restituere nouum, Molin. de iust. tom.2. de contract. disput. 299. vers. in definitione. col. 213. & adeo tenetur restituere in eadem specie, seu genere, vt si partes conuenirent, vt redderetur diuersi generis, vel aliud genus, puta pro pecunia vinum, non esset mutuum, sed contractus innominatus, Fabian. d. cap. 5. sub num.55. ibi, secundo. non est. licet iura, quæ allegat, nihil probent: E conuerso cambium debet necessariò fieri inter res, actu, & re vera diuersas, adeò vt quò magis fuerint diuersæ, perfectius inter illas cambij ratio inueniatur, quia cambium est vnius rei cum alia diuersa, ac

9 differenti permutatio: † Verum tamen est, quòd in mutuo non est de ratione mutui, quòd non restituatur idem numero, quod mutuo acceptum est, sed quòd mutuatarius non teneatur restituere idem numero, hoc est de ratione mutui, Molin. d. disput. 299. vers. in definitione. potest igitur in aliquo euentu, seruata vera ratione mutui, eadem res numero, quæ fuerat accepta, restitui, non enim desinet esse verum mutuum, vt cum mutuatarius, re, mutuo accepta, non indiguerit, Mich. Sal. d. art.1. sub num. 4.

10 vers. denique. fol. 524. † licet alias in hoc differat mutuum à commodato, & deposito, quòd in his recipimus eandem speciem, secus in mutuo, l. 2. mutuum. ff si cert. pet. hæcq; secunda differentia benè procedit inter mutuum, & cambium minutum, quia in eo datur semper moneta vnius speciei pro moneta alterius speciei, Io. Azor. d. tit. de camb. cap.4. q. 9. vers. primo quia. & hoc sciunt omnes.

11 Tertia differentia, quia capitale mutui minui non potest, Fab. Genuen. quem secutus sum infra q.7.par.1. num. 94. versus finem, & patet ex his, quæ ex Io. Chrysost. secutus sum ead. q.7. par. 1. sub num.71. secus est in cambio, quia potest euenire, vt dans cambio detrimentum patiatur in sorte, quamuis hoc fit de rarò contingentibus, Card. Caiet. Fab. Genuen. & Rot. diuers. quos secutus sum d q.7. par.1. num.94. versus finem, & num.95. & quòd mutuum hac ratione differat à cambio, quia mutui periculum spectet ad mutuatarium, diminutio verò sortis, daræ ad cambium, spectet ad campsorem, scribit idem Caiet. eod. tract. de camb. cap.3. num.2. in 1. differentia, tom.6. par.1. fol. 405.

12 Quarta differentia, quia mutui periculum spectat ad mutuatarium, cum res mutuata efficiatur sua; sed cambij periculum pertinet ad campsorem; quare si campsor det mihi litteras cambij, soluendas à Titio, & ego eas Titio deferam, isq; decoquat, & fugiat, campsor adhuc remanet mihi debitor, Mich. Sal. d. art.2. sub num. 2. in secunda differentia. vers. secundo quo. & adde quæ scripsi S. seq. glos. 5. num.247.

O 2 Hæc

Hæc differentia, salua Salonis pace, non procedit, quia campsor, qui prius accepit, alibi restituturus, est veluti mutuatarius, vt scripsi supra num. 1. & infra num. 5. versus finem, & consequenter ad campsorem spectat periculum, non quia differat à mutuatario, sed imò quia est veluti mutuatarius.

13 Quinta differentia, quia mutuās sine termini præfixione, potest pecuniam mutuatam ad sui libitum repetere, & mutuatarius statim atque mutuator repetit, tenetur illam restituere; modo tamen non statim repetat, quia si repeteret statim, videretur dolo mutuauisse, vt mutuatarium deciperet, damnumq; illi inferret; quare isto casu iudex debet recto arbitrio statuere infra quantum tempus possit non restituere, & in Castellæ regno de hoc extat lex regia infra quantum tempus repeti non possit, sed si mutuatori superueniret sufficiens causa, quæ cogat statim repetere, vtique poterit statim repetere, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 299. vers. quando solutioni. col. 214. & disp. 315. vers. ratio est. col. 272. & Fabian. infra citatus: secus est in cambijs, quia qui pecuniam cambio dedit, non potest eam repetere ante tempus designatū ad solutionē cambiorum, Fabian. tract. de camb. n. 55. in fine. fol. 416.

Hæc differentia videtur forsan procedere in cambio Lugdunensi, seu nundinali, de quo dixi q. seq. num. 5. & 45. & q. 7. par. 1. sub num. 22. & in pluribus alijs locis; sed in cambio non nundinali, de quo scripsi d. q. seq. sub num. 4. vers. primum. & sub nu. 29. vers. cambium. & seqq. hæc differentia non solum non procedit, sed retorquetur tota in contrarium, quia in mutuo exigitur necessariò distantia temporis; nam cum mutuum fiat eo fine, vt mutuatarius re mutuata vtatur, non debet cogi, vt statim restituat, alioqui non esset mutuum, sed esset quasi permutatio, Lud. Molin. d. disput. 299. vers. in definitione. at de propria natura cambij non est temporis distantia; quare si fieri posset, vt pecuniam, quam dedi Valentiæ, recipiendam Romæ, eodem die, quo illam dedi, reciperem, non desineret esse verum, & reale cambium; interuenit enim tempus trium, quatuor, vel plurium mensium iuxta distantiam loci, in quo facienda est solutio, quia exigitur illud ad transmittendas litteras, quarum virtute fieri debet solutio, & ea dilatio, seu distantia temporis in cambio procedit ex accidenti, vt scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. col. 1. & 2. vers. corollarie. in fine, fol. 360. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10 art. 1. in secunda ratione, col. 2. fol. 609. & q. 12. art. 2. col. 6. in confirmatione, fol. 618. Boninf. tract. de camb. cap. 6. vers. ma chi andrà. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 1. sub num. 4. vers. denique. in 3. differentia, fol. 525. & Io. Azor. de instit. mor. pat. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 1. & cap. 6. q. 1. hæcq; differentiæ retorcutio præsertim, & euidenter procedit inter mutuum, & cambium minutum, in quo nullus requiritur temporis lapsus, prout necessariò requiritur in mutuo, Io. Azor. d. tit. de camb. cap. 4. q. 9. vers. secundo cambium. & hoc sciunt omnes. Imò hæc differentia nec in cambio nundinali procedit, sed retorquetur, quia etiam in eo lapsus temporis interuenit ex accidenti secundum Io. Azor. d. tit. de camb. cap. 9. q. 1. in fine, vers. nec impedit. & ideo qui pretium chirographo suo apud campsorem consignat, soluendum proximis nundinis, dicitur præsenti pecunia soluere, vt ex Sot. retuli S. seq. gl. 5. num. 63. in fine; quamuis cum his non concordent quæ motiuaui infra q. 7. par. 1. sub num. 23. ibi, tertio quia.

14 Sexta differentia, quia in cambio saltem reali, & vero, quod fit ratione loci, & per litteras, necesse est, vt commutetur pecunia vnius loci pro pecunia alterius loci; at in mutuo restitutio fit in eodem loco, vbi fuit acceptum, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 3. sub num. 2. in 2. differentia, tom. 6. par. 1. fol. 405. & Mich. Sal. in loco mox citando, & hoc est regulare, licet possit contingere, quòd ad vtriusque vtilitatē restituatur alibi, vt considerat Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post quæst. 78. de camb. q. 1. art. 1. sub num. 4. vers. denique. in 2. differentia, fol. 524. vel dic tu melius, differentiam inter mutuum, & cambium esse, quia mutuum datur, vt reddatur alio tempore, sed cambium fit, vt reddatur alio loco, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 1. ad primum argumentum. col. 4. fol. 615. & quòd mutui restitutio fieri debeat eodem in loco, patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. num. 423. & infra q. 7. par. 3. limit. 4. sub num. 8.

15 Septima differentia, quia cambium, de quo est sermo noster, versatur solum circa pecuniarum permutationem, vt dixi supra num. 3.

num. 3. at mutuum versatur circa omnia, quæ vsu consumuntur, & numero, pondere, vel mensura consistunt,l. 2. §. mutui datio.ff. si cert.pet.vt puta, in pecunia numerata, vino,oleo, pane,tritico, & id genus alijs,quæ vsu consumuntur,Medin.in suis tract.tom.2. tit.de reb.per vsur.acquis.q.5.col.1.vers.corollarie. & col. 2. fol. 359. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua, sub num.206.post 85.peccat. vers.summa ergo. in fine, & Mich. Sal. d. vers. denique. post tertiam differentiam; hancq; differentiam inter cambium minutum, & mutuum considerat Io. Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit. de camb. cap.4. q. 9. vers. quarto quia. col. 867.

16 Octaua differentia, quia in mutuo transfertur dominiū simpliciter in mutuatarium, vt secutus sum infra q.7.par.1. num.21. sed in cambio non transfertur simpliciter, hoc est, vt sors simplex restituatur, sed cum lucro, & fœnore, aut pretio, Sot. de iust. & iur. lib.6.q.8.art.2.concl.3.in fine, fol.605. & quòd in mutuo nullum possit exigi, aut expectari lucrum vltra sortem, sed teneatur mutuatarius reddere in eodem pondere, mensura, & numero; in cambio autem pecuniarum, de quo agimus, possit amplius exigi, & recipi, scribit Mich.Sal.d.vers.denique. ibi, quibus differentijs. & in cambio minuto Io. Azor. de instit. moral.par.3.lib. 10.tit.de camb.cap.4.q.9. vers. tertio cambium.

Has differentias ego retuli, non quia eas censeam esse veras, & reales, loquendo præsertim in cambio litteratum nundinalium; imò censeo, istas differentias facili negotio subuerti posse, cum sint solum coloratæ ad palliandum mutuum, seu verius vsuram, quæ latere potest in hoc genere contractus; nam, vt vnum verbum tantum dicam de ista octaua differentia, hoc ipsum in ea supponitur, de quo est controuersia, disputant enim omnes, an cambium sit vsura, eo quia in eo tanquam in mutuo nihil possit accipi vltra sortem; sentientes,qui improbant eiusmodi cambium, esse mutuum palliatum sub nomine cambij, per ea, quæ dixi infra q.7.par.1. num.21. & seqq. volui tamen omnes has differentias recensere, vt ex eis certius cambij naturam indagare possimus.

Confirmatur secundo, quia mutuum, & venditio differunt, vt cuique notum est; sed cambium est venditio, vt ostendi infra num. 21.& seqq.in 4. opin. ergo non potest esse mutuum.

17 Secunda opinio est, quòd sit contractus innominatus, do, vt des, Card.Caiet. tract. de camb.cap.3.nu.1.tom.6.par.1. fol.405. Io. de Anan.in cap.vlt. nauiganti.sub num. 47. & ibidem Nauar. sub num.9. vers. vnde primum. & latius sub num.21.vers.hic contractus. & num. 22. de vsur.quem, vti optimè docentem, citat etiam Mich. Sal. ad D. Thom.2.2. post q.78. in disput. de camb.q. 1.art.1.sub num.4. vers. denique. in fine, tom.2. fol.525. & scribit art. 2. sub num.7. vers. ad secundum. fol. 529. licet non sequatur; & Io.Bapt. Cauat.tract.de camb. in prælud.vers.sed est permutatio. fol. 212. & de hac opinione mentionem habes infra in quadam terminorum cambij instructione, quam retuli infra §. 9.sub nu.32.& hāc esse magis communem opin.testatur, & sequitur Bero. conf.194.in præsenti. num. 14. lib.1.

18 Tertia opinio est, quòd sit permutatio pecuniæ pro pecunia, Card. Caiet. d. tract. de camb.cap.4. & 3. vtrobique num.1. fol. 405. Medin.in suis tract. tom.2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.5. col. 1. vers. dicendum ergo. fol.359. Fabian.Genuen. eod.tractat. de camb.num.1.fol.411. Card. Tolet.tract. de instruct.sacerd.lib. 5.cap.50. quid sit cābium, Mich.Sal.d.art.1.sub num.4.vers.denique. Io Bapt. Cauat. eod. tract. in prælu-dijs, vers.ad hoc. & vers.cambium.fol.212. &, loquendo de cambio per litteras, quando nummularius pecunias recipit, vt in alio loco soluat, Io.Azor. de instit. moral. par.3. lib. 10.tit.de camb.cap.1.& cap.5.q.1.vers. accedit. & q.2 vers.verum. &, loquendo de cambio opposito, quando nummularius prius dat, & deinde recipit per litteras,cap. 6.q. 2. & quòd cambium monetæ sit commutatio vnius monetæ pro alia diuersa, sed æqualis valoris, scribit & declarat Romoal. Cosi Lucens. tract de camb.cap.2. & ita ab omnibus esse scriptum, testatur Boninseg. eod.tract. cap. 5. vers. in oltra. hancque tertiam opin. citato eodem Caiet. habes infra in quadam cambij disputatione, quam retuli infra §. 9. sub num. 4. & ab hac tertia opinione non videtur tantum, quantum ab alijs discrepare Sot.de iust.& iur. lib.6.q.8. art. 2. concl. 3. col. 3. fol. 605. dum, nesciens quid sit cambium, vt eum retuli infra sub num. 37. vers. hanc. scribit, cambium

O 3 dici

dici nihilominus negotiationem, quia eſt nummorum permutatio gratia lucri.

19 Confirmatur hæc opinio, quia omnis contractus, in quo hinc inde transfertur dominium rerum, reducitur ad triplicem ſpeciem; vel enim datur pecunia pro pecunia, & eſt permutatio, quæ dicitur cambium; vel datur pecunia pro re, & dicitur emptio; vel datur res pro re, & propriè dicitur permutatio, & vulgo, *baratto*, vt dixi ſup. nu. 2. ſeu datur res pro re, interueniente tamen aliqua pecuniæ quãtitate pro æquiualentia rerum, & tunc, ſi quantitas pecuniæ eſt maior pars valoris rei, dicitur emptio, aliàs dicitur permutatio, ſeu barattum, quia contractus conſiſtit in eo, in quo præualet, vt latius declarat Fab. de Mone. tract. de empt. & vendit. q. 2. princip. num. 23. & ſub num. 30. tom. 6 par. 1. fol 40. & 41.

20 In hac tertia opinione ſuboritur difficultas, an in hoc cambio præter permutationem ſit admixtus contractus locationis, cum nummularius, ideſt, campſor locet operam ſuam ad portandam, transferendamvè pecuniam ad alium locum; quam difficultatem adducit, ſed non firmiter reſoluit Ioan. Azor. d. cap. 5. q. 2. ſed ego dicerem, vnicum eſſe contractum, nempè, permutationis.

21 Quarta opinio eſt, quòd ſit contractus emptionis, & venditionis, Io. de Anan. in cap. vlt nauiganti. ſub num. 46. & 47. de vſur. Boninſeg. tract. de camb. cap. 6. verſ. ne anco. & verſ. preſuppoſto. Fab. eod. tract. par. 2. cap. 5. num. 56. fol. 416. dicens, cambium eſſe contractum emptionis ex parte campſoris, & venditionis ex parte accipientis cambio, & ſic pecunia eius, qui dat cambio, eſt pretium; & pecunia, conſignanda poſtea in Ciuitate Placentiæ, ſeu Romæ ab eo, qui cambio accepit, eſt res empta, & vendita, & ita concludit ead par. 2. cap. 7. num. 62. & quòd cambium differat à venditione ſola materia, quia non verſatur, niſi circa pecunias, ſcribit par. 1. num. 1. in fine, fol. 411. & quòd contractus cambij habeat eaſdem differentias, & qualitates, quas habet contractus emptionis, & venditionis, ſcribit Io. Nid. tract. de contract. mercat. cap. 1. ſub nu. 4. tom. 6. par. 1. fol. 288. qui enim dat ad cambium, emit pecuniam abſentem currenti pretio fori, & ille, qui accipit ad cambium, vendit pecuniam abſentem pro præſenti, iuxta fori æſtimationem, Cardin. Caiet. tract. de camb. cap. 7. ſub num. 2. 3. & 4. tom. 6. par. 1. fol. 407. & quòd cambium ex ſui euidenti forma ſit venditio tot ſcutorum de marche, ſoluendorum cum dilatione temporis in foro, ſeu alio loco, diſtanti à loco, in quo celebratur contractus, ſoluto pretio anticipatè in eodẽ loco celebrati cõtractus, cum quiuis contractus, in quo fiat mentio pretij, & non habeat conditiones, repugnantes venditioni, reputetur contractus venditionis, habes in quadam breui terminorum, & naturæ cambij inſtructione, à me relata infra §. 9. ſub num. 32. & quòd aliqui cambium reducant ad emptionem pecuniæ abſentis, habes ex quadam cambij diſputatione, à me relata eod. §. 9. ſub nu. 4. & quòd cambium ſit contractus emptionis & venditionis, patet, quia in litteris cambij dicitur, *per la valuta di eſſi*, hoc eſt, pro pretio ipſorum, & vbicunque ſit mentio de pretio, in dubio intelligitur celebratus contractus venditionis, etiam ſi actum eſſet, quòd daretur res, ſeu ſpecies ex altera parte, ſcribit Bero. conſ. 194. in præſenti. nu. 10. in fine, & num. 11. lib. 1. licet ipſe loquatur inconſtanter, ſentiens, eſſe contractum innominatum, vt eum retuli ſupra num. 17.

22 Comprobatur hæc opinio, quia pecunia poteſt emi, quod ſeptem ſequentibus oſtendo argumentis.

Primo, quia pecunia poteſt locari pro certo pretio, vt puta, alicui campſori ad pompam in bancho, Abb. in rubr. num. 3. ibi, & ex his infertur. de vſur. Laur. de Rodulph. in cap. conſuluit. par. 1. q 32. num. 14. in fine, de vſur. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 23. Sot. de iuſt. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. verſ. tunc enim. Fabian. Genuenſ. tract. de camb. par. 2. cap. 5. num. 59. in fine, ibi, quarto ſic. tom. 6. par. 1. fol. 416. & quòd pecuniæ argenteæ ſecundarius vſus (vt puta ſi quis concederet pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignoris) poſſit locari, cum nec transferatur dominium, nec de natura locationis ſit, quòd contractus debeat eſſe gratuitus, ideoque in eo non cadat vſura, ſcribit B. Io. à Capiſtr. tract. de vſur. in 1. par. 2. par. princ. num. 72. in fine, tom. 7. fol. 103. licet loco verbi, *locare*, ſit ibi per errorem ſcriptum, *vendere*. & quòd ſi locaui pecuniam, vt retineres ad pompam, & ex hoc aliquid recepi, non ſit vſura, quia pro pecunia conceſſa, non tranſlato pecuniæ dominio, poteſt recipi aliqua

qua compensatio, scribit Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 33. tom 7. fol. 67. & quòd pecunia in secundario vsu sit res quædam per se, quæ instar aliarum rerum possit locari, vendi, permutari, & commodari, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 1. q. 2. & cap. 3. in fine principij, & quòd pecunia emi, & vendi possit, scribit simpliciter, adducendo casus, cap. 4. q. 9 in

23 fine, verſ. præterea cambium. † Sed quod potest certo pretio locari, potest de sui natura etiam emi, & vendi, Fabian. in loco supra proximè citato; Ergo pecunia potest emi & vendi: Aduerte, quòd maior propositio huius argumenti non videtur tuta, quia pecuniam non posse locari, tenent Archid. in cap. 1. si fœneraueris. num. 5. 14. q. 3. Anchar. in cap. 5. peccati. sub num. 8. verſ. sed hic quæro. de reg. iur. in 6. & B. Io. à Capistr. tract. de vsur. in 2. par. 2. par. num. 83. tom. 7. fol. 108.

24 Verum dato, quòd hæc maior propositio non esset vera, tamen posset esse vera conclusio, quia conuersa consequentia (pecunia non potest locari, ergo neque potest emi) non tenet: nam periculum, seu casus sinister pecuniæ vehendæ, item nauis, mercium, vitæ hominis, & similium potest emi, & vendi per viam contractus assecurationis, in quo assecurans vendit periculum rei assecuratæ, & assecuratus emit, ideoque soluit assecuranti certum pretium, vt secutus sum infra q. 7. par. 3 limit. 6. num. 5.

Et tamen hoc periculum non est locabile; vnde possunt hæc duo simul stare; quòd pecunia non sit locabilis, & sit emibilis.

25 Secundo, quia pecuniæ æstimatio crescit, & decrescit, cap. 20. olim causam. & cap. 26. cum canonicis. de censib. sed ea, quorum pretium crescit, & decrescit, sunt vendibilia, vt experientia patet. Ergo, &c. Fabian. d. cap. 5. sub num. 60. verſ. quinto sic.

26 Tertio, (& tendit ad idem) quia vna pecunia propter cursum valet plus vno loco, quàm alio, licet sit eiusdē ponderis, & mensuræ, Laur. de Rodulph. in d. cap. consuluit. par. 1. q. 26. sub num. 8. & par. 2. sub num. 5. verſ. ad secundum. de vsur. tom. 7. fol. 22. & 37. Ioan. de Anan. in d. cap. vlt. nauiganti. num. 47. verſ. constat ergo. & Io. Bapt. Lup. §. 2. sub num. 34. de vsur. inter tract. diuerſ. d. tom. 7. fol. 140. cuius verba retuli infra q. 7. par. 1. num. 48. quare florenus aureus, vel ducatus Venetus propter suum cursum valet plus, quàm aureus Bononiensis, vel ducatus Romanus: item propter auri bonitatem plus valet Florentinus, quàm Ianuensis: item ratione ponderis plus valet florenus nouus, quàm florenus sigilli, vel bullæ: item ratione temporis plus, vel minus valet florenus, vel ducatus, sicut plus, vel minus aliquando valet aurum, Laur. de Rodulph. in loco, supra proximè citato, &, paucis mutatis, Ioan. de Anan. d. cap. nauiganti. sub

27 num. 52. † Et quòd cursus monetæ sit variabilis, scribit Io. à Capist. tract. de vsur. par. 2. secundæ par. num. 146. tom. 7. fol. 111. & quòd in nonnullis locis, & Ciuitatibus Italiæ, & Flandriæ valor pecuniæ non sit certus & determinatus, sed sit varius, prout aliarum rerum venalium pretium variari solet, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquiſ. q. 7. col. antepenul. verſ. hæc dixerim. fol. 368. & nos Romæ, & alijs in locis sæpè videmus, variari valorem scuti aurei, & Genuæ valorem scuti argentei, & fieri nouas cridas circa monetarum valorem; & demum licet Romanorum tempore moneta esset vniformis, & immutabilis, cum Romani, ferè totius Orbis Domini, vnica vterentur specie monetæ, iusto pondere, proba materia, & sua forma, tamen hodie monetæ vbique, & præsertim in Italia diuersimodè extimantur, prout cuiusque Principis moneta, siue argentea, siue aurea expenditur, Thes. Iun. tract. de augum. mon. par. 1.

28 nu. 21. † & hic pecuniæ valor, prout est pretium, & mensura rerum, vocatur valor legalis, estq; inuariabilis, donec eum non variat lex, seu Princeps: sed, considerata ipsius monetæ qualitate, & non considerato illo legali valore, vna moneta potest esse maioris, vel minoris valoris, quàm alia, etiā si earum valor legalis sit idem; vt puta, plus valent centum ducati in auro, quàm in argento, seu metallo inferiori, id patet comparando aurum ad argentum; nam aurum valet ad deaurandum, valet ad certo modo medendum, valet quia diuturnius est, & incorruptibilius, valet quia moneta aurea facilius potest de loco in locum portari, quàm argentea, aut ærea, quia minus ponderosa, valet etiam quia melius conseruatur domi aurea, quàm aliæ monetæ, valet etiam quia vniuersalius est distrahibilis, quia in pluribus regnis, & locis currit, valet etiam quia non ita facilè valor legalis bonæ pecuniæ variatur, sicut valor aliarum pecuniarum infe-

inferiorum, vt latius explicat Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 7. initio, & quòd vna moneta possit esse maioris, vel minoris valoris, quàm alia, ex octo causis; prima quarum est ex eo, quòd non est eiusdem metalli; secunda ex inæquali metalli bonitate; tertia ex inæquali figura, & pondere; quarta ex diuersitate loci, in quo est; quinta ex reprobatione, aut ex dubio reprobationis, ex incremento, aut diminutione alterius; sexta ex temporis diuersitate; septima ex inopia, & eiusdem necessitate; octaua ex vnius absentia, & alterius præsentia, scribit Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 294. & in cons. 31. reuerendiss. vers. tertium notabile. in fine, lib. 5. de vsur. & in cap. nauiganti. vers. decimonono. sub nu. 43. vers. sequitur quinto. de vsur. quas octo causas ex eo refert, & sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 3. q. 2. nam octauam enumerat in septima, ibi, ad extremum. earumq; præcipuas esse quatuor scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 1. vers. in ingressu. not. 2. col. 2. & 3. fol. 613. & 614. primam enumerans causam ratione puritatis materiæ, seu metalli, vt puta, si sit argentum Anglicum, quod esse pretiosissimum, scribit Sot. vbi sup. secundam, ratione maioris inopiæ auri, vel argenti; nam pecunia, quæ in metallo cuditur, duplici ratione habetur in pretio: prima propter metallum ipsum: secunda propter sigillum publicum impressum, quod stat, vti testimonium valoris illius pecuniæ, sed tamen valor metalli semper remanet, & illo sigillo non mutatur: & consequenter si aliqua prouincia plus auro, quàm argento abundaret, aurum illic minori æstimaretur pretio, quàm in alia prouincia, quæ abundaret magis argento, quàm auro, Sot. d. lib. 6. q. 9. art. vnico, col. 1. vers. ad intelligentiam. fol. 607. tertiam, quia Princeps augeat valorem monetæ; quartam ex alijs accidentibus, vt ex copia, vel inopia pecuniæ, mercium, ex qualitate numismatum, vt, si sint abrasa, vel propter bella; adde quæ scripsi infra q. 7. par. 1. num. 48. & seqq. & §. seq. gl. 3. nu. 72. & gl. 5. sub num. 117. Si recipit varias æstimationes, ergo est emibilis; & quòd aliquando Romæ, & alibi aurum vendatur maiori, & minori pretio, prout penuria, vel abundantia pecuniarum currit in die Veneris, vel in die cambiorum, & ideo cadat in pecunijs æstimatio quanti plurimi, prout cadere solet in grano, vino, oleo, & similibus, consistentibus numero, pondere, & mensura, quæ quolibet mercato maiori, & minori pretio emi solent, scribit Virg. de Boccat. tract. de interd. vti possid. cap. 18. num. 81. vers. nec debentur. tom. 3. par. 2. fol. 314.

29 Quarto, quia pecunia continetur appellatione mercis, vt ex Bal. sequitur Stracch. tract. de mercat. par. 1. num. 75. tom. 6. par. 1. fol. 288. Nauar. in cap. nauiganti. infra citatus: sed merx potest emi, & vendi, vt

30 quotidie emitur, & venditur. † Ergo pecunia etiam, tanquam merx, contractari potest, Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. tertium notabile. lib. 5. de vsur. & in cap. nauiganti. vers. vigesimo dicimus. num. 51. de vsur.

31 Quinto, quia quicquid est commutabile, est etiam vendibile, præsertim in Regno Hispaniarum ex lege partitarum, lib. 2. tit. 6. par. 5. vt refert Nauar. in cap. nauiganti. num. 32. in fine, vers. quamquam. de vsur. & ideo triticum, quod potest commutari cum vino, calceus cum veste, & similia, possunt emi; sed pecunia est commutabilis cum pecunia, vt dixi supra num. 18. & latius explicaui num. 1. & 2. Ergo est vendibilis.

32 Sexto, quia illud est vendibile, quod pecunia est æstimabile; fuit enim pecuniæ vsus inuentus pro pretio, & mensura rerum comparandarum, vt secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 13. in 3. argum. sed vna pecunia, seu moneta æstimatur alia, vt puta, grossa per minutam, & è conuerso, Ant. de Butr. in cap. 18. quanto. sub num. 12. circa medium, ibi, nam bononenus valet. quem ibidem sequitur Abb. num. 12. versus finem, ibi, hæc ratio. de iureiur. & Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. num. 15. & Gasp. Ant. Thes. tract. de augm. mon. par. 1. num. 18. & quòd moneta grossa possit æstimari per minutam, scribunt Bar. In l. 99. paulus. num. 8 & Castren. sub num. 4. in 3 q. ff. de solut. Ergo moneta potest emi, & vendi.

33 Septimo, quia merx vendibilis habet duplicem bonitatem; intrinsecam scilicet, & extrinsecam, & ab ista duplici bonitate sumitur iustitia pretij, quo merx illa vendi debet, vt sciunt omnes; sed ista duplex bonitas reperitur etiam in pecunia, vt dixi §. seq. gl. 5. num. 177. & seqq. & præsertim nu. 181. Ergo etiam pecunia, sicut alia merx est vendibilis.

Firmata hac conclusione, quòd pecunia possit

possit emi, & vendi, sequitur hæc alia conclusio, quòd contractus cambij, in quo emitur, & venditur pecunia, sit contractus emptionis, & venditionis.

34 Contrarium; quòd enim non sit contractus venditionis, eo quia pecunia sit inuendibilis, scribit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. 1. par. q. 32. num. 14. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. & quòd pecunia vendi, & emi non possit, deducit argumentando in alia q. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1 tit. de camb. cap. 3. q. 1. & non esse contractu venditionis, scribūt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. col. 1. vers. corollarie. fol. 359. & q. 8. vers. illud tamen. col. penult. fol. 372. Sot. tract. de iustit. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. in 3. concl. fol. 605. Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 9. vers. vnde primum, & sub num. 21. vers. hic contractus. de vsur. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 1. num. 4. vers. ex his. tom. 2. fol. 524. & art. 2. sub num. 9. vers. denique. fol. 530. & ita, reprehendendo Fabian. supra citatum, & Bernardut. tenet Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. sed est permutatio. in fine, fol. 212. & cambium minutum non esse contractum venditionis, scribit Io. Azor. d. tit. de camb. cap. 4. q. 9. in fine, vers. præterea. & cambium per litteras, in quo nummularius prius dat, & postea recipit, non esse contractum venditionis, scribit cap. 6. q. 2.

Confirmatur hæc opinio, quia quando hinc inde præstatur pecunia, ibi non videtur posse esse venditio, quia quę earum sit merx, seu res vendita, & quæ ipsarum sit pretium, discerni non potest, cum par aptitudo sit in vtraque pecunia, nec ex partium voluntate immutari possunt, Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 43. vers. tertio probatur. tom. 7. fol. 68. sed in cambio datur numisma, & accipitur numisma: ergo.

35 Non discedo à præcedenti quarta opinione, quia licet, attento subiecto, pecunia sit inuendibilis, vt scribit Laur. de Rodulph. supra citatus, tamen hoc fallit propter cursum monetæ, & propter excessum in valore; propter cursum, vt in ducato Veneto, qui propter solum cursum valet plus quàm Romanus: Item propter auri bonitatem plus valet florenus Florentinus, quàm Ianuensis, vt ex Laur. de Rodulph. & Io. de Anan. retuli supra num. 26. Nec multi faciendum videtur dictum Laurentij de Rodulph. cum is in eod. cap. consuluit. par. 2. num. 3. in fine, num. 4. & sub num. 5. fol. 37. titubando, adhæreat, quòd in effectu sit emptio.

36 Quinta opinio sit, quòd quælibet opinio ex prædictis sit probabilis, quia multi, agendo de cambijs, promiscuè loquuntur de commutatione, seu permutatione, & venditione, Bal. cons. 348. factæ sunt. num. 6. vers. sed quis contractus. lib. 1. Io. à Capistr. tract. de vsur. in 2. par. 2. par. num. 146. tom. 7. fol. 111. Fabian. tract. de camb. par. 1. sub num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 411. & apertè Leonar. Less. tract. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. nu. 4. vers. respondeo. & quòd contractus cambij nundinalis sit aut permutatio pecuniæ præsentis, quam nummularius dat cum pecunia absenti, soluenda in loco, destinato nundinis; aut sit vera emptio, quia nummularius dat pecuniam, tanquam pretium, quo emit pecuniam, sibi tradendam in loco, in quo nundinæ celebrantur; aut sit contractus innominatus, quo nummularius dat pecuniam in vno loco, vt sibi in alio pecunia alia reddatur, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 1. vers. ad argumentum. & quòd nihil referat quis sit iste contractus, & solum sit inquirendum, an in eo adsit iustitia commutatiua, & æqualitas, quæ requiritur tàm in contractu nominato, quàm in contractu innominato, considerat Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub num. 294. & in cap. nauiganti. sub num. 41. vers. decimonono. & sub num. 42. vers. sequitur. de vsur. & habes etiam in quadam cambij disputatione, & terminorum cambij instructione, quas retuli infra §. 9. num. 4. & 32. in fine.

37 Hæc opinio & si vera sit in eo, quod dicit, in quolibet contractu inspici oportere, an adsit iustitia contractus, tamen non satisfacit, quia ad hoc inspiciendum, oportet præcognoscere speciem, & qualitatem contractus; quare cum resolutio articuli, an contractus cambij sit licitus, magna ex parte pendeat à resolutione, quis sit cambij contractus; omnino eligenda est vna ex prædictis opinionibus.

Hanc electionem etsi difficilem existiment Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. concl. 3. col. 3. fol. 605. vbi confusus, ac perplexus dicit, quòd nescit, an cambium sit propria species negotiationis, cum non sit, inquit, emptio, neque locatio, aut commodatio, neque mutuatio, & à reliquis contractibus

tractibus distet; & ante eum Conrad. de contract. q. 99. in 2. concl. vbi nititur ostendere, cambium esse contractum distinctum ab alijs, ideoque non esse mutuationem; neque emptionem, & venditionem.

Tamen ego eligẽdam esse existimo quartam opinionem, quòd cambium sit emptio, & venditio, vt dixi supra num. 21. & seqq. tum quia efficaciter probatur, tum quia videtur magis communis.

Quicquid scripserit Bero. citatus supra num. 17. in fine, dicens, illam secundam opinionem esse magis communem; hi enim, quos allegat, non probant. Et hæc de cambio.

38 Recambium est secundum, seu nouum cambium, procedens ab antecedenti cambio, pro alia summa, pro alio tempore, & pro alio loco, & hoc recambium, inspecto interesse, quod ab ipso procedit, cõsideratur triplici modo, & semper in eo venit interesse alterius interesse super eodem debitore.

39 Primus modus est, quando debitor cambij non soluit debitum, ideoq; creditor, in vim etiam pacti, appositi in contractu cambij, pecunias, sibi debitas, accipit ad cambium ab alio, & iste alius postea ab alio; dō exemplũ: ego sum tui creditor in scut. 100. ex litteris cambij, & quia tu eos mihi non soluis, ego totidem 100. accipio cambio à Titio pro proximis futuris nundinis, & facio litteras cambij, quibus mando tibi, vt eos soluas eidem Titio; tu eos non soluis, vnde Titius eosdem scut. 100. & vltra pro lucro cambij accipit cambio à Petro, & facit litteras, quibus mandat mihi, vt eos soluam Petro, & quia ego non soluo, Petrus accipit cambio à Seio, & facit litteras, quibus mandat Titio, qui est suus debitor, vt soluat Seio, & quia Titius non soluit, Seius accipit cambio à Sempronio, & facit litteras cambij, quibus mandat Petro, qui est suus debitor, vt soluat Seio, & quia nec Petrus soluit, causantur per viam vlteriorum cambiorum noua interusuria, donec sequatur solutio vltimi cambij, quod comprehendit etiam interesse omnium cambiorum præcedentium, & ad hanc solutionem, quam fecisset, qui vltimo accepit cambio, tu maneres obligatus, quia omnia interusuria sunt causata ex tua non solutione, ad quam tenebaris, & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur: sed quia hoc exemplum videtur habere duritiem, & ideo discordat à praxi, pono, retento eodem debiti casu, exemplum facilius, breuius, & praxi congruum: ego sum creditor tui in scut. 100. ex causa cambij, vt dixi, & cum facultate, vt, te non soluente, possim eandem summam accipere ad cambium, & recambium, eamvè trahere in te ipsum, donec mihi sit satisfactum; & quia tu non soluis, ego accipio eandem summam cambio à Titio, & facio litteras cambij, quibus mando tibi, vt eam summam soluas ipsi Titio; & quia tu non soluis, litteræ cambij redeunt cum protestatione, quas vt soluam, accipio cambio eandem partitam, vna cum interesse cambij; & similiter scribo tibi, vt soluas, & quia tu non soluis, & litteræ redeunt cum protestatione, ego contraho nouum debitum cambij, vt soluam præcedens, & sic deinceps: hæc dicuntur recambia, quia in eis lucrum, seu interesse cambij semper conuertitur in capitale, augendo creditum contra eundem debitorem.

40 Secundus modus est, vt cum debitor litterarum cambij non soluat, continuet recambiare, & cambiare cum eodem creditore vsque ad integram satisfactionem, quam continuationem mercatores vocant, cambium, *con la ricorsa*, de quo scripsi q. seq. nu. 83. & 84. vers. cambium. & infra §. 6. glos. 1. n. 2. & seqq. huiusq; recambij exemplũ, quod ponit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 8. est: tu das Principi pecunias in Hispania, soluturo eas in Belgio; sed, missis litteris Principis in Belgiũ pro solutione, litteræ non soluuntur, & ideo ex Belgio remittũtur inanes in Hispaniam, vbi propterea Princeps tenetur eas soluere cum lucro cambij, & recambij, in quo includitur lucrum lucri; quòd si Princeps adhuc non soluat in Hispania, facient nouum cambium tàm sortis, quàm lucrorum, & sic deinceps reiterabuntur cambia, & recambia, donec Princeps integrum soluerit debitum.

41 Tertius modus, his duobus facilior, & breuior est, vt sine formali cambiorum, & recambiorum continuatione creditor; qui tamen sit solitus negotiari, & tenere suas pecunias in cambijs, & recambijs, constituat debitorem in mora, eoque in mora constituto, doceat, extitisse semper certas, & in promptu occasiones dandi, & accipiendi ad cambium, vt est Genuensium praxis, de qua scripsi inf. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 244. & seqq.

Nota

42 Nota ex his tribus modis, recambium dici illud, quod fit semper super eodem debitore, conuertendo intereſſe in ſortem; & non illud, quod ex pecunijs, verè ſolutis à debitore, fit cum alia perſona, ſoluendum in loco, vbi fuerat contractum cambium, & vocatur de reditu nundinarum, vel in nundinis proximè futuris, & dicitur nouum cambium pro nundinis.

Poſſet etiam probabiliter dubitari, quòd recambium dicatur illud, quod habet in ſe negotiationem cambij, nempè, cum quis nulla alia occaſione, quàm negotiandi pecunias dat ad cambium pro nundinis, & eaſdem pecunias ex nundinis pro alio loco, & rurſus ex illo loco pro nundinis, & ſic deinceps, faciendo cambia, & recambia; quia etſi verè, & realiter fiant hæc cambia, & recambia, & cum diuerſis perſonis; tamen cum illa fiant ſine intuitu, & ſine neceſſitate alterius mercaturæ, ſiue negotiationis, & qui ea facit, non ſit cāpſor, ſeu mercator, qui habeat ad id publicum munus, ſed ea faciat, vti priuatus; vtique ſunt magis ſuſpecta, & magis odioſa: & horum cambiorum, & recambiorum caſum habes q. ſeq. num. 51. & 52.

§. 1. Quæstio 5.

ARGVMENTVM.

Cambiorum genera, & modi quot, & quæ ſint: An ſcriptura, & litteræ ſint de ſubſtantia cambij: Quot modis concipiatur ſcriptura in contractu cambij: Quæ ſint formulæ litterarum cambij.

SVMMARIVM.

Diuiſio cambiorum eſt multiplex, num. 1. Quæ ſit noſtra diuiſio, num. 2. & ſeqq. & num. 7. & ſeqq. & num. 53.

Nundinale cambium fit ex loco ad nundinas, & è conuerſo, & ex nundinis ad nundinas, num. 6.

Cambium per litteras quod ſit, num. 10.

Litteræ in contractu cambij non ſunt de ſubſtantia cambij, ſub eod. num. 10. & num. 13.

Scriptura in contractu cambij poteſt varijs modis concipi, ſub num. 11. & ſeqq. vſque ad num. 18. incluſiuè.

Inſtrumenti formula pro contractu cambij, num. 12. & 14.

Apodiſſæ priuatæ formula pro contractu cambij, num. 15. & ſeqq.

Cambium minutum quod ſit, num. 19. & 28. Qui de eo ſcripſerint, num. 21. Fuit ipſum ſolum in vſu apud antiquos, & habuit originem ab initio, quo fuit inuenta moneta, num. 22. Dicitur ſine litteris, & reale, & quare vocetur minutum, num. 23. Eſt valde vtile Reip. num. 31. Interueniunt in eo perſonæ verè, & realiter, num. 32. Et in quibus conueniat cum cambio per litteras non nundinali, ſub nu. 29. & ſeqq. Et in quibus differat, nu. 33. & ſeqq.

Minuti cambij exempla, num. 25. & ſeqq.

Numerare in cambio minuto quis prius debeat, num. 20.

Baneberotti qui dicantur, num. 24.

Cambium non nundinale per litteras, & cambium minutum conueniunt in multis, ſub nu. 29. & ſeqq. Vtrumque eſt verum, reale, iuſtum, & licitum, num. 30. Eſtq; Reip. neceſſarium, & vtile, num. 31. Et in eo interueniunt perſonæ realiter, num. 32. Differunt in aliquibus, num. 33. & ſeqq. In cambio per litteras non nundinali plures interueniunt perſonæ, num. 35. Huius cambij exempla, nu. 36. & ſeqq.

Litterarum cambij non nundinalis formula, num. 40. & ſeqq. & 44.

Dilatio ad ſoluendum poteſt dari etiam in cambio per litteras non nundinali, num. 43.

Cambium nundinale, & cambium non nundinale in quot, & quibus conueniant, num. 45. Et in quo differant, num. 46. Cambij nundinalis caſus, num. 47. & ſeqq. Quando hoc cambium dicatur fieri ſuimet gratia, ideoque ſit negotiatio, num. 52. Quod dicatur, al conto, *num. 53. Eius praxis, num. 54. & ſeqq. Cambium* al prezzo corrente, *num. 70.*

Cambium nundinale liberum quod ſit, num. 71. Et eius littera, num. 72. & 73. Et quare multiplicentur, num. 74. Et quot perſonæ interueniant in hoc cambio, num. 75. Si litteræ ſint ſoluendæ, non adiecto in litteris, requiritur mandatum ſpeciale, num. 76.

Littera cambij nundinarij liberi, num. 72. Littera de auuiſo, *nu. 77. & 78. Littera reſponſiua ad debitorem, num. 79.*

Cam-

Cambium nundinarium pro reditu ex foro Placentia, & eius littera, num. 80. *Et littera* d'auiso *ad creditorem, num.*81.

*Liber creditoris, & liber debitoris quo ordine contineat cambiorum negotiationem, & scripturam, num.*82.*&* 92.

Cambinm, con ricapitar le lettere sopra il datore, *cambium* con le contationi, *& cambium* con la ricorsa, *quæ dicantur, num.* 83, *& seqq. Vnde cambium cum recursa nomen sumpserit, num.* 85. *Et quomodo sit infrequenti vsu, sub num.*86. *Et eius negotiatio per extensum, num.* 98.

*Litterarum cambij cum recursa formula duplex, num.*86.*&* 87. *Prima formula litterarum directarum ipsimet creditori, num.* 88. *Littera* d'auiso *ad creditorem, num.* 89. *Responsiua ad debitorem, nnm.* 90. *Litterarum recambij formula ex foro Placentia directarum debitori, num.* 91. *Formula alterius recambij ex Ciuitate Genuæ, num.* 93. *Secunda formula litterarum cambij cum recursa directarum ipsimet debitori, num.* 94. *Littera* d'auiso, *num.*95. *Et responsiuæ, num.* 96. *Et littera recambij, num.*97.

Cambium licitum, & iustum quod dicatur, num. 99. *&* 100.

*Cambium illicitum, siccum, & iniustum quod dicatur, num.*101.

*Scutus aureus Genuæ, qui in ratione cambiorum semper valet sol.*68.*est scutus fictus, num.*55.

Scutus de marche habet pretium incertum in ratione cambiorum, num. 56. *Genuæ calculatur pro sol.* 20. *aureis, num.* 57. *Nil refert an eius valor sit mobilis, vel immobilis, n.*68.

*Scutus de marche denuo appretiatur in foro nundinarum pro Ciuitatibus, & locis, num.*58.

*Scutus de marche quanti valeat in Gallia, n.*59.

*Marcha quanti valeat Lugduni, nu.*60. *&* 68.

*Romæ non fit cambium ad rationem solidorum, num.*61.

*Neapoli quomodo fiat cambium, num.*62.

Venetiarum, num. 63. *Et alijs quibusdam in locis, sub num.*64.

*Aurei Lugdunenses sunt maioris valoris, &c. num.*64.

*Pretium in contractu emptionis, & venditionis quandoque suspenditur ad certum futurum tempus, quandoque vero ponitur tunc determinatum, num.*65.*&* 66.

*Lucrum negotiationis est incertum donec pecunia redeat ad capsam, num.*67.*&* 68.

*Campsor dum emit scut. de marche soluit anticipate, quando reuendit recipit posticipate, nu.*69.

1 CAMBIVM pecuniæ cum pecunia, de quo est sermo noster, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. num. 1. 4. & 6. tom. 6. par. 1. fol. 405. diuidit in tria genera: quodam enim dicit esse cambium, cuius iustitia est aperta, & hoc exemplificat: quodam verò dicit habere iniustitiam similiter apertam, & hoc etiam exemplificat: & quodam dicit esse medium, quod an sit iustum, vel iniustum, in dubium inter Doct. vertitur: de primo genere agit num. 1. 2. & 3. de secundo. num. 4. & 5. & de tertio, nu. 6. & 7. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. col. 2. vers. pro quo aduertẽdum. fol. 360. diuidit in duplex genus: quodam dicit esse purum, quodam verò impurum, seu mixtum: purum vocat in effectu, quod nos vocamus minutum, prout apertè explicat postea q. 9. initio, fol. 373. col. 1. cum scilicet sit simplex permutatio pecuniæ pro alia pecunia dissimili, statim tradenda: impurum verò, seu mixtum vocat, quando interuenit diuersitas loci, aut temporis, ex qua diuersitate oritur mixtura contractus; nempe mutui taciti, prout idem contractus mutui taciti interuenit, inquit, in contractu emptionis, & venditionis ad terminum; hoc autem tacitum mutuum quandoque, inquit, interuenit in cambio ex parte campsoris; cum scilicet campsor prius sua numismata tradit, solutionem postea recepturus: quandoque verò interuenit ex parte campsuarij, quãdo scilicet campsor prius pecuniam à campsuario recipit, solutionem alio in loco, seu tempore facturus; & postea in fine dicti vers. pro quo aduertendum. hoc duplex genus reducit in triplex: primum considerat solum ratione diuersorum numismatum, quod est cambium minutum: secundũ cõsiderat ratione diuersitatis loci, & tertiũ ratione diuersitatis tẽporis. & postea vers. quibus præmissis, concludit, tam cambium purum, quàm impurum, seu mixtum secundum se esse licita; & deinde eandem distinctionem, seu considerationem, an campsor prius det, & postea recipiat, vel prius recipiat, & postea det, facit in q. 9. col. 2. vers. dicitur aliud. & de hoc cambio puro, & impuro, dicendo eadem, loquitur d. q. 9. initio, & vers. dicitur. Sot. de iust. & iur.

iur. lib. 6. q. 8. art. 2 concl. 4 & 5. fol. 605. & 606. diuidit prius in duas species: quodam dicit esse æquum; quodam verò iniquum, seu (quod idem est) quodam reale, quodam verò siccum; æquum, seu reale explicat esse illud, quod est legitimum, habens iustam commutationis rationem: siccum verò explicat esse illud, quod est merum, ac nudum, fœnebreq; mutuum: postea in 5. concl. nulla facta Caietani mentione, omnia cambia reducit ad illa tria genera, quæ nos supra ex ipso Caietano retulimus: demum, nulla facta etiam Medinæ mentione, cambium distinguit in illa duo genera, nempè in purum, & in impurum, seu mixtum, vt ex Medin. retuli sup. explicans apertè, purum esse illud, quod dicimus minutum: Aliter diuidunt Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 10. vers. cambium. de vsur. & in man. confess. cap. 17. in expositione eiusdem cap. nauiganti. sub num. 286. Io. Bapt. Lup. in eod. cap. nauiganti. § 2. sub num. 11. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. Leonar. Less. tract. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. num. 5. & 6. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 2. art. vnico, sub num. 1. vers. angelus. tom. 2. fol. 532. Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 2. col. 861. & cap. 5. q. 2. & Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. cap. 3. quorum diuisiones non aliter recenseo, sed omitto, tum quia tot diuisiones sunt magis confusionis, quàm vtilitatis, vt dicit Io. Bapt. Lup. in loco supra proximè citato, seu modicam continent vtilitatem, & magnam confusionem, vt existimat Nauar. in loco supra proximè citato; tùm quia diuisionis natura hæc videtur esse, vt quilibet diuidat, prout considerat diuidendum: tu

2 tamen, si vis, poteris eas videre: † Ego duo in præsentiarum constituo genera cambiorum, quia omnis bona diuisio debet esse bimembris.

Primum genus cambij est de pecunia præsenti cum pecunia præsenti, quod ideo solet fieri in vno, eodemq; loco; & regulariter fit pro non magna summa, & ideo vocant cambium minutum, seu manuale, vt dixi infra num. 23.

3 Secundum genus est cambium, quod fit de pecunia præsenti cum pecunia absenti, ideoq; cum fiat de loco ad locum, fit per litteras, & hinc vocatur cambium per litteras, vt latius explicaui infra num. 10.

4 Rursus hoc cambium per litteras, considerato loco, pro quo, & ex quo fit, est duplex.

Primum est cambium simplex, sine nundinis, quod propterea vocabimus non nundinale, quia non fit ex loco ad nundinas, nec ex nundinis ad locum, sed fit ex vno loco pro alio loco, puta, fit in Ciuitate Lucæ pro Mediolano, seu pro Roma, vt notat etiam Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. cap. 7. in fine, & de hoc cambio locutus sum infra num. 29. & seqq.

5 Secundum est cambium, quod fit pro nundinis, seu ex nundinis, quia eius solutio destinatur vel ex loco ad nundinas, vel ex nundinis ad locum, vel ex nundinis ad nundinas, & ideo subiacet dilationibus, & ordinationibus nūdinarijs, de cuius cambij formulis nunc in hac quæst. sum acturus, & de eius iustitia, & iniustitia latè scripsi inf. q. 7. par. 1. num. 6. & seqq. vers. capio cambium. & quia istæ nundinæ fiebant olim Lugduni, & postea in Ciuitate Besanzon, multi hoc cambium vocant Lugdunense, Bezēzonum, seu Besuntinum, qua ratione hodie posset vocari cambium Placentinum, ex quò nundinæ fiunt Placentiæ, vt aduertit etiam Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. nu. 59. sed melius meo iudicio potest vniuersaliori nomine vocari cambium nundinale, hocq; secundum genus; nempè, quando nummularius, idest, campsor dat, siue recipit pecunias ad nundinas, inter mercatores fieri solitas, ponit in tertio membro diuisionis, quam facit, Io. Azor. tract. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. initio, col 868.

Vtrumque hoc cambium per litteras tàm primum, quod diximus esse simplex, quàm secundum, quod diximus esse nundinale, potest continere mutuum ex parte campsoris, & mutuum ex parte campsuarij, vt ex Medin. retuli supra sub num. 1. nam quando prius numerat campsor, recepturus postea solutionem, tunc, vt dicit Medin. est mutuum ex parte campsoris; & hoc est, quod in secundo membro diuisionis ponit Ioan. Azor. in loco supra proxime citato, dicens, quòd nummularius dat alicubi pecunias, eas in alio loco recepturus, & Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. cap. 3. similiter in secundo membro diuisionis, dicens, quòd aliquando capserius dat prius, & postea per litteras recipit in alio loco. Quando verò campsuarius prius dat pecunias campsori, eas recepturus alibi, tunc mutuum

tuum est ex parte campsuarij, secũdum Medin. quem retuli sub eod. num. 1. & infra num. 36. in fine, & hoc est, quod Azor. d. cap. 5. in 1. memb. diuisionis, ait, quòd nummularius pecunias alicuius recipit, eas alibi soluturus, & Romoal. Coli d. cap. 3. similiter in 1. membro, dicens, quòd aliquando capserius accipit prius, & postea per litteras restituit alio in loco.

6 Contingit autem, hoc cambium nundinale tripliciter fieri, si attendamus locum, vbi initiatur, & locum, vbi dissoluitur, seu desinit: Primo enim fit in Ciuitate; puta, Romæ pro aliquibus nundinis, puta, Placentinis: Secundo fit è conuerso; in nundinis, puta, Placentiæ prò Roma: Tertio fit in nundinis pro nundinis, & hoc dupliciter: aut enim fit pro nundinis eiusdem loci, vt puta in nundinis Placentiæ pro sequentibus nundinis Placentiæ: aut in nundinis vnius loci pro nundinis alterius loci; puta, in nundinis sanctorum Placentiæ pro nundinis apparitionis Lugduni, Romoald. Lucens. tract. de camb. cap. 7.

7 Denuo sicut hoc vtrumque cambium potest habere plures qualitates, & accidentia, ita ab eisdem qualitatibus, & accidentibus sumit alias distinctiones, seu diuersa nomina.

Si enim consideremus pretium cambij, vnum vocamus cambium, *al conto*, vt explicaui infra num. 53. & seqq. & aliud vocamus cambium, *al prezzo corrente*, vt explicaui infra num. 70.

8 Si verò consideremus modum, quo extinguitur cambium, idest, si consideremus personam, quæ soluit pro debitore; vnum dicimus cambium liberum, vt explicaui infra num. 71. & aliud cambium non liberum, sed, vt dicunt, *con ricapitar le lettere sopra il datore*; *con le contationi*; & *con la ricorsa*, vt explicaui infra num. 83. & seqq.

9 Si consideremus ius, & iustitiam contractus, omne cambium diuidemus in cãbium licitum, seu iustum, & cambium iniustum, vt explicaui infra nu. 99. & seqq. & ad hanc bimembrem diuisionem de licito, & illicito, seu de iusto, & iniusto reducuntur non solum cætera præcedentia cambia, seu cęteræ cambiorum diuisiones, sed reducuntur omnes contractus totius mundi.

10 Nunc priusquam ad horum omnium cambiorum explicationem deueniam, est aduertendum, quòd hoc secundum genus cambij de pecunia præsenti cum pecunia absenti, quod regulariter fieri per litteras dixi supra num. 3. hacq; ratione frequentis vsus litterarum vocatur per litteras, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, num. 289. & in cap. nauiganti. num. 21. vers. decimoquinto. de vsur. potest fieri etiam sine litteris, quando fides haberetur mercatori sine litteris, seu fieret per nuntium, quia, quòd fiat per litteras, vel sine, non pertinet ad iustitiam cambij, Nauar. d. num. 289. & d. num. 21. vers. decimoquinto. ideoque dixi, regulariter fieri per litteras, quare pro absoluta intelligentia duo scienda sunt. Primum, quòd in contractu cambij de pecunia præsenti cum pecunia absenti, (siue sit cambium non nundinale, siue sit cambium nundinale) scriptura non est de essentia contractus cambij, præsertim si loquamur in foro interiori, sed requiritur solum ad probationem, & celerem contractus executionem in foro exteriori.

11 † Secundum sciendum est, quòd scriptura cambij non habet certam præscriptam formam, ideoq; potest diuersis modis concipi.

Primus modus concipiendi scripturam in contractu cambij est per instrumentum publicum; cum scilicet accipiens cambio (siue nundinario, siue non nundinario) promittit pretium cambij conuentum soluere (intra tempus conuentum, si non est nundinarium; & in nundinis, si est nundinarium) alicui certæ personæ, in ipso instrumento à creditore nominatæ, quæ solet esse correspondens ipsius creditoris, qui dat pecuniam cambio; & vlterius promittit solutionis, quam faciet, transmittere publicum, & authenticum testimonium, seu fidem intra certum alium terminum eidem, qui dedit cambio, in tali loco, alias, si defecerit in non soluendo, & in solutionis testimonium non transmittendo, promittit soluere in loco contractus eidem creditori, vnà cum interesse.

Et vt omnia, quoad possumus, facilius explicemus, ponam nonnullorum instrumentorum exemplaria, seu formulas.

12 Prima ergo formula, quam ex Reuerendissimi A.C. tribunali relatam vidi, est ista.

D. Gundisaluus Ximenez fatetur, habuisse ad cambium à DD. Iulio Bosco, & Paulo Gauotto mercatoribus, Romæ negotiantibus, ducatos cẽtum auri Cameræ veteris valoris, quos soluere, seu solui facere promittit in Oppido

do Madriti D. N. mercatorum prædictorum correſpenſali ad rationem quadringentorium ſeptuaginta marapetinorum moneta illarum partium pro ſingulis ducatis infra tres menſes proximos, & infra alium immediatè ſequentem menſem certificare ipſos mercatores in Curia de ſolutione huiuſmodi, in partibus facta; aliàs ſoluere hic Romæ, vnà cum cambijs, & intereſſe; pro quibus omnibus, &c.

Hac eadem instrumenti formula, mutatis mutandis accidentibus cambij, poſſent vti ij, qui contrahunt cambium pro nundinis, quia poſſet debitor cambij per ſolemne instrumentum, & etiam, vt aiunt Genuæ, per debitum confeſſum, ſe obligare ad ſoluendum in futuris proximis nundinis perſonæ, ab ipſo creditore in instrumento nominatæ, & vlterius infra alios dies decem certiorare ipſum creditorem per publica documenta de ſolutione facta, & caſu, quo in his, vel eorum aliquo deficiat, dare facultatem ipſi creditori accipiendi eandem partitam cambijs, & recambijs ab vna, & pluribus perſonis, ad damnum, expenſas, & intereſſe ipſius debitoris vſque ad integram ſatisfactionem.

13 Quare, cum litteræ cambij in hoc primo modo non ſint de ſubſtantia cambij, debitor tenetur ſoluere cambium, nullis etiam litteris ſibi præſentatis, & forſan etiam non requiſitus, cum debeat ſoluere perſonæ illic commoranti, & non perſonæ, quæ illuc ſit acceſſura, quo caſu intraret difficultas, de qua ſcripſi §.ſeq.gl.5. num. 201. & ſeqq. & vlterius tenetur certum reddere creditorem de ſolutione facta, vt dixi.

14 Secunda instrumenti formula, quam, iudicando, vidi Genuæ, eſt iſta: *Titius ſponte, &c. & omni meliori modo, &c. ſciens, Seium eius precibus, & requiſitione feciſſe litteras cambij pro Ciuitate Neap. pro ſcut. 1000. auri in auro Italiæ, pro eis ſoluendis Sempronio, directas Meuio, cum ordine, quòd, ſolutis dictis ſcut. 1000. ſe prouideat Bezenzoni, Lugduni, ſeu alibi pro illorum ſolutione, & volens dictus Titius cautelare dictum Seium, confitetur, recognoſcit, & promittit dicto Seio præſenti, &c. ſoluere, & exburſare ad omnem eius voluntatem, & ſimplicem requiſitionem dictos ſcutos 1000. Item vna cum omnibus cambijs, & recambijs, expenſis, & intereſſe ſuper eis ſecuturis, etiam ad rationem cambiorum, & recambiorũ, donec dicti ſcut. 1000. auri in auro Italiæ, & damna, & intereſſe, ſuper eis ſecuta, ſint ſoluta, & cum pacto, quod ſine alia litterarum confectione teneatur ad cambia & recambia, caſu quo non ſoluerit in primo foro conuento, & cum pacto, quòd intereſſe conuertatur in capitale, & ex intereſſe, conuerſo in capitale, ſoluatur aliud intereſſe, & ſic deinceps, ita quòd pecuniæ, datæ ad cambium, poſſint chiuuire, & rechiuuire, & poſſit ipſe accipere pecunias cambio, nomine ipſius debitoris; imò poſſit in ſeipſo cambire pro qualibet mundi parte, & pro quouis foro, & pro ſingulis prædictis poſſit habere licentiam expeditam, & ſic ſtatutus eſt terminus, &c. quo termino elapſo, &c. ſub, &c. renuntians, &c. & cum iuramento, &c. & omni alteri iuri, &c. quæ omnia, &c. ratis, &c. & proinde, &c. de quibus omnibus, &c. & pro eo fideiuſſit, promiſit, vt principalis principaliter, & inſolidum N. renuntians iuri de principali, &c.*

Actum in Ciuitate Genuæ, &c. per me, &c. N. &c.

Nota primo ex iſta ſecunda instrumenti formula, quòd, etſi hæc obligatio futurorum cãbiorum fiat occaſione litterarum cambij, iam factarum, tamẽ ipſa obligatio pro futuris cãbijs, ſecuturis ob nõ ſoluta prima cambia litterarum, eſt ſine litteris cambij; ſed an hæc obligatio ſit iuſta, nunc non diſcutio.

Nota ſecundo, quòd iſtud instrumentum continet principaliter releuationem indemnitatis eius, qui fecit litteras contemplatione releuantis, & ſecundariò obligationem eiuſdem releuantis ad cambia, & recambia, ſecutura vſque ad integram ſolutionem, & ſatisfactionem debiti, pro quo promiſſa eſt releuatio indemnitatis.

De debito ex cauſa cambij adde, ſi placet, formulam instrumenti, quam ponit Petr. Dominic. de Muſſis in formulario instrument. cap. 27.

15 Secundus modus concipiendi ſcripturam in contractu cambij eſt per apodiſſam priuatam, & de iſto modo adduco etiam duo exemplaria ex ſtylo Genuenſium.

Primum exemplar. 1612. *à di 13. di Settembre, In Genoua.*

Noi Tomaſo, & Alfonſo Franſoni inſolidum in virtù di queſta diciamo hauer riceuuto in cartolario d'argento da voi Sig. Domenico N. ſcudi doimila, quali promettemo, & ci obligamo negotiar ſopra cambij delle fiere di Piacenza, ò di quel luogo, ò luoghi, do-

ue per la nation nostra si faranno dette fiere per Milano ad vtile vostro, sotto nostro nome, & à nostro proprio risico, pericolo, & spese per vn'anno, cominciato in pagamenti d'Agosto di detto anno, & da finire in pagamenti d'Agosto dell'anno 1613. al qual tempo promettemo, & ci obligamo restituire detti scudi doimila, con tutti li guadagni, & benefitij, che sopra essi saranno stati, il qual pagamento però hauemo da fare in quella qualità di moneta d'argento, ò d'oro, che all'hora si pagheranno li cambij di dette fiere, obligando perciò nostre persone, &c. & beni sotto hippoteca. Dichiarando, che per il sudetto tempo, & quello di più restassero detti denari appresso di noi, habbiamo da pagar à voi Sig. Domenico N. per cõto di detti guadagni, & vtili solamente à ragione di cinque per cento l'anno, essendosi così conuenuti, & che tutto quello, che potessero esser di più li sudetti cābij delli detti cinque per cento netti d'ogni spesa, spetti à noi per la sudetta promessa, che facciamo di negotiarli, ò farli negotiare sopra cambij à detto nostro risico, & pericolo, & spese, & quando rendessero meno delli detti cinque per cento l'anno senza contarli spesa alcuna, ragionando li cambij, come saranno li conti, cioè à Milano per fiera, & in fiera per Milano, se intenda che noi sodetti Tomaso, & Alfonso Fransoni insolidum non habbiamo à pagare, se non quel tanto hauessero risposo, ò rispondessero, che così habbiamo accordato, & per fede sarà la presente firmata di mano del nostro Alfonso.

Noi Tomaso, & Alfonso Fransoni promettemo, & ci obligamo à quanto di sopra si contiene di mano propria del nostro Alfonso.

De huiusmodi contractu, seu syngrapha, quòd sit licitus, vide quæ scripsi infra §. 3. gl. 3. num. 36. & seqq. declar. 2.

16 Secundum exemplar.

Io Gio. Battista Scotto confesso hauer riceuuto dal magnifico Tomaso di Negro del q. spettabile Giouanni lire quattordecimila, ducento di moneta d'oro nel cartulario di S. Giorgio, valuta di scudi quattromila, & duecento d'oro in oro delle cinque stampe, di giusto peso, & valore, li quali prometto, & mi obligo di pagare, & restituire al detto magnifico Tomasso ad ogni sua semplice richiesta, & volontà, insieme con gli interessi de cambij, & recambij, & spese decorse, & che decorreranno fin'all'intiera sodisfattione, & pagamento, senza dilatione, ne contradittione alcuna, dichiarando, che restino assegnati per fiera prossima d'Agosto, che si farà in Piacenza, cioè scudi mille ducento à soldi sessantasei e denari tre, & scudi tremila à soldi sessantasette, di qual fiera di Agosto mi contento, che possa trarli, farli trarre, ò assegnare per quà, & de quà nelle seguenti fiere, che si faranno in detto luogo, ò altroue per la nostra natione, volgarmente chiamate di Bezenzone, ò per quella piazza, ò piazze, che più gli accommoderà, de quali interessi, & spese mi contento starne al suo semplice giuramento, ò di persona per lui legitima, senza altra proua, ne verificatione alcuna, perche facendomi il detto magnifico Tomaso questo commodo per farmi piacere, & essendo persona negotiante, & che suole trattare suoi effetti così in cambij, come in merci, non voglio, ne è conueniente, che patisca del suo, & che di questo commodo, che mi fà di accommodarmi di sudetta partita nella maniera, detta di sopra, possa riceuerne danno, ne pregiuditio alcuno di lucro cessante, ne di danno emergente, ne in qual si voglia altro modo; & se per estintione del detto debito gli occorrerà trarlo, ò farlo trarre in tutto, ò in parte à Napoli dalle fiere di Piacenza, ò altre piazze à nostri Gio. Battista Scotto, Lorenzo, & Vespasiano de Mari, mi contento che possa farlo, & mi obligo, che quanto per esso conto li trarrà, ò sarà tratto di suo ordine, sarà prontamente pagato, & di sodisfarli prontamente tutto quel danno, & interesse, che, altrimente seguendo, gli ne potesse venire, del quale mi contento starne al suo semplice giuramento, ò di persona per lui legitima senz'altra proua, ne verificatione alcuna, come di sopra si è detto, & per così osseruare, & compire obligo mia persona, & beni presenti, & da venire sotto hipoteca, &c. renuntiando, &c. & particolarmente ad ogni lege, decreto, ordine, statuto, & canone così ecclesiastico, come secolare, che sia, ò possa esser in mio fauore, & voglio che questa poliza medesima habbia quella medesima forza, & vigore, come se fusse instromento publico, rogato da publico scriuano con le clausule solite à porsi in simili instrumenti, & giuro di non contrauenire in modo alcuno à quanto di sopra si è detto, & di non domandare assolutione di esso giuramento, ma tutto il contenuto in questa poliza sarà da me inuiolabilmente osseruato, senza oppositione, ne contradittione alcuna, & in fede della verità la presente poliza sarà sottoscritta di mia mano propria in

in presenza del Sig. Stefano Caneuaro, Gio. Battista Alfieri, & Pier Francesco Mari, li quali di mia volontà, & per fede del vero si sottoscriueranno di loro propria mano in Genoua li 15. di Luglio 1597.

N. N. N. N.

Et ab ista formula in effectu non videtur discrepare negotiatio, de qua loquitur, & dicit esse in frequenti vsu Boninf. tract. de camb. cap. 4. vers. cosi anco, versus finem, fol. 9.

Quomodo super isto contractu hic posito inter Scottum, & magnificum de Nigro procedatur per litteras cambij ad interesse cambiorum, & recambiorum, iuxta pactum appositum in ipso contractu, habes per extensum infra num. 98. & concordat ille modus, & formula litterarum cum litteris, quas ponit Boninf. d. cap. 4. vers. pagate. fol. 9.

17 Tertium addo exemplar cambij, quod propriè non conuenit instrumento publico manu notarij confecto, neque scripturæ priuatæ, sed conuenit scripturæ, & libro argentarij, nummularijque, publica auctoritate deputati, qui liber plenè probat, cum argentarij libro præstetur maxima fides tàm contra scribentem, quàm pro scribente, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. sub num. 165. & seqq. hæcq; fides inuiolabiliter præstatur libris, seu cartularijs Banchi S. Georgij in Ciuitate Genuæ, tùm quia illud Banchum est publica auctoritate erectum, tùm quia illius scripturæ præsunt notarij publici, tùm quia ista fides inconcussa de consuetudine ab immemorabili tempore fuit semper præstita, & præstatur, tùm demum quia sic mandant statuta Genuensia, præsertim in materia nostra, quæ retuli infra §. 7. gl. 1. & exemplum, quod inter multa, quæ ex illis cartularijs aliquando vidi, & de quo vidi tractari, est sequens.

A.

M D C I. die 18. Septembris.

Tiberius Cazaretus, pro Io. Baptista N. Iano, & Ioanne Baptista N. ad cambium pro Bizunzij foro proximo Sanctorum ad solidos 65. 6. singulo scuto marcarum, videlicet in auro libras decem septem mille tresdecim, fol. 14. 9. ——— *lib. 17013. fol. 14. d. 9.*

Io. Baptista N. Ianus, & Io. Baptista N. pro dicto Tiberio Cazareto pro numerato in auro libras decem septem mille tresdecim, fol. 14. 9 ——— *lib. 17013. fol. 14. d. 9.*

B.

Io. Baptista N. quon. N. Ianus, & Io. Baptista N. socij pro Tiberio Cazareto pro valuta de scutis octo millibus octingentis quinquaginta vno fol. 8. ad sol. sexaginta nouē littera dictorum Io. Baptista N. Iani, & Io. Baptista N. proxima præterita feria Augusti Placentia in se cambiatis, valent in auro libras triginta mille quingentas triginta septem, fol. 6. 7. ——— *lib.* . . . . .

C.

Tiberius Cazaretus pro Io. Baptista N. quon. N. Iano, & Io. Baptista N. socijs, & quolibet eorum insolidum pro valuta de scutis octo millibus noningentis quadraginta octo, fol. 13. 4. marcarum ad cambium pro feria proximè ventura Sanctorum Bizuntij ad solidos sexaginta octo, & denarios tres singulo scuto marcarum, valent in auro libras triginta mille quingentas, triginta septem, fol. 6. 7. ——— *lib.* . . . . . .

D.

Aduerte obiter, quòd hæ litteræ numerales, quibus Genuenses vtuntur in calculis, & ratiocinijs, scriptis in libris publicis, sunt litteræ Imperiales, quibus describunt præfatas libras, & solidos.

Pro intelligentia huius scripturæ cartularij cambiorum, & praxi forensi, vide quæ scripsi infra §. 7. gl. 3. num. 31. & 32.

Aduerte etiam, quòd etsi ex cartularijs prædictis plenissimè probetur debitū, & creditum cambij cōtracti, & executiuè procedi possit contra debitorem, tamen si cambia, in dictis cartularijs contracta, sint continuanda pro nundinis, fiunt de eis solitæ litteræ cambiorum, prout ego eas inter præfatos contrahentes vidi, quas hic transcribere existimaui inutile.

18 Tertius modus concipiendi scripturam in contractu cambij est per litteras cambij, & iste est frequens, & communiter receptus; sed prius quàm harum litterarum exemplaria ponamus, necessarium, vel saltem valdè vtile erit, præmittere cognitionem cambiorum, quæ supra, diuidendo, adduximus.

19 Cambium minutum, de quo supra sub num. 2. est illud, quod fit eodem in loco, & fit de moneta vnius generis cum moneta alterius generis, nempè alterius formæ, vel metalli, commutando pretiosiora numismata cum minus pretiosis; vel è conuerso, vt patet ex his, quæ scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 9.

initio, & alij communiter in locis, citatis infra num. 21. & in hoc cambio non consideratur quis ex cambientibus prius numeret, seu accipiat, quia fit incontinenti hinc inde mutua numeratio, seruata æqualitate, & detracto collybo, qui debetur nummulario, cum inseruiat vtilitati, & commoditati publicæ, de quo collybo scripsi aliquid §. seq. gl. 3. num. 97. vers. infero. & num. 123.

20 & seqq. † Quòd si indagaremus, quis eorum de iure deberet prius numerare, & postea recipere; dicerem, quòd prius numerare deberet priuatus, qui accedit ad nummularium pro cambio; & moueor; quia cambium est emptio, & venditio, vt secutus sum quæst. præcedenti num. 21. & seqq. & in venditione emptor debet prius soluere pretium, & postea venditor tradere rē, Bal. in cap. 1. sub num. 4. de sequestr. poss. & fruct. Curt. Sen. in l. vnica, in princip. num. 13. C. de prohib. pecun. sequestr. inter tract. diuers. tom. 3. par. 2. fol. 144. sed nummularius, seu collybista tenet locum venditoris, cum habeat publicam officinam nummulariam ad vendendum diuersas monetas, & priuati ad eam, vt eas emant, accedunt: Ergo, &c.

21 De hoc cambio minuto scripserunt Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 405. Medin. d. q. 9. Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. col. penult. in 1. gen. cambiorum, & q. 9. art. vnico, Couar. tract. de vet. coll. numism. cap. 7. sub num. 4. tom. 1. fol. 704. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsur. circa camb. sub num. 288. Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. & alij, infra citati, sed de eo, vti admodum noto, & in quo non adsit multa difficultas, omisit scribere Boninseg. tract. de

22 camb. cap. 7. in fine. † & hoc solum cambium fuisse in vsu apud antiquos, scribit Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. § 2. num. 4. & 5. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. & esse antiquissimum, & habuisse originem ab initio, quo fuit inuenta moneta, scribit Romoal. Coli Lucen. tract. de camb. cap. 4.

Hoc cambium est verum, & propriū cambium, in quo nulla potest cadere vsura, cum in eo mutuum nec explicitum, nec implicitum considerari possit, siquidem nulla interuenit temporis dilatio; potest tamen in eo cadere iniustitia, si non seruetur æqualitas, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 9. initio, fol. 372. in fine, & 373. & fit cum interuentu duarum personarum tantum, vt patet ex casu, quem ponit Medin. ibidem, & quem posuimus nos in-

23 fra num. 25. † Et dicitur cambium sine litteris, & reale, Fabian. tract. de camb. in 1. par. num. 2. 3. & 4. & par. 2. cap. 4. num. 53. versus finem, tom. 6. par. 1. fol. 411. & 416. & quòd fiat absque vllo litterarum adminiculo, notat etiam Io. Azor. d. cap. 4. q. 1. in fine, & dicitur cambium minutum eo, quòd, vt plurimum minutiores nummi pro pretiosioribus, aut è contra commutantur, & potest etiam vocari manuale ad differentiam cambij, quod fit per litteras, Sot. & Io. Azor. in locis, supra proximè citatis, seu dicitur cambium minutum, quia vt plurimum, & respectu cambij per litteras fit ad

24 minutum, idest, in parua quantitate, † & ideo ij, qui huic arti cambiendi ad minutum inseruiunt, vocantur Bancherotti, & non Bancherij, Fabian. d. tract. de camb. in princ. num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 411. Dixi (*vt plurimum*) quia etiam si permutatio fieret in magna quantitate adhuc diceretur cambium minutum, inspecta sui origine.

Pro isto cambio minuto an possit campsor aliquid accipere à campsuario, dixi §. seq gl. 3. num. 97. & seqq.

25 Pono exemplum huius cambij minuti. Tu debes soluere mercatori Genuensi lib. 470. monetæ Genuensis: vis ei dare scutos 100. argenteos, quorum valor secundum currentem cursum est maior, quàm sit secundum tariffam, & publicam cridam; cum scutus argenteus hodie in currenti cursu valeat vsque ad libras 4. & sol. 14 & secundum tariffam valeat solum libras 4. & sol. 10. mercator vult scutos accipere, non secundum cursum currentem, secundum quem prædicti scut. 100. constituerent prædictas libras 470. rationato quolibet scuto argenteo pro lib. 4. & sol. 14. sed vult eos accipere secundum valorem cridæ, secundum quem constituunt solum libras 450. & quia pro maiori pretio non cogitur eos accipere, cum standum sit pretio cridæ, vt dixi §. seq. gl. 5. num. 109. subdecl. 1. tu adis aliquem campsorem, cum quo cambis dictos scut. 100. argenteos in tot cauallottis, calculato quolibet scuto argenteo pro lib. 4. & sol. 11. quia sic campsores hodie cambire, seu emere solent scutum argenteum, & cauallotti sunt moneta Genuensis, quam mercator creditor recusare non potest; vnde in toto isto cambio minuto lucraris libras quinque, quia

lucra-

lucraris solidum vnum pro quolibet scuto, & solidi centum faciunt lib. 5.

26 Vel pone exemplum in eo, qui debet scut. 100. argenteos, quos cum non habeat, sed habeat eorum valorem in alia moneta, puta in tot realibus Hispanicis, & creditor monetam hanc recuset accipere, cogitur debitor dictos scut. 100. argenteos emere per viam cambij minuti, permutando reales cum scutis argenteis.

27 Pone etiã exemplum in eo, qui vult proficisci ad loca remota, vult secum pecuniam deferre pro suis necessitatibus, habet solum monetas æneas, seu argenteas, quarum pondere nimis oneraretur, & in locis exteris aut non expederentur, aut minoris valerent, ideo eas permutat cum moneta aurea, quæ est minoris ponderis, & vbique valet, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, concl. 32. col. 3. fol. 608.

Alia exempla collige ex Sot. vbi supra.

28 Diximus hucusque, cambium minutum fieri in eodem loco, & ideo sine litteris, quia fit pecunia præsenti; Verum Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 3. art. vnico, sub num. 1. tom. 2. fol. 534. considerat, hoc cambium minutum posse fieri etiam pro alio loco, & sic pro pecunia absenti tanquàm præsenti.

Reliqua de cambio minuto, nempè, in quibus conueniat, & in quibus differat à cambio non nundinario per litteras, & quàm vtile sit Reip. & nonnulla alia habes infra num. 30. & seqq. & in diuersis locis tractatus, quando se obtulit occasio agendi de eo.

Et hæc pro cognitione cambij minuti.

29 Cambium pecuniæ præsentis cum pecunia absenti, quod, vt dixi supra num. 3. & 10. regulariter fit per litteras, est duplex: cambium scilicet non nundinale, & cambium nundinale, & quare dicatur cambium per litteras, dixi supra d. n. 10.

30 Cambium primum, videlicet, non nundinale conuenit substantialiter in multis cum cambio minuto, de quo locutus sum supra num. 19. & seqq. vsque huc.

Primo enim conueniunt in hoc, quòd vtrumque est reale, & fieret etiam in isto non nundinali hinc inde mutua numeratio incontinenti, nisi se intraponeret distantia loci, ad quem sunt deferendæ litteræ, vt dixi quæst. præced. sub num. 13, & infra num. 34. & quòd hoc cambium non nundinale sit verum, reale, & iustum, scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. vers. quibus præmissis. col. 3. in fine, fol. 360. & q. 9. vers. dicitur aliud. col. 2. fol. 373. Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. post 5. conclusionem fol. 606. Fabian. tract. de camb. par. 1. num. 5. & par. 2. cap. 4. num. 53. in fine, tom. 6. par. 1. fol. 411. & 416. & hunc cambij contractum esse licitum & iustum, sentiunt Bal. Lauren. de Rodulph. Salyc. Io. de Anan. Ias. Nauar. & alij quos secutus sum infra q. 7. par. 1. num. 41. & seqq.

31 Secundo conuenit, quia sicut cambium minutum est valdè vtile Reip. vt patet ex exemplis, quæ posui supra num. 25. & seqq. & scribunt Nauar. Couar. Io. Baptista Lup. & alij, quos citaui q. seq. num. 14. ita etiam hoc cambium per litteras esse Reip. valdè necessarium, scribunt ijdem Nauar. & alij, quos secutus sum eod. num. 14. & de necessitate, & vtilitate huius cambij patet etiam ex his, quæ scripsi infra num. 36. & seqq. & q. seq. num. 7. vers. cambium verò.

32 Tertio conuenit, quia sicut in cambio minuto interueniunt personæ verè, & realiter, vt patet ex his, quæ scripsi supra nu. 25. ita etiam in isto interueniunt verè, & realiter ad differentiam cambij, de quo scripsi inf. num. 83. & seqq. & latius infra §. 6. gl. 1. præsertim num. 123. & seqq.

33 Differunt autem in aliquibus non essentialibus.

Primo differunt, quia cambium minutum fit incontinenti, & ideo sine litteris, & in eodem loco, vt patet ex his, quæ scripsi supra num. 19. & 23. istud verò fit cum aliqua mora per litteras, & ad alium locum, vt patet ex his, quæ scripsi quæst. præced. sub num. 13. & num. seq. & consequenter sicut in cambio minuto non potest interuenire mutuum, ideoque neque vsura, quia fit sine diuersitate temporis, vt dixi supra sub num. 19. & ideo dicitur cambium purum, vt retuli supra sub num. 1. ita è contra cambium per litteras propter diuersitatem temporis, quæ in eo interuenit, habet admixtum mutuum, & ideo dicitur cambium impurum, vt retuli supra sub num. 1.

34 Secundo differunt, quia in cambio minuto campsor, idest, nummularius, seu capsetius prius recipit monetam à campsuario, & postea dat æquiualentem, vel saltem ita incontinenti fit hoc cambium, vt non considere-

ſideretur quis prius numeret, vt dixi ſupra ſub num. 19. at in iſto per litteras, cum non poſſit hinc inde incontinenti cambiri, & fieri mutua numeratio, ſed interponatur tota illa mora quouſque litteræ deferantur, vt dixi quæſt. præced. ſub nu. 13. oritur neceſſariò quodam creditum; nam qui prius dat, vt poſtea recipiat in alio loco, efficitur creditor, & conſtituitur loco emptoris, & alius, qui eſt ſoluturus poſtea alio in loco, remanet debitor, & veluti venditor, quia, dum ego quæro remittere ad Vrbem ſcut. 100. ſequor naturam emptoris, cum velim emere ſcut. 100. Romæ, vnde tanquam emptor debeo prius ſoluere pretium, & poſtea recipere rem emptam, vt in cambio minuto conſideraui ſupra num. 20.

35 Tertio differunt, quia cambium minutum fit interuentu duarum perſonarum, vt dixi ſupra nu. 19. in fine, hoc verò cambium expleri ſolet interuentu trium, & quandoque quatuor perſonarum, prout ſolutio venit facienda illimet, cui debetur, vel alteri perſonæ de mandato illius; nam ſi ſolutio eſt facienda illimet, qui pecunias dedit, & cui propterea debetur, vt in primo exemplo, poſito num. ſeq. tunc interueniunt ſolum tres perſonæ; vnus enim eſt is, qui dat pecunias, alter eſt is, qui accipit, & tertius eſt ille, qui de mandato eius, qui accipit, ſoluit eidem, qui dat: Si verò ſolutio ſit facienda alteri, quàm ei, qui dedit, tunc interueniunt quatuor perſonæ, quia quartus eſt ille, cui ſolutio fieri debet de mandato eius, qui pecunias dedit, & ſic in iſto cambio ſunt duo mandantes, & duo mandatarij, vt patet in ſecundo exemplo, poſito infra num. 37.

36 Pono primum exemplum huius cambij ſimplicis non nundinalis, de quo ſupra ſub num. 4. verſ. primum eſt. Titius habet Romæ 100. aureos, quos Lugdunũ iturus ad negotiandũ, vellet ſecum portare, ſed ne eos periculis, laboribus, & impenſis ſubijciat, dat Romæ Caio nummulario, vt ei ſoluat Lugduni, Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 1. verſ. accedit. ſeu Hiſpanus, acturus litem in ſacra Rota Romana, vbi lites, vt plurimum, non ſunt breues, vult Romam ire, & ſecum pecunias deferre. Item Genuenſis, iturus Conſtantinopolim, ſeu ad aliam quamuis Orbis remotiſſimam partem (prout eſt proprium Genuenſium) ad emendas merces, eaſq; tranſuehendas ad Ciuitatem Genuæ, debet magnam pecuniarum quantitatem ſecum portare: quilibet iſtorum tùm ad euitanda pericula, incommoda, & grauiores expenſas, quę fierent pro actuali pecuniarum tranſportatione, vt dixi infra q. 7. par. 1. ſub num. 44. & ſeqq. & nu. 47. tùm etiam ad euitandam iacturam, & damnum valoris monetæ, quæ in aliquibus locis aut non expenditur, aut minoris valet, adeunt in propria patria, ſeu loco, vnde diſceſſuri ſunt, campſorem, qui negotiatur in illis locis, & illi dant valorem pecuniarum, quas volunt ſibi ſolui in locis, ad quæ ituri ſunt, & capiunt litteras cambij: & hoc exemplum, loquendo de clerico Toletano, ituro Romam, qui propterea dat campſori, Toleti exiſtenti centum ducatos, recepturus eorum ſolutionem Romæ, ponit Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. per vſur. acquiſ. q. 5. col. 3. verſ. pro quo aduertendum. fol. 360. addens, quòd iſto caſu ex parte campſoris, quia prius accipit, nullum eſt mutuum, & conſequenter nec ex eius parte reperiri poteſt vſura.

37 Pono ſecundum exemplum: Tu habes Genuæ ſcut. 115. argenteos, ſeu auri in auro, vis illos Romam remittere, ſoluendos Titio, adis Io. Franciſcum N. mercatorem Genuenſem, eiq; numeras dictos ſcut. 115. vt eorum valorem, qui ſunt ſcut. 110. cum dimidio auri in auro ſtamparum, ſolui faciat Romæ prædicto Titio à Franciſco N.

38 Ponas tertium exemmplum: Florentinus, onuſta naui multis ſericis mercibus, iuit Luſitaniam, & venditis illic mercibus, rediturus Florentiam, vbi moneta Luſitana non valet, & dato, quòd valeret, multa in eius tranſportatione ſubiret pericula, incommoda, & expenſas, deſiderat illas cambire pro Florentia: Luſitanus è conuerſo, multis iam allatis mercibus ad Ciuitatem Florentiæ, illiſq; venditis, ob eaſdem rationes deſiderat pretium cambire, & remittere ad Luſitaniam: vterque iſtorum, audito reciproco deſiderio, & agnita communi vtilitate, campſat inuicem, dando Florentinus in Luſitania pecuniam Luſitanam illi, cui Luſitanus per litteras iubebit, & Luſitanus in Ciuitate Florentiæ pecuniam Florentinam illi, cui Florentinus mandabit, ſeruata commutationis æqualitate, vel aliter fiet iſta commutatio; prout inter ipſos cambientes fuerit conuentum; & non diſſimile exemplum ad oſtendendum verum, reale, iuſtum, vtile,

vtile, & necessarium cambium, tradit Boninſ.tract.de camb.cap.2.

39 Pone quartum exemplũ non minus campsori lucrosum, quàm ex pecuniarum summa, & ex re, cui inseruit, magnificum.

Hispaniarum Rex pro militari expeditione aduersus Belgas indiget duodenis decies centenis millibus nummorum aureorum, qui sunt, vt aliter loquuntur, duodecim milliones; duo, vel tres ex primarijs Genuensibus negotiatoribus, audita Regis intentione, adeunt eius ministros, eisq; offerunt, se prædictam totam summam Regi in certis locis, & certis temporibus soluturos, & è conuerso Rex eisdem Genuensibus promittit certis temporibus, & locis Hispaniarum, & & Lusitaniæ soluere pretium dictorũ nummorum aureorum, & pro promissionis adimplemento, eisdem dat litteras, quibus mandat officialibus dictorum locorum, vt eis assignent, & solui suis temporibus faciant summam dictorum nummorum aureorum, vt in alio proposito de hoc ipso cambio mentionem feci §. seq. glos. 5. num. 269. & seqq. istud enim est cambium reale, & sine nundinis; quia verè fiunt litteræ, & negotiatores Genuenses habent lucra cambiorum, consideratis tàm expensis in transportatione pecuniarum, quàm periculo transportationis, & quòd idcirco moneta absens valet minoris, quàm præsens, & consideratis omnibus his, de quibus dixi infra q. 7. par. 1. num. 44. & seqq. & quia isti duo, vel tres negotiatores non habent tantam pecuniarum quantitatem, ipsi magnam eius partem sumunt cambio nundinali à particularibus personis, quibus ex eodem lucro, quod ipsi faciunt cum Rege, soluunt interesse cambiorum: Verum hoc est ex illis cambijs, in quibus nummularius prius dat, & postea recipit, ideoq; est magis suspectum secundum Nauar. & Ioan. Bapt.Lup.quos citaui infra q.7.par.3.limit. 11.num.10.versſ.subextende.

Declara hoc exemplum, vt iste contractus, quem Itali vocant, *partitum*, & Hispani, *assientos*, & celebratur à ditissimis quibusdam mercatoribus, maximè Genuensibus cum Rege Hispaniarum, vt scribit Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.q.78.art.2.controu.9. sub num. 11.versſ.ex hac. fol. 263.tom.2. sit iustus, habita recta ratione expensarum, laboris, & periculi, iuxta communem fori æstimationem, vt dixi.

Secus si iste contractus ea celebretur lege, vt Rex pro quolibet centenario soluat 20. aut 25. sub titulo lucri cessantis vltra capitale, quia tunc Genuenses vsurariè agerent, Mich.Sal. in loco supra prox. citato.

Præmissa aliquali cognitione huius cambij simplicis non nundinalis, & adductis de eo exemplis, in quibus hoc cambium fiat, reliquũ est, vt formulam litterarũ ponamus.

40 Formula litterarum cambij, in quo interueniunt tres personæ iuxta ea, quæ scripsi supra num.35.in tertia differentia, potest esse ista. *Pagate per me al portator di questa ducati cento per altri tanti hauuti*: quam formulam ponit Maran.in suo spec.par.6.act.6. num.46. versſ.hoc in loco. fol.385. 41 † & non dissimilem formulam, loquendo de cambio, in quo nummularius prius recipit pecunias, vt in alio loco soluat, ponit Io. Azor. de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de camb. cap.5. q.4. *Hisce primis litteris visis, & perlectis, soluas Titio, vel Iulio eius filio, vel procuratori centum aureos, quia hic Romæ ab eo totidem accepi*. quas litteras Caius nummularius Romæ scribit Seio ad Lugdunum: &, loquendo in casu opposito, quando nummularius primum dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat, eandem formulam ponit in cap.6.

42 Formula verò litterarum, quando interueniunt quatuor personæ, potest esse ista, super qua scripsit Bal. consſ. 348. factæ fuerunt.lib.1.& ex eo refert Stracch.tract.de adiect.par.4.in fine,q.16.num.1.tom.6.par. 1. fol. 403. *Pagate per questa prima lettera à di 9. Ottobre à Luca de Goro lib.45. sono per la valuta, qui da Masio Rena, al tempo li pagate, & ponete à mio conto, & R. che Christo vi guardi. Bonromeo de Bonromei salute di Milano à di 9. di Marzo* 1325. à tergo. *Alesandro de Bonromei, & Domenico d'Andrea Inurea prima de lib.* 45.

Et licet in hac formula videantur latere duo defectus: Primus, quia illa dilatio solutionis vsque ad septem menses, nempè, à die 9.Martij vsque ad diem 9. Octobris videtur contra naturam litterarum cambij, cum litteræ cambij regulariter statim solui debeant, siquidem earum solutio committitur Bancherijs, qui statim soluunt, neque hæc dilatio conuenire potest cambio nundinali, quia vltra quod cambiorum nundinalium solutio fiat infra tres menses, exprimuntur nundinæ in ipsis litteris, puta pro

foro Sanctorum Auguſti, & ſimilibus. Secūdus, quia hęc formula caret loco, ad quem litteræ mittuntur; †Tamē ceſſat vterque defectus: nam quoad primum eſt aduertēdum, quòd cambium non nundinale poteſt contrahi dupliciter, videlicet, vt ſolutio fiat ſtatim, quod dicitur, *à littera viſta*, de qua ſolutione ſcripſi §.ſeq.gl.5.num.5.caſ.2.vel vt ſolutio fiat in aliquo certo termino, quia ſic mutuo partium conſenſu contrahitur, vt aduertunt etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. poſt q.78.in diſput.de camb.q.4.art.2.controuer.18.nu.2.tom.2. fol.609. & Romoal. Coli Lucen.tract.de camb.cap.9.& quòd ex pacto poſſit aſſignari certus terminus in litteris ad ſoluendum, ſcribit etiam Io. Azor. de inſtitut.moral.par.3.lib.10. tit.de camb. cap.5. q.4. & forſan etiam in caſu dictarum litterarum altera pars non antea illas volebat; ſeu verius, quia is, cui litteræ ſoluendæ mittebantur, erat debitor cum illa dilatione: & quoad ſecundum dico, non eſſe conſiderabilem, quia locus, ad quem, non faciebat difficultatem in lite, ideoque fuit omiſſus in conſilio, quamuis eſſet poſitus in litteris.

44 Formula, quæ eſt expedita, poteſt eſſe illa, quam ex Io.Azor.poſui ſupra ſub num. 40. dum ſcribens mandat, vt ſoluat procuratori; ſeu iſta, quæ hodie eſt in frequenti vſu.

1613. à 18. di Ottobre in Genoua. ſcudi 110. e mezo delle ſtampe.

Magnifico Signore, ſarete contento pagare ad ogni ſuo piacere al Signor Marco N. ſcudi cento diece & mezzo d'oro in oro delle ſtampe, per la valuta hauuta in contanti da Meſſer Tullio Vareſe, notandoli à conto mio.

Sono ſcudi cento d'oro in oro ſtampe, & più diece & mezzo, in tutto ſcudi 110. & mezzo.

Gio. Franceſco N.

A tergo. *Al Mag. Sig. Franceſco N. Roma.*

Has litteras Io. Franciſcus N. dat eidem Tullio, qui mittit ad Marcum N. qui, illis habitis, requirit Franciſcum N. vt eas ſoluat; & ſecuta earum ſolutione, tàm Io.Franciſcus N. quàm Franciſcus N. notat iſtam partitam in eorum libris, vt, loquendo de cambio nundinali, poſui exemplum ſcripturæ mercatorum infra num.82. Quòd ſi Frauciſcus N.litteras non acceptaret, tūc Marcus N. faceret proteſtum coram notario iuxta formam, de qua ſcripſi infra, quòd non fuerunt acceptatæ, & illis redditis eidem Io. Franciſco N.teneretur ipſe Io.Franciſcus aliter eidem Tullio ſatisfacere, &c.

Aduerte primo nunc, quòd idem Ioan. Franciſcus, datis Tullio prædictis litteris cambij, poſtea de illis certiorat Franciſcum N.per litteras, quas vocant, *d'auiſo*, ſeu *de ſpaccio*, quarum formulam in ſequenti modo cambiendi, videlicet pro nundinis, poſui infra num.77.

Aduerte ſecundo, quòd Tullius poſſet non acquieſcere vnicis litteris, ſed poſſet duas, vel tres petere, vt dixi infra num.73. & 74. cum poſſet euenire caſus, vt primæ, vel ſecundæ amitterentur, vt dixi etiam §. ſeq. gl.6.num.2.& 3.

Aduerte tertio, quòd Io. Franciſcus N. qui in prædicta formula mandat Franciſco N. vt ſoluat Marco, *ad ogni ſuo piacere*, poſſet etiam dicere, *à viſta*, & idem ſignificaret, vel, *ad vſo*, ſed iſta verba, *ad vſo*, importarent, vt Franciſcus N. ſolueret poſt aliquot dies à die, qua ei litteræ conſignarentur, prout latius hæc omnia ſcripſi §. ſeq.gl. 5. num.5.& ſeqq.& num.8.& ſeqq.

In hac litterarum formula, quam poſui hic ſupra, illæ quatuor perſonæ apparent realiter, & diſtinctæ, nunc pono formulam, in qua tres tantum perſonæ apparent realiter, & diſtinctæ, ſed virtualiter ſunt etiam quatuor, nempè, quando vna, eademq; perſona gerit negotium remittentis, & trahentis; ſoluendo ſibi ipſi; huicq; formulæ congruit litterarum formula, de qua Bal. conſ. 190.ſempronius. lib.2. quæ formula in meo libro nimis corruptè legitur, & à me ſic reſtituitur.

Al nome de Dio Amen. à dì 1. di Febraro 1381.

Pagate per queſta prima lettera ad vſanza à voi medeſimo libre 43. de groſſi, ſono per cambio de ducati 440. c'hò riceuuto da Seio.

Sempronio

A Titio.

Et hæc de cambio in prima qualitate litterarum, nempè, de cambio non nundinali.

45 Cambium ſecundum, quod poſui ſupra num.5. videlicet, nundinale, conuenit cum præcedēti cambio non nundinali in tribus.

Primo, quia ſicut illud eſt reale, vt dixi ſupra nu.30. ita etiam reale eſt iſtud, ideoq; licitum, vt diſputando firmaui infra q.7.par. 1. num.50. præſertim cum à Pio V. ſit permiſſum, vt patet ex eius conſtitutione, quam habes infra §.9.num.52.

Secun-

Secundo, quia sicut in illo is, qui credit pecuniam alteri, recepturus postea alibi solutionem, habetur pro emptore, vt, loquendo in cambio minuto, dixi supra num. 20. ita etiam in isto mercator, qui dat suas pecunias cambio, dicitur emptor, quia emit scutos marcharum, & qui accipit, dicitur venditor, quia eos vendit, vt latius explicaui q. præced. num. 21. & infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 67. & seqq. & alibi sparsim.

Tertio, quia in vtroque requiritur iustitia pretij, cum in vtroque consideretur, vt dixi hic supra, emptio & venditio, in qua requiritur iustitia pretij, vt latè declaraui infra q. 7. par. 2. ampliat. 10. num. 67. & seqq. & de imponendo pretio scutis marcharum, scripsi S. seq. gl. 4. num. 14. & 15.

46 Differunt autem semper in hoc vno, quòd illud fit, nullo termino, seu dilatione data ad soluendum, vt dixi q. præcedenti in 5. differentia, sub num. 13. istud verò cum dilatione ad nundinas, Fabian. tract. de camb. par. 2. cap. 2. sub num. 51. vers. & similiter. tom. 6. par. 1. fol. 416. & dixi supra sub d. nu. 13.

47 Quia Doct. communiter scribunt, artem campsoriam esse Reip. valdè vtilem, & necessariam, siue loquamur de cambio minuto, siue de cambio per litteras, vt patet ex his, quæ scripsi q. seq. sub num. 14. nunc in hoc ipso cambio nundinali vtilitatem hanc euidenter ostendam, ponendo casus ad praxis vsum.

Primus casus est, quando tu, habens Genuæ scut. 200. vis illos Neapolim remittere, & quia per viam cambij non nundinalis ex illis scut. 200. quos dares campsori in Ciuitate Genuæ, non haberes in Ciuitate Neap. nisi scut. 190. tu eos in Ciuitate Genuæ das cambio pro proximis futuris nundinis Placentiæ, vbi deinde eosdem denuo das cambio (quod vocant de reditu nundinarum) pro Ciuitate Neap. ex quibus duobus cambijs tu in Ciuitate Neap. habebis non solum scut. 200. sed aliquid amplius.

48 Secundus casus est, quando tu Romæ de mãdato Genuensis, habentis litem in Sacræ Rotæ tribunali, soluis de tuis proprijs pecunijs scutos centum sollicitatoribus, procuratoribus, aduocatis, scriptoribus, & pro alijs expensis, quibus scutis 100. solutis, tu statim, totidem indigens, Romæ eosdem accipis cambio pro proximis nundinis Placentiæ, præcedente ordine eiusdem Genuensis ab initio, vt de eis te reualeres per viam cambij; cum solutio hac via nundinarum tibi sit prompta, & Genuensi vtilis, quia eam faciet cum minori interesse, & cum maiori commoditate: &, his scut. 100. vnà cum interesse acceptis cambio, tu Genuensem certiorem reddis de cambio, vt illud in nundinis soluat.

49 Tertius casus est: mercator Genuensis ex Ciuitate Genuę vult remittere scut. 10000. ad Ciuitatem Messanæ, vt illic mercaturam sericam exerceat, non inuenit Genuæ, qui trahat, vel inuenit qui trahet, sed cum nimio remittentis damno, ideo dat illos cambio pro proximis futuris nundinis Placentiæ, vt inde facilius, & sine damno ex reditu nundinarum campset pro Ciuitate Messanæ: & quia cambium isto casu inseruit mercaturæ, iuxta ea, quæ scripsi q. seq. num. 7. vers. cambium verò. ideo est cæteris minus suspectum, & Reip. magis vtile.

50 Quartus casus est: Mediolanensis dedit cambio scutos 2000. pro futuris proximis nundinis Placentiæ, interim indiget scut. 1500. in Ciuitate Neapoli pro mercatura, quam illic exercet, ideo capit dictos scut. 1500. cambio pro futuris proximis nundinis Placentiæ, vbi ex scut. 2000. per eum cambio datis soluet scut. 1500. per eundem cambio acceptos.

51 Quintus casus est, quando Genuensis, habens Genuæ scut. 1000. in capsa, quos non vult ponere in mercibus, neque in stabilium, aut redituum emptione, neque vult eos tenere otiosos sine fructu, & ideo dat eos cambio pro nundinis Placentiæ, cum ordine, quòd ex nundinis remittantur sibi ad Genuam, seu ad alium locum cum illo interesse, seu beneficio, quod respondebunt cambia, prout casum hunc habes in quadam cambij disputatione, quam retuli infra S. 9. nu. 1. & seqq. & quòd regulariter cambia pro foro Placentiæ nõ fiant ad effectum, vt pecuniæ, illic soluendæ, inuestiantur in Ciuitate Placentiæ, sed vt ex eiusdem foro ad alias mundi partes, seu ad eundem locum, in quo contractum est cambium, remittantur per viam noui cambij, habes in quadam cambij terminorum instructione, quam retuli eodem S. 9. nu. 42. & isto quinto casu hic Genuensis non exercet cambium causa mercaturæ, iuxta ea, quæ de vero cambio scripsi q. seq. sub num. 7. & hic in casu præcedenti, sed exercet solum pro negotiatione lucratoria.

Et

52 Et de isto, qui ita exercet cambium, contingit dubitare, an dicatur mercator, vel negotiator per ea, quæ, discutiendo, an negotiari, & mercari sint idem, & an dantes mutuas fœnebres pecunias, & campsores dicantur mercatores, vel potius negotiatores, scribit Stracch.tract.de mercat.par.1. num. 5. 43. 67. & sub num.68. tom.6. par.1.fol. 285. & seqq. & ad id facit, quod scribit Boninf.tract.de camb.cap.7.versus finem, vers. resta à considerare. Quæ dubitatio est vtilis etiam pro intelligentia legum, & statutorum, prohibentium officialibus, ne negotientur, vt in statutis Genuensibus lib. 1. cap.14. de ordine seruando, &c. §. nequeant potestates. nam eiusmodi leges, & statuta habebunt locum in cambijs huius quinti casus, cum negotiari sit emere, & emptum reuendere causa lucri, per ea, quæ dixi infra q.7.par.2.ampl.11. num.7. vers. confirmatur. & par.3.limit.17. num.19. & seq. & cambium huius quinti casus, an sit licitum, proposui in capite difficultatis infra q. 7. par.1. initio, & de eodem discutitur particulariter in quadam disputatione, à me relata infra d.§.9.num.1.& seqq.

53 Hoc cambium nundinale, attentis eius qualitatibus, est multiplex: quodam enim dicitur, *al conto*; quodam, *al prezzo corrente*; quodam liberum; quodam non liberum, prout est cambium, *con la ricorsa*; quodam licitum, seu iustum; quodam verò illicitum, & iniustum, vt dixi supra num.7.& seqq.

Cambium, *al conto*, dicitur illud, quod fit pretio, quo initio celebrādarū nundinarum imponitur scuto *de marche*, vt scribit etiam Io.Bapt.Cauat.tract. de camb. in præludijs, vers.respondeo. & vers. seq. fol. 215. hocq; pretium imponitur à magistratu mercatorum, qui magistratus est in duplici loco: est enim in Ciuitatibus, in quibus contrahuntur cambia pro nundinis, & pro alijs locis, vt puta in Vrbe, Venetijs, Florentiæ, Genuæ, & similibus; & est in nundinis, in quibus pretium imponitur scuto *de marche* pro cambijs, quæ contrahuntur ibi, & dicuntur de reditu nundinarum, vt scribit etiam Romoal.Coli Lucens.tract.de camb.cap.16.& dixi latius infra q.7.par.1.num.93.& §.seq. gl.3.num.70.& gl.4.num.13.& 14. vbi videas, quæ tu forsan hic desiderasses.

54 Sed quò clarior res fiat in praxi, do exemplum huius cambij, *al conto*, contrahendi in Ciuitate pro nundinis: Tu de mense Octobris vis in Ciuitate Genuæ dare mihi ad cambium scut. 100. auri pro proximo futuro foro Sanctorum, idest, vis à me emere scutos *de marche* vsque ad centum scutos

55 auri: vnde in primis tu calculas scutum auri in lib.3.& sol.8. sicq; in sol.68.quia Genuæ in ratione cambij semper tanti æstimatur, vt habes in quadam terminorum cambij instructione, à me relata infra §. 9. num. 26. & scribit Romoal. Coli tract. de camb. cap. 11.& dixi etiam infra §.5.gl.2.num.1.quod tamen est pretium fictum, quia Genuæ non

56 reperitur scutus huius valoris, † deinde calculas scutum *de marche* in sol.67. quia tanti pro foro Sanctorum est æstimatus à magistratu, seu consulatu mercatorum, cum iste scutus in ratione cambij non habeat aliud pretium, quàm illud, quod ei singulis nundinis imponitur à mercatoribus, de quo scuto *de marche*, si plura hic scire desideras, vide quæ scripsi §.seq.gl.3.num.67. calculo ita facto, tu reperies, quòd scut. 101.9.& 9. marcharum, soluendi Placentiæ in foro Sanctorum, valent scut. 100. auri, soluendis Genuæ de mense Octobris, & proinde ego, acceptis à te dictis scut. 100. facio tibi litteras cambij pro scut.101.9.& 9.*de marche*, soluendis in proximo foro Sanctorum.

57 Aduertas hic, quòd etsi ego, attento dicto pretio sol. 67. scuti *de marche*, sim debitor scutorum *de marche* 101.& sol.33.tamen isti sol.33.sunt in moneta vsuali, & non in moneta aurea, quia scutus *de marche*, vti scutus aureus, rationatur Genuæ pro sol.20. aureis, vt latius notaui §.seq. gl.3. num.16. vers.aut loquimur. & §.5.gl.2. nu.1. ideoq; illi solidi 33.reducti ad sol.aureos, erunt sol. 9.& d. 9. auri, & hoc dicitur cambium, *al conto*, quia est factum iuxta pretium, impositum à magistratu.

58 Et quia postea in nundinis sanctorum magistratus, vt dixi supra sub num.54. & §. seq.gl.2.sub num.7.& gl.4.sub num.13.imponit denuo aliud pretium scuto *de marche* pro qualibet Ciuitate, in qua negotiantur cambia, & istud pretium dicitur pro reditu fori; ideo si eosdem scutos 101. 9. 9. velis remittere per viam noui cambij ad aliquam ciuitatem, tu ex illis scutis marcharum habebis pretium, impositum pro cambio ex nundinis ad illam Ciuitatem, pro qua das cambio, receptis ab eo, cui das, litteris cambij, & similiter hoc dicitur cambium, *al conto*, quia continetur finibus pretij, impositi

positi à magistratu in foro nundinali.

Hoc, quod dixi de certo valore scuti aurei, nempè sol. 68. & de incerto valore scut. *de marche* procedit, vt dixi, in Ciuitate Genuæ; cæterum in alijs Ciuitatibus mos cuiusque Ciuitatis debet attendi.

59 In Gallia enim valor scut. *de marche* sunt 44. solidi Turronenses, vt scribit Romoald. Coli tract. de camb. cap. 11. in fine, qui tàm in Lugduno, quàm in Ciuitate Genuæ rationantur in sol. 67. & den. 4. Iureconsf. Genuen. quem, suppresso nomine, refert Fabian. Genuen. tract. de camb. cap. 7. sub nu. 68. vers. reuerendissime. versus finem, tom. 6. par. 1. fol. 418.

60 Lugduni marcha valet immobiliter scut. 65. vt dixi infra num. 68.

In alijs locis, vt partim vidi, partim audiui, & partim legi apud alios, cambia alio monetarum genere contrahuntur.

61 Romæ enim non cambitur ad rationem solidorum, sed ad rationem scutorum aureorum, vt puta, dantur scut. 98. plures, paucioresvè pro scut. 100. *de marche*, in foro Placentiæ.

62 In Regno Neap. dantur duc. 130. plures, paucioresvè pro scut. 100. *de marche*.

63 In Ciuitate Venetiarum prò Lugduno dantur duc. 120. paulò plures, seu pauciores, iuxta fori æstimationem pro quolibet centenario scutorum aureorum Solis, sol-

64 uendorum Lugduni, † quia aurei Lugdunenses, qui dicuntur, *del Sole*, sunt maioris valoris, quàm ducati Veneti, sic etiam scuti marcharum sunt maioris valoris quàm ducati Neapolitani; quantum enim attinet ad valorem accidentalem ratione, vt loquuntur, latitudinis, seu strictitudinis, idest, copiæ, vel inopiæ monetæ, non solet esse differentia, nisi in duobus, vel tribus scutis pro centenario pro quolibet foro.

Anruerpiæ quomodo fiant cambia, quo nempè monetæ genere, quo pretio, & ad quæ loca, videlicet Flaandriam, Venetias, Mediolanum, Madritum, Vlissiponem, Vesutium, Lugdunum, Parisios, Rotomagnum, & Francofurtum, vide Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. num. 51.

Sed pro vberiori intelligentia eorum, quæ respiciunt modum contrahendi cambium, sunt aliqua aduertenda.

65 Primo, quòd res ad vitam humanam necessariæ, vt sunt frumentum, vinum, lana, & similia, dupliciter venduntur: Aut enim venduntur pretio imponendo, & ideo incerto, vt puta, si tu Romæ de mense Maij emas ab Anagnino tantam quantitatem frumenti, quod valeat scut. 100. quos ei tunc anticipatè soluis, cum pacto, quòd illud emis pro pretio, imponendo à Reu. Cam. Apostolica, & quòd teneatur illud frumentum tibi consignare per totum sequentem mensem Septembris; & quamuis Cam. Apostolica vt plurimum imponat pretium minus eo, quo vendebatur de mense Maij, quando tu dedisti scut. 100. & minus eo, quo vendi solet in cæteris futuris mensibus autumnalibus, & hyemalibus, cum omnis res minoris valeat, quando eius rei est copia, vt, loquendo de quauis merce, scribunt Couar. var. resol. lib. 2. cap. 3. nu. 5. vers. sexto hinc. & Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsur. circa cambia. num. 294. in fine, & in cap. naulganii. vers. vigesimo dicimus. num. 51. de vsur. & scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 6. sub num. 7. & dicitur adesse copia alicuius mercis, quando adest copia vendentium illam mercem, & inopia ementium, & è conuerso dicitur esse inopia mercis, quando adest inopia venditorum, & copia emptorum, Couar. vbi supra. & Nauar. in man. confess. cap. 23. de empt. & vendit. num. 85. vers. admonemus: &, loquendo in casu nostro d. cap. 17. sub nu. 295. &, quòd paucitas, aut pluralitas emptorum conducat ad taxandum pretium iustum rerum venalium, ita vt cum abundant emptores, cæteris paribus, merces pluris valeant; è contra verò, si deficiunt, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. caus. 6. in 2. argum. fol. 284. col. 2. & quòd lanarum Hispanicarum pretium crescat, & decrescat ex copia, & inopia commissionum, à Genuensibus emanantium, quia, si multæ, atque amplæ sint commissiones Genuensium ad emendas lanas, accrescit lanarum pretium, si verò sint paucæ, minusq; amplæ, decrescit pretium, deficientibus præcipuis emptoribus, merceq; abundante; & proinde lanarum pretium multum illis in locis pendeat à Genuensium voluntate, scribit Lud. Molin. de iust tom. 2. de contract. disput. 359. vers. quia verò. & vers. seq. col. 445. & 446. &, loquendo in pretio cambiorum, scripsi infra q. 7. par. 1. num. 76. in fine, tamen hæc emptio est licita, vt secutus sum d. q. 7. par. 1. num. 56. confirm. 2. & iste primus modus vendendi, & emendi pro pretio incerto regulariter est dis-

similis à venditione, & emptione scutorum *de marche*, cũ scutus *de marche* vendatur appretiatus, vt dixi num. seq. dixi autem, regulariter esse dissimilem, quia aliquando est similis, cum etiam cambium possit contrahi pro pretio incerto, & sic pro pretio, imponendo, vt dixi infra q. 7. par. 2. ampliat. 14. num. 1. † Aut venduntur pretio certo, & præsenti, vt puta; tu Romæ de mense Septembris das Anagnino scut. 100. pro 20. rub. frumenti, tibi consignandi de mense Maij proxime futuri, appretiato quolibet rub. scut. 5. & huiusmodi venditio conuenit cum cambio: nam sicut emptor emit certam quantiatem grani, consignandi in certo futuro tempore, ita etiam dans cambio emit certum numerum scutorum marcharum, consignandorum in proximo futuro foro, & ideo obseruabis, quòd litteræ cambij continent certum numerum scutorum marcharum emptorum, & pro cambio contracto in nundinis continent certum numerum pecuniæ, seu monetæ, soluendæ in Ciuitate pro scutis *de marche*, venditis in nundinis; † Item sicut si tibi liceret dictum granum emere causa negotiationis, nunquam esses certus, an & quantum in tali negotiatione lucratus esses, nisi cum, dicto grano reuendito, pretium reduxisses ad capsam, cum posset euenire, quòd antequam illud reuenderes superueniret tanta copia grani, vt rubrum, quod tu emisti scutis quinque, valeret scutis quatuor, sic etiam in negotiatione cambij; qui emit scutos *de marche*, non est vnquam certus de lucro, vel damno, nec de quantitate, nisi cũ pretiũ reduxerit ad capsam, quia licet in primo cambio sit certus de lucro, cum plures sit recepturus scutos *de marche* in nũdinis, quàm dederit, vt patet ex exemplo, de quo supra num. 54. & seqq. tamen lucrum cognoscetur in secundo cambio, seu recambio, quod faciet ex nundinis, vt aduertit etiam Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. non deue.

68 Secundo aduertendum est, quòd nihil refert, an valor scuti *de marche* dicatur immobilis, prout in Ciuitate Lugduni, vbi marcha valet semper immobiliter scut. 65. vt scribit Boninf. tract. de camb. cap. 5. vers. sono ancora. & cap. 7. vers. non deue. in responf. ad quintam difficultatem; vel consideretur tanquàm mobilis, vt in Ciuitate Genuæ, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 55. quia in ratione cambiandi paria sunt, quòd scutus *de marche* sit certi valoris semper, & ideo longè ante tempus futurarũ nundinarũ; vel sit certi valoris solũ, approximantibus nũdinis; siquidem vtroque casu contrahẽtes sunt certi de pretio, & sic de lucro, sed sunt incerti pro secũdo cãbio reditus fori, vt considerat etiam Boninf. d. vers. non deue. & satis patet ex his, quæ scripsi supra num. 67. & in cambio pro Lugduno addit Boninf. quòd etsi dans cambio sit certus de certo lucro, tamen illud lucrum redditur incertum, & varium, ex quò moneta in Lugduno propter varia accidentia crescit, & decrescit.

69 Tertio aduertendum (quod satis colligitur etiam ex prædictis) est, quòd is, qui dat cambio, semper dat anticipatè, siue emat, siue vendat: nam si dat pro nundinis, soluit anticipatè pretium scutorum marcharum, vt scripsi supra num. 34. in 2. differentia: si verò dat in nundinis, quasi reuendendo eosdem scutos marcharum, similiter eos dat anticipatè, & postea recipit illorum pretium: & hæc de cambio, *al conto*.

70 Cambium, *al prezzo corrente*, dicitur illud, de quo partes cambientes conueniunt post pretium à Magistratu initio nundinarum impositum, Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in præludijs, vers. respondeo. fol. 215. habito tamen semper respectu ad pretium, quod est impositum à Magistratu, cum in isto pretio currenti non liceat discedere à pretio imposito, nisi in aliquo minimo, vt puta, in vno, duobus, vel tribus denarijs pro scuto, quia mercatores diuites, quos negotiatores vocant, *Dette bone*, erubescerent accipere cambio, *al conto*; eo enim ipso non viderentur diuites; quare si Magistratus appretiaret scutum *de marche* sol. 67. mercator diues, & magni crediti vendet illum sol. 67. d. 4. quia vtilius est habere debitorem securum in scut. 100. quàm non securum in scut. 101. vt latius scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 68. & seqq.

71 Cambium nundinale liberum dicitur illud, in quo venditor scutorum *de marche*, idest, qui accipit cambio, committit per litteras cambij suo correspondenti, vel alteri mandatario, vt soluat, & proinde is, qui ei dat cambio verisimiliter speret solutionem cambij in nundinis.

Huius cambij nũndinalis liberi, siue sit, *al conto*, siue, *al prezzo corrente*, pono casum, & litteras cambij: Petrus, qui negotiatur in foro Placentiæ, & communiter reputatur ido-

idoneus ad soluendum in illo foro scut. 101. 9. & 9. *de marche*: & longè maiorem summam, requirit Franciscum, an velit sibi dare ad cambium scutos centum auri pro proximis nundinis Sanctorum; dat ei Franciscus, rationato quolibet scuto marcharum pro sol. 67. vt in exemplo, de quo satis scripsi supra num. 54. & seqq. Petrus, acceptis his scut. 100. facit Francisco litteras cambij, quarum litterarum tenor est infrascriptus; & in substantia casum similem in cambio ex Florentia pro Lugduno format Ioan. Baptista Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 19. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 138.

72 1614. 21. *Ottobre, in Genoua.*
scut. 101. 9. 9. de marche.

A pagamenti di fiera prossima de Santi pagate per questa prima di cambio à Seio scudi 101. 9. & 9. de marche per la valuta hauuta di contanti da Francesco; ponete à nostro conto. à Dio.

Pietro.

A Titio.

Piacenza per fiera de Santi.

Nota, quòd illi sol. 9. & d. 9. sunt auri, & sunt loco illorum sol. 33. vsualium, qui in sol. 100. ex quibus conficitur scutus, sol. 67. supersunt, vt declaraui S. seq. glos. 3. nu. 16. & 17. & dixi supra num. 57.

Hanc litterarum formulam, paucis mutatis, ponunt in substantia Boninf. tract. de camb. cap. 4. vers. pagate in fiera. fol. 8. & Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. alio autem modo. fol. 213.

73 Aduerte primo, quòd huiusmodi litteræ duplicantur, seu triplicantur, & singulæ habent eadē formalia verba, præterquā quòd in vna dicitur, *per questa prima*; in alia, *per questa seconda*; & in alia, *per questa terza*; & sic deinceps, si plures fierent, vt aduertit etiam Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. In prælud. vers. huiusmodi litteræ fol. 213. col. 1. vel posset in omnibus dici: *pagata per vna volta sola*, vt latius explicaui S. seq. glos. 6. sub num. 2.

74 Aduerte secundo, quòd istæ litteræ, quot quot fiant, dantur eidem Francisco, qui dat cambio, vt casu, quo primæ deperderentur, vt contingere potest, possit præsentare alias, vt dixi d. gl. 6. num. 1. & 2. &, loquendo de cambio nonnundinali, monui etiam supra sub num. 44.

75 Aduerte tertio, quòd in isto, sicut in cæteris cambijs nundinalibus, possunt interuenire tres personæ, vt scribit Romoald. Col. tract. de camb. cap. 10. Item possunt interuenire quatuor personæ, prout admonet idem Romoal. vbi supra, &, loquendo de cambio non nundinali, scripsi supra num. 35. 40. 42. & 44. in fine, & hoc sciunt omnes, & vsus quotidie docet; duo enim interueniunt in loco, vbi fit contractus cambij; nempè ille, qui dat ad cambium, & ille, qui accipit; & duo interueniunt in loco, ad quem destinatur solutio, quorum vnus est ille, cui debitor committit, vt soluat, & alter est ille, cui creditor scribit, vt recipiat solutionem, vnde & in litteris, quarum formulam posui supra num. 72. prima persona est Franciscus; secunda Petrus; tertia Titius; quarta est Seius, & hoc cambium, in quo interueniunt quatuor personæ, esse licitum, scribit Nauar. conf. 31. reuerendiss. vers. quartum notabile. lib. 5. de vsur. in casu tamen, quo Petrus debitor vellet ad nundinas accedere, & ipsemet soluere, tunc mutarentur litteræ quoad personam, quæ deberet soluere; quia Petrus debitor scriberet non Titio, vt in præcedenti formula litterarū, sed scriberet sibimetipsi, vt aduertit etiam Io. Bapt. Cauat. d. vers. alio autem modo. fol. 213. Similiter casu, quo Franciscus creditor vellet accedere ad nundinas, & ipsemet exigere, litteræ cambij mandarent, solutionem fieri non Seio, vt in præcedenti formula, sed ipsi Francisco; & hoc cambium nundinale posse fieri solo duarum personarū interuentu, notat etiam Romoald. d. cap. 10. quare cum vterque, nempè, is, qui dat cambio, & is, qui accipit, vult esse in nundinis, tunc debitor soluit creditori, & extinguitur cambium, Romoald. in loco supra proximè citato.

76 Aduerte quarto, quòd si litteræ prædictæ cambij liberi sint conceptæ, vt earum solutio sit facienda non Seio mandatario Francisci, sed ipsi Francisco; & Franciscus nolit accedere ad nundinas, sed velit litterarum solutionem fieri Seio, qui non est positus in litteris cambij, tunc Franciscus, aduenientibus nundinis, & die spacci, mittet eidem Seio ad nundinas Placentiæ prædictas literas, vnà cum sufficienti mandato ad exigendum, & insimul scribet eidem litteras *d'auiso*, seu *de spaccio*, quarum formula erit ista.

Istæ sunt litteræ, vt vocant, *d'auiso*, seù, *de spaccio*, quas Franciscus, qui dat cābio, scribit Seio cui remittit, & vna cum istis litteris, *d'auiso* mittit eidem litteras cābij, factas à Petro, & soluēdas à Titio.

77 *1614. à 27. Ottobre in Genoua.*

Mag. hon. In codesta fiera di Santi vi rimetto per mio conto scudi 101. 9. *& 9. da Titio per lettera di Pietro, ne procurarete accettatione, & pagamento, dandomene credito, & facendomene rimessa quà per vostra lettera, ò d'altri sopra di voi, leuandone la vostra prouisione d'vn terzo, & vndecena de gabella. A Dio.*

Francesco.

A Seio.

Piacenza.

Et hæc formula benè colligitur ex his, quæ scribunt Boninſ. tract. de camb. cap. 4. verſ. pagate in fiera. in fine, & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 16. & apertius sub num. 19. & 20. verſ. quæ litteræ. de vsur. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 138.

Similiter, retenta formula prædictarum litterarum cambij, quibus mandatur Titio, vt soluat; Petrus debitor mandans, in die spacci scribet eidem Titio litteras *d'auiso*, seu *de spaccio* sub ista formula.

Istæ etiam sūt litteræ, *d'auiso* quas Petrus qui accepit cābio, scribit Titio, in quem trahit.

78 *1614. à 27. Ottobre, in Genoua.*

Mag. hon. come vedrete per mie di cambio, vi hò tratto scudi 101. 9. *& 9. in Seio, contimi da Francesco, farete contento pagarli, darmene debito, & con vostre spese valeruene quà da me, che li compirò. Dio vi guardi.*

Pietro.

A Titio.

Piacenza.

Hasq; litteras vocari *d'auiso*, seu *de spaccio*, scribunt Rot. Genuen. decis. 142. causa mota. num. 2. in fine, & Ioan. Baptista Cauat. tract. de camb. in præludijs, verſ. post prædictas fol. 214. & de his litteris, scriptis à debitore, loquitur etiam Io. Bat. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 19. ibi, vnde titius litteras. de vsur. inter tractat. diuerſ. tom. 7. fol. 138. & ab Hispanis vocari, *cartas d'auiso*, scribit Ant. de Gamma decis. 336. aduersus. sub num. 2. & ab his litteris non dissimilem ponit formulam Io. Bapt. Cauat. d. tract. de camb. in prælud. verſ. tenor litterarum. fol. 214.

Istæ sunt litteræ responsiuæ, quas Titius mittit ad Petrum.

79 *1614. à 8. Nouembre, in Piacenza.*

Mag. hon. per risposta del vostro spaccio, hauuto in questa fiera de Santi, dirò hauerui dato debito de scudi 101. 9. 9. *che mi hauete tratto in Seio per la valuta da Francesco, e più scudi* 0. 6. *per mia prouisione, & scudi* 0. 2. *di gabella de cambij, che in tutto sono scudi* 101. 18. 5. *li quali vi hò tratto à fol. 69. in lo mio Titio de costi per li* 24. *di questo, che pagarete saldandone il conto.*

Titio.

A Pietro.

Genoua.

80 Istis peractis, Seius mandatarius Francisci, habitis à Titio dictis scut. 101. 9. & 9. *de marche*, & detracta ex eis sua prouisione, & gabella, vt in formula litterarum *d'auiso*, de quibus supra num. 77. dat in nundinis Placentiæ ad cambium Antonio scut. 101. 1. & 1. *de marche*, ad fol. 69. pro scuto, pro Ciuitate Genuæ, & iste Antonius facit litteras cambij, soluendas dicto Francisco à Meuio, quarum litterarum formula erit ista.

1614. à 5. di Nouembre, in Piacenza. scudi 101. 1. *& 1.*

A 24. del presente pagate per questa prima di cambio à Francesco scudi 101. 1. *& 1. à fol. 69. per scudo in scudi d'argento, conforme al decreto del Serenissimo Senato, per la valuta hauuta da Seio, & ponete, come s'auisa. A Dio.*

Antonio.

A Meuio.

Genoua.

81 Successiuè in proximo futuro die spacci idem Seius mittit eidem Francisco prædictas litteras cambij cum alijs *d'auiso*, quas, respondendo, scribit eidem sub ista formula.

1614. à 9. di Nouembre, in Piacenza.

Mag. hon. Hò riscosso li scudi 101. 9. *& 9. che per vostro conto mi hauete rimessi, datouene credito, & contradebito di scudi* 101. 1. *&* 1. *à fol. 69. ve li rimetto da Meuio per lettera di Antonio, procuratene pagamento, estinguendone il conto, che con la prouisione, & gabella trouarete star giusto. A Dio.*

Seio.

A Francesco.

Genoua.

Franciscus, receptis dictis litteris, exiget in vim earum dictos scut. 101. 1. & 1. sicq; Franciscus ex isto cambio, & recambio lucratur in totum scutos duos argenteos. 10. & 10. & totum hunc ordinem sub diuersa summa ponunt Boninſ. tract. de camb. cap. 4. verſ. così anco. fol. 8. & apertius Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub nu. 19. & 20. de vsur. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 138.

82 Aduerte quinto, (continuando ea, de quibus supra num. 73. quòd dum prædicti Fran-

Franciſcus creditor, & Petrus debitor ſcribunt prædictas litteras *d'auiſo*, vterque eorum notat in libro computorum hoc ordine, quem habui à peritiſſimo campſore.

Nel libro di Franceſco.

Pietro per ſcudi 101.9.9. de marche datili à cambio per Piacenza fera proſſima de Santi à ſoldi 67. valeno per caſſa, ouero qualche-duno de Cartularij, doue ſi fuſſe girata. ——— *lib.* . . . .

Seio in Piacenza fera de Santi per ſcudi 101.9.9. de marche, remeſſili da Titio per lettera di Pietro, conti à ſoldi . . . . valeno per eſſo Pietro ——————— *lib.* . . . .

In li ritorni di fera.

Meuio per ſcudi 101.1.1. à ſoldi 69. in lui rimeſſomi da Seio di Piacenza fera paſſata de Santi per lettera di Antonio per li 24. di queſto valleno per eſſo Seio di fera di Santi. ——————— *lib.* . . . . .

Far buono à detto Seio di Piacenza ſcudi 0. 8.8. per prouigione, e gabella ſopra detta partita ſenza riferire ——— *lib.* . . . .

Nel libro di Pietro.

Caſſa per Franceſco ſcudi 100. datomi à cambio per fera de Santi à ſoldi 67. valeno per eſſo Franceſco ——— *lib.* . . . .

Franceſco per ſcudi 101.9.9. de marche, che li hò dato lettera per Piacenza fera proſſima de Santi in Titio, pagabili à Seio, valeno per eſſo Titio di fera ——— *lib.* . . . .

Quia modus ſcribendi has partitas in libris eſt ad beneplacitum, dummodo ſcribantur omnia clarè, & non confuſè, ideo poteris tu videre modos, quos ſcribunt Boninſ.tract.de camb.cap.4. verſ. pagate in fiera. fol.8. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. poſt q.78.in diſput.de camb.q.4.art.2.controu.12.ſub nu.1. verſ.receptis. & ſeqq.fol. 585.tom.2. Et hæc pro cognitione cambij liberi.

83 Cambium non liberum ex relatis per Nauar. infra citatum, poteſt exemplificari in triplici cambio, primum dicitur, *con recapitar le lettere ſopra il datore*: ſecundum, *con le contationi*: tertium, *con la ricorſa*. primum eſt, quando accipiens cambio rogat dantem, vt committat correſpondenti ipſius dantis, quòd ſoluat ſibi ipſi litteras cambij: ſecundum, *con le contationi*, differt à præcedenti in ea ſola qualitate, quòd in primo is, qui accipit cambio, ſoluit vnā prouiſionem dicto correſpondenti; at in iſto ſecundo ſoluit duas prouiſiones, vnam ſcilicet correſpondenti prædicto, & alteram illi, qui dedit ei ad cambium: tertium, *con la ricorſa*, differt etiam à primo in hoc ſolo, quòd in primo is, qui accipit cambio, rogat dantem, vt ipſemet ſupra ſe compleri faciat litteras cābij, at in hoc is, qui dat cambio, non vult dare cambio, niſi is, cui dat, ſe obliget trahere in correſpondentem dantis, Nauar. ſeu queuis apud eum conſ.31. reuerendiſs. poſt initium, in figuratione caſus cambiorum, lib.5. de vſur. vbi teſtatur, ſe praxim hanc didiciſſe à mercatoribus, prout eundem, ſic teſtantem, retuli ſupra q.2.num.17.

Sed tota hæc doctrina, & praxis (ſit Nauarri, & mercatorum, à quibus eam ipſe accepit, pace dictum) partim eſt confuſa, præſertim dum nititur declarare qua ratione ex cambio, *con le contationi*, poſſit accipi duplex prouiſiō, partim eſt damnabilis, quia mercatores ipſi damnant illam duplicem prouiſionem, vt patet ex his, quæ ſcripſi infra §.3.gl.3. nu.15.17. & ſeqq. vbi habes, an,& quando ſolui debeat prouiſio, & quando duplex; & ſimiliter Doct. communiter damnant cambium, *con la ricorſa*, quo accipiens obligatur trahere in dantem, ſeu eius correſpondentem, vt ſcripſi infra q.7 par.3.limit.15. num.1. & partim eſt ſuperflua, quia ſolutio vnius, vel duplicis prouiſionis, nullam habet vim mutandi ſpeciem cambij; prout minus alteratur natura cambij, *con la ricorſa*, eo quia dans cambio ſoluat ſibi ipſi, vel ſibi ipſi ſoluat accipiens: vtrouis enim modo fiat ſolutio, ſemper dicitur cambium, *con la ricorſa*; quare, habita in primis pro ſuperflua relata triplici ſpecie cambij non liberi, & ſuppoſita vna tantum, quæ dicitur, *con la ricorſa*, pro faciliori intelligentia pono vtrumque modum huius cambij.

Primus modus eſt, vt creditor ſoluat ſibimetipſi, mediante ſuo correſpondente: prout admonent etiam Nauar. d. conſ. 31. reuerendiſs.initio,& verſ.inter omnia.lib.5. de vſur. Mich Sal. ad D.Thom. 2.2. poſt q. 78.in diſput.de camb.q.4. art.2. contr. 12. num.1.tom 2.fol.585. Alex. Raud. in opuſculo ſuper banc.S.Ambr.num.37 in fine, & num.38.& Ioan.Bapt. Cauar. tract. de camb.in prælud.q.3. fol. 213 & quòd quis poſſit exigere à ſeipſo,ſecutus ſum infra §.6. gloſ.1 num.25.& cambium cum recurſa in iſto primo modo eſſe in frequenti vſu, teſtantur Nauar. d. verſ. inter omnia. & Boninſ.

nin∫.tractat.de camb.cap.4. ver∫.così anco. versus finem, & omnia ferè cambia, quæ in Italia exercentur, hoc modo fieri, ∫cribit Mich. Sal. in loco, ∫upra proximè citato; quinimo vbique terrarum & ferè ab omnibus exerceri, ∫cribunt Nauar. vbi ∫upra, & Mich.Sal.d.controu.12.num.2.& 3.in fine, ver∫.hoc genus. fol.587. & exerceri publicè ab omnibus mercatoribus Italię ex quocunque loco, ∫cribit po∫tea ∫ub num. 6. ver∫.me in hanc. & num.7.fol.591.& ∫æpè fieri eiu∫modi cambia in Ciuitate Genuæ, habes in quadam terminorum cambij in∫tructione, à me relata infra §.9. num.43. & in hoc cambio ver∫ari totam ferè nummulariorum artem,& negotiationem,quę non gratia mercium fit, ∫ed quæ∫tus, & lucri, ∫cribit, loquendo de hoc cambio, Io.Azor.de in∫titut. moral.par.3.lib.10.tit.de camb.cap.8. ver∫. hæc conditio. & initio illius capitis, & e∫∫e no∫tro ∫eculo inter nummularios v∫itati∫∫imum, & ab Italis vocari cambium, *con la ricorsa*, ∫cribit cap. 9. q. 2. ver∫. hoc cambium.

A. I∫tæ ∫unt litteræ cambij, *con la ricorsa*, quas Petrus, qui Genuæ accipit cambio à Franci∫co, ∫cribit eidem Franci∫co Placentiæ, ∫ed dantur ei Genuæ tunc vna cum litteris *d'auiso*, de quibus infra num. 89.

Hic modus ∫oluendi ∫ibi ip∫i, qui nihil aliud importat, quàm cambire in ∫eip∫o,e∫t ita frequens, quia e∫t vtilis, maximè Genuen∫ibus, tùm propter prouifiones, tùm propter expeditionem, & celerem executionem,datam à ∫tatuto, & non e∫t admodum di∫∫imilis iuri communi, Rot. Genuen∫. deci∫. 32. cum alias. num. 3. ver∫us finem, & num.4.

84 Secundus modus e∫t, vt debitor ∫oluat ∫ibimetip∫i debitori, vt facilius intelliges ex formulis litterarum in vtroque modo infra num.88.& num.94. ver∫.primæ. & ver∫. ∫ecundæ.

85 Cambium hoc recur∫æ ∫ump∫it, vt arbitror, nomen à re ip∫a; nam cum eueniret, quòd aliquando camp∫uarius bona fide acciperet cambio ∫cut.1000. pro proximis futuris nundinis, eo∫q; ∫peraret ∫e facilè ∫oluturum, cum haberet credita, mobile, effectus, & ∫ocios, qui negotiabantur in nundinis, in quos propterea trahebat ∫olutionem litterarum cambij; & ij litteras nollent acceptare; is ad eundem, à quo acceperat cambio, recurrebat, rogando eundem, vt ∫ecum nouum contraheret cambium, quo ei primum ∫olueret, & is daret, numerando, ∫oluendoq; ∫ibi ip∫i; ab hac facti ∫pecie negotiatores cautelam ∫ump∫erunt faciendi ab initio litteras cambij, quibus mandetur vel eidem creditori, ∫eu eius agenti, vt ∫olueret ∫ibi ip∫i, vel ip∫imet debitori, vt ∫olueret ∫ibi ip∫i; concipiendo duplicem litterarum formulam.

86 Prima formula igitur e∫t,quando debitor, accipiens cambio,∫cribit litteras directas ip∫imet, qui dedit cambio, vt ∫oluat ∫ibimetip∫i.

87 Secunda formula e∫t, quando debitor, qui accipit cambio, ∫cribit litteras directas ∫ibimet debitori, vt ip∫e ∫oluat ∫ibimetip∫i.

88 Primæ formulæ exemplum.

A. *1613. à 20. Nouembre, in Genoua, ∫cudi 101. 9.& 9. de marche.*

A pagamenti di fiera pro∫∫imâ di apparitione pagate per questa prima di cambio à voi ∫te∫∫o ∫cudi cento e vno, & 9. 9. de marche, per la valuta, hauuta di contanti dal vo∫tro France∫co, ponete à mio conto. A Dio.

Sub∫criptio, *Pietro.*

In∫criptio à tergo, *A France∫co.*

Piacenza.

Cum hac litterarum formula concordant ∫ub∫tantialiter litteræ cambij inter Petrum debitorem, & Antonium creditorem, formatæ apud Nauar. con∫.31. reuerendi∫s. ver∫.forma. de v∫ur.lib.5. & ∫unt i∫tæ.

Pagate per questa prima di cambio in fiera pro∫∫ima de tutti Santi à voi mede∫imo 500. ∫cudi del Sole per la valuta quà da Antonio, & ponete come per la d'auiso.

Et ab i∫to modo, & formula litterarum non di∫crepant in effectu contractus, & formula,quos idiomate Hi∫pano format Mich. Sal. ad D.Thom.2.2. po∫t q.78. q.4. art. 2. controu. 12. ∫ub num.1.fol.585. nam is format contractum, vt tàm debitor, quàm creditor ∫cribant vnam litteram creditoris re∫pon∫ali, qui de proprijs pecunijs creditoris ∫oluat ∫ibimet re∫pon∫ali, & litterarum formula e∫t ∫equens, ∫uppo∫itis Petro pro debitore, Ioanne pro creditore, & Andrea pro re∫pon∫ali dicti Ioannis.

Pagareis por e∫ta primera de cambio en la primera feria que viene d'Ago∫to, à vos mi∫mo mil e∫cudos de oro, à razon de onze reales y medio cada vno, y pue∫tos à mi cuente, hareys creedor dellos à Ioan, &c.

Pedro.

Pagareis por e∫ta primera de cambio en la primera feria, que viene de Ago∫to, à vos mi∫mo mil e∫cudos de oro al iu∫to valor, y a∫∫entaldos à cuenta de Pedro ∫obre mi. De Valentia,&c. *Ioan.*

Et

Et has litteras mittunt ad Andream in nundinis Placentiæ.

Super hac ipsa specie cambij, & in hac prima formula videntur factæ litteræ cambij, quas ex Bal. super eis consulente, retuli supra num.44 in fine.

89 *1613. à 20. Nouembre, in Genoua.*

A. *Mag. hon. come vedrete per mic di cambio vi hò tratto scudi 101. 9.9. de marche in voi, conti con il vostro Francesco, sarete contento pagarli, darmene debito, & con vostre spese valeruene di quà da me, che li compirò. Dio vi guardi.*

Pietro.

A Francesco.

Piacenza.

Et non dissimilem litterarum formulam ponit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud.vers.tenor verò. fol.214.

90 *1614. à 8. Febraro, In Piacenza.*

B. *Mag. hon. Per risposta della vostra, hauuta in questa fiera d'apparitione, dico hauer pagato li scudi 101. 9. 9. che mi haucte tratto, datouene debito, & contra credito de scudi 101.18. 5. che vi hò tratto à soldi 68. nel nostro Francesco, li pagarete, saldandone il conto, che con le spese trouarete star giusto. A Dio.*

Francesco.

A Pietro.

Genoua.

91 *1614. à 5. Febraro, In Piacenza.*

C. *A 26. di Febraro pagate per questa prima di cambio al nostro Francesco scudi 101. 18. & 5. à sol.68. in scudi d'argento, conforme al decreto del Serenissimo Senato, valuta contanti, & ponete à conto vostro. A Dio,*

Francesco.

A Pietro.

Genoua.

Ne forsan decipiaris in calculo huius cambij aduerte, quòd in eo Genuenses calculant solidos 6. d. 8. pro prouisione vnius tertiæ partis scuti pro centenario, & sol. 2. pro gabella.

Similem litterarum formulam in substantialibus habes apud Nauar d. cons.31. reuerendiss. vers. pagate. quas litteras scribit Franciscus Petro debitori, pro quo iste Franciscus soluit eius tractam sibiipsi, debitam Antonio, vt habes supra sub num.88. vers.cum hac.

Pagate per questa prima di cambio à 15. di Decembre scudi 501. & dui terzi di Sole à scudi 102. & mezzo d'oro per cento ad Antonio, per la valuta contami, & ponete à vostro conto sopra detto Antonio.

92 His peractis: Aut Petrus soluit ipsi Francisco dictos scut. 101.18.& 5.& tunc totum debitum est solutum, & pecunia, quã Franciscus die 20. Nouembris extraxerat à capsa, vt in litteris, de quibus supra num. 88. reuersa est cum augumento ad ipsam capsiam, & Franciscus in suo libro sic scribit.

Pietro per scudi 101.18.5. à soldi 68. lettera del nostro Francesco.

Cassa per Pietro scudi 101. 18. 5. à credito suo.

93 Aut Petrus non soluit, & volunt continuare cambia, & tunc facient nouum cambium, & nouas litteras cambij, vt in seq. formula, & ex hoc nouo cambio, seu recambio semper extinguitur antecedens, vt aduertit etiam Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78.in disput.de camb q.4.art.2.controu. 12.sub num.2.vers secundo vt duplex.tom. 2. fol. 586.&, loquendo in solutione reali cambij liberi, scribit Boninf.tract.de camb. cap.4. vers.cosi anco. ibi, la ragione è.

1614. à 10. Marzo, In Genoua,

scudi 103.8. & 10. di marche.

D. *A pagamenti di fiera prossima di Pasqua pagate per questa prima di cambio à voi stesso scudi 103.8.& 10. di marche, per la valuta, hauuta di contanti dal vostro Francesco, ponete à mio conto. A Dio.*

Pietro.

A Francesco.

Piacenza.

Et fiunt aliæ litteræ omnino similes præcedentibus, de quibus supra nu.88.& seqq. mutatis solum temporibus, & summa, sicq; orbicularis litteris fit orbicum cambium, redeundo semper ad initium: Et hæc de prima formula.

94 Secundæ formulæ, de qua supra nu 87. exemplum conuenit omnino cum exemplo primæ præcedentis, præterquam in persona, cui committitur solutio litterarum cambij, cum in prima, vt vidistis, committatur ipsimet creditori, & in hac secunda ipsimet debitori, vnde superfluum videtur ponere huius secundæ formulæ exemplum, tamen, vt in praxi omnis dubitandi occasio remoueatur, superfluitas isto casu multis forsan non displicebit.

1613. 21. Nouembre, In Genoua, scudi 101.9.9. de marche.

A pa-

A. Istæ sunt litteræ, vt vocant, *d'auiso*, quas idē Petrus, qui accipit cambio Genuæ, scribit eidem Francisco, qui dat cābio pro nūdinis apparitionis.

B. Istæ sunt litteræ responsiuæ ad proximè præcedentes, quibus respon suis Frāciscus, qui dedit cambio, & soluit sibimetipsi, mādat nūc eidem Petro debitori, vt soluat sibimet Francisco, existenti Genuæ, vt in sequētibus litteris cambij.

C. Istæ sunt litteræ cābij, quas Franciscus in vim ordinis, sibi dati à Petro, pro quo soluit sibimetipsi scribit eidem Petro, vt soluat ipsimet Francisco, existenti Genuæ, & has litteras non dat Petro, sed dat sibimet ipsi Genuę, qui præsentat Petro vt soluat.

D. Istæ sunt litteræ cambij, *con la recorsa*, quas Petrus ex Genua scribit Frācisco Placentiæ, vt soluat sibi ipsi.

A pagamenti di fiera prossima di apparitione pagate per questa prima di cambio à voi stesso scudi 101.9.9. de marche, la valuta, hauuta à contanti da Francesco, & ponete à conto mio. A Dio.

Subscriptio. Pietro.

Inscriptio à tergo. A Pietro.

Piacenza.

Istæ sunt litteræ câbij, quas Petrus, qui accipit cambio Genuę à Francisco, scribit sibimet Petro pro tempore nundinarũ apparitionis, commoranti Placẽtię, hasq; litteras tradit Frãcisco creditori.

95 *1614. à 26. Gennaro, in Genoua.*

Mag. Sig. Vi rimetto per conto mio scudi 101. 9. 9. da voi stesso per lettera del vostro di quà, datemene credito, & con debitori sopra di voi fatemene rimessa quà. Dio vi guardi.

Francesco.

A Pietro.

Piacenza.

Istæ sunt litteræ, vt vocant, *d'auiso*, seu *di spaccio*, quas Franciscus, qui dat câbio Petro Genuæ, vt patet ex supra scriptis litteris, scribit eidem Petro tẽpore nundinarum, cõmoranti Placentiæ.

96 *1614. à 12. Febraro, in Piacenza.*

Mag. Sig. In questa fiera di apparitione vi hò dato credito di scudi 101.9.9. che mi hauete rimesso per conto vostro, contra quali vi rimetto scudi 101. 18. & 5. à fol. 68. dal nostro Pietro per mia lettera, procuratene pagamento, extinguendone il conto, che con la prouigione ad vn terzo per cento, & gabella ad vndicena trouarete star giusto. A Dio.

Pietro.

A Francesco.

Genoua.

Istæ sunt litteræ responsiuæ ad præcedentes, quibus responsiuis Petrus certiorat Franciscum, se executioni mandasse, quæ sibi in præcedentibus litteris fuere cõmissa.

97 *1614 à 5. Febraro, In Piacenza.*

A 26. del presente pagate per questa prima di cambio à Francesco scudi 101. 18. 5. à fol. 68. per scudo in scudi d'argento, conforme al decreto del Serenissimo Senato, la valuta contami, & ponete, come se auisa. A Dio.

Pietro.

A Pietro.

Genoua.

Istæ sunt litteræ câbij, quas Petrus debitor mittit inclusas in præcedentibus responsiuis ad Franciscum.

Istis absolutis: Vel Petrus soluit litteras cambij, & tunc est extinctum debitum cambij: Vel non soluit, & volunt continuare cambia, & tunc facient nouum cambium, & nouas litteras cambij, donec sequatur solutio, seu satisfactio; notando interim quisque eorum creditum, & debitum in proprio libro.

Et hæc de secunda formula.

98 Pono nunc seriem negotiationis, & litterarum, quæ interuenerunt super cambij apodissa, de qua scripsi supra num. 16. & cuius occasione vidi dubitari, an Ioan. Baptista Scottus deberet condemnari ad vnam, an verò ad duas prouisiones.

Giouan Battista Scotto in Genoua l'anno 1597. domanda al Mag. Tomaso, che li facci piacere di pigliare à cambio per lui scudi 4200. che dal detto Tomaso li furono pagati nel cartolario di S. Giorgio, & che ne debba far tratta in fiera d'Agosto di Piacenza, per quale di conformità furno assegnati, & tratti à N. & O. cioè scudi 1200. à fol. 66. 3. & scudi 3000. à fol. 67. & il detto Gio. Battista Scotto promette al detto Tomaso per sua poliza di douerli pagare ad ogni sua richiesta le dette due partite insieme con gli interessi de cambij, & recambij, & spese per le quali spese trà mercanti s'intendono le prouigioni, & gabella, decorsi, e che decorreranno fino all'intiero pagamento, e si contenta che di essa fiera d'Agosto possa trarli, ò farli trarre per Genoua, & di Genoua nelle seguenti fiere che si faranno, come chiaramente si vede per la sudetta poliza, (la quale è stata da noi posta sopra num. 16.)

In osseruatione della quale poliza Tomaso fà tratta in fiera d'Agosto de 1597. à sudetti N. & O. delle sudette due partite, cioè de scudi 1242. 15. 4. per la sudetta partita de scudi 1200. assegnata à fol. 66. 3. & de scudi 3033. 14. 2. per la sudetta partita de scudi 3000. assegnata à fol. 67. per conto di detto Gio. Battista Scotto, & scriue in detta fiera d'Agosto à detti N. & O. la seguente lettera con mandarli le solite lettere di cambio, pagabili à se stessi a conto del detto Scotto, & sopra di esso Tomaso.

1597. a 27. di Luglio, In Genoua.

Magnifici Signori, In questa fiera d'Agosto vi hò tratto in voi stessi scudi 1242. 15. 4. & scudi 3033. 14. 2. per conto di Gio. Battista Scotto, dal quale non essendo sodisfatti, gli ne darete debito sopra di me con rifletterli quà a me insieme con vostre spese, che se li darà la douuta sodisfattione. Iddio vi guardi.

Tomaso.

In risposta, li sudetti N. & O. di Piacenza rispondono a Tomaso a Genoua, come in appresso.

Mag. Sig. Per risposta del vostro spaceio hauuto in questa fiera d'Agosto, diremo hauer dato debito a Gio. Battista Scotto di vostro ordine, & sopra di voi delli scudi 1242. 15. 4. e scudi 3033. 14. 2. che ci hauete tratto per suo conto, e per estintione di essi vi habbiamo riflettato scudi 4295. 0. 2. a fol. 67. 8. e con vostra prouisione, e scudi 4. 5. 6. di gabella de cambij, annullando il conto, ne farete scrittura. Iddio vi guardi.

N. & O.

Non

Non hauendo poi nelli ritorni di fiera d'Agosto in Genoua dato sodisfattione Giouan Battista Scotto alle dette dui partite, tratte di detta fiera d'Agosto in Genoua per suo conto, Tomaso in virtù della facoltà, datali per la sua poliza, li paga lui, & li piglia di nuouo a cambio per fiera de Santi, & insieme con la sua prouisione qui in Genoua douutali per la sua fatica di prenderli a cambio, & farne continuatione della scrittura, ne fa di nuouo tratta in detta fiera de' Santi a detti N. & O. & per conto del detto Gio. Battista Scotto, & li scriue la seguente lettera.

1597. a 26. d'Ottobre, In Genoua per N. & O. di fiera de Santi.

Magnifici Signori. Per risposta della vostra de fiera passata di Agosto, dico hauer pagato le partite trattemi per conto di Gio. Battista Scotto, all'incontro de quali vi hò tratto in voi stessi in questa fiera de Santi scudi 1361. 19.1. e scudi 3039. 10. 3. per conto di esso Gio. Battista, le quali non essendo da lui pagate, lo farete voi sopra di me, con reualerune de qui da me, che se li darà compimento. Dio vi guardi.

Tomasso.

Li detti N. & O. di Piacenza fiera de Santi rispondono a Tomaso a Genoua.

Magnifico Signore. Per risposta della cara vostra, hauuta in questa fiera de Sãti, diremo hauer dato debito a Gio. Battista Scotto sopra di voi delli scudi 1361. 19.1. & scudi 3039. 10.3. che ci hauete tratto per suo conto credito, contra de scudi 4420. 10.9. a 67. 9. trattoui per le sudette due partite, che vi piacerà pagarli, e con le solite spese estinguerne il conto. Dio vi guardi.

N. & O.

Non hauendo poi ne anche in ritorni di detta fiera de Santi, pagato Gio. Battista Scotto le sudette partite, Tomaso li piglia di nuouo a cambio, & insieme con la sua prouisione douutali qui in Genoua per le cause sudette, ne fà tratta nella seguente fiera d'apparitione alli sudetti N. & O. per conto del detto Gio. Battista Scotto, & li scriue la seguente lettera.

1598. a 22. di Gennaro, in Genoua per N. & O. da Piacenza fiera d'apparitione.

Magnifici Signori. Per risposta del vostro spaccio di fiera passata de Santi seruirà, che hò fatto scrittura del continuato per conto de Gio. Battista Scotto sopra di me, & hò pagato qui la tratta, che per suo conto mi hauete fatto, all'incontro de quali vi hò tratto in questa di apparitione scudi 2294.2.3. & scudi 2224. 10.8. per conto del detto Scotto, farete contenti compirli sopra di me con reualerune di quà da me, che a suo luogo se li darà sodisfattione. Iddio vi guardi. Tomaso.

Risposta di N. & O.

1598. a 12. di Febraro, in Piacenza per Tomaso di Genoua.

Mag. Sig. Per risposta della vostra, hauuta in questa fiera di apparitione, diremo, che conforme l'ordine dato, & sopra di voi habbiamo dato debito a Gio. Battista Scotto de scudi 2294.2.3. e scudi 2224.10.8. che ci hauete tratto per suo conto, & contra essi vi habbiamo reslettato in voi stesso, & in vostri conti con noi scudi 2563.18.10. e scudi 1974. 5.7. a fol. 68. in Piacenza, vi piacerà pagarli, e con nostra prouisione, e scudi 4. 10. 3. di gabella de cambij, ne saldarete il conto. Iddio vi guardi. N. & O.

Et non pagando detto Gio. Battista Scotto ne anco in detti ritorni di fiera d'apparitione, si và nel modo, detto di sopra, continuando per altre fiere; sin che fra di loro segua la sodisfattione.

Ex tota hac facti serie, mercatorum stylo relata, & ab eis ita accepta, apparent cambia, quibus negotiatores hodie vtuntur; & volui eam diligenter, & vulgari sermone referre, vt in occurrenti casu certius de istis cambijs feramus iudicium.

Et hæc de cambio, *con la ricorsa*, de quo cœpi scribere supra num. 83.

99 Cambiũ licitũ & iustũ dicitur illud, quod habet vndique iustitiã commutatiuam; nam contractus cãbij pertinet ad iustitiã commutatiuã, sicut ad eandẽ pertinent contractus emptionis, & venditionis, & similes, ideoq; necesse est, vt in eo seruetur æqualitas dati, & accepti, Medin in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 5. vers. verum. col. 4. initio, fol. 361. & dixi infra q. 7. par. 1. num. 50. & quòd in omnibus commercijs, & contractibus seruari debeat iustitia commutatiua, scribit Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti, §. 2. sub num. 34. vers. infertur quinto. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 140. citatis Arist. D. August. D. Thom. & Scot. hæcq; iustitia commutatiua consistit, vt dixi, in æquali commutatione, ita vt non habeat excessum, quo alter contrahentium lædetur, de quo excessu, & læsione scripsi infra q. 7. par. 2. ampl. 10. nu. 3. & seqq. & nu. 67. & seqq. alias si in cambio non seruetur hæc

æqua-

æqualitas, cambiū erit iniustum, si sit cambium purum, in quo non continetur tacitum mutuum, alias, si sit cambiū impurum, in quo continetur tacitum mutuum, tunc cambium erit vsurarium, Medin. in loco supra proxime citato; & hæc sit resolutio.

100 Declara hanc resolutionem, vt iustitia commutatiua contractus cambij constet ex pluribus, nempè ex numismatibus in numero, pondere, & bonitate, tàm intrinseca, quàm extrinseca, ex labore, impensis, periculo, & industria, ita vt omnium sit habenda ratio, &, omnibus hinc inde compensatis, remaneat æqualitas, & vtriusque excludatur damnum; quare licet cambium monetæ minoris valoris ratione materiæ imperfectioris cum moneta, quæ sit maioris valoris ob materiam puriorem sine compensatione, habeat iniustitiam, quia non seruatur iustitiæ æqualitas; tamen, si aliqua ratione compensaretur ille excessus, vt labore, seu industria campsoris, tunc inæqualitas tolleretur; Conrad. tract. de contract. q. 99. concl. 5.

Pro pinguiori huius resolutionis explicatione distingue duplex forum.

Primum forum est forum interius, idest, pœnitentiale: & in isto foro concludo, veram esse resolutionem, & declarationem, quia in isto foro iustitia contractus consistit in vnó tantum, nempè in æqualitate, vt dixi supra; ita vt vnus non sit in damno, & alter cum alterius iactura in lucro; vnde in isto foro, seruata hac equalitate, contractus non damnatur, etiam si forma legis non sit seruata; siquidem in isto foro attenditur sola veritas, vt dixi supra q. 1. num. 529.

Secundum est forum exterius, & in isto concludo, iustitiam contractus consistere in duobus: Primo consistit in æqualitate, & æqualitas in interesse, damno, labore, expensis, periculo, copia, vel inopia monetæ, & sic in maiori, vel minori valore, vt scripsi infra q. 7. par. 1. num. 42. & seqq. Secundo consistit in obseruatione formæ, traditæ à lege positiua, sicq; à constitutionibus Pontificijs, alias, illa forma non seruata, contractus erit nullus, vel illicitus, prout lex expresserit, quia lex positiua, vt obuiet fraudibus, mouetur ex præsumptionibus, vt retuli, & secutus sum d. q. 1. sub num. 213. confirm. 3. quibus legis præsumptionibus, & formæ omnino est standum, per ea, quæ dixi ead. q. 1. num. 524. & sub num. 148.

101 Cambium illicitum & iniustum est per oppositum, quando habet inæqualitatem, & sic iniustitiam commutationis, & excessum; & sub isto comprehenditur etiam cambium siccum, prohibitum in constitutione Pij V. & de quo nos locuti sumus infra q. 7. par. 1. num. 19. in 6. argum. & par. 3. limit. 5. num. 1.

Declara primo, vt hæc iniustitia possit in cambio dupliciter committi.

Primo, quando mutuum palliaretur cambio; quo casu esset mutuum, & non cambium, ideoq; quicquid campsuarius solueret pro illo cambio vltra sortem, esset vsura; hacq; ratione esset cambium illicitum, & vsurarium, & consequenter deficeret in eo iustitia commutatiua, & campsor vti vsurarius teneretur ad restitutionem.

Exemplifica hanc iniustitiam, quando Cresus, qui non est mercator, neque negotiator, sed, vti diues, tenet otiosas magnas pecuniarum summas in capsa, ad nullam negotiationem, seu mercaturam, aut quid aliud destinatas: ex illis dat scut. 100. Iro egeno, & inopi sub nomine cambij, ab eoq; promissionem extorquet, quòd ratione istius cambij soluet ipsi Creso singulis nundinis tres scutos vsque quo ei, vltra istud interesse conuentum, restituerit etiam integrum capitale scutorum centum in eodem loco, vbi pecunia data est, & vlterius facit eidem Creso litteras cambij, quæ tamen non mittuntur; & hoc est clarum exemplum, quia cum istud augmentum vltra sortem procedat solum ratione temporis, vtique est vsura, per ea, quæ dixi supra q. 1. sub num. 404. & infra q. 7. par. 1. num. 28.

Exemplifica rursus, quando quis deponit pecuniam apud mercatorem, sibi sine vllo periculo reddendam, & vlterius in singulis nundinis iuxta illarum æstimationem aliquod lucrum, non tamen ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sed solum ratione dilationis.

Alia exempla sumere poteris ex his, quæ dixi infra q. 7. par. 3. in limitationibus.

Secundo committitur iniustitia, quando campsor excedit pretium, quod tamen non sit de forma legis, latæ super cambio; vt puta, quia vltra dimidiam excedat pretium impositum à magistratu, de quo pretio locutus sum supra sub nu. 53. vers. cambium. isto enim casu, excluso mutuo explicito, & implicito, adesset solum iniustitia, vt declaraui supra sub num. 99.

Declara secundo, vt quicquid acceptum fuerit

fuerit vltra dispositionem legis, seu toleratæ consuetudinis ex contractu, cuius fructus, vel reditus pendet ab aliquo capitali pecuniarum, & à certi temporis dilatione, sit restituendum, vel computandum in extinctionem capitalis, tanquam illicitè acceptum; cuiusmodi est id, quod indebitè exigitur ex censu, ex societate officij, & ex similibus, si qui sunt contractus, vt latè explicaui infra q.7.par.2.ampl.10.num.56. & seqq.& nu. 72.& 76.in alijs autem contractibus toleratur aliqua læsio, dummodo non sit enormis, quæ excedat medietatem, vt latè declaraui infra q.7.eadem ampl.10.num.13.& seqq.

Et hæc sufficiant pro generali cognitione praxis, & terminorum, quibus conficitur negotiatio cambiorum, vt hac cognitione præmissa, de eorum iustitia, & iniustitia, magis expeditè agere possimus infra quæst. 7.

§. 1. Quæstio 6.

ARGVMENTVM.

Cambium quo iure, quare, & quomodo fuerit inuentum, Reip. quàm vtile, & necessarium.

SVMMARIVM.

Cambium pecunia cum pecunia introductum a iure gentium, num. 1. 3. & seqq. Quare introductum, num. 7. Ad quem vsum sit postea conuersum, num.8. & 10. Ab initio accidentaliter fuit inuentum, num. 11. Transiuit deinde in artem artificiosissimam, num. 12. & 13,

Cambiorum negotiatio, est vtilis & necessaria Reip. num.14. & 15.

Pocunia inuenta de iure gentium, sub num.3.

Permutatio rei cum re fuit primus contractus, num. 2. Quare fuerit inuenta permutatio, num. 6.

Emptio & venditio est de iure gentium, num.3.

Ius gentium quod dicatur, num. 4.

Mercatura est de iure gentium, num. 5. iuncto num. 4.

Permutatio pecunia cum re, vel è contra est emptio, & venditio, num.6.

Leges quando mutari debeant, num.9.

Diuitiæ sunt caducæ, sub num. 16. Caduciores autem quare sint diuitiæ campsorum, & mercatorum, num.17. & seqq. & præsertim mercatorum maritimorum, num. 18.

Cambiorum negotiatores in hoc seculo puniuntur a Deo in eo, propter quod peccarunt, num.16.

1 QVO iure fuerit introductum cambium pecuniæ cum pecunia, non vidi apud eos, qui de cambijs scripserunt, examinatum: Verum fuisse introductum de iure gentium, pluribus suaderi potest rationibus.

2 Prima, quia permutatio est de iure gentium; imò est omnium primus contractus, secundum ea, quæ scribit Arist. 1. polit. cap. 7. & ex eo notant Pet. And. Gamb. in cap. vnico, in princ. num. 12. de rerum permut. in 6. inter tractat. diuers. tom. 15. par. 1. fol. 209. & Christ. Roffin. tract. de benef. cap. 31. num. 1. tom. 15. par. 2. fol. 282. & quòd permutatio, seu cambium vnius rei cum alia habuerit originem ab initio mundi; nempè, vt vnus daret domum pro agro, granum pro oleo, mantellum pro vitulo, & demum daret id, quod sibi supererat, pro eo, quod sibi deficiebat, & quòd Abraham dederit septem agnas pro puteo, & Iacob centum agnos pro parte agri, ex Genes. cap. 21. nu. 30. & cap. 33. num. 19. notat Romald. Coli tract. de camb. cap. 1. & quòd sit de iure gentium patet manifestissimè, quia emptio, & venditio fuit inuenta post permutationem, vt dixi supra q.4. num. 2. in fine, & infra num. 6. imò permutatio fuit omnium primus contractus, vt dixi hic supra; sed emptio & venditio est de iure gentium, vt dixi num. seq. ergo multò magis de iure gentium est permutatio.

3 Item emptio, & venditio est de iure gentium, §. ius autem gentium. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. & patet ex his, quæ scripsi nu. 6. & consequenter pecunia, seu nummus, quo conficitur emptio & venditio, fuit inuentus

uentus de iure gentium; vt ex Bar. sequitur Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. in 1. q. princ. in fine, nu. 5. tom. 6. par. 1. fol. 39.

Sed cambium vel est emptio, & venditio pecuniæ, vt secutus sum supra q. 4. num. 21. vel est permutatio vnius pecuniæ cum alia, vt dicunt alij, quos citaui ead. q. 4. num. 18. vers. tertia opinio. Ergo cambium, seu commutatio pecuniæ cum pecunia vndique procedit à iure gentium.

4 Secunda, quia illud dicitur de iure gentium, quod æquè apud omnes gentes seruatur, §. ius autem ciuile. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil. Sed cambium in omnibus Regnis, & Prouincijs, & vbique terrarum exercetur, veluti Reip. & hominum commercijs necessarium, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 2. sub num. 2. vers. secundo quod. tom. 2. fol. 527. Item quòd Romanus egeat commutatione monetæ, quam Venetus habet Romæ, & Venetus egeat commutatione monetæ, quam Romanus habet Venetijs, & sic etiam alij diuersorum locorum simili indigeant commutatione, est naturaliter ex varijs casibus contingibile, & hæc commutatio fieret inter eos ex naturali ratione. Ergo cambium est de iure gentium.

5 Tertia, (& tendit ad idem) quia negotiatio, & mercatura sunt de iure gentium; siquidem apud omnes gentes viget negotiatio, & mercatura: Sed cambium est quid annexum mercaturæ; & mercaturæ gratia inuentum, vt dixi infra num. 7. Ergo cambium ipsum seruabitur apud omnes gentes, & sic est de iure gentium.

Quarta, (& hæc respicit iustitiam lucri) quia quòd is, qui in cambio subit pericula, sustinet onera, & labores, & facit expensas, accipiat aliquid vltra id, quod ipse dat, est de iure gentium, & apud omnes ex naturali ratione seruaretur. Ergo cambium est de iure gentium, etiam considerata ista inæqualitate.

6 Cambium, idest permutatio pecuniæ cum re, seu rei cum pecunia, fuit inuentum ex necessitate, Arist. polit. lib. 1. cap. 6. vers. ex hac. & vers. reperto igitur. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 1. in fine principij, & q. 8. art. 1. vers. primum omnium. ibi, quæ quidem cambitio. & præsertim est necessarium ad habendas res ex partibus remotis, vt ad Arist. vbi supra explicat in 7. lect. D. Thom. & ex Sot. retuli sub num. seq. nam, cum illa rerum mutua permutatio, de qua dixi supra q. 4. sub nu. 2. & supra hac ipsa q. nu. 2. non esset sufficiens indigentijs humanis, fuit inuenta pecunia, quæ esset mensura, norma æquitatis, & pretium omnium rerum emendarum, Sot. in locis superius citatis, & hoc cambium transiuit in speciale nomen emptionis, & venditionis, vt ex Card. Caiet. & alijs secutus sum sup. q. 4. num. 2.

7 Cambium verò pecuniæ cum pecunia fuit ab initio inuentum, quoniam numismata sunt inter se diuersa; nec omnia vbique reperiuntur, & quæ reperiuntur vno loco, non expenduntur quandoque in alio, & ideo inseruiunt ad res vno loco comparandas, & non in alio; sicq; hæc numismatum varietas induxit necessitatem cambiendi, hoc est, pecuniam pro pecunia permutandi; nam sicut nobis necessarium est panem, vinum, & vestitum, aliaq; necessaria quærere, si ea non habemus, nec ea sine pecunia poterimus inuenire, ita ex consequenti necessarium nobis est, pecuniam, quæ ad id nobis deseruiat, quærere; hanc autem inuenimus, vel res nostras pro pecunia vendendo, vel pecunias nostras, quæ non ita ad necessaria emenda nobis deseruiunt, pro alia commodiori nobis pecunia permutando, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 7. vers. verum quoniam. col. 3. fol. 366. deinde hoc cambium pecuniæ cum pecunia cœpit fieri etiam per litteras, & retinere proprium nomen cambij, & inseruire non solum simplici permutationi ad emẽda, quæ domui, & familiæ necessaria sunt, vt dixi, sed etiam pro faciliori mercaturæ, & peregrinationis vsu, vt scribunt Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 12. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. & Bonins. tract. de cãb. cap. 2. & quòd fuerit inuentũ gratia mercaturæ, scribit Mich. Sal. in loco infra proximè citato, & dixi q. seq. par. 1. num. 39. & satis constat ex his, quæ scripsi q. præced. sub num. 49. & seq. & quòd sicut merces, aliaq; rerum genera expedit sæpe ad diuersa loca transuehere, sic etiam expediat pecuniam traducere, tùm ad alia transigenda negotia, tùm præcipuè ad coemendas merces, quæ ab vna in alteram prouinciam necessarium est asportari, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. in concl. responsiua, col. 2. fol. 609. &, quòd, sublata negotiatione cambiorum è medio, tollerentur omnes mercaturæ, & nundinæ, scribit Io. Azor. de instit.

mor.

mor.par.3.lib.10. tit.de camb. cap. 3. q.1. &, quòd sicut cæteræ res ex vno loco ad alium transferuntur: aliquando enim aliunde huc aduehuntur: aliquando hinc aliò deportantur, sic etiam aliquando necesse sit, vt pecuniæ, quas habemus, alio deferantur, quia illis alibi, non hic indigemus, & aliquando oporteat, vt aliunde huc inuehantur, quia eas alibi, non hic habemus; & ex his causis introduci cœperit secundus pecuniæ vsus, quo vna pecunia cum alia commutatur, & inuenta sit cambiorum, & negotiationis ars, scribit Ioan.Azor. d.cap.3. versus finem initij, & qua occasione cambium fuerit introductum in Hispanijs in quatuor nundinis quolibet anno, scribit Mich. Sal. ad D.Thom. 2.2. post q. 78. in disput.de camb. q.4. art. 2. controu. 6. sub num.1.ibi, hac enim occasione. tom.2.fol. 569.& sic cambium fuit semper ordinatum ad fugiendos sumptus, qui fuissent necessarij pro pecuniarum transportatione, vt patet ex exemplis, à me adductis d. q. præced. nu.47.& seqq.& non ad faciendum lucrum.

8 Postea autem ipsum cambium, ordinatum, vt dixi, pro mercatura, cœpit ordinari, & conuerti in mercaturam, & negotiationem lucratoriam ad faciendum quæstum, vt ostendi q.præced.num.51.& 52. in quinto casu; quare hodie campsores non exercent cambiorum negotiationem, eo, quia ipsi pro vsu mercaturæ indigeant restitutione pecuniarum in loco, pro quo dant cambio, sed quia ex eo loco volunt facere alia cambia, ex quibus lucrum maius, quàm ex alio negotio faciant: similiter, qui pecunias cambio accipiunt, vt plurimum, non accipiunt vt mercaturam exerceant, neque ad euitandos labores, pericula, & expensas, transuehendarum pecuniarum, sed solum vt pecunijs vtantur pro suis indigentis, restituturi eodem in loco per viam recambij.

Verùm fuisse cambium conuersum in negotiationem, seu mercaturam lucratoriam non videtur improbandum; imò videtur fuisse expediens, quia etsi cambia ab initio fuerint inuenta, & ordinata pro peregrinatione, & mercatura, vt dixi num. præced. tamen, institutis ex necessitate nundinis, per ea, quæ scripsi §.seq. glos.4. num.6. cambium in necessariam consequentiam, & in euidentem Reip. vtilitatem, fuit in negotiationem lucratoriam pro se ipso conuersum, hæcq; necessaria consequentia, & vtilitas pluribus suadetur rationibus.

Prima, quia, sublata inter mercatores reciproca cambiendi necessitate, deficiebat cambium, vt scripsi d.gl.4. sub num. 6. &, deficiente cambio, mercatura, & negotia, quæ eo hodie maxime indigent, cum vsque ad remotissimas orbis partes sint dilatatæ, vt dixi ead.gl.4.sub num.6.dissiparentur, vt secutus sum infra sub nu. 14. hæcq; dissipatio esset multum Reip. perniciosa; quamobrem fuit expediens, instituere cambij negotiationem, ne cambiendi occasio vnquam deficeret, hæcq; cambij negotiatio non poterat aliter institui, nisi ex se ipsa quæstum faceret, quia homines eam aliter non exercerent: quot quot enim artes sunt, omnes ab hominibus ob proprium bonum exercentur, licet ad Reipub. vtilitatem sint principaliter institutæ.

Infero ex hac ratione, non esse attendenda ea, quæ contra cambium, quod campsores causa lucri exercent, scribunt Fabian. tract.de camb.num.9.tom.6.par.1.fol.411. &, exclamando Ioan.Bapt.Lup.in cap.nauiganti. §.2.num. 13.tom.7.fol.138.& alij in diuersis locis.

Secunda, quia, sublato recambio ex nundinis, quod in negotiatione lucrum includit, cambia cum maiori fierent interesse, vt dixi §.seq.gl.4.sub num.6.comprob.2.

Tertia, quia sicut societas officij Curiæ Rom.fuit ab initio inuenta, vt officia possent emi, vt dixi supra q.1.num.261 & seqq. & deinde consuetudo paulatim, commerciorum necessitate vrgente, ampliauit, vt societas possit iniri, etiam sine causa emendi officium, vt scripsi q. seq par. 1. num. 88. & 89. & proinde societas possit iniri contemplatione solius lucri; ita etiam cambium, quod ab initio fuerat introductum gratia mercaturæ, & peregrinationis, potuit ex vrgenti causa ampliari ad negotiationem lucratoriam.

9 Quarta, (& hæc est confirmatio præcedentiũ) quia natura quotidie nouas deproperat edere formas, vt retuli in meo tract.de iudic.caus.lib.2.cap.9.num.473. & mutatis rerum occasionibus, leges mutandæ sunt, vt ex August.lib.de ciuit.Dei dicit text.in cap. 1. 35. dist. 1. in illis verbis: *quod profectò quantò est antiquius, compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius*, ergo cambium, quod fuerat mercaturæ gratia ordinatum, potuit, vtilitate commerciorum

exigente, ad negotiationem lucratoriam conuerti, retenta tamen etiam priori natura inseruiendi omnibus alijs mercaturis, tanquam mercatura mercaturarum, quia versatur in nummis, vt dixi quæst. seq. par. 2. ampl. 11. num. 4. sic etiam nummus, qui fuerat inuentus pro pretio, & mensura rei vendendæ, vt dixi ead q. seq. par. 1. nu. 13. fuit postea ipsemet vtiliter factus res vendenda, & mensuranda, vt dixi infra §. 6. gl. 1. nu. 23. in fine, & nu. 24. retenta tamen etiam priori natura pretij, & mensuræ, quasi sit mensura, & mensuratum, vt dixi q. seq. par. 1. nu. 15.

10 Infero ex istis rationibus, & præsertim ex quarta, quòd cambiorum vsus, præsertim in nundinis multipliciter est hodie dilatatus; nam cum ad emendas merces multis opus sit pecunijs, multi aut in locis proprijs, aut in locis alienis dant pecunias cambio pro nundinis, vt illis pecunijs emant merces, aut denuo dent eas cambio illis, qui eis indigent; quam ob causam ad easdem nundinas accedunt multi capserij nummati, à quibus mercatores accipiunt cambio, & accedunt etiam aliqui bancherij depositarij, qui deposito accipiunt pecunias mercatorum, & capseriorum, easq; soluunt ex mandato eorum, qui eas deposuerunt, Romoald. Coli tract. de camb. cap. 8.

11 Huius cambij pecuniæ cum pecunia origo processit à casu, & accidentaliter, nam accidit forsan, aliquem habuisse numismata aliqua, quæ in eius propria patria, seu regione non appretiabantur, eo quòd non erant numismata suæ regionis, sed erant alterius regionis, puta, Saracenorum: accidit postea, quòd Saraceni aliqui venerunt in eius patriam, & illa numismata habuerunt pro vili pretio, & eaq; ad eorum patriam portarunt, vbi maiori pretio æstimabantur, quia quodlibet numisma pluris valet per se, loquendo in propria regione, vnde ille casus docuit initium cambiendi pecunias, vt in substantia ex Arist. polit. lib. 1. cap. 6. colligunt D. Thom. ad eum ibidem lect. 7. vers. reperto igitur. Card. Caiet. tract. de camb. cap. 5. sub num. 3. ibi, lucrum autem. tom. 6. par. 1. fol. 406. & fusius B. Io. à Capistr. tract. de vsur. in 2. par. 2. par. sub num. 146 in 3. specie. tom. 7. fol. 111. Ambr. de Vign. in cap. salubriter. num. 270. de vsur. eod. tom. 7. fol. 65. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. disput. de camb. quæst. 1. art. 1. num. 3. vers. hanc commutationem. fol. 524. tom. 2. & Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. cap. 1. in fine.

12 Postea ex hac accidentali cambiendi cognitione deducta est ars campsoria artificiosior, vt dicit Arist. loco citato, & ex eo D. Thom. & aliqui ex citatis num. præcedenti, 13 quia † vbi lucrum facile reperitur, ibi hominum vires, & ingenia maximè exercentur.

14 Hanc artem campsoriam esse nedum vtilem, sed necessariam Reipub. quisquis eius artis habet cognitionem, facilè concedit: siue eam consideremus in cambio minuto, in quo eam esse valdè vtilem Reip. scribunt Nauar. in cap. nauiganti. num. 19. vers. decimoquarto. & Io. Bapt. Lup. §. 2. num. 10. versus finē. de vsur. Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 7. sub nu. 4. tom. 1. fol. 704. Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 3. q. 1. in littera g. etiam propter elemosynas, pauperibus faciendas, cambiendo monetam grossam, pro minuta, scribit Romoald. Coli tract. de camb. cap. 4. siue consideremus cambia per litteras, in quibus explicitè loquuntur Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. num. 289. Romoald. Coli vbi supra. cap. 5. in fine, & habes in quadam cambij disputatione, quam retuli infra §. 9. num. 6. & implicitè, & virtualiter omnes infra citati; siue consideremus artem campsoriam in genere, de qua ita scribunt Ambr. de Vign. in d. cap. salubriter. num. 271. & seq. fol. 65. Io. Bapt. Lup. in d §. 2. sub num. 10. & num. 12. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. Bonins. tract. de camb. cap. 3. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78 in disput. de camb. q. 1. art. 2. sub num. 2. vers probatur. & vers. alij verò. tom. 2. fol. 527. & q. 4. art. 2. controu. 6. sub num. 1. ibi, hac enim. fol. 569. & sub num. 4. vers. obseruemus vltimo. fol. 527. & quòd cambium quantum est ex genere suo sit contractus vtilis Reip. & hoc siue cambium sit purum, siue mixtum ex mutuo, latè ostendit Conrad. de contract. q. 99. in 3. conclus. & innuit etiam Pij V. constitutio, in illis verbis, *cambiorum vsus, quem necessitas, publicaque vtilitas induxit*; quam constitutionem habes infra §. 9. num. 52. & satis patet ex his, quæ de vsu cambij scripsi supra num. 7. & 8. & quæst. præced. num. 48. & seqq. & esse propterea expedientissimum, quòd externi campsores secutus sum supra q. 1. sub num. 425.

Quinimo cambia adeo sunt Reip. vtilia, & neces-

& necessaria, vt si cambia cessarent, omnia penè mercaturæ officia dissiparentur, ac destituerentur, vt scribit Nauar.consf.3 r. reuerendiss. vers. tertium notabile. versus finem, lib.5.de vsur.& in man. confess. cap.17.de vsur.circa cambia.num.296.in fine, & quòd totus mūdus pateretur, videtur dixisse Cald. tit.de vsur.cons.11.mercator ianuensis.propè finē; licet in libro meo legatur corruptè.

15 Non obstat, si diceres, artem campsoriam videri potius Reip. perniciosam; tùm quia accipientes cambio videntur tendere ad dilapidandum; & proinde verum videtur illud dictum: *chi si cambia non è il medesimo, & chi si marca, resta segnato.* tùm quia dantes cambio, versantur in periculo salutis animarum, cum aliquando sub colore cambij vsurariam exerceant prauitatem, per ea, quæ scripsi supra q.2. sub num.26. & q.seq. par. 1. num.21. & seqq. vel saltem actum exerceant aliter periculosum, vt latè disputando dixi d.q.seq.par.1.num.1.& seqq.ita vt, succrescente hominum malitia, quod esset prouisum ad remedium, tenderet ad noxam.

Quia resp. prædicta vitia non esse in arte campsoria, sed esse in ijs, qui accipiunt cambio ad prodigalitatem, & luxum in explendis proprijs voluptatibus, & in ijs, qui dant cambio illicito ad augendas diuitias; sed vitia, quæ non sunt artis, sed artificis, non habentur in consideratione, per ea, quæ, loquendo de negotiatione, scripsi supra q. 1. sub num.71.& 81.

16 Vlterius qui ad cumulandas opes artem hanc vsurariè exercerent, sciant, quòd iustitia Dei exigente, in hoc ipso, propter quod peccassent, etiam infernali pœna non expectata, sæpe in hoc seculo punirentur, quia dum, anhelantes ad augendas in infinitum opes, iniquum exercent cambium, vt duo, vel tria pro cētenario lucrentur, tria & centenarium sæpè perdunt, vt iacturam hanc, quam ad malorum campsorum pœnam nos hic consideramus, ad cambiorum iustitiam, & defensionem adducit Nauar.cons.31. reuerendiss. vers. ad sextum. lib. 5. de vsur. hancq; iacturam experientia docet, quia etsi eorum quoque, qui campsores non sunt, caducæ sint diuitiæ (caduca enim, & fragilia, puerilibusque consentanea crepundijs sunt ista, quæ vires, atque opes humanæ vocantur, affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc, atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt, Valer.Max. lib.6. de varietate casuum, cap. de Syphace Rege. *Cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat*, §. vt autem lex. Auth. de non alien. aut permut. reb. eccles. *multi enim casus rebus incidunt mortalibus*. l.15.inter antiquam. C. de vsufruct. & hab.

Nempe dat, & quandocunque iubet fortuna, rapitque
Irus & est subito, qui modo Cresus erat.
Ouid.)

17 Tamen campsorum diuitiæ ex quadruplici causa caduciores sunt.

Prima, quia eorum diuitiæ, vt plurimum, consistunt in nummis, quos alijs credunt, & postea non valent exigere: Secunda, quia cambia, quæ campsores exercent, ~~sunt mer~~caturæ gratia principaliter ordinata, vt dixi supra sub num.7. & consequenter mercatores ab eis sæpe cambio accipiunt: at mercatores facilè incidunt in paupertatem, vt, loquendo de mercatoris conditione, eleganter dixit domina illa de Columna:

E quand'hà d'arricchir più certa speme
Perde la vita, & la speranza insieme.

Est enim ars mercaturæ plurimum fortunæ euentibus patula, & ipsi mercatores, lucro inhiantes, sunt in hoc nimirum aleatoribus simillimi, Sot.de iust.& iur. lib.6. q.2. art. 2.col.penult. paulò supra medium, fol.566.

18 †& præsertim in paupertatem incidunt mercatores maritimi, quia eorum merces, dum per mare traijciuntur, maiori exponuntur periculo, Senec. epist. 4. lib.1. quem refert etiam Bal.in l.2. C. de naut. fœn. *mare momento euertitur, eodem die, vbi luserunt nauigia sorbentur*. additque Bal. vbi sup. & ex eo Santer. tract. de assecur. par.4. num.12. rom.6.par.1.fol.354. quòd mare æquiparatur homini potenti, & crudeli, & quòd aduersæ procellæ nemini prosunt, & inexorabiles sunt; & quòd in mare pericula magis reperiantur, notat Nauar.in cap.nauiganti. sub num. 2. de vsur. *qui nauigant mare, enarrent pericula eius*, Eccles.43.num.26.& quàm sit proximus morti, qui se exponit nauigationi, vide, quæ scripsi in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.8.num.292.& 293.vnde campsorum debitoribus factis non soluendo, eorundem campsorum credita euanescunt:

nescunt: Tertia, quia ipsimet negotiatores cambiorum solent æquè negotiari in mercantijs, vnde transeunt etiam sub nomine mercatorum, per ea, quæ scripsi quæst. præced. sub num. 52. & ita eos vocat Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. ad sextum. lib. 5. de vsur. imò & ipsi negotiatores cambiorum se mercatores vocant, vt patet ex his, quæ retuli ead. quæst. præced. sub num. 98. ibi, per le quali spese trà mercanti. & cõsequenter, quæ diximus de caducitate diuitiarum mercatorum, habent locum in diuitijs campsorum. † Quarta causa (& hæc quadrat, & satisfacit proposito nostro) est, quia diuitiæ, si eas illicitas supponamus, facilè dilabuntur, vt enim habetur Eccles. 14. num. 4. *qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* & Prou. 28. num. 8. *qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* & loquendo de negotiatorum, & mercatorum facultatibus, benè expressit Io. Chrysostomus super Matth. relatus in cap. 11. eijciens. dist. 88. dicens: *sed est nec stabilis substantia eorum, neque ad bonum proficit, quod de malò congregatur: quemadmodum enim si triticum, aut aliud tale cernes in cribro, dum huc, & illuc iactatur, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & tandem in cribro nihil remanet, nisi stercus solum, sic de substantia negotiatorum nil remanet, nisi solum peccatum.*

19

Et ex his, imponendo finem huic quæstioni, monitos velim cambiorum negotiatores, ne lucri auiditate excœcati ad illicita trahantur cambia, quia vltra, quod male parta, male dilabuntur, peccati pœnitentiam agere deberent.

---

§. 1. Quæst. 7. Par. 1.

ARGVMENTVM.

Cambia an sint licita, & de venditione, pecunia credita, & solutione anticipata.

SVMMARIVM.

Ars campsoria an sit licita, sub num. 7. & seqq. & num. 13. & seqq. Ars campsoria non habet finem, &c. num. 16. Et inclinat potius in vituperium, quàm in honestatem, num. 18. Declaratur, num. 63. & 64.

Cambium, præsertim si fiat ad negotiationem lucratoriam per se ipsum, an sit prohibitum, num. 1. & seqq. Cambium minutum est licitum, num. 4. Item cambium per litteras sine nundinis, sub num. 5. Quid in cambio per litteras ad nundinas, num. 6. & seqq. num. 41. & seqq. & præsertim num. 50. & seqq. vsque ad finem.

Lex ex sola suspicione potest prohibere contractum, num. 2.

Cambium nulla lege reperitur prohibitum, nisi, &c. num. 3.

Actio Christi, & etiam Apostolica est nostra instructio, num. 8. Declaratur, sub num. 58. Christus nummulariorum mensas euertit, num. 12. Declaratur, num. 60.

Petrus Apostolus conuersus redijt ad piscationem, Matthæus verò non ad telonei negotium, & quare, num. 9. & sub num. 58.

Cambia exercentur à mercatoribus, & negotiatoribus, num. 10. Qui ea exercent, malè audiunt apud populum, & quare, num. 11.

Mercatores displicent Deo, num. 11. Non tamen displicet mercatura, sub num. 59.

Pecunia ex proprio eius vsu est mensura, & pretium rerum, num. 13. Significat omnem rem, & quare, num. 14. Ab arte campsoria inuertitur iste vsus, num. 15. Declaratur duplex, & multiplex vsus pecuniæ, num. 61. & 62.

Procurator ad vendendum, item creditor, habens à debitore facultatem vendendi pignus, non possunt sibi ipsis vendere, sub num. 15.

Negotium, quod potest se habere æquè ad bonum, sicut ad malum, debet prohiberi, num. 17.

Actionum genera quot & quæ, sub num. 17.

Cambium siccum est illicitum, num. 19. Quod sit, & esse per litteras ad nundinas, nu. 20. Contrarium, num. 66.

Cambium per litteras ad nundinas videtur vsurarium, & quare, num. 21. & seqq. Contrarium, num. 41. & seqq.

Mutuare pecuniam quid sit, & de natura mutui, sub num. 21.

Cambium qua ratione videatur mutuum, & cum vsura, præsertim si fiat ad nundinas, num. 22. & 28. Contrarium, num. 41. & seqq.

EXPLICATIS in superioribus quæstionibus, & præsertim in quinta, iis, quæ omnino necessaria erant ad cognitionem terminorum cambij, & ad intelligentiam facti, cum sine hac cognitione, & intelligentia erraret, qui cambij materiam tractandam assumeret; reliquum est, vt examinemus ea, quæ ad iustitiam cambij pertinent, & quò commodius id faciamus, quæstionem hanc, in qua ea examinabimus, diuidemus in tres partes principales.

Prima pars continebit disputationem; an cambij commercium sit prohibitum, & disputationis conclusionem.

Secunda continebit conclusionis ampliationes, quibus explicabimus principaliores casus cambiorum licitorum.

Tertia continebit eiusdem conclusionis limitationes, quibus videbimus casus cambiorum illicitorum.

1 Capio primam partem; & quæro, an cambij commercium sit prohibitum, saltem quando non fit gratia alterius commercij, sed fit, vti negotiatio ad se ipsum, quale est cambium, cuius casum posui supra q. 5. n. 51.

Ratio quare hanc quæstionem formemus magis dubiam, quando cambium fit vti negotiatio ad seipsum, est, quia sicut mercatura, seu negotiatio cuiusuis generis est semper valdè periculosa in foro interiori, vt ex Chrysost. & D. Thom. secutus sum supra q. 1. num. 77. & aliqua negotiatio, vt puta, frumentaria potest esse prohibita etiam in foro exteriori, & quibusdam personis quælibet mercatura prohibetur, vt secutus sum par. seq. ampl. 11. num. 7. & limit. 17. nu. 16. 20. & seqq. Et vice versa emptio & venditio sine negotiatione regulariter nec in foro interiori est adeo periculosa, nec in exteriori prohibetur; ita etiam cambium cum negotiatione ad se ipsum maiorem habet rationem prohibitionis, quàm cambium sine negotiatione, quod fit gratia alterius commercij, per ea, quæ dixi infra num. 39. in 14. argumento.

Priusquam ad disputationem accedamus, præmitto duo.

2 Primum, quòd lex potest sola præsumptione, seu suspicione vsurariæ prauitatis prohibere contractum, vt in cap. nauiganti. de

de vſur. de quo ſcripſi ſupra q. 1. num. 498. 502. & ſeqq. & num. 524. & infra hac ead. q. ſub num. 84. verſ. ſecundum.

3 Secundum, quòd cambij commercium nulla lege, vel conſtitutione cæſarea, aut pontificia reperitur prohibitum, niſi limitatiuè certis modis, ſeu formis, de quibus in conſtitutione Pij V. & conſequenter ſicut caſus, omiſſus à ſtatuto, cenſetur relictus ſub diſpoſitione iuris communis; ita quamplures caſus cambij hodierni, qui in iure non ſunt determinati, neceſſariò ſub variarum opinionum conflictu agitãtur: quæ opiniones etſi in conſtituendo concluſionẽ ſint contrariæ, cum vna dicat affirmatiuè, cambium eſſe prohibitum, & alia dicat negatiuè, non eſſe prohibitum, ſed permiſſum; tamen poſtea conueniunt, quia illa, quæ dicit, eſſe prohibitum, admittit, vt poſſit aliquo fine bono honeſtari, & ſic erit permiſſum; & ſimiliter illa, quæ dicit, non eſſe prohibitum, admittit, vt pactis illicitis poſſit fœdari, & ſic erit prohibitũ, vt explicaui infra nu. *62.* & *64.* & bene probatur ex his, quæ ſecutus ſum infra num. 50. verſ. demum. & ideo non mirabimur, ſi vnum, eundemq; auctorem pro vtraque opinione reperiremus citatum; cum vtraque opinio conueniat in hoc, quòd cambium pactionibus illicitis, ſeu inhoneſto fine non corruptum, eſt permiſſum, & è conuerſo, quod pactis illicitis, ſeu inhoneſto fine eſt deprauatum, eſt prohibitum: & proinde tota controuerſia conſiſtit in determinando, quæ pactiones, ſeu conditiones cambiorum ſint licitæ, quævè illicitæ, quiſvè ſit finis honeſtans, & quis inhoneſtans; vnde conflictus in genere, an cambium ſit permiſſum, ſeu ſit licitum, vel ſit prohibitum, & illicitum, de quo Doct. acerrime certant, videtur ſuperfluus: Cæterum, ne videamur quaſi nouum dogma inuenire, vt eo nos ab iſto conflictu ſubtrahamus, articuli diſcuſſionem, antiquorum veſtigia calcantes, latè amplectimur.

Pro clara huius quæſtionis reſolutione, & ad ſemouendam omnem æquiuocationem, diuido cambium principaliter in illa duo genera; videlicet in cambium minutum, & cambium per litteras, rurſus ſubdiuidam, ſequendo in ſubſtantia diuiſionem cambiorum, de qua ſup. q. 5. num. 2.

4 In cambio minuto concludo, abſque vlla difficultate, contractum cambij, ſeu artem ipſam campſoriam non eſſe prohibitam, ſed eſſe licitam, hancq; concluſionem habes etiam opportuno loco par. ſeq. ampl. 4. num. 1. & ſatis remanet firma ex ſimili concluſione, firmata infra in cambio, magis ſuſpecto, nempe in cambio per litteras.

5 In cambio per litteras (omiſſa illa diſtinctione, ſeu differentia, an cãpſor prius ſoluat, & poſtea accipiat, vel è conuerſo prius accipiat, & poſtea ſoluat, de qua differentia locutus ſum ſupra q. 5. ſub num. 1. & ſub nu. 5. verſ. vtrumque. quia verè eſt differentia inutilis, cum vtroque caſu liceat campſori lucrum honeſtum facere, quicquid aliter aliqui dixerint, vt ſuo loco videbimus infra ſub num. *20. 36.* ſub num. *39.* & *90.*) ego diſtinguo rurſus duas qualitates litterarum, ſeu verius duas ſpecies cambij: videlicet, cambium per litteras ſimplices, quod dicitur cambium ſine nundinis, cuius formam poſui ſupra q. 5. nu. 40. & ſeqq. & cambium per litteras nundinales, quod & ipſum à qualitate litterarum voco nundinale, prout declaraui d. q. 5. num. 5. verſ. ſecundum eſt.

Capio cambium primum, videlicet per litteras ſimplices ſine nundinis; & in iſto cambio poteſt eſſe aliqua controuerſia.

Primam enim opinionem affirmatiuam; quòd hoc cambium per litteras ſit prohibitum, vti illicitum, probant argumenta, & rationes, quibus vſi ſumus ad probandam eandem concluſionem in cambio per litteras nundinarias, infra num. 8. 12. & 13. in 1. 2. & 3. argumento.

Contrariam opinionem negatiuam, nempè, non eſſe illicitum, ſed licitum, probant, & vrgentius ea, quæ ad probandam eandem opinionem negatiuam in cambio per litteras nundinarias ſcripſi infra nu. 41. & ſeqq. & in ſpecie hanc opinionem poſui ampliando par. ſeq. ampl. 7. num. 1.

6 Capio cambium ſecundum, videlicet, per litteras nundinales; & iſtud cambium ſubdiuido in duas ſpecies.

Prima ſpecies eſt cambij, vt vocant, liberi.

Secunda ſpecies eſt cambij non liberi, quod vocant, *con la ricorſa*. de qua ſpecie cambij egi infra §. *6.* gl. 1. vt admonui etiam infra num. *96.*

Venio ad primam, in qua ſunt opiniones, de quibus, diſcurrendo per omnes ſpecies cambiorum, Card. Caiet. tractat. de camb. cap. 1. 2. 3. & 4. tom. 6. par. 1. fol. 405.

7 Prima opinio eſt affirmatiua, quòd hoc cam-

cambium nūdinale liberum sit prohibitum, vti illicitum; siquidem cambia ad nundinas, tanquam vsuraria, improbant Goffr. Host. & alij, vt scribit, sed non sequitur Io. Azor. tract. de instit. moral. par. 3. lib. 10. rit. de cāmb. cap. 9. in fine initi, col. 881. & ira regulam, non in cambio ad nundinas, sed (quod est minus dubium) in cambio in vniuersum constituunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. quæst. 8. art. 1. in conclus. responsiua, col. penul. fol. 604. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. art. 2. nu. 6. tom. 2. fol. 528. dum concludunt, artem campsoriam per se sonare in malum, hæcq; opinio videtur de mente solemnium Theologorum, publicè prædicantium, & affirmantium indistinctè, quòd campsores non possunt sine peccato exercere artem suam, vt refert Io. de Anan. in cap. 19. nauiganti. num. 53. de vsur. & quòd sit de mente nonnullorum grauissimorum scriptorum, quia simpliciter reprobant cambia, & quòd quotquot sunt Sancti, & prudētes viri, ab ista nūmularia, quæstuariaq; arte deterreant homines, scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 5. col. 7. paulò supra primam assertionem, fol. 627. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 13. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. est etiam de mente Aristotelis 1. politic. cap. 6. quem sequitur D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. vers. respōdeo. dicens, hanc negotiationem commutandi pecunias, secundum se consideratam, habere quandam turpitudinem, in quantum de sui ratione non importat finem honestum, vel necessarium, prout latius retuli infra sub num. 62. vbi videas: hæcq; opinio quatuordecim suadetur argumentis; quorum primum, & sequentia vsque ad quintum inclusiuè arguunt ipsam artem, & negotiationem campsoriam in vniuersum: & sextum arguit in specie hoc cambium, quòd sit siccum; septimum verò, & sequentia vsque ad decimum inclusiuè arguunt, quòd sit vsurarium, & reliqua arguunt, quòd saltē sit illicitum.

8 Primo suadetur hæc opinio, quia sicut omnis CHRISTI actio est nostra institutio, vt dixi supra q. 1. num. 42. & expedit, vt exemplum sumamus etiam ab actionibus Apostolorum, & proborum virorum, quia nos, cum dubitamus, an aliqua actio, seu aliquod exercitium sit honestum, seu iustum, inspicimus qualitatem eorum, qui talem actionem, seu exercitium faciūt, quia, si ij sint honesti, & probi viri, honestum, & iustum arbitramur illud exercitium, vt secutus sum infra §. 6. glos. 1. num. 54. in 7. argumento; ita per oppositum actio, seu exercitium eorum, qui timoratæ conscientiæ non æstimantur, nostra debet esse admonitio, vt ab illo caueamus exercitio.

9 Sed nos videmus, quòd Petrus, postquàm fuit conuersus, redijt ad piscationem, Matthæus verò, qui fuit telonearius, non redijt ad telonei negotium, quia ad ea, quæ ad peccatum implicant, non debet conuersus redire; quod nobis argumento est, quòd Petrus potuit piscationem sine peccato exercere; Matthæus autem vix sine peccato ad teloneum poterat redire, S. Gregor. homil. 24. super 21. Euang. Ioan. quod legitur feria iiij. post Dominicam Resurrectionis, & citatur in cap. penult. de pœnit. dist. 5.

10 E conuerso videmus, quòd exercentes cambij negotiationem, sunt mercatores, & negotiatores.

11 Sed mercatores non placent Deo, per ea, quæ scripsi supra q. 1. num. 77. quia sicut hi fortunæ periculis sunt assueti, vt dixi quæst. præced. sub num. 17. & 18. ita etiam æternæ salutis sperata lucra periculosis naufragijs perdere solent, per ea, quæ scripsi supra q. 1. num. 77. & sub num. 80. & proinde, qui huic cambiorum negotiationi se dederunt, malè audiunt apud Populum, vt testantur Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 5. col. 7. paulò supra primam assertionem, fol. 627. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 2. num. 2. versus finem, vers. alteram. fol. 527. indeque etiam apud homines odium contrahunt, eò quòd contra naturam sit, vt per artem campsoriam fiat, vt sterilis pecunia fructuosior sit, quàm terra ipsa, & quòd homines, ferè sedentarij, & otiosè viuentes, plus lucri corradant, quàm alij actuosi, labore manuum suarum insudantes, vt dicit idem Sot. eod. lib. 6. q. 8. art. 1. versus finem initij, col. 1. in fine, fol. 603.

Ergo, si inspiciamus Matthæum, debemus abstinere à cambijs, eo, quòd ipse conuersus abstinuit: Si inspiciamus mercatores, aliosque campsores, debemus ea fugere, quia ipsi ea sequuntur; certum enim est, quòd cambiorum negotiatio nimium ad augendas in infinitum opes anxia, ita animæ saluti insidiatur, sicut iratissimum mare nauі

naui, pretiosis mercibus onustæ, calamitosum minari solet naufragium.

12 Secundo, quia Christus mensas nummulariorum euertit, Matth. 21. sub num. 12. cuius verba retuli supra q. 1. nu. 77. & habentur in cap. 11. eijciens. versus finem, dist. 88. Sot. tract. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 1. circa initium, in fine 2. argumenti, & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78 in disput. de camb. q. 1. art. 2. sub num. 1. vers. quarto Christus. fol. 526.

13 Tertio, quia proprius pecuniæ vsus est, vt ipsa sit mensura, regula, & pretium omnium rerum necessariarum ad vitam humanam, l. 1. ff. de contrahen. empt. l. 3 nummis. ff. de in lit. iur. l. 42. si ita. ff. de fideiuss. D. Thom. 2. 2. q. 77 art. 1. vers. respondeo dicendum. Card. Caiet. tract. de camb. cap. 4. num. 2. & cap. 5. num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 405. Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 43. vers. tertio probatur. tom. 7. fol. 68. Sot de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 1. in fine principij, q. 8. art. 2. in 2. conclus. col. 2. fol. 605. & q. 9. art. vnico, initio, in 1. argumento. fol. 607. Couar. tract. de veter. coll. numism. cap. 7. num. 4 in tertia concl. fol. 704. Hier. de Luc. tract. de camb. in princ. num. 6. tom. 6. par. 1. fol. 408. Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. tertium notabile. lib. 5. de vsur. idem Nauar. quem formaliter secutus sum supra q. 4. num. 2. in fine, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. sub num. 1. vers. obseruemus secundo. fol. 524. & art. 2. sub nu. 1. vers. ducuntur. fol. 526. & sub num. 4. vers. obseruemus secundo. fol. 528. & sub num. 7. vers. quod secundo. fol. 529. Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 1. q. 2. & cap. 3. initio, Thes. Iun. tract. de augm. monet. par. 1. num. 32. in fine, & Romoald.

14 Coli tract. de camb. cap. 1. & 4. † & in tantum est mensura omnium rerum, vt rem significet, l. 4. pecuniæ appellatione. ff. de verb. signif. & ideo significat omnia corpora, l. 176. pecuniæ verbum. ff. eod. & sic omnes res tàm soli, quàm mobiles, & tàm corpora, quàm iura, l. 220. pecuniæ nomine. ff. eod. & significat totum quicquid homines possident in terra, cap. 6. totum. 1. q. 3. & l. 94. quisquis. ff. de leg. 3. & propterea esse verbum generalissimum, scribit Lud. Bolog. in rubr. num. 52. ff. si cert. pet. & pecuniæ nomine comprehendi equum, hominem, vestem, & quodcumque in patrimonio consistens, scribit Fort. Garc. in l. iurisgentium. num. 17. ff. si cert. pet. & ideo in se includit frumentum, vinum, & alia omnia, quæ nummo ponderari possunt, Surd. decis. 35. ciues. num. 17. hocq; pecuniæ nomen meritò communis loquendi vsus sumit in specie pro pecunia numerata, quia hæc pecunia numerata in virtute continet omnem rem, & proinde Ecclesiastes 10. num. 19. ait, *pecuniæ obediunt omnia*, vt aduertit Sor. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 1. col. 6. paulò supra medium, fol. 563. & quòd nomen pecuniæ specialiter significet nummos, scribit Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 6. vers. sequitur. de vsur. & de pecuniæ vsu, inuento ad necessitatem vitæ humanæ, scribunt Ayma. Riual. tract. de histor. iur. ciuil. lib. 1. num. 13. tom. 1. fol. 3. & Romoald. Coli tract. de camb. cap. 1. & 2. & alij, quos citat Menoch tract. de arbitr. iudic. cas. 316. num. 48. lib. 2. cent. 4. & licet pecunia non esset signata, tamen idem pondus, sicq; massa ipsa non monetata habebatur pro pretio rerum, quia, antequam signaretur, pondere æstimabatur, vt ex Arist. sequitur Sor. d. q. 9. art. vnico. vers. ad intelligentiam. col. 2. fol. 607. imò pecunia hoc ipso quòd est mensura rerum, est etiam coniectura contractuum, & mentis contrahentium, Valasc. tract. de iur. emphyt q. 1. nu. 10. & quòd pecunia, non ad aliquem vsum disposita sit, nisi ad emendum, scribit Ioan. Chrysost. relatus in cap. 11. eijciens. ibi, primum quidem. dist. 88.

15 Sed ars campsoria vtitur pecunia in vsu opposito, & contrario, nempè vt ipsa emamus ipsam, & sic sit mensura, & mensuratum, & in eodem subiecto concurrat actio, & passio, quod reputatur impossibile, vt dixi infra §. 6. gl. 1. num. 23. in fine, & num. 24. ideoq; procurator, constitutus ad vendendum cuicunque velit, non potest sibimet vendere, quia non potest esse emptor, & venditor, Rot. Genuen. decis. 4. dum iudicauit. num. 3. qua etiam ratione creditor, habens facultatem à debitore vendendi pignus, non potest sibiipsi vendere, Neguſ. tract. de pignor. in 1. memb. 6. par. princip. sub num. 26. tom. 6. par. 1. fol. 242. & Menoch. cons. 296. cum interrogatus. num. 20. & quòd ars campsoria sit vituperabilis, eo quòd non vtitur pecunia in suo proprio vsu, ex Arist. lib. 1. polit. cap. 6. deducunt Card. Caiet. tract. de camb. cap. 5. num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 406. Bonins. tract. de camb. cap. 3. Fab. tract. de camb. num. 9. eod. tom. & par. fol. 411. Mich.

Sal.

Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78.in disput. de camb.q.1.art.2.sub num.1. vers.ducuntur. & communiter omnes.

16 Quarto, quia ars campsoria non habet finem, cum sit ordinata ad lucrum, & diuitias, quæ sunt sine fine, Arist.eod.cap.6. lib. 1.polit. D.Thom.2.2. q.77. art. 4. vers. respondeo dicendum. ibi, secunda autem.Caiet.loco supra proximè citato,& Io.Azor.de instit.mor.par.3.lib.10. tit. de camb. cap.3. q. 1. & tamen temporalia desideria modum habere debent; quam ob causam contra campsoriam artem, vti Reip. pestiferam,argumentatur Sot.de iust.& iur.lib.6.q.8.art. 1. argum.2.fol.603.

17 Quinto, quia negotiatio, ars,seu quiduis aliud, quod æquè se habeat ad bonum, & malum, debet prohiberi potius, quàm permitti, vt ex Bar.& Abb. secutus sum in meo tract.de iudic.caus.&c.lib.1.cap.12. nu.49. & multò magis prohiberi debet, quando à communiter accidentibus tendit ad malum, Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78. in disput.de camb.q.1.art.2.sub num.1.in 5.arg. tom.2.fol.526. & Io.Bapt.Cauat.tract.de camb.tit.de cãbio sicco,vers.quæro an similis.in fine,fol.222.quia vbi adest periculum, debet euitari, alias non euitando, videretur illud amare, *& qui amat periculum, peribit in illo*, Eccles.3. num. 27. Et pro maiori huius argumenti intelligentia sciendum est, quòd quatuor sunt genera actionum; quædam enim sunt bona in se, quæ nulla intentione possunt fieri mala, vt laudare Deum; quædam sunt in se ita mala, vt nulla intentione fieri possint bona, vt blasphemare Deum; quædam sunt de genere bonorum, vt dare elemosynam, & ista ex circumstantijs possunt fieri mala; quædam verò sunt indifferentia; & hæc intentione possunt fieri bona, vel mala, vt leuare lapidem de terra, possum enim illum leuare, vt offendam proximum, & tunc est malum, & possum leuare vt ædificem, & tunc est bonum, Abb. in cap. 10. cum ab omni. num. 2. de vit. & honest. cleric. vel, (& magis in proposito) quædam sunt de genere suo bona, vt actus virtutum: quædam intrinsecè mala,vt mentiri: quædam indifferenter, vt legere: quædam verò,si secundum se considerentur,inclinant in malum, & vituperium; nihil tamen prohibet, aliqua honesta circumstantia & fine bono per se fieri licita, vt habere plura beneficia Ecclesiastica, Sot.de iust.& iur. lib.6.q.8.art.1.in conclusione responsiua col.penult.fol.604.

18 Sed ars campsoria est huius quarti generis; inclinat enim potius in vituperiũ,quàm in honestatem, vt docet Arist d.lib.1. polit. cap. 6. & 7. quia est præter naturam pecuniæ, vt quis primarium eius vsum deserens, vnam pecuniam cum alia commutet, & finis ipsius non respiciat necessitatem vitæ, sed lucrum, quod in malum inclinat, Sot.d. q.8. art.1. & mercatoribus,& campsoribus, qui eam exercent, non est tanta suæ salutis cura, quanta est ijs, qui timoratæ sunt conscientiæ, vt, loquendo de cambio sine pecuniæ transmissione, scribit idem Sot. d. lib.6. q.10.art.1.in docum.post 2.corollar.col.penult.fol.610. & denum, quòd ars campsoria, & negotiatio cambiorum magis se habeat ad malum, patet ex his,quæ scripsi sup quæst. 1. num. 77. & 78. Ergo debet prohiberi.

19 Sexto, quia (quicquid sit de ipsa arte campsoria in vniuersum) cambium siccum, est illicitum, & prohibitum, vt consentiunt communiter omnes, Nauar. in cap. nauiganti. vers.decimoquinto. num. 25. vers.sequitur.& Io.Bapt.Lup.S.2.num.25.de vsur. inter tract. diuers. tom.7. fol. 139. Boninf. tract.de camb.cap.5. in 2. difficult. vers. dipoi. fol. 11. Io.Azor.de instit.moral. par. 3. lib.10.tit.de camb.cap.8.vers.at videndum. & vers.seq. hæcq; prohibitio continetur expressè in constitutione Pij V. & constitutionibus aliorum Principum secularium in multis locis.

20 Sed cambia ista per litteras nundinales sunt sicca, secundum ea, quæ scribunt Laur. de Rodulph. in cap.consuluit par.3. num.1. de vsur.inter tract. diuers.tom.7.fol.37.Sot. de iust.& iur.lib.6.q.8.art.2. col. penult. in 3. genere, fol. 606. quia cambium siccum generatim dicitur illud, ex quo lucrum exigitur, & accipitur ratione solutionis ad tempus dilatæ, ideoque re vera est mutuum, licet habeat nomen cambij,Io.Azor.de instit. moral.par.3.lib.10.tit.de camb.cap.10.initio; & quòd omne cambium, in quo nummularis dat pecunias, recepturus alibi eas, sit siccum, refert, sed non sequitur Io.Azor. d.tit.de camb.cap.9.in fine initij,& quòd sit siccum, dixi etiam infra sub num.28.

21 Septimo, quia hoc cambium per litteras nundinarias (siue vocetur siccum,siue non) est semper vsurarium, quia mutuare pecuniam

niam est dare illam cum dilatione temporis ad restituendam aliam in eisdem numero, & specie, transferendo dominium pecuniæ in eum, cui mutuatur, l. 2. mutuum. §. appellata. & §. creditum. & ibi Doct. ff. si cert. pet. & quòd transferatur dominium simpliciter in mutuatarium, scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. col. 1. vers. differunt. fol. 295. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 2. concl. 3. in fine, col. 3. dixi etiam infra §. 3. glos. 3. num. 33. & consequenter, translato in mutuatarium dominio, potest ipse pecuniam in vsus, quos voluerit, impendere, quia iam ad ipsum spectat periculum pecuniæ mutuatæ, vt scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 1. siue pereat ex culpa ipsius mutuatarij, siue non, Medin. d. q. 1. vers. differunt.

22 At dare pecuniam cambio ratione loci, non est in effectu aliud, quàm dare pecuniam cum translatione dominij in eum, cui datur cambio, & cum dilatione temporis ad restituendum, prout motiuant etiam Card. Caiet. tract. de camb. cap. 2. num. 2. tom. 6. par. 1. fol. 405. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 1. in 2. arg. col. 1. fol. 608. & Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 1. & 2. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. hocq; argumentum ex mente Iurisconsulti Genuensis, dicens, quòd anticipata solutione emitur minori pretio res maioris pretij, adducit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 1. art. 2. sub nu. 1. vers. denique. tom. 2. fol. 526. & ità tenere Goffredum, & Hostien. refert Boninf. tract. de camb. cap. 6. vers. furono. in fine, & ita in cambio per litteras, in quo nummularius prius recipit, & deinde soluit, arguit etiam Io. Azor. in loco supra proximè citato, &, loquendo in cambio opposito, nempe, quando nummularius prius dat, & deinde per litteras recipit, ita tenere Goffr. Hostien. & alios in cap. vlt. & in cap. 6. in ciuitate. de vsur. refert, sed non sequitur idem Azor. eod. tit. de camb. cap. 6. q. 1. &, loquendo de cambio nundinario, ita arguit eod. tit. de camb. cap. 8. vers. his positis. & quòd cambium sit mutuum, scribit Hier. de Luc. quem retuli par. seq. ampl. 11. sub num. 2. confirm. 4. & hanc opinionem in cambio sicco, eo quia sit mutuum palliatum sub veste cambij, declarando, quando sit cambium siccum, admittit Boninf. d. tract. de camb. cap. 7. vers. ma quanto. fol. 19. & quòd in cambio impuro, in quo scilicet interuenit diuersitas temporis, vel loci, semper contineatur mutuum tacitum, scribit Medin. quem citaui supra q. 5. sub num. 1. & quòd cambium sit mutuum, suadetur etiam ex eo, quia procurator, constitutus ad accipiendam mutuam pecuniam, potest eam accipere sub cambijs, & recābijs, vt moris est, Mantic. tract. de tac. & ambig. conuent. lib. 3. tit. 9. nu. 63. tom. 1. quare multi, vt Laur. de Rodulph. quem citaui supra q. 1. num. 424. in 3. cas. Nauar. quem citaui par. seq. ampl. 1. num. 1. & Hier. de Luc. quem retuli ead. par. seq. ampl. 13. sub nu. 1. vers. quicquid. in fine, promiscuè, & æquè loquuntur de cambio, & de mutuo; & casum, in quo accipiens mutuo, fecerat tunc litteras cambij mutuanti, nō improbauit Rot. Genuen. decis. 50. antonius maria. initio; & quòd cambium sit mutuū, latè examinat idem Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 6. fol. 362. & ita ipse semper supponit, & loquitur, & quòd cambium Lugdunense, Bezenzonense, seu Placentinum, sit mutuum ferè explicitum, latens sub pallio cambij, ostendo euidenter, patefactis eius fictionibus, nam in effectu in illo cambio dantur in Ciuitate Genuæ scut. 100. auri in auro, seu illorum valor, vt Placentiæ cum dilatione vsque ad nundinas proximas restituātur scut. 102. seu 103. auri in auro, vel illorum valor, & ibidem dantur postea ijdem, vt in eadem Ciuitate Genuæ reddantur scut. 104. Sed quia eiusmodi contractus, si ita fieret sine alia palliatione, haberet faciem apertam mutui, in quo illud plus sine vsura accipi non posset, per ea, quæ dixi supra q. 1. num. 408.

23 † idcirco isti negociatores, vt illud plus non ex mutuo accipere videantur, simulant contractum cambij, ad quem contractum simulandum multa alia fingunt; Primo enim fingunt emere scutos marcharum, tanquam monetam diuersæ speciei ab ea, quam loco pretij dant, vt hac monetarum diuersitate includant emptionem, & venditionem, per ea, quæ dixi supra q. 4. num. 21. & excludant mutuum, in quo reddi debet pecunia eiusdem speciei, vt secutus sum supra ead. q. 4. num. 7. in 2. differentia; & tamen isti scuti marcharum non reperiuntur, ideoque in distractu, idest, in solutione sunt scut. auri in auro, cum pro scutis 101. marcharum sint soluendi scut. 100. aurei in auro, veri, & reales,

les, seu illorum valor, & quia sunt, vt dixi, scuti ficti, alicui Principi iniuriam non faciunt, dum ipsi eis pretium imponunt, vt dixi §.seq.gl.3.num.107. Secundo fingunt, illos scutos marcharum sibi consignandos esse Placentiæ in nundinis, vt ex hac fictione dupliciter excludant mutuũ: primo quia in mutuo solet dari vel expressè, vel tacitè semper aliqua dilatio ad restituendum: at in cambio nulla videtur dari dilatio, sed potius videtur statui locus, nempè in nundinis Placentinis, ita vt dilatio in mutuo sit ex natura necessaria mutui, at in cambio per litteras sit ex accidenti, nempè pro transmittendis litteris, vt dixi ead.q.4.num.13. in 5. differentia; & tamen in effectu dare pecuniam ad primas nundinas Placentinas non est aliud, quàm dare eam, vt sibi reddatur post tres, vel duos, vel vnum mensem, prout nundinæ plus, minusvè distant: & sic istæ nundinæ videntur inuentæ ad obscurandam, tegendamque restitutionis dilationem, quæ locum habet in mutuo; secundo, quia restitutio est facienda in diuerso loco, at in mutuo debet fieri in eodem, vt dixi supra q.4.nu.14. in 6. differentia; & tamen in effectu, qui dant cambio in Ciuitate Genuæ non indigent pecunia in Ciuitate Placentiæ, sed habent intentionem, vt sibi restituatur Genuæ: & ita per viam recambij in effectu consequuntur; vt latius scripsi infra num.30. in 8. argumento. Tertio ad excludendum mutuum fingunt mercatores cambiorum aliquando perdere in cambio, & sic sortem integram nõ recuperare, Caiet. Fab. Genuen. & Rot. diuers. quos secutus sum infra num.94. in fine, & num. 95. ad differentiam mutui, in quo sors restituitur semper integra, vt retuli supra q.4. num.11. in 3. differentia; & tamen est fictio, tùm quia etiã in mutuo potest dari casus, vt mutuanti non restituatur in effectu, idest, vtiliter quantum mutuauit, per ea, quæ scripsi supra q.1.num. 410.415. & 420. tùm quia, quod mercator cambiorum perdat de sorte, est de rarò contingentibus, vt scribit idem Fabian. in loco supra citato; & vnus flos non facit ver; & ex his nundinæ illæ videntur inuentæ à mercatoribus, vt ex mutuo lucrum consequantur: sæpè interueniunt aliæ fictiones, de quibus fusè scripsi infra §. 6. glos.1.num.23. & seqq. & inter eas est fictio litterarum cambij, quas mercatores faciunt, non pro cambio, sed pro lucro prouisionum; & ideo campsuario, qui cambio accipit, sunt damnosæ, vt scripsi infra par.3.limit.5.nu.3. & ratio, quare tot multiplicentur fictiones est, quia fictio, & mendacium fraternizant; vnde sicut mendacium mendacium trahit, ita fictio fictionem; his ergo fictionibus patefactis, constat nullam in substantia remanere differentiam inter mutuum, & eiusmodi cambium, nisi hanc, quòd negotiator non intendit mutuare gratis; vnde, sublato illo, gratis, cessaret hoc nomen cambij, & omnia fierent apertè sub proprio, & reali contractu mutui, & proinde nundinæ cambiorum videntur nundinæ vsurarum; sed si non quod verè agitur, sed quod simulatè concipitur, deberet attendi, possent sine tanto circuitu, quando mutuant, dicere, quòd emunt, seu permutant pecuniam tanto pretio: quia, vt vnico verbo concludam, hæ fictiones aut non releuant, aut non sunt necessariæ: quia volunt istis fictionibus conscientiam deprauatam fingere bonam, sed errant, quia conscientia iudicatur à Deo, cui omnia sunt aperta.

24 Et quamuis cambium non esset mutuum formale, per ea, quæ dixi supra q.4 num.5. & seqq. sed esset alius contractus, tamen esset mutuum velatum, siue palliatum, quia mutuũ palliatum est, quod secundũ suam formam apertam, & verba contrahentium est alius contractus, quàm mutui: secundum verò formam latentem, & mentem contrahentium veram, vel præsumptã est mutuum, quale est omnis alius contractus, in quo aliquis minoris iusto pretio infimo quærit aliquid propter anticipatam solutionem; & è conuerso, vendit alij pretio maiori iusto supremo propter dilatam solutionem; quare qui rem, quæ ad minus, attento infimo pretio, valet 12. emit pro 10. eo, quia anticipatè eam soluit, videtur in effectu mutuare pretium, quod dat, nempe illa 10. & illud minus, videlicet, illa duo, quæ non soluit, videtur accipere pro vsura; qui verò contra, rem, quæ valet 10. ad summum, attento pretio rigoroso, vendit 12. eo quòd ementi facit tempus ad soluendum pretium, videtur illi mutuare pretium rei, & pro isto mutuo accipit illa duo, quæ excedunt iustum pretium, cap.6. in ciuitate. & ibi Abb. & alij de vsur. D.Thom. 2.2.q.78.art.2.vers.ad septimum. dicens, quòd manifestè vsura committitur, quia eiusmodi expectatio pretij soluendi, seu anticipatio solutionis habet mutui

cui rationem, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. col. 1. in fine, vers. est autem. fol. 295. & vers. primum. fol. 296. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. vers. in capite. versus finem, fol. 525. col. 1. & clarius Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua. sub num. 206. vers. dixi verum. & ita in venditione rei, consistentis in pondere, numero, vel mensura, scribit Bal. quem citaui par. seq. ampl. 8. num. 162. confirm. 2. † Vnde licet omnis vsura versetur in solo contractu mutui, tamen quia contractus mutui est duplex; verus, & palliatus; ita etiam duplex est vsura; vera scilicet, quæ consistit in vero mutuo, & palliata, quæ versatur in mutuo palliato, Medin. in loco supra proximè citato, Nauar. d. vers. dixi verum. in fine, & ita in effectu docet etiam Abb. d. cap. in ciuitate. num. 2. & realem vsuram esse duplicem; formalem scilicet, in qua mutuum cum lucro formaliter interuenit; & virtualem, in qua mutuum interuenit solum virtute; cum scilicet merces, credita pecunia, carius venduntur, seu, anticipata solutione, vilius emuntur, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsura, cap. 3. vers. tertio diuidi solet. & quòd vsura committatur solum in mutuo vero, vel ficto, scribit etiam Cald. cons. 11. mercator ianuensis. sub num. 1. de vsur. & quòd committatur solum in mutuo, scribit Innoc. in d. cap. in ciuitate. sub num. 1. vers. ex forma huiusmodi. de vsur. & quòd sedes & fundamentum vsuræ sit mutuum, scribunt Medin. d. q. 1. vers. primum. in fine, col. 3. fol. 296. & Molin. de iust. tom. 2. de cõtract. disput. 303. initio col. 225. & quòd vsura non cadat, nisi in mutuo vero vel palliato, scribunt Rot. diuers. decis. 197. in causa. num. 3. par. 2. & coram Illustriss. Card. Lancellotto, in Lucana pensionis, ven. 18. martij, & 29. aprilis 1611. decis. 325. dubium erat. num. 10. vers. vltra quod. in impressis Romæ 1615. & habes in quadam terminorum cambij instructione, à me relata infra §. 9. num. 33.

25

Ergo sicut est prohibitum mutuũ, in quo aliquid ratione temporis accipitur vltra sortem, quia tunc continet vsuram, quæ omni iure est prohibita, vt dixi supra q. 1. nu 401. & seqq. ita etiam prohibitum est cambium, in quo ratione temporis accipitur aliquid vltra summam datam, per ea, quæ latius explicaui infra num. 28.

Nec dicatur, quòd cambium, cum sit permutatio, seu emptio, & venditio pecuniæ, vt dixi sup. q. 4. num. 18. & 21. non potest esse mutuum, per ea, quæ scripsi ead. q. 4. num. 5. & seqq.

26 Quia respondeo, mutuum esse duplex; verum scilicet, & palliatum, vt dixi etiam supra, & huiusmodi est cambium, cuius sorti accedit aliquid ratione temporis, quia licet habeat pallium, seu habitum cambij, tamen est mutuum, † nam sicut pallium, seu habitus non facit monachum, cap. 13. porrectum. de regular. & transf. &c. cap. 4. consuluit. qui cler. vel vouen. &c. Philip. Franc. tract. de disput. petit. in 3. dub. num. 2. tom. 3. par. 2. fol. 330. ita pallium, seu habitus cambij, quo induitur mutuum, non facit, vt sit cambium, sed remanet mutuum; quare dato etiã, quòd cambium esset vera emptio, & venditio; tamen adhuc in eo stat mutuum implicitum, quia campsor emit à campsuario scutos *de marche* viliori pretio propter anticipatam solutionem, ita vt quò magis anticipatè soluit, eo viliori pretio emat; & cõsequenter est vsurarius; & è conuerso peccat etiam venditor, qui ob dilatam solutionem vendit rem maioris iusto pretio maximo, vnde peccare etiam videntur, qui emunt, vel conducunt reditus Episcopatuum, beneficiorum, magistratuum, prouinciarum, dominiorum, oppidoru n, tributorum vendibilium exactiones & aliorũ priuatorum, necessitate pressoru n, multò minori iusto pretio infimo ob solutionem anticipatam vnius anni, & minori ob duorum, & multò minori ob trium, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua. num. 210. vers. in duodecimo not. num. 228. vers. idem de eo. & dixi sup. num. 24. vers. & quamuis. & quòd mercator, vendens rem aliquam ad tempus, non possit vendere plus communi pretio ex hoc, quòd pecunias suas mortuas tanto tempore tenebit, & si hoc licitum diceretur, iam vsura non esset damnata in venditione ad tẽpus, scribit D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. vers. ad septimũ. quem sequitur Card. Caiet. tract. de camb. cap. 6. versus finem, num. 12. tom. 6. par. 1. fol. 407. cuius formalia verba habes infra §. 9. sub nu. 15. & quòd constans sit opinio omnium Theologorum, Summistarum, & Iurisconsultorum, quòd quis non possit tuta conscientia, vendendo ad tempus, expectata solutione, augere pretium hoc solo nomine, expectatæ solutionis, scribit, & sequitur Io. Azor. de instit.

27

instit.moral.par.3.lib.8.tit.de empt.& vendit.cap.8.initio, vers.vis igitur.col.642. demum, quòd quoties augetur pretium rei venditæ ob dilatam solutionem, vt puta, quia venditor vendit pretio maximo, quo valebit vsque ad tale tempus, ad quod differtur solutio, sit peccatum vsuræ, scribit Nauar. d. cap. 17. de peccato vsuræ circa mutua. num.240. vers.centesimoquinto. & hanc esse communem omnium opinionem, quia eiusmodi venditio continet tacitum,& implicitum mutuum,testatur,& sequitur Io. Azor.d.cap.8.circa initiũ, vers.dicitur hoc. col.642.& sic erit conclusio generalis,quòd dilatio ad soluendum,vel anticipata solutio non debet augere, seu minuere pretium: at campsorem his rationibus plus accipere, quàm dederit, patet ex his, quæ scripsi num. seq.

28 Confirmatur totum hoc septimum argumentum, quia istud lucrum, quod campsores exigunt ex cambio nundinario, non potest referri ad aliam causam, quàm ad commoditatem restituendi, seu dilationem soluendi, quam habent qui accipiunt cambio; nam quantò tardius est agenda solutio, eò plus augent lucrum,quod nonnullum argumentum est intentionis vsurariæ, Medin.in suis tract.tom.2. tit.de reb. per vsur. acquis. q.6.vers.sunt etiam in fine, col. penult. fol. 365. & proinde videmus,quòd dantes cambio pro proximo foro, quantò distantiori tempore à foro dant pecunias, tantò minus dant,quia longiori tempore carebunt pecunijs,cambio datis,& accipiens longiori vsurus est dilatione, vt considerant Iureconsf. Genuen. quem citaui infra hoc eod.num.& Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit. de camb.cap 8.vers.accedit quod.& latius cap. 9.q.4.& alij cõmuniter; hincq; primo mense pro centum aureis, Lugduni accipiendis, campsor dat Venetijs 118.duc. secundo verò mense dabit 119. & tertio dabit 120. & in cambio Francofurtensi hanc seruari rationem, vt si Antuerpiæ campsor quinto mense ante nundinas pecuniam numeret, det solum,verbi gratia,73.grossos pro floreno Germanico, si quarto mense numeret, det solum 74. si tertio, 75. si secundo, 76. si vno duntaxat ante nundinas, 77. & ideo pretium variari pro maiori, vel minori temporis intercapedine,testatur Leonar.Less.de iust.& iur. lib.2.cap.23. num.53. sicq; huic cambio inest mutuum interpretatiuum,quia pretium cambij non potest variari ob solam rationem longioris, vel breuioris temporis, cum in cambio requiratur sola illa dilatio, quæ est necessaria ad transmissionem litterarum, & præparationem solutionis, & proinde si plus temporis concedatur ad solutionem, id non fiet ex vi contractus cambij,sed taciti cuiusdam mutui, in quo aliquid exigere vltra sortem ratione temporis longioris est vsura,Leonar.Less.d.cap.23.num.54. idq; benè etiam colligitur ex Pij V. constitutione, in qua disponendo, vt tempus solutionis faciendæ sit proportionatum distantiæ loci, reddit causam, ne fœnerandi detur occasio, in illis verbis: *cauendum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne,dum longiores præfiguntur, quàm loca destinata solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio*. &, quòd vbi aliqua se ingesserit ratio expectati temporis, cambium sit siccum, & vsurarium, scribit Sot. de iust. & iur. lib.6.q.8.art.2. versus finem, col. vlt. fol. 606. &, quòd is, qui dat pecuniam nunc, vt post duos, vel tres menses maiorem recipiat, faciat iniustitiam, vel committat vsuram, scribit Nauar. in man. confess.cap.17. num.287. &, quòd propter anticipationem, vel dilationem solutionis iustum rei pretium non sit augendum, nec minuendum, scribit ibidem num. 289. vers. secundo quod. & vers.quare. ibi, excusatur. & quòd pretium cambiorum, quæ fiunt Genuæ pro Placentia, non possit ratione temporis augeri, seu minui, nisi respectu veri interesse, scribit ibidem num.297.quod satis ante eos apertè dixit Caiet. tract de camb. cap.7. sub num.4. tom.6. par.1. fol. 407. in illis verbis, *nec temporis prolixitas, aut breuitas pensabitur, sed semper in veri pretij æstimatione stabitur, siue citò, siue tardè pecunia assignanda sit: si enim hoc defuerit, vsura est ratione impliciti mutui, sicut in venditione plus iusto pretio ad tempus*: & hæc benè comprobantur ex Doctorum auctoritatibus, quas adduxi infra par. 3. limit. 1. num.1. & quòd cambium cum termino restituendi pecunias ad primas nundinas, vna cum lucro ad rationem illius temporis, ac prout fecerit cambium, sit cambium siccum, prohibitum, illicitum, & vsurarium, scribit Bursat.consf.399. breuiter. sub num. 26.vers.primo quia. & num.27.lib.4. & ità, articulo per multa argumenta latè examinato,

nato, concludit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 18. num. 2. & seqq. & præsertim nu. 5. vers. ex his sequitur. tom. 2. fol. 611. & quòd propterea nō liceat dare ad maius pretium, quando cambitur, *à poliza vista*, quàm quando cambitur, *ad vso*, refert, & sequitur Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de litteris. vers. quæro an liceat. fol. 224. & ex istis, adductis in hoc septimo argumento, & præsertim in eius comprobatione Nicolaus Senarega, Iurisconf. Genuen. in quadā epistola, quā habes impressam apud Hilarionem Genuen. tract. de latiss. auar. domin. in fine, & Fabian. Genuen. tract. de camb. versus finem, sub num. 68. tom. 6. par. 1. fol. 418. ex veriori, & tutiori opinione firmat, cambia, quæ fiunt in Ciuitate Genuæ, esse illicita, quia, vt inquit, cum emant per anticipatam pretij exbursationem rem minori pretio, alio tempore consignandam, cadunt in contractum mutui, qui propterea censetur illicitus, subdens, quòd, si veritatem intueri velimus, mercatores inuenerunt huiusmodi contractum ad euitandum nomen vsuræ.

29 Demum lex istud lucrum, seu maius pretium, procedens ex dilata solutione, adeo odio habet, vt toleret deceptionem vsque ad dimidium iusti pretij, quando res & pretium sunt de præsenti; secus quando differtur solutio pretij, quia tunc id, quod est vltra verum pretium, videtur constitutum propter illam dilationem pretij, & nō quòd res valeat tantum, Abb. in cap. 6. in ciuitate. num. 6. de vsur. quare emptor deceptus, rem, quæ valet quinque, potest emere pecunia præsenti nouem, seu decem, per ea, quæ dixi par. seq. ampl. 10. num. 1. & 3. sed non deceptus, non potest emere octo propter dilationem, sibi datam ad soluendum; contra, verò venditor deceptus, rem, quæ valet decem, potest vendere sex, vel quinque pro pretio de præsenti, sed non deceptus, non potest vendere septem propter anticipatam solutionem; & sic lex tolerat læsionem, procedentem à deceptione, sed non tolerat læsionem, procedentem à dilata, seu anticipata solutione; & in simili videmus, quòd tolerat modicitatem pretij, seu aliquam læsionem in venditione libera, sed non tolerat in venditione cum pacto de retrouendendo, quia tunc habet eam suspectam de vsura, vt ex communi opin. sequitur Crauet. cons. 156. iacobus. num. 4. quem refert, & non impugnat Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 1. cas. 13. & quando hoc pactum retrouendendi iudicetur illicitum, vide par. seq. ampl. 10. num. 31.

30 Octauo, quia mercatores in isto cambio dant suas pecunias, non quia egeant, vt illæ sibi alio in loco soluantur, sed vt illas postmodū cum aliquo lucro in eodem recipiant; & è conuerso, multi illas cambio accipiunt, non vt illas alibi restituant, sed solum, vt eas per aliquod tempus in suis indigentijs habeant, & postmodum cum lucro ibidem restituant ad rationem, prout fecerit cambium, quæ negotiatio in effectu nihil aliud est, quàm vsura lucratoria, Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 13. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 138. & dicitur cambium siccum, cum re vera pecunia non transmittatur, Lup. d. §. 2. num. 23. & Virgin. de Boccat. tract. de interd. vti possid. cap. 18. num. 165. & seqq. tom. 3. par. 2. fol. 316.

31 Nono, quia si quis emat iusto pretio frumentum tempore absolutarum messium, quando est impositum certum pretium, & obliget venditorem ad illud sibi consignandum tempore Paschatis, contractus est vsurarius, quia verisimiliter tempore Paschatis valebit pluris, iuxta mentem, quæ elicitur per contrarium sensum ex cap. nauiganti. de vsur. & non habetur in consideratione, quòd posset valere minoris, quia hoc est de rarò contingentibus, & lex se accommodat ad ea, quæ frequenter occurrunt, Hostien. in sum. tit. de vsur. §. an aliquo casu. vers. quarto quando. ibi, item quid si dant. Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. sub nu. 9. vers. quidam. ibi, aut verisimile. & num. 11. q. 29. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. Ambr. de Vign. in cap. salubriter. post rubr. in textu, num. 83. eod. tit. inter tract. diuers. eod. tom. 7. fol. 56. & quòd is, qui mutuat monetam, triticum, aut quid aliud eo pacto, vt sibi reddatur tempore, quo verisimiliter creditur eius pretium auctum iri, sit vsurarius, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 7. vers. idem quo-

32 que. † & quòd isto casu is, qui mutuat triticum, vt sibi reddatur tempore, quo verisimiliter pluris æstimabitur, si vsque ad illud tempus non erat seruaturus, peccet; & ideo, quod ex aucto pretio superlucratur, sit obligatus restituere, quia illud lucrum procedit à mutuo: secus tamen si verisimiliter dubitabat, an tunc pluris, vel minoris esset vali-

S 2 turum;

turum; secus etiam si vsque ad illud tempus erat seruaturus, & mutuatario libertatem non adimit, quin etiam antea reddere possit, scribit Nauar. in man. confess. cap. 17. de peccato vsuræ circa mutua. num. 219. vers. nonagesimo peccat. & concordant quæ scribunt Laur. de Rodulph. d. par. 2. sub num. 9. vers. quidam. & Card. Tolet. quem secutus sum sup. q. 1. num. 420. & ita, loquendo de mutuo pecuniæ, scribit etiam Ioan. Azor. d. cap. 7. vers. deinde quæri posset. & sicut mutuator potest licitè pacisci, rẽ mutuatam sibi restitui certo futuro tempore, quo rei mutuatæ pretium speratur auctum iri; quia ipse vsque ad illud tempus erat rem mutuatam seruaturus, vt dixi; ita etiam potest quis vendere ad credentiam, recepturus pretium in tempore, quo res vendita speratur plus valitura, si venditor erat eam seruaturus vsque ad illud tempus, B. Io. à Capistr. tract. de vsur. 2. par. 2. part. princip. sub num. 46. tom. 7. fol. 106. hancq; esse communem omnium sententiam, vt mercator, qui suas merces erat seruaturus ad tempus, quo erant plus æstimandæ, & eas precibus emptoris vendit pecunia credita, possit vẽdere eo pretio, quo esset venditurus eo tempore, ad quod erat seruaturus, deductis pretio, quo æstimantur pericula, labores, & impensæ, quas fecisset in seruandis illis mercibus vsque ad illud tempus, scribit, declarando, tripliciter constitui pretium, & alia contingentia in hac materia, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vendit. cap. 9. initio, & vers.

33 seqq. col. 647. † alias, si non erat seruaturus, & quod sibi deberur, non vult recipere vsque ad tempus, quo eius pretium crescat, peccaret, cũ debitor illud tempus expectare non teneatur, & ipse velit lucrari impensam, quam in custodiendo faceret, & periculum amissionis vitare, Nauar. d. cap. 17. num. 225. vers. nonagesimo sexto. & Laur. de Rodulph. in loco supra proximè citato.

34 Ratio potest esse multiplex: Prima in contractu emptionis, quia emptor non solum habebit rem emptam, sed interim habet ipsum venditorem custodem rei emptæ, & euitabit periculum, vt dixi: Secunda ratio, & melior est, quia emptor intendit potius mutuare, & ex mutuo quæstum facere: nam ex quò soluit anticipatè, vult vt venditor tradat vltra debirum; quasi emptor mutuauerit sub pallio emptionis, Ambr. de Vign. in cap. salubriter. post rubr. in text. sub nu. 82. de vsur. fol. 56. & benè Nauar. quem retuli supra num. 27. in 7. argum. Tertia ratio in contractu mutui formalis est, quia illa obligatio, qua mutuatarius adstringitur restituere in tempore, quo res mutuata pluris verisimiliter valebit, est pecunia æstimabilis, & quicquid pecunia æstimabile imponitur mutuatario vltra restitutionem mutui, est vsurarium, vt secutus sum par. seq. ampl. 10. num. 82. versus finem, vers. primus casus.

Et licet non sit vsura formalis, quia non est mutuum formale; tamen est vsura quantum ad intentionem deprauatam, quia ius fingit, ac si emptor illam pecuniam venditori mutuaret, vt in alio non dissimili casu scribit Abb. in cap. vlt. nauiganti. sub num. 6. de vsur. &, nulla de eo facta mentione, Ambr. de Vign. vbi supra, num. 82. fol. 56.

Si iste contractus emptionis, & mutuationis frumenti est illicitus, & vsurarius, ex eo solo, quòd verisimiliter pretium augeretur; Ergo quanto magis erit illicitus, & vsurarius contractus cambij, in quo scutus *de marche* emitur minori prerio, & venit consignandus in proximis nundinis maiori, & certo pretio, per ea, quæ scripsi supra num. 28?

35 Decimo, quia sicut fructus societatis officij Cur. Rom. non debentur, quando societas officij est ficta, eo quia sit contracta sine officio, vel illud officium, super quo contrahitur, non habet illum fructum, vt latè scripsi supra q. 1. num. 276. 324. & 331. quod idem de alijs societatibus fictis scripsi par. seq. ampl. 17. num. 9. confirm. 2. & de censibus, & locis montium, quando exiguntur fructus, quos census, & loca montium non habent, quo casu illi fructus illicitè percipiuntur, & ideo sunt restituendi per ea, quæ secutus sum supra q. 1. num. 177. & 208. ita etiam non debentur prouentus cambiorum, quando cambium contrahitur per litteras fictas, de quibus scripsi infra par. 3. limit. 5. num. 1. & 3. & infra §. 6. gl. 1. sub nu. 2. vers. secundo quia. & num. 11.

36 Vndecimo, quia hoc cambium nundinarium; siue sit vsurarium, siue non, videtur saltem illicitum ex eo, quòd campsor, seu nummularius, quando dat cambio pro foro Placentiæ, non accipit, vt alibi soluat, & sic non est translaturus, sed ipse soluit, vt alibi accipiat; vnde tantum abest, vt in eo considerentur transuehendi pecunias labor, & impensæ, quibus iustificatur lucrum cambij, per ea, quæ secutus sum supra quæst. 1. num. 422.

num. 422. & seqq. & infra num. 44. vt potius hi labor, & impensæ considerandi sint in eo, qui pecunias accipit, vt soluat alibi, videlicet in nundinis, & tamen nummularius adhuc ex illo cambio lucrum consequitur: quare nummularij siue accipiant prius, alibi soluturi, siue prius soluant, alibi accepturi, semper quæstum faciunt; addo etiam, cambij commercium videri iniquum, tum quia, circumscriptis etiam impensis, & laboribus, adhuc ex eo accipitur lucrum, vt scripsi par. seq. ampl. 6. num. 1. tum quia nummularius, etiam si pecunia pluris valeat in loco, vbi eam accipit, quàm vbi soluit, tamen lucrum consequitur, non seruata æquiualentia nummismatum, vt retuli par. seq. ampl. 10. num. 107. declar. 6.

37 Duodecimo, quia de natura cambij est, vt moneta vnius speciei commutetur cum altera diuersæ speciei, per ea, quæ dixi supra q. 4. nu. 7. & seqq. & reddatur alio in loco, ad differentiam mutui, cum alias ista commutatio esset superflua: Sed in isto cambio nundinali nulla in effectu habetur consideratio, quòd moneta sit diuersa; & in cambio cum recursa redditur eodem in loco; nam Genuæ datur cambio pro Placentia, & postea in reditu fori Placentini restituitur Genuæ: ergo est illicitum.

38 Decimotertio, quia ijdem mercatores, qui dant, & accipiunt cambio, interueniunt pretio, quod imponitur pro cambijs, vt latius scripsi §. seq. glos. 4. num. 13. Ergo illud pretium est suspectum de iniustitia, quia ipsi dicunt jus in causa propria: Vnde sequitur postea, quòd dantes cambio ferè semper lucrentur, vt patet ex exemplo cambij, quod posui supra q. 5. num. 54. & seqq. siue dent pro certo pretio imposito, siue pro incerto imponendo, de quo duplici pretio, seu modo scripsi eadem q. 5. num. 65. & 66. & consequenter cambium hac ratione est illicitum, vt scribit Sot. quem retuli par. seq. ampl. 14. num. 3. restr. 2. & licet aliquando possint perdere, tamen quod frequenter euenit, non quod rarò contingit, debet attendi, per ea, quæ secutus sum supra num. 31. in 9. argumento.

39 Decimoquarto, quia istud cambium non habet illum finem vtilem, & necessarium Reip. videlicet, pro commodo mercaturæ, & beneficio peregrinantium, ad quem finem fuisse ordinatum cambij vsum, dixi q. præced. num. 7. & ad quem finem est permissus, & declaratus necessarius, & vtilis Reipub. à

40 Pio V. in eius constitutione de cambijs. †sed habet finem turpem, & illicitum, videlicet, vt seruiat inexhaustæ auiditati, inexplebiliq; desiderio, & insatiabili auaritiæ cumulandi thesauros, nulla admixta publicæ societatis vtilitate; quæ auaritia de sui ratione est peccatum mortale: nihil enim intulimus in hunc mundū, ideo non dubium, quòd nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli: estque auaritia radix omnium malorum, quia sacrilegia committit, & furta: rapinas exercet & prædas: bella gerit, & homicidia: simoniacè emit, & vendit: iniustè petit, & accipit: meq; negotiatur, & fœneratur: instat dolis, imminet fraudibus: dissoluit pactum, violat iuramentū: corrumpit testimonium, & peruertit iudiciū, vt ex Innoc. V. refert B. Io. à Capistr. tract. de vsur. sub nu 6. tom. 7. fol. 92. & vt habetur Eccles. 10. n. 9. & 10. *auaro nihil est scelestius, &c. nihil est iniquius, quàm amare pecuniam*; auarus enim ex potu sitim auget, quia, vt ait Sen. lib. de moribus, *pecunia non satiat auaritiam, sed irritat*, & S. Ambr. relatus in cap 8. sicut ij. dist. 47. contra auarum, inquit, *sicut ij, qui per insaniam mente translati sunt, non tam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens auari, semel vinculis cupiditatis adstricta semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius aurum intuetur, quàm solem: ipsa eius oratio, & supplicatio ad dominum aurum quærit, &c. Interdum etiam vsura arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur*.

Ergo cum cambia sint inuenta, & ordinata propter publicam vtilitatem, vt dixi q. præced. num. 14. & istud cambium non tendat ad hanc publicam vtilitatem, non dicitur de cambijs inuentis, & ordinatis, & ideo remanet exclusum, quia tendit ad malum, & hoc argumento vtuntur plures, inter quos sunt Boninf. tract. de camb. cap. 5. vers. trà l'altre. & Fabian. eod. tract. de camb. nu. 9. tom. 6. par. 1. fol. 411.

41 Secunda opinio, contraria primæ, est negatiua, quòd eiusmodi cambia non sint prohibita, neque sint illicita, seu vsuraria, quia campsor non est certus de lucro; sed est loci commercium, & fortuna, & non est contractus mutui, Bal. in l. 2. num. 2. vers. item cambia.

bia. C. de vsur. rei iud. & ideo cambia esse licita, tenent idem Bal & Salyc.in l.institoria.in fine, C. de exercit. & instit. act. idem Salyc.in auth.ad hæc. num.10. q. 11. C.de vsur.Ias.in l.1.in 1.lect.num.64.q.6. & in 2.lect.num.39. vers. nunquid autem. C. de sum.trin.& fid cath. Laur.de Rodulph. in cap.consuluit par.2.q.26. num. 8. & par.3. num.1.& seq.de vsur.inter tract.diuers.tom. 7.fol.22.& 37.Io.de Anan.in cap. nauiganti num.46. de vsur. B.Io.à Capistr. tract.de vsur.in 2.par.2.par.princip. nu.146. tom.7. fol. 111.

42 † & propterea mercator potest recipere 100. in vno loco, puta Venetijs, & restituere in alio, puta Florentiæ, 106. vel 107. florenos, prout plus, vel minus valent; nam tanti valet alicubi florenus cum vno denario, quanti alibi sine denario; quia cursus monetæ operatur excessum in valore secundum locorum diuersitatem, plus enim valet florenus Florentinus Florentiæ, quàm alibi, & pluris ducatus Romanus Romæ, quàm alibi; operatur hoc & monetarum diuersitas; quare quandoque tanti valent Venetijs centum ducati quanti Florentiæ centum sex, vel centum septem floreni: non enim plus soluitur, sed tantundem: est & alia ratio, videlicet, periculi, &c. Archiep. Florent. tract. de vsur. cap.2.§.48.num.78. tom.7. fol.86. quem, & alios citaui nu. seq.

43 † ideo etiam mercator potest in Ciuitate Perusij accipere 100. occasione cambij, & soluere in Ciuitate Neap. solum 95. dummodo ita sit consuetudo generalis mercatorum, & non excedat nimis modum, Bal. in rubr num.1.C.de constit. pec. & tract. de constit.num.1.tom.6.par.1.fol.38. Io. de Anan.in d.cap.nauiganti. num. 46. & Petr. de Vbal.tract.de duob fratr. par.5. princip. num.34.tom.6.par.1. fol. 148. huncq; contractum laudat Bal.in cap.1. sub num. 9. de plus petit. quem sequitur Nauar. in d.cap. nauiganti. sub num.21. de vsur.

44 † Item potest campsor cambiendo recipere denarium pro floreno, B.Io.à Capistr. d.nu.146. idest, cum campsor pro floreno dat tibi monetam, & retinet vnum denarium; vel è contra, dat tibi florenum, & recipit monetam; quia non est mutuum; nam non retinetur pecunia, neque habetur respectus ad pecuniam, sed ad interesse campsoris ratione laboris, operarum, pensionum, salariorum, factorum,& discipulorum, quæ subit campsor pro exercenda ista arte; cum non sit decens, vt debeat proprijs impensis operari in aliorum vtilitatem, Io. de Lign. quem sequi videtur Archiep. Floren. tract.de vsur. cap.2. §. 47. num.77.& §.48.nu.78. tom.7. fol.86. idem per alia verba scribit Io. Azor.de instit.mor. par.3. lib.10. tit.de camb.cap.4.q.8. licet in eo cap. agat de cambio minuto; & quòd cambia artificialia, seu ars campsoria possit quatuor rationibus esse licita, sequitur ex Sancto Bernar. Ambr.de Vign.in cap. salubriter.num.274.& seqq.iuncto num.269.de vsur.inter tract.diuers.tom.7. fol.66. & scribunt Laur.de Rodulph.Io.de Anan.Nauar. Hieron.de Luc.Io.Azor.& alij, in locis, quæ citaui supra q.1. num.424.

45 † &, quod campsor possit ex duabus causis in genere lucrari, & plus quàm dederit recipere; videlicet, propter obsequium, quod præstat campsuarijs, & propter interesse damni emergentis, & lucri cessantis, quod ex cambio patitur, scribit, & latius enarrat Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.5. col. penult.vers.verum, fol.361. & q.9. vers.dicitur aliud. fol. 373. col. 2. & quòd verus campsor, tenendo famulos, & factores, seu ministros in diuersis locis, ideoq; non sine proprijs impensis, & ita, obsequium præstando egentibus pecuniarum commutatione, possit lucrari; & quòd onera, quæ campsor, vt artem campsoriam exerceat, subit, sint in triplici differentia: quia quædam antecedunt, nempe, cum campsor diuersorum generum pecunias congregat, & ministros tenet: quædam verò concomitantur, quando scilicet campsor numerat pecunias, quas permutat, & in libris, quando dat, & exigit, scribit: & quædam subsequuntur, quando videlicet patitur inde interesse, timorem iustum, anxietatem de recuperandis pecunijs, & patitur quandoque expensas litis, & similia, scribit idem Medin. vbi sup.q.6. col. 2.vers.si dicas. & col.7.coroll.1. fol.362. in fine, 363.& 365. Et quòd mutuator, seu permutator possit non ob mutuationem, sed propter labores, quibus se offert, & propter industriam, quam ponit, in quærendo, habendo, & seruando multas pecunias, aliquid accipere arbitrio boni viri, latè scribit Nauar.in cap.nauiganti. num. 15. vers. decimotertio. de vsur. & in hoc concordant omnes, quia est de iure naturæ, quod omnes intelligunt; & faciunt quæ scripsi infra §. 3. glos. 3. num.3.

46 † Et certè si ista cambia non forent licita, multi damnarentur, vt scribit Laur.

Laur. de Rodulph. supra citatus, quem sequitur Archiepisc. Floren. d. §.47. num.77. & quòd absurdum esset, tot, tot bonos mercatores, qui quotidie contractus cambij ineunt, taliter damnari, scribit Cald. cons. 11. mercator ianuensis, sub num. 2. tit. de vsur.

47 Et, quòd cambium possit esse licitum, tùm ratione periculi pecuniæ, quam mercator facit solui alio in loco, tùm quia pecunia in vno loco pluris valet, quàm in alio, scribunt Alex. cons. 61. viso processu. sub num. 13. vers. nec obstat. lib. 2. & alij, quos secutus sum supra q. 4. num. 26. vers. tertio & tendit. & scripsi supra q. 1. num. 422. & 429.

48 Et quòd ratione maioris copiæ, & inopiæ pecuniæ in vno loco, quàm in alio, possit plus, vel minus dari, & plus, vel minus accipi, patet in cambijs, quæ fiunt ex Italia ad Galliam, seu è contra: nam, cum in Gallia propter illa continua bella ciuilia adsit maxima pecuniarum inopia, & in Italia adsit copia, qui daret pecuniam in Gallia, sibi restituendam in Italia, vtique maiorem summam ea, quam dedit, reciperet; & è contra, qui daret in Italia, recipiendam in Gallia, minorem ea, quam dedit, reciperet; & tamen non esset vsura, quia vna summa correspondet alteri, considerata inopia, & copia, Nauar. in cap. nauiganti. vers. vigesimo dicimus. num 51. & ibidem Io. Bapt. Lup. §.2. num. 34. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 140. idem Nauar. in man. confess. cap. 17. nu. 295. & quòd si Flandriæ modo propter bella, quæ illic geruntur, multò sit strictior moneta, idest, maior inopia numeratæ pecuniæ, quàm in Hispania, ideoq; in Flandria ducatus pluris æstimetur, quam in Hispania, liceat propterea pro scutis, qui numerantur in Flandria plus in Hispania recipere, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 2. in fine initij, fol. 616. quare eo tempore, quo Cæsar propter continua bella, pluribus indigebat apud Flandriam talentis, & ideo raritas erat pecuniæ illic maxima, minor pecunia tanti habebatur in Flandria, quanti maior in Hispania, sicut vbi caritas esset tritici, vnus modius tanti valet, quanti alibi duo, vt latè scribit idem Sot. eod. art. 2. col. 3. ibi, his circa practicam intellectis. & rursus, sed cum formidine post argumenta col. 7. initio, in conclus. responsiua, fol. 618. hincq; etiam est, quod dans cambio Hispali pro Roma facit paruum lucrum, & recipit paucos nummos, sed dans cambio Romę pro Hispali, lucratur multum, & multos recipit nummos, quia Hispali plures sunt nummi, quàm Romæ, & successiuè nummus pluris æstimatur Romæ, quàm Hispali, quare nonaginta scuti Romæ valebunt Hispali centum, & proinde qui daret Romæ scuti 90. posset Hispali recipere centum, & qui in Ciuitate Lucę daret cambio vnum modium frumenti pro Roma, vbi duo modij frumenti tantum valerent, quantum Lucæ vnus, cum Romæ sit maior copia frumenti, iustè Romæ reciperet duos modios, Romoal. Coli tract. de camb. cap. 17. in fine; quicquid dicat Io. Azor. à me relatus par. seq. ampl. 10. num. 107.

49 † patet etiam ex eo, quod mercator Genuensis potest Genuæ ab alio mercatore Genuensi emere 100. bizantios, sibi soluendos in Alexandria, & pro dictis centum bizantijs, sibi soluendis Alexandriæ, soluere in Ciuitate Genuæ 110. dicto mercatori vendenti, & iste non erit contractus vsurarius, Calder. cons. 11. mercator ianuensis. tit. de vsur. quem sequitur Io. de Anan. in loco, citato sup. sub num. 41. hacq; ratione, quòd moneta propter cursum, seu copiam, & inopiam pluris, minorisvè valeat, sustineri hoc Calderini consilium, cum alias, dempta ista ratione, & attenta ea, quòd moneta præsens valeat pluris, quàm moneta absens, Calderinus malè consuluisset, hincq; Nauarrum in cap. nauiganti. num. 64. de vsur. & in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. sub num. 295. considerato maiori pecuniæ præsentis valore, non fideliter, sed inuerso casu, citasse Calderinum, nempe, quòd Genuæ dabantur scuti, non 110. vt loquitur Calder. sed 100. vt Alexandriæ soluerentur 106. seu 110. quia tāti valeant 100. pecunia præsenti, quanti valēt 110. pecunia absenti, scribit Io. Bapt. Lup. in eod. cap. nauiganti. §.2. sub num. 34. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 140. Verum aduerte obiter, quòd, considerata etiam sola ratione, quòd pecunia præsens pluris valet, Calderinus adhuc non malè consuluisset; quicquid dixerit Lup. vbi sup. & Nauar. etiam in casu conuerso verum scripsit; & ratio est, quia præsentia, & absentia pecunię non consideratur ex loco soluendæ pecuniæ, vt arbitrantur, sed ex persona, quæ soluit, nam pecunia campsoris, idest nummularij semper habetur pro præsenti, & pecunia illius, qui cum eo permutat, semper habetur pro absenti, & ratio rationis est,

est,quia in campsore considerantur labores, & impensæ pro translatione pecuniarum, dum prius recipit à campsuario, vt faciat postea illi alibi solui, & similiter in eo considerantur isti labores, & impensæ pro reductione pecuniarum ad domum, quãdo prius ipse soluit, vt postea alibi recipiat, & sic absentia pecuniæ semper cõsideratur ad damnum eius, qui cambit cum campsore, quia is videtur eo in loco habere ministros, & famulos, qui vel soluant, vel recipiant illic solutionem, vnde campsor hac ratione semper debet lucrari, per ea, quæ scripsi infra num.90.& par.seq.ampl.6.nu.1. in 1.casu. & ampl.10.sub num.109.vers.infero.quare, iustificando Calderini consilium,dico,quòd is, qui dabat 110.in Ciuitate Genuæ,vt soluerentur sibi 100. Alexandriæ, erat campsuarius, & qui faciebat solui illa 100. Alexandriæ, erat campsor, qui negotiabatur Alexandriæ, ibique propterea tenebat ministros, & famulos, seu correspondentes: &, iustificando Nauarri inuersionẽ, dico,quòd ille, qui dabat 100. Genuæ, & recipiebat 110. Alexandriæ, erat campsor; & qui recipiebat illa 100. Genuæ, & soluebat 110. Alexandriæ, erat campsuarius; in quo ob rationes adductas non considerantur labores, & impensæ;quare,mutata persona campsoris in campsuariũ, mutari debet factum: & licet ex his in hoc Calderini consilio consideretur non copia, vel inopia pecuniæ,sed absentia, & præsentia pecuniarum; tamen vera est conclusio, quòd valor monetæ in cambijs, & permutationibus pecuniarum pendet etiam à copia, & inopia monetæ, prout dixi etiam infra num. 75. quia tunc moneta non sumitur in valore legali, sibi à lege, seu Principe imposito, quo casu copia, & inopia nihil possunt operari, sed sumitur in valore, ac si illa pecunia esset merx,cuius æstimatio crescit, & decrescit, prout crescit, & decrescit copia,vt dixi supra q. 5. sub nu. 65. & quod in mutuo, seu cãbio ratione distantiæ loci,& consequenter laborum,& impensarum, licitè plus exigatur, & iustum sit lucrum,latè secutus sum supra q.1. nu.422. & seqq. vsque ad num.428. exclusiuè.

Quicquid in contrarium scripserit, puncto non exactè forsan considerato, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.8. vers. illud tamen. col. penult. fol. 372. dicens, quòd copia, & inopia posset considerari, si pecunia venderetur, sed quia non venditur, non potest, inquit, considerari; & in hoc ipse decipitur, quia vel venditur, vt latè ostendi supra q. 4. num. 21. & seqq. vel saltem permutatur secundum eos, quos citaui ead.q.4.num.18. & permutatio habet etiam in hoc naturam venditionis, quia permutatio, vt sit iusta, debet habere iustitiam commutatiuam, quam non haberet, si vnus daret tantum in loco, in quo esset magna copia, quantum reciperet in alio, in quo esset magna penuria, & inopia, per ea, quæ, loquendo de cambio,& de mutuo, scripsi infra par. 3. limit.4. num.4.& 5.

50 Demum, quòd cambium sit contractus ex genere suo licitus, siue sit cambium purum, siue impurum per admixtionem mutui,& quòd cambium tam purum, quàm mixtum possit taliter vestiri omnibus debitis circumstantijs,quòd erit contractus simpliciter licitus, scribit Conrad. de contract. quæst.99 in 7.& 8. conclus.& Medin.in suis tract.tom.2.tit.de reb.per vsur.acquis. q.5. col.3.vers quibus præmissis. fol. 360. quem retuli etiam supra q. 5. sub num. 1. & quòd cambium de per se sit licitum, nisi aliunde fœdetur, firmat etiam ex sententia D. Thomæ, relatis eius formalibus verbis, Hieron. de Luca tract. de camb. in verbo, pro decisione.num.7. & seqq.nu.22. 26.& 27. tom. 6.par.1. fol.409. quæ verba D. Thomæ retuli etiam infra sub num 62. & quia,vt hic vides, D. Thom. ex eodem loco citatur pro vtraque opinione (nam pro prima contraria citauimus eum supra num. 7. versus finem) videtur sibi contrarius,aut saltem ita implicitus, vt pro neutra possit allegari opinione, ideo eũ ab hac contrarietate defendit idem Hier. de Luc. vbi sup. sub num. 10. & quòd ars campsoria possit esse licita, & honestè exerceri sine peccato, & sit approbata de iure ciuili, & cambia vera sint licita, dummodo in eis non interueniat fraus, vel dolus,aut nimius excessus lucri,concludit Anr. de Rosel.tract.de vsur.num 68.& 69.tom.7. fol. 69. & quòd ars campsoria non habeat sic penitus intrinsecam malitiam, quin bono fine, & circumstantijs fieri possit licita, scribit Sot.de iust.& iur. lib.6. q. 8. art.1.in conclus.respons.col.penult.fol.604. & quòd vsus cambiendi ex campsoris fine, sicut & quælibet alia negotiatio ex adiunctis, possit esse licitus, & laudabilis, secutus sum infra num.62. & quòd cambium, seruata iustitiæ commutatiuæ æqualitate, & sublatis fraudibus,

bus, sit licitum, firmant Medin.d.q.5.col.5. vers. verum.fol.361.col.1.Nauar.in cap.nauiganti. vers.decimoquinto.num.23.in vers. & quamquam. & latius num.72.vers.his tamen, & num.seqq. & præsertim nu.76.vers. concludimus. iunctis præcedentibus, de vsur. Fabian. Genuens. eod. tract. de camb. cap.7.num.62. fol.417. d.tom.6. par.1.fol. 417.& Boninſ.tractat.de camb. cap. 6. vers. questa resolutione. & adde quæ scripsi infra §.6.glos.1.sub num.41. vers.sed in cambio. & quòd communi consensu recepta sit opinio, negotiationem cambiorum per se quidem bonam, aut certè malam non esse, sed ex bono fine licitam, & bonam reddi, & ex accidenti aliquando vitiari, quia fraudes in ea fiunt, & vsuras ipsi negotiatores accipiũt, scribit Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.10. tit.de camb.cap.3. vers.tota igitur. & quòd cambia, quæ fiebant Genuæ pro Lugduno, & Bezenzono, & hodie pro Ciuitate Placentiæ, sint licita, reiecta opinione innominati Iuriscõsulti Genuẽsis, à nobis nominati sup.nu.28.versus finẽ,tuentur,& firmant Fabian.d.cap.7.sub num.68.vers.hæc sunt.fol. 418.& Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. post q. 78.disput. de camb. q. 1. art. 2. in princ. & nu.9.vers.denique. tom.2.fol.530. & quòd cambia nundinalia, quæ fiunt pro nundinis Lugdunensibus, seu Placentinis, non sint vsuraria, vel iniqua, vel ficca, iure naturali, vel communi scripto, si citra fraudem, & dolum fiant verè, te ipsa litteræ de vno loco in alium mittantur, & virtute litterarum fiat solutio pecuniæ, receptæ in alio loco, quàm in eo, vbi soluitur, scribit Io. Azor. d.tit.de camb. cap.8. vers. dicendum est. & cambium Bisuntinum, seu Placentinum esse licitum, remotis aliquibus, quæ aduersantur iustitiæ, tuetur,& sequitur Leonar.Less. de iust.& iur.lib.2.cap.23. num.59.& seqq. vsque ad num.72.inclusiuè, & hanc opinionem esse communem, quòd cambia sint licita, testatur, & sequitur Ias. in d. 2. lect. num. 39. quem sequitur Boninſ. in loco supra proximè citato, & Romoald.Coli tract. de camb.cap.6.& 18. pro qua vide quæ late scribit Mich.Sal. d.art.2.num.2. & præsertim num.3.& seqq. fol.526. &, quòd cambium nundinale ex Ciuitate Genuæ ad Placentiam pro sui ipsius negotiatione, etiam sine alterius mercaturæ seruitio, sit licitum; dummodo cambij lucrum non procedat à ratione longioris, aut breuioris temporis,& fiat reale, & sine fraude, habes in quadam disputatione cambij, à me relata infra §. 9. num.1.& seqq.& præsertim num.6. & omissis Theologorũ, & Iurisconsultorum auctoritatibus,cambij contractum esse licitum, satis declaratum est in Pij V. constitutione,& cõsuetudo totius orbis Christiani obseruat.

Non obstat, quòd, exceptis Hier. de Luc. Boninſ.Fabian.Genuen. Mich. Sal. Leonar. Less. & Romoald. citatis, cæteri Doctores superius adducti, nempè Bal. Salyc. Ias. Laur.de Rodulph. Io. de Anan. B. Io. à Capistr. Archiepisc.Florent. & Calder.non loquantur explicitè de cambio Lugdunense, seu nundinario, & præsertim de cambio sine seruitio mercaturæ, in quo adduximus conflictum opinionum, sed loqui videantur de cambio sine nundinis,& per litteras simplices, in quo satis minor est controuersia.

Quia respondeo dupliciter, Primo,quòd etiam si præfati excepti non loquerentur de hoc cambio, tamen cessat omnis difficultas, quia habemus legem, nempe Pij V. constitutionem, quæ approbat hoc cambium, & vbi est casus legis cessat disputatio. Secundo respondeo, quòd Bal.Salyc.& reliqui satis de eo videntur locuti, dum ratio, qua defendunt cambium, militat etiam in cambio nundinario; prima enim, & præcipua ratio, qua cambium Doctores iustificant, est, quia moneta præsens valet pluris, quàm absens, cum absens sit subiecta periculo, laboribus, & impensis, vt sæpè dictum est: sed hæc ratio potest considerari etiam in cambio nundinario,quia is, qui dat Genuæ,pro nundinis, debet ex nundinis reducere ad domum; hæcq; reductio subijcitur præfatis incommodis: secunda ratio est,quia in cambio consideratur emptio, & venditio, vt secutus sum supra q.4. num. 21. & in emptione, & venditione datur lucrum etiam propter copiam, & inopiam,procedẽtem etiam à sola mutatione loci, vt patet ex his, quæ dixi supra num. 48. † quare licet aliàs vendens carius, quàm emerit, peccaret; tamen non peccaret, si venderet carius ratione mutationis loci, puta, emit frumentum in Apulia, vbi est vile, & vendit Bononiæ multò pluris propter penuriam præsentis anni: nam istud plus potest dici quæsitum ex opera, industria, labore, & periculo, & hoc est licitum, Anch.in cap. peccatum. sub num. 21. vers.& primo vtrum peccet.col.18.de reg.iur.in 6.

51

Minus

Minus obstat, quòd Io Bapt. Lup. in cap. nauiganti § 2. sub nu. 22. de vsur inter tract. diuers. tom. 7 fol. 138. citato Alex. cons. 61. viso processu. num. 12. lib. 2. scribat, ducatos Ciuitatis Neap. longè minoris æstimationis esse, quàm illos Romanos, Florentinos, & alios Italiæ, & ideo esse plus quàm iniustum, quod tenet Bal. citatus supra num. 43. scilicet, licere mercatori accipere centum florenos, vt Neap. soluantur 95.

Quia respondeo, quòd Bal. non exptimit, quòd illi 95. soluendi in Ciuitate Neap. sint ducati de illa moneta, & ideo potest intelligi, quòd virtualiter sint de eadem moneta, de qua soluuntur centum Perusij, vel Florentiæ, quasi sentiat Bal. quòd liceat mercatori accipere quinque pro centenario; & demum benè loquitur Bal. quia vult, vt mercator non possit excedere modum, & generalem consuetudinem: & parcat mihi Lup. dum allegat Alex. contra Bal. quia imò Alex. ibi num. 13. sequitur Bal. & num. 12. loquitur in alio casu, de quo nos supra q. 1. num. 409.

52 Demum non obstabit, quod scribunt Sot. quem citaui infra par. 3. post limit. 20. in extension. general. extens. 1. num. 1. Ant. de Rosel. tract. de vsur. nu. 57. vers. quidam. tom. 7. fol. 68. &, nulla de eo facta mentione, Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 26. in fine, vers. sed aduertendum. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139. dum, improbando laborū, & impensarum rationem, qua cambij contractus à Doctoribus defenditur, inquiunt, quòd, si isti contractus sunt illiciti, vt ipsi præsupponere videntur, expensæ institorum, ministrorum, & sumptus pensionum non excusant à peccato; cum alias sequeretur, quòd fœneratores publici, qui tenent institores, & ministros, essent excusati.

Quia respondeo, negando, quòd Doct. supponant, contractum cambij esse illicitum absolutè, prout absolutè est illicita ars fœnerandi, sed supponunt, esse illicitum, quatenus illud lucrū referretur solùm ad dilationem temporis, iuxta ea, quæ scripsi sup. num. 28. vnde, cum referatur ad impensas, & labores, remanet licitus: cæterum, si actus in se esset iniustus, & illicitus, prout est cambium siccum, admitto, quòd impensæ, & labores ministrorum non excusarent.

53 Confirmatur primo hæc secunda opinio negatiua, quia Ecclesia, quæ damnat vsurarios, sustinet campsores, vt patet vbicunque Romana Curia sedeat, Ioan. à Capistr. tract. de vsur. in 2. par. 2. par. sub n. 146. tom. 7. fol. 111. Ergo non est vlterius disputādum.

54 Consolidatur hæc confirmatio, quia cum ad Ecclesiam, nempè ad Episcopum, pertineat, vt venalia, & cæteræ negotiationes iusto pretio vendantur, & exerceantur, l. 18. munerum. §. item episcopi. ff. de mun. & honor. & l. 1. C. de episc. aud. & cap. 1. & 2. de empt. & vendit. Anchar. cons. 157. summæ. num. 1. & Stracch. tract. de mercat. par. 1. nu. 20. tom. 6. par. 1. fol. 285. & ideo ad Papam spectet statuere super iustitia pretij censuum, & societatis officiorū, vt patet ex pluribus, ad id editis constitutionibus; & adeūdem spectaret cognoscere de iustitia pretij cambiorum, vtique si cambia, quæ hoc lucro tanquam iusto eorum pretio exercentur, non essent licita, Ecclesia ea non toleraret.

55 Imò Ecclesia non solum tolerat cambia, & eorum pretia, vt dixi, sed admittit etiam, vt, cambijs non solutis, debitor teneatur ad interesse, quod, vt audiui, fuit, sedente Pio IV. taxatum ad scut. 18. pro quolibet centenario, & pro primo anno, & pro sequentibus annis ad scut. 13. sed postea, re, sedente Pio V. maturius considerata, fuit moderatum ad scut. 13, pro primo anno, & pro sequentibus ad scut. 7.

56 Confirmatur secundo, (& hæc confirmatio propinquius respicit cambium per litteras nūdinarias) quia in mutuo, seu alijs contractibus videmus ex anticipata traditione, seu solutione posse darū, seu emptū augeri; quare, si frumentū hoc mense Aprilis est carissimum, & ego hoc mense certam frumenti quantitatem tibi mutuo, æstimari pretio, quo hoc mense venditur, cum pacto, vt tempore restitutionis tenearis mihi reddere tantum triticum, quantum emi posset toto eo pretio, quo hoc mense fuit æstimatum; istud mutuum non est vsura, quia in effectu est vendere triticum, & dilationem solutionis concedere, Sot. Card. Tolet. & Nauar. quos secutus sum supra q. 1. num. 417. vers. declara. Similiter, si ego certam pecuniarum quantitatem tibi darem, cum pacto, quòd certo tempore reddas mihi tantum frumentum, quantum poterit tunc haberi pro illa pecunia, possem licitè recipere frumentum, iuxta hoc pactum, quamuis mihi daretur frumentum in maiori quantitate, quàm si tempore, quo dedi pecuniam, emissem, Archid. in cap. 5. si quis clericus, versus finem,

nem, 14 q. 4. & Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. in 2. par. q. 28. num. 10. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. & probatur ex tex. in d. cap. si quis clericus. & ita, ponendo exemplum de eo, qui hyeme emit lanas, assignandas sibi in vere, quia verisimiliter tempore veris creduntur minus valituræ, scribit Card. Caiet. tract. de camb. cap. 4. sub nu. 3. tom. 6. par. 1. fol. 405. & frequentissimè contingit, quòd rustici, egentes pecunijs ad suos fructus colligendos, à diuitibus mutuas pecunias accipiunt, & illis se se obligant ad eas soluendas in fructibus iusto pretio, quo tunc valebunt, & talis contractus est licitus, quia non est mutuum, sed emptio, & venditio anticipata solutione iusti pretij; secus tamen si esset mutuum, quo mutuatarius obligaretur pro illo mutuo vēdere fructus, quia esset mutuum vsurarium, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7. q. 2. & hinc Romæ, & alibi in statu Ecclesiastico fit similis contractus emptionis frumenti, vt dixi sup. q. 5. num. 65. Imò vidi, quòd is, qui accepit pecunias cum obligatione tradendi tantum frumentum tali tempore, vt in casu, de quo d. num. 65. & non dedit, fuit coactus restituere eandem pecuniam, sibi datam, & amplius totam illam quantitatem, quæ, aucto pretio, erat necessaria ad emendum tantum frumentum, quantum tunc temporis emi potuisset illa pecunia, data, secundum pretium impositum, licet si essemus non in emptione, sed in mutuo, & debitor non haberet frumentum, videretur aliud forsan dicendum ex allegato textu in cap. si quis clericus.

Ergo in cōmutata proportione per similitudinem in cambio ad nundinas, licebit mihi die 11. Augusti emere scutos marcharum, consignandos mihi in Sanctorum nundinis, quibus approximantibus, maiori valebunt pretio, quàm eo, quo emi, quia quò distàtius est tempus nundinarū, eo minoris valent scuti marcharū, & quò est propinquius, eò pluris valēt, per ea, quæ dixi inf. sub n. 77.

57 Confirmatur tertio, quia vbi probabilis est dubitatio, vtrum contractus sit licitus, vel vsurarius, tunc si contractus est solitus fieri publicè, & palam inter bonos, & legales viros, talis contractus iudicatur licitus, vt secutus sum infra §. 6. glos. 1. num. 45. & 48. vers. sexto quia.

Sed contractus cambij publicè fiunt tanquam liciti, &c. ergo.

58 Retenta hac secunda opinione, quam mercatores seruant, & ego, loquendo in genere, non in specie, puto veriorem, soluo contraria, quæ adduximus pro prima opinione.

Ad primum argumentum de Matthæo, qui non redijt ad teloneum, respōdeo, quòd etsi omnis Christi actio sit nostra institutio, tamen illa institutio non est semper obligatoria sub præcepto peccati; nam Christus professus est paupertatem, & tamen paupertas non est de præcepto obligatorio, per ea, quæ dixi supra q. 1. num. 60. & seqq. sic dico de Matthæo, quòd etsi eius non reuersio ad teloneum sit nostra institutio; tamen non est obligatoria sub præcepto peccati; sed solum habet magnam vim monendi, vt caueamus ab omni eo, quod facilem præbet occasionem peccandi, prout est negotiatio banchorum, & cambiorum, quare S. Gregorius loquitur alternatiuè, *nullatenus, aut vix potest exerceri sine peccato*, id est, cum difficultate, & sic innuit, posse exerceri sine peccato, Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 59. de vsur. & solue vlterius ex ijs, quæ dixi infra sub num. 65. in 2. & 3. responsione ad quintum argumentum.

59 Ad id, quod dicimus de metiendo in dubio actionem ex qualitate agentis; respondeo dupliciter. Primo nego, rem esse dubiam, cum & rationibus, & auctoritatibus satis superq; demonstretur, cambij negotiationem esse licitam. Secundo respondeo, quòd etsi mercatores non soleant placere Deo, tamen hoc non concludit, etiam mercaturā ei displicere, quia mercatores displicent ei propter eorum vitia, quæ non sunt vitia mercaturæ, per ea, quæ dixi q. præced. sub num. 15. & eodem modo respondemus de odio populi contra mercatores, odit enim eos, quia dum lucri causa exponunt animas suas tot periculis, videntur homines malæ conscientiæ; sed non odit mercaturam, quæ ex se caret his vitijs, vt dixi supra q. 1. sub num. 71. imò populus diligit eam, quia est vtilis, & necessaria Reip. vt dixi q. præced. num. 14. & q. 1. num. 73. & 74.

60 Ad secundum, quòd Christus euerterit mensas nummulariorum, respondeo, quòd euertit, quia Ecclesia non est locus ad exercendam artem nummulariam, Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 50. in fine, tom. 7. fol. 68. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 30. vers. per hæc. fol. 321. col. 1. in fine.

& quod

& quod in loco sacro non sint facienda cambia, notat Medin.eod.tom.2.tit. de reb. per vsur.acquis.q.5.col.4. vers.verum. fol.361. quare eiecit de templo ementes, & vendentes, & æs nummulariorum effudit ob reuerentiam templi, & ad detestationem auaritiæ, B.Io. à Capistr. tract. de vsur. in 2.par. 2.par.princip. num. 146. in vltimis verbis, tom.7.fol.411. Sot.de iust.& iur.lib.6. q.2. art.2.in 5.conclus.col.4. fol.565. in fine, & copiosius Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. post q. 78. in disput. de camb. q.1.art.2.num.8. vers.ad quartum. fol.530. nam negotiatio prohibetur etiam ratione loci, & ideo non potest exerceri in templis, & in alijs locis sacris, quare Saluator Redemptor noster, euertendo mensas nummulariorum, vt habetur Matth.21.sub num. 12.& 13. inquit: *scriptum est: domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum*. quod habetur etiam in cap. 13. quid est. in fine, dist.88. *nolite facere domum patris mei, domum negotiationis*. & cap. 2. decet domum. in fine, de immunit. eccles. in 6.ibi, *cessent in ecclesijs, earumq; cœmeterijs negotiationes, & præcipuè nũdinarũ, &c.* Sot. vbi supra, Conrad. de contract. q. 51. conclus.2.& Conrad.Brun.tract.de seditios. lib.5.cap.7.num.2.tom.11. par.1. fol. 136. in tantum, vt si essent nundinæ, & aliæ negotiationes nummulariæ, esset mortale in templo negotiari, alias esset veniale, Card. Tolet.de instruct. sacerdot.lib.8.cap.53. de negotiatione. vers. quinto ratione. & ampliando latius explicat Conrad.d.quæst.51. conclus. 2.

61 Ad tertium de vsu pecuniæ, respondeo, quòd vsus pecuniæ est duplex, proprius scilicet, & improprius; seu primarius, & secundarius, prout & iste duplex vsus est in cæteris rebus: Proprius enim, seu primarius vsus dicitur ille, ad quem res ipsa ex sui natura est destinata, vt vestis ad vestiendum, panis ad esum, & vinum ad potum: Secundarius verò vsus istarum rerum est permutatio earum cum alijs; item pignoratio, venditio, & similia, vt post Arist. 1.polit. cap.6. scribunt D. Thom. lib. 2. de regim. princip. cap.14. Card.Caiet.tract. de camb. cap. 4. & 5.num.2.tom.6.par.1. fol.406. Sot. de iust.& iur.lib.6.q.8.art.1. versus finem, fol. 604. Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 294.& in cap. nauiganti. vers. vigesimo dicimus.num.55.vers.ad tertium.de vsur.Couar.tract.de veter.coll.numis.cap.7. num.4. vers. tertia conclusio. tom. 1. fol. 704. Boninf.tract.de camb. cap. 3. Mich.Sal. ad D. Thom.2.2.post q.78. disput.de camb. q. 1. art.2.sub num.4.tom.2.fol.528.& sub num. 7.vers.quod secundo. fol.529. & Romoald. Coli tract.de camb.cap.4.vers.dubitano. & de triplici pecuniæ vsu vide Ioan. à Capistr. tractat.de vsur.2.2.par. princip. num. 146. tom.7.fol.111. & de multiplici vsu, & vtilitate pecuniæ, vide Sot. eod. lib.6. q.9. art. vnico, concl.1. col.2. fol.607. Mich.Sal.d. disput.de camb.q.3. art.vnico, num.6. & 7. obser.2.& 3.fol.538.& Nauar.d.cap.17.sub num.287.qui enumerat septem secundarios vsus pecuniæ, quos ex eis retuli supra q. 4. num.28.

62 † Et licet pecuniæ secundarius, & improprius vsus vituperetur ab Arist.vbi supra, & prout in argumento, tamen si iste vsus ex campsoris fine honestetur, vt puta, ad familiæ, & status sui decentem sustentationem, non est vituperandus, sed laudabilis, & licitus, Nauar. in loco supra proximè citato; potest enim id, quod, solitariè consideratum, non videtur consonum, fieri ex adiuncto honestum, vt patet de hominis occisione, quæ absolutè repellenda est; si tamen addatur propter iustitiam, &c. præcipienda est; è conuerso medicina ex se habet honestissimum finem, nempè, sanitatem; vituperabilis tamen redditur ex fine medicantium, qui causa lucri medentur: cum ergo experientia compertum sit, quòd multa pluribus deessent Ciuitatibus, eaq; omnia mercatorũ industria, & cãbijs mediantibus, vtiliter comparantur, necessariò dicemus, cambia esse nedum licita, sed etiam necessaria Reip. non quatenus pecuniæ vsus de per se solus consideratur, sed quatenus œconomicè, politicèq; minister est, & consequenter campsores possunt nedum seruare se indemnes, sed etiam lucrari, & industriæ rationem habere, Card.Caiet.d.cap.5. nu.5. fol.406. Boninf.d.cap.3.& Mich.Sal.d.q.1.art.2.sub num.6.præsertim vers.probatur. fol.529. & in fine dicti art. in admonitione ad campsores. fol. 530. idem sentit D. Thom. 2.2. q. 77.art.4.vers.respondeo. versus finem; dum, loquendo de negotiatione nummorum, ait: *lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquod honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium: vnde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem*

aliquem finem necessarium, vel etiam honestum, & sic negotiatio licita reddetur. & ita ex communi sententia secutus sum supra num. 50. è conuerso multa in genere æqua sunt, quæ in specie sunt iniqua, vt multipliciter ostendit Ant. de Butr. in cap. vlt. nu. 9. & seqq. vers. nam hoc est æquum. de consuetud. quare licet depositum restituere sit æquum, vt dicit Ant. de Butr. vbi sup. & scripsi par. seq. ampl. 19. nu. 24. tamen aliquando restituere est iniquum, & peccatum; vt secutus sum d. ampliat. 19. num. 28. & 29.

Nec obstat, quòd in eadem re cadat per repræsentationem actio, & passio.

Quia dico, hoc non esse impossibile, neque absurdum, & præsertim in cambio, vt dixi infra §. 6. gl. 1. num. 24. & seqq.

63 Ad quartum de infinitate respondeo, quòd ista infinitas, & insatiabilis auaritia non procedit ex natura cambij, quia possumus eo vti ad honestum finem, vt dixi num. præcedenti, & num. 50. & num. seq. sed procedit ex deprauato desiderio, & malo vsu campsoris, prout & alia quæuis legitima negotiatio, seu ars potest conuerti ab artifice ad istum vituperabilem vsum, vt de medicina dixi num. præced. quare tàm ars campsoria, quàm aliæ omnes negotiationes, & mercaturæ possunt forsan videri illicitæ, quando exercentur principaliter propter priuatam vtilitatem, & priuatam commoditatem, Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 47. vers. ad contraria. tom. 7. fol. 68. Sed ex se non sunt illicitæ, imò si fiant cum bona conscientia, tantò magis licitæ sunt, & ita etiam dicemus de arte campsoria, & sic intelligas, quæ paulo aliter videtur dixisse Ant. de Rosel. d. num. 47. & sub num. 68. vers. primo quod. fol 69. & quòd ars campsoria sit licita, quando fit propter bonum publicum principaliter, non autem principaliter propter priuatam vtilitatem, vel cupiditatem, & sit licita etiam si campsor hanc artem faciat propter priuatum commodum; vt subueniat sibi, & suæ familiæ, scribit etiam sub num. 50. fol. 68. & sic vitium, & damnabilitas non erit in cambio, sed in cambiente, vt, loquendo in negotiatione, scripsi de negotiatore sup. q. 1. num. 71. & 75. erit igitur concludẽdum quoad campsorem, quòd intentio distinguit peccatum, vt in alio proposito sequitur Lauren. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. sub num. 9. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. & in proprijs terminis Ant. de Rosel. vbi supra num. 45. vers. ad ista. tom. 7. fol. 68.

64 Ad quintum, de prohibenda negotiatione, quæ æquè se habet ad bonum, & malum; respondeo dupliciter: Primo, quòd dato sine veri præiudicio, quòd ars campsoria, & negotiatio cambiorum de per se inclinet ad malum; nihilominus potest ab extrinseco laudabilis fieri; cum enim in se nihil includat, quod omnino virtuti repugnet, potest bono fine honestari, D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 8. art. 1. col. penult. ibi, quarta verò. quare ars campsoria non est simpliciter damnanda, nec vlli facilè concedenda, sic etiam videmus in vsu armorum, quæ etsi sint de genere prohibitorũ, tamen, si eorũ vsus bono fine honestetur, vt puta ad defensionem, permittitur, & fit necessarius: & demum quælibet negotiatio, quæ non fit de sui natura intrinsecè mala, potest ex bono fine & vsu esse licita, & ex malo fine, & vsu esse illicita, vt secutus sum supra q. 1. num. 72. & 81. è conuerso, ea, quæ de sui natura sunt bona, vt dare eleemosynam, ieiunare, & similia, quæ propterea sunt laudabilia, & de præcepto, possunt ex malis circunstantijs fieri mala, vt puta, si eleemosyna daretur ad pompam, Abb. in cap. 10. cum ab omni. sub num. 2. de vit. & honest. cleric. quem secutus sum in meo tract. de appellat. q. 17. nu. 3. quare licet ars campsoria inclinet vehementer ad malum, tamen adhibitis honestis, laudabilibusq; circumstantijs, fit licita, & bona. Secundo respondeo, negando, esse malam; imò dico, hodie de sui natura esse bonam, quia est veluti antesignana negotiationum, quæ necessitatibus humanis necessarię sunt, per ea, quę scripsi par. seq. ampl. 11. num. 4. Ergo non est prohibenda.

Nec obstat, quòd campsorum animæ sint in magno periculo propter artem campsoriam, quam exercent.

Quia respondeo multipliciter.

Primo dico, in eodem periculo versari etiam animas mercatorum, & negotiatorum, & cuiuslibet diuitis, & tamen mercatura, & diuitiæ non sunt prohibitæ, per ea, quæ secutus sum supra q. 1. ampl. 5. nu. 71. & seqq. imò sicut propterea mercatura publicè, & palam exercetur, vt dixi ead. q. 1. num. 76. ita etiam publicè exercetur ars campsoria,

65 & negotiatio cambiorum, † & non solum Genuæ, vbi omnes ferè ciues, siue nobiles,

ſiue plebei, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue magiſtratum gerentes, ſiue priuatam vitam agentes, ſiue in dignitate conſtituti, vt Doctores, ſiue alius quiſque adeo negotijs cambiorum, & mercium incumbunt, vt res etiam ad mulieres peruenerit, & nemo ex his momento temporis ſuas pecunias otioſas tenet, Rot. Genuen. deciſ. 139. paulus. num. 9. in fine, ſed etiam in alijs Ciuitatibus, & quamplurimi diuites, infimates, mediocres, ſummates, & etiam eccleſiaſtici vtuntur hac arte campſoria, vt ſcribit Nauar. in man. confeſſ. cap. 17. ſub nu. 296. verſ. pro affirmatiua.

Secundo reſpondeo, tunc illum, qui ſe exponit periculo peccandi mortaliter, peccare mortaliter, & illum, qui ſe exponit periculo peccandi venialiter, peccare venialiter, quando ſe exponit periculo in aliquo caſu particulari, ſecus ſi ſe exponat in genere, & vniuerſaliter, ſiue in aliquo vniuerſo id contingat, alioqui & qui Epiſcopatum, & qui Regnum, & qui officium quodlibet Reip. adminiſtrandæ, imò & quamlibet artem priuatam, & qui monachiſmum, remà peccatis maximè alienam, acciperet, peccaret, Nauar. in cap. 2. qualitas. num. 18. & 19. 34. q. 3. de pœnit. diſt. 5.

Tertio reſpondeo formalius, duplex eſſe periculum: alterum, quod vires humanas, humanamq; prudentiam, & conſtantiam ſternit, & ſuperat, quale eſt periculum fornicationis, cum iuuenis manet ſolus cum pulchra meretrice; & huic periculo nemo ſe debet exponere, quamuis firmiſſimè ſtatuat non fornicari, & eo ipſo, quòd ſe huic periculo exponit, peccat: alterum verò eſt periculum, quod quis firmo propoſito non peccandi poteſt ſuperare, quale eſt periculum ludi; & in iſto dico, quòd exponens ſe huic periculo, non peccat, dummodo ſeruet propoſitum; & huiuſmodi eſt periculum artis campſoriæ: ſufficit enim, quod campſor, alijq; mercatores firmiter ſtatuant exercere ſola cambia realia, & licita, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. poſt q. 78. diſput. de camb. q. 1. art. 2. verſ. ad quintum. num. 9. fol. 530. tom. 2. quam ſolutionem ante eum tradidit doctiſſimus Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 30. verſ. ad illud. fol. 221. col. 2. dicens, quòd, qui ſe exponit periculo, peccat, quando eſt periculum obruens, & dicitur, inquit, obruens, quando tale eſt, quod non eſt in poteſtate eius, qui ſe illi exponit, illud euitare, aut ſaltem non ſine magna difficultate, & ponit exempla; ſecus quando periculum eſt eueniens, ſeu accidens, quod periculi genus ponit in mendacijs, periurijs, & ſimilibus, quę emens, & vendens facilè committit, ſed poteſt tamen ſine notabili difficultate illa euadere, & ſuperare.

66 Ad ſextũ de cambio ſicco reſpondeo, negando minorẽ propoſitionem, quòd cambia per litteras ſint ſicca; hoc enim eſt illud, de quo diſputamus, & licèt Medin. in argum. citatus, dicat in cambio, in quo interuenit diuerſitas temporis, vel loci, contineri ſem per mutuum, & conſequenter inferamus in quolibet cambio per litteras contineri mutuum, tamen idem Medin. quem retuli ſup. q. 5. ſub num. 1. aſſerit, eiuſmodi cambium eſſe legitimum; quod nos latius probamus infra num. 68. 71. & 74.

67 Ad ſeptimum, quòd cambium ſit mutuum, &c. reſpondeo dupliciter.

Primo, nego hoc aſſumptum, & ſic minorem propoſitionem argumenti, quia cambium non eſt mutuum verum, neque palliatum, cum in pluribus differant, vt oſtendi ſupra q. 4. num. 5. & ſeqq. quinimò cambium eſt verus contractus venditionis, vt dixi d. q. 4. num. 21. & in eo ſeruatur iuſtitia commutatiua, ideoq; verum non eſt, quòd ematur, ſeu vendatur minori, vel maiori pretio ob dilatam, ſeu anticipatam ſolutionem, quod latè oſtendi infra num. 75. & ſeqq. vbi videas.

68 Secundo reſpondeo, quòd, etſi videatur in cambio ineſſe mutuum, & verum ſit, vſuram committi in mutuo, ſi vltra ſortem accipiatur, cum in mutuo ſit contra naturam, vt nummus pariat nummum, & ſit etiam contra præceptum euangelicum, vt, citato Ariſt. & citata ſacra ſcriptura, ſecutus ſum ſup. q. 1. ſub num. 404. tamen, duplex datur ſolutio.

Prima ſolutio eſt, quòd ex cambij mixtura mutaretur natura mutui, per ea, quæ dixi num. ſeq. & mutaretur natura pecuniæ, ita vt quamuis pecunia ex ſe immediata prout eſt otioſa, & nuda, non poſſit parere pecuniam, ſeu fructum, & ſic debemus intelligere Ariſtotelicam ſententiam, & euangelicum præceptum.

69 † Tamen pecunia, iuncta cũ hominis operatione, poteſt pecuniam parere, vt in eo, de quo habetur Matth. 25. num. 14. & ſeqq. *& vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim:*

statim: abijt autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque, &c. admitto tamen, quòd Redemptor noster vtitur metaphoricè illa parabola, vt significet, quòd Deus ab his, quibus gratiam aliquam præstat, exigit, vt illam non sub sudario, aut modio reponant, sed vt illa ad sui, & proximorum salutem spiritualem vtantur, aut ob eam Deo debitam gratitudinem, aliaq; spiritualia obsequia tependant, vt explicat Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.per vsur. acquis. q.2. col.18.initio,vers.ad aliud.fol.311. prout & metaphoricè locutum esse scribit, & explicat Molin.de iust.tom.2.de contract.disput. 304. vers. ad tertium. col. 238. & proinde pecunia mediatè,& vestitia, seu,inquam, in aliquem frugiferum, & licitum contractum conuersa, potest fructum, & lucrum licitè parere, vt puta, si conuertatur in contractum census, locorum montium, societatis officij, & alterius negotiationis cum assecuratione tàm capitalis, quàm certi lucri, soluto assecurationis iusto pretio, vt declaraui infra §.3.gl.3. num.36. declat. 2. & magis mediatè pariet, si ea domos, agros,& prædia emamus, quæ deinde locemus, sicq; pecunia, quæ per se parere non potest fructum, emimus rem, ex qua licitè fructum percipimus,& ita saluatur,seu excusatur Genuensium vulgare illud contra Aristotelicam doctrinam dictum, *denà fa denà*; saluari enim potest in nummo,seu pecunia, negotiationi exposita; quod idem ferè videmus in naturalibus, nam, vt inquit Senec. epist. 85.lib.12. cuius verba formalia retuli etiam in meo tract.de appellat.q.17. limit.4.num. 7. versus finem, *natura sine vlla opera nostra facit,vt alimenta, quæ accipimus,quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sint; at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires, & in sanguinem transeunt*; sic etiam dicimus de pecunia, quæ etsi simpliciter considerata, seu, prout est mutuo data,non possit lucrum parere, quia mutuum est contractus infrugiferus,& siccus, tamen, cum transit in contractum frugiferum, tunc non est amplius pecunia, quæ lucrum pariat, sed est ille cōtractus frugiferus; Videmus etiam, quòd frumentum, (in quo etiam mutuum consistere potest, & ideo nihil vltra quantitatem frumenti mutuo datam, accipi potest, cap. si fœneraueris. 14. q. 3.) ex se aliud frumentum non parit,& tamen,si congruo tempore, & feraci seratur agro, pariet; quia, vt inquit Cic. in lib. de senect. quem etiam citat Molin de iust. tom.2.de contract.disput.303. initio, col.226. *terra nunquam sine vsura reddit quod accepit*, imò non solum pecunia, conuersa in contractum frugiferum,parit lucrum, sed etiam pecunia, exposita,aut destinata negotiationi,seu contractui frugifero, quia & ipsa, si debitoris impedimento, seu mora non pareret, ad eam, quam peperisset, & sic ad lucrum cessans tenebitur ipse debitor,etiam si esset debitor ex causa mutui, vt latè dixi par. seq. ampl.8. num. 100. & seqq. Cum ergo pecunia conuertitur in contractum cambij, qui est frugiferus, & lege,& vsu receptus, potest tunc lucrum, & pecuniam parere, quia non est amplius pecunia, quæ pecuniam parit, sed est ille contractus cambij; quòd autem contractus cambij sit lege, & moribus, vii necessarius, & iustus, approbatus, patet ex his, quæ, hoc ipso articulo latè discusso, firmamus in hac prima parte huius septimæ quæstionis.

70 Confirmatur hæc solutio,quia sunt etiam alij contractus,in quibus merces,seu lucrum est prohibitum, & tamen illud idem lucrum non est prohibitum in alio contractu, qui ipso constituitur lucro: eiusmodi sunt commodatum, & depositum; quare sicut nemo cogitur commodare gratis, sed commodando, res commodata nullum lucrum, nullamq; mercedem parere potest,quia, cum sit commodata gratis, implicaret contradictionem: ideoq; commodando non gratis, sed certo constituto pretio, siue mercede, non diceretur commodare, sed locare, sicq; pretium, seu merces mutat de commodato in locatum; vnde isti equorum,& lecticarum commodatores, malè tabellam ante eorum tabernas ponunt cum inscriptione, *qua si prestano caualli, & letticbe*: cum non commodent,sed locent pro certa mercede, & proinde inscriptio deberet esse, *quà si locano*, &c. prout & merces mutat depositum in locationem, vt dixi par.seq.ampl.3.num.25.ita etiam nemo cogitur mutuare gratis,sed mutuando,res mutuata nullum lucrum,vel fructum parere potest; at mutuando non gratis, sed pro interesse lucri, à quo cessat, seu pro interesse damni, quod patitur propter illud mutuum,non dicitur mutuare,quia illud interesse lucri cessantis, & damni emergentis

mutat contractum mutui in contractum innominatum, videlicet, dò tibi pecunias, vt tu eas mihi restituas cum conseruatione meæ indemnitatis, quia ratione adiuncti alteratur prima dispositio, l. vbi ita donatur. ff. de donat.caus.mort. adde quæ scripsi par. seq. ampl.8.sub num.20. vers.neque.

71 Secunda solutio (& hæc radicitus tollit argumentum) esto, quòd cambium sit verè mutuum, & in nullum alium conuerteretur contractum, tamen distinguo duplex genus mutui.

Primum sit mutuum, quod mutuator facit ex pecunia otiosa, & nulli operationi adiuncta, seu negotiationi exposita, & nullis, vt mutuet, adhibitis impensis, & labore; & nulla data inæquiualentia numismatum; & in hoc mutuo concludo, quòd eiusmodi pecunia, mutuo data, nullum potest mutuatori parere incrementum, seu augmentum, quia esset incrementum vsurarium, & quare mutuator huius pecuniæ, recipiendo ex ea lucrum, fit maledictus à Deo, explicat Io. Chrysost. relatus in cap. 11. eijciens. dist 88. *super omnes mercatores plus est maledictus vsurarius: ipse namque rem, datam à Deo, vendit, non comparatam, vt mercator; & post fenus rem suam repetit, tollens aliena cum suis, mercator autem non repetit rem venditam, &c. ex pecunia reposita nullum vsum capis: ager, vel domus, vtendo, veterascit, pecunia autem, cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit*; & hoc est illud mutuum, de quo Christus Saluator noster, dixit, *mutuum date, nihil inde sperantes*.

72 Aduertendum tamen obiter est, quòd etsi Redemptor noster dixerit (mutuum date, nihil inde sperantes) tamen non præcepit nobis, vt mutuemus, sed id posuit inter consilia, vt latè secutus sum supra q.1.sub num. 402. vers. minus. & sub num. 405. vers. secundo respondeo.

Cęterum hoc consilium potest transire in præceptum, quando mutuum exigeretur ex magna mutuatarij necessitate; nam sicut in magna necessitate tenemur ad charitatem, quæ nobis præcipit, vt proximum diligamus, sicut nos ipsos, Matth.22.num.39. & qui præceptum hoc obseruat, legem impleuit, inquit enim Apostolus ad Rom.cap.13. num.8. *qui enim diligit proximum, legem impleuit*. & ad Galat.5. num.14. *omnis enim lex in vno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum*; & sicut elemosyna est de genere bonorum, non autem in præcepto, ideoq; in ea cessat compulsio, præsertim in laicis, Abb.in cap.2. num.8. in fine, de empt. & vendit. & tamen efficitur de præcepto, quando est maxima necessitas ex parte proximi, ita vt laicus, qui constituto in necessitate non subueniret, peccaret, ideoq; posset per excommunicationem compelli ad subueniendum, Abb. sub d. num.8. ibi, secundo casu. & in alio proposito dixi in meo tract.de appellat. q.15. num.52. ita etiam licet ad mutuandum teneamur solum de consilio, tamen si quis sit in necessitate constitutus, cogimur ei mutuare de præcepto, imò si maxima sit necessitas, cogimur non mutuare, sed donare, & elemosynam facere, vt dixi hic supra.

73 Verum, quia charitas ordinata incipere debet à se ipso, vt scripsi in meo tract. de iudic.caus. lib.2. cap.9. sub num.334. vers. ratio.dico, quòd qui hoc ipso mutuo indigeret, si pecuniam non haberet, non teneretur alij quãtumuis indigẽti mutuare, quia, vt ex D.Thom.2.2.q.78.art.2.ad primũ.& q.77. art.1.sequitur Io.Azor.de instit.mor. par.3. lib.5.tit.de vsur.cap.4. vers.communis. non tenemur alteri subuenire cũ damno notabili nostro, &, vt inquit Senec.lib.2.de benefic.cap.1. *dabo egenti, sed non vt ipse egeam; item succurram perituro, sed non vt ipse peream*; imò, vt meas saluem merces, possum alienas proijcere in mare, l. 15. qui ferant darum. ff.de præscript. verb. & benè ad hoc faciunt, quæ scripsi in meo tractat.de iudic. caus.&c.lib.1.cap.75. num. 1. & tract. de appell.q.16.nu.3. vers.ratio. & adde quod scripsi supra q. 1.num.448.

74 Secundum mutuum est, quando mutuator, vt mutuet, facit sumptus, & impensas, subit pericula, & sustinet labores: & in hoc mutuo concludo, quòd mutuator potest licitè, & iustè se conseruare indemnem ab illis expensis, & laboribus; quia possunt hæc duo simul stare, quòd tu tenearis aliquid gratis facere, & ex illo, quod gratis teneris facere, possis expensas, & labores deducere, & ex illis pretium, vti iure debitum, consequi: nam non minus gratuitò ferendum est testimonium, quàm sit gratuitò mutuandum, sed si testis, vt testimonium ferat, opus habet facere expensas, aut aliqua onera subire, de loco ad locum eundo, poterit non solum expensas exigere, sed & mercedem, oneribus per eum susceptis condignam, recipere,

cipere, eſto, quod pro teſtificando nihil poſſit recipere: ſimiliter licet præcipuum iudicis officium in Repub. ſit facere iuſtitiam, quod quidem officium de ſe venale non eſt, ſed eſt gratuitum, ſicut & mutuum, & tamen iudex propter laborem, & curam, & cætera onera, tali officio annexa, poteſt licitè mercedem exigere, & recipere: idem patet in ſacerdote, qui, ſi in eccleſia aliqua eſt per menſem, ſeu annum, illi ſeruiendo, miſſam celebraturus, quamuis ipſum ſpirituale miniſterium venale non ſit, ſed gratuitò agendum, tamen laboris, & operæ, aliorumq; onerum, ad præfatum miniſterium requiſitorum, mercedem dignam poterit iuſtè recipere: quare igitur campſor, ideſt, mutuator, qui ex officio aſſumit hoc onus mutuandi, non poterit onerum, ad id requiſitorum, & laboris, & induſtriæ dignam accipere mercedem? dum tamen pro ipſa mutuatione, ſiue ad menſem fiat, ſiue ad annum, nihil penitus lucrari intendat, Medin. in ſuis tract. tom.2. tit. de reb. per vſur. acquiſ. q.6. col.4. verſ. præterea. fol. 363. & cum his concordant, quæ ſcribit Molin. de iuſt. tom.2. de contract. diſput. 325. verſ. contrariam ſententiam. col. 391. dicens, quòd licitum eſt à mutuatarijs accipere expenſas omnes, quæ fiunt, vt mutuum in eorum gratiam ſemper præparatum habeatur, eiſque, quando voluerint, detur, & quòd mutuatarij ad has expenſas tenentur ex iuſtitia commutatiua, non quidem vi mutui, ſed vi alterius iuſti contractus.

Hæcque concluſio in hoc ſecundo mutuo validè confirmatur ex his, quæ dixi ſup. q.1. num.423. & ſeqq. & particulariter nu. 443. in fine, & 448.

Nec aduerſus concluſionem hanc obſtat, quòd campſor exerceat artem campſoriam, non vt ſe conſeruet indemnem, ſed vt lucretur, prout fatentur ipſimet campſores, & refert Card. Caiet. tract. de camb. cap.2. nu.3. in fine, & num.4. tom.6. par.1. fol.405.

Quia reſp. ſub conſeruatione indemnitatis contineri non ſolum euitationem damnorum, & expenſarum, ſed etiam conſecutionem mercedis, tum quia non eſt decens, vt campſor ſuis proprijs impenſis debeat in aliorum vtilitatem operari, vt ſcripſi ſupra ſub num. 44. tum quia dignus eſt operarius mercede ſua, vt ſcripſi ſupra quæſt. 1. ſub num. 73.

Minus obſtat, ſi diceres, quòd concluſio poteſt procedere in mutuo, quod fieret ex obligatione officij ſuſcepti ad mutuandum cuique, iuxta ea, quæ ſcripſi par. ſeq. ampl. 1. num. 1. & 5.

Secus in mutuo, quod fiat ſine obligatione mutuandi cuique, Mich. Sal. ad D.Thom. 2.2. poſt q.78. in diſput. de camb. q.4. art.3. contr. 1. ſub nu.5. verſ. ſecundo licet. & verſ. ſeqq. iuncto num. 4. in fine, verſ. nos verò. fol.636. tom.2.

Quia reſpondeo diſtinguendo: Aut mutuator, dum mutuat, ſignificat mutuatario pericula, impenſas, & labores, pecunia æſtimabiles, & ex illa ſignificatione expreſsè, vel tacitè conueniunt, vt mutuator conſeruetur indemnis; & iſto caſu, quamuis mutuator non mutuet ex obligatione, poteſt tamen tàm in foro conſcientiæ, quàm in foro fori iuſtè exigere impenſam, & laborem; quicquid dicat Mich. Sal. & ita procedit concluſio: Aut mutuator hanc impenſam, & laborem non ſignificauit mutuarario: & iſto caſu in foro fori certum eſt, quòd mutuatarius ad impenſam non tenetur: at in foro conſcientiæ tenebitur forſan, ſi mutuator habebat intentionem conſequendi expenſam, & mutuatarius ad eam ſe obligaſſet, ſi ſciuiſſet.

75 Et licet hæc ſoluant argumentum, & poſſent etiam plenè ſatisfacere pro integra quæſtionis reſolutione, nihilominus ſoluam ſpeciatim adducta pro confirmatione argumenti, & ſoluendo, declarabo generatim cauſas, ex quibus venditori liceat cariori pretio vendere ad tempus, quàm pecunia præſenti, & deinde proſequar ſolutiones aliorum argumentorum.

Ad argumenti igitur confirmationem de relatione lucri ad ſolam temporis dilationem, in qua Doct. torquentur, reſpondeo tripliciter.

Primo nego, quòd campſor, qui dat ad cambium, det ſemper minus initio nundinarum, quàm in medio, & minus in medio, quàm in fine; ſicq; nego, quòd marcha ſemper minori ematur pretio initio nundinarum, quàm verſus finem; imò dico, poſſe ex aliquo accidenti contingere totum oppoſitum, nempe, quòd campſor det plus initio nundinarum, quàm in medio, & fine; vt ex innominato Theologiæ Doctore refert Card. Caiet. tract. de camb. cap.4. ſub nu. 4. verſ. ſignum autem. tom.6. par.1. fol 406. & licet hoc ſit de rarò, tamen contingere aliquando,

quando vel propter copiam, vel inopiam pecuniarum, habes in quadam cambij disputatione, & terminorum instructione, à me relata infra §.9. num. 3. & sub num. 39. & in terminis, respondendo huic difficultati, scribit Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. assai più. in responsione ad octauam difficultatem, & in latinè reddito, sub num. 15. & seqq. vers. at magis. sed dum ipse subdit, quòd hoc accidens potest contingere, quando versus finem nundinarum appareret magna pecuniarum copia, videtur deceptus, cum ex magna copia pecuniarum augeretur valor marcharum, & consequenter dans cambio, non solum non daret minus, sed daret plus; tum quia, approximantibus nundinis, marcha pluris venditur, tum quia ex magna pecuniarũ copia oritur raritas marcarum, & ex raritate valor: vnde dicerem totum oppositum, nempe, hoc accidens posse contingere, si superueniret magna raritas, seu inopia pecuniarum, & cresceret copia marcharum, quia tunc vilesceret marcha, ideoq; dans cambio, emeret eam viliori pretio, & sic daret minus: quare super hoc constituo regulam, quòd ex inopia pecuniarum, & copia marcharum vilescit marcha, & è conuerso ex copia pecuniarum, & inopia marcharum pretiosior fit marcha; &, circumscripta contingentia huius accidentis, dico, quòd ratio, quare marcha vendatur minoris initio nundinarum, quàm postea, non est longior, & breuior temporis dilatio, sed copia, & inopia pecuniarum, & marcharum, idest, ementium, & vendentium, vt secutus sum sub num. seq. confirm. 2.

Nec huic responsioni obstat replicatio, quam faciunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. caus. 6. in respons. ad secundum argum. vers. ad secundum. fol. 285. & specialiter Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 4. in fine, vers. sed certe. dicens, quòd pretia mercium legitimè augentur, vel minuuntur ob penuriam, vel copiam venditorum, seu emptorum, quando emptio fit præsenti, & numerata pecunia, non autem quando fit pecunia credita, & dilata solutione: sed in cambijs, inquit, semper est dilatio, & ratione solius dilationis alteratur pretium.

Quia respondeo, mercem dupliciter esse vendibilem: aut enim inueniuntur, qui eam emant pecunia præsenti; & tunc esto, quòd emptorum copia, quæ orietur ex eo, quòd illa merx venderetur pecunia credita, non posset pretium iustè augere, cum illa pretij auctio tribui debeat solutionis dilationi, & non emptorum copiæ, quia quicquid est causa causæ, est causa causati, sed solutionis dilatio est causa copiæ emptorum, & copia emptorum est causa auctionis pretij: ergo solutionis dilatio est causa auctionis pretij: aut non inueniuntur, qui mercem emant aliter, quàm pecunia credita, vt scripsi infra sub num. 81. & tunc dico, quòd sicut copia emptorum, ementium præsenti pecunia, potest iustè augere pretium, vt admittunt Medin. & Azor. supra citati; ita etiam potest augere copia ementium pecunia credita, si merx non aliter, quàm pecunia credita sit vendibilis: sed marcharum merx non aliter emitur, quàm dilata earum solutione, vt expressè fatetur Azor. ipse, supra citatus: ergo, &c.

Minus obstabit, quòd eidem Medinæ eod. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 8. vers. illud tamen. col. penult. fol. 372. non placeat, quòd lucrum, seu pretium cambij referatur ad copiam, vel inopiam pecuniæ; eo quia non ematur, seu vendatur pecunia, ideoque velit referri ad copiam, & inopiam operarum, & obsequiorum locandorum, prout ex eo retuli num. seq. in fine.

Quia respondeo dupliciter. Primo, opinionem probabiliorem, quam secutus sum supra q. 4. num. 21. & seqq. esse, quòd contractus cambij sit emptio, & venditio, quia pecunia potest emi, & vendi. Secundo respondeo in casu, & ad effectum, de quo agimus, nihil referre, quòd pretium augeatur, seu minuatur ex multitudine, seu paucitate locantium operas suas, vt dicit Medin. vel ex copia, & inopia pecuniarum, quia sufficit nobis, quòd lucrum, seu pretium non referatur ad quantitatem temporis, sicque remaneat iustitia lucri, seu pretij.

76 Secundo respondeo, campsores non dare minus, seu plus accipere ratione dilati temporis, sed ratione marcharum, in dilato tempore consideratarum, vt puta, marcha auri, soluenda in nundinis Paschatis Resurrectionis, non ideo minoris emitur à campsoribus Mediolani de mense Octobris, quàm de mense Nouembris, quia longius distet mensis Octobris, sed quia marcha illa, considerata in tali tempore, cõmuniter à campsoribus minoris æstimatur, quàm in tempore

pore

pore proximiori, quia cum finis campsoris, negotiantis suas pecunias, sit, commutando lucrari, nec marchas emat, vt emptas habeat; sed vt iterum commutet cum lucro, ideo licitum est ei considerare quanto tempore pecuniam occupatam in marchis emptis tenere oporteat: quare carius emitur, quod citò distrahitur, quàm quod longo oportet tempore retinere, ne mortuæ teneantur pecuniæ; ita ille innominatus Theologiæ Doctor, de quo Caiet. d. cap. 4. sub num. 3. similiter inopi beneficium bis dat, qui celeriter dat, seu bis dat, qui citò dat, vt dicit Senec. in prouerb. quia maius, & minus fit; quamuis idem fit; tempore, loco, causa; sæpè enim hoc non potuere diuitię, in domum infusæ, quod opportunè mille denarij, Senec. in epist. lib. 11. epist. 82. ibi, maius enim. & Paul. de Castr. in l. 85. solidum. num. 2. ff. de solut. & est in prouerbio, melius esse habere hodie ouum, quàm cras gallinam, de quo prouerbio, referendo Caetani argumentum, cui respondet in ea q. an creditum alterius possit emi minori pretio, meminit etiam Garcia de contract. cap. 19. sub num. 2. vers. hora la. versus finem; Vnde & qui ante tempus petit, plus petit, §. plus. Instit. de action. & qui ante tempus soluit, plus soluit, Tiraq. de retract. lign. §. 1. gl. 18. num. 35. vers. ex quibus. & qui tardè dat, minus dat, Paul. de Castr. vbi supra. num. 1. Tiraq. d. nu. 35. & Surd. cons. 345. cum ioannes. num. 9. lib. 3.

Confirmatur primo hæc responsio, quia in contractu cambij consideratur principaliter interesse contrahentium, ideoque quò maiores requiruntur expensæ in transportatione pecuniarum propter loci distantiam, eo maius debetur interesse transportanti, vt secutus sum supra q. 1. num. 422. & seqq.

Sed in mercatoribus consideratur interesse etiam propter distantiam temporis, vt argumentatur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 18. num. 3. fol. 610. tom. 2. & licet ipse hoc non sequatur, sed conetur impugnare, tamen in fortioribus terminis; nempè, in mutuo formali sequitur Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 325. vers. quo lloco. col. 201. vbi interesse lucri cessantis, & aliarum expensarum metitur, & rectè à quantitate temporis, dicens, quòd sicut qui maiori tempore mutuum detinet, plus soluere solet pro lucro cessante, eò quòd maiori tempore maius lucrum mutuanti cessare solet, sic etiam, inquit, postulat æquitas, vt qui pluribus mensibus æqualem pecuniæ quantitatem ex monte pietatis mutuo detinet, plus contribuat, pro temporis rata, ad easdem communes montis expensas, quatenus impedimento est, ne alij illis mensibus eam accipiant, qui ad easdem expensas contribuerent, si illis mensibus mutuò eis illa daretur, &, omisso Theologorum testimonio, quòd in interesse ita licitum sit argumentari à tempore ad locum, vt quasi plus debeatur interesse ratione temporis, quàm loci, probatur ex l. vlt. ff. de condict. tritic. vbi interesse debetur tam ratione temporis, quàm loci; vel saltem dicemus, quòd sicut in interesse valet argumentum à tempore ad locum, ita etiam valeat à loco ad tempus, & consequenter sicut interesse potest deberi ratione loci, ita etiam potest deberi ratione temporis, & valere in interesse argumentum de tempore ad locum, sicut de loco ad tempus, scribunt Hier. Buttig. in l. vinum. nu. 5. 6. & 17. & Io. Ant. Rub. num. 81. 83. & seq. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 80. 81. & 89. nam pecunia absens ea ratione minoris valet, quàm pecunia præsens, quia præsens est in promptu, & in manibus, ita vt cuilibet indigentiæ possit statim occurrere, quod non est in pecunia absenti, Romoal. Coli tract. de camb. cap. 17. initio. At hæc ratio ita militat, si pecunia sit absens loco, sicut si sit absens tempore: ergo militabit eadem dispositio; sed quid egemus testibus, iuribus, & auctoritatibus, si hoc ratio naturalis docet quemlibet etiam rusticum, nam si ita est damnum illud, quod creditor patitur ratione temporis, sicut illud, quod patitur ratione loci, & vtrumque æqualiter causatur à debitore, cur debitor tenebitur ad vnum, & non ad alterum?

Neque huic primæ confirmationi, fundatæ in argumento à distantia loci ad longitudinem temporis, obstat, quod in contrarium sentit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 17. versus finem, dum fatetur, pecuniam præsentem pluris æstimari, quàm pecuniam loco distantem, sed negat, pluris valere pecuniam præsentem, quàm absentem tempore, & quod expressè, & fusè scribit idem Mich. Sal. d. controu. 18. sub num. 3. vers. oppositum. & sub num. 4. vers. probatur autem. & seqq. fol. 610. & 611. sequẽs ex Sot. virtute cambij nihil aliud esse recipiendum, quàm illud, quod reciperetur, si eodem die, quo vna datur pecunia, puta in

in Hispania, aliâ, si fieri posset, restitueretur in Flandria, & proinde sub eodem nu.4. vers.tertio si quæ aperte negat, eandem rationem haberi in distantia temporis, quæ habetur in distantia loci.

Quia respondeo, quòd, admissa arte campsoria pro licita, necessariò sequitur, vt campsori liceat ex ipsa arte se cõseruare indemnem, non solùm ratione laborum, & expensarum, quæ vti necessariæ considerantur ob loci distantiam, & vlterius liceat ei aliquid lucrari, quia omnis labor optat præmium; sed etiam ratione diuturnioris carentiæ suæ mercis, qua mediante, ars ipsi lucrum reddit; vnde cum ex diuturniori pecuniæ absentia grauius patiatur interesse lucri cessantis, conuenit iustitiæ commutatiuæ, vt illud interesse ei soluatur: nam & qui equum conducit, eò maiorem debet locatori mercedẽ, quò longiori tempore est vsurus equo, quia eo interim locator non potest alteri locare, sed campsor facit ex pecunia lucrum, quod locator equi facit ex equo, & quia hoc patet ad sensum, & experientia docet, non oportet disputare; secus autem est in priuato, qui ex pecuniæ negotiatione quæstum non facit: Vlterius ad Ioan. Azor. respondeo particulariter, quòd videtur sibi parum constans, cum alio in loco, quem retuli supra q.1.sub num.212.confirm.1. & infra sub num.80.in 3.comprobat.dixerit, in contractu census pluris valere pecuniam præsentem, quàm absentem tempore, adde pro tota hac responsione, quæ dixi infra par.3.limit.1.num.2.& 3.

Confirmatur secundo, quia regulariter quò distantius est tempus nundinarum, eò plures reperiuntur venditores marcharum, quia venditores sunt tunc longiori tempore vsuri pretio, idest, pecunia venditarum marcharum, & ex longiori vsu vtilior erit eis negotiatio pretij marcharum; & ex venditorum copia, quæ causatur ab vtilitate, quam sentiunt, negotiando longiori tempore illas pecunias, marcha viliori venditur pretio, sicq; campsores, dantes cambio initio nundinarum, minus dant, sed postea, approximantibus nundinis, opposita ratione crescit copia emptorum, & deficit copia venditorum, quia eis non est ita vtile vendere tunc temporis, ideoque carius vendunt marcham, & campsor plus dat, Card.Caiet. tract. de camb.cap.7. nu.6.& seqq.vers.nota tamen.tom.6.par.1.fol.407. Boninf. in loco infra prox. citato, & Mich.Sal. ad D.Thom. 2.2.post q.78.in disput. de camb.q.1.art.2. num.10.vers.ad secundum. fol. 530. & q.4. art.2. contr.18. sub num.3.vers.secundo sicut. fol.610. tom.2. quare distantia tẽporis non est causa immediata, vt marcha minori ematur pretio, sed est quædã causa remota, Caiet. vbi sup.& Boninf.tract. de camb. cap. 7. vers. assai più. & in latinitato, num. 16.in fine, & 17. causa enim immediata, & proxima est copia, & inopia emptorum, vt dixi, sed attendi debet non causa remota, sed proxima, vt in alio proposito scripsi in meo tractat.de iudic.caus.lib.2.cap.2. num.484. & 485. vel summatim dicas, distantibus solutionibus marcharum, eas viliori vendi pretio, quàm, approximantibus; quia maior est copia macharum, si dilata sit earum solutio, quàm, si non sit dilata, & quò maior est copia mercis, eò minus est illius pretium, vt dixi supra q.5. sub num. 65. & ita in effectu ex Reuer. Generali refert, & non dissentit Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, pro decisione. sub num.23.& 24. tom.6. par.1. fol.409. & quòd paucitas, aut pluralitas campsorum, sicut & paucitas, ac pluralitas campsuariorum conferat ad iustè augendum, & diminuendum lucrum, quia campsoribus, vti locantibus operam, & obsequium suum campsuarijs, solui debet merces locationis, & quando plures sunt, qui operam suam alicubi locant, minor solet illis merces exhiberi, maior autem quando est penuria eorum, qui talem operam locent, sicq; considerando abundantiam, & penuriam, non in pecunia, sed in operarijs, scribit Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur.acquis.quæst.8.vers.aduerte etiam. fol.371.

Quamuis contra hanc confirmationem, & speciatim contra Caiet. supra citatum, scripserit Sot.de iust.& iur.lib.6.q.13.art.2. vers. hunc.

77 Tertio respondeo: Esto, quòd campsores in emptione, seu venditione scutorum marcharum haberent rationem, & intuitum ad tempus, idest, haberent rationem dilatæ solutionis, ita vt carius emant, non dilata traditione marcharum, & venditores vilius vendant anticipatiori solutione, tamen tàm cambiũ, quàm alius quiuis contractus emptionis, & venditionis, cuius pretium ex dilata solutione, creditaq; pecunia augeatur, potest ex extrinsecis causis iustificari, & esse licitus, vt, loquendo in ipsomet cambio, cuius pretium varietur ratione longioris, aut breuioris

breuioris temporis, & de quo locutus sum supra sub num.28. scribit Leonar. Less. de iust. & iur. lib.2. cap.23. num.55. & seqq. dicens, pretium cambij ob alias causas iustè variari, & valdè probabile esse, vt istæ causæ in hoc cambio insint, & ex illis mercatores iustè pretium varient, & proinde cambium esse licitum, & non damnandum, præsertim, cum omnes passim eo vtantur, & quia nunquam obtineri posset, vt mercatores non pluris æstiment concessionem longi temporis, quàm breuis, & loquendo generaliter de venditione ad tempus cariori pretio, latè prosequuntur Dec. cons. 111. pro tenui. num.8. vers. his præmissis. & num.9. & seqq. & præsertim sub num.12. vbi colligit quinque causas, seu casus, quos tamen contra morem suum non benè explicat, & Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. restit. q.38. vers. pro prima. & seqq. fol. 269. & seqq. vbi ponit sex causas, propter quas licet vendenti pecunia credita carius vendere, & Io. Azor. de instit. moral. par.3. lib.8. tit. de empt. & vend. cap.8. circa initium, vers. dicitur hoc. col.642. & seqq.

Prima causa, omisso earum ordine, quo vsi sunt Dec. & Medin. est propter interesse lucri cessantis; vt puta, quia venditor, si haberet pretium præsens, illud inuestiret in alijs mercantijs, vt ex Salyc. sequitur Dec. d. cons. 111. sub num.9. & sub num.12. cas.3. & quòd interesse lucri cessãtis sit iusta causa, vt venditor possit carius vendere pecunia credita, quàm pecunia præsenti, &, vt aiunt, *de contanti*, scribunt Medin. d. q.38. caus.2. vers. pro secunda. & vers. sed videtur. & caus.6. vers. hæc dixerim. fol.270. & 286. Couar. var. resolut. lib.2. cap.3. sub num.6. vers. tertio eadem. & communiter omnes, & quòd ratione interesse possit licitè vendi carius, non propter tempus, sed propter damnum, quod vendenti videtur ex dilatione solutionis recipiendæ, seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet sibi futuram in repetitione sui debiti; & intentio venditoris, vendentis carius propter damnum, quod sibi videtur, appareat; si ipse daret pecunia præsenti pro minori pretio, scribit B. Io. à Capistr. tract. de vsur. 2. par.2. part. princip. sub num.46. tom.7. fol. 106. & quòd si campsor, seu mutuator, expectando per maius tempus solutionem, patiantur aliquod verum interesse, seu damnum emergens, possint licitè ratione huius interesse aliquid vltra sortem exigere, & lucrum augere, scribit Medin. in suis tractat. tom.2. tit. de reb. per vsur. acquis. q.8. vers. de alia. col. 2. fol. 369. & quòd qui maiori tempore mutuum detinet, plus soluere soleat pro lucro cessante, eo, quòd maiori tempore maius lucrum mutuanti cessare soleat, scribit Molin. de iust. tom.2. de contract. disput.325. vers. quo loco. col.301. & adde quæ scripsi infra par. 3. limit. 1. num. 2. & satis, superque probatur ex his, quæ scripsi par. seq. ampl.8. num.1. & seqq. & quòd ratione lucri cessantis, aut damni emergentis liceat anticipata solutione emere nomen debitoris minori pretio, consentiunt Franc. Garcia de contract. cap.19. num.2. vers. hora. & Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 3. vers. igitur conclusio.

Non obstat, quòd contra hanc causam teneant, multis rationibus adductis, Archiepisc. Floren. tract. de vsur. cap.3. §.2. sub nu. 5. ibi, secundo etiam dicunt. tom.7. fol.87. &, cum formidine scribendo, Sot. de iust. & iur. lib.6. q.4. art.1. vers. at quia. ibi, de alio verò membro. col.3. fol.580. & Io. Azor. de instit. moral. par.3. lib.8. tit. de empt. & vend. cap.8. q.5. iuncto vers. deinde. & seqq. col. 644. & 645.

Quia solutio per viam conciliationis patet infra num.85. & hic in specie respondeo ad Archiepisc. Florent. quem retuli supra q. 1. sub num.431. quòd in hoc non est sibi cõstans, cum postea eod. cap.3. nu.23. dicat, posse haberi rationem interesse, & tantò minoris emi nòmen debitoris, qui debet soluere ad certum terminum, & ad Azor. resp. quòd etiam ipse non audet affirmare, quòd non possit carius vendi propter interesse, prout eum retuli infra vers. quicquid.

Extende primo hanc causam, vt procedat non solum quando vendens ad tempus, habet certos emptores, qui emerent præsenti, & numerata pecunia, & pecuniam solutam statim in frugiferis commercijs vtiliter negotiaretur, eo quia est mercator solitus negotiari, & lucrum facere; quo casu quia habet certos emptores *de contanti*, potest carius vendere ad tempus, vt loquitur Couar. d. vers. tertio eadem. sed procedat etiam quando incœpit vendere pecunia præsenti, & non aliter intendit vendere, & verisimiliter emptores ita empturos inueniet; quia licet eos non habeat hodie, habebit cras, vel altera non distanti die; & demum illa

veri-

veriſimilis ſpes, & potentia eſt pretio æſtimabilis, quia ſi vendiderit ad tempus, non poterit deinde vendere pecunia præſenti: cenſeo tamen aliquatulò cariori pretio poſſe vendi, quando actu adſunt emptores *de contanti*, & ipſe rogatus vendit alteri ad tempus.

Quamuis in contrarium adducat aliqua Io. Azor. d. q. 5.

Infero ex hac prima cauſa, & extenſione, probabilem eſſe opinionem, vt mercator, & negotiator, qui pecunias non tenent otioſas, poſſint propter intereſſe lucri ceſſantis carius vendere ad tempus, quàm præſenti pecunia, quia non debent propter alterius commoditatem ſeipſos lædere.

Quicquid in contrarium affirmet Ioan. Azor. d. cap. 8. q. 3. verſ. ſed hæc ſententia. col. 643. & q. 5. vbi ſe multum inuoluit, & tandem verſ. quarto dicendum. non diſcedit ab opinione, quòd, probato re vera lucro ceſſante, debeatur, ſed ait, difficile eſſe, vt probetur.

Extende ſecundo, vt vendens cariori pretio ob dilatam ſolutionem ſatis ſit tutus in foro conſcientiæ, quando mallet minori pretio vendere pecunia præſenti, & numerata, quàm illo maiori, pecunia credita, & in hoc conſcientia erit ſibi teſtis; ſicq; cognoſcetur quando venditor non gratia lucri, nec in fraudem vſurarum auget pretium ob dilatam ſolutionem, Io. à Capiſtr. vbi ſupra, & latius Medin. d. q. 38. cauſ. 3. verſ. cognoſcetur autem. fol. 273.

78 Secunda cauſa, ob quam licet carius vendere pecunia credita, quàm numerata, & vilius emere anticipata ſolutione, eſt propter iuſtum timorem futuræ litis, cum pecuniam, ſeu mercem creditam conſequi voluerit à debitore, qui ſit talis conditionis, taleſque habeat mores, vt ſoluere, ſeu ſatisfacere non ſoleat, niſi per ſententias, & res iudicatas, ſicq; venditor, ſeu creditor cogatur ſubire labores, & expenſas; quo caſu licitè poteſt illi maiori pretio vendere ad tempus, quàm præſenti pecunia, Medin. d. quæſt. 38. cauſ. 4. verſ. his tamen. fol. 274. & B. Io. à Capiſtr. in loco proximè citato num. præced. & faciũt quæ ſcripſi in ſeq. cauſa. Imò etiam ſi emptor, cui venditur ad tempus, non ſit in hac malæ conditionis opinione, adhuc poſſet ei carius vendi ad tempus, quia facile eſt, vt tempore debito non ſoluat; vt enim habetur Eccleſ. 29. num. 5. & ſeqq. hi, quibus pecunia, ſeu merces creduntur, *donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam, & in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædij, & murmurationum, & tempus cauſabitur: ſi autem potuerit reddere, aduerſabitur, ſolidi vix reddet dimidium, & computabit illud: ſin autem fraudabit illum pecunia ſua, & poſſidebit illum inimicum gratis, & conuitia, & maledicta reddet illi, & pro honore, & beneficio reddet illi contumeliam.*

Non obſtat, quòd hãc cauſam, & ſequentem tertiam impugnent Sot. de iuſt. & iur. lib. 6. q. 4. art. 1. verſ. at quia. ibi, multò verò improbabilius. col. 4. fol. 580. Nauar. in man. confeſs. cap. 23. num. 81. Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 8. q. 7. verſ. at enim. col. 646. & illa diſputatio ſuper cambio, quã retuli infra §. 9. num. 16. & ante eos Caiet. tract. de camb. cap. 6. num. 10. & 11. tom. 6. par. 1. fol. 406. dicens, eiuſmodi pericula in commutationibus pro nihilo reputari, eiusq; formalia verba, & D. Thom. ab eo citati, habes infra d. §. 9. nu. 16. & Archiepiſc. Florent. tract. de vſur. cap. 3. §. 2. num. 6. verſ. tertio quoque. tom. 7. fol. 87.

Quia reſp. huius cauſæ veritatem ſatis confirmari ex prima & ſeqq. comprobationibus, quas adduxi infra ſub num. 80. & ex diſtinctione, qua vſus ſum infra ſub num. 84. & ad Io. Azor. qui tenet contra hanc ſecundam, & ſequentem tertiam cauſam, reſpondeo, quòd ſe ipſum conquaſſat ex his, quæ, loquendo de mutuo, ex ipſo retuli ſupra q. 1. num. 493.

Extende hanc cauſam, vt procedat etiam ſi emptor tempore debito ſoluerit ſponte, ſine lite, & ſine aliquo venditoris incommodo, quia nihilominus venditori debetur integrum pretium, & ſic non tenetur ex illo deſalcare, ſeu ſubtrahere illud pretij incrementum, quod exceſſit pretium, quo vendidiſſet præſenti pecunia, & ratio eſt, quia illud incrementum potuit addi pro timore futuræ litis, Medin. d. q. 38. cauſ. 3. verſ. poſtremo conradus. in fine, & verſ. ſeq. col. 2. fol. 272. vnde licet ceſſauerit lis, tamen non ceſſauit periculum litis; & ideo licet merces, quas tu aſſecuraſti, recepto pretio aſſecurationis, venerint ſaluæ, tu tamen non teneris reſtituere illud pretium, quia, ſi fuiſſent perditæ, tenebaris earum valorem ſolue-re,

re, vt scripsi supra quæst. 1. num. 131.

Subextende hanc extensionem, vt procedat etiam de rigore conscientiæ, in his enim terminis loquitur Medin. in loco supra proximè citato.

79 Tertia causa est, quando venditor probabiliter timet, ne emptor fiat interim inops, vel aliter impotens ad soluendum pretium, seu tradendam mercem, quo casu venditor potest carius vendere ad tempus, quàm præsenti pecunia, quia nemo tenetur rem suam periculo exponere extra casum necessitatis, Medin. d. q. 38. caus. 3. initio, & vers. in oppositum. fol. 270. & 271. illud enim periculum potest pretio æstimari, faciûtq; pro hac causa, quæ scripsi supra q. 1. num. 493. & seqq.

Confirmatur primo hæc tertia causa, quia sicut is, qui assecurat merces ad instantiam domini mercium, sicq; exponit periculo res suas; quia, si merces, quas assecurat, pereant, ipse de rebus proprijs tenebitur earum valorem domino soluere, potest propterea licitè ab eo assecurationis pretium recipere, vt ex Medin. secutus sum supra quæst. 1. sub num. 131. ita etiam, qui ad instantiam alterius, nempè, emptoris, exponit suas merces periculo perditionis, credendo earum pretium ipsi emptori, qui an poterit soluere, necne, est casus incertus, poterit illius periculi pretium iustè exigere, Medin. d. q. 38. caus. 3. vers. præterea qui. fol. 272. & facit, quod, loquendo de mutuo, scripsi d. q. 1. num. 493. & seqq.

Confirmatur secundo, quia sicut merces, insanis ventis commissæ, non tanti emerentur, quanti, si essent in portu, vt ex Sot. secutus sum sup. q. 1. num. 431. ita etiam pecunia in archa, seu præsens, & merx in domo pluris valent, quàm si sint in credito periculoso, ideoque iustè poterit venditor carius vendere ad tempus emptori, de cuius fide probabiliter possit dubitari, quàm præsenti pecunia, quia præsens pecunia pluris valet, sicq; vendit non carius, sed tantundem.

Nec obstat, quòd contra hanc causam similiter teneant Caiet. Archiep. Floren. Sot. Nauar. & Azor. citati sup. vers. non obstat.

Quia huius etiam causę veritas confirmari potest ex his, quæ dixi sub num. seq. in prima, & seqq. comprobationibus, & ex distinctione, qua vsus sum infra sub num. 84. & ad Azor. resp. quòd est sibimet contrarius, vt patet ex his, quæ ex eo retuli supra q. 1. num. 493.

80 Quarta causa est, quia merx vendita ad tempus pluris valet, quàm vendita præsenti pecunia, seu, & facilius, quia pecunia præsens pluris valet, quàm absens, vt dixi sup. sub num. 76. & infra in 3. comprobat. hæcq; causa eatenus est vera, quatenus habet in se virtualiter præcedentes; sicq; est generalis, vti collectanea virtualiter præcedêtium; quare communis, & receptissima mercatorum ferè omnium consuetudo est, vt maiori pretio vendant merces dilata solutione, quàm præsenti pecunia, Boninseg. tract. de vendit. ad temp. cap. 2. num. 5. iuncto nu. 1. & lanę possunt emi minoris iusto pretio propter anticipatam solutionem, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 4. art. 1. col. penult. ibi, de secundo etiam membro. fol. 583. quia sicut emptor, tardè, & cum dilatione soluens, minus soluit, per ea, quæ dixi supra sub num. 76. & infra comprob. 4. ita per oppositum emptor, anticipatè soluens, plus soluit, per ea, quæ dixi sub d. num. 76. huncque inoleuisse morem, & consuetudinem inter mercatores, vt propterea quòd soluunt nunc constitutum pretium mercium pro tempore emptarum, pretium illud minuant, retinentes sibi octo pro quolibet centenario, scribit, de eo anceps, Boninf. tract. de diminut. pretij, &c. cap. 1. initio, licet postea apertè impugnet cap. 4. & audeo forsan dicere, nullum esse, qui pecuniam præsentem non maioris æstimet, quàm tempore absentem, ideoq; mercium venditores vno vendunt pretio *de contanti*, & alio dilata solutione: semper enim insunt rationes interesse lucri cessantis, & periculi.

Comprobatur primo hæc quarta causa (& sic ostendo, pecuniam præsentem pluris valere, quàm absentem) quia donec venditor imburset pecuniam creditam, seu emptor consequatur mercem, anticipatè solutam, potest euenire casus, vt venditor nunquam imburset, & emptor mercem nunquam consequatur; nempe, si debitores fiant non soluendo, si moriantur, ære alieno, & anteriori grauati, si eorum bona fideicommissi restitutioni sint subiecta, & similia; ex quibus solutio, & consignatio redduntur periculosæ, & proinde viliores, ita vt centum aurei, hisce subiecti periculis, nô æstimentur octuaginta, seu nonaginta, & periculum futuræ inopiæ, in quam debitor potest incidere, minuat nomen debitoris, idest, illud creditum reddat vilius, vt, loquendo de emptione

nomi-

nominis debitoris, secutus sum supra q. 1. num. 431. vbi multa, ad hoc facientia, notaui, cum periculum cuiusque rei minuat pretium ipsius rei; in tantum, vt si creditor volens facere se assecurari de vita, seu superuiuentia sui debitoris per aliquod tēpus, emeret illud vitæ periculum, iusta esset emptio, per ea, quæ ex Santer. Stracch. & Nauar. secutus sum infra par. 3. limit. 6. num. 5. & casum in facto retuli infra §. 3. gl. 3. num. 51. quare cum eiusmodi periculum sit pecunia æstimabile, erit pars pretij.

Comprobatur secundo (& tendit ad idem) quia, qui cito dat, bis dat, & qui tardè dat, minus dat, vt latius scripsi supra num. 76. in 2. respons. vbi videas.

Comprobatur tertio (& similiter tendit ad idem) quia debitum, non soluendum vsque ad annum secundum, seu tertium, potest iustè emi minori pretio, quàm si præsenti die esset soluendum, tùm quia minus est, habere actionem, quàm rem; tùm quia hoc ius, quod vno anno est inutile, minoris valet, quàm si esset statim vtile, vt verius existimant Caiet. in summ. verbo, vsura, cap. vlt. & Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 231. vers. nobis tamen. & quòd creditores, præsenti pecunia egentes, credita, quæ sibi ad annum, vel alium terminum sunt soluenda, vendant alicui tertio, qui illa octo minus pro centenario. aut minori pretio emat præsenti pecunia, huncq; contrahendi modum vulgares appellent, *tagliar la detta*, scribit, sed non approbat Bonins. tract. de diminut. pretij, &c. cap. 1. initio, & cap. 3. & quòd creditor possit vendere debitum, quod vocant, pagam acerbam, vti rem pretio estimabilem, & alter emere, & sit vera venditio, & emptio, in qua (sicut in quacunque alia venditione licet considerare vitia, & defectus rei venditæ; & ratione illorum minuere pretium) consideranda sint damna, pericula, labores, & expensæ, quæ requiruntur in illius debiti exactione, hacq; ratione scutis 90. præsenti pecunia liceat emere scut. 100. quę debentur post annum, scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. controu. 1. sub num. 12. vers. ad quartum. fol. 202. quod latè, & benè distinguendo, explicat postea art. 2. controu. 17. num. 2. & 3. fol. 307. & quòd multum intersit, an apud te habeas pretium, an verò actionem tantum, & satius sit, suam sibi rem saluam fore, quàm tabulas cautionis habere, atque incertum illius euentum spectare, & melius sit, possidere, quàm in personam experiri, ideoq; non satis sit, si consanguineus, volens retrahere, offerat ei, qui emit, soluere tunc id tantum pretium, quod ipse soluit, & promittat soluere ei residuum, cum cesserit dies, quo ipse emptor tenetur venditori, sed teneatur totum pretium offerre, sequitur Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 18. num. 32. & 33. & quòd pretium actionis venditæ non debeat æstimari, quanti res ipsa, sed minoris, computato dubio litis euentu, & difficultate, quæ aliquando in exigendo oritur, dixerunt aliqui ex Dominis Auditoribus, Rot. diuers. decis. 340. in quæstione. num. 5. par. 1. & faciunt quæ scripsi sup. q. 1. num. 431. & quòd sola præsentia, seu absentia pecuniæ sit pretio æstimabilis, & consequenter emibilis, patet, quia pecunia potest locari, vt secutus sum sup. q. 4. sub num. 22. vers. primo quia. & quòd contractus census, in quo venditor non recipit pretium præsens, sed compensat cum eo, quod ipse debet illi emptori, sit illicitus, quia illud pretium, vti absens, quia fuisset exigendum, non valet, quanti valet pretium præsens, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 8. q. 1. & quòd ad commoditatem, & vsum humanum plus valeant, præsertim homini negotiatori, centum aurei in promptu, atque præsentes, quàm centum soluendi per partes ad decem annos, scribit Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 386. vers. secundo quoniam. & vers. ad secundum. col. 601. & 605.

Comprobatur quarto (& omnia tendunt ad vnum) quia mora solutionis est veluti quædam diminutio pretij, ideoque vendere rem non præsenti pecunia, sed solutione pretij in tempus dilata, est vendere minori pretio, Corn. cons. 258. in hac consultatione. sub num. 3. ibi, nec prohibitio emanat merè fauore prohibiti, lib. 1. & Tiraq. d. gl. 18. num. 34. & 35. quia dilatio est pars pretij, vt sequitur ibidem num. 38. est enim considerabile interusurium medij temporis, l. 25. si constante. §. quoties. ff. sol. matrim. quare tempus est pars solutionis, l. 1. §. æditiones. ff. de eden. & Corn. in loco supra proximè citato.

His etiam comprobationibus inniti potest priuilegium, Genuensibus à Calixto III. & Sixto IV. concessum, vt paghas acerbas banchi Sancti Georgij solidorum 20. emere possint solidis 15. pretio anticipatè soluto, vt

post

post alios, quos citant, referunt Boninseg. tract. de dimin.pretij,&c.cap.4.num.7. in fine, & num.8. Mich.Sal. ad D. Thom. 2.2. q.78.art.2.controu.17.num.6. in fine, vers. in quibusdam. & num.7. fol. 312. & Ioan. Azor. de instit. moral. par.3.lib.8. tit. de empt.& vend. cap. 10. q.5. vers. ex his. & seqq.col.654. licet Boninf. ex hoc ipso priuilegio nitatur sternere has cõprobationes.

Circa harum pagharum acerbatum emptionem obiter moneo, quòd præfati, & alij Theologi valdè torquentur in indaganda ratione, qua eiusmodi emptio, seu verius pontificia concessio iustificetur,& Mich.Sal. sub d.num.7. vers. sylvester sensit. fol. 312. reiectis alijs, eam approbat, nempè, quòd Resp. Genuensis potuerit tanti æstimare illas paghas acerbas,quæ ratio omnibus deterior videtur,quia,si ea esset vera,sequeretur, quòd Resp.potuisset etiam pluris æstimare pecuniam mutuatoris, quàm pecuniam mutuatarij, & sic gignere vsuram: ratio igitur vera, & solida est, quia cum hodie nemo velit tenere pecunias sine aliquo frugifero commercio,aut saltem sine frugiferi negotij spe, & præsertim Genuenses,per ea, quæ dixi par.seq.ampl.8. num.236. potuit Pontifex verisimiliter credere, & credendo præsumere, quòd,soluentes anticipatè illas paghas,cessent ab alio lucro,&, ita præsumendo,& taxato lucro,iusta fuit concessio,etiam in foro conscientiæ, quia tantum valet probatio, quantum præsumptio legis; sed, probato verè tanto interesse lucri cessantis,iusta esset emptio: ergo erit etiam iusta, probato ex præsumptione legis.

Neque his comprobationibus, præsertim tertiæ (dum dicimus creditum ad tempus posse præsenti pecunia emi minori pretio) obstat, quòd verior, & communis opinio, quam contra Caiet.& Nauar.sequuntur Boninf. Lopez,Garcia, Mich. Sal. & Io.Azor. quos citaui supra q.1. nu.430.in fine,teneat contrarium, si creditum sit certum, liquidum, & exigibile, & posse solum emi minori pretio, si sit cum periculo, & exigendi difficultate.

Quia etsi Caietani, & Nauarri opinio sit probabilis, vt testantur Mich. Sal. & Ioan. Azor.citati d.quæst.1.sub num.430.& mihi videatur verior, tamen, admissa hac contraria communi opinione, dico, nunquam dari eiusmodi creditum exigendum infra certum terminum,quod sit vndique securum, siquidem multa accidere possunt,sicq; periculum inseparabiliter inest, & propterea bene iura, & Doct. dicũt, minus esse habere actionem, quàm rem, & sic, conciliando opiniones, communis opinio procedit in potentia, si posset dari casus; altera verò opinio procedit in actu, quia non datur casus. Vlterius dico, in foro fori satis esse, quòd verisimiliter, & probabili spe probetur præsumptiuè lucrum cessans; seu damnum emergens;qua ratione, vt dixi, possunt hæ confirmationes procedere in foro fori, per ea, quæ dixi supra sub num.77.vers.prima causa.

Nec obstat etiam, quòd contra hanc quartam causam teneat Medin.in suis tract. tom.2.tit.de reb.restit.q.38.caus.6. vers.respondetur his. & seqq. fol. 285. & multò magis teneant Archiep.Florent.Sot.& Ioan. Azor. quos citaui supra sub num. 78. vers. non obstat. dum tenent, hanc causam non esse veram, etiam consideratis periculis, de quibus in præcedentibus secunda, & tertia causis.

Quia respondeo, hanc causam habere fomentum à præcedentibus, vt dixi, & ideo contrarietas ista conciliabitur ex ijsde m., quibus infra num. 84. conciliaui contr arietatem cum præcedentibus.

Minus obstat, quòd, reiecta Soti opiniene,tenentis, lanas anticipata solutione posse emi minori pretio, contrarium firment Medin.d.q.38. caus. 6. coroll. 4. vers. sequitur amplius.fol.289.Nauar.in man.confess.cap. 23.num.82. & alij, quos sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3.lib.8. tit. de empt. & vend.cap.10.q.2. vers.altera sententia. col. 651.dicens,hanc sententiam magis accedere ad veritatem.

Quia respondeo, Soti opinionem posse esse veram, si aliqua ex præcedentibus iusta causa vestiatur; & Soti opinionem, præmisso longo apparatu in disput. 359. in effectu, sed titubans, intricatè, & per multas circumstantiarum ambages defendit Molin.de iust. tom.2.de contract.disput.360. vers.totus.& seqq. & præsertim vers.hinc ego. col. 451.& 453.

81 Quinta causa est, quando venditor non inuenit, qui mercem emant præsenti pecunia, quia isto casu potest maiori pretio vendere ad tempus, Dec.consf.111.sub num.8. vers.& primo. & non esse damnandos mercatores, qui in nundinis merces, quæ frequentius vendi solẽt pecunia credita, quàm

V nume-

numerata, vendunt carius pecunia credita, quàm si statim numerarentur, quia cum pretij iustitia pẽdeat à communi hominum æstimatione, satis est, quòd secundum communem æstimationem propter hominum conuictum, & mutuam permutationem merces tanti vendantur pretio credito, scribit Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 6. vers. septimo si communis. quem sequitur Boninseg. tract. de vendit. ad temp. cap. 8. num. 2.

Contra hanc causam tenent Ant Burg. in cap. ad nostram. num. 20. & 21. in 3. limit. de empt. & vend. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 8. q. 2. col. 643.

Et hoc, quod Azor. tenet, quando non repetitur, qui emat *de contanti*, tenet etiam quando merces, quæ venduntur, sunt eius qualitatis, vt vendi soleant solum pecunia credita, vide eundem d. cap. 8. vers. sed in hac. col. 642.

82 Sexta causa est, quia mercator, qui vendit, pro communi vtilitate se laboribus, impensis, & periculis multipliciter exposuit, & ideo æquum est, vt inde reportet lucrum, competens officio suo; reportare autem non potest, nisi, in vendendo merces suas, pretium sic taxet, quòd, pensatis omnibus laboribus, periculis, & expensis circa merces suas factis & faciendis, lucretur 10. pro centenario, & nisi pro expectatione solutionis adhuc pretium augeat.

Hanc causam impugnant Medin. d. q. 38. caus. 1. vers. hæc tamen. & seqq. col. 2. fol. 269. & Archiep. Floren. tract. de vsur. cap. 3. §. 2. vers. secundum tempus. num. 4. & 5. tom. 7. fol. 87. & communiter omnes.

83 Septima, & vltima causa est propter dubietatem valoris mercis venditæ, an tempore solutionis faciendæ sit maiori pretio valitura, quàm tempore venditionis, quia tunc æquilebre dubiũ de valore pretij tempore solutionis potest saluare contractum; prout, latè discurrendo, examinat Medin. d. q. 38. caus. 5. per totam, & præsertim in vers. primus casus. fol. 280. vbi colligit duos contractus ad iustificandam istam causam, & breuiter Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 6. versus finem, vers. tertio eadem. & breuius Dec. d. cons. 111. num. 10. vers. quarto pro ista parte. hæcq; causa videtur ad litteram probari ex cap. 6. in ciuitate. & cap. vlt. de vsur. & præsertim procedit hæc causa, quando venditor erat mercem seruaturus vsque ad tempus dilatæ solutionis, quo merx verisimiliter pluris valitura erat, vt in d. cap. vlt. de vsur. & concordant quæ scripsi supra sub num. 32.

84 Non obstat, quòd contra hanc tertiam responsionem, allatam supra num. 77. vrgeant text. in cap. 10. consuluit. de vsur. vbi vendens cariori pretio ad tempus, æquiparatur mutuanti cum vsura, & text. in d. cap. in ciuitate. & cap. vlt. eod. tit. quibus improbatur venditio, quæ fit cariori pretio propter dilatam solutionem, & videntur improbari etiam omnes istæ causæ, præter hanc septimam.

Quia respondeo, considerando duos casus principales.

Primus casus est; quando venditor ex dilata solutione nullum patitur interesse lucri cessantis, seu damni emergentis: & isto casu concludo indistinctè tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori venditionem, quæ ob dilatam solutionem fieret cariori pretio, esse vsurariam; & pariter vsurariam esse emptionem, quæ ob anticipatam solutionem fieret viliori pretio, quia hoc modo venderetur tempus, Innoc. in d. cap. in ciuitate. sub nu. 2. vers. solutio licet. & pecunia pecuniam pareret, cum esset implicitè mutuata, vt explicaui supra num. 24. & 26. & procedit hæc conclusio, etiam si emptor, seu venditor ex dilata solutione pretij, seu dilata consignatione mercium vtilitatem consequeretur, retinendo rem & pretium, quia adhuc esset vsuraria, cum pretium detur propter rem vendentis, sed vtilitas, quæ prouenit emptori ex persona sua, non potest dici res venditoris, neque tradita à venditore, ergo illius pretium non debetur, per ea, quæ dixi par. seq. ampl. 10. num. 60. subdeclar. 4. & isto casu procedunt iura canonica, in contrarium adducta.

Secundus casus est, quando venditor ex illa dilatione patitur interesse, actu, vel potentia proxima: & isto casu distinguo duplex forum.

Primum est forum interius: & in isto foro facio duas conclusiones. Prima est, quòd vendens cariori pretio, & emens viliori, vt se conseruent indemnes, licitè vendunt, & emunt, ideoque ad aliquam restitutionem non tenentur, etiam si lex humana huiusmodi contractum pro cariori pretio ob dilatam solutionem prohiberet etiam in casu, quo

quo illud plus iusto pretio esset damni compensatiuum, quia ista lex, vti fundata in præsumptione fraudis, & ad remouendas fraudes vsurarum, haberet locum in foro exteriori, non autem in foro interiori, vbi iudicatur non ex præsumptione, sed ex veritate, vt latè declaraui sup. q. 1. num. 529. confirm. 1. & par. seq. ampl. 19. sub num. 83. illat. 1. alias si ista lex fundata, non in fraudis suspicione, sed, supposita veritate (quod venditor augeret pretium, quia verè tanti eius interſit) disponeret, contractum esse vsurarium, lex esset irrationabilis, & ideo non esset lex, per ea, quæ dixi d. ampl. 19. num. 16. & 51. Secunda conclusio est, quòd dato, quòd iste emptor, seu venditor, contrahendo contra dispositionem legis fori exterioris, peccaret, de quo puncto non tracto, tamen confessarius deberet illum aqua benedicta absoluere, quia in foro interiori satis est, quòd paruerit legi ipsius fori interioris.

Secundum est forum exterius: & in isto facio tres conclusiones.

Prima conclusio est, quòd lex positiua, ad obuiandum fraudibus, potest damnare etiam contractum iustum, qui in rei veritate non esset damnandus: sunt enim aliqui contractus, qui semper habent faciem iustitiæ, sed tamen eorum aliqui veram habent faciem, aliqui verò habent laruatam, & simulatam, & quia hi in damnum Reipub. transeunt sub illis, qui sunt verè iusti, & à lege vix discerni possunt, idcirco lex potest omnes indistinctè prohibere: quare, si lex ad obuiandum fraudibus vsurarum expressè irritaret, & declararet vsurariã venditionem, in qua esset excessus pretij ob dilatam solutionem, standum esset legi in foro exteriori.

Secunda conclusio est, quòd lex positiua non damnat hanc venditionem, quando dubium erat, an merx esset tanti valitura tempore solutionis, saltem si venditor erat eam seruaturus vsque ad illud tempus, vt in dicto cap. in ciuitate. & cap. vlt. de vsur.

Tertia conclusio est, quòd in alijs casibus, in quibus lex positiua clarè non disponit, factus est locus controuersiæ Doctorum, qui, vt vidimus sup. habent pugnantes opiniones, quarum mihi ea probbabilior videtur, quæ tenet, eiusmodi venditionem non esse vsurariam, sed licitam, quando illud plus, quod exigitur iusto pretio, non est propter nudam dilationem, sed propter tantundem interesse, vel propter iustum pretium periculi: nam si in mutuo, in quo accipere vltra sortem est vsura formalis, lex positiua concedit etiam in foro exteriori, vt possit licitè accipi ratione lucri cessantis, seu damni emergentis, vt latè secutus sum par. seq. ampl. 8. num. 1. & seqq. quantò magis id permittet in contractu venditionis, in qua non committitur vsura formalis, sed solum interpretatiua, iuxta ea, quæ declaraui sup. num. 24. & 26? Similiter si lex permittit, vt mutuatarius ratione periculi aliquando soluat vltra sortem, iuxta ea, quæ latè scripsi supra q. 1. num. 493. & seqq. quare id non permittet in venditione? hæcq; opinio est eò magis amplectenda, quia habet validas rationes, quas adduxi supra in 2. 3. & 4. causa; & quia sic iuta iuribus, & opiniones opinionibus concordantur.

85 Declara hanc tertiam conclusionem, seu verius hanc opinionem, vt vendens ad tempus, & emens anticipatè non possint, etiam eorum mutuo consensu accedente, taxare illud interesse, & periculum, & similes, si quæ sunt, iustas causas excedendi iustum pretium arbitrari, & ita procedant ea, quæ contra primam, & sequentes causas adducta sunt supra, quare, pretij excessu in iudicium deducto, debent interesse quantitatem, & periculi pretium aliter, quàm per eorum spontaneam, & mutuam taxationem factam probare, ne alias, simulato interesse, & ficto periculo, via aperiretur fraudibus vsurarum, per ea, quæ, loquendo de mutuo formali, scripsi par seq. ampl. 8. num. 27. & seqq. & num. 55. & seqq. & sufficit probatio per coniecturas, vt dixi ead. ampl. 8. nu 61. & hæ coniecturæ sumi debent ex regionis more, ex personarum qualitate, alijsq; similibus verisimilitudinibus; & probato interesse, seu periculi pretio per eiusmodi coniecturas, manebit rata venditio, & emptio vsque ad quantitatem probatam, & ita procedant tertia responsio, adducta supra sub num. 77. & hæc tertia conclusio, seu verius opinio, in ea retenta.

Subdeclara hãc declarationem, vt quamuis venditor excesserit iustum interesse, seu iustum periculi pretium, ideoque iudex illud ad iustitiam reduxerit, tamen contractus non propterea erit vsurarius, secus tamen forsan esset dicendum in puncto iuris, quando venditor nullum penitus probaret interesse, seu periculum; ita vt interesse, & pe-

riculum viderentur simulata, quia isto casu videretur vsurarius contractus; sed in praxi vix est dare istum casum, quia semper venditor potest prætendere aliquod interesse, seu periculum; & ideo numquam vidi in praxi hunc casum; adde quæ scripsi par.seq. ampl.20.sub num.32.

Ad octauum de peruerso vsu cambij respondeo, quòd licet exercentes cambium pro nundinis exerceant causa lucri,& non quia in nundinis ex alia causa pecunia indigeant, vt consideraui in illo quinto casu, de quo sup.q.5.num.51.& 52.tamen hoc cambium hodie esse licitum patet ex his, quæ scripsi q.præcedenti, num.8.& 9. & ad id de fictione litterarum, patet responsio ex his, quæ, defendendo cambium cum recursa, latè scripsi infra §.6.gl.1. num.40.& seqq. & num.75.& seqq. vbi videas, ne idem inutiliter repetamus.

86 Ad nonum de emptione frumenti, respondeo, differentiam esse inter emptionem frumenti, & emptionem marcharum; nam sicut emptio frumenti, consignandi in tempore, quo à communiter accidentibus carius valet, habet in se rationem vsuræ propter rationes, adductas in argumento, ita per oppositum emptio marcharum, consignandarum in nundinis, caret suspitione vsuræ, siquidem emens frumentum, duo ex tarda illius consignatione consequitur lucra: primum, quia pretium interim augetur: secundum, quia toto illo tempore lucratur impensam, quam faceret pro illius custodia,& simul euitat periculum;at emens marchas,nihil horum ex tarda earum traditione consequitur,nō enim differtur solutio, quia emptor speret pretium auctū iri;& ideo esset non solum tunc paratus recipere, sed etiam gratias ageret, si tunc ei soluerentur, nullamvè luctatur impensam, nec aliquod in marchis euitat periculum, imò potest incurrere periculum, cum debitor possit effici non soluendo, & non idoneus; quare tarditas illa tota est ad vendentis, non ad ementis vtilitatem.

87 Ad decimum, de non soluendis fructibus societatum, quæ fictè contrahuntur,&c. respondeo,negando,cambium esse fictum;imò dico, litteras, quæ super eo fiunt, esse veras, & reales;quia illæ dicuntur litteræ veræ,quæ solui debent in nundinis pro pecunis, habitis cambio, &, nisi soluantur, possunt redire cum protestatione, & habere executionem: sed tales sunt litteræ cambij, etiam si debitor eas scribat ipsi creditori, vt soluat sibimetipsi, quia potest creditor in nundinis illas non acceptare, & facere protestum, & demum illæ litteræ in omnibus, & per omnia consequuntur effectus litterarum cambij veri, & realis, vt latius habes infra §.6. glos.1.sub num.63. & sub num. 69. 70. 97. & 98.

88 Confirmatur hæc responsio, quia tolerantur fictiones, seu cumulationes contractuum, quando non grauant, & habent iustitiam, & finem honestum, vt in fictionibus, & cumulationibus contractuum super censu, de quibus scripsi supra q. 1. nu.174. exempl.1.& patet etiam in societate officij: nam, si Petrus velit accipere pecunias in societate officij; &, quia non habeat officium, non possit eas accipere; potest Paulus, qui habet officium,rogatus à Petro, in gratiam, & pro commodo dicti Petri, societatem super suo officio contrahere, & ordinare, quòd pecuniæ, quæ sibi dantur in societate sui officij, soluantur dicto Petro;qui propterea in eodem societatis contractu declarabit, societatem esse contractam intuitu, & ad instantiam ipsius Petri, & Paulum in ea habere solum nudum nomen officialis, & officij, de quo sibi inseruiuit, ideoq; in se suscipiet omne commodum, & incommodum dictæ societatis, promittetq; eundem Paulum conseruare indemnem, &c. confitendo, se habuisse, & recepisse pecunias,dicto Paulo in societatem datas, prout totam hanc seriem habes extensam in formulis instrumentorum societatum officij.

Et licet ille, qui dat pecunias Paulo in societate officij, sciat ex tunc, Paulum habere in ea solum nudum nomen, &c. tamen hæc societas non est illicita,vt, multis argumentis adductis, illicitam nititur ostendere Castrac.tract.de societ.offic.cap.5.sub nu.5. & seqq.sed est licita,& valida,& nullam habet speciē vsuræ;non quidē vigore consuetudinis Curiæ Romanæ,vt arbitratur Castrac. d.cap.5.sub num.21.& seqq. vers.sed quia. nam, si societas ista esset vsuraria, non posset consuetudine aliqua excusari, per ea, quæ dixi supra q.1.sub num.306.subextens. 1.sed est valida ex dispositione iuris,vt contra Castrac. supra citatum, probat Io. Azor. 89 d. cap. 8. q. 3. † imò (quod poterat videri magis dubium) toleratur societas officij non solum super officio alieno commodato, sed tole-

toleratur, etiam si officialis, qui illud commodat, sit resignatarius, qui officij fructus non habeat, Rot. diuers. decis. 311. pater. num. 1. & seqq. in Rom. societ. lunæ 9. Maij 1588. coram R. P. D. Gypsio, in impressis Lugduni 1612. & quid plura? si in officij societatibus officia interponi ad colorandum contractum, dixit Rot. diuers. decis. 300. domini dixerunt. in fine, num. 2. par. 1. & decis. 336. honorius. num. 5. in fine, inter impressas Lugduni anno 1612. qua ratione scribunt, magis inspici fideiussionem, quæ præstatur in contractu societatis de soluendis 12. pro centenario, quàm fructus procedentes pro quolibet centenario ex officio; sed de his decisionibus vide quod scripsi supra q. 1. sub num. 322. Ergo fictiones (si fictiones sint) tolerandæ sunt etiam in cambio, si tales sint, vt eis Pij V. constitutio de cambijs non magis violaretur, quàm violaretur censuum, & societatum constitutio censibus, & societate officij, contractis sub forma, & modo, de quibus supra.

90 Ad vndecimum de iniustitia lucri, quod nummularius facit, tàm si recipiat, alibi soluturus, quàm si det, alibi recepturus; respondeo lucrum vtroque casu iustè deberi, quia in nummulario, siue is prius recipiat, siue prius det, æquè considerantur labor, impensæ, & industria; nam, quando prius dat, considerantur ista pro reducenda ad domum pecunia, quam alibi est recepturus, vt aduertunt Sot. quem secutus sum supra q. 1. num. 425. in fine, & 426. & Ioan. Azor. quem citaui infra par. 2. ampl. 10. declar. 6. num 107. & latè patet ex his, quæ secutus sum supra num. 42. & seqq. & quòd in cambio locali, quando campsor prior accipit, vt alibi restituat, seu dat prior, vt alibi recipiat, possit licitè lucrari, testatur, & sequitur communem opinionē esse Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. num. 19. & seqq. & num. 27. & seqq. & in cambio nundinario vltra prædictam rationem, addo, quòd lucrum procedit ex emptione, & venditione scutorum *de marche*.

Ad alias duas consideratas iniustitias patet responsio in eisdem locis, citatis in argumento.

91 Ad duodecimum de solutione, facienda in diuersa moneta, & pro diuersis locis, respondeo tripliciter. Primo, quòd in cambio per litteras nundinarias, semper datur hæc monetarum diuersitas, quia scuti *de marche*, qui vendūtur in nundinis, semper emuntur scutis alterius generis, vt, recensendo diuersorum locorum scutos, quibus emuntur scuti marcharum, scribit Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. alla quarta & patet ex his, quæ scripsi supra q. 5. nu 59. & seqq. seu & breuius dico, quòd moneta empta semper sunt scuti *de marche*, & moneta emens est illa, quæ currit in loco, vbi initiatur cambium, & in qua contrahentes consentiunt. Secundo respondeo, quòd cambium per litteras simplices sine nundinis vt plurimum fit inter diuersas monetas; nam Hispanus, iturus Romam, dat campsori in Hispania marabotenos, seu marauedinos, aut reales, vel similem monetam Hispanam pro scutis argenteis, seu aureis Romæ, & Genuensis dat Genuæ monetam Genuensem pro bizantijs in Alexandria, iuxta ea, quæ scripsi

92 supra num. 49. † Tertio respondeo; hoc; quòd cambium fiat pro moneta diuersi generis, non esse de intrinseca natura cambij, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. att. 1. col. 3. ibi, vnde fit notum. fol. 609. & q. 12. art. 2. col. 4. in fine, fol. 617. sed esse quid accidens, quod nihil facit ad iustitiam; nam quid releuat, quòd fiat pro moneta eiusdem generis, vel diuersi, loquendo de cambio per litteras sine nundinis, vt puta, cum iturus ad loca eiusdem Principis, & volens euitare pericula, & onus, seu expensas, facit sibi fieri litteras cambij? Ad id, quòd cambium fiat pro Placentia, & deinde in reditu pro Genua; respondeo, quòd ista sunt cambia pro diuersis locis, & hoc est clarum, Boninf. d. cap. 7. vers. la terza.

93 Ad decimumtertium de præsumpta iniustitia obæstimationem, faciendam a mercatoribus interessatis; respondeo, quòd cessat suspicio iniustitiæ æstimationis, ex eo, quòd illi æstimationi interueniunt æquè ij, qui dant cambio, sicut ij, qui accipiunt, & proinde eorum interesse est contrapositum, idest, inuicem contrarium, cum aliqui sint interessati, eo quia debent remittere, & hi nituntur augere pretium cambij, cum sint daturi cambio, aliqui verò sint interessati, quia debent trahere, & hi nituntur minuere pretium, cum sint accepturi cambio, & ob hanc contrarietatem, nec in supremo, nec in infimo pretio possint conuenire, sed solum in medio, quod est iustum, vt bene aduertunt Boninseg. tractat. de camb. cap. 7. vers. che li mercanti. & Romoald. Coli

eodem tractatu, cap. 16. in fine.

94 Et licet, qui dant cambio, vt plurimum lucrentur, & rarò perdant, tamen hoc non inficit cambium, quia; dummodo pecunia ematur, & vendatur iusto pretio, sicq; contractus sit iustus; nil refert, an emptor, vel venditor in illo contractu lucretur, Card. Caiet.tractat.de camb. cap.7. num.8. vers. quia dummodo. tom.6. par.1. fol.407. Boninseg. tract. de camb.cap.7. vers. che anco quegli. hoc enim euenit etiam in alijs negotiationibus, & mercaturis, vt mercator cautus vt plurimū lucretur: Imò dato, quòd negotiatio cambiorum, seu alia negotiatio, vel mercatura esset semper certa cum lucro; tamen non ex hoc esset illicita, dummodo illud lucrum procedat ex iustis causis, nempè, ex labore, industria, & similibus; quare decepti sunt Sot. & alij, qui arbitrati sunt, cambium esse illicitum, eò quia campsor vt plurimum lucratur: nam Sot. æquiuocat, dum contractum sponsionis, seu vadiationis, in quo requiritur æquilibre dubium, sumit pro contractu cambij, qui est contractus emptionis, & venditionis, seu permutationis cum mixtura locationis: æquiuocant etiam alij, dum contractum mutui, in quo loquuntur citati supra num.31.in 9.argumento, & in quo tempus restituendi mutuum debet esse æquilibre ad augmentum, & diminutionem valoris rei mutuatæ, vt dixi supra d. nu.31. sumunt pro contractu cambij: suntq; decepti etiam si loquantur in cambio nundinario, quia etiam in eò lucrum non procedit ratione temporis, sed ex alia iusta causa, vt ostendi sup.num.74.& seqq.in respons.ad 7. argum. quinimò etiam in cambio nundinario possunt considerari labor, & industria, dum, dans cambio, soluit, vt alibi recipiat, nempè, in nundinis, & inde debeat domum reducere: Et demum, qui dat quouis cambio, licito tamen, non mutuat, neque facit sponsionem; sed facit contractum de sui natura lucratorium.

At demus, quòd negotiatio cambij non posset esse licita, nisi subiaceret aliquando periculo perdendi; tunc dò casum, in quo hæc negotiatio fit non cum lucro, sed cum iactura: casus est; quando in nundinis solutiones pro maiori parte fierent pecunia præsenti, idest, *de contanti*, & vlterius magna nummorum quantitas esset à campsoribus portata, ita vt magna esset in nundinis nummorum copia, sicq; campsorum, daturorum cambio, & è conuerso pauci extarent, qui vellent accipere cambio, nec ex reditu fori pro pretio imposito, nec pro sequentibus nundinis pretio imponendo, & proinde campsores, vt pecunias ad alia trāsferant loca, seu ad suas reducant domos, darent cambio etiam cum iactura, vt considerant etiam Card. Caiet.d.cap.7.sub nu.8. & Fabian.tract.de camb.par.2. cap.5. num. 55. versus finem, tom.6.par.1.fol.416.& ex hoc, notando differentiam inter cambium, & mutuum, in quo restituitur res mutuata sine diminutione, scribunt rursus idem Caiet.cap.3.num.2.quem retuli supra q.4. sub num. 11. & ratio, quare aliquando possint perdere, est euidens, quia sicut alij aliarum rerum mercatores propter superuenientem copiam, & abundantiam illarum rerum, quas emerunt, possunt in earum mercatura, & pretio perdere, ita etiam propter superuenientem copiam, & abundantiam marcharum possunt campsores in marchis, quas emerunt, perdere: donec enim pretium mercium emptarum nō est reductum ad capsam, non potest dici, quòd mercator lucratus sit, etiam si vili pretio merces emerit, quia multa possunt interuenire, vt scripsi supra q.5.num.67.

95 † & demum, quòd cambia nunquam sint vniformia, sed modo plus, modo minus, nonnunquam nihil lucri, & quandoque etiam damnum afferant, scribit Rot. diuers. decis.315.diu fuit. sub num. 6. vers.quod idem.par.2. & quia non sunt vniformia, sed, vt dixi, variantur propter copiam, & inopiam, ideo ijdem mercatores, qui hoc anno de mense Septembris proxime præteriti dederunt cambio pro nūdinis Sanctorum, emendo marchas pretio mediocri, nunc in fine mensis Octobris, approximantibus nundinis Sanctorum, & diuulgato rumore, quòd adest magna copia mercatorum, dantium cambio, easdem marchas, quas in earum copia mediocri emerunt pretio, nunc, accipiendo ipsi ad cambium, in earumdem penuria, maiori reuendunt pretio, æstimantes, satius esse habere illud certum paruum lucrum, quàm subire periculum perdendi in remittendo pecunias, stante earum magna copia, Boninseg. d.cap.7. vers. assai più. in fine, in responsione ad 8. difficultatem, & sic, qui dedit cambio ad sol. 66. accipit ipse ad sol. 67. lucrando in quolibet scuto solidum vnum, quia emit 66. & vendit 67.

Ad

96 Ad decimumquartum de illicito huius cambij fine, & vsu, respondeo, quòd malus finis non procedit à natura cambij, sed ex mala intentione eius, qui exercet cambium, prout, respondendo ad quartum, & quintum argumentum, dixi sup.num.63.& 64. & licet ista cambiorum negotiatio hodie non respiciat principaliter commodum mercaturæ; tamen mercaturæ,& Reip. non parum prodest, cum multi, opibus destituti, & sagacitate, ac industria pollentes, cãbio accipiant pecunias, quas vtiliter negotiãtes, satis vltra cambij interusurium, quod soluunt, lucrantur; fateor tamen, quòd vtilius Reip. foret, si ciues vacarent mercaturæ, & non cambijs, quia mercaturæ vtilitas latius pateret, cum ex cambijs pauci aliqui mirum in modum ditescant, & populi multitudo sit in maxima ægestate, Boninf. tract.de camb. cap.7.vers.& quanto. sint testes Genuenses.

Et hæc de cambio in prima specie, videlicet, de cambio libero per litteras nundinarias.

97 Venio nunc ad secundam speciem cambij per litteras nundinarias, quod vocant cambium non liberum, sed cambium, *con la ricorsa*: & quia de isto cambio latè agemus infra §.6.glos.1.num.2. in illis verbis, *à voi stesso*, quæ sunt de intrinseca natura huius cambij; expedit, vt illic, vbi eius naturam absolutè explicabimus, difficultatem hanc reseruemus, quia super hac difficultate extat magnus opinionum conflictus, de quarum veritate non bene potest cognosci, nisi præcedat cognitio, de qua illic necessario agimus; sed ne interim desiderium torqueat, donec illuc perueniemus, dico, quòd illic firmabimus eandem secundam opinionem negatiuam, quòd cambium, *con la ricorsa*, non sit prohibitum, seu illicitum.

Et hæc de cambio; videndum modo est de recambio.

98 Recambium ex omnium ferè Theologorum communi sententia damnari, tanquam iniquum, eò quod per vim à miseris campsuarijs, qui accipiunt cambio, extorqueatur, scribit, & sequitur Mich.Sal. ad D.Tho. 2.2.post q.78.in disput.de camb.q.4. art.2. contr.14.num 2.& seq. tom.2.fol.595.eandemque sententiam, perplexus tamen, secutus videtur Io. Azor. de instit.moral. par.3. lib.10.tit.de camb. cap.11. q.8. in fine, dicens quòd, si recambia moderatè fiant, iure naturali non damnantur, sed quia, inquit, modum excedunt,& vsuræ speciem habent, & plurimarum fraudum præbent occasionem, eatenus meritò damnantur: At Ioan. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de cambio sicco. vers.quæro an similis.fol.222.vlterius procedens, addit, fore salubre, & bonum, si recambia simpliciter prohiberentur sub grauissimis pœnis.

Prima ratio, qua Mich.Sal. vbi sup. mouetur, est, quia campsor vel sciebat, aut saltem suspicabatur, campsuarium nec pecuniam, neque creditum habere, neque habiturum in loco solutioni designato,& consequẽter sciebat, eius litteras esse inde remittendas vacuas,& inanes, quo casu cambium ipsum esse illicitum, tenent communiter Doct. quos citaui par.seq.ampl. 17.num.7. vers.contra.& multò iniquius est cambium, quod ob non solutionem primi iteratur cum eodem debitore, Nauar.in cap. nauiganti, sub num.25.de vsur.

Secunda, & vlteriores rationes, quas Mich.Sal.adducit, omitto, quia aliquæ earum conueniunt cum hac prima, & aliquæ sunt illæmet, quas contra cambium adduximus supra num.8.& seqq.

Confirmatur hæc opinio, quia in eiusmodi recambio interesse conuertitur in capitale, & conuertitur in infinitum, ita vt tractu temporis interesse longè excedat capitale; iuxta ea, quæ scripsi infra §.7.gl.2.num.39. & 63. soluendo interesse alterius interesse, quæ solutio alterius interesse est anatocismus, seu superfœtatio, quæ, cum sit vsura vsuræ, est prohibita, vt ex Rot. diuers. & alijs retuli d.gl.2.num.39.& 40. & non alia ratione, vt arbitror, sedente Pio IV. & postea Pio V. fuit in Vrbe interesse cambij non soluti taxatum vniformiter, vt retuli supra num.55.

99 Contraria opinio est vera, communis, & seruatur, quia recãbium in effectu est cambium iteratum cum eodem debitore, aucta semper ex interesse sorte, vt latius explicaui sup. q.4.num.38.& seqq. ita vt recambium sit etiam cambium recursæ, vt dixi d. q. 4. num.40.

Sed cambium recursæ est licitum, vt, articulo discusso, firmaui infra § 6.gl.1. num. 21.& seqq. & admittit etiam ipse Mich.Sal. quem citaui d.gl.1.num.43.

Comprobatur hæc opinio contraria, quia obligans se ad interesse cambiorum, semper se obligat etiam ad interesse recambiorum, & eius-

& eiusmodi obligationes passim producuntur in iudicijs, & productæ admittuntur sine difficultate, & ideo Rot.diuers.decis.168. post factam.sub num.2.in Rom.cambiorum, lun. 26. Octobris 1601. coram Illustrissimo Card.Lancellotto, & decis.173. dubitatum fuit. sub num.1.& 2. in Mediolanen. pecuniaria, mercur.27.Martij 1602.coram R.P. D.Litta, in impressis Romæ anno 1615.quæ in impressis Lugduni 1612. est decis.775. nulla motiuata difficultate, sæpè loquitur de recambijs.

100 Ad eos, qui damnant recambia, & speciatim ad Mich.Sal.resp.quòd rationes,quibus mouentur, sunt inefficaces: Prima enim ratio supponit, campsorē, quando dat cambio, esse certum,quòd campsuarius non poterit soluere litteras cambij; sed hoc non est supponendum, quia non est de substantia recambij, vt patet ex his, quæ scripsi supra q.4.num.38. & seqq. imò hoc suppositum videtur semper falsum, per ea, quæ scripsi par.seq.ampl.17.num.3. & seqq. & videtur falsum etiam in cambio cum recursu, per ea, quæ scripsi infra §.6.glos.1.sub num.2. vers. secundo quia.& sub num.64.&,sublato supposito rationis,ruit ratio,& post eam opinio.

Imò admisso etiam supposito pro vero; tamen in casu,in quo campsor,vt ita cambiret, cessaret à cambio vero, adhuc cābium, & consequenter recambium esset licitū, per ea,quæ scripsi par.seq.ampl.8.n.22.Et vlterius est aduertēdū,quòd nec Sot.nec Nauar. quos Mich. Sal.citat, loquuntur de recābio, sed loquūtur de cambio simpliciter cū præfato supposito,imò Sot.de eo loquitur nō in art.2.citato à Sal.sed in art.1.quē citauimus nos d.ampl.17.num.7.Secunda verò,& aliæ rationes,adductæ à Mich.Sal.satis tolluntur ex his, quæ, defendendo cambium, scripsimus supra num.41.& seqq.num.58.& seqq.

Ad confirmationem de conuersione interusurij in capitale, etiam si excedat capitale, & de anatocismo, patet solutio ex his, quæ super eiusmodi articulis latè scripsimus infra §.7.gl.2. num.49. & seqq. & sub num.73. vers. tertia. & num. 83. & seqq. & speciatim num.101.

Firmata in hac prima parte conclusione, quòd cambia, & recambia sint licita, reliquum est, vt pro eiusdem conclusionis maiori explicatione, & ad magis ostendendam eius veritatem, procedamus in seq. secunda parte ad ampliationes.

§1. Quæst. 7. Par. 2.

ARGVMENTVM.

Cambia licita quæ sint explicantur viginti ampliationibus.

AMPLIATIO I.

SVMMARIVM.

Mutuum ex suscepto officio ad mutuandum est licitum, quamuis mutuatori soluatur aliquid pro expensis, labore, &c. num.1.& 3. Quoad consequendas expensas, & prettium laboris est licitum, etiam si fiat, nulla præcedente obligatione ad mutuandum, num. 4.

Cambium ex præcedenti obligatione ad cambiendum potest fieri etiam pro maiori pretio, nu.5.

Mutuans, seu cambiens ex suscepto officio, mutuat, & cambit, accepto pignore, vel fideiussione, num.6.

1 AMPLIA I. igitur conclusionem, firmatam par. præced.num.41.& seqq. & nu. 99. vt licitū sit etiam cambium, quod vocant, *per officium*, cum scilicet Respub. constituit officium mutuandi egentibus cum salario,de publico constituto; imò & præstituto aliquo paruo lucro, reddendo à mutuatarijs vltra sortem pro labore officiarij, instar montium pietatis,Nauat.in man confess.cap.17.de vsura circa cambia. nu.288. & latius, & clarius in cap.nauiganti nu.16. & 17. vers. septimo quia, ibi, quarto quia. de vsur. hancq; Nauarri opinionem, articulo discusso, amplexus est Mich. Sal. ad D. Thom.2.2.post q. 78. in disput. de camb.q. 4.art.3.controu. 1.nu.3. vers. ex his tamen. & num. 5. vers. sit prima. fol. 625. & 626. tom.2.& faciunt quæ scripsi supra q.1.num. 440.& seqq.

Ratio huius ampliationis est, quia in hoc mutuo interueniunt mutuum, & obligatio præcedens ad mutuandum;considerato mutuo

tuo simplici, dico, nullum posse dari lucrum, stipendium, aut aliter accessionem, quia esset vsuraria; considerata verò obligatione præcedenti ad mutuandum, quæ sit pretio æstimabilis, dico, posse dari accessionem licitam, & iustam, quæ correspondeat pretio illius obligationis, & laboris, & ita procedit ampliatio, quia augmentum non datur propter mutuum, sed propter obligationem cum labore, quæ est pretio æstimabilis, vt ex Sot. retuli par. seq. ampliat. 10. num. 96. in fine.

2 Hæc ampliatio etsi vera sit, tamen non videtur facere ad propositum, quia aliud est dare mutuo, vt loquitur ampliatio, aliud dare cambio, de quo loquitur conclusio amplianda.

3 Retenta ampliatione.

Non obstat eidem ampliationi, quòd Caiet. tract. de camb. cap. 2. sub num. 4. tom. 6. pat. 1. fol. 405. scribat, non esse licitum, artem mutuatiuam in ciuitatibus erigere, & ministros statuere, & laborum, industriæq; ratione habita, inde etiam sustentatorium lucrum quærere, quoniam hoc esset vsurariam artem facere moderatam.

Quia respondeo, quòd sicut si hæc ars mutuatoria introduceretur in vniuersum, idest, indistinctè; aperiretur via vsuris, essetq; ars, quasi in fraudem legis prohibentis vsuram, & consequenter magnum in Rep. Christiana pareret scandalum, quasi vilipenderetur lex diuina; ita etiam si certo, siue certis casibus ex iusta introducatur causa, non tamen ad sustentatorium lucrum quærendum, est Reip. vtilis, & necessaria, prout est mons pietatis causa pauperum pro certa modica summa, & vsque ad certum honestum terminum.

Minus obstat, si obijceres, quòd Sot. & alij, quos citaui par. præced. num. 52. exclamant, nullam laborum mercedem deberi pro negotio illicito, & sic pro mutuo, ex quo accipitur aliquid ratione temporis, quia est vsurarium.

Quoniam respondeo, quòd hæc obiectio assumeret tanquam certum id, quod est in quæstione; sumit enim, esse officiũ iniustum, & iniquum exigere aliquid pro officio, & obligatione mutuandi, cuius contrarium nos asserimus in ampliatione, illudq; etiam ex eiusdem Soti auctoritate corroborauimus supra num. 1. in fine, dum admittit, hanc obligationem mutuandi esse pecunia æstimabilem; hancque responsionem ante nos tradidit Nauar. in d. cap. nauiganti. sub num. 17. vers. semper tamen. de vsur. &, de eo nulla facta mentione, Mich. Sal. d. controuers. 1. num. 3. & vers. præterea ista. fol. 625. vltra quòd Sot. loquitur quando accipitur ratione temporis, quo casu bene loquitur.

Remotis obiectionibus.

4 Subamplia primo eãdem ampliationem, vt procedat non solum cum mutuatarius accipit mutuo ab eo, qui ex obligatione præcedenti tenetur mutuare cuique, vt loquitur ampliatio, sed etiam quando accipit ab eo, qui non est obligatus mutuare, quia, etsi iste mutuator non possit accipere pretium obligationis, quia non est obligatus, tamen potest accipere pretium laboris, & impensas, quas faceret, vt mutuaret, si ita cum mutuatario expressè, vel tacitè conuenerit, vt explicaui par. præced. sub num. 74. vers. quia resp. vbi videas.

5 Subamplia secundo, (& est subampliatio propria) vt procedat quando aliqui negotiatores se obligant alicui Reip. seu magistratui, vel aliquibus particularibus mercatoribus illius ciuitatis, seu loci ad dandum cambio illis, qui habent pecunias, seu credita in loco, pro quo fit cambium; quia, cum isti remaneant ita obligati, possunt cambire non solum pro pretio imposito, sed etiam pro maiori in aliqua, & moderata quantitate, taxata à Rep. vel discretis, & peritis viris, cũ illa obligatio sit pretio æstimabilis; secus si non adesset obligatio, quia tunc non posset excedere, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in dispur. de camb. q. 4. art. 3. controu. 1. num. 5. vers. sit prima. iuncto num. 4. in fine, vers. nos verò. fol. 626. tom. 2. & Romoald. Coli Lucens. tractat. de camb. cap. 29.

Verum Nauar. in d. cap. 17. num. 286. in fine, scribit hoc cambij genus non esse in vsu.

6 Declara eandem ampliationem, & hanc secundam subampliationem, vt illa obligatio generaliter iniuncta, seu suscepta ad mutuandum, & cambiendum cuique, intelligatur, dato pignore, vel idoneo fideiussore, quia alias esset institutio, & obligatio potius ad perdendum, quàm ad mutuandum, & cambiendum: multi enim, & plerique mutuo, & cambio acciperent, qui non possent restituere.

AM-

AMPLIATIO II.

SVMMARIVM.

Cambium, quod vocant, forzoso, *& quod vocant, arbitrium, sunt licita, num. 1. & 2.*

1 AMPLIA II. vt habeat locum tàm in cambio coacto, quod mercatores vocant, *forzoso*, & est illud, quod fit ex loco ad nundinas, quando clauduntur nundinæ, & vt plurimum fit, soluendo scut. 100. auri in auro in loco pro scut. 100. marcharum, soluendis in nundinis, vt habes in terminorum cambij instru-
2 ctione, de qua infra §. 9. sub num. 36. †quàm in cambio per viam commissionum, quod vocant, arbitrium, cum scilicet quis, nulla alterius negotij occasione, sed solius lucri causa suas pecunias negotiatur in cambijs, committendo, quòd ex nundinis, & locis remittantur per viam nouorum cambiorum ad ea loca, & plateas, in quibus cambia maius reddent lucrum: vtrumque enim cambium est licitum, quia in cambio, *forzoso*, nulla potest haberi ratio dilationis temporis, sed solum loci, & in cambio per viam commissionum, admissa negotiatione cambiorum pro licita, iuxta ea, quæ scripsi q. præced. num. 8. sufficit, quòd hoc cambium exerceatur pro pretijs iustis, realiter, & sine fraude, & possunt huic cambio adaptari, quæ scribit Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 296. & quæ scripsi par. præced. sub num. 85. in respons. ad 8. argum.

AMPLIATIO III.

SVMMARIVM.

Debitor cambij cum deposito soluit non solum interesse, sed etiam depositarij mercedem, & quare vocetur depositum, & quare cambium, num. 1. & 2. Depositarij merces quanta sit, num. 3. Depositariorum duplex species, num. 4. & 5.

Bancherijs, qui à priuatis sunt electi depositarij, an, & à quo debeatur merces, cum soluunt litteras cambij, vel alia mandata, sub num. 5. vers. prima. & num. seqq. & num. 22. in quibus latè per conclusiones, & casus tota resoluitur materia.

Depositario soluenti, an, & à quo debeatur merces, sub num. 5. & sequentibus.

Debitor ad tempus an possit sicut alius tertius præsenti pecunia emere minori pretio illud creditum, num. 13.

Depositum consistit in rebus mobilibus, seu se mouentibus, num. 10.

Depositum rei mutuabilis cum translatione dominij in depositarium, transit in mutuum, num. 20. Et in quo differat à mutuo, sub num. 23. vers. ratio verò.

Depositum rei non mutuabilis, interueniente mercede, transit in locationem operarum, nu. 21. Ideoq; depositarius conuenitur ex conducto, num. 25.

Depositum irregulare, & depositum regulare quæ sint, num. 20. & 21.

Depositum de sui natura est contractus gratuitus, sub num. 24.

Depositum proprium, & depositum improprium quæ dicantur, num. 24. & 25.

Mutuator non tenetur mutuatario soluere aliquid pro mercede, &c. num. 23.

Depositarius sine mercede tenetur solum de dolo, sed cum mercede tenetur etiam de culpa ex conducto, num. 26.

1 AMPLIA III. in cambio cum deposito, quo augetur pretium cambij, quia depositarius ratione custodiæ pecuniarum potest licitè lucrum aliquod honestum consequi, prout simile lucrum consequi solent argentarij, siue bancherij, auctoritate publica constituti ad custodiendas pecunias; horum enim depositariorum officium est vtile Reip. & dignum salario vel publico, vel priuato, quia in effectu est contractus locationis ex parte depositarij, & conductionis ex parte deponentis, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. num. 293. & in cap. nauiganti. vers. decimooctauo. n. 36. de vsur. & Romoal. Coli tract. de camb. cap. 33. & 34.

2 Contra hanc ampliationem oppono dupliciter.

Primo, eam non esse veram, quia depositum de sui natura est contractus gratuitus, & non mercennarius; alioqui si interueniat merces, transit in locationem, vt dixi etiam infra num. 24. & 25.

Huic primæ oppositioni respondeo, quòd depositarius non tenetur gratis custodiam suscipere, & licet depositum cum mercede participet de natura locationis, tamen in-

cludi-

cluditur sub genere depositi, & quamuis transeat in speciem locationis, & verba sumi debeant in specie, tamen, quando, vt in casu nostro, subiecta materia suadeat, sumi debent in genere.

Secundo oppono, ineptam esse hanc ampliationem, quia, si est depositum, non est cambium, de quo loquitur conclusio amplianda.

Respondeo, quòd etsi depositum sit diuersum à cambio, hacq; ratione ampliatio videatur impropria, tamen potest tolerari, quia depositum habet connexitatem cum cambio, dum bancherij, veluti depositarij scribentium litteras cambij, soluunt litteras illas cambij, & soluendo lucrantur quinque, vel sex pro singulis mille, vt dixi infra num. 5. & sub num. 10. vers. primus casus. vnde, quia huius cambij pretium augetur eo, quod soluitur per manus bancherij, vti depositarij, vocatum est cambium cum deposito.

Retenta igitur ampliatione.

3 Declara primo eam, vt istud lucrum, seu merces in iure quanta esse debeat, non sit præfinita, Nauar. d. cap. nauiganti. num. 37. vers. huius tamen. de vsur. & ideo erit determinanda arbitrio boni viri, Nauar. ibidem, num. 39. vers. quare dicimus.

4 Declara secundo, vt depositarij sint in duplici specie: Quidam enim constituuntur à Principe, seu Republica, quales sunt Mons pietatis in Vrbe pro depositis iudicialibus, & Banchum S. Georgij pro quouis deposito in Ciuitate Genuæ; hæcq; loca, quæ publica auctoritate destinantur pro depositis, vocari solent ædes sacra, & istis depositarijs an debeatur, vel non debeatur merces, seu stipendium, standum est legi, seu consuetudini; nam Romæ, & Genuæ nulla soluitur merces; si tamen à lege, vel consuetudine decerneretur, iuste exigeretur per ea, quæ

5 dixi in ampliatione: † Quidam verò eliguntur depositarij à priuatis personis ad libitum cuiusque eligentis, qui solent esse Bancherij; & istis depositarijs an, & à quo debeatur merces, seu stipendium, circumferuntur opiniones, quas operepretium est, recensere; ijsq; relatis, quædam generalia contra eas breuiter notare, & inde resolutionem afferre.

Prima opinio sit Soti de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. fol. 612. qui concludit, seruandam esse receptissimam consuetudinem, qua campsori permittitur, vt, soluendo pecuniam, possit pretium aliquod accipere, & ita Principum lege testatur esse cautum, huicque opinioni assentitur Io. Azor. citatus infra in 3. opinione.

6 Secundam opinionem contrariam tenent Nauar. in man. confess. cap. 17. sub nu. 293. in fine, & in cap. nauiganti. sub num. 37. & 38. de vsur. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 4. controu. 1. num. 1. in fine, vers. oppositum. fol. 633. tom. 2.

7 Tertiam opinionem, veluti harum duarum conciliatricem, vt prima opinio procedat, vbi talis extat consuetudo; secunda verò, veluti verior in puncto iuris, procedat, circumducta consuetudine, tenet Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 9. col. 891.

8 Aduersus has opiniones, & præsertim aduersus primam noto, quòd loquuntur non in depositario, qui habeat pecuniam depositam, sed in campsore, qui possit soluere per chirographum, & soluat *de contanti*, & sic non sumus in deposito, sed in casu, de quo infra sub num. 10. vers. primus casus. Noto etiam, quòd Sot. & Azor. secundam opinionem tribuunt Caietano, qui tamen non loquitur in depositario, sed in priuato pecuniæ permutatore, prout eum nos fideliter retulimus S. seq. glos. 3. sub num. 100. & 101. subrestrict. 1.

9 Pro vera, & clara resolutione huius secundæ declarationis in secunda specie depositariorum procedo cũ duabus conclusionibus.

Concludo primo contra Sot. & Azor. vbi sup. & Romoal. Coli Lucens. tract. de camb. cap. 34. iniquè depositarium exigere à creditore quinque, vel sex pro singulis mille; siquidem creditor, cui depositarius soluit de mandato depositoris, ad nullam tenetur mercedem, tum quia depositarius gerit negotium depositoris debitoris; & sicut creditor pro illa numeratione nullam teneretur debitori numeranti soluere mercedem, ita etiam non tenetur alteri, soluenti pro debitore, tum ob alias rationes, quas motiuando considerat Sot. d. art. 1. col. 2. ibi, sed re vera argumentum. fol. 612. & approbat Mich. Sal. d. controu. 1. sub nu. 1. vers. quam tamen. fol. 632. hancque conclusionem firmant Nauar. in man. confess. cap. 17. sub nu. 293. & in cap. nauiganti sub num. 37. & 38. de vsur. & Mich. Sal. d. controu. 1. num. 1. in

fine, vers.oppositum. fol.633. vnde iniusta, & furti nutritiua, ideoque non seruanda esset lex, seu consuetudo, quæ permitteret, vt depositarius exigeret ab eo, cui soluit; hæcq; conclusio seruatur hic Romæ, nunquam enim est auditum, quòd mons pietaris, seu alia Bancha depositaria exigant aliquid ab eo, cui soluunt.

10 Restringe, seu verius declara hanc conclusionem, vt depositarius, seu soluens debitum alterius possit aliquibus casibus à creditore, cui soluit, aliquid exigere, non pro actu numerationis, sed alijs iustis de causis, vt dicemus.

Primus casus est, quando depositarius, seu, vt loquimur, Banchum, cui tuus debitor mandat, vt soluat tibi scut.1000. non habet illa in deposito à tuo debitore mandante, ideoque non tenetur illa soluere *de contanti*, sed vult ea soluere, quasi debitor delegatus, hocq; nomine vult te referre inter creditores ipsius Banchi, & tecum etiam compensare, si tu itidem esses debitor Banchi; vel vult per chirographum remittere te ad alium, qui soluat in fine nundinarum, vel alio certo tempore, & per eiusmodi chirographariam solutionem integram summam tibi soluit, de qua specie solutionis loquuntur Sot.d.q.11.art.1.col.2. ibi, at rursus sciendum.fol.612.Nauar.in locis citatis nu.præced.Mich.Sal.d.q. 4. art.4. contr.2. sub num. 1. vers. qua ratione. fol. 635. & Romoald. Coli Lucens. tract. de camb.cap. 34. & scripsimus nos S.seq. glos.5. num.55. & seqq. sed tu rogas Banchum, vt soluat tibi *de contanti*, & sibi ex illis mille, quæ soluet, retineat quinque, vel sex: & isto casu firmarem opinionem, quòd Banchum possit tuta conscientia retinere, si verè tanti ipsius Bāchi intersit soluere de numerato, & etiam in foro fori, si clarè, vel præsumptiuè arbitrio prudentum, & bonorum virorum illud interesse probetur; sed, remoto interesse, campsor, seu Banchum nullo alio iure, quàm iure furti posset illa quinque, aut aliam quantitatem retinere.

11 Infero ex hac opinione, illas leges Hispanicas, quibus Sot. vbi supra innuit permissum esse campsori, vt retineat dicta quinque, vel sex, fuisse iure optimo reuocatas, & amplius non extare, vt testantur Nauar. in locis supra proximè citatis, & Mich. Sal. d.controu.1.sub num.5. vers. ad tertium. fol. 634.

12 Non obstat huic opinioni, firmatæ in hoc primo casu, quòd lucrum cessans ex mutuo non possit statim exigi, testibus his, quos citaui infra ampl.8. num. 87. quia debet mutuator prius illud esse passus, vt securus sum ead.ampl.8.num.83. & ideò iniquè retineat ante passum damnum.

Quia respondeo, quòd nos non sumus in mutuo, sed in solutione anticipata eius, quod debetur, quo casu soluens potest ex iusta causa retinere, vt patet ex his, quæ scripsi par.præced. sub num.80.comprob.3. & vers.minus obstat.

13 Non etiam obstat, si replicares, quòd creditum ad tempus potest minori pretio emi à tertio, sed non ab ipsomet debitore, & proinde qui ex cambio debet centum in proximis nundinis, non potest illa 100. redimere pretio 90. scutorum, eo quia hæc 90. soluat ante nundinas, licet hoc minori pretio posset alius emere à creditore, Ioan. Azor.de instit.moral par.3. lib. 10. tit.de camb.cap.11.q.3.col.888.

Nam respondeo distinguendo: Aut debitor vult redimere minori pretio propter interesse, quod patitur ex anticipata solutione, & tunc dico, quòd non magis conceditur alteri, quàm ipsimet debitori, vt, soluendo anticipatè, possit minus soluere; quia non magis in vno, quàm in alio habenda est ratio imminentis interesse; quicquid, hac consideratione interesse non adhibita, scripserint Io. Azor. vbi sup. & latissimè Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78. in disput.de camb.q.4.art.4.controu.2.fol. 635. tom.2. Aut debitor vult redimere minori pretio eò, quia creditum est litigiosum, & ideo pro illius liquidatione requiruntur impensę & labor; & debitor esset in bona fide litigandi; & isto etiam casu dico, quòd tàm alius, quàm debitor ipse posset minori pretio emere, seu redimere respectiuè, non quia fiat solutio anticipata, sed quia fiat transactio: Aut debitor vult redimere minori pretio, non quia debitum sit ex sui natura, & ex se ipso litigiosum, sed quia possit esse litigiosum, & periculosum ex mala natura, & malis moribus ipsius debitoris, qui sit rixosus, litigiosus, & vergens ad inopiam: & isto casu dico, quòd alij licet emere minori pretio, sed non licet ipsi debitori, & ita procedat, quod scribit Io. Azor.in loco sup.prox. citato, & ratio est, quia debitor niteretur proprię turpitudini, & se ipsum proderet.

Secun-

14 Secundus casus est, quando tàm creditor, quàm debitor solitus esset deponere suas pecunias penes eundem campsorem, seu Banchum;& iste esset etiam mos mercatorum deponendi pecunias, & credita apud campsores: & isto casu, data mercaturæ æqualitate inter eosdem mercatores non in indiuiduo, quia hoc esset difficile, sed in specie, in ea sum opinione, quód prædicta consuetudo inter mercatorem, & mercatorem, vt creditor exigens soluat, potest tolerari; quia si ego soluo hodie, quod tu soluere deberes, tu solues cras, quod ego soluere deberem;& sic in effectu redit ad idem, & nulla remanet iniustitia; secus tamen esset inter mercatorem, & non mercatorem, qui pecunias depositas non haberet apud campsores, quia, si isti solutio fieri debeat, vtique iste ad aliquam mercedem depositario soluenti non tenetur, Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2.d.contr. r.sub num. 2. vers. præter hos. & num. 3. fol. 633. vbi licet ipse addat requiri, vt mensularius, idest, depositarius, qui exigit a creditore, intelligat, se iustè ac sine scrupulo posse exigere, alias si exigeret contra conscientiam etiam erroneam, illa exactio esset cum peccato; tamen videtur additio de indubitato, quia nunquam agendum contra conscientiam per ea, quæ latè declaraui infra ampl. 19. sub num. 59.

15 Tertius casus est, quando vendens, & emens merces habent vtrque penes eundem depositarium pecunias proprio nomine depositas, & emens remittit vendirorem pro solutione pretij mercium ad eundem depositarium: & isto etiam casu dico, quòd Banchum, si retineat ex solutione aliquod stipendium, videtur retinere non tantum, quia ei soluit, quantum quia habet custodiam suarum pecuniarum, vt scribit Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 38. vers. vnde sequitur. de vsur. & clarius Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 4. contr 1. num. 2. vers. primus. fol. 633. tom. 2. & iste casus corroborat præcedentem.

16 Quartus casus est, quando venditor rem, valentem 100. vendit 105. præsciens, se exacturum à depositario solum 100. quæ sunt iustum pretium, Nauar.& Mich.Sal.in 2.casu in locis supra proximè citatis; & licet tacitè Nauar.& apertè Sal.eam sentiant esse rationem, quòd nulla fit iniuria emptori, quia ratione custodiæ, quam depositarius habet in pecunijs emptoris, teneretur emptor soluere illa quinque ipsi depositario; tamen ego, clarius loquendo, dicerem, rationem esse, quia si emptor non remitteret venditorem ad depositarium, sed ipsemet emptor solueret, vtique venditor haberet integra 100. vnde cum ipse emptor causam damni velit dare, remittendo solutionem ad depositarium, tenetur ad damni emendationem, quam venditor prudenter euitat, augendo tantum pretij, quantum patitur damni; & hoc conuenit iuri naturæ, vt charitas ordinata incipiat à seipso, ideoque liceat cuique alienas merces in mare proijcere, vt saluet suas, vt dixi par. præced nu. 73.

17 Quintus casus est, quando sponte sua creditor daret, quod rarò potest contingere, Nauar.& Mich.Sal. in tertio casu in locis supra citatis.

18 Sextus casus est, quando depositum procederet à natura, seu qualitate crediti, & etiã ad creditoris fauorem; ita vt creditor in eo genere contractus scire teneatur, extare depositarium, qui singulo mense, seu singulis bimestribus soluat statim fructus, illique depositario semel, aut bis in anno in principalioribus festiuitatibus concessum esse, vt aliquod exiguum retineat ex solutione fructuum potius iure gratitudinis, quàm obligationis, huiusmodi sunt depositarij montis fidei, & aliorum montium: hi namque iure exigunt, si illa exactio non infringat iustitiam commutatiuam; vt puta, quia ille locus montis tanti valeat cum illo onere soluendi depositario illud exiguum, alias si infringat iustitiam commutatiuam, esset extorsio, quæ obligaret ad restitutionem, & à Principe nõ toleraretur. hocq; prędictũ onus soluendi aliquid exiguũ depositario est huic commercio adeo annexũ, vt emptor, qui, illo onere ignorato, emisset, ideoq; ex defectu consensus vellet cõmercium rescindere, non audiretur; quia contrahens tenetur scire ea, quæ sunt de natura illius contractus, & paria sunt, quòd quis sciat, vel scire teneatur.

Et hæc de prima conclus. posita sup. n. 9.

19 Concludo secundo, depositarium licitè custodiæ mercedem exigere à depositore, seu alio, cuius gratia custodiuit pecuniam, seu aliam rem depositam, siue sit depositarius publicus, siue priuatus, quia dignus est operarius mercede sua, vt dixi supra num. 1. in ampliat. & declaraui infra num. 25. & 26.

20 Extende conclusionem hanc, vt procedat

X

dat in omni genere depoſiti, ſicq; tàm in depoſito irregulari, quàm in depoſito regulari: ſed pro clariori explicatione, præmitto depoſitum regulariter conſiſtere ſolum in rebus mobilibus, ſeu ſe mouentibus, vt dicit Gl.in cap.2.bona fides.in verbo, de culpa. verſus finem, verſ. 63. de depoſ. quam ſequuntur Io.Azor.de inſtitut. moral. par.3. lib.7.tit.de depoſ.cap.4. col.578. & Caroc. tract.de depoſ.par.1.q.3.num.26. fol.9. hoc præmiſſo, oſtendo veritatem extenſionis in vtroque genere depoſiti: Vel enim eſt depoſitum pecuniæ cum tranſlatione dominij in depoſitarium (quod depoſiti genus dicitur depoſitum irregulare, vt ſequuntur Rol. à Val.conſ.17.in cauſa. ſub num.6. verſ.quibus.lib.1.& Caroc. d. par.1. q. 2. num.21. fol. 4. dominium enim pecuniæ numeratæ depoſitæ ſemper tranſit in depoſitariũ, Caroc.d.q.3.num.4. fol. 6.) & tunc,quia eiuſmodi depoſitum habet naturam mutui, Bar. in l.4. ſi quis nec cauſam. num. 3. & 4. ff. ſi cert. per. ſeu incipit eſſe mutuum, Nauar.in man.confeſs.cap.17. de peccato circa depoſita, num. 180. in fine, verſ. ſexto quòd. & latius Dec.in l.certi condictio. §.vlt. num.4. ff.ſi cert.pet.& depoſitarius tenetur tantundem reſtituere, & per interitum pecuniæ depoſitæ non liberatur, quia genus perire non poteſt, & ſic in eum tranſit periculum, ſicut tranſit in mutuatarium, Dec.vbi ſupra, ideo cum ſuſcipiat in ſe periculum pecuniæ depoſitæ, dignus eſt mercede, ſeu pretio illius periculi, quia aſſecuranti periculum pecuniæ traiectitiæ, debetur pretium, vt ſecutus ſum ſupra q. 1. num. 130. 498. & 501. hæcq; omnia,quæ dixi de depoſito pecuniæ numeratæ, non obſignatæ, dico etiam de depoſito cuiuſuis rei mutuabilis non obſignatæ, quæ conſiſtat in pondere, & menſura: † Vel eſt depoſitum rei non mutuabilis, qualis eſt veſtis, equus, ſeruus, & ſimilia, quorum dominium nunquam tranſit in depoſitarium (& hoc ad differentiam præcedentis vocare ſolent Doct. depoſitum regulare) & tunc depoſitarius poteſt aliquid recipere pro mercede, & eam recipiendo, tenebitur de culpa, d. cap. bona fides. de depoſ. & ibi Barbat.num.3. & quidem de culpa leui, Io.Azor.d.lib.7. tit.de depoſ. cap. 7. q. 2. col. 579. videtur enim depoſitarius propter illam mercedem locare operas ſuas, & ideo æquiparatur locatori, qui dignus eſt mercede, l.5.ſi vt certo. §.nunc videndum. & ibi Gloſ.in verbo,merces.ff.commod imò eò ipſo, quòd datur merces, depoſitum tranſit in locationem, & conductionem, ideoq; depoſitarius tenetur ex conducto, vt dixi ſup. ſub num.2. & hæc omnia, quæ dixi de depoſito rei non mutuabilis, procedunt etiam in depoſito rei mutuabilis,ſi obſignata deponatur, quia tunc depoſitarius ea vti non poteſt.

22 Reſtringe hanc concluſionem, de ſoluenda mercede pro depoſito rei mutuabilis, non obſignatæ, cuius dominium, & periculum tranſeat in depoſitarium, vt non procedat in Vrbe, vbi Bancherij depoſitarij non ſolum non accipiunt aliquam mercedem; ſed vlterius gratias habent deponenti, ex quò, vtendo pecunia depoſita, lucrantur, vt teſtatur Nauar. in man. confeſs. cap. 17. ſub num.293. & expreſſius num. 242. verſ. centeſimoſeptimo.

23 Ratio huius laudabilis reſtrictionis,quam ſeruant Bancherij in Vrbe, eſt, quia hoc depoſitum accipit naturam mutui, vt dixi ſup. ſub num. 20. ſed in mutuo tantum abeſt, quòd mutuator debeat ſoluere mercedem mutuatario, vt ſatis ſit, quòd ipſe à mutuatario nihil ex mutuo ſperet, iuxta naturalem, & Chriſtianam legem, de qua ſupra q.1. num. 401. & dato etiam, quòd in hoc depoſito poſſet conſiderari aliqua obligatio mercedis, ex quo non habet omnimodam naturam depoſiti, per ea, quæ adducit Io. Azor. de inſtit.moral.par.3.lib.7. tit.de depoſ.cap.7.q.7.verſ.altera ſententia.col.580. tamen maius eſt lucrum,quod depoſitarius facit, negotiando illam pecuniam, quàm merces, quam ex depoſito ſperaret; & non debet duplicem mercedem conſequi.

Ratio verò,qua Bancherij alibi accipiunt mercedem, eſt, quia mutuatarius non tenetur ſtatim reſtituere, per ea, quæ dixi ſupra q.4. ſub num. 13. & ideo mutuum dicitur factum gratia mutuatarij: ſecus eſt in depoſito, quod cum fiat gratia deponentis, tenetur depoſitarius ſemper ſtare paratus ad reſtituendum depoſitum, veluti cuſtos, cui propterea debetur cuſtodiæ merces: vnde licet depoſitum irregulare habeat naturam mutui, vt dicunt Doct. quos citaui ſup. ſub num.20. tamen differt à mutuo in hoc, quod de natura mutui eſt, vt mutuum non poſſit ſtatim repeti, at de natura depoſiti eſt vt poſſit ſtatim repeti.

24 Declara tertio eandem ampliationem, & con-

concluſiones, in quibus dixi, depoſitario ſoluendam eſſe mercedem, vt procedant in depoſito improprio, quod eſt potius locatio, & conductio: duplex enim eſt depoſitum: Quodam eſt depoſitum proprium; & in iſto falſæ ſunt ampliatio, & concluſiones prædictæ, quia depoſitum proprium de ſui natura eſt contractus gratuitus, & non mercennarius, l. 1. §. ſi veſtimenta. ff. depoſ. idq; adeo verum eſt, vt ſi depoſitarius noluerit reſtituere depoſitum, quin prius ei ſoluatur merces, poterit ſoluta repeti actione depoſiti, & condictione ob turpem cauſam, l. vlt. ff. depoſ. & l. vlt. & ibi Iaſ. ff. de condict. ob

25 turp. cauſ. † Quodam verò eſt depoſitum improprium, nimirum, quod non eſt gratuitum, ſed mercennarium: & in iſto depoſito procedunt ampliatio, & concluſiones; ſed hoc impropriè dicitur depoſitum, cum ſit potius locatio, & conductio, ideoq; depoſitarius cum mercede conuenitur ex conducto, d. §. ſi veſtimenta. ff. depoſ. & dixi ſupra ſub num. 21. quod idem dicimus de commodato, & mutuo, quæ cum ſint contractus gratuiti, ſi commodator, & mutuator aliquid commodando, & mutuando velint, dicitur contractus locationis, & contractus innominatus, vt ſcripſi pat. præced. num. 70. verſ. confirmatur. quare hi contractus, de quorum ſubſtantia eſt, vt ſint gratuiti, & ideo ſine lucro, & ſine mercede, poſſunt fieri etiam pro mercede, & lucro, ſed tunc tranſeunt in aliam ſpeciem contractus.

26 Infero ex hac declaratione in prima ſpecie depoſiti, quòd depoſitarius ſine mercede tenetur ſolum de dolo, l. 1. §. ſi veſtimenta. ff. depoſ. ſed depoſitarius mercennarius, qui eſt veluti locator operarum ſuarum, tenetur etiam de culpa ex conducto, d. §. ſi veſtimenta. & apertius in cap. 2. bona fides. de depoſ. & idem ſi depoſitarius ſe depoſito obtulerit, d. cap. bona fides. quaſi tunc fiat gratia ipſius depoſitarij, ſicut ſit illud, quod eſt cum mercede.

AMPLIATIO IV.

SVMMARIVM.

Cambium minutum eſt licitum, num. 1. Etiam ſi fiat inter priuatos, &c. num. 2.

1 AMPLIA IV. in cambio minuto, Sot. de iuſt. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, initio, fol. 607. Nauar. in man. confeſſ. cap. 17. ſub num. 288. verſ. in 19. & ita tenere omnes ſcribit in cap. nauiganti. num. 19. verſ. decimoquarto. de vſur. & ratio eſt euidens, tùm quia eſt cambium reale, & nihil habet, quod repugnet iuri diuino, vel naturali, aut poſitiuo, tum quia eſt valdè vtile, & neceſſarium Reip. per ea, quæ ſcripſi q. præced. num. 14. & §. ſeq. gl. 3. num. 123. & ſub num. 125.

2 Subamplia hanc ampliationem, vt procedat non ſolum in cambio minuto, quod fiat cum eo, qui tenetur cambire ex ſuſcepto officio, & ſic ex obligatione, ſed etiam in cambio minuto, quod fiat cum eo, qui cambit ex proprio arbitrio, & libera voluntate; hæcq; ſubampliatio nullam poteſt admittere controuerſiam, ſi cambium fiat hinc inde æqualiter ſine lucro, aut mercede; ſed difficultas remanet, an tàm is, qui cambit ex officio, quàm priuatus, qui cambit ex arbitrio, poſſit accipere mercedem; de qua difficultate vide quæ ſcripſi § ſeq. gl. 3. nu. 99. & ſeqq. & num. 123. & ſeqq.

AMPLIATIO V.

SVMMARIVM.

Cambium, quod ſit per tranſportationem realem, eſt licitum.

1 AMPLIA V. in cambio per tranſlationem realem, quod fit, prius emendo, vendendo, permutando, aut per alium contractum innominatum, quærendo pecuniam, valentem minoris in aliqua Prouincia, quàm in alia, eò, quòd ibi non recipitur, vel eius materia non tanti ibi, quanti alibi æſtimatur; aut quia eſt deformata, fracta, raſa, refecta, aut iniuſti ponderis, & poſtea realiter transfertur in aliam Prouinciam, vbi aliquo reſpectu pluris valet, ibique eam cum alia, quæ pluris valeat, commutatur, Nauar. in man. confeſſ. cap. 17. de vſura circa cambia, num. 291. & latius in cap. nauiganti. num. 31. de vſur. adde quod ſcripſi q. præced. num. 11. verſ. huius.

Ratio huius ampliationis eſt, quia in to-

ta ista acquisitione, & permutatione, siue fiat per viam venditionis, & emptionis, siue per viam alterius contractus, potest semper seruari æqualitas, & iustitia.

AMPLIATIO VI.

Cambij lucrum est iustum, etiam si non iustificetur in particulari, dummodo iustificetur in vniuersali, num. 1. 7. & 14. Exemplificatur, quando aliquo casu inter cambientes cessarent impensa, & labores, num. 2. Ratio redditur, num. 3. Confirmatur, num. 4. & 5.

Subampliatur primo hæc ampliatio, vt lucrum debeatur illi, qui fuit ab altero requisitus pro cambio, sub num. 7. & 8.

Subampliatur secundo, vt debeatur etiam illi, qui requirit alium ad cambiendum, nu. 9. & 10.

Subampliatur tertio, etiam si aliquo casu circumscriberentur impensa, & labores campsoris, &c. num. 11. & 12.

Subampliatur quarto, vt lucrum debeatur in vtroque foro, num. 13. & 14.

Restringitur eadem ampliatio, vt non procedat quando cambium fieret sine nomine campsorio, num. 16.

Locatori debetur merces locationis, etiam si is conductoris operibus indiguisset tanquam conductor, & æqua fuisset mutua compensatio, num. 10.

Accidentia, & reliqua, quæ sunt extra naturam, & qualitatem rei, non considerantur circa iustitiam contractus, num. 3. 5. 11. & 14.

1 AMPLIA VI. vt cambium, idest, lucri cambium sit iustum, etiam si non iustificetur in ipso cambio particulari, sed iustificetur solum in cambio in vniuersali, vt puta, quia campsor lucretur ex cambio, pro quo non solum non faciat expensas ad transuehendam pecuniam pro campsuario ad locum, sed fecisset impensas ad transuehendam ex illo loco pro se ipso (si cambium illud defecisset.)

2 Exemplifico, & ostendo veritatem huius ampliationis: ego, habens Genuæ scutos 1100. & indigens Romæ scutis 1000. adeo campsorem, commorantem Genuæ, qui Romæ habet eandem, & maiorem summam, eiq; soluo Genuæ scut. 1030. vt faciat mihi solui dictos scut. 1000. Romæ, isq; campsor libenter id facit, quia is adeo indigebat Genuæ istis scut. 1000. vt si ego ei eos non soluissem, commisisset suo correspondenti Romæ, vt solueret alicui dictos scut. 1030. qui Genuæ faceret sibi solui scutos 1000. etenim, etsi campsor in isto cambio non faciat expensas, & stante æquali indigentia, potuisset sine lucro vtiliter cambire, tamen lucrum prædictum non est illicitum, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 1. post secundam rationem, in dubitatione, col. 3. versus finem, fol. 609. Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, pro decisione. sub num. 45. tom. 6. par. 1. fol. 410. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 2. num. 2. vers. dominicus. & seqq. fol. 560. tom. 2. hancq; opinionem esse probabilem, & non damnandam scribit Romoal. Coli de camb. cap. 32. in fine.

3 Ratio huius ampliationis, sic exemplificatæ, est, tum quia iste casus, quòd campsor ex isto cambio non solum euitet damnum, sed consequatur lucrum, est quid accidens, quod non habetur in consideratione, Sot. vbi supra; tum quia ex hoc nulla fit iniustitia campsuario, qui illud idem lucrum iustè soluisset alteri campsori, qui ista commutatione non indiguisset; tum demum quia lucrum isto casu procedit à sorte, & fortuna, quæ etiam fuit æqualis, & communis vtrique, vt dixi infra num. 10. vers. comprobatur. in fine.

Confirmatur primo hæc ampliatio, sic exemplificata, quia accidentia, minuentia laborem, vel expensas campsoris, non mutant naturam, & lucrum cambij, testibus Caiet. & alijs, quos secutus sum infra num. 11. & scripsi supra quæst. 1. num. 428. & sub num. 521.

4 Confirmatur secundo, quia pecunia campsoris siue soluatur prius in loco cambij, siue recipiatur postea alibi, semper reputatur præsens, & pecunia campsuarij semper reputatur absens, & pluris valet pecunia præsens, quàm absens, vt secutus sum par. præcedenti num. 49.

Confirmatur tertio, quia ad faciendum illud lucrum, æqualem habebamus conditionem; cum potuissem ego, requisitus à campsore, nolle cambire, nisi cum lucro, pro quo cambiret campsor requisitus à me: & quando æqualis est conditio, lucrum est licitum, vt in ludo secutus sum infra ampl. 10. sub num. 5. subillat. 1. & 2.

5 Confirmatur quarto, quia pretium rei consideratur ex qualitate rei, & non ex qualitate

litate emptoris, & proinde licet res, quæ communi pretio valet 100. sit alicui emptori tantum vtilis, quantum alteri esset vtilis res, quæ valeret 300. tamen non potest illi vendi maiori pretio, quàm communi, per ea, quæ secutus sum infra ampl. 10. num. 60. ergo licet campsori ex sua qualitate, quia indiget illa commutatione, sit valde vtile illud cambium, tamen standum est communi pretio cambij.

Confirmatur quinto ex his, quæ scripsi infra num. 15.

6 Contra hanc ampliationem, sic exemplificatam, supposita æquiualentia numismatum, & reciproca necessitate commutandi, quòd tunc neuter debeat lucrū prætendere, cum alter alteri inseruiat, tenent Mercat. tract. de camb. cap. 2. Garcia de contract. cap. 33. num. 3. vers. rispondiamo à questa. & vers. seq. iuncto num. præcedenti. vers. la seconda difficoltà. & Lud. Lopez eod. tract. de contract. lib. 2. cap. 3. in 2. conclus. vers. secunda statuitur. & vers. seqq. hancq; opin. esse magis honestam, iustam, & securam scribit Romoal. Coli tract. de camb. cap. 32. in fine.

7 Retenta ampliatione, & illius exemplo, tùm quia est communis, & validis fulcita rationibus, vt patet ex adductis supra nu. 3. & seqq. & in seqq. subampl. tùm quia à contrarijs facilè defenditur, vt patet ex his, quæ scribit Mich. Sal. sub d. num. 2. vers. respondet quidam. & seqq.

Subamplia primo eam, vt præcipuè procedat quando is, qui lucrum facit, est præuentus, idest, requisitus ab altero pro cambio, vt in exemplificatione, & vt loquuntur Sot. & alij. in ea citati supra num. 2. quo casu militat duplex ratio particularis: Prima, quia ille tenetur ad expensas actus, cuius gratia fit actus, vt in alijs terminis secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 7. num. 586. & cap. 8. nu. 851. & seqq. sed cambium

8 fit ad instantiam requirentis; ergo. † Secunda ratio est, quia merx, quærens emptorem, vilescit: minuitur enim pretium, quando venditor quærit emptorem, ideoq; in subhastationibus res vilius emuntur, Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 5. vers. sexto hinc. & quòd vltroneæ merces vilescant pro tertia parte, sequitur Nauar. in cap. 2. qualitas. sub num. 37. 34. q. 3. de pœnit. dist. 5. hincq; rationabiles sunt leges municipales, de quibus in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 96. num. 29. dum res subhastatas, non reperto emptore, mandant dati in solutum creditori cum lucro tertiæ partis; & huius secundæ rationis ratio potest esse, quia copia minuit pretium, vt secutus sum supra quæst. 5. sub num. 65. & magna videtur copia mercis, quando non reperit emptorem: ergo pecunia quærentis campsorem, non tanti valet, quanti valet pecunia campsoris requisiti: ergo lucrum debet esse à parte campsoris.

9 Subamplia secundo, vt procedat etiam si lucrum daretur illi, qui non est præuentus, sed daretur illi, qui præuenit, quærendo cambium, & sic contra Sotum, & eius sequaces, dummodo is, qui quærit cambium, quærat tanquam campsor, & is, qui requiritur, requiratur vti campsuarius: secus è conuerso, quando quærens, quæreret vti campsuarius; & ita procedat doctrina Soti, & aliorum, & cum hac subampliatione concordant quæ scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 7. in fine, col. 871. dicens, quòd si mihi opus esset pecuniam meam ex Hispania Romam inuehere, & Titius in Hispania peteret à me eam pecuniam, restituturus mihi eandem Romæ; Titius, qui ea pecunia indigebat in Hispania, potest nihilominus à me lucrum exigere, quia, inquit, facit officium nummularij, subdit tamen, quòd non potest tantum lucrum exigere, quantum nummularius: & moueor ad hãc ampliationem, quia lucrum, quod inter campsorem, & campsuarium debetur ex iustitia cōmutatiua, semper debetur campsori: & dicitur cāpsor in hoc proposito, qui vult solitum lucrum ex cambio, & campsuarius, qui vult illud soluere, quia campsor videtur assumere onus transportandi, & faciendi impensas pro illa commutatione; discedo tamen à dictis Azorij in duobus: primo, quia citat Sotum, non expresso loco, & tamen nos Sotum allegamus pro contraria parte: secundo, quia nulla ratione ostendit, quare non possit Titius exigere integrum lucrum cambij.

Ratio huius subampliationis est, quia ad contractus iustitiam tria requiruntur: primum, vt contractus sit de sui natura licitus; secundum, quòd ineatur sine dolo, & fraude; tertium, quòd habeat iustitiam commutatiuã: & hæc tria sunt in contractu huius cambij; nam cambium de sui natura supponimus esse contractum licitum; supponimus

etiam fieri sine fraude, quia vnus ex cambientibus vult cambire, vti campsor, & sic vult lucrum cambij, alias non vult cambire, & alter consentit ita cambire; & lucrum supponimus esse moderatum, & iustum.

Comprobantur primo hæc subampliatio, eiusque ratio exemplo, quia licet isti locatores equorum, & mularum, tàm tabellis ante tabernam de more cum inscriptione positis, quàm etiam oretenus requirant equitaturos, an velint equos ad aliquam ciuitatem, & aliquando exprimanr habere equos de reditu, & quandoque priusquam inueniant conductores, totam mercedem locationis faciendæ, & eo amplius consumant in alendis equis, ita vt fuisset expediens ab initio remisisse sine mercede; tamen semper iustè exigunt mercedem locationis, quia illa necessitas remittendi ad euitandas impensas alimentorum non cōsideratur, prout non attenditur, quòd locaror requirat conductorem, an velit conducere.

10 Comprobantur secundo; quia etsi Tusculanus, rediturus ex Vrbe ad Tusculum, conducat equum ad rationem trium iuliorum pro qualibet die, donec equum ad Vrbem non remiserit, locatoriq; non restituerit; & postea, vbi peruenerit ad Tusculum, ad euitandam impensam iuliorum trium pro qualibet die, quærat, & inueniat Romanum, qui, ad Vrbem iturus, equum conducat pro iulijs quinque; quo Romano conductore non reperto, ipse conduxisset aliquem, cui soluisset eosdem iulios quinque, vt equum ad Vrbem reduceret; tamen locatio equi erit iusta, & licitè poterit ex locatione illos iulios quinque recipere, quamuis vterque eorum mutua locatione, & conductione equaliter indiguisset; potuit enim Tusculanus, non faciendo iniustitiam, facere suam conditionem meliorem, & imputet sibi conductor, si potuisset locatione locationem compensare, & voluit esse solum conductor; imò imputet sibi, quòd cum fuerit in æquali ludo, seu fortuna, potuisset se offerre solum pro conductore, & sic habuisset equum gratis, & vlterius mercedem conductionis.

11 Subamplia tertio (hæcque subampliatio infertur ex ampliatione, & subampliationibus præcedentibus, & confirmat easdem) vt procedat etiam si campsor Mediolani accipiat 1000. soluendos postea campsuario Lugduni, vbi campsor habeat fratrem, vel amicum, qui soluat, ideoque nullas faciat expensas pro illorum transportatione, & solutione in Ciuitate Lugduni, imò etiam si voluisset alias 1000. Lugdunum remittere pro alijs suis negotijs; quia nihilominus cambium, eiusque lucrum erit licitum, tum quia ista sunt accidentia, quæ non murant naturam cambij, ideoque non considerantur, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 6. sub num. 8. ibi, nec obstat quod campsor. tom. 6. par. 1 fol. 406. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, num. 295. & in cap. nauiganti. sub num. 62. vers. vigesimo primo. de vsur. Bonins. tract. de camb. cap. 6. vers. presupposto. Fabian. Genuen. eod. tract. cap. 6. sub num. 61. tom. 6. par. 1. fol. 417. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 3. vers. obijcies. in casu, quem retuli num. seq. & q. 7. in fine, vbi loquitur in casu, quem ex eo retuli supra sub num. 9. & dixi sup. q. 1. sub num. 521. tum quia, vt addunt aliqui, campsor amico, gerenti Lugduni suum negotium in soluendo campsuario, manebit ad similia obligatus.

12 Comprobatur hæc subampliatio ex his, quæ scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 3. col. 870. dicens, quòd etiam si nummularius aliquando accipiat pretiosiorem, commodiorem, & vtiliorem pecuniam, quàm soluat, & aliquando recipiat pecuniam maioris pretij, & soluat eam, quæ minoris æstimatur, & aliquando nulla pericula suscipiat, neque labores perferat, nec impensas faciat, quia in eo loco, vbi soluit, habet fratrem, vel filium, vel procuratorem, vel socium, & familiarem, qui nummularij litteras soluit absque labore, periculo, & impensis, tamen, inquit, potest is tuta conscientia lucrum cambij accipere, quia hæc ex accidenti contingunt, cum res ipsa per se ijs incommodis subijciatur, quæ nummularius sua industria, cura, & diligentia deuitat.

13 Subamplia quarto, vt tàm ampliatio, quàm subampliationes procedant tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori; hancque subampliationem probo, tùm quia Doct. in eis citati, loquuntur indistinctè, & præsertim in foro interiori, in quo maior potuisset oriri dubitatio; tùm quia rationes, à nobis adductæ, concludunt in vtroque foro, tùm etiam quia soluo, quæ viderentur obstare.

Non obstat igitur, quòd campsori debeatur lucrum propter pericula, labores, & impensas,

pensas, vt scripsi par.præced. num.45.& 47. & hæc omnia essent in permutatione equali ; & reciproca necessitate permutandi, & præsertim, vt dictum est supra sub num. 11. & cessante ratione legis, cesset ipsa lex, præsertim in foro interiori, per ea, quæ scripsi sup.q.1. num.509. sub num. 521. & sub num.531. corrobor.2.

Quia respondeo dupliciter. Primo, quòd licet cesset ratio legis in aliquo casu singularissimo, tamen non cessat in eo lex secundum eos, quos citaui ead. q.1. sub nu.510. & hæc responsio satisfaceret in foro exteriori, non autem in foro interiori, per ea, quæ dixi sub d. num. 531. corrobor. 2. & seqq.

14 † Secundo respondeo, rationem quare lucrum, quod datur campsori, & merces, quæ datur artifici, seu locatori, sint licita etiam in foro interiori, non esse propter laborem, & impensas, quas hi faciunt, sed esse, quia ad faciendum illud negotium, seu illud opus communiter ex natura negotij, seu operis requiruntur ille labor, & illæ impensæ; & propterea debetur campsori lucrum, & artifici, seu locatori merces, quamuis hi ex propria industria, & peritia illud negotium, seu opus quandoque facerent sine labore, & sine impensis, seu cum minori labore, & paucioribus impensis, quàm faceret alius: in pretijs enim attenditur qualitas rerum, & non qualitas contrahentium, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum infra ampl.10. num. 69. & quia hæc ratio non cessat, ideo non cessat legis dispositio. Præterea in campsore, vti campsore, nunquam cessant pericula, quibus exponit suas pecunias, dum illas hinc inde colligit, cumulat, & detinet in diuersis locis pro cambijs.

15 Infero ex hac ampliatione, multipliciter subampliata, quòd etsi ego haberem Romæ scut.100.auri, & tu haberes in proximo foro Placentiæ scut. 101. marcharum, qui æquiualent scutis 100. auri in actuali solutione, vt dixi par.præced.sub num.23. & explicaui infra ampl. 10. sub num. 69. & tu indigeres Romæ meis scut.100. & ego in foro Placentiæ tuis 101. marcharum; tamen possem ego cambire tecum meos 100. pro tuis 102. marcharum, si hoc esset pretium impositum scutis *de marche*; quia, qui dat cambio pro nundinis, semper lucratur in primo cambio, cum scutus marcharum in negotio cambij semper ematur pro minori pretio, eo quo valet, vt latius explicaui d.ampl.10.nu.69. & ita seruatur passim, & sine vllo scrupulo, nulla habita ratione, quòd mutua esset inter nos necessitas, & vtilitas permutandi.

16 Restringe eandem ampliationem, vt non procedat, quando permutatio fieret sine nomine campsorio, quia tunc seruaretur sola numismatum æqualitas, & neutri deberetur lucrum; sicut enim in casu, de quo supra num. 10. neque remittenti equum ad Vrbem, neque reducenti illum, debita fuisset merces, si inter eos cessasset titulus locationis, & conductionis, vt puta, quia vterque, patefacta mutua necessitate, & vtilitate, locationem locatione compensasset; sic etiam est dicendum in permutatione pecuniarum, quæ ex mutua necessitate fieret, seruata æqualitate numismatum, sine nomine campsoris, & campsuarij.

AMPLIATIO VII.

SVMMARIVM.

Cambium per litteras est licitum.

1 AMPLIA VII. vt sit vera in cambio per litteras, Nauar.in man.confess.cap.17.de vsura circa cambia.nu.289. &, quòd ita teneant omnes, testatur in cap.nauiganti.num.21. vers.decimoquinto. de vsur. &, quòd hoc cambium omnes auctores, vt iustum approbauerint, quia re vera nummularius lucrum meretur, eo, quòd pecunias, sibi datas, litteris hinc alio deportet, ideoque multi hoc cambium vocent cambium traiectitium, siue translatitium, scribit Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.10. tit.de camb.cap.5.q.3.in fine. & certè hæc ampliatio nunc reuocanda in dubium non est, tum quia par.præced.sub nu.5.vers.contrariam. firmauimus cõclusionem, quòd hoc cambium sit licitum, imò eandem firmauimus etiam in cambio per litteras nundinarias, vt, late articulo discusso, secutus sum ead.par.præced. num.41. & seqq. & speciatim sub nu. 50. vers. non obstat. & seq. tum quia de cambio per litteras loquuntur apertè Laur.de Rodulph.in cap.consuluit.par.3. sub num.1. de vsur.inter tract.diuers.tom.7. fol.37. Archiep.Florent.eod.tract.de vsur.S. 48.num.78.eod.tom.fol.86. Hieron.de Luc. Boninf. Fab.Genuen.Mich.Sal. & Io. Azor. quos citauimus par. præced. sub num. 50. tùm

tùm quia, circumscripta omni Iurisconsultorum auctoritate, habemus Pij V. constitutionem, ideoque cessare debet omnis disputatio, vt dixi sub d. num. 50. vers. quia respondeo.

AMPLIATIO VIII.

SVMMARIVM.

Mutuum cum pacto vt mutuatarius soluat mutuanti lucrum cambij, à quo cessat causa mutui, est licitum, num. 1. & seqq. & num. 18. & 19. Reiectis contrarijs, adductis, num. 8. & seqq.

Subampliatur primo hac ampliatio, vt sit licitum, etiam cum pacto, quòd mutuatarius teneatur ad aliud quoduis interesse, quod mutuator pateretur propter illud cambium, & stante interesse lucri cessantis à vero cambio, debetur etiam si fictè cambirent, num. 22.

Subampliatur secundo, vt maximè procedat, quando pecunia, quæ mutuatur, extrahitur à negotio lucratorio, &c. num. 23. & seqq.

Subampliatur tertio, vt istud interesse lucri cessantis, de quo possunt mutuator, & mutuatarius pacisci, possit ab eisdem in contractu mutui taxari, num. 25. Contrarium, quòd non possit ab eis taxari, num. 27. & seqq. Resoluitur cum distinctione, num. 32. & seqq. & nu. 55. & seqq.

Subampliatur quarto, vt mutuator possit pacisci nonsolum de interesse præsenti, seu omnino proximo, sed etiam de interesse, non ita propinquo, num. 62. & seqq. Contrarium, num. 64. Resoluitur cum distinctione duplicis mutui, num. 65. 66. & seqq. & num. 71. & seqq. Declaratur hac subampliatio, num. 76. & seqq. & num. 95.

Subampliatur quinto, vt interesse debeatur omni iure, num. 96.

Subampliatur sexto, vt debeatur in foro conscientia, num 97.

Subampliatur septimo, vt debeatur tàm mutuatori, quàm cuiuis alteri creditori, etiam sine pacto, sed interueniente mora, nu. 98. & seqq. Non tamen sufficit sola mora, num. 99.

Pecunia, destinata ad aliquid, reputatur pro eo, ad quod est destinata, num. 3.

Mutuanti, qui erat paratus ire ad nundinas, & negotiari pecunias, debetur interesse lucri cessantis, conuentum, num. 4. Quamuis alij teneant contrarium, num. 9. & 10.

Venditio rei pro maiori pretio, eò quia tanti venderetur in loco, ad quem venditor erat paratus accedere, & rogatus non accedat, & vendat in loco, vbi non tanti valeat, est licita, dummodo fiat præsenti pecunia, num. 6. & 14. Et dummodo cesset fraus, num. 15. Quamuis alij affirment indistinctè, esse illicitam, nu. 13.

Mutuum sub interesse lucri cessantis an sit mutuum, num. 17. 20. & 21.

Vsurarum fraudibus via aperiri non debet, num. 10.

Præparatio ad actum differt ab actu in materia suspecta de fraude vsurarum, num. 24.

Fructus societatis officij taxantur inter socios ad rationem 12. pro centenario, num. 26. Et quare taxentur vltra fructus officij, num. 41. & seqq.

Cambium, taxato certo lucro in casu, quo debitor non soluat debitum cambij, est illicitum, num. 30. Debetur tamen interesse, quod verè probaretur, num. 58.

Societas officij cum pacto, quòd, dissdicta societate, & debitor non soluat, teneatur ad fructus, sicut si societas staret, non est licita, sub num. 30.

Interesse ob moram debitoris non potest à partibus taxari, præsertim in mutuo, num. 27. & seqq. & num. 55. & seqq. Quando possit taxari, num. 32. & seqq. num. 54. & sub num. 61. declar. 2. Quando taxatio aliunde probetur, remanet valida pro quantitate probata, num. 57. 59. & 60.

Interesse taxatur, habita ratione fructuum, num. 33. & seqq. Contrarium tamen est in contractu censūs, & quare, num. 36. 37. & 39.

Interesse potest taxari per contecturas, num. 61.

Interesse solet esse incertum, & varium, nu. 31.

Pactum retrouendendi minuit pretium rei vendendæ, num. 37. Et quantum minuat, nu. 38. Et è conuerso pactum reemendi ad libitum ementis auget pretium, num. 40.

Fœnus nauticum, concessum à legibus ciuilibus, an sit sublatum iure pontificio, num. 43. & seqq. & num. 52.

Cap. nauiganti. de vsur. intellectus, num. 45. & seqq.

Vsura centesima est omnibus maior, & quare dicatur centesima, num. 53.

Vsura nautica quanta sit, & quando concedebatur, num. 53.

Vsurarum variæ species, & nomina, sub eod. num. 53. vers. hac nautica.

Confessio partis super interesse, & eius quantitate non probat, num. 56.

Vtile per inutile non vitiatur in iustitia commutatiua, num. 59.

Licitum

1 AMPLIA VIII. vt quemadmodum est licitum dare cambio, per ea, quæ dixi par. præced. num. 41. & seqq. ita etiam sit licitum dare mutuo, & paсisci, vt mutuatarius teneatur vltra sortem soluere pro interesse totum illud lucrum, quod mutuator ex cambio, à quo propter mutuum cessauit, consecutus fuisset, quare si ego sim paratus dare cambio scut. 200. & tu me instanter rogas, vt illos scut. 200. tibi mutuem; & ego dico, mutuabo, dummodo conserues me indemnem, tuque promittis conseruare, & ego mutuo: isto casu ego possum ex isto mutuo licitè capere lucrum, quod fecissem ex cambio, quod habebam præ manibus, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. sub num. 5. vers. secundo & in idem. in fine, ibi, nec potest. tom. 6. par. 1. fol. 405. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsur. circa cambia. num. 292. vers. in num. 34. & in cap. nauiganti. num. 26. & num. 34. vers. decimoseptimo. de vsur. Boninseg. tract. de camb. cap. 7. vers. sono alcuni. versus finem, ibi, & à chi dicesse. & in latinè reddito, eod. cap. 7. sub num. 8. & 9. Fabian. Genuen. tract. de camb. sub num. 38. d. tom. 6. par. 1. fol. 414. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 3. vers. deinde. in fine, quem retuli etiam par. seq. limit. 7. num. 3. vers. contraria. & ita idem Azor. secutus Caietanum, & Nauarrum, articulo discusso, firmat, eod. tit. de camb. cap. 11. q. 2. vers. postremo pij. ibi, at caietanus. & vers. ad secundum. prout eundem secutus sum infra ampl. 20. num. 3. in fine, & quòd mutuans pacto adiecto, vt mutuatarius soluat aliquid ratione interesse, quod ipse mutuator ob illud mutuum patitur, non dicatur lucrari, & ideo eiusmodi mutuum non sit vsurarium, dummodo verisimile sit, interesse alioqui euenturum fore tantum, aut maius, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 38. in secunda causa, vers. sed videtur. fol. 270. & tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. col. 9. coroll. 2. vers. inde etiam est. fol. 299 & ab hac ampliatione in effectu non discedit Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 4. sub nu. 4. dicens, quòd si eatenus lucrum cessans iustè petitur, quia mutuans quodammodo cogitur, vt alteri mutuet, pecuniam suam à statu negotiationis diuertere, in quo erat lucrum ferè certum, & in proxima potentia, hoc certè, inquit, est damnum pati, ratione cuius potest creditor pacisci de interesse lucri cessantis.

2 Ratio huius ampliationis est duplex.

Prima, quia charitas ordinata incipit à se ipso, & ideo in primis non debet quis, vt alterum iuuet, perdere lucrum, quo ipse indiget, per ea, quæ secutus sum par. præced. num. 73.

3 Secunda, quia de pecunia, destinata ad emptionem rei, iudicatur sicut de illa re, Rebuff. tract. de priuil. scholar. priu. 55. nu. 5. tom. 18. fol. 44. ideoque pecunia, destinata ad emptionem prædiorum, computatur inter immobilia, Rebuff. vbi sup. Peck. tract. de testam. coniug. cap. 15. num. 4. vers. maior tom. 8 par. 1. fol. 173. Ant. Piag. tract. de tut. & cur. q. 15. num. 63. tom. 8. par. 2. fol. 331. & dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2 nu. 307. in vltimis verbis, & est communis, quia de proximo accingendus habetur pro accincto.

4 Confirmatur primo hæc ampliatio, quia potest quis mutuare, non solum sub interesse cambij, quando verè erat paratus dare cambio, vt dixi hic in ampliatione, sed potest etiam mutuare sub interesse cuiusuis alterius negotiationis, cui pecuniam, quam mutuat, parasset; quare si ego, qui sum mercator, & consueui sequi mercata, & nundinas, & ibi multa lucrari, tibi, multum indigenti, ex charitate mutuo pecuniam, cum qua negotiaturus eram, tu exinde ad meum interesse remanes obligatus; dummodò nihil fiat in fraudem vsurarum, & dummodo ego non consueuerim pecuniam meam taliter tradere ad vsuram, Host. in cap. 16. salubriter. sub num. 4. vers. ideo puto ex mente. de vsur. & quòd, si ego eram paratus ire ad nundinas cum pecunia, quam indigens recepit mutuo, promittens quid certum reddere pro lucro sperato, possim excusari ab vsura (quamuis Dominus noster Papa Innocentius

centius scripserit, quòd est vsura, & quòd nescit me excusare) dicit rursus Host.in cap. vlt.sub num.5.ibi,quid ergo si quis paratus. eod. tit.de vsur. hancque Hostiensis opinionem sequuntur Ioan.à Capistr.tract.de vsur. sub num.88. ibi,sed certè ista limitatio.tom. 7.fol.108. vbi opinionem istam concordat cum opinione contraria, de qua infra nu.9. & confirmat Archiepisc. Florent. eod. tract. de vsur.cap.2.§.15.num.28.& 29. eod.tom. 7.fol.82. allegans Io. de Lign. dicentem, quòd, etsi opinio contraria teneatur communiter,tamen credit opinionem Hostiensis veram; cæterũ ipse Archiepiscopus loquitur multum temperatè; & cum hac opinione transit Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num.211.vers.& quòd inter.& testando esse receptiorẽ in cap.si fœneraueris.not.14.sub num.43.vers.pro contraria. 14. q.3. & cons. 6.mercator. sub num. 1. vers. respondetur. lib.5.de vsur. & eãdem opinionem vti communem, & magis communem, pluribus citatis, testantur, & sequuntur Molin. de iust. tom. 2. de contract.disput. 315. vers. innocentius. & vers.contraria tamen.col.274. & Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.5.tit.de vsur.cap.5.initio, vers.secunda.& vers. hæc secunda. & vti magis communem, pluribus allegatis, & re sæpius discussa, secuta est Rot.diuers. decis.331. sententiam. num.15. in Ianuen. pecuniaria, primo coram Illustrissimo Card. Lancellotto, lunæ 6. Iunij 1611. vers. nihilominus contraria. & deinde quinta vice, eadem causa proposita, secuta est decis. 372. domini censuerunt. sub num. 2. coram R. P. D. Vbaldo, veneris 1. Maij, siue Martij 1613. inter impressas Romæ anno 1615.&, quòd hæc opinio Hostiensis videatur vera, remota fraude, & ita teneant Abb.Io.Andr.& Laur. de Rodulph. & quòd, constito, quòd fraus non fieret, hoc non negent Innoc.& alij,qui volunt contrarium, sed tantum faciant vim in fraude,quæ committi potest, scribit Dec. in cons. 111. sub num. 9. ibi, & quamuis. & quòd volens emere aliquod prædium, aut domum, quæ sibi aliquid annuatim redderet, & pecuniã, qua id, vel eam empturus erat, mutuat alteri, præsertim promittenti recompensationem, possit vltra pecuniam, mutuo datam, petere à mutuatario prouentum, quem ex illo prædio, seu domo erat percepturus, quoad pecunia reddita fuerit, sequitur,& testatur esse communem Nauar. in d. cap. si fœneraueris. num. 56. not. 18. &, quòd si quis pecuniam habeat paratam ad emẽdum annuos reditus, & alius eam petat mutuo, impedimentoq; sit, ne eos emat,possit pacisci de lucro cessante eorum annuorum redituum, quanti æstimabuntur iuxta probabilitatem, scribit esse communem Doctorum opinionem, & proculdubio amplectendam Molin.d.disput.315. vers.quod potissimum. & vers.contraria tamen.col.273.& 274.&, quòd non peccet qui pecuniam, qua vult emere aliquid frugiferum, mutuat alteri, cum pacto vt soluat tantũ quotannis, quantum fructus rei frugiferæ, quã emisset,deductis impensis quotãnis, valerent, scribit Nauar.in d cap.17.n.238.vers.cẽtesimotertio. in fine, & ante eum B.Io.à Capistr. tract. de vsur.num.89.tom.7. fol.108. &, quòd mutuans possit à principio conuenire cum mutuatario de soluendo damno, scribit idem Nauar.d.cap.17.sub num.211.vers.& quòd inter omnes. ibi,tertio cum. & quòd,si dum ego eram paratus emere certas merces de pecunia mea, & tu propter nimiam instantiam fecisti me cessare à tali emptione, vt tibi mutuarem, & ego mutuaui cum pacto, quòd tu tenearis mihi reddere pecuniam mutuatam, & vlterius torum id, quod fuissem lucraturus, si merces illas emissem, & vendidissem, tale pactum non sit vsurarium, & mihi debeatur hoc interesse, scribit,nulla tamen citata auctoritate, Guid.Pap.tract.de vsur. num.20.vers.sed quæro.tom.7.fol.72. &,quòd si quis pecuniam, quam deposuit in monte pietatis, erat negotiaturus, & ex negotiatione lucraturus, possit lucrum, sibi à montis administratoribus promissum, licitè percipere, secus si eam pecuniam non erat negotiaturus, scribit Io. Azor. d.par.3. lib. 10.tit.de censib.cap.22. vers.secundo quæritur an montis.

5 Ergo si hoc interesse lucri cessantis debetur mutuanti, quia pecuniam, quam mutuauit, erat paratus negotiari in emptione mercium, debebitur etiam mutuanti, qui erat paratus negotiari in cambijs, cum vtramque negotiationem supponamus licitam, aliàs sine isto supposito non præsupponeremus terminos habiles, & cum hoc supposito loquuntur Caiet. & alij citati supra num.1.

6 Confirmatur secundo; quia si ego habeo mala granata in ripa maris,seu poma granata, vt loquuntur alij,in Ciuitate Riparia,vbi est

est magna copia, & propono illa vendere Parisijs, vbi sunt cariora, & venis tu, & rogas me, vt vendam tibi dicta poma in Ciuitate Riparia, offerens mihi illud idem pretium, quo essem venditurus Parisijs, detractis tamen expensis itineris, quas ego facerem, itinerando Parisium, & detracto aliquo pro periculo, quod itinerando subirem, possum licitè tibi vendere, & pretium accipere, quia non est vsura, dummodo emptor soluat statim pretium; alias, si non statim solueret; non est verisimile, quòd talem emptionem faceret, nisi multum egeret, sicque daretur via figmentis, & viderentur approbari vsurarum barattariæ, vt, concordando opiniones, sequitur Io. Andr. in cap. vlt. num. 7. vers. quid si non erat venditurus. de vsur. quem sequitur Calder. eius filius adoptiuus ibidem num. 37. q. 7. Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 31. num. 13. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. & Salyc. in auth. ad hæc. sub num. 17. q. 20. C. de vsur. & ita sentit Innoc. in d. cap. vlt. in fine, quia loquitur in emptore, qui statim dat ei, & sic seipsum conciliaret cum opinione contraria, de qua infra.

Ratio, qua mouetur Innoc. est, quia, inquit, qua ratione temporis poterit carius vendere, eadem ratione poterit ratione loci.

7 Ergo, si ego scutos marcharum, quos in nundinis Placentiæ paraueram vendere, seu cambire per litteras cambij ad Vrbem, & rogatus, vendo tibi illomet pretio, quo venditurus eram Romæ, licitè vendo.

Pro hac ampliatione, eiusque confirmationibus adde quæ secutus sum infra n. 178.

8 Contra istam ampliationem tenet apertè Io Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 27. vers. atque ex his. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139. vbi ait, cambium siccum, seu fictum non esse licitum, quando campsor exerceret illud causa subueniendi aliquem in suis indigentijs, omisso cambio vero, quod præ manibus haberet, ex quo tantum lucratus fuisset, dicens istum campsorem non excusari à pœna reatus, & ab obligatione restituendi; reprobata Caietani, & Nauarri contraria opinione, quam ego retuli supra num. 1. in ampl. contra eandem ampliationem videntur posse allegari Innocent. & alij, quos citaui num. seqq. dum tenent contra duas adductas confirmationes, quibus nititur ampliatio; nam, tenendo, non esse veras confirmationes, possunt allegari contra confirmatum, & sic contra ampliationem: argumenta igitur huius contrariæ opinionis erunt sequentia, quorum primum, secundum, tertium, & quartum tendunt ad subuersionem confirmationum, & reliqua duo contra ipsam ampliationem.

9 Primum, quia illa prima confirmatio, posita supra num. 4. cui innititur ampliatio, non videtur vera: nam quòd mutuans pecunias, quibus erat paratus ire ad emendas merces in nundinis, non possit ex illo mutuo accipere lucrum, quod sperabat consequi emptione mercium, tenet Innoc. in cap. vlt. nauiganti. in verbo, periculum. de vsur. & hanc opinionem Innocentij contra Host. sequitur, & veriorem existimat ibidem Io. Andr. num. 5. vers. quid si habens. quem sequitur ibidem eius filius Calder. nu. 32. q. 3 inter repet. tom. 4. fol. 372. & in effectu sequitur etiam Salyc. in auth. ad hæc. num. 13. q. 15. C. de vsur. & secutus est Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 3. concl. 4. fol. 542. vbi eam etiam ratione nititur confirmare, eandem secutus videtur Stracch. tract. de assecurat. in præfat. num. 29. tom. 6. par. 1. fol. 359. & hanc Innocentij opinionem esse communē refert, & sequitur Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 24. num. 6. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22. & esse opinionem communem testatur, & tanquam verissimam indubitanter tenet Ambr. de Vign. in cap. salubriter. post præfationem, sub num. 47. de vsur. inter tract. diuers. eod. tom. 7. fol. 54. & quòd hæc opinio teneatur communiter, testatur etiam Io. de Lign. quem citat Archiep. Florent. licet ipse eam non sequatur, vt retuli supra sub nu. 4. & in hac opinione residet in effectu Petr. de Anch. in cap. peccatum. q. 6. sub num. 11. ibi, ego credo contrarium. de reg. iur. in 6. & hanc esse opinionem communem patet ex his, quæ scribit Io. de Anan. in d. cap. nauiganti. sub num. 16. vers. quæro quid è contra. & licet ipse in vltimis verbis referat Laur. de Rodulph. dicentem, quòd contrariam opinionem credit de iure veriorem, tamen adhuc contra regulam censeo, quòd ipse Io. de Anan omnino adhæreat huic opinioni Innocentij, & pro hac eadem opinione videtur posse allegari D. Thom. q. 13. de malo, art. 4. ad 14. & 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum. dum concedens, mutuantem posse licitè pacisci de damno emergenti ob mutuum,

tuum, subiungit pacisci non posse de lucro cessante, redditq; rationem, quia nondum illud habet, & potest multipliciter impediri, & ita D. Thomam pro hac opinione, quam tamen non sequûtur, citant Card. Tolet. tract. de instruct. sacerdot. lib. 5. cap. 33. vers. conueniunt tertio. & Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 1. initio, & Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 315. vers. innocentius. col. 274. &, quòd contraria Hostiensis opinio, quam adduxi supra num. 4. non careat contradictoribus, scribit Rot. diuers. decis. 372. domini censuerunt. num. 2. in Ianuen. pecuniaria, veneris 1. Martij 1613. coram R. P. D. Vbaldo. inter impressas Romæ 1615.

10 Ratio huius opinionis est, quia aliàs facilè aperiretur via ad fœnerandū: staret enim vsurarius paratus cum cappello, ocreis, calcaribus, & mantello ad modum Foroliuiensium, dicens, se velle ire ad nundinas, si sub hoc colore spetati lucri liceret sibi aliquid vltra sortem stipulari, vt scribunt Io. Andr. Laur. de Rodulph. Calder. Salyc. Ioan. de Anan. & Ambros. de Vign. in locis citatis num. præced. licet hi quatuor postremi nullum verbum faciant de isto Foroliuiensium more, de quo tamen mentionem facit etiam Io. à Capistr. sub num. 88. quem citaui supra sub num. 4.

11 Vel melior ratio secundum Ambr. de Vign. vbi sup. est, quia mutuans, qui erat paratus ire ad nundinas, sciebat, vel scire debebat, quòd lucrum, quod sperabat se facturum, non erat certū, nec an faceret lucrum.

Ergo, sublata confirmatione, in qua videtur fundata ampliatio, ruet ipsa ampliatio.

12 Ex isto argumento nota obiter, quòd Decius, quem retuli supra sub num. 4. ineptè videtur conciliasse Hostiensem eum Innocentio, quòd vterque sentiat, contractum illius mutui esse licitum, constito de non fraude; nam, salua reuerentia tanti Doctoris, non possunt conciliari, tùm quia Hostien. quem retuli d. num. 4. satis se declarat dissentire ab Innocentio, tùm quia dissentio est manifestè inconciliabilis, quia Innocentius reprobat illud mutuum, ne aperiatur via fraudi, & sic præsumptione iuris, & de iure censet illud illicitum, & Host. censet licitum, dummodo non sit in fraudem; vltra quòd non docet Dec. cui incumbat onus probandi fraudem, vel non fraudem, neque aperit modum, quo probetur, & sic omnia remanent obscuriora. Item nota, quod idem Dec. malè, & erroneè allegat Laur. de Rodulph. malè, quia allegat eum pro Hostien. & tamen tenet contra; erroneè, quia eum allegat in q. 33. vbi tamen de hoc non agit in libro meo, sed in q. 24. prout eum citaui hic supra sub num. 9.

13 Secundum, quia illa secunda confirmatio, adducta supra num. 6. quæ originaliter tribuitur Innocentio, non est vera secundum Hostien. in eodem cap. vlt. versus finem, ibi, quid si non erat hic venditurus. de vsur. vbi, telata prius sententia Innocentij, quem ibi appellat (dominum nostrum), subdit, illam rationem, quòd quo iure potest carius vendere ratione dubij temporis, eodem iure potest ratione dubij loci, non esse bonum simile, salua eius reuerentia; tum, quia inquit, non est verisimile, quòd aliquis talem emptionem faceret, nisi multum egeret, sicq; hac Innocentij opinione daretur via figmentis, & viderentur approbari vsurariorum baratte; tùm quia & laboris, & expensarum itineris ratio est habenda.

14 Tertium, quia hæc Innocenti opinio (attenta opinionum concordia, quam adducit Io. Andr. in d. cap. vlt. num. 7. vers. quid si non erat venditurus. quem sequuntur Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 31. num. 13. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. Salyc. in auth. ad hæc. sub num. 17. q. 20. C. de vsur. & in effectu Petr. de Anch. in cap. peccatum. q. 6. sub num. 11. ibi, quid è conuerso in futuro venditore. & ibi, ego credo contrarium. de reg. iur. in 6. & Io. de Anan. in d. cap. vlt. sub num. 14. 15. & 16.) non videtur vera, quando illa poma non emuntur pecunia præsenti, sed emuntur posticipata solutione.

Ergo sicut isto casu suspecta est venditio pomorum, eò quia illa præparatio ad vendendum maiori pretio in loco distanti, potest esse simulata ad augendum pretium, & ne, emens cum dilatione, videatur emisse maiori pretio propter illam dilationem, ideoq; hęc suspicio cessat, si emptio fieret pecunia præsenti, ita etiam & multò magis est suspectum interesse mutui, quia mutuator ad illud consequendum posset fingere præparationem ad negotiandum pecunias, ne mutuatarius videatur illud soluere propter mutui commoditatem.

15 Quartum, quia prædicta opinio Innocentij potest procedere solum vbi cessaret fraus, sup-

suppositа venditione cum dilatione temporis, secundum Abb. in d. cap. vlt. num. 15. vers. circa hoc. in fine, de vsur.

Ergo illicitum est mutuum, nisi appareat, quòd cesset fraus.

16 Quintum, quia lucrum cessans non debetur, nisi præcedat mora, seu culpa debitoris, vt latè secutus sum infra num. 100. vers. accedo. sed in mutuo, spontè facto, etiam de pecunia destinata ad negotiationem frugiferam, cessant mora, & culpa, vt argumentatur Nauar. in cap. si fœnerauerís. not. 15. sub num. 42. vers. quarto quod. in fine, 14. q. 3. pro quo argumento facit opinio, quam tenent Sot. Io. Bapt. Lup. & Archiepisc. Florent. & eam ex eis retuli infra num. 149.

17 Sextum, quia lex Euangelica, de qua supra q. 1. num. 401. & 405. in fine, præcipit simpliciter, vt ex mutuo nihil speretur, imò hoc idem præcipit ius naturale, quia esset vsura, quæ est contra ius naturale, vt dixi supra d. q. 1. num. 403. & 404. ergo impossibile est, vt is, qui mutuat, velit non solum sperare, sed pacisci de lucro cessante: debet enim aut non mutuare, aut, mutuando, debet abstinere etiam à lucro cessante, quia licet ab initio sit in eius potestate non mutuare, cum mutuum non sit de præcepto, per ea, quæ dixi supra; tamen, vbi mutuet, non est in eius potestate pacisci de lucro, per ea, quæ dixi d. num. 401. & ita dixerunt aliqui, vt refert Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquisit. q. 3. vers. secunda causa. col. 2. in fine, & 3. initio, fol. 318. & 319.

Pro hac opinione contra ampliationem adde, quæ retuli infra sub num. 177. vers. prima.

18 Quid dicendum in tanta quasi licentiosa varietate opinionum, conciliationum, & distinctionum, contentarum in adductis confirmationibus, & argumentis, quam varietatem volui fideliter, sed succinctè referre, vt cognoscere possimus, Doctores ita variè, voluntarijsq; coniecturis, concisè, perplexè, & obscurè locutos esse, vt eis, veluti testibus contrarijs, aut obstatiuè singularibus, quorum minus probant mille, quàm vnus, vt scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 9. sub num. 375. & 553. nulla possit adhiberi fides: etenim Hostien. citatus supra num. 4. in prima confirmatione, modo loquitur de mutuatario promittente quid certum lucri, modo loquitur de interesse, simpliciter debito ex mutuo, Innoc. citatus in primo argumento num. 9. contra Hostien. non loquitur in ijsdem prorsus terminis: rursus idem Innoc. citatus supra in 2. confirmat. sub num. 6. loquitur perplexè, & confusè, & Hostien. qui contra eum tenet, & alij, qui, conciliando, distinguunt, quos citauimus supra num. 13. 14. & 15. in 2. 3. & 4. argumento, confusionem non tollunt, sed distinctionum varietate multiplicant.

19 Non discedo ab ampliatione, tùm quia nititur validis rationibus, quas adduxi sup. num. 2. & 3. tùm quia illa simulatio, malitia, fraus, & suspicio, adductæ supra num. 10. contra ampliationem, (sit pace tantorum patrum dictum) sunt (saltem hodie) inuerisimiles; quis enim nostrum ignorat, innumera hodie, necessitate vrgente, esse inuenta commercia, & modos negotiandi suas pecunias, vt patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. num. 68. & seqq. qua commerciorum copia data, quis suæ pecuniæ fructum potius ex simulato, & vsurario mutuo, quàm ex licito commercio volet acquirere, præsertim cum debitum ex mutuo non sit magis securum, quàm debitum ex alio contractu?

20 Tota difficultas videtur remanere in sexto argumento, cui tamẽ facilè potest responderi, quòd sicut commodatum, dum gratis fit, est quidem commodatum, sed si fiat pretio, desinit esse commodatum, & transit in contractum licitæ locationis; similiter depositum si fiat pretio transit in contractum locationis, seu licitæ custodiæ; ita etiam mutuum, si gratis fiat, remanet mutuum, sed si fiat non gratis, transibit in aliam speciem contractus liciti, dummodo in eo adsit iustitia commutatiua, Io. Azot. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. q. 4. fol. 455. vel dic (& est idem) quòd lex Euangelica, & natura ipsa probibentes, ne ex mutuo accipiatur vltra sortem, respiciunt mutuum simplex, non autem mutuum, quod habeat qualitatem, quæ possit simplicis mutui naturam alterare, iuxta ea, quæ scripsi par. præced. num. 69. & 70. licet Medin. d. q. 3. vers. nec obstat. & seqq. fol. 320. & seqq. nulla adhibita consideratione, an eiusmodi mutuum assumat potius naturam alterius contractus, sed, insistendo in terminis puri mutui, & ad hoc pluribus adductis exemplis, & solutionibus ad contraria, prius adducta, latè ostendat, licitè ex mutuo exigi interesse damni emergentis, & lucri cessantis.

Neque aduersus responsionem hanc ob-

stat replicatio, quam faceret Molin. de iust. tom. 2 de contract. disput. 304. vers. illud in primis. col. 230. dicens, quòd mutuum in hoc est positum, vt detur aliquid ad vsum, quod datum fiat statim accipientis, qui restituat postea tantundem in specie, & bonitate, addens, quòd pactum, vt insuper aliquid reddatur, non destruit illud aliud, in quo mutui natura consistat.

21 Quia huic replicationi respondeo, distinguendo: aut illud aliquid vltra sortē, ex pacto restituendum, debetur propter verū interesse lucri cessantis, siue damni emergentis; & tunc Molin. non videtur benè locutus, quia tunc natura mutui transit in naturam contractus innominati, seu locationis, instar commodati, cui si adijciatur certa merces, transit in locationem, per ea, quæ scripsi hic supra, & latius par. præced. sub num. 70. & in hoc Molin. videretur sibi parum constitisse, cum alibi dixerit, lucrum cessans, & expensas deberi ex mutuo, non vi mutui, sed vi alterius iusti contractus, vt secutus sum par. præced. sub num. 74. aut non debetur propter verū interesse, & tunc denuo distinguo: aut supponimus, pactum esse contra substantiam, & formam mutui; & tunc vitiaret, & non vitiaretur, & sic faceret similiter, vt in præcedenti mēbro, contractum transire in aliam speciem, nempè, in contractum fœneratitium, & vsurarium, per ea, quæ scripsi infra ampl. 20. nu. 15. aut supponimus, præfatum pactum posse esse contra naturam mutui; & tunc benè loqueretur Molin. quia non vitiaret, sed vitiaretur, prout latius explicauit d. ampl. 20. num. 7. & 14.

Firmata ampliatione, quòd mutuatarius teneatur ex pacto ad interesse lucri cessantis, reliquum est, vt pro absoluta explicatione interusurij, & interesse procedamus ad subampliationes; siquidem materia est frequēs, & veluti refugium, & sacra anchora, ad quam mercatores sæpè confugiunt.

22 Retenta ergo ampliatione.

Subamplia primo eam, vt sicut quis potest mutuare sub interesse cambij, si verè ad faciendum cambium parauerat pecuniam, quam mutuauit, vt dixi sup. in ampliat. nu. 11. & seqq. & etiam sub interesse alterius negotiationis, pro qua verè pecuniam parauisset, vt dixi supra nu. 4. ita etiam possit fictè cambire, idest, dare cambio ficto, sub interesse cambij veri, si verè erat paratus dare cambio vero, vt in his terminis loquuntur Caiet. Nauar. Fabian. & Azor. quos secutus sum supra d. num. 1. in ampliatione, & par. seq. limit. 7. num. 3. & ratio est euidens, quia cambium fictum, seu siccum ea ratione damnatur, quia est mutuum; at hæc subampliatio procedit in mutuo: ergo nihil refert, quòd cambium sit siccum.

23 Subamplia secundo, vt præsertim procedat, quando mutuans, vt mutuet, extrahit pecunias à negotiatione, seu contractu, ex quo certum habebat lucrum, vt pura, quia illas pecunias tenebat super cambijs, & cum bonis debitoribus, & vt rem vtilem, & gratam faciat amico, qui rogat, eas sibi mutuo dari, extrahit à cambijs, & mutuat pro interesse, seu lucro non maiori, sed minori eo, quod habebat ex cambijs; & mutuatarius ex mutuo consequitur vtilitatem, quia se liberar à maiori interesse; nam, quicquid sit de illo articulo (quando mercator erat paratus ire ad nundinas, & mutuat, de quo articulo scripsi supra num. 4. in prima confirmatione, & num. 9. in primo argumento) articulus huius subampliationis est citra controuersiam, quia in illo articulo de mercatore, ituro ad nundinas, mercator non exposuerat pecunias in negotiatione; sed erat paratus exponere, & pactus est de lucro, quod in negotiatione forsan fecisset; at in casu huius subampliationis mercator, siue non mercator habebat pecunias, actu implicatas in cambijs, ex quibus maius lucrum percipiebat, quàm sit summa, quam deduxit in pactum cum mutuatario pro interesse lucri cessantis; †& diuersum sit iudicium inter actum,

24 & præparationem ad ipsum actum, per ea, quæ in alijs terminis notant Rip in rubr. nu. 11. cum pluribus seqq. de iudic. extra, latè Dec. Cagn. & alij in rubr. C. de eden. vnde, sicut in casu, quo mercator præparatas solum habet pecunias ad negotiandum, vrget suspicio fraudis vsurarum, cum facilè mercator possit fingere, se iturum ad nundinas, vt latius retuli supra num. 10. vers. ratio. ita per oppositum, quando eas habet iam implicatas, cessat suspicio fraudis, & cessat etiam illa incertitudo, an esset lucraturus, & demum magna debet esse differentia, an lucrum sit in potentia proxima, seu in actu, aut in potentia remota, vt post D. Thom. firmar Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 315. in fine, vers. D. Thom. & disput. seq. 316. initio, col. 276. & 277. & ob istas rationes, orta lite in casu huius subampliationis

inter

inter DD. Simonem, & Carolum ex vna, & D. Iacobū ex altera, omnes ab Auria, & Genuenses super summa scutorum 15. millium, quos Castellinus tenebat implicatos super cābijs, &, rogatus ab Odoardo, mutuauit eidem Odoardo cum pacto, quòd pro interesse teneretur soluere eidem Castellino scutos sex quolibet anno pro cētenario, Rot. diuers. decis. 331. sententiam. & decis. 372. domini censuerunt. in impressis Romæ 1615. quas citaui supra sub num. 4. causa ista per quinque vices proposita, præsertim lunæ 6. Iunij 1611. coram Illustrissimo Card. Lancellotto, & veneris 1. Martij 1613. coram R.P.D. Vbaldo, tenuit, contractum huius mutui non fuisse vsurarium, sed licitum.

Comprobatur hæc subampliatio, quia licet mutuator non possit pacisci de interesse lucri cessantis, ne facilè apetiatur via vsuris palliatis, tamen potest pacisci de interesse damni emergentis, quia in eo non ita facilè potest aperiri via fraudibus vsurarum, sed casus huius subampliationis est in pacto de interesse damni emergentis, ergo est licitus, Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 4. sub num. 2. 3. & seqq.

25 Subamplia tertio, vt in tantum debeatur interesse, tàm damni, quàm lucri, vt mutuator, & mutuatarius possint ab initio contractus mutui pacisci, & conuenire de certo interesse, fundato in verisimili quantitate, vt ex communi omnium sententia sequitur Nauar. in cap. si fœneraueris. not. 15. sub num. 42. vers. tertio inter. in fine, 14. quæst. 3. & pro hac subampliatione adde quos secutus sum infra sub num. 79. in tertio requisito.

26 Confirmatur hæc subampliatio, quia etsi fructus officij vacabilis in Curia Romana sint incerti, tamen officialis, qui accipit pecuniam in societate officij, solet promittere ad rationem duodecim pro centenario quolibet anno, quia verisimiliter ad eandem rationem officia reddunt, Castrac. tract. de societ. offic. cap. 3. sub num. 6. & 7. & cap. 4. sub num. 52. & latius in cap. 10. sub num. 7. & seqq. vers. mos & vsus. & ita inualuit vsus, & seruatur quotidie in societatibus officij, prout de hac consuetudine, & vsu testantur R.P.D. Acorambonus Rotæ Decanus in quodam suo voto impresso inter consilia Prosp. Farinacci cons. 15. num. 84. lib. 1. & Hieron. Gabr. quem secutus sum supra q. 1. num. 260.

27 Contra hanc subampliationem; quòd enim taxatio certi interesse ab initio sit illicita, tenent Socc. cons. 130. circa præsentem. sub num. 9. ibi, nam licet ille. lib. 4. Dec. in cap. 6. cum venerabilis. num. 64. ibi, taxatio verò & conuentio. de except. idem Dec. cons. 111. num. 5. vers. secundo quia, & num. 14 vers. secundo non obstat. cons. 116. in causa aloysij. sub num. 6. ibi, ista conclusio comprobatur. & cons. 119. num. 9. vers. quinto pro ista. & sub num. 10. vers. negari non potest. Cagn. in l. curabit. num. 54. vers. sed restat. & vers. & generaliter. & Ioan. Bapt. Lup. §. 6. num. 21. vers. quæritur etiam. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. Castrac. d. cap. 10. num. 3. & seqq. vsque ad num. 7. inclusiue, vers. non tamen. &, loquendo de interesse taxato in contractu societatis officij in casu solutæ societatis, & non restitutarum pecuniarum, Rot. diuers. decis. 192. circumscripta. num. 1. pat. 1. &, loquendo de interesse cambiorum, Rot. diuers. decis. 315. diu fuit. num. 7. pat. 2. Cæs. de Grass. decis. 1. nu 2. de vsur. ead. Rot. diuers. decis 331. sententiā. n. 1. vers. ex quibus. in Ianuen. pecuniaria, lunę 6. Iunij 1611 corā Illustriss. Card. Lancellotto. & decis. 372. domini censuerunt. nu 7. vers. circa secundum. in cadē causa, veneris 1. Martij 1613. coram R.P.D. Vbaldo, &. loquendo de interesse generaliter, & simpliciter, decis. 325. dubium erat. sub num. 1. vers. & in primis. coram eodem Illustrissimo Card. Lancellotto, in Lucana locationis, ven. 18. Martij, & 29. Aprilis 1611. inter impressas Romæ anno 1615. & ita tenent communiter omnes, moti ex doctrina Baldi in l. 11. rogasti. §. si tibi. col. 2. versus finem, vers. extra nota. ibi, quid ergo si mutuo. ff. si cert. pet. dum scribit, quòd si ego mutuo tibi decem, quæ tu promittis mihi reddere in nundinis, & casu, quo non reddas, promittis mihi quindecim, & ex nunc, prout ex tunc, confiteris tantum mea interesse, & motiuato prius, quòd talis promissio valeat, postea dicit, contrarium esse verum, quòd eiusmodi mutuatarij confessio de certa quantitate interesse non valeat, quia videtur fieri in fraudem, nisi probetur tale interesse per alias coniecturas; hancq; Baldi doctrinam sequuntur Io. de Anan in cap vlt. nauiganti. sub nu. 62. vers. quærit etiam ibi. de vsur. Alex. cons. 27. viso themate. versus finem, num. 11. lib. 4. Natt. cons. 417. communitas. num. 5 &

conſ.490. quamuis. num.4. Conar. var. reſolut. lib. 3. cap.4. ſub num.5. verſ.ſeptimo eadem. Dec. & Rot. in locis ſupra proximè citatis, & cum hac eadem doctrina concordant ea, quæ idem Bald. ſcribit in l. 15. cum allegas.num.6.in 4.oppoſitione,& num. 10.

28 verſ. ſed pone ſtatuto. C. de vſur. & ex doctrina Ant. de Butr. & aliorum, quos citaui infra ſub num.174. verſ.contrariam. dum ſcribunt,pactum,factum cum genero,vt donec ſibi ſoluatur dos, recipiat certos dena-

29 rios pro libra, eſſe illicitum: † & generaliter, quòd pœna, adiecta dationi quantitatis, præſumatur appoſita in fraudem vſurarum, & ob id non debeatur; vt pura, ſi non dederis centum, quæ mutuaui, promittis decem in ſingulos annos, ſecutus ſum infra

30 §.7.gl.2. num.46. extenſ.3. † & quòd cambium, taxato certo lucro in caſu, quo cambij ſolutio non ſequatur, ſit illicitum, & contra conſtitutionem Pij V. ſcribit Ioan. Azor. de inſtit. moral.par.3. lib.10.tit.de camb.cap.8.verſ.quarta conditio.& ſatis eſt expreſſum in ipſa conſtitutione, quam ad hoc retuli infra ſub num. 58. & num. 296. verſ. confirmatur ſecundo. & quòd pactum, appoſitum in contractu ſocietatis officij, vt, diſſdicta ſocietate, currant fructus, ſicut, durante ſocietate, loco damnorum, & intereſſe vſque ad integram ſatisfactionem ſortis principalis, non valeat, ſcribit Nauar. conſ.25. quæſtio prima. ſub num.4. verſ.ſecundo quod non valet. lib.5.tit. de vſur.& quòd hæc ſit communis, & magis communis opinio tàm Legiſtarum, quàm Canoniſtarum, & Theologorum, relatis etiam formalibus verbis Diui Thomæ in hac materia,teſtatur R.P.D.Acorambonus Rotæ Decanus in quodam ſuo voto, impreſſo inter conſilia Proſperi Farin. conſ. 15. ſub num. 84. 85. & 86. lib. 1. & ab hac opinione in effectu non recedit Caſtrac. tract. de ſociet. cap.43. num.4. & ſeqq.& ſub num. 10.

31 Ratio huius contrariæ ſententiæ eſt, tum quia intereſſe ſolet eſſe varium, & incertum, & propterea vniformis præſtatio non poteſt attendi, Natt.d.conſ.417.num.5. ſupra proximè citato, Rot. diuerſ. d. deciſ. 315. ſub num.6. verſ. quod idem. par. 2. tum quia ſi pro certa pecuniæ quantitate taxaretur certū intereſſe, vtique in taxatione conſideraretur quantitas pecuniæ,quæ ſemper eſt certa, & eadem,& non diceretur conſideratum intereſſe, cum ſit varium, & incertum, & conſequenter pecunia videretur parere pecuniam, vt, motiuando, adducit Cæſ. de Graſs.deciſ.1.num.2.de vſur.

32 Pro reſolutione diſtinguo duas ſpecies taxationis.

Prima ſpecies eſt, quando taxatio venit fundanda ſuper certo intereſſe,quod ſit correſpectiuum alicui certo lucro, vt in caſu ſecundæ ſubampliationis,poſitæ ſupra num. 23. ſeu ſit correſpectiuum fructui, quem creditor ex re, ſeu pecunia, quam debitori daret, ſeu crederet, certo perciperet, vt in caſibus,de quibus num.ſeqq. & in hac prima ſpecie concludo, veram eſſe ſubampliationem, vt taxatio de certo intereſſe poſſit fieri ab initio.

33 Infero primo, confirmando hanc concluſionem, quòd promiſſio certa, & taxata eſt licita, quando concurrit cum veriſimilitudine, & proportione fructuum, ita vt fructus veriſimiliter aſcendant ad intereſſe taxatum, Rot.diuerſ.deciſ.340.in quæſtione, ſub num. 2. par. 1. quare, ſi emptor rei fructiferæ, puta, prædij, promittat venditori ſoluere ei certam annuam quantitatem pecuniæ numeratæ pro intereſſe, donec ſoluat pretium rei emptæ, & illa annua ſolutio,taxata, ſit correſpectiua fructibus rei venditæ, vtique, concurrente iſta veriſimilitudine, & proportione, illa taxatio certi intereſſe vniformis habetur pro probata, & attenditur, vt ex pluribus refert, & ſequitur Cæſ. de Graſs.deciſ.1.alias 187.num.3.4.& 5.de vſur. quem Rot. Rom. ſequitur tàm in terminis huius illationis, iuxta l.curabit. C. de act.empt. quam in taxatione, habito reſpectu ad cambia, vt in Rot.diuerſ. deciſ.331. ſententiam.nu.5.verſ.ideo etiam. & nu.12. verſ. ex quibus non obſtant. in Ianuen. pecuniaria, lunæ 6.Iunij 1611.coram Illuſtriſſimo Card. Lancellotto,inter impreſſas Romæ 1615.

34 Nec obſtat, quòd etiam fructus modo ſint maiores, & modo minores, & ideo taxatio non poſſit eſſe vniformis,etiam habito reſpectu ad fructus.

Quia huic obiectioni ſatisfeci infra ſub num.241.

35 Subinfero, quòd ſi fructus rei venditæ à communiter accidentibus non ſoleat excedere quinque, vel ſex pro centenario, & tamen venditor, & emptor loco intereſſe, & pro recompenſatione fructuum taxauerint ad rationem decem pro centenario, & ita emptor

emptor venditori soluere promiserit; talis taxatio, vti nimis excessiua, & promissio non tenent, cum debeat fieri iuxta fructuum percipiendorum quantitatem, & non secundum rationem eius, quod interest venditoris, vt, reprobata sententia Pauli de Castr. sequitur Castrac. tract. de societ. offic. cap. 10. num. 13. in fine, 14. & seqq.

36 Restringe primo eandem illationẽ, eiusq; subillationem, de taxatione facienda, iuxta quantitatem fructuum percipiendorum, vt non procedat in contractu census, quia & si stabilia, super quibus imponitur, & venditur census, non soleant reddere vltra quinque pro centenario, ad hancque rationem taxari soleant fructus rerum stabilium, Rot. diuers. decis. 651. propofui. num. 2. par. 1. & ita communiter seruetur; tamen annuus census constituitur ad rationem sex, aut septem, vel octo, & quandoque vsque in decem pro centenario, & ita census constitui, & seruari scribunt Io. Bapt. Lup. in l. 2. §. 2. sub num. 60. C. de pact. int. empt. & vendit. comment. 2. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 130. Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 3. num. 50. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 21. vers. quarto quia. & vers. ad vltimum. & quòd census ad rationem octo pro centenario, & cum pacto retrouendendi quandocunque sit validè impositus, & sit licitus, & nullam contineat vsurariam prauitatem, tenuit Rot. diuers. decis. 19. fuit conclusum. coram R. P. D. Cantuccio, in Rom. nullitatis census. 4. Februar. 1583. in impressis Romæ 1615.

Ratio potest esse duplex.

Prima, quia contrahentibus licitum est se decipere vsque ad medietatem iusti pretij, vt secutus sum infra ampl. 10. num. 1. & 3. ergo reditus, qui valet quinque, potest emi, & vendi vsque in decem, quia non excedit medietatem iusti pretij.

37 Secunda ratio (& hæc videtur iustior) potest esse, quia, vendens censum, habet facultatem illum redimendi quandocunque, quæ facultas minuit pretium census venditi, vt referunt, & sequuntur Foller. tract. de censib. in verbo, vt vides. num. 6. vers. & est aduertendum. tom. 6. par. 2. fol. 149. Nauar. in man. confess. cap. 23. num. 86. vers. admonemus. & Io. Bapt. Lup. in d. l. 2. §. 3. num. 14. fol. 133. & communiter omnes in diuersis locis, quia grauamen illud, quod emptor sibi imponit iterato vendendi quoties alteri libuerit, est pecunia æstimabile, & ideo minoris emit, quàm si emeret in perpetuum, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 5. art. 3. col. 4. versus finem, in confirmatione, fol. 595. seu quia lex subrogat hanc facultatem redimẽdi, seu pactum retrouendendi in parte pretij, Franc. Zoannet. tract. de empt. & vendit. sub pact. retrouend. num. 80. vers. secundo illud. tom. 6. par. 1. fol. 72. & Franc. Solson. in lucer. laudem. cell. 10. sub num. 32. tom. 10. par. 2. fol. 225. col. 2. circa initium; & quod sit huius census redimibilis iustum pretium, late scribit, recitando varios diuersarum Prouinciarum vsus, Couar. var. resol. lib. 3. cap. 10. num. 2 & seqq. & quòd pactum de retrouendendo domum, faciat, domum non posse tanti æstimari, quanti si fuisset liberè vendita, quia illud pactum dicitur pars pretij, sequuntur latè Didac. Couar. d. cap. 10. num. 1. & Rot. diuers. decis. 746. in causa num. 5. in Rom. domus, ven. 15. Ianuarij 1588. coram R. P. D. Orano, inter impressas Lugduni 1612. fol. 411. & ampliatiuè etiam in terminis ad cap. ad nostram. de empt. & vend. Rot. diuers. decis. 240. domini steterunt. num. 2. & 3. vers. & in constituenda. & vers. ideoq; non obstat. coram Reuerendiss. Marchomontio, in Bononien. de Ballis, ven. 8. Iunij, 1607. in impressis Romæ 1615. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vendit. cap. 12. q. 3. vers. de hac. col. 659.

38 Et quòd res, quæ valet centum sine pacto retrouendendi, valeat solum septuaginta, si vendatur cum pacto retrouendendi, refert, & sequitur Tiraq. de retract. conuent. in præfat. num. 20. vers. quartum. & ex eo Franc. Soif. vbi sup. & quòd pactum de retrouendendo in perpetuum faciat, æstimationem minui paulò minus, quàm in tertia parte, sequitur Rot. diuers. d. decis. 746. sub num. 5. & quòd tale pactũ frequenter minuat quartam partem, vel ampliorem pretij, scribit Nauar. hic supra proximè citatus; & communiorem esse opinionem, quòd pretium possit decrescere vsque ad quartam partem, & non citra, ita vt res, quæ valeret simpliciter duodecim, cũ hoc pacto valeat nouem, scribit Io. Azor. in loco supra proximè citato, & quòd aliqui opinati sint, ob hanc pactionem, integram tertiam partem iusti pretij non esse diminuendam, sed paulò minus, vel saltem minuendam non esse vltra tertiam, aut vtcumque vtamur benigna æstimatione,

matione, quòd pactum redimendi annuos reditus non possit iustè diminuere reditus perpetui pretium vltra dimidiam eius partem, sequitur Couar. d. cap. 10. sub nu. 1. &, quòd onus, impositum rei, minuat pretium illius rei, dixi infra num. 154.

39 Ergo ille reditus annuus scutorũ septem, vel octo, qui, si liberè vẽderetur, valeret scutis centum quadraginta, potest ob facultatem, venditori concessam redimendi quandocunque, æstimari solum scutis centum, & consequenter iusta est taxatio, quamuis excedat reditum prædij.

40 E conuerso infertur, quòd res, vendita cum pacto eam redimendi ad emptoris libitum, pluris valebit, Couar. var. resol. lib. 3. cap. 9. sub nu. 3. vers. in hac denique. in fine.

41 Restringe secundo, vt non procedat in contractu societatis officij, quia etsi aliqua officia habeant fructus certos, & vniformes, qui nunquam ascendant ad 12. pro centenario, vt sunt officia equitum piorum, & liliorum, tamen societas contrahitur super dictis officijs ad rationem 12. pro centenario, vt secutus sum supra num. 26.

42 Nota primo obiter ex hac restrictione, illiusq; ratione, quòd iste stylus soluendi fructus ad rationem 12. pro centenario in societate officij, videtur sumptus ex ll. ciuilibus, quas citaui, & explicaui sup. q. 1. n. 288. Sed diffidet iste stylus ab illis ll. quia stylus nutrit lucrũ ex iusto societatis cõtractu, ll. verò illæ nutriebant lucrũ ex mutuo, & sic vsurã.

43 Nota secundo, quòd præfatæ ll. ciuiles, nauticum fœnus permittentes, non sunt à cap. nauiganti. de vsur. neque ab alia Pontificia lege sublatæ, Couar var resolut. lib. 3. cap. 2. sub num. 5. vers. secundo constat. & Io. Bapt. Lup. in d. cap. nauiganti. §. 1. idest post præfationem, num. 4. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 136.

44 Contra hoc notabile; quòd enim vsuræ nauticæ sint iure canonico prohibitæ, tenent Salyc. in auth. ad hæc. sub num. 25. in responsione ad quintum argumentum. C. de vsur. Stracch. tractat. de assecurat. in præfat. sub num. 26. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 359. &, quòd communiter receptum sit, vsuras nauticas esse prohibitas per ius Pontificium in d. cap. nauiganti. tam quoad forum exterius, quàm quo ad forum interius, scribit Nauar. in manual confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub num. 285. & quòd leges ciuiles, veram vsuram permittentes, essent iniquæ, ideoq; præter alia iura canonica meritò abrogatæ sint etiam per clemen. vnicam. de vsur. in Concil. Viennensi scribit Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 304. vers. erant verò iniquæ. col. 237. &, quòd prædictæ ll. ciuiles de fœnore nautico sint per d. cap. nauiganti. abrogatæ non quidem quatenus ratione periculi concedebant aliquid accipere, sed quatenus ratione etiam mutui incrementum aliquod permittebant, scribunt Nauar. in loco supra proximè citato, & idem Molin. disput. 318. in fine, col. 285.

45 Pro huius controuersi notabilis (quod attinet ad cap. nauiganti) maiori intelligentia reminisci oportet, quòd intellectus dicti cap. nauiganti. quo fœnus nauticum videtur prohibitum, sunt quinque.

Primus intellectus est, vt illius cap. prohibitio habeat locum, quando deficit probabile periculum, cuius causa iustè aliquid recipiatur, sed tamen vani periculi susceptio prætexitur, vt, hoc colore quæsito, creditor, qui nullum damni iustum metum habet, nec periculum aliquod verè subit, certus sit de lucro vltra sortem.

46 Secundus intellectus est, vt damnetur assecurationis contractus inter mutuatorem, & mutuatarium, quando pretium assecurationis est iniustum; secus si sit iustum, etiam si obligatio de ineundo contractum assecurationis cum ipso mutuatore præcesserit.

47 Hi duo intellectus, quos referunt Couar. d. cap. 2. sub num. 5. vers. primum equidem. & vers. tertio tamen. Stracch. vbi sup. in præfat. num. 27. Io. Baps. Lup. in d. §. 1. num. 1. 2. & 3. fol. 135. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 6. q. 3. vers. sequitur ex dictis. reijciuntur ab ijsdem in eisdem locis, & à cæteris communiter.

48 Tertius intellectus est, vt damnetur assecuratio, facta ex præcedenti obligatione; secus si sit facta libere; & iste est intellectus communis, quem latè retuli sup. q. 1. num. 498. in tertia confirmatione, vbi videas.

49 Quartus intellectus est, vt in d. cap. nauiganti. prohibeatur simpliciter mutuanti, ne assecuret mutuum, ita vt si assecurauerit, censeatur præsumptione iuris, & de iure vsurarius in foro exteriori sine aliqua distinctione; quem intellectum retuli sup. d. q. 1. num. 502.

50 Quintus intellectus, qui à præcedenti quarto videtur differre solum in ratione prohi-

probibitionis, est, vt Papa eo textu prohibuerit mutuatori, ne possit assecurationis contractum cum mutuatario inire, non ea ratione, qua mouetur quartus intellectus, videlicet, vt obuiet fraudibus vsurarum, nempe, simulationibus assecurationum, cum mutuator ea mutuaret intentione, quatenus mutuatarius initurus foret secum assecurationis contractum; sed prohibuerit hac alia ratione, quia ll. ciuiles de fœnore nautico, permittebant, assecurationis pretium augeri ratione mutui, quas ll. Papa in hoc voluit corrigere, vt ex Molin. retuli supra num. 44. in fine.

51 His intellectibus relatis, duæ colligendæ sunt resolutiones.

Prima resolutio est, quòd, si leges ciuiles, quæ permittebant vsuras, non essent alijs legibus sublatæ, virtualiter, & secundario satis sublatæ intelligerentur à constitutione pontificia in d. cap. nauiganti. vt patet ex allegatis sup. sub num. 44. & num. 50.

52 Secunda resolutio est, quòd constitutio dicti cap. nauiganti non fuit edita ad tollendas vsuras, à iure ciuili permissas, seu toleratas, quia vsura satis, & apertius est prohibita alijs iuribus, quæ citaui supra q. 1. num. 401. & vsurarum tolerantia satis est reuocata etiam ab eodem iure ciuili, vt scripsi infra ampl. 10. sub nu. 45. vers. aduerte secundo: neque fuit edita ad tollẽdas assecurationes, illarumq; pretium, quia assecuratio, cũ eius pretio, vti vtilis Reip. & licita, est omni iure permissa, vt secutus sum sup. q. 1. num. 129. & 130. sed fuit solum edita ad obuiandum, & tollendas vsurarum fraudes, quæ in mutuo sub fictis assecurationibus committebantur, & consequenter fuit edita ad abrogandas ll. de fœnore nautico, quia vna cum pretio periculi permittebant mutuatori, vt aliquid exigeret, etiam ratione mutui, vt retuli sup. num. 44. in fine.

Reliqua nonnulla pertinentia ad materiam huius notabilis, vide supra q. 1. num. 493. & seqq. in 7. casu.

53 Nota tertio, quòd vsura nautica duodecim pro centenario, qua maior in iure ciuili non permittitur, dicitur vsura centesima, l. nihil interest. ff. de naut. fœn. & dicitur centesima, quia quolibet mense soluitur vnum pro centenario, sicq; in anno, qui duodecim constat mensibus, soluuntur duodecim pro centenario, & in centesimo mense soluuntur centum, quæ faciunt totum capitale, vnde centũ nũmi pariunt duodenos nũmos annuos fœnoris, singulos verò menstruos, & consequenter vsura in centesimo mense, quo explentur anni octo, & menses quatuor, adæquat sortem, Hier. Groslot. in l. lecta, initio, & num. 5. 8. 20. & 25. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 117. & 118. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. vers. permissio autem, col. 15. fol. 531. Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 14. not. 8. 14. q. 3. Io. Bapt. Lup. in l. curabit. comment. 1. §. 3. num. 21. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 116. Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. num. 19. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. q. 3. vers. sed re vera. & latè etiam Stracch. tract. de assecurat. in præfat. num. 18. & seqq. vers. vsura autem centesima. tom. 6. par. 1. fol. 358.

Quicquid in hoc decepti scribant Gl. 1. in cap. 2. quoniam. dist. 47. & Calder. in cap. nauiganti. sub num. 7. de vsur. dicentes, quòd vsura centesima in anno æquatur sorti, Accur. Azor. & Io. de Turrecr. quos impugnatiuè citant Stracch. d. num. 18. & Lup. d. §. 3. num. 30.

Hæc nautica vsura, seu nauticum fœnus ita graue, ascendens ad 12. pro centenario, concedebatur solum pro suscepto periculo pecuniæ traiectitiæ, vt dixi supra q. 1. num. 288. sed pro alijs commercijs minus graue permittebatur fœnus: nam mercatori, seu negotiatori non permittebantur, nisi vsuræ besses, idest, octo pro centenario, alijs verò indifferenter permittebantur semisses, idest, sex pro centenario, & in contractibus Illustrium virorum trientes, idest, quatuor pro centenario fuerunt taxatæ, l. 26. eos. §. super vsurarum. C. de vsur. Et ab hac centesima, quæ erat as, denominantur reliquæ vsuræ, nempe, vsura deunx, quæ est vndecim pro centenario, dextãs, decem, dodrans, nouem, bes, octo, septunx, septem, semis, sex, quincunx, quinque, triens, quatuor, quadrans, tria, sextans, duo, vncia, vnum, vt refert, & sequitur Boninf. d. cap. 3. sub num. 18. & 19. hæ enim sunt partes libræ, vt scripsi §. seq. gl. 3. sub num. 33. de quibus vsuræ speciebus scribunt etiam Hier. Groslot. d. l. lecta. num. 3. nempe de semisse, num. 25. 26. & 28. de quincunce, eod. num. 28. de triente, nu. 29. de bessali, nu. 34. de vnciaria, & semiunciaria. num. 33. & Lup. d. §. 3. num. 20. vbi de vsura menstrua, & de besse, & alijs, num. 24. & seqq.

Infero

54 Infero secundo, confirmando eandem conclusionem, positam supra num. 32. quòd si quis, vt mutuet, accipit ab alio sub vsuris, vel minoris vendit agrum, & quid simile; potest statim licitè pacisci de damno, quia est præsens, & certum, Card. Tolet. tract. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 32. nu. 4. vers. vno modo. quare si quis vt mutuet accipit à iudæo sub vsuris, dato pignore, potest obligare mutuatarium ad soluendum 18. pro centenario in anno: item si mutuans erat paratus extinguere censum, vt in casu, quem secutus sum infra num. 276. tunc nulli dubium, quòd taxatio tenet, & est iuridica, ex quò damni emergentis quantitas est omnino certa.

Extende nunc eandem conclusionem, positam supra num. 32. de validitate taxationis, vt procedat non solum in foro fori, vt hucusque videmur locuti, sed etiam, & multò magis in foro conscientiæ, dummodo taxatio careat dolo, & fraude, per ea, quæ dixi infra sub num. 61. declar. 2.

Et hæc de prima specie taxationis, posita sup. num. 32. accedamus ad secundam.

55 Secunda species est, quando taxatio fundaretur super incerto, & vario interesse, habito respectu ad quantitatem pecuniæ creditæ; & in hac secunda specie concludo, veram esse opinionem, de qua supra num. 27. contra subampliationem, vt taxatio certi interesse ab initio sit illicita.

56 Infero ex hac conclusione, (& inferendo confirmo eam) quòd isto casu confessio partis non probat, quia est suspecta de simulatione, & fraude vsurarum, Bal. & Ioan. de Anan. qui eum sequitur de verbo ad verbum in locis citatis sup. sub d. num. 27. Dec. cons. 119. num. 9. versus finem, ibi, quia videtur facta. Matth. Coler. tract. de processs. execut. par. 1. cap. 10. num. 96. Rot. diuers. decis. 325. num. 3. vers. quod procedit. in Lucan. locationis, & decis. 331. sententiã. nu. 1. vers. ex quibus. & num. 3. vers. nihilominus. in Ianuen. pecuniaria, coram Illustrissimo Card. Lancellotto; etiam si confessio sit iurata, ead. Rot. diuers. decis. 372. domini censuerunt. sub nu. 8. vers. tamen. in ead. causa, veneri. 1. Martij 1613. coram R.P.D. Vbaldo, inter impressas Romæ 1615. & etiam si sit confessio vtriusque partis, & rationem reddat, vt puta, quia asseruerint, quòd ille creditor, requisitus à multis, destinauerat illas pecunias conuertere in censibus, & si in eis conuertisset, habuisset summam illius interesse, quam ipsi taxarunt, quia adhuc taxatio reijceretur, Rot. d. decis. 325. num. 3. vers. quod procedit.

57 Declara primo eandem conclusionem, vt quamuis taxatio certi interesse, facta ab initio inter partes, & confessio super quantitate interesse non probent, & non sint attendendæ, tamen si illa taxatio, seu confessio interesse aliunde probetur, vtique illud interesse vsque ad quantitatem probatam erit debitum, Bal. in l. 11. rogasti. §. si tibi. ibi, nisi probetur tale interesse, &c. ff. si cert. pet. Ioan. de Anan. in cap. fin. sub num. 62. vers. quærit etiam. de vsur. Dec. cons. 111. propè finem, sub num. 14. vers. secundo non obstat. & latius cons. 119. num. 10. in fine, & sub nu. 11. vers. vnde ipse concludit. Cagn. in l. 1. sub nu. 51. C. de sent. quæ pro eo, &c. Matth. Coler. de processs. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 95. & Rot. diuers. dictis decis. 331. num. 4. vers. amplius. & decis. 372. num. 8. vers. tamen. & quòd taxatio certi lucri, quamuis à principio fuerit illicita, attamen per probationem postmodum subsecutam sustineatur in vim probationis, ex communi Theologorum, & Iurisconsultorum opinione scribit, & sequitur Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. sub num. 26. vers. & quod dictum est. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. & quòd taxatio lucri in casu non

58 solutionis cambij, prohibita in constitutione Pij V. restringatur ad taxationem, quam facerent campsor, & campsuarius, & non comprehendat taxationem, faciendam à iudice, & ideò, prout veniet facienda à iudice, seu arbitrio boni viri, possit deduci in pactum, scribit tàm in contractu census, quàm in contractu cambij Io. Azor. quem secutus sum infra num. 294. & 296. vers. declara. & vers. confirmatur secundo.

59 Infero primo ex hac declaratione, quòd in hac iustitia commutatiua, vt cuique ius suum tribuatur, vtile per inutile non vitiatur, l. 15. cum allegas. & ibi Bal. sub num. 1. in 3. & vlt. not. C. de vsur. & ideo licet non debeatur interesse, taxatum à partibus, seu interesse, quod debitor confessus est in contractu debiti, tamen debetur, si fuerit aliter probatum, seu debetur totùm illud, quod erit probatum, per ea, quæ secutus sum supra num. 57.

Confirmatur hæc illatio ex his, quæ secutus sum infra ampl. 20. num. 6. & seqq. & §. seq. gl. 7. num. 34. & 35. vbi videas.

Infero

60 Infero secundò, quòd superfluitas, seu illicitum non vitiant licitum, sed ipsa vitiantur, ideoque illicita interesse taxatio, facta à partibus, habetur pro non facta, Crauet. consf. 189. quando fœmina. sub num 8. vers. circa secundum, dicens, quòd taxatio non reddit contractum illicitum, sed reddit illicitam exactionem, & ideo, inquit, si creditor non exigat, quantum est taxatum, sed quantum sua interfuit, contractus non erit illicitus, sed taxatio habebitur pro non facta, vnde non obseruabitur, Surd.consf.327. rota lucensis. sub nu.55.lib.3.dicens, quòd etsi pactio de certo interesse ab initio non iustificetur, tamen, si iudici illud interesse conuentum, vel aliud minoris summæ videretur deberi, poterit creditor illud exigere, non tanquam conuentum, sed tanquam verè debitū, Rot.diuers. in Ianuen.pecuniaria, in sæpe supra citatis decis. 331. sententiam. nu.4.vers. amplius. & in fine decisionis, coram Illustrissimo Card.Lancellotto, sequens ex Crauet. supra citato, quòd taxatio certi lucri non reddit contractum illicitum, sed exactio, & decis. 372. num. 8. vers. tamen. coram R. P.D. Vbaldo, inter impressas Romæ 1615. dicens, quòd taxatio per se non vitiat contractum, sed ipsa vitiatur, & redditur inefficax, & superflua, cum totum pendeat à probationibus, postea faciendis, ideoque, inquit, videtur habere implicitam conditionem, si probetur, ad tantam summam ascendere interesse taxatum, sicut, inquit, in simili videmus, quòd confessio illorū, quibus de iure non creditur, minime vitiat contractū, quia superfluitas regulariter non vitiat.

Confirmatur hæc illatio in eo, quod dicimus, superfluitatem non vitiare, sed vitiari, quia, licet in censu apponatur aliquod pactum iniustum, tamen illud non vitiat censum, sed vitiatur, vt patet ex his, quæ scripsi infra ampliat.20. num.9.& seqq.confirm.1.

61 Subdeclara eandem declarationem positam supra num.57.vt probatio interesse taxati, vel non taxati, possit fieri etiam per coniecturas, vt ex Bal.Couar.& alijs secutus sum infra num.241.

Declara secundo eandem conclusionem, positam supra num. 55. vt procedat in foro fori, quia ius humanum, prohibendo taxationem, mouetur propter suspicionem fraudis, & ad eam remouendam; & ita procedunt, quæ scripsi supra nu. 27. hæcq; prohibitio tenet etiam in casu particulari, in quo cessaret fraus, per ea, quæ dixi sup. q. 1. num. 507.& 508.& sub num. 531. corrobor.2.q.5. nu.100.in fine, & infra ampl.19. sub num.2.

Secus est in foro conscientiæ, quod respicit non suspicionem, & occasionem fraudis, sed respicit veritatem, & sic dolum, & fraudem re ipsa, per ea, quæ scripsi d. q. 1. num. 529.& sub d. num. 531. corrobor. 2. & d.q.5.sub num.100.vers.primum.in fine, & infra ampliat.19. num.13.36.& 37. quare, cessante dolo, & fraude, tenet taxatio, prout declaraui infra sub nu.79. & ita procedit, quod scripsi supra num.25. hancq; totam declarationem cum ratione differentiæ habes etiam infra num. 71. & 72. extens.4. & 5. & sub num.95.vers.infero.

Et hæc de tertia subampliatione, posita supra num.25. transeamus ad alias.

62 Subamplia quarto, vt mutuator possit pacisci nō solum de interesse præsenti, idest, omnino proximo tempore mutui, vt in casu huius octauæ ampliationis, de quo supra num. 1.& in casu magis claro, posito supra num.23. sed possit etiam pacisci de interesse non ita proximo, quia Doct. quos secutus sum supra num.4.& 6.in 1. & 2. confirmat. dum scribunt, licitum esse mutuum cum pacto, quòd mutuatarius teneatur mutuatori ad interesse lucri cessantis, nullam faciunt vim in hoc, quòd interesse esset magis, vel minus proximum, & stante hoc pacto, mutuatarius tenebitur ad interesse sine alia mora, dummodo verè postea constet de interesse, quod mutuator passus est propter illud mutuum; & ita tenent virtualiter ij, quos citaui infra num.178.in 2. opin. quam secutus sum infra num.183. versus finem.

63 Confirmatur hæc subampliatio, quia in interesse, siue cito, siue tardè veniat, semper inest eadem iustitia, vt quandocunque euenerit, debeat emendari, si ex pacto, vel ex mora debeatur, & nulla potest excogitari ratio, vt debeat emendari, quod est proximum, & non quod est remotum.

64 Contra hanc subampliationem possent adduci ea, quæ argumentando scripsi supra num.9.& seqq.& virtualiter tenent ij, quos citaui infra sub num. 177. in prima opinione, & Boninf. quem citaui supra num.24.in fine, vers.comprobatur.

65 Pro clara huius subampliationis, eiusque materiæ resolutione, & intelligentia distinguo duplex genus mutui.

Primum est mutuum cū pacto de emen-

dando

dando interesse totum, & quantum mutuator ob mutuum passus erit: & in hoc genere concludo, subampliationem esse veram, tùm per ea, quæ dixi in ipsa subampliatione; tùm quia etsi in interesse remoto insit maior suspicio, & præsumptio fraudis vsurarum, tamen subampliatio loquitur, quando interesse clarè probatur, & in claris cessant suspiciones, & coniecturæ fraudis.

66 Extende primo hanc conclusionem, vt habeat locum in mutuo voluntario, quia etsi hæc extensio fit multum controuersa, vt patet ex pugnantibus opinionibus, quas adduxi infra num. 177. & seqq. tamen verior visa nobis est opinio, quòd interesse promissum debeatur etiam in mutuo voluntario, & facit pro hac extensione, quod scripsi infra num. 88.

67 Subextende hanc extensionem, vt præcipuè habeat locum quoad interesse damni emergentis, per ea, quæ scripsi infra n. 181.

68 Extende secundo, vt multò magis habeat locum in mutuo coacto, quia in eo maior inest ratio, vt interesse debeatur, tùm quia in mutuatore coacto excluditur mutuandi voluntas, quæ est primum instrumentum ad committendam fraudem vsurarum, & ad omnes actus; tùm quia mutuatarius, qui per vim extorquet mutuum, semper est in mora, per ea, quæ scripsi infra sub nu. 114. vers. ratio. & n. 117. & mutuator tūc quasi rapinæ iniuriam patitur, vt dicunt ij, quos citaui infra num. 93. ideoque mutuatarium coactum teneri ad interesse sine alia mora, secu-

69 tus sum infra d. num. 114. † Licet enim vis, seu coactio non possint legitimare vsuram, Nauar. quem secutus sum sup. q. 1. nu. 468. & infra num. 93. imò nec quiduis aliud possit facere, quòd vsura sit licita, tamen nos hoc non contendimus, sed dicimus, quòd à vi, seu coactione inducitur mora, quæ obligat ad interesse, etiam non conuentum.

70 Extende tertio, vt procedat, siue mutuator sit mercator, siue non, quia quisquis sit, probato pacto, & liquidato interesse, semper eadem iustitia exigit, vt soluatur, nulla habita distinctione personæ mutuantis; qualitas enim mercaturæ, & negotiationis in mutuatore operaretur ad præsumendum interesse pro pecunia mutuata, sed nos supponimus interesse clarè probatum.

71 Extende quarto, vt habeat locum in foro exteriori, quia in eo seruari debet lex positiua, etiam si disponeret ex præsumptionibus, per ea, quæ remissiue scripsi sup. sub nu. 61. vers. declara secundo. sed lex positiua disponit, seruari pacta, bancq; dispositionem nullibi limitat in pacto de soluendo interesse mutui; quare secundum veriorem Doctorum opinionem, quam secutus sum supra num. 1. & seqq. interesse debetur etiam in mutuo, quando ita in eo est conuentum.

72 Extende quinto, vt multò magis habeat locum in foro interiori, quia in eo procederet, etiā si lex positiua irritasset hoc pactum; & ratio est, quia lex positiua mota esset ex præsumpta fraude simulati interesse, cum alias, si ita disponeret etiam super vero interesse, esset iniusta, & irrationalis; & quando lex positiua disponit ex præsumptionibus, tunc, si veritas sit in contrarium, non seruatur in foro interiori, per ea, quæ secutus sum supra q. 1. sub num. 213. vers. sed lex. & in locis ibi citatis; sed seruatur lex Dei, quæ mandat, vt mutuatarius teneatur ad interesse conuentum, vt secutus sum infra num. 96.

73 Secundum genus est mutuum cum pacto de soluendo certam quantitatem interesse, ita vt possit ex forte contingere, quòd taxatio sit lucrosa mutuatori, & damnosa mutuatario, quia taxatio fit maior interesse; & è contra sit lucrosa mutuatario, & damnosa mutuatori, quia sit longè minor, quàm interesse: & in hoc genere distinguo inter forum, & forum.

Aut enim loquimur in foro exteriori: & concludo, taxationē regulariter esse illicitā, per ea, quæ secutus sum sup. nu. 27. & seqq. vbi explicaui, & ad illic dicta me remitto.

74 Declara notabiliter hanc conclusionem, vt sit seruanda contra mutuatorem in fauorem mutuatarij, quia licet mutuatarius conuenerit de soluendo decem pro interesse, tamen, si mutuator probet solum interesse vsque in sex, non poterit exigere, nisi sex; secus contra mutuatarium, quia mutuator non poterit ab eo exigere vltra quantitatem promissam, etiam si probaret, quòd interesse eā excederit; ratio diuersitatis est, tùm quia debitor in decem potest stipulari, vt teneatur solùm ad nouem, sed creditor in nouem non potest stipulari, vt debitor teneatur ad decem, per ea, quæ scripsi supra q. 1. sub num. 245. vers. sed si constitutio. & in locis ibi citatis; tùm quia vsurarum fraus, cui lex volt obuiare, consideratur semper in solutione interesse, & sic quò maius est interesse, eò magis lex debet cauere.

Aut

75 Aut loquimur in foro interiori;& concludo contrarium, nempe, taxationem esse seruandam, per ea, quæ scripsi infra sub num. 79.

76 Declara primo hanc conclusionem, vt procedat, seruatis quibusdam conditionibus, de quibus Doctores, præsertim Theologi, variè, confusè, & discordes scripserunt; nam Conrad. de contract. q. 30. concl. 1. qui videtur antesignanus in istis conditionibus, præmissis quatuor suppositionibus, colligit septem, seu octo requisita, seu conditiones, quarum septem sunt cōmunes damno emergenti, & lucro cessanti, & octaua est particularis in lucro cessante, quibus conditionibus seruatis, concludit, mutuanti licitum esse aliquid exigere à mutuatario, sed hanc conclusionem firmat cum formidine, & timore, tradens propterea in fine documentum abstinendi ab eiusmodi mutuatione; hasq; septem conditiones, seu requisita recensent ex eo Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 3. col. 13. vers. conditiones. fol. 324. & Rebuff. in l. vnica, in præfat. num. 24. alibi inter Repeten. nu. 12. vers. & ex mutuo C. de sent. quę pro eo, &c. Verum Medin. d. q. 3. vers. est ergo. & seqq. fol. 329. colligit octo requisita, & Rebuff. in d. l. vnica, num. 594. alibi in gl. vlt. num. 14. colligit quinque tantum: Nauar. etiam, Mich. Sal. Card. Tolet. & Io. Azor. infra citati, non conueniunt; nam Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 212. vers. in decimosexto. & in cap. si fœneraueris. not. 16. nu. 53. & 54. 14. q. 3. colligit nouem conditiones, quarum multas reijcit. sed Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 8. num. 14. 15. & 16. tom. 2. fol. 250. loquens de pacto super damno emergenti, colligit sex conditiones, & deinde contr. 9. num. 26. fol. 270. & seqq. agens de pacto lucri cessantis, recenset easdem septē conditiones, traditas à Conrad. & alias vsque in duodecim. demū Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 32. de caus. propt. quas, &c. vers. secundo etiam. & cap. 33. de lucro cessante, & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 5. not. 2. il 1. & seqq. pauciora videntur colligere requisita; & proinde plures videntur sententiæ, quàm capita: & ex tanta eorum discrepantia videtur in hoc articulo cuique licuisse propriam habere opinionem: nam discrepant in primis, quia vnus reprehendit conditiones, allatas ab altero; siquidem Medin. conatur sigillatim mordere omnes conditiones, quas tradit Conrad. & earum multas etiam reijcit Nauar. vt notabimus inferius; & discrepant etiam, vt dixi, in constituendo earū numero, & vnus ponit vnum requisitum, & alius aliud, adeo quòd ex omnium sparsim dictis colligo decem, & septem requisita.

77 † Primum requisitum est, vt damnum verè emergat, & non fictè, quia, si ex parte rei verè non esset, & mutuator illud simularet, & exigeret, esset vsura, Conrad. vbi supra in primo requisito, & sub alijs verbis Nauar. vbi sup. in 2. conditione, dicens, interesse debere esse verum, & hoc requisitum esse de mente omnium: & in foro fori est certissimum, per ea, quæ secutus sum infra num. 292. & infra §. 7. gl. 2. num. 73. vers. in prima. huiusque requisiti rationem latè reddit, ponendo etiam casus, Mich. Sal. d. contr. 9. num. 26. & 27. in prima conditione, fol. 270. tom. 2. sed in foro interiori vide quæ scripsi infra sub nu. 79. in 3. requis.

78 † Secundum requisitum est, vt istud interesse emergat ex illo mutuo, Medin. d. q. 3. vers. primum. in quarto requisito, fol. 329. & non ob aliam causam, puta, ob propriam negligentiam, vel incuriam, vel malitiam, Conrad. in 4. requisito, Mich. Sal. d. q. 78. art. 2. contr. 8. sub num. 14. vers. quarta conditio. & num. 15. vers. sequitur secundo. tom. 2. fol. 251. & d. contr. 9. sub nu. 27. in secunda conditione, fol. 271. & sub alijs verbis Card. Tolet. d. cap. 32. num. 3. vers. secundo etiam. in fine, declarans, ex mutuo procedere, quando, nisi mutuator mutuasset, damnum non fuisset, seu lucrum non cessasset; & in hoc requisito concordant omnes, Nauar. vbi supra, in tertia conditione, dicens, quòd mutuatio, vel non solutio debet esse causa amissionis lucri, declarans, mutuationem non esse causam cessationis lucri, quando mutuans habet aliam pecuniam, qua potest negotiari, hæcq; declaratio est etiam Card. Toleti de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 33. de lucro cessante, sub num. 1. in secunda conditione, quæ tamen declaratio non procedit, si aliam pecuniam, quam habet, destinasset ad alios fines, veluti ad fortuitas necessitates, nolletq; negotiationi committere, Nauar. vbi supra, & Io. Azor. d. cap. 5. not. 2. il 1. qui loquitur simplicius, & minus strictè, dicens, posse lucrum exigi ex pecunia mutuata, si erat parata negotiationi, etiam si mutuator habeat aliam pecuniam otiosam, quia

quia mutuator non tenetur hanc paratam extrahere à negotiatione, vel mutuare otiosam, & Mich.Sal.d.controu.9.sub num.27. vers.dixi autem. fol.271.dicens, quòd omnes recentiores in hoc subscribunt Nauarro vbi sup.quia pecunia, parata necessitati domesticæ, & imminenti, non dicitur otiosa: sed idem Azor.d.cap.5.vers.quæres deinde. & Mich.Sal.d.contr.9. sub nu.26. in 3. conditione, in fine, vers. ad hanc. fol. 272. restringunt hanc declarationem, vt si mutuator post mutuatam pecuniam, quam parauerat negotiationi, mutauerit animum negotiandi illam pecuniam, ex tunc, quando mutat animũ, non possit pro tempore futuro prætendere lucrum cessans, durante animo mutato. † Tertium, quòd exactum non excedat damnum, Conrad.in secundo requisito, Mich.Sal.d.contr.8.vers.tertia conditio. fol.251. & hoc similiter omnes, vel expressè dicunt, vel supponunt, vt patet infra num. 86. Verum pro declaratione duo aduertenda sunt: Primum, quòd si inter mutuatorem, & mutuatarium non est taxatum certum interesse; hoc requisitum nullam admittit difficultatem; secus si periculum damni imminebat, & illud fuerit iusto pretio inter eos taxatum;quia tunc,sicut damnum potest excedere interesse taxatum, & tamen mutuatarius tenetur solum ad taxatum; ita etiam è conuerso, si interesse taxatum excederet damnum, ad taxatum tamen debet teneri, cum vterque æquè se exposuerit fortunæ, prout dicimus in contractu assecurationis, Medin.d.q.3. vers.& in hoc. & vers. secunda. fol. 325. & 326.Card. Tolet. de instruct.sacerd. lib.5. cap.32. sub num.4. vers.vno modo.& latius,testando,hanc sententiam esse probabiliorem, & magis receptam tàm inter Doct.quàm in scholis,Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.q.78. art.2. controu.8. sub num.14. vers. secunda est. & seqq. tom. 2. fol.250. quod secutus sum etiã inf. sub n. 95.vers.infero.Secũdo aduertendũ est,quòd ista taxatio potest procedere in foro interiori; secus in foro exteriori, vt declaraui sup. nu.61. declar.2. † Quartum,quòd mercator potius expetat, suam pecuniam negotiatione, quàm mutuo augere,seu,quòd mutuans maluisset,sibi sortem retinuisse, & sic vitasse damnum emergens, quàm mutuare, & sic recipere aliquid vltra sortem, Conrad. in 3. requisito, & per alia verba Rebuff. in d. gl.vlt.sub num. 14.in 2. requisito,dicens requiri, quòd creditor non habuerit intentionem lucrandi per hanc viam, sed per viam alterius contractus frugiferi: sed à Conrad. discedit aliquãtulũ Medin. d.q.3. vers.tertia conditio.dicens, non esse necessarium, quòd expeteret potius pecuniã sub incerto lucro negotiari, quàm sub aliquo certo mutuare, sed satis est, inquit, data ei præfata optione, esse in æqua lance, vt non magis vnũ,quàm alterũ optet,quod repetit etiam postea,vers. primũ quod.in 3.requisito,fol.329.col.2.at Sot.de iust.& iur.lib.6.q.1. art. 3.post quartam conclusionem, col. antepenult. ibi, circumuallant enim. fol. 544. Nauar. vbi sup. sub nu.53.in prima conditione, & Io. Azor. d.cap.5.vers.quæres an præterea.longius discedentes,reijciunt hoc requisitum,& aiunt, non esse necessariũ; quia iustum & iniustum, non in bonitate. aut prauitate animorum,& intentionum, sed in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate consistit. † Quintum, quòd mutuum fuerit consilij, & non præcepti, quia si mutuatarius sit in tanta, extremaq; necessitate, vt mutuator teneatur ex præcepto charitatis illi subuenire, non debet ex illo mutuo exigere damnum passum, vel lucrum cessans, Conrad. in 5. requis.& per alia verba Rebuff.in d. gl. vlt. sub num.14.in 4.requisito, dicens, requiri, quòd ille, cui mutuatur,non sit in tam arcta necessitate,& mutuator in tanta opulentia, vt gratis ei mutuare teneatur: hoc requisitum impugnant Medin.d.q.3. vers.quinta conditio.& seqq.fol.326.& 327.Nauar. vbi sup. in 6.conditione,& Mich.Sal.ad D.Tho. 2.2.q.78 contr.8.sub num.15. vers.apponit & hanc.tom.2. fol.252.inquit Nauar. hanc non extremam egestatem non esse necessariam,quia,etiam si sit extrema, non tenetur ex præcepto illi gratis subuenire, imò, inquit, satisfacit,mutuando,vt,cum potuerit, soluat; & mutuare sine interesse, esse donare;& idem sequitur Io. Azor. d. cap.5.vers. quæres etiam. quod exemplis ostendit Medin.d.q.3. vers.tertio videtur. fol. 327. Verum possunt distinctione concordari: aut enim necessitas,seu egestas est talis,vt exigat non mutuũ,sed eleemosynam, vt puta, quia egens fame pereat; & tunc benè loquitur Conrad. per ea, quæ scripsi par. præcedenti sub num.72.aut necessitas non est eiusmodi, vt puta, quia diues ad saluandas merces, vel ad reparandam domum, quæ imminentem minatur ruinam, indiget,vt sibi mutuentur

scuti

scuti 200. & tunc benè loquuntur Medin.& 82 alij. † Sextum, quod exactio non infamet, nec scandalizet aliquem, Conrad. in 6. requisito, sed Nauar. in 7. conditione admittit istud requisitum, quoad euitandum peccatum scandali, non tamen ad euitandam vsuram, quia vsura non oritur ex scandalo, sed ex iniustitia, quod idem per alia verba dixerat Medin.d.q.3.col.14. vers.conditiones. in 6. conditione, fol. 324. & vers. primum quod. in postremo requisito, fol.329.

83 † Septimum, quòd iam passus fuerit interesse, quia pro eo, quod non est passus, non potest agere, Conrad. in 7. requisito, & per alia verba Nauar. in 5. conditione, dicens, quòd nō debet recipere interesse priusquam constet, quòd verisimiliter lucratus fuisset, & Card. Tolet. d.cap.33. num.1. in fine, in 3. conditione, dicens, lucrum debere esse probabile, quia non sufficit, posse esse lucrum, sed oportet, probabiles esse rationes, & coniecturas, ipsum futurum esse, si fiat negotiatio; & in hanc sententiam possunt cumulari, quæ secutus sum infra num. 225. in 2. opinione, & num. 241. & in hoc etiam vel expresè, vel ex supposito conueniunt omnes, & in fortioribus terminis patet infra num. 87. ex vndecimo requisito, & licet Medin.d.q.3. vers.septima conditio. fol. 327. non desinat tentare etiam ab ea discedere, tamen postea vers. verum quicquid. fol.328. & vers. primum quod. in 6. requi- 84 sito. fol. 329. col. 2. eam sequitur. † Octauum, quòd mutuator non sit vsuris assuetus, quia ex tali consuetudine præsumeretur voluntas exercendi vsuras, & pro hoc requisito facit, quod scripsi supra sub nu. 4. hocq; requisitum excitat, & iure destruit Nauar. in 4. conditione, sub num.54. dicens, in foro conscientiæ veritatem præualere præsum- ptioni, & ideo in eo foro necessarium non

85 esse. † Nonum, vt causa principalis mutuandi sit subsidium necessitatis vitæ, salutis, honoris, aut bonorum proximi, hocque etiam requisitum excitat, & reijcit, Nauar. in 8. conditione, æquiparans id primo requisito, quod nos posuimus pro quarto supra num.80. vt non sit necessarium, sed ta-

86 men honestissimum. † Decimum, vt non capiat, neque pacis catur totum interesse, quod verisimiliter expectatur, sed solum tantum, quantum valet illa verisimilis expectatio, Nauar. in nona conditione, & sub alijs verbis Medin. in suis tract.tom.2. tit.de reb. per vsur.acquis. vers.primum quod. in 7. requisito, fol.329. col.2. Rebuff. in d.gl. vlt. sub num.14. vers.& in foro. in primo requisito, dicens, quòd ex summa totius interesse detrahitur summa periculorum, & expensarum, quia lucrum intelligitur, deductis expensis, laboribus, & periculis, Menoch. tract. de arbitr. iud. lib.2. cent.2. cas. 119. num.5. vers.tertia est opinio. Io. Azor. de instit. moral.par.3. lib.5. tit. de vsur. cap. 5. in 3. conditione, quod repetit lib.7. tit. de mutuo, cap.7. q.6. in fine, vers.quæres quando. Conrad. in secundo requisito, dicens, quòd exactum non debet excedere illud bonum, cuius perditio dicitur interesse, & Card. Tolet. d.cap.33. num.4. vers.alterum est. & seqq. qui hoc requisitum explicat sub triplici deductione: prima est, vt deducantur expensæ, quas erat facturus in negotiatione, quæ aliquando maiores, aliquando minores sunt, aliquando ferè nullę, vt quando aliquis ex eo, quòd mutuat, relinquit emere rem, statim paratam minimo pretio, quàm statim absque expensis venderet summo pretio: secunda est, vt deducatur labor; si sponte mutuat, secus si coactè, quia tunc illum laborem, quem erat paratus exhibere, non deducit; sicut operarius, qui cogitur ab aliquo non operare, non tenetur à mercede operæ deducere pretium, sed integrum consequitur, secus, si non coactus cessauit à labore: tertia est, vt deducatur periculum, quia cum lucrum non sit præsens, sed dubium, minoris valet, quàm certum, & istud periculum non est æquale in omnibus, & debet arbitrio boni, & timorati viri pensari ad mensuram; & dum istud periculum, æstimatur, multum conducet examinare, quanti alius assecurasset tale lucrum, quibus omnibus pensatis, profectò vix tertiam partem aliquando lucri sperare posset: (hæc Tolet. vbi supra.) & cum istis satis concordant, quæ secutus sum supra num. 6. in 2. confirmat.

87 † Vndecimum, quòd ex pecunijs mutuatis non statim exigat lucrum cessans, vt puta, si mutuauit alicui centum, non debet statim exigere lucrum cessans, dando nonaginta, si fortè lucrum erat decem, sed debet mutuum dare integrum, & expectare, vt ille der intra aliquod tempus, Cardin. Tolet. d. cap.33. sub num.3. vers. primum est. & hoc est, quod sub alijs verbis expresè dicunt Conrad. in septimo requisito, Medin. in 7. & 6. & Nauar. in 5. conditione, quos retuli

supra num.83.in 7.requisito: quare ide m Azor.e ad.par.3.lib.9. tit.de societ. &c. cap. 14. scribit, specialiter, & quasi contra æquitatem receptum esse, vt socius ex societate officij accipiat anticipatam solutionem fructuum, cum alioqui lucrum ex societate non deducatur, nisi societate finita; sed tandem ipse d.cap.5. vers.dubium est. & q. 3. distinguit, vt si solutio anticipata illius interesse fiat ex illomet mutuo, vt dixi supra, sit vsura; secus si fiat aliunde, & sic mutuum soluatur integrum, & integrum remaneat apud mutuatarium; quia tunc illa solutio anticipata secundum ipsum non est illicita. Huius Azorij distinctioni non acquiesco, quia vitium anticipatæ solutionis non tollitur ex eo, quòd solutio fiat non ex re mutuata, sed aliunde; neque anticipata solutio in societate officij est contra æquitatem, vt ipse ait, quia societas officij est composita etiam ex sponsione, seu accedit illius naturæ, per ea, quæ scripsi supra q.1.sub nu.301. & seqq.& 305. versus finem. & de natura sponsionis est, vt spondens modicum pro magno, soluat anticipatè illud modicum. † Duodecimum requisitũ, quòd rogatus mutuet pecuniam, expositam negotiationi; secus si non coactus, nec rogatus, sed spontè obtulit; nec pro mutuatarij vtilitate à negotiatione pecunias extrahit, sed ante mutui contractum extraxerit; quia isto casu non potest pacisci de lucro futuro absque vsura, quamuis tales pecuniæ sint verè expositæ negotiationibus, & lucrum sit probabile, & ipse mutuator non habeat alias expendendas, Card. Tolet. d.cap.33.de lucro cessante. sub num.2. vers. conueniunt tertio. & cum hoc requisito concordat in substantia Io. Azor. quem integraliter retuli infra num. 179. in 3.opin.& concordare videntur huius 8. ampliationis termini, de quibus supra nu. 1. aliàs facilè aperiretur via ad fœnerandum, quæ claudi debet, per ea, quæ scripsi sup.num. 10. & sup. q.1 num.502.& sub num.524. Sed hoc duodecimum requisitum impugnant Nauar. in prima conditione, in fine, dicens, nihil referre, an mutuans sit rogatus, & quæsitus à mutuatario, an vltrò mutuet, dummodo, quod ad iustitiam commutatiuam pertinet, seruetur, & Mich. Sal. ad D. Thom.2.2. q. 78 art.2.contr.8. sub num.15. vers. apponunt aliqui. tom.2. fol.252. dicens, hanc conditionem non esse necessariam, quia quamuis ex communi contingentia nemo mutuet, nisi sit rogatus; tamen accidit quandoque, vt amicus, intelligens necessitatem amici sui, præueniat illum, offeratq; illi mutuum, imò inuitet, expliceto; se ex defectu illius pecuniæ posse aliqua damna subire, & velle ea lege mutuare, vt si damna formidata euenerint, teneatur præter sortem illa sibi compensare. † Decimumtertium, quòd pecunia, quæ mutuatur, sit exposita negotiationi; aliàs si mutuator non erat illam negotiaturus, mutuator, accipiendo aliquid vltra sortem, committeret vsuram, Card. Tolet. d. cap.33. sub num. 1. vers. prima est. & cum hoc requisito concordant Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2.q.78.art.2.contr.9. sub num. 26. in 3.conditione, fol. 271. dicens, mutuatarium non teneri ad lucrum cessans, nisi mutuator pecunia, quam mutuat, voluisset exercere negotia lucratiua; quare, inquit, non sufficit illa potentia naturalis, & remota, quæ omni conuenit pecuniæ, sed requiritur potentia proxima, ita vt mutuator velit, & possit, & Io. Azor. d.cap. 5. vers. secundo notandum.col.460 declarans, hoc esse verum, etiamsi alias pecunias teneret otiosas, quia satis, inquit, est, quòd illas, quas mutuat, parasset negotiationi, prout latius eundem retuli supra sub num. 78. in secundo requis. † Decimumquartum, quòd tempore contractus sit verisimile præfatum interesse, etsi omnino certum non sit, Medin.in suis tract. tom.2.tit.de reb.per vsur. acquis. q. 3. vers. primum quòd. fol. 329. col. 2. & quòd lucrum debeat esse probabile, quia non sufficiat, posse esse lucrum, sed oporteat, probabiles esse rationes, & coniecturas, ipsum lucrum futurum esse, si fiat negotiatio, quamuis in hac probabilitate sint gradus; quia quædam lucra certiora sunt alijs; alias esse vsuram, scribit Card. Tolet. d.cap. 33. in 3. conditione, & Io. Azor. d.cap. 5. vers. secunda conditio. & hoc etiam requisitum satis continetur in eisdem 1. 2. & seqq. quare est potius eorum declaratio. † Decimumquintum, quòd id, quod ratione interesse exigitur, sit ita moderatum, vt tempore mutui sit verisimile dubium, lucrum futurum, cui ceditur, fore plus, minusvè, quàm id, quod exigitur, vt æqua sit vtriusque conditio, Medin. in suis tract. tom.2. q.3. vers. primum quòd.in 2.requisito. fol.329.col.2. sed hoc etiam requisitum satis videtur comprehensum in 2 & 3. † Decimumsextũ, vt mutuarius moneatur in mutuo de soluendo lucrum

Marginal numbers: 88, 89, 90, 91, 92

crum cessans, Ioan. Azor. d. cap. 5. in quarta condit. vers. tertia conditio. in fine: sed hoc stat in supposito subampliationis, de qua supra num. 62. † Decimumseptimum, quòd mutuator mutuet coactus vi, vel fraude, quia tunc vim, atque quasi rapinæ iniuriam patitur, Sot. lib. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 3. concl. 1. vers. respondetur ergo. col. 2. & in 2. conclus. fol. 541. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. num. 3. vers. primo quidem. & Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 33. num. 2. vers. conueniunt secundo. dicens, quòd is, qui inuitus vi, vel fraude cogitur mutuare pecuniam, expositam negotiationi, potest licitè pacisci de lucro cessante, sed hoc requisitum siue loquantur in foro interiori, siue in foro exteriori, non est necessarium, tùm quia ij, qui firmant ampliationem, & ego illos secutus sum supra num. 1. & seqq. nullam vim requirunt; tùm quia si interesse, vti vsura, esset prohibitum, vis eam non redderet licitam; ideoque, tàm mutuanti sua sponte, quàm mutuanti coactè, vel est prohibitum, vel vtrique æquè permissum, vt contra eundem Sot. quem citat Menoch. arguit Nauar. quem retuli sup. q. 1. num. 468. quare interesse debetur non solum mutuanti coactè, sed etiam rogato, & etiam mutuanti suo motu, & sponte sine rogatione, vt secutus sum sup. num. 88. in 12. requisito.

94 Hæc multiloqua, & varia Doctorum theorica circa conditiones necessarias ad iustitiam mutui, vt ex eo debeatur interesse conuentum, est reijcienda ex duobus.

Primò, quia vnum requisitum sæpe conculcant in alio; sicq; multa superfluè repetunt, vt sæpe in eis notauimus; hæcq; superfluitas, postquam est cognita, non habet aliud malum, quàm ipsam superfluitatem, sed donec cognoscatur habet hoc aliud malum, quòd multum obstat intelligentiæ.

Secundo reijcienda est, quia Doct. (salua semper eorum pace, & reuerentia) in his requisitis se, & alios nimis intricarunt; partim enim obscurè, partim ieiunè, & partim, non verè scripserunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 3. fol. 540. & seqq. & Ioan. Bapt. Lup. in 4. curabit. §. 6. sub nu. 12. vers. sed quoad interesse. & num. 13. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. dum arbitrati sunt, necessariam esse moram, quorum opinionem cõfutauimus infra nu. 149. obscurius declararunt Nauar. Card. Tolet. & Io. Azor. quia hi nec expresserunt in quo foro loquantur: ab hacq; obscuritate non distare videtur prolixitas, qua vsus est Mich. Sal. licet is d. contr. 9. sub num. 19. vers. qua verò. fol. 268. dicat, quòd cum ipse scribat theologice, non scribit de probando lucro cessante in foro iudiciali, cum hoc sit munus Iurisconsultorum: & non minori obscuritate laborat Menoch. tract. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 2. cas. 119. num. 2. in fine, & num. 3. vers. primo quidem. & in alia impressione num. 7. cent. 6. quia etsi is loquatur de foro temporali, idest, de foro exteriori, & in eo dicat debere concurrere quinque. Primum, quòd mutuator mutuet inuitus, & à negotio, cui pecuniam destinauerat, abstineat. Secundum, quòd ille debitor moram in soluendo fecerit. Tertium, quòd ipse creditor sit solitus negotiari, & lucrari. Quartum, quòd debitor sit ita diues, vt possit soluere debitum, alioquin si esset adeo pauper, vt non posset soluere, non tenetur ad hoc interesse lucri cessantis. Quintum, quòd lucrum fuerit certum, vt puta, quia habuerit præ manibus frugiferum contractum, &c. Tamen partim est obscurus, & partim videtur deceptus: est obscurus, quia non explicat, in quo genere mutui loquatur; & dato, quòd loquatur de mutuo sine pacto lucri cessantis, quamuis ab eo cessaret propter mutuum, nihilominus adhuc est obscurus, quia in primo requisito non explicat, an inuitum, & compulsum intelligat illum, qui vi, vel metu fuit compulsus: an verò intelligat illum, qui volebat pecuniam negotiari, & deinde contra voluntatem propriam desistit à negotiatione, vt mutuet, & sic sibi ipsi vim facit, ac seipsum inuitum cogit, quasi ille dicatur non inuitus, & non compulsus mutuare, qui pecuniam, quam mutuat, nulli parauerat negotiationi: Videtur etiam deceptus in pluribus. Primo, quia si intelligebat inuitum, & compulsum hoc secundo modo, malè, sequendo Sotum, retulisset, inuitum mutuare, quando est metu compulsus à mutuatario. Secundo, deceptus est, quia quòd quis spontè, vel coactè mutuet, non pertinet absolutè ad iustitiam lucri cessantis, quod debetur propter moram, & culpam mutuatarij, teste Nauar. quem secutus sum sup. q. 1. num. 468. & latius hac eadem ampliatione supra sub num. 88. & sub num. præcedenti in 12. & 17. requisito. Tertio, est deceptus, quia si mu-

tuat coactè, non eſt neceſſaria vlterior mora, teſtibus his, quos ſecutus ſum infra num. 114. reſtrict. 1. & num. 117. Quarto eſt deceptus, quia ſi mutuator habuit præ manibus contractum frugiferũ, vt requirit quinto loco, ſuperfluè requirit tertio loco, quòd ſit ſolitus negotiari, & lucrari: cum ei, qui deſiſtit à contractu frugifero propter moram debitoris, non ſoluentis, debeatur intereſſe, etiam ſi non ſit ſolitus negotiari, vt puta, quia eſſet mulier, per ea, quæ dixi infra ſub num. 268.

95 Reiecta ergo tàm varia, & tanta requiſitorum multitudine, concludo, quatuor conditiones eſſe neceſſarias. Prima conditio eſt, vt intereſſe ſit in ſpe vera, probabili, & veriſimili, & non ficta, & ſimulata, per ea, quæ dixi ſupra num. 77. Secunda, quòd hoc intereſſe verè cauſetur ex illo mutuo, vt ſecutus ſum ſupra num. 78. Tertia, quòd ſit moderatum procedens à veriſimilitudine, vt dixi ſupra num. 90. & 79. & deductis deducendis, vt dixi num. 86. Quarta, quòd ſoluatur non in mutuo, ſed poſtea congruo tempore, vt dixi ſupra num. 87. Reliquas conditiones, à Doctoribus traditas, cenſeo non eſſe neceſſarias, & ſi quæ aliæ neceſſariæ viderentur, ad has quatuor reducuntur.

Et hæc de prima declaratione poſita ſup. num. 76.

Declara ſecundo, vt procedat in taxatione facta ſine fraude, & cum bona fide, alias taxatio eſſet iniuſta, & illicita, non ſolum in foro conſcientiæ, in quo loquimur, ſed etiam in foro fori, vt dixi ſup. ſub num. 61. declar. 2. & per ea, quæ ſcripſi infra ampliat. 10. ſub num. 5.

Infero ſubdeclarando, quòd taxatio debet eſſe veriſimilis, & conformis communi euentui, & in eo adhuc moderata, iuxta ea, quæ ſcripſi ſupra ſub num. 83. 86. & 90. ita, vt ſi aliqua læſio contingat, ea tribui debeat fortunæ, & caſui, & non taxationis iniuſtitiæ, aduertendo etiam propterea, an intereſſe lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis formidati ſit præſens, vel remotum; quia pluris æſtimari debet intereſſe præſens, quàm futurum, iuxta ea, quæ ſcribit etiã Card. Tolet. de inſtr. ſacerd. lib. 5. cap. 32. nu. 4. verſ. vno modo. in fine, cũ magna ſit differentia an lucrum ſit in potentia proxima, vel in potentia remota, vt ſecutus ſum ſupra ſub num. 24. & pluris æſtimari debet intereſſe magis contingibile, quàm non æquè contingibile, & ſic etiam omnes caſus futuri, & incerti tàm lucri, quàm damni, & periculi, quando emuntur, & venduntur, æſtimantur pluris, & minoris, prout ſunt magis, & minus contingibiles, & propinquiores, & remotiores, quod idem ſeruatur in quauis ſpei venditione, alias iſtis non conſideratis, illa taxatio eſſet iniqua.

96 Subamplia quinto, vt intereſſe debeatur etiam de iure diuino, de iure naturali, de iure gentium, de iure canonico, & de iure ciuili, Rebuff. in l. vnica, in præfatione, num. 3. & ſeqq. C. de ſent. quæ pro eo, &c. &, quòd ſit permiſſum omni iure etiam pontificio, ſcribit Ioan. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. nu. 1. C. de act. empt. inter tract. diuerſ. tom. 7. fol. 120. &, quòd debeatur de iure canonico, Gabriel. in concluſ. lib. 3. tit. de ſolut. concl. 10. num. 2. ampl. 1. &, quòd hæc concluſio, vt ſolito mercari, & negotiari debeatur intereſſe lucri ceſſantis omni iure, humano, & diuino, & ſit canonizata in ſcholis, & palatijs, ſcribit Cagn. in d. l. vnica, num. 37. &, quòd debeatur omni iure, ſcribit etiam Ruin. conſ. 103. quamuis. ſub num. 4. verſ. non obſtat. ibi, ſed aliud eſt. lib. 1.

Ratio, quare intereſſe debeatur etiam de iure diuino, eſt, quia intereſſe eſt damnum, d. l. vnica. C. de ſent. quæ pro eo, &c. & qui dat læſionem, ſeu damnum, debet illud emendare, etiam ex diſpoſitione iuris diuini, Exod. cap. 22. num. 5. *ſi læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcatur aliena; quicquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet.* quod habetur in cap. 4. ſi læſerit, de iniur. & damn. dat. Rebuff. in d. præfat. num. 3. C. de ſent. quæ pro eo, &c. Et qui rem, ſeu pecuniam retinet, inuito domino, dat cauſam, vt ille dominus patiatur damnũ lucri ceſſantis, ſeu dãnum emergens; & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, Exod. d. cap. 22. nu. 6. *ſi egreſſus ignis inuenerit ſpicas, &c. reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.* quod habetur in cap. 5. ſi egreſſus. eod. tit. de iniur. & damn. dat. Ergo de iure diuino tenetur ad intereſſe.

Ratio rationis eſt, quia prima, & originalia iuſtitiæ iura, quibus tàm ſuperiora, quàm inferiora regunrur, & ſtant, quaſi baſes, fundamenta, & fontes, in quibus cætera ædificantur, & à quibus cætera profluunt, ſunt tria, nempè, *honeſtè viuere, alterum non*

non lædere, ius suum cuique tribuere, S.iuris præcepta. Instit.de iust.& iur.

97 Subāplia sexto (hæcq; ampliatio infertur ex præcedenti) vt mutuatarius teneatur mutuatori ad interesse etiam in foro conscientiæ.quia interesse debetur etiam in foro conscientiæ,Rebuff.in l.vnica,gl.vlt.nu.6. ampl. 3.& Cagn.sub nu.46.vers.tertio quia. C.de sent. quæ pro eo, &c. & ratio est, quia debetur etiam de iure diuino, vt secutus sum num.præcedenti,& ius diuinum obligat in conscientia, per ea, quæ dixi infra ampl.19. num.47.

Imò, extendendo hanc subampliationem,mutuatarius,non soluens mutuum præfixo termino, adeo tenetur in foro conscientiæ soluere interesse, vt ad illud teneatur, nulla expectata sententia, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disputat. 315. vers. ratio est. col. 272.

98 Subamplia septimo, vt mutuanti debeatur interesse, non solum vigore pacti, videlicet, quia tempore mutui erat paratus negotiari pecunias in commercio fructifero, & fecerit pactū de interesse lucri cessantis propter illud mutuum, vt hucusque locuti sumus in ampliatione, & subampliationibus num.1.& seqq. sed debeatur etiam sine alio pacto tàm mutuanti,quàm cuiuis alteri creditori, ex quauis causa vigore solius moræ, si ob eam passus sit interesse lucri cessantis, seu damni emergentis,quia mora,& pactum in hoc æquiparantur, vt patet ex dictis infra num.151.

Ratio secundum Molin.de iust.tom.2. de contract. disputat.315.vers.ratio .col.272. loquentem in debitore ex causa mutui, est, quia in ipsa mora virtualiter inest pactum; nam, inquit, eo ipso, quòd solutioni mutui præfigitur terminus, tacitè, & virtualiter censetur interuenire pactum, quòd mutuatarius teneatur ad interesse lucri, quo mutuantem priuat, ex quò non soluit in termino præfixo;nam terminus interpellat,& constituit in mora, vt dixi infra num.106.

Meliorem nos rationem censemus esse, quam adduximus infra nu. 100. vers.ratio.

Extensiones, & restrictiones huius septimæ subampliationis, scripsi infra num. 268. & seqq.

99 Declara hanc subampliationem, vt mora sola non sufficiat ad causandum interesse lucri cessantis, seu damni emergentis; nisi concurrant alia requisita, in quibus Doct. non secus, ac in alijs articulis videntur varij, & discordes: nam Menoch. intricatè tequirit quinque, vt, cum impugnando, retuli supra num. 94. Paul. de Castr. in l.3. S.fin. num.3.ff de eo quod cert. loc. quem formaliter sequuntur Ias.in eod. S. in fine,sub n.8. Io.Bapt.Lup. in l.curabit. S.6. sub num.17. vers.sed quoad lucrum. C.de act.empt. inter tract. diuers. tom.7. fol.121. Affl.decis.20. quidam nobilis. num. 2. Mohed. decis. 3. alias 208. de vsur.& ead. Rot.Rom. sæpissime;& alij communiter in diuersis locis,dum in d.S.fin. num.3. scribit, debitorem morosum teneri ad interesse, quando certum est, quòd fuisset lucratus,si pecuniam habuisset, vt quia probatur, quòd habuit præ manibus mercantiam, de qua fuisset lucratus,&.quia pecuniam non habuit,non potuit emere: videtur ex relatis verbis se restringere ad tria requisita:Primum quorum est mora debitoris : Secundum est occasio, seu merx parata negotiationi : Tertium est quantitas lucri, quod creditor negotiando fecisset. Verum Rota secundum varias casuum qualitates, his tribus requisitis non contenta, plura videtur desiderasse; vnde cum articulus sit controuersus, frequens, necessarius, male forsan in iure intellectus, & difformiter in praxi receptus; agemus in primis de præfatis tribus requisitis.inchoando hic num.seq. à mora, deinde num. 221. agemus de occasione, postea num. 238. de quantitate lucri, & postremo loco num.244.& seqq. vsque ad num. 268. exclusiuè discutiemus particulariter, an præfata tria requisita sufficiant, deducendo quæ alia desideret Rota.

DE MORA DEBITORIS.

SVMMARIVM.

Mora debitoris, vt is teneatur ad interesse, ex communi conclusione est necessaria, nu. 100. *Quæ sit ratio, eod. num.* 100.*in fine, & num.* 104 *&* 105.

*Ampliatur primo, vt mora debeat esse inexcusabilis, num.*101. *Dantur duæ intelligentiæ restrictiuæ, ibidem.*

*Ampliatur secundo,vt debeat probari concludenter, num.*102.

*Ampliatur tertio, vt pactum in contrarium non valeat, num.*103. *Quæ sit ratio, num.*104. *&* 105.

Declaratur primo eadem conclusio, vt mora in-

statutorum Vrbis, sub num. 174. confirmatione 2.

Gener an, & quando possit conuenire, & accipere fructus dotis, explicatur quinque factis speciebus, sub num. 176. vers. pro pinguiori. & seqq.

Pupilli debitor semper dicitur in mora, nu. 195.

Restituere rem alienam tenetur, qui eam inuenit, alias dicitur rapere, num. 200.

Possessor malæ fidei tenetur etiam ad fructus, quos dominus frui potuisset, num. 201. Qui dicatur malæ fidei possessor, num. 202.

Soluta societate officij per mortem officialis, hæredes, non restituendo pecunias, dicuntur in mora; secus si soluta sit per mortem socij, nu. 196. & seqq.

Fructus rei alienatæ à minore sine solemnitate, &c. sunt minori restituendi, rescissa alienatione, num. 203.

Fructus, data nullitate contractus ipso iure, sunt, non expectata petitione, restituendi, num. 204. 205. & 214.

100 ACCEDO ad primum de mora debitoris, & concludo, eam esse necessariam, aliàs interesse non deberi, l. 40. lecta. ibi, *nec ante sortis non solutæ vsuras, &c.* ff. si cert. pet. Rebuff. in l. vnica, in præfatione, num. 25. in fine, C. de sent. quæ pro eo, &c. Hier. Gabr. cons. 78. in vsu est. num. 4. lib. 1. Rot. coram R. P. D. meo Caualerio, in Leodien. pecuniaria, lun. 30. Martij 1615. vers. item quòd. & in fine, vbi loquitur tàm in lucro cessante, quàm in damno emergente; &, loquendo tàm in interesse, quàm in damno, Rot. diuers. decis. 771. mandatum, num. 1. in Rom. cambiorum, lunæ 17. Decembris 1584. corā R. P. D. Gypsio, in impressis Lugduni anno 1612. &, loquendo tàm in lucro, quàm in damno, Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. num. 9. vers. prima quod. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 120. & tàm in lucro, quàm in damno, & interesse, Rot. diuers. decis. 289. domini dixerunt, num. 1. in Rom. societatum, coram Reuerendiss. Sacrato, in impressis Lugduni anno 1612. quæ est iterato impressa Romæ 1615. in ordine decis. 362. & in lucro cessante, Stracch. tract. de mercat. par. 4. tit. de contract. mercat. num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 298. & Rot. diuers. decis. 331. sententiam. num. 9. vers. nec facit quod hic. in Ianuen. pecuniaria, 6. Iunij 1611. coram Illustrissimo Card. Lancellotto, & decis. 372. domini censuerunt. num. 6. vers. non obstat. in eadem causa, ven. 1. Martij, 1613. coram R. P. D. Vbaldo, inter impressas Romæ 1615. &, loquendo in damno emergenti ex mutuo, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 8. num. 17. tom. 2. fol. 252. & ita sentiunt communiter omnes; nam Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. num. 3. versus finem, sub num. 4. & sub num. 6. ff. de eo, quod cert. loc. Affl. decis. 20. quidam nobilis. num. 1. Mohed. decis. 3. alias 208. dux sessæ. initio, de vsur. & latissimè Gabr. in concl. lib. 3. tit. de solut. concl. 10. num. 1. & alij, quotquot sunt in diuersis locis, dum quærunt, an debitor teneatur ad interesse, loquuntur apertè de debitore moroso, qui non soluerit in tempore; quare hoc requisitū nemo ignorat.

Ratio huius conclusionis, quare mora sit necessaria, est, quia mora æquiparatur furto, sicque morosus debitor æquiparatur furi, vnde sicut fur tenetur non solum rem furtiuam restituere, sed etiam satisfacere pro interesse lucri cessantis, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsut. acquis. vers. maius dubium. fol. 320. quia retinet rem, inuito domino; secus, si eam acciperet, & retineret, domino consentiente, quia tunc non teneretur ad interesse lucri cessantis: ita etiam si debitor retineat pecuniam post moram, dicitur eam retinere quasi fur, inuito domino, sed si eam retineat sine mora, dicitur retinere de voluntate domini.

Amplia primo hanc conclusionem, vt mora debeat esse inexcusabilis, quia difficultas, seu quiuis casus aduersus, qui impediat obligatum, ne adimpleat obligationem, excusat eum à mora, & tarditate, vt latè cumulat, & sequitur Forcat. tract. de mora, par. 3. num. 1. tom. 6. par. 2. fol. 428. & ideo si mutuatarius sine culpa sua factus est pauper, seu aliter impotens ad soluendum, non tenetur ad pœnam, neque ad interesse lucri cessantis, Archiepisc. Florent. tractat. de vsur. cap. 2. §. 22. num. 39. tom. 7. fol. 83. Rot. Genuen. decis. 99. in causa. num. 2. in fine, & num. 3. & quòd ita velint Theologi, refert, & sequitur Afflict. decis. 20. quidam nobilis. num. 3. & quòd non sit exigenda pœna, scribit Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 32. num. 2. vers. tertia est. &, quòd si mutuatarius tempore accepti mutui erat potens ad restituendam sortem, adueniente tempore solutioni præfixo, & deinde morbo,

morbo, infortunio, vel alio quocunque casu ad eam redactus sit egestatem, qua compulsus sit esse in mora, non teneatur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti contingerint, nisi à principio ita conuenerint, scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 8. sub num. 17. vers. dico secundo. fol. 253. in fine; imò si mutuator probabiliter cognoscat, seu sciat, mutuatarium non posse soluere tempore statuto, & pœnam apponat animo eam exigendi, esset vsurarius, Card. Tolet. d. cap. 32. sub num. 1. vers. secunda vt.

Intellige primo hanc ampliationem, vt debitor, seu mutuatarius, qui sine sua culpa non potuit tempore præfixo satisfacere, sit excusatus quoad pœnam, & quoad lucrum cessans, vt in his terminis loquuntur Forcat. Archiepisc. Floren. Rot. Genuen. & Affl. supra citati.

Secus quoad lucrum, quod debitor potest consequi, adimplendo, & satisfaciēdo; quia, si sit in mora, & non adimpleat, non potest illud consequi, etiam si mora sit excusabilis, idest, etiam si casu aduerso fuerit impeditus, quominus potuerit adimplere, vt secutus sum supra q. 1. num 372. & seqq. vers. tamen. quare si emptor domus, tempore præfixo non soluerit pretium, eo quia sine vlla sua culpa inciderit in magnam paupertatem, ita vt illud soluere non potuerit, tamen tenetur ad interesse, quod est habito respectu ad pensiones domus, vt per omnes de Consilio fuisse tentum testatur Affl. d. decis. 20. num. 4. quia isto casu debitor lucratur, & aliud est, quòd euitet pœnam, & damnum; aliud, quòd consequatur lucrum.

Secus etiam quoad damnum, quod mutuatori, seu alteri creditori emergit propter moram debitoris; quare licet debitor ob magnam paupertatem, in quam sine sua culpa incidit, fuerit in mora soluendi, tamen si creditor ob eius moram, creditoribus eum cogentibus, passus sit subhastari domum valentem scutis 1000. & distrahi pro scutis 800. tenebitur debitor ad illos 200. quia Doct. quando excusant à mora, loquuntur solum quoad euadendam pœnam, & obligationem ad interesse lucri cessantis: & ratio differentiæ est, quia damnum emergens efficacius debetur, quàm lucrum cessans, vt patet ex his, quæ latè scripsi infra nu. 270. & seqq. & num. 275. & num. 132. quare facilius potest abdicari ius quærendum, quàm ius quæsitum, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 21 sub nu. 290. & seqq. & dixi etiam infra sub num. 272. sed lucrum cessans est ius quærendum, & damnum emergens est ius quæsitum, quia minuit patrimonium, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 272.

Intellige secundo, vt debitor, qui sine sua culpa factus impotens non soluit, & ideo excusatur à pœna, & ab obligatione ad interesse, vt dixi supra in ampliatione, remaneat excusatus, etiam quòd postea efficiatur diues, & potens, quia semper remanet excusatus ab illa mora, sed non ab alia; sicut enim in oblgationibus conditionalibus sufficit, semel extitisse conditionem, vt inducatur obligatio, licet conditio non duret, vt secutus sum supra q. 1. num. 143. ita etiam sufficit, semel extitisse legitimum impedimentum: quicquid prolixè scripserit Mich. Sal. d. controuers. 8. num. 17. vers. refert. & seqq.

102 Amplia secundo, vt mora debeat probari concludenter, cum sonet in culpam, Rot. diuers. decis. 539. fuit resolutum. num. 1. par. 1. & coram R. P. D. Caualerio, domino meo, in Leodien. pecuniaria, lun. 30. Martij 1615. in vers. item quod. imò sonat in furtum, vt dixi supra num. 100. vers. ratio.

103 Amplia tertio, vt in tantum requiratur mora, vt pactum, quòd interesse debeatur, etiam mora cessante, non valeat, Aret. cons. 151. viso themate. col. fin. vers. ad secundum dubium. & Crauet. cons. 320. thomas. num. 2. quos sequitur Rot. diuers. decis. 771. mandatum. num. 1. in Roman. cambiorum, lun. 17. Decembris, 1584. coram R. P. D. Gypsio, inter impressas Lugduni 1612.

104 Ratio huius ampliationis est, quia valdè iniquum videtur, quòd vno, eodemq; tempore quis obligetur, & constituatur in mora, Rot. d. decis. 771. sub nu. 3. vers. & interpellationem. & scripsi supra q. 1. num. 386. & 387. imò, tantum abest, vt mora oriatur cum ipsa obligatione, vt neque oriatur ex interuallo statim atque obligatus interpellatur, cum adhuc post interpellationem requiratur tantum temporis spatium, vt obligatus possit commodè obligationem adimplere, vt scripsi eadem q. 1. num. 371. & S. seq. gl. 5. num 9.

105 Ratio clarior meo iudicio est, quia, semota mora debitoris, si creditor aliquod interesse, seu damnum patitur, eo quia debitor non soluit, dicitur voluntariè, seu ex suamet

culpa

culpa illud pati, imò, *quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire*, l. 203. quod quis. & l. 130. is damnum. ff. de reg. iur. cum similibus in simili articulo adductis per Bereng. Paul. in l. vnica, num. 20. & 21. C. de sent. quæ pro eo, &c. inter Repeten. tom. 8. fol. 485. prout neque volenti infertur iniuria.

Intellige hanc ampliationem, vt procedat quando inter creditorem, & debitorem non esset initum pactum, quòd debitor teneatur ad interesse; quia tunc, circumscripto hoc pacto, & circumscripta mora, est impossibile, vt debitor teneatur ad interesse, & ita procedit ampliatio, & ratio pro ea adducta.

Secus quando creditor, & debitor in contractu crediti paciscerentur de interesse; quia tunc aliud pactum superadditum, quòd teneatur ad interesse, etiam mora cessante, intelligitur de mora per interpellationem hominis.

106 Declara primo extensiuè eandem conclusionem, vt debitor ita dicatur morosus, quando est interpellatus ab homine, quia regulariter per interpellationem quis constituitur in mora, M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 1. num. 1. & seqq. tom. 6. par. 2. fol. 405. sicut quando est interpellatus à die, quia dies interpellat pro homine, vt ex regula, multipliciter eam ampliando, & limitando, firmant Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de solut. concl. 9. num. 9. & seqq. & M. Ant. Bauer. d. tract. de mora, par. 2. nu. 1. & seqq. fol. 408. & quòd ad inducendam moram non sit necessarium, vt creditor interpellet debitorem, vt soluat, quando in contractu debiti est apposita dies solutionis, sequitur ex communi Ias. in l. vinum. not. 3. num. 9. ff. si cert. pet. qui etiam ampliat, & limitat; quare qui sua sponte dat mutuo ad certum terminum, aut diem, potest licitè pacisci non solum de damno emergente, sed etiam de lucro, à quo cessaret, eo, quia mutuatarius præfixo termino non solueret, quia mutuator tunc videtur mutuatario significare, se inuito, mutuum illud vltra terminum retineri, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 315. vers. secunda conclusio. & seqq. col. 271. & 272.

Subdeclara primo, extendendo hanc declarationem, vt sufficiat interpellatio extraiudicialis, Ias. in d. l. vinum. num. 15. vbi benè declarat, & M. Ant. Bauer. d. tract. de mora, par. 1. num. 19. ampl. 3. princip.

107 Subdeclara secundo, vt ad inducendam moram non sit necessaria contestatio litis, siue simus in contractu bonæ fidei, siue in contractu stricti iuris, sequitur ex communi opinione Io. Bapt. Lup. in d. l. curabit. §. 6. sub num. 10. vers. & licet. C. de act. empt.

108 Tempera hanc subdeclarationem, vt procedat in eo, quod debetur iure actionis, quia tunc non solum non est necessaria contestatio litis, sed sufficit interpellatio extraiudicialis, M. Ant. Bauer. d. par. 1. num. 19. fol. 406. & in eo, quod debetur officio iudicis mercennario, Bauer. d. par. 1. sub num. 20. ibi, prædicta tamen limita. fol. 407. † secus

109 in eo, quod petitur officio iudicis nobili, quia in eo non committitur mora, nisi à die litis contestatæ, Bauer. in loco supra proximè citato; quare cum hæres cogatur adire, & restituere hæreditatem officio iudicis nobili, non dicetur constitutus in mora, nisi cum fuerit factum præceptum de adeundo, Bauer. d. par. 1. num. 20. fol. 407. & ità intelligas Ruin. cons. 55. de obligatione. num. 5. ibi, quia ergo. lib. 5. hinc possessor bonæ fidei condemnatus tenetur restituere fructus extantes tempore contestatæ litis, & vniuersos post litis contestationem, l. certum. C. de rei vendic. & ibi Gl. & in cap. grauis. in verbo, fructus. de restit. spol. quia post litis contestationem incipit habere malam fidem, & ideo ex tunc non facit fructus suos, ad quos propterea venit condemnandus, Rot. decis. 4. alias 24. de restit. spol. in nou. & Caputaq. decis. 27. par. 2.

Quod debeatur iure actionis, & quod officio iudicis, vide infra num. 298. & seqq. & num. 312. in fine.

110 Subdeclara tertio, dum diximus, debitorem constitui in mora, tàm per interpellationem hominis, quàm per interpellationem diei, vt non sit vera in casu, quo dies resoluitur in conditionem, vt puta, quia sit dies incerta, quia tunc, veniente illa die, requiritur interpellatio hominis, vt explicaui sup. q. 1. nu. 381. & seqq. & num. 389. & 390. & infra nu. 197. neq; sit vera in multis casibus, in quibus interpellatio, vti intempestiua, vel aliter defectiua non cõstituit in mora, hosq; casus latè per decem, & septem temperamenta prosequitur M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 3. per totã, tom. 6. par. 2. fol. 410.

111 Subdeclara quarto, vt creditor debeat regulariter interpellare debitorem in domicilio ipsius debitoris, Bar. in l. 18. item illa num.

num.8.& Paul.de Castr.num.12. in fine, ff. de constit.pecun. & Ant. de Butr. in cap. 7. significante. q. 3. num.12. in fine, de pign. seu clarius,debitor,constituendus in mora per interpellationem, debet interpellari in loco, in quo ipse debitor possit conueniri, vt soluat, Io.Ant.Rub.in l.vinum. num. 3. ff.si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 86. & sic procedit regula, quòd actor debet sequi forum rei.

112 Declara secundo extensiuè, quòd & si in multis casibus, quos ad vndecim fallentias reduxit Socc.in fallent. ad regul. 269. mora

113 committatur sine interpellatione; † tamen supponitur mora, & nihil interest,quòd mora commissa sit vno, vel altero modo, seu, quòd mora sit regularis, quæ committitur per interpellationem hominis, seu diei, vel sit irregularis, quæ committitur ex natura negotij, mediante ratione, & legis dispositione, quia vtraque est mora,& de hac mora irregulari secundum plerosque Doct. habes exemplum infra num.155.& 156. confirm.1. & in seqq.restrict.

114 Supposita conclusione, quòd mora, siue committatur per interpellationem hominis, siue diei, sit necessaria, vt dixi.

Restringe primo eandem conclusionem, vt eiusmodi mora non sit necessaria, quando quis coactè mutuasset, quia tunc mutuatarius sine alia mora tenetur ad interesse damni, & lucri, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 42. vers.secundo dicimus. ibi, posterior autem. 14. q. 3. & ex communi omnium sententia sequitur Io. Bapt. Lup.in l.curabit. §.6.sub num. 11. C. de act. empt. inter tract.diuers.tom.7. fol. 121. quos in interesse damni emergentis sequitur Menoch.tract.de arbitr.iudic. lib.2.cent.2. cas. 119.num.12.ibi, primus est.dicens,mutuatori coacto deberi interesse damni emergentis sine alia mora,& cum tota hac restrictione mihi videtur stetisse Sot.de iust.& iur.lib. 6.q.1.art.3.in 2.conclus. quem etiam retuli supra sub num.93. Card.Tolet. quem retuli supra q.1.num.456. & Io. Azor. de institut. moral.par.3.lib.5.tit.de vsur.cap.5.vers.notandum est. dicens, conuenire inter omnes auctores, posse lucrum cessans exigi quandocunque quis mutuat inuitus,vt puta,cum quis mutuat mutuatario, minanti ei interitum, vel alia grauia mala, licet morte minora, vel quia Rex, aut Princeps vult, vt mutuet, alioquin is probabiliter timet Regis, seu Principis indignationem;in hecq; exempla consentit Molin.de iust. tom. 2. de contract.disp.315. vers.exempla sunt. col. 271.

Ratio, qua moueor, omissa, quam adducit Lup. sub d.num.11.quæ non placet, est duplex. Prima, quia coactus, semper videtur interpellare,cum nunquam consenserit. Secunda, quia per inuasionem illicitam committitur mora ipso iure, & quidem maior, ac durior illa, quæ committitur per interpellationem, latè Bero. cons. 93. ex facti serie. num. 13.& seqq. lib. 1.nam mora,quæ committitur ex delicto est maior, & ideo in ea non requiritur interpellatio, nec appositio diei, neque loci, Bero. eod. cons. num. 30. adde,quod scripsi supra num.101.vers. ratio. sed qui cogit ad mutuandum, inuadit. ergo.

Nec obstat, quòd prius idem Sot. eodem art.3.concl.1.vers. respondetur. loquendo, etiam in mutuatore inuito, qui videtur rapinæ iniuriam passus,adhuc videatur requirere moram mutuatarij, dum supponit,eum non soluere stato die, qui interpellat pro homine, & consequenter constituit in mora; dicens, quòd mutuator, & mutuatarius possunt ab initio conuenire, vt si mutuatarius non soluerit stato die, teneatur deinceps certum nummum vsurarum soluere,& subdit; loquendo in mercatore,quòd potest is bona fide mutuare vsque ad certum diem, & ex tunc in mutui datione admonere mutuatarium, quòd deinceps inuitus cohibetur à suis negotijs.

Quia respondeo, quòd etsi non possit negari, Sotum (virum alioqui perspicacis ingenij) ita in eo articulo perplexum, & confusum esse, vt vix allegari possit,tamen,eius auctoritate circumscripta, remanent ratio, & auctoritas aliorum.

Confirmatur hæc restrictio, quia licet vidua illicite perciperet fructus ex pignore dotali, non computando eos in sortem, vt scripsi supra q. 1. sub num. 315. tamen vbi violenter detineretur dos ab hæredibus mariti,qui illam restituere tenentur, nec potest se iuuare, quia illi non fieret iustitia propter potentiam hæredum, licitè tunc reciperet fructus pignoris,vel pecuniam sine extenuatione dotis, Archiep.Florent. tract.de vsur. cap.2.§.29.sub nu.46.tom.7. fol.83.in fine.

115 Extende primo hanc restrictionem, vt multò magis procedat,si mutuator,dum cogitur mutuare, ineat pactum cum mutuatario

rio de intereſſe lucri ceſſantis, vt retuli ſup. q.1.num.456.& ex communi Theologorum ſententia tenent Lup. in d.S.6.num.21.in fine,& 22.verſ. ſed huiuſmodi. & Io.Azor. quem retuli infra num. 179. in 3. opin. & clarius Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput.315.verſ.prima eſt.& ſeqq.col. 271. dicens, quòd quando quis mutuo dat inuitus, exigere licitè poteſt intereſſe lucri ceſſantis ante terminum,ſolutioni deſtinatum, atque ideo de eo paciſci, & quòd mutuatarius eſto, quòd non fuerit deductum in pacto, tenetur ad intereſſe lucri ceſſantis, non ſecus atque is, qui à mercatore furatur pecuniam, quam mercator habebat paratam ad negotiandum.

Quicquid in contrarium dicat Crauet. conſ.189. quando fœmina.ſub num.7.verſ. videamus. in fine, ibi, amplius dico. dum ſcribit, quòd mutuans coactè Ciuitati, non poteſt paciſci de intereſſe lucri ceſſantis ante moram, eum enim in hoc reprobat Ioan. Bapt. vbi ſupra.

116 Extende ſecundo, vt multò magis procedat quoad intereſſe damni emergentis, promiſſum ab initio ex pacto, Crauet. & Ioan. Bapt. in locis ſupra proximè citatis, quod etiam ſentiunt Menoch. tract. de arbitr. iudic. lib.2.cent.2.caſ.119.num.12. verſ. primus eſt. & Card. Tolet. de inſtruct. ſacerd. lib.5.cap.32.num.5.verſ.de damno. dicens, mutuatori coacto deberi intereſſe damni emergentis etiam ſine pacto.

Suppoſita hac iniuſta, illicitaque coactione.

117 Infero primo,confirmando reſtrictionem, & extenſiones, quòd ſi tu mihi furto ſubtraxeris ſcut.50.vel aliter eos,me inuito,à meo debitore exegeris, poſſum contra te agere, non ſolum ad ſcutos 50. ſubtractos,ſeu exactos, quod eſt ſimplum, ſed etiam ad ſcutos 100. pro intereſſe,& ſic ad duplum actione furti, S. omnes autem actiones. & S. in duplum. Inſtit.de act.& explicat Iaſ.in S. quadrupli. num.38. Inſtit. eod. quia fur ſemper eſt moroſus, Iaſ.in S. ſic itaque. num.22. in fine, Inſtit.eod. &,quòd ex delicto, puta furti, committatur mora ipſo iure, & grauior, ea, quæ committitur per interpellationem, ſcribit Bero. conſ.93.ex facti ſerie. num.13. lib.1.& æquè dicitur moroſus, qui rem furto ſubtrahit, & eam non reſtituit, ſicut & is, qui à fure rem illam, ſciens eſſe alienam, emit, vel aliter accipit, & non reſtituit, Medin.in ſuis tract.tom.2.tit.de reb.reſtit.q 10. verſus finem initij, col. 2. fol. 94.& quòd is, qui mala fide habuit, ſeu retinet rem alienam, teneatur in primis eam reſtituere, ſi poteſt,ſin minus teneatur reſtituere tantum, quanto pluris valuit à tempore iniuſtæ acceptionis, vel retentionis, quamuis ſine ſua culpa perierit, quia qui mala fide contrectat, & retinet rem alienam, ſemper eſt in mora, & ſuo damno perit, ſcribit Nauar. in man. confeſs. cap.17. num. 10. verſ.qui autem. & ex Leonar.Leſs.ſecutus ſum etiam infra ampl.19.ſub num.82. verſ.extende. quare debetur à fure hoc intereſſe loco pœnæ,& ideo,etiam non probatis requiſitis ad conſequendum intereſſe, de quibus ſupra num. 99. &, quòd inſtitor, deputatus, mediante contractu locationis cum certa mercede annua, ſi pecuniam domini inuaſerit, atque rapuerit, illam in ſuos vſus conuertendo, poſſit etiam vltra intereſſe conueniri in quadruplum totius veræ ſortis,ſcribit Bero.d.conſ.93. ſub num.24. motus. ex l.31.ſi negotia. ff.mand.

118 Infero ſecundo, quòd ſi ego aſtutia ſubducerem te, qui es mercator, ad mutuandum mihi ſub intereſſe, perſuadendo tibi, quòd hoc eſt permiſſum, & quòd nullum eſt peccatum,adducendo auctoritates, & rationes perſuaſiuas,per quas te ad meum intentum induco, ego ex dolo meo teneor tibi ad intereſſe, Salyc.in auth.ad hæc. q.15. num. 13.in fine, C. de vſur. & faciunt quæ ſequitur Matth.Brun.tract.de ceſs. bonor. q. 31. q.4.princip. num.3. & 4. tom.3. par.2. fol. 192. quem retuli etiam num.123.&,quæ de muliere decepta ſecutus ſum infra ampl.17. ſub num.24.

119 Infero tertio, quòd ſi tu, me circumueniendo, induxeris ad credendum tibi pecunias meas,perſuadendo mihi, quod tu habes præ manibus negotiationem adeo vtilem,vt in ea ſis lucraturus 20. pro centenario, & ideo promittis mihi 8. pro centenario, & ego, qui ſum mercator, & pecunias negotior vtiliter, precibus vrgentibus, & perſuaſiuis vtilitatis rationibus adductis, tibi pecunias credo, & tu me poſtea decipis, aſſerendo, calculo oſtenſo, negotiationem fuiſſe damnoſam,teneberis nihilominus abſque alia mora ad intereſſe.

120 Infero quarto, quòd ſi Titius dederit Seio pecunias in ſocietatem officij, quia Seius aſſerebat, ſe eſſe paratum ad emendum officium,

cium, si inueniret socium, qui pecunias contribueret ad illud emendum; seu dederit pecunias in societate officij, quia credebat, quòd Seius haberet officium, cum ita assereret, & Titius ei crederet; & postea Seius officium non emerit, seu appareat, quòd officium non habebat, poterit Titius, quandiu erit in bona fide, quòd Titius emerit officium, seu illud haberet iam emptum, tuta conscientia accipere fructus, eosq; retinere, per ea, quæ de exigente fructus censuales, impositos super re aliena, scripsi infra ampl. 17. num. 24.

121 Secus in foro fori, quia si non extat officium, impossibile est, extare fructus officij; cum non entis dari non possint qualitates: posset tamen rectè agere ad interesse, ad quod Seius rigorosè esset condemnandus, cum sit in dolo vero, per ea, quæ in casu

122 census scripsi supra q. 1. num. 182. † & licet loco damnorum, & interesse non posset condemnari ad fructus societatis, qui sunt duodecim pro centenario, quia sicut Seius, eueniente casu periculi, nempè morte Titij, non potuisset lucrari pecunias, sibi datas, quia deficiebat societas, ita neque Titius poterit habere illud interesse, quod habuisset propter periculum; tamen posset condemnari ad fructus societatis non periculosæ, vt arbitratus est etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societat. offic. cap. 8. q. 3. vers. ex his. versus finem, ibi, rursus lucrum cessans. col. 778. hic; fructus, seu interesse possent ascendere vsque in septem, seu octo pro centenario, quia dans pecunias in societate officij super periculo vitæ iuuenis, qui sit sanus, habitet in bono aere, & viuat ordinatè, facile inueniet, qui eum ab amissione pecuniarum assecuret pretio quatuor pro centenario, sicq; detractis quatuor ex scutis duodecim, remanent octo; iuxta ea, quæ de capitale societatis assecurato scripsi supra q. 1. num. 257. & de pretio soluendo fideiussori, qui assecurat infra §. 3. gl. 3. nu. 7. & 8.

123 Ratio istarum quatuor illationũ est, tum quia is, qui dolo circumuentus, alteri suas credit pecunias, non dicitur consentire in credito, multòq; minus in detentione pecuniarum, & consequenter debitor detinens, semper est in mora, per ea, quæ dixi supra nu. 101. vers. ratio. & morosus semper tenetur ad interesse, vt dixi supra num. 100. & hoc interesse potest esse maius, & minus, iuxta qualitates, & circumstantias casus: tùm quia iura deceptis, & non decipientibus debent subuenire, per ea, quæ de debitore doloso, non admittendo ad cessionem bonorum, scribit Matth. Brun. tract. de cess. bon. q. 31. 4. quæst. princip. num. 3. & 4. tom. 3. par. 2. fol. 192.

124 Subinfero primo ex hac illatione, quòd si Titius sciuisset, Seium non esse empturum, seu non habere officium, esset etiam ipse in mala fide, & consequenter, dolo cum dolo compensato, non posset fructus accipere, neque agere ad interesse, per ea, quæ scripsi sup. q. 1. num. 324. & 336. & hac ead. q. par. præced. num. 35.

125 Subinfero secundo, quòd id, quod scribit Virg. de Boccat. de contract. & societ. offic. num. 178. & seqq. (dum recenset, in Signat. Sanctissimi fuisse resolutum, quòd, disdicta societate officij, socio adhuc in vim pacti deberentur duodecim pro centenario, non obstante, quòd cesset periculum; secus autem, si societas esset finita per venditionem officij, aut per mortem officialis, ista in casu recenset, fuisset resolutum, vt interesse taxaretur ad rationem quinque pro centenario) hoc inquam, quod recenset, de soluendis 12. quando societas fuit disdicta, potest procedere, quando debitor disdicit, & creditor dissentit disdictæ, donec ei non restituuntur pecuniæ, ideoq; vult locum esse periculo, per ea, quæ dixi infra num. 141.

126 Explica vlterius hanc quartam illationem, vt officialis, qui accipit pecunias in societate officij, tunc teneatur non ad fructus societatis, sed ad interesse, quando deficit officium, & consequenter societas, vt locutus sum supra num. 120. & 121. in ipsa illatione; secus quando non deficit officium, sicq; adest societas, sed deficiunt accessoria ad societatem officij, vt puta, quia officialis non dederit fideiussorem, quem dare promiserat in contractu societatis, quia tunc socius potest licitè exigere fructus societatis, etiam quod officialis non adimpleuerit; illa enim obligatio accessoria dandi fideiussorem est resolutiua societatis, volente socio, cuius fauore est apposita, quare, volente socio, tenetur officialis soluere fructus, etiam fideiussore non præstito, tùm quia negligentia, & culpa officialis debitoris non debet nocere socio, & morosus ex propria mora, & inobseruãtia commodum in alterius præjudicium consequi; tùm quia illa promissio dandi fideiussorem respicit fauorem socij; ergo

go non debet retorqueri in eius odium, vt illa promissione non adimpleta, fructus, & lucrum consequi non possit, & hæc explicatio est clara, naturalis, & seruatur in practica, quia contractus societatis in se perfectus est, accedente tamen postea voluntate socij.

127 Prosequere materiam huius explicationis, prout latè explicando prosecutus sum supra q.1.num.344.& seqq.

128 Extende tertio eãdem primam restrictionem, vt procedat non solum in coactione iniusta, quando mutuator iniustè est coactus ad mutuandum, vt hucusque locutus sum, sed etiam quando est iustè coactus, vt si Rex, imminente bello, omninoq; id postulante bono publico, sumeret mutuo pecunias à mercatoribus inuitis, quia aliter subuenire non posset Reip. quia tunc Rex tenetur ad interesse, siue id fuerit illis ex pacto promissum, siue non, Molin.de iust.tom.2. de contract.disput.315. vers.consentit. col. 271. vbi & illud addit, quòd si Rex non esset soluendo, teneretur cogere reliquas Reipub. partes, vt contribuerent ad soluendum.

129 De materia huius extensionis, nempè de mutuantibus coactè Principi, seu Reip. ob publicam necessitatem, vide supra q.1.num. 452.& seqq.in 6.cas.

130 Restringe secundo, vt si creditor metu reuerentiali non audeat debitorem interpellare, quia debitor sit talis, vt creditor ei reuerentiam debeat, tunc in foro conscientiæ debitor est obligatus ad damna, & interesse; præsertim, si creditor aliquibus verbis reuerentialibus aliquo modo creditori suam indigentiam, & egestatem indicasset, vt sequuntur idem Lup.d.num.11.vers.illud autem. & Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.q.78.art. 2.contr.8. sub num.17.vers.vnde iurisperiti. tom.2.fol.252. in fine, & 253. licet ipse supponat aduenisse tempus solutionis, quod tamen ego non censeo necessarium in foro conscientiæ, & supposito, quòd creditor ex signis in sua conscientia teneat, quòd creditor ob quandam reuerentiam desinat creditum petere.

131 Ratio est, quia tunc debitor sine vlla monitione est in mora soluendi, Io.Azor. de instit.moral.par.3.lib.4.tit.de restit.cap.35. q.2.col.326.naturali enim ratione,& æquitate videtur tunc moneri, vt indigenti pecuniam restituat; quia res magis, quàm sermo loquitur.

132 Restringe tertio, vt non procedat in foro conscientiæ, quando mutuator; quia ante tempus promissæ restitutionis factus est impotens ad soluendum suo creditori, coactus distraxit sua bona vili pretio, vel accepit sub vsuris; quia isto casu, quamuis mutuatarius debitor non fuerit in mora, ideoq; mutuans damnum passus non sit propter moram debitoris; tamen passus est damnum causa ipsius mutuatarij, ideoq; maxima æquitas est, vt illud restituat, vt ex Io. à Turrecrem. sequitur Rebuff.in l.vnica, in præfat.sub num. 25.alibi num.13.C.de sent.quæ pro eo,&c. & rationem vlterius reddit, quia mutuator non dicitur damnum pati suamet culpa, 133 †*sæpe enim de facultatibus suis amplius, quàm in his est, sperant homines*. §. in fraudem. Instit.quib.ex caus.manum.non lic.

134 Contra hanc restrictionem tenet Couar. var.resolut.lib.3.cap.4.sub num. 5. vers.sexto ex his. in fine, sicuti, inquit, nec donatarius tenetur donatori rependere damnum ei contingens propter donum, & Berengh. Paul.in d.l. vnica, num.19. 20. & 21. C.de sent. quæ pro eo,&c. inter Repet.tom.8.fol. 485. vbi adducit rationes.

135 Alij distinguunt, vt restrictio sit vera, si mutuans, damnum præuiderit, & mutuatario in mutuo formidauerit, monueritque, quasi tunc liceat mutuatori se indemnem conseruare, vt secutus sum infra num. 181. 136 in 4. opinione. † Opinio verò contraria sit vera, quando mutuauit sponte absque dicta præuisione, & admonitione, Menoch. de arbitr. iud. lib.2.cent.2.cas.119.sub nu.12. in 2.& 3.cas. Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. num. 12. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol.121. vbi ita explicat Ioannem à Turrecrem. supracitatum.

137 Restringe quarto, vt non procedat in socio, qui communem pecuniam inuaserit, vel in suos conuerterit vsus, quia is omni modo, etiam mora non interueniẽte, præstabit vsuras, l.1. §. socius. ff. de vsur. Sot. de iust. & iur.lib.6.q.1.art.3.vers.respondetur. col.2. concl.1. fol. 541. quod idem clarius dispo-nunt stat. Genuen. lib.4. cap. 12. de societat. &c. §. quilibet socius. & præstabit vsuras vsuræ, vt scripsi infra §. 7. glos.2.num. 34. confirmat.1.

138 Extende primo hanc restrictionem, vt procedat etiam in negotiorum gestore, qui domini pecuniam inuasit, ac in suos vsus conuertit, Bero.consl.93.ex facti serie.n.14. in fine, & n.15.& sub n.22.vers.rursus.lib.1.

139 Extende secundo, vt procedat etiam in institore, quia negociorum gestor, & institor in hoc non differunt, Bero. d. consf. 93. num. 23. vers. vltimo institores. iunctis præcedentibus.

140 Extende tertio, vt procedat in quolibet inuasore, quia in quolibet inuasore inest inuasionis delictum, ex quo oritur ipso iure mora legalis contra inuasorem, per ea, quæ scribit Bero. d. cons. 93. num. 11. & seqq. vers. præterea. lib. 1.

141 Infero ex hac restrictione, quòd, soluta officij societate, officialis, seu is, qui bonam fidem recognouit, sine alia mora tenetur socio creditori ad interesse, donec integrum non soluerit debitum; quare si ego contraxerim officij societatem, & officialis, finito semestri, societatem disdicat, & declaret, se nolle in ea amplius continuare, & mihi disdictam intimet, sed pecunias, quas in societate habuit, mihi non restituat; ego possum replicare, & protestari, quòd, donec cessauerit restituere mihi pecunias, volo societatem durare, & intendo currere periculum societatis; hæcq; mea declaratio præualebit.

Ratio huius illationis est multiplex, Prima, quia is, retinendo meas pecunias, conuertit eas in proprios vsus, sicq; sumus in casu, de quo supra num. 137. Secunda, quia societas officij contrahitur sub pacto expresso, vt duret ad sex menses, & deinde ad beneplacitum, & sub pacto tacito, intellecto à lege, mediante ratione, vt duret vlterius, donec pecuniæ sociales non restituuntur, & socius, cui restitui debent, velit remanere in societate; nam sicut socius, qui recipit fructus secundi semestris, inutiliter disdiceret societatem, sic etiam socius, retinendo pecunias sociales, inuito socio domino pecuniarum, inutiliter dissolueret societatem, quia facta præualent verbis, seu res, magis quàm sermo loquitur. Tertia, quia non debet officialis percipere lucrum officij ex meis pecunijs, si vult me excludere à societate. Quarta, quia sicut quis non potest inhærere contractui, nisi ex parte sua adimpleat promissa in contractu, iuxta ea, quę secutus sum supra q. 1. sub num. 350. & seqq. ita etiam non debet posse inhærere, & agere ex distractu, nisi ex parte sua adimpleat promissa in casu distractus, cum nihil tàm naturale, quàm vnumquodque dissolui eo modo, quo ligatum est, seu, & clarius; quemadmodum quando agitur ex contractu, is, qui agit, debet prius implere pro parte sua, alias repellitur, ita etiam in distractu, qui vult rescindere contractum, debet prius restituere, quod accepit; vt idem operetur propositum in proposito, quod oppositum in opposito, vt sequitur Rot. diuers. decis. 810. dubitaui. sub num. 3. vers. tertio ex dictis. & num. 4. & 5. par. 1. & quòd venditor, agens ad rescissionem venditionis, etiam si venditio fuisset nulla, quia esset facta, iuris solemnitate non seruata, teneatur in primis pretium, quod habuit, & in suam conuersum est rem, restituere, & prius audiri non debeat, etiam si sit minor, qui rescissionem petat, firmat ex regula Fab. de Mont. tract. de empt. & vend. q. 8. princip. q. 2. num. 2. tom. 6. par. 1. fol. 64. & latius scripsi inf. nu. 193.

142 & seqq. vbi vide. † quare, vt extinguatur census in esse deductus, & perfectus, requiritur actus retrosimilis, l. 1. C. quando lic. ab empt. disced. qui actus retrosimilis est restitutio pretij census, cuius pretij traditio vltra partium consensum sicut debuit interuenire pro perfectione constitutionis census, ita etiam restitutio illius est necessaria pro dissolutione census, vt in fortioribus terminis tenuit Rota diuers. decis. 158. fuit conclusum. num. 1. & seqq. coram R. P. D. Litta, in Rom. salu. interdict. 23. Iunij 1600. in

143 impressis Romæ 1615. † Quinimo volens rescindere contractum, in tantū tenetur prius restituere, quod accepit ex illo contractu; vt dubium sit, an teneatur illud offerre non solum verbaliter, sed realiter ad tradita per Natt. cons. 631. super controuersia, num. 1. & seqq.

144 Extende primo eandem illationem, vt sit vera, etiam si ego non opponerem, & non protestarer, tùm quia in primis dubium est, an volens rescindere, debeat ex se offerre, etiam parte non opponente, ad tradita per Rot. diuers. decis. 102. conclusum. sub num. 3. vers. non obstat. num. 4. & 5. decis. 440. domini concluserunt. num. 1. & dicta decis. 810. num. 1. & seqq. par. 1. tùm quia, etiam oppositione circumscripta, militat restrictio, de qua supra num. 137.

145 Vtilis tamen est praxis opponendi, ne alias videatur consentire, & consensus præiudicare, per ea, quæ in alijs terminis scripsi infra num. 301.

146 Et vbi, mea oppositione non obstante, iudex super hac controuersia aditus, pronuntiaret pro disdicta, ego deberem appellare,

lare, alias pronuntiatio teneret,& transiret in iudicatum, Rot. dictis decis.102. sub nu. 5. & 810. sub num.8.

147 Extende secundo declarando, vt dato etiam, quòd societas intelligeretur dissolta, tamen officialis ratione moræ, in non restituendo pecunias, teneretur ad interesse lucri cessantis, iuxta notissimum Auditoris Cameræ stylum, de quo scripsi infra num. 251. quia concurrunt omnia necessaria: constat enim in primis de mora debitoris non soluentis, constat ex ipsa societate officij, quòd socius est solitus negotiari, & lucrari, cum societates officij sint negotium lucratorium, insuper constat, quòd, non restituendo, impedit socium, ne possit suas pecunias negotiari.

148 Restringe quinto, vt non procedat in casu huius octauæ ampliationis, & primæ, & secundæ subampliationis, positarum supra num.1.22.& 23. quia in earum casu semper videtur adesse quædam mora irregularis, cum mutuatarius eo ipso, quòd scit, mutuatorem cessare à lucro propter mutuum, & obligat se ad illud interesse, non est consideranda alia mora; quia debitor eatenus tenetur ad interesse propter moram, quatenus mora est causa, vt creditor cesset à lucro, sed in casu huius restrictionis satis constat, quòd mutuatarius eo ipso quòd accipit mutuo, est causa, vt mutuator cesset à lucro: ergo non est necessaria alia mora.

Confirmatur primo hæc restrictio, quia obligatus sine aliqua dilatione, est obligatus absque mora; sed nos supponimus mutuatarium obligari ad interesse lucri cessantis tempore mutui sine vlla dilatione: ergo est obligatus absque mora.

Confirmatur secundo, quia Doct. dum indagant quot, & quæ conditiones requirantur ad hoc, vt mutuatarius teneatur ex pacto ad interesse lucri cessantis, non enumerant moram, vt patet ex his, quæ scripsi supra num. 77. & seqq. vsque ad num. 94. exclusiuè.

Confirmatur tertio ex his, quæ scripsi infra num.151.

149 Infero ex hac restrictione, veram non esse opinionem Sori de iust.& iur. lib 6.q.1. art. 3. post 4.concl. col.5. fol. 542. dum inquit, inter antiquos, grauesque, seu iuris, seu Theologiæ Doctores neminem inueniri, qui explicitis verbis asserat, lucrum cessans posse in pactum deduci, nisi ratione moræ, aut alterius culpæ debitoris, & Ioannis Bapt. Lup. in l.curabit.§.6.sub num. 13. vers. sed rectius. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom.7.fol.121. & in cap. nauiganti.§.2. nu. 26. in fine, & num. 27. de vsur. eod. tom. 7. fol. 139. dum in casu prædictæ octauæ ampliationis, & primæ subampliationis, de quibus supra num.1.& 22. arbitratur, interesse non deberi, quia nondum adest mora, sine qua, inquit, non potest pacisci de interesse; & hanc illationem contra Io. Bapt. vbi supra, tenet in specie Ioan. Azor. de instit.moral.par.3.lib.10.tit. de camb. cap.11. q.2. vers. reliquum est. & pariter infero, veram nõ esse doctrinã Archiepiscopi Florent. tract.de vsur cap.2.§.27.sub nu. 44. tom.7. fol.83 dum, ad opinandũ, genero non deberi fructus dotis, pendente dilatione, data socero ad soluendam dotem, quamuis conuenerint, vt interim soluantur fructus, ea mouetur ratione, quòd socer non sit in mora, cum ex conuentione differatur solutio, & ideo, inquit, non credere, quòd possit pacisci de interesse soluendo; quia (replicando idem) inquit, tale interesse debetur propter moram, quæ hic cessat propter temporis dilationem: hæc enim doctrina, & opinio Lupi satis confutantur ex auctoritate etiam Rotæ, quam secutus sum infra num.151. & ab Archiepiscopi Florent. opinione in specie discessimus infra sub num. 174.

150 Restringe sexto, vt non procedat quando creditor in contractu debiti facit dilationem debitori ad soluendum, cũ pacto, quòd ipse debitor teneatur, finita dilatione, soluere debitum, vna cum interesse decurso tempore dilationis, quia isto casu debitor tenetur ad interesse ex conuentione, nulla præcedente mora, siquidem non dicitur in mora, qui habet dilationem, seu quando nondum venit dies solutionis: hanc restrictionem probant, & sequuntur, non tamen vniformiter Doct. infra citati in certis casibus, quos mox referemus.

151 Ratio huius restrictionis est, quia, supposito casu, in quo debeatur interesse, tantum operatur partium consensus, quantum operatur mora, vt, alijs Rotæ decisionibus citatis, secuta est Rot. diuers. decis.372. domini censuerunt. num.6.vers.non obstat quòd, in fine, ven.1.Martij 1613. in Ianuen. pecuniaria, coram R.P.D. Vbaldo.

152 Primus casus, in quo procedit hæc restrictio, est, quando emptor habet à venditore

dilationem ad soluendum pretium rei emptæ, quæ est de sui natura fructifera, quia si venditor stipularus sit, sibi deberi intereste, pendente dilatione, vtique debetur, Paul.de Castr. in l. 14. iulianus. §. ex vendito. sub num. 3. ibi, intellige tamen quod teneatur. ff. de act.empt. Alex.cons. 121. visis & ponderatis. sub num. 4. ibi, ad hoc benefaciunt. lib. 5. Dec. in cap. 6. cum venerabilis. sub num. 65. ibi, putatem tamen quod etiam certa quantitas. de except. & cons. 111. sub num. 13. ibi, non obstant quædam responsiones. Couar.var.resolut. lib. 3. cap. 4. sub num. 5. vers. sexto ex his. ibi, sic tandem posse. vbi alios citat, & istam esse communem, & veram sententiam, testatur, & sequitur Io. Bapt. Lup in l. curabit. §. 7. sub num. 15. vers. verum quod. C. de act.empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 123. quia tunc non videtur data dilatio ad soluendum, Gabr. in concl. lib. 3. tit. de empt. & vendit. concl. 4. num. 25. in 3. intelligentia; hancq; sententiam, nulla excitata difficultate, sequitur Rot. diuers. quam secutus sum supra num. 33.

153 Secus si venditor dedisset emptori dilationem ad soluendum pretium sine prædicto pacto, quia tunc quamuis res vendita esset fructifera de sui natura; tamen venditor nullum prætendere posset interesse, neque lucri cessantis, neque damni emergentis, nisi post fluxam dilationem datam, quia, pendente dilatione, interesse non deberetur ex stipulatione, cum non fuerit in stipulatione deductum, neque ex mora, quia, pendente dilatione, excluditur mora, tàm regularis, quàm irregularis, Couar. d. cap. 4. sub num. 5. ibi, ego sanè non diffiteor. Gabr. dicta concl. 4 num. 20. limit. 1. Virgin. de Boccat. tract. de interdict. vti possid. cap. 18. sub nu. 80. vers. & similiter. tom. 3. par. 2. fol. 314. & Io. Bapt. Lup. in d. §. 7. num. 13. in fine, & num. 14. fol. 122. & in hoc puncto nullam difficultatem fecit Consilium Neap. dum in casu venditionis cum termino ad soluẽdum, resoluit, nemine discrepante, quòd post lapsum terminum emptor tenetur tàm de iure ciuili, quàm canonico ad interesse ratione pretij non soluti, habito respectu ad fructus rei emptæ, vt per Affl. decis. 20. quidam nobilis. nu. 1. & 4. &, quòd, cessante pacto, omnes conueniant, interesse non deberi ante moram, etiamsi creditor esset mercator, restatur, loquendo in alijs terminis, Crauet. cons. 87. sempronius. in fine, & hæc sententia est de mente Glossæ in cap. conquestus. de vsur. quam Glos. totus mundus approbat, vt dicit Socc. cons. 88. abundè & eleganter. sub num. 9. vers. tertio hoc idem. lib. 4. & certè hæc sententia non solum est communis, sed transit etiam sine difficultate, tùm quia controuersia inter Doct. an, pendente dilatione, debeatur interesse, procedit solum propter pactum, quo partes de tali interesse conuenerunt; & tamen non desunt aliqui, qui adhuc dicant, interesse non deberi, vt retuli infra num. 163. ergo,

154 remoto pacto, cessat controuersia; † tùm quia vbicunque onus aliquod apponitur in contractu venditionis, illud æstimatur pars pretij, & ideo emptor, in quem transfertur dominium, cum dilatione ad soluendum, & cum pacto, quòd, pendente dilatione, soluat aliquid venditori, tenetur illud soluere, tanquam partem pretij, vt scribit Abb. cons. 66. duo ad claram. num. 3. vers. secundo probatur. lib. 1. quodlibet enim onus, impositum rei, minuit valorem illius rei, & est pars pretij, Couar.var.resolut. lib. 3. cap. 10. num. 1. & Surd. cons. 181. inspecto. num. 20. lib. 2. & in pacto de retrouendendo scripsi supra num. 37. & seqq. Ergo per oppositum dilatio, data emptori ad soluendum, censetur etiam pars pretij, idest, minuit pretium, vt secutus sum par. præced. sub num. 80. comprob. 4. quia tantum operatur propositum in proposito, quantum appositum in opposito, l. si vt proponis. C. de nupt. & cap. hospitiolum. dist. 32.

155 Confirmatur primo distinctio huius primi casus in prima parte, quia emptor, cui venditor non facit dilationem ad soluendum, tenetur in rei traditione soluere pretium, &, non soluendo, tenetur ad vsuras recompensatiuas, licet nulla mora intercesserit, vt dicit text. in l. 5. curabit. C. de act.empt.

156 Ratio huius confirmationis, seu verius dictæ l. curabit. potest considerari duplex.

Prima ratio est, quia traditio possessionis rei venditæ videtur interpellare emptorem ad soluendum pretium, & interpellando constituit eum in mora irregulari, quia etsi text. in d. l. curabit. in illis verbis, *licet nulla mora intercesserit*, loquatur negatiua generali, tamen debet restringi ad moram regularem, & sic non comprehendit moram irregularem, quia hæc mora inest naturaliter per implementum traditionis rei, vt explicat Socc. d. cons. 88. abũdè & eleganter. sub num.

num. 7. ibi, nam d. l. curabit. & conf. 130. circa præsentem. num. 6. ibi, nec sub ratione. lib. 4. nam emptio, & venditio est contractus vltro citroque obligatorius, vt ex se patet;

157 † & in contractibus vltro citroque obligatorijs mora contrahitur absque alia interpellatione, quando alter adimpleuit, idem Socc. ad reg. 269. fall. 6. etiam si dies apposita non sit, Castr. tract. de societ. cap. 69. il 1. num. 3. vers. nec officialis. sicq; Socc. restringit dictam l. curabit. vt loquatur de mora per interpellationem.

158 Hæc Soccini ratio, seu verius explicatio (sit eius pace dictum) non est bona; per ea, quæ dixi in sequenti ratione.

Secunda ratio (& hæc vera) est, quia, quando quis non adimplet contractum pro parte sua, non potest ex illo contractu commodum consequi; nulla habita consideratione, an is fuerit in mora, quia non sumus in casu, in quo requiratur mora, nec regularis, nec irregularis, sic in alio proposito dixit, & benè Rot. diuers. decis. 329. fuit per dominos. sub num. 1. in Rom. duorum millium, 19. Martij 1574. coram bo. mem. Card. Seraphino, inter impressas Lugduni anno 1612. & consequenter optimo iure lex illa loquitur verbis generalibus, *licet nulla mora*, & malè Socc. ea restringit ad moram regularem; & quòd responsum Imperatorium in d. l. curabit. rationem non habeat à mora regulari, vel irregulari, scribit Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 4. sub num. 5. vers. sexto ex his.

159 Fateor tamen, quòd emptor, non adimplendo pro parte sua, est in mora; sed dico, quòd illius moræ non est habenda ratio, quia venit in consequentiam, tanquam accessorium consecutiuum, & inseparabile; & regula est, quòd in dispositione attenditur, quod principaliter agitur, & non quod venit in consequentiam, per ea, quæ in alijs terminis scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 173. & sub num. 196.

160 Consolidatur hæc secunda ratio, quia licet venditor in rei venditione promiserit emptori dare vnum fideiussorem, seu possessionem rei venditæ liberam, & hoc non adimpleat; ideoq; emptor non sit in mora, seu perfidia soluendi; tamen adhuc emptor tenetur ad vsuras recompensatiuas, quæ veniunt potius ex quadam æquitate, quàm ratione moræ, Bal. in l. 2. vsuras. num. 4. q. 10. C. de vsur. quem sequitur Io. de Anan. in cap. 8. conquestus, num. 2. in fine, de vsur. addens ipse, deberi etiam, quia per tale non implementum non minuitur vsus rei.

161 Ratio rationis est, quia & æquitati, & iustitiæ commutatiuæ, quæ in æqualitate consistit, valde repugnat, vt emptor lucretur fructus rei, cuius pretium promisit soluere, & non soluit, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 4. num. 1. versus finem, & num. 2.

Ergo si hoc interesse recompensatiuum debetur emptori ex dispositione legis, nulla ratione suaderi potest, quin eadem legis dispositio possit inter partes pacto exprimi, vt argumentatus est Dec. cons. 119. sub num. 3. in primo argumento, ibi, nam prima facie. seu, vt dicit Couar. d. cap. 4. sub num. 5. non video, cur venditor non possit stipulari sibi vsuras, vel interesse, data dilatione, & habita fide pretij, quas consequi posset æquissimè, si eam gratiam emptori non fecisset.

162 Confirmatur secundo, quia licet venditio rei, consistentis pondere, numero, vel mensura, facta pro maiori pretio ob dilatam pretij solutionem, sit vsuraria, tamen secus est in venditione domus, vel prædij, ex quibus præsertim emptor interim percipit vtilitatem, Bal in rubr. num. 4. vers. secundo quæritur. C. de vsur. & alij; quos, tuendo hanc Baldi opin. sequitur Ant. Burg. in cap. ad nostram. sub num. 18. & 19. in 2. limit. de empt. & vendit. inter Repeten. tom. 4. fol. 262.

Neque huic confirmationi obstat, quòd contrariam opinionem teneant alij, quos citant, & sequuntur Socc. d. cons. 88. sub nu. 15. vers. prima difficultas. lib. 4. & Dec. d. cons. 119. num. 13. vers. quarto non obstat. hæcq; contraria opinio sit communis, vt testatur Ant. Burg. vbi supra.

Quia respondeo; opinionem Baldi procedere, quando pretium, auctum ob dilationem datam, æquiualet fructibus, quos emptor illo medio tempore percipit, ita vt sit æqualis recompensatio; opinio vero contraria potest procedere, quando pretium auctum excederet fructus.

163 Contrariam sententiam; nempè, quòd hoc pactum, vt emptor teneatur soluere vsuras, pendente termino ad soluendum, sit illicitum, & ideo emptor ad illas non teneatur, amplexi sunt Socc. d. cons. 88. sub num. 18. in quinta difficultate, cons. 103. præsens consultatio. num. 26. vers. quinta difficultas. & sub multiplici variatione idem sequi videtur cons. 130. circa præsentem. sub num. 5. ibi,

ibi, tamen quando concurrunt. & sub num. 8 9.& 10.lib.4.quod consilium est superfluè repetitum in cons. 179. lib. 2. & cum Socc. transit Crauet.cons. 189. quando fœmina sub num. 7. vers. tertius casus. & hanc opinionem esse communiorem,& tutiorem,refert, & sequitur Socc.d.cons.88.num.18. in fine, & tu poteris videre reliquos nonnullos, citatos à Couar. d.cap.4.sub nu.5. & à Io.Bapt.Lup.d.§.7.num.15.

164 Retenta priori sententia, quæ est verior, & magis communis, nempe, emptorem teneri ex pacto ad interesse, dilatione pendente.

Extende primo eam, vt præcipuè procedat, si venditor, tradendo emptori possessionem rei venditæ, retinuerit penès se dominium, quia tunc illa venditio, donec soluatur pretium, habet naturam locationis,cum venditor, retinendo penes se dominium, possit cum eo, cui tradit possessionem, conuenire de certa mercede, & affictu, vt scribunt Abb.cons.66.duo ad claram.num.1.& seqq. & præsertim in fine, ibi, & primo ad primum.lib.1.Socc.dictis cons.88. num.14. vers.octauo.& cons.103.num.27.vers.sexta. lib. 4. Alex. cons. 121. visis & ponderatis. num.1.& seqq. lib.5.Dec.cons.119. sub nu. 3.& 4. vers.secundo hoc.Couar.var.resolut. lib.3. cap.4. sub num.4.vers.quinto ex ead. & Ioan.Bapt.Lup.in l.curabit.§.7.sub num. 13. vers. & quamuis. & clarius sub num.17. vers.illud tamen.& num.18. C.de act.empt. inter tract.diuers.tom.7. fol.122. & 123.& in hac extensione conueniunt omnes.

165 Non obliuiscaris vnquam istam extensionem, & illa tu, qui vendis, semper vtaris, quia si tu, habita fide de pretio, referues tibi dominium, & possessionem rei venditæ, donec, & quousque tibi solutum sit integrè pretium, poteris non solum conuenire de certa mercede, vt dixi in hac extensione,sed etiam præferentis in illa re omnibus creditoribus, quantumuis sint anteriores, & priuilegiati, Negusan.tract.de pignor.in secundo memb.5.part. sub num.18. vers.& etiam. tom.6.par.1.fol.227.& latius Matth. Brun. tract. de cession.bon.4.par.q.11.princ.num. 18.& 19.tom.3. par.2. fol.197. & Stracch. tract. de decoct. tit. qui pot. in bon. decoct. habean.num.7.tom.6.par.1.fol.327.

166 Subextende hanc extensionem,vt quamuis venditor sibi expressè dominium non reseruet, tamen poterit pacisci cum emptore, vt ipse emptor, dilatione pendente, habeat rem titulo locationis à venditore pro certa, & moderata pensione, Couar.d.cap.4. sub num.6. vers.nono planè.

167 Extende secundo, vt procedat etiam quando nulla est à venditore data emptori certa dilatio ad soluendum, sed simpliciter inter eos est conuentum, vt, donec emptor soluerit pretium, teneatur soluere venditori singulis annis interesse, quia isto casu nulla videtur data dilatio,quæ possit excusare debitorē à mora,& consequēter magis tenetur ad interesse, per ea,quæ adducit,licet non firmet Socc. in citatis cons.88.sub num. 18. & cons.103.num.25.vers.quarta difficultas. lib.4.& firmant Couar.d.cap. 4.num.6.vers. octauo infertur. & Io.Bapt.Lup.d.§.7. num. 16.vers.resultabit. C.de act.emp.inter tract.

168 diuers.tom.7.fol.123.† & de solito negotiari, quòd possit ab initio contractus pacisci, non tantum de interesse damni emergentis, sed etiam lucri cessantis, scribit, loquendo non in contractu venditionis, & emptionis, sed in genere, Io. Guter. tract. de contract. iurat.cap.2.sub num.5. ibi, imò, & à principio. tom.6.par.2.fol.43.

169 Extende tertio, vt hoc interesse recompensatiuum, quod diximus loco fructuum deberi venditori, ideoque posse deduci in pactum, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 152. & seqq. vers.primus. procedat etiam si res sit sterilis, ita quòd emptor ex possessione sibi tradita, nullum consequatur fructum, vt puta, quia sit silua non cedua, cuius fructus differatur ad plures annos, quia adhuc emptor,ex quò est in perfidia in non soluendo pretium, tenetur venditori ad interesse, Bal.in l.2.vsuras.num.3. vers. quæro quid si reus. C.de vsur.

170 Contrarium suadetur ex his, quæ scribit Paul. de Castr.in l.5.de diuisione. sub num. 10. ff.sol.matr. dicens, quòd mora irregularis, quæ contrahitur re ipsa ex eo, quia contractus impletur ex altera parte, facit morosum teneri de fructibus perceptis,non autem de non perceptis: & ex his, quæ scripsi sup. d.num.152.vers.primus.& seqq.dum Doct. quos ibi citaui, loquuntur in re fructifera: & ita credo verius, quia non adesset æquitas, qua mouetur l.curabit. & faciunt quæ scripsi infra num.292.rest.1.

171 Extende hæc omnia, quæ dixi de emptore, condemnando ad interesse pretij non soluti, vt procedant etiam in venditore, non consi-

consignante rem venditam, cuius pretium fuit sibi solutum ab emptore, quia & ipse venditor tenebitur emptori ad interesse recompensatiuum ad rationem fructuum rei venditæ, si sit in mora regulari, & etiam ad interesse ipsius emptoris, si sit in mora irregulari, Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 7. num. 25. vers. vnde venditor. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 123. & quòd sicut respectu emptoris, qui tradit pretium, & non habet rem, non est contractus vsurarius, si sibi promittatur iustum, & verisimile interesse recompensatiuum, ita etiam non debeat dici contractus vsurarius respectu venditoris, qui tradit rem, & non habet pretium, si ei soluatur iustum, & verisimile interesse recompensatiuum, scribit Rot. diuers. decis. 340. in quæstione. sub num. 5. & 6. parte 1.

172 Subextende hanc extēsionem, vt in casu, quo emptor pretium, quod soluit, accepisset sub vsuris, venditor, qui rem venditam non consignauit, teneatur ad illas vsuras, etiam si res, quam vendidit, esset infructifera, Bal. in l. 2. vsuras. num. 6. vers. vltimo pone. C. de vsur. Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2 q. 119. num. 30. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 33. Io. de Anan. in cap. 8. conquestus. num. 3. vers. quærit &. de vsur. & alij, quos citat Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de emp. & vendit. concl. 4. num. 19. ampl. 14. & hæc subextēsio procedit etiam in similibus contractibus, puta, in locatione, & conductione, Bal. Laur. de Rodulph. & Io. de Anan. in locis supra proximè citatis.

Quamuis Salyc. quem citant Io. de Anan. & Gabr. teneat contrarium.

Quia huius primi casus materia est ita ampla, vt si eam vndique percurrere vellem, nimis à proposito itinere deflecterem, idcirco duas tantum addam declarationes, & aggrediar secundum casum.

Prima declaratio est, quòd partes, paciscentes de interesse recompensatiuo, & illud taxantes, debent moderatè taxare, habito respectu ad fructus rei venditæ, alias si excederent fructus, taxatio esset illicita, vt declaraui supra num. 33. & 35.

173 Secunda declaratio est, quòd æquitas dictæ l. curabit. habet locum in omni contractu correspectiuo, tàm nominato, quàm innominato, Rot. diuers. decis. 340. in quæstione. num. 6. par. 1. & ideo habet locum etiam in venditione rerum mobilium, si fructiferæ sint, vt patet ex casu, de quo Rot. diuers. decis. 189. cum alias. num. 3. in fine, in Rom. census de Mutinis, mercurij 11. Decembris 1602. coram Reuerendiss. D. Sacrato inter impressas Romæ 1615.

174 Secundus casus, in quo procedit eadem sexta restrictio, posita supra num. 150. est, quādo gener facit dilationem socero ad soluendam dotem, quia potest stipulari, vt, pendente dilatione, soluatur sibi quid annuum pro alimentis, instar venditoris, de quo scripsi supra num. 152. in primo casu præcedenti; nam quòd hæc stipulatio, seu pactum sit licitum, secuti videntur Abb. in cap. 16. salubriter. num. 3. Ambr. de Vign. sub num. 13. vers. secundo casu. & num. 14. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 13. Dec. in cap. 7. cum venerabilis. sub num. 63. 64. & 65. de excep. & clarius Bal. Nouel. tract. de dot. par. 7. priuil. 3. num. 4. tom. 9. fol. 220. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. col. antepenult. ibi, sed quid si gener. fol. 539. Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 213. versus finem, vers. ex qua. ibi, secundum posse. Couar. var. resol. lib. 3. cap. 1. sub num. 3. vers. quarto hinc. & vers. quinto eodem iure. & Virg. de Boccat. tract. de interd. vti possid. cap. 18. num. 83. tom. 3. par. 2. fol. 314. & esse veriorem, & communem sequitur Couar. vbi supra.

Confirmatur primo hæc opinio (& confirmando, vtilia cumulamus) quia gener, recipiendo à socero fundum, vel domum pro pignore, seu loco dotis, sibi promissæ, & non solutæ, non cogitur fructus, quos ex illo fundo, seu domo percipit, computare in sortem, cap. 16. salubriter. & ibi Canonistæ de vsur. Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 2. vers. ad cap. salubriter. fol. 312. & seqq. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. col. 13. initio, ibi, grauius tamen. fol. 539. Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 321. initio, & per totam, col. 288. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 14. num. 1. 2. & 3. qui latè insistunt de ratione, Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 64. not. 20. 14. q. 3. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. in 3. cas. hæcq; confirmatio ex dispositione statutorum Vrbis lib. 1. cap. 137. procedit, etiam soluto matrimonio per mortem alterius coniugis, cum hac conditione, (quando est mortua vxor) si ex ea extent communes filij.

Confirmatur secundo, quia eadem ratione,

ne, vt mulier dotata alatur ex dote, vidua mortuo marito, potest à patre, qui dotem nondum soluit, vel à mariti hæredibus, qui dotem solutam non restituunt, accipere fructus pro se alenda, Sot. d. art. 2. col. penul. circa initium, ibi, atqui ex eadem radice fol. 540.

Et licet hoc, quod scribit Sot. de soluendis fructibus viduæ ab hæredibus mariti, non sit verum post annum à morte viri, inspecto iure communi, per ea, quæ sequitur Hieron. Gabr. cons. 152. iure communi. num. 1. & 2. lib. 2. & in Vrbe, & districtu procedat solum vigore statutorum, d. cap. 137. confirmatorum à Papa, quæ fructus dotis taxãt, & mandant, solui post moram non solutæ dotis, marito promissæ, & post iudicialem interpellationem, per viduam factam pro illius restitutione; tamen hoc statutum, vti correctorium iuris communis, non extenditur vltra personam viduæ, & ideo non habet locum in filijs, & hæredibus viduæ, Hier. Gabr. d. cons. 152. num. 3. & seqq.

175 Contrariam opinionem, nempè, hoc pactum esse illicitum, & ideo non tenere, videntur post varias distinctiones secuti in effectu Ant. de Butr. in d. cap. salubriter. num. 6. Archiepisc. Floren. tract. de vsur. cap. 2. §. 27. num. 44. tom. 7. fol. 83. & tenent apertè Io. Andr. in d. cap. salubriter. num. 1. Socc. cons. 88. abundè. num. 10. vers. quarto ad idem. & num. 11. lib. 4. Dec. cons. 116. in causa aloysij. sub num. 6. Crauet. cons. 189. quando fœmina. sub num. 7. vers. quintus casus. & sub num. 8. vers. circa secundum. & esse veriorem, & securiorem, sequitur Socc. vbi sup. & esse communem, tutiorem, ideoq; tenendam, scribit Crot. d. cap. salubriter. num. 25. vers. circa secundum. inter Repet. tom. 4. fol. 370.

176 Retenta prima opinione, quòd pactum de soluendo aliquid annuatim pro alimentis, seu fructibus, sit licitum, tùm ob rationem, quam adduxi infra vers. ratio. tum quia seruatur in praxi.

Declara eam, vt præcipuè debeantur, quando maritus, cui debetur dos, est eius conditionis, vt, si pecuniam dotalem habuisset, verisimiliter illos fructus conuentos lucratus esset, ex quo est solitus negotiari, & lucrari, prout in his terminis loquuntur Abb. & Nauar. in locis citatis supra nu. 174. & Bal. Nouel. d. priuil. 3. num. 4. vers. & ex prædictis. fol. 24.

Pro pinguiori intelligentia, & praxi huius secundi casus, sic declarati, & eorum, quæ in hac fructuum doralium materia solent occurrere, sunt considerandæ plures facti species.

177 Prima facti species est, quando gener facit dilationem ad soluendam dotem; & in hac facti specie concludo, fructus non deberi, Abb. in cap. 16. salubriter. sub num. 3. Io. de Anan. sub num. 6. ibi, ant. dicit quòd ista materia, &c. & num. 8. & Ambr. de Vign. sub num. 14. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 13. quia sicut maritus potest vxorem ducere absque dote; ita multò magis potest ducere cum dote, soluenda ad tempus, & hoc procedit etiam in terminis statutorum Vrbis, lib. 1. cap. 137. quia loquuntur in casu moræ, vt dixi infra in quarta facti specie.

Extende hanc conclusionem, vt procedat etiam si socer, nulla facta conuentione de tradendo pignore, illud postea ex sua liberalitate daret genero, & esset pignus fructiferum, quia illud censeretur dedisse solum pro cautela, & non in præiudicium dilationis, vt interim lucraretur fructus ex illo pignore; secus si socer ab initio dilationis daret pignus, quia tunc censeretur dedisse, vt fructus lucretur, Abb. in d. cap. salubriter. num. 3. versus finem, quem ibidem refert, & in hoc non impugnat Io. de Anan. sub nu. 6.

Infero, magis declarando hanc extensionem, quòd vbicunque appareret ex expressa, vel tacita conuentione, quòd pignus daretur solum pro cautela, & securitate, fructus, ex pignore percepti, essent semper restituendi, vel computandi in debitum doris, siue pignus esset datum post contractum matrimonium, siue in ipsius matrimonij contractu, & cum hac illatione concordat Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 321. vers. quinto colligo. col. 292.

Secunda facti species est, quando gener nullam verbis facit dilationem ad soluendam dotem, sed tamen eam facit re ipsa, tacendo, & eam non petendo: & in hac facti specie dicendum est idem prorsus, quod in præcedenti, quia donec maritus dotem non petit, facit dilationem, & consequenter

178 cessat mora, sine qua interesse non debetur etiam in causa dotis, per ea, quæ dixi supra num. 190.

Nec dicatur, quòd imò eo ipso, quòd maritus adimplet pro parte sua, sustinendo onera matrimonij, socer est in mora, non soluendo

uendo dotem, quia hoc idem adduxi & solui infra vers. non obstat. & vers. seq. ad illum.

Tertia facti species est; quando gener facit dilationem ad soluendam dotem, sed cum pacto, quòd sibi interim debeantur fructus, seu quid annuum pro alimētis, & oneribus matrimonij: & in hac facti specie sunt hinc inde opiniones communes, de quibus per Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 1. sub num. 3. vers. quarto hinc. & ego supra sub num. 174. & seqq. secutus sum affirmatiuam, & rationem adduxi infra vers. ratio.

Quarta facti species est; quando debitor dotis est morosus, quia fuerit à die, vel ab homine interpellatus: & in hac facti specie ego concluderem cum Abb. in d. cap. salubriter. sub num. 3. de vsur. quòd fructus dotis debeantur, si maritus sit solitus negotiari; secus si non sit solitus negotiari, aut aliter non doceat de interesse lucri cessantis; nisi essemus in loco, vbi seruarentur statuta Vrbis, quæ, nulla habita consideratione, an maritus sit solitus negotiari, mandant, solui fructus dotis post moram non solutæ dotis, marito promissæ.

Quinta facti species est; quando debitor dotis est morosus post mortem mulieris: & in hac specie etiam si essemus in dicto Vrbis stat. 137. fructus dotis adhuc non debentur secundum Hier. Gabr. cons. 152. iure communi. num. 3. & seqq. lib. 2. quia statutum prædictum non loquitur in casu soluti matrimonij per mortem mulieris, sed per mortem viri, & quia est statutum correctorium iuris communis, non debet extendi vltra personam, in qua loquitur.

Sexta, & vltima facti species est; quando genero datur pignus, detinendum donec soluatur dos: & in hac specie concludo, fructus pignoris nō computari in sortē, per tex. in d. cap. salubriter. & scripsi supra nu. 174. & declaraui sup. hoc eod. nu. vers. extende.

Ratio huius conclusionis, seu verius dicti cap. salubriter. (omissis rationibus, quas Canonistæ, & Theologi citati supra sub nu. 174. excogitarunt, quia non sunt solidæ) potest esse, quia certi iuris est, quòd pater tenetur alternatiuè, filiam vel alere, vel ei congruam assignare portionem, ex cuius fructibus possit se alere; & licet, si eam nuptui tradat, videatur se eximere ab hac obligatione, etiam si dotem non consignauerit; quia obligatio alendi tūc pertineat ad maritum, tamen distinguo duos casus. Primus casus est; quando socer, & gener in contractu matrimonij conueniunt, quòd pater, cum dotem non soluat, non sit exemptus ab obligatione alendi filiam, sed teneatur propterea loco alimentorum quid annuum soluere, donec non soluerit dotem; & idem est, quando sine alia expressa conuentione daret loco alimentorum pignus fructiferum: & hoc casu, seu casibus eiusmodi conuentio est licita; quia illi fructus, qui soluuntur, seu percipiuntur ex pignore pro alimentis, non percipiuntur ea ratione, quòd illa temporis dilatio ex se ipsa immediatè pariat illud lucrū, neque ratione alicuius lucri cessātis, seu damni emergentis; & in hoc communiter decepti sunt Doct. & præsertim Theologi, sed percipiūtur ex obligatione primæua patris, & proinde siue maritus cesset à lucro, siue non cesset ob non solutam dotem, licitè percipiuntur: nam sicut pater fuisset obligatus alere filiam, si eam nuptui non tradidisset, nulla babita consideratione, an pater ex portione, seu dote, quam debet filiæ, lucrum faciat, vel non faciat; ita etiam in casu isto, cum natura suæ obligationis substantialiter non sit alterata, debentur alimenta, & loco alimentorum debentur fructus, nulla babita consideratione lucri, seu damni. Secundus casus est; quando pater filiam maritauit, dote non consignata, & sine prædicta conuentione, seu pignoris traditione: & isto casu dico, quòd gener non potest à socero exigere aliud, quàm dotem, quia vel vult exigere alimenta, & dico quòd non potest, quia ipse maritus tenetur eam alere, etiam si dotem non habuerit, & ideo, eam alendo, non inita prædicta conuentione, seu non accepto pignore, videtur voluisse alere ex propria sui mariti obligatione; vel vult exigere fructus ratione interesse lucri cessantis, & dico, quòd non potest, nisi probatis requisitis necessarijs ad consequendum interesse.

Extende banc conclusionem, eiusq; rationem, vt habeat locum non solùm in pignore, dato à socero, sed etiam in pignore, dato à quouis alio, qui dotem promiserit, & pro dote pignus dederit, quia quicumque mulierem dotat, assumit in eo officio munus paternum, & consequenter tenetur sicut pater, & ita seruatur in omnibus tribunalibus, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 14. sub num. 2. vers. sed hæc explicatio. & vers. seq. fol. 292. tom. 2.

De fructibus dotis viduæ, non restitutæ, & de

de fructibus pignoris, dati viduæ ab hæredibus mariti, vide supra q. 1. sub num. 315. & hac ead. ampl. sub num. 174. confirm. 2.

Non obstat, quòd Alex. conf. 147. perspectis. num. 1. & sqqq. lib. 5. & multi alij, qui possent allegari, voluerint indistinctè vsuras, idest, fructus dotis esse soluendos à die consumati matrimonij, & quo maritus cœpit sustinere onera matrimonij, quasi sit probata mora, quia cum contractus matrimonij sit vltrò, citroque obligatorius, statim atque maritus consumauit matrimonium, & incœpit sustinere onera matrimonij; & sic adimpleuit pro parte sua, socer, non soluendo dotem, est in mora absque alia interpellatione, & ante biennium, vt considerat Alex. vbi supra, & faciunt quæ scripsi supra q. 1. num. 372. & 373. & supra hac ead. ampliat. num. 158. & quasi sit etiam probatum interesse damni emergentis, cum maritus sustineat omnia onera matrimonij.

Quia respondeo distinguendo duo membra principalia. Primum mẽbrum est, quando fructus dotis peterentur, vti vsuræ: & in hoc membro distinguo inter ius ciuile, & ius canonicum: si enim loquimur de iure ciuili, admitto sine veri præiudicio, quòd vsuræ dotis possint deberi; siquidem ius ciuile permittebat, seu tolerabat vsuras saltem moderatas, non solum in causa dotis, sed indifferenter in omnibus, vt ex D. Thom. Medina Io. Andr. & alijs retuli infra ampliat. 10. sub num. 45. &, loquendo de hoc iure ciuili, possent procedere quæ scribunt Alex. & alij Legistæ: si verò loquimur de iure canonico, dico, vsuras dotis nullo modo posse peti, quia ius canonicum districtè prohibet vsuras, vt scripsi supra q. 1. num. 401. & quia ius canonicum præualet isto casu iuri ciuili, ex quò agitur de materia peccati, attendendum est quid sit dispositum à iure canonico; & quid dicant Canonistæ, quibus in hoc standum est, & non Legistis; sed Canonistæ in d. cap. salubriter. de vsur. negant in specie, deberi vsuras dotis, quia etsi dos sit causa pia, & quantumuis priuilegiata, tamen vsura non debet admitti, per ea, quæ secutus sum infra §. 3. gl. 3. sub num. 43. siquidem pecunia pecuniam numquam parere potest. Secundum membrum est; quando fructus peterentur, non vti vsura, sed vti interesse lucri cessantis, & damni emergentis: & in hoc mẽbro concludo deberi, si probentur requisita, de quibus Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. num. 3. ff. de eo, quod cert. loc. quem sequitur in hoc totus mundus, & passim Rot. Rom. vt retuli infra sub num. 354.

Et quatenus Alex. supra citatus, & alij Doct. qui scripserunt, fructus dotis deberi, loquerentur in hoc membro, nego constare de mora, & de interesse damni emergentis; quia quoad moram, resultantẽ ex adimplemento pro parte mariti; dico, quòd haberet locum, quando dos promissa consisteret in re fructifera, puta in domo, cuius pensiones socer exigeret, vel in censu, cuius exigeret fructus, quia tunc ex æquitate l. curabit. marito deberentur illi fructus, quos socer indebitè perciperet; secus quando dos debetur in pecunia numerata; quia tunc requiritur mora per interpellationẽ, hocq; moræ requisitum visum fuit necessariũ conditoribus statutorũ Vrbis. lib. 1. cap. 137. cum mora per implementum factum ab altera parte, & æquitas d. l. curabit. non habeat locum ob multas rationes, quas scitè, articulo discusso, adducit Bal. in l. vlt. cum quidam. §. præterea. sub num. 9. vers. sed hic reuoco. C. de iur. dot. quem sequitur Io. de Anan. in cap. 16. salubriter. num. 5. ibi, modo maritus vult agerè. de vsur. & dato, quòd, etiam promissa dote in pecunia numerata, esset commissa mora, tamen nego, constare de damno emergente; quia eiusmodi damnum emergens, consideratum in alimentis, alijsque oneribus matrimonialibus, resarcitur solutione dotis; ideo enim datur dos ante, vel post, vt sustineantur ista onera; quare dum maritus ea proprijs sustinet pecunijs, conseruat dotales, dum verò sustinet dotalibus, conseruat suas: vnde aliunde probandum est damnum emergens, seu lucrum cessans; quicquid in contrarium videantur scripsisse Io. de Anan. in d. cap. salubriter. sub num. 8. vers. sed forte. versus finem, & Crot. sub nu. 23. dum scribunt, quòd maritus agit de interesse consistente in damno, cum expendat de suo, alendo vxorem.

Infero ex dictis in secundo membro huius responsionis, laudabilem esse cautelam, vt creditor dotis faciat in iudicium vocari socerum, aliosq; dotis promissores ad soluendam dotem, & iudex eos condemnet ad soluendum infra decẽ, seu viginti dies, alioqui post eam diem constituant super proprio patrimonio annuum reditum redimibilem, quia hac cautela in loco, vbi adest frequens commercium emendi hos annuos reditus, iusti-

iustificantur fructus dotis, accedunt enim magna mora, nempè, cum sententia, & existentia occasionis lucrandi; quare hanc cautelam, seu praxim, vti iustam, seruari sæpissimè in Curia Granatensi, scribit Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 1. sub num. 3. vers. octauo hinc.

Firmata conclusione, quòd fructus, seu interesse ex dote, debita in pecunia numerata, non debeantur, nisi probatis mora, & interesse lucri cessantis, seu damni emergentis.

Extende primo eandem conclusionem, vt procedat etiam, stante statuto, quòd fructus dotis soluantur, quia eiusmodi statutum non valeret secundum ea, quæ scribit Hier. Gabr. cons. 152. iure communi. sub num. 2. lib. 2. & videtur sentire Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 1. sub num. 3. vers. octauo hinc.

Contrarium tenent Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. & Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 321. in fine, & secutus sum ex Ias. infra §. 6. gl. 1. sub num. 49. vbi videas.

Retenta tamen, si placeret, extensione, Gabr. vbi sup. eam restringit, vt non procedat, si statutum sit confirmatum à Papa, & Couar. vt non procedat, si in loco soluendæ dotis sit frequens commercium vendendi, & emendi annuos redimibiles census; & ita concordar Caietani opinionem; sed de vtraque restrictione posset dubitari; nam, supposito, quòd hæc annua fructuum præstatio esset vsura, Papa non dispensaret, per ea, quæ secutus sum supra q. 1. num. 311. & 314. nec certè fuisset eius intentionis dispensare, & confirmare: nisi dicamus, quòd Papa non dispensat, sed, vbi est dubitatio, interpretatur, quod vtique potest, & est eius proprium, quia ad eum spectat; & ita teneo absque vlla difficultate, quòd statutum valeat, & ita indubitanter seruatur: cæterum in statutis, non confirmatis à Papa, & supposita vsuræ dubitatione; illa commercij frequentia emendi reditus annuos, qua saluat opinionem Caietani, non sufficeret, nisi strictè constaret de interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, prout requirit Paul. de Castr. & strictius Rot. Rom. quos secutus sum sup. num. 99. & infra num. 223. & 246. & seqq. & tunc statutum seruiret de vento, quia, etiam statuto circumscripto, probatis requisitis, deberentur ex dispositione iuris communis, & sic non ex statuto.

Extende secundo, vt multò magis procedat post solutum matrimonium per mortem alterius ex coniugibus; quia alteri superstiti coniugi, etiam extantibus filijs communibus, fructus non debentur.

Nec obstat, quòd contrarium scripserint Ios. Cumia in ritib. Sicil. cap. 94. de interusurio dotis. num. 22. vers. ampliatur. & Borgnin. decis. 26. sub num. 25. par. 3. & remissiuè ad hanc, in decis. 22. num. 18. in fine, par. 4.

Nam respondeo dupliciter. Primo, quòd Ios. Cumia loquitur in terminis ritus Siciliæ, quo disponitur, vt debeatur interusurium dotis, ad rationem quinque pro centenario; & Borgn. d. decis. 26. sub num. 25. loquitur in casu, in quo conuenerant de soluendo certo, & taxato interesse, quo casu fructus esse soluendos, dixi supra num. 174. Cæterum, circumscripto ritu, Cumia in eod. tit. num. 1. & seqq. vsque ad num. 6. in terminis iuris communis dicit contrarium. Secundo respondeo, quòd Borgnin. supponit, fructus dotis esse soluendos, constante matrimonio, & in hoc decipitur per ea, quæ scripsi supra vers. quia respondeo. vnde si non sunt soluendi, constante matrimonio, ruit eius fundamentum: & ad Cumiam respondeo, quòd ipse tenet, ritum illum, loquentem de interusurio dotis, soluendo viduæ, mortuo marito, extendi etiam ad casum, quo vxor sit mortua, & superstes sit maritus; quod negat Gabr. d. cons. 152. lib. 2. à nobis relatus supra vers. quinta facti speciei. & iure, quia iste ritus est correctorius iuris communis, & ideo non debet extendi.

Minus obstat Rotę decisio coram R. P. D. Pamphillo in Senogalien. de anno 1606. quam vidi allegari contra casum huius extensionis; quia etsi illa decisio dicat, statum dotis non mutari propter mortem vxoris, ideoq; competere adhuc viam executiuam ad exigendam dotem, ac si vxor viueret, (quod certè est verissimum) tamen non facit ad rem, cum ostenderim, fructus non deberi, etiam constante matrimonio; vltra quòd facilius est extendere viam executiuam, quàm debitum fructuum, qui habent vsuræ rationem.

Et hæc sufficiant de secundo casu, posito supra num. 174.

177 Tertius casus, in quo potest procedere eadem sexta restrictio, posita supra nu. 159. est in mutuo; sed iste casus virtualiter est idem cum subampliatione quarta, de qua supra num. 62. quare Doct. qui loquendo in illa

illa subampliatione, dicunt, quòd interesse lucri cessantis, conuentum in contractu mutui, debetur, seu, quòd potest de eo pacisci ab initio, nos citabimus hic, dum agimus, an facta mutuatario dilatione cum prædicto pacto, requiratur alia mora.

Prima opinio est negatiua, quòd mutuãs non possit mutuatario facere certam dilationem ad restituendum mutuum cum pacto, quòd interim, pendente dilatione, debeat eidem mutuanti soluere interesse, seu, quòd, finita dilatione, debeat restituere tàm capitale, quàm interesse decursum tempore dilationis, Crauet. cons. 87. sempronius. sub nu. 5. vers. circa secundum. & fusius cons. 189. quando fœmina. sub num. 7. vers. videamus. dicens, quòd, si talis conuentio valeret, de facili mercatores applicarent animum ad ita mutuandum, quia lucrum esset tutius, & frequentius, & pecunia pecuniam acquireret, &, quòd non liceat ab initio mutui pacisci de interesse lucri cessantis sine mora, scribit Io. Bapt. Lup. in Lcurabit. §. 6. nu. 13. vers. sed rectius. iuncto toto nu. 12. & apertius num. 21. vers. quæritur etiam. & nu. 25. vers. quamobrem. C. de act. empr. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. &, quòd non liceat ab initio contractus mutui pacisci de interesse lucri cessantis, sequitur esse veram, & receptam opin. Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. num. 11. vers. cæterum dubitati. & in alia impressione cent. 6. cas. 119. num. 18. & quòd is, qui sua sponte, hoc est, absque vi, & fraude suam à sua industria alienat pecuniam, non possit ante moram solutionis de lucro cessante pacisci, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 2. col. vlt. circa initium, fol. 611. & cum hac opinione forsan residet Gabr. in concl. lib. 3. tit. de solut. concl. 10. num. 4. in fine, limit. 1. dum conclusionem, in qua dixerat, creditorem posse petere interesse post moram debitoris, limitar, dummodo non fiat ante moram ex conuentione, & postea contrariam adducit opinionem; & cum hac opinione concordat prima opinio, quam adducit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 9. sub nu. 1. vers. his positis. fol. 256. vbi, proposita controuersia, an mutuanti liceat in pactum ducere lucra cessantia; eamq; nimis prolixè examinans, inquit, primam opinionem esse Innocentij, & nonnullorum Canonistarum, qui dixerunt, quòd sicut damnum emergens, ita & lucrum cessans non potest exigi, nisi mutuatarius fuerit in mora; & certè hæc opinio videtur esse de mente Innocentij, Io. Andr. Calder. Salyc. Stracch. & aliorum, qui testantur etiam, esse communem, prout eos sigillatim, & fideliter citaui supra num. 9. vers. primum. vbi videas.

Imò D. Thom. quem retuli infra nu. 270. in fine, videtur, loquendo de lucro cessante; tenere hanc opinionem negatiuam absolutè, & simpliciter; & sic etiam si interuenisset mora, prout aduertit, formando opinionem distinctam pro secunda opinione, Mich. Sal. d. contr. 9. sub num. 1. vers. secunda opinio. fol. 256. vbi pro ea alias adducit auctoritates, eamve decem nititur confirmare argumentis: Verum ego opinionem hanc non numero, tum quia contrariam opinionem, supposita mora, suppono indubitabilem infra sub num. 183. vers. primo concludo, tum quia Mich. Sal. postea ead. contr. 9. sub num. 18. vers. ad argumenta. & seqq. fol. 267. explicat sententiam Diui Thomæ, vt admittat, etiam ex pacto posse deberi lucrum cessans.

178 Secunda opinio est affirmatiua; quòd mutuans possit pacisci de interesse, vt conseruetur indemnis, & hanc opinionem expresse secuti sunt Nauar. in cap. si fœneraueris. not. 15. sub num. 42. vers. tertio inter omnes. 14. q. 3. & in cons. 6. mercator. sub num. 1. vers. respondetur. lib. 5. de vsur. Couar. var. resol. lib. 3. cap. 4. sub num. 5. vers. sexto ex his. ibi, item & illud. Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 33. sub n. 2. vers. conueniũt tertio. in fine, & eandẽ opinionem videtur secutus Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 105. ibi, alij verò, dum hanc opinionem refert postremo loco, & esse communem testantur Nauar. & Couar. in locis supra proximè citatis, & pro hac opinione multi alij allegantur, quorum aliqui non loquuntur in terminis; & aliqui tenent oppositum, vt contra Couar. qui eos citauit, admonet Io. Bapt. Lup. d. §. 6. num. 25. & contra Couar. & Nauar. admonuit etiam sub num. 13. Sed quicquid sit de vera, vel non vera horum allegatione, possunt pro hac opinione allegari Host. vti antesignanus, Io. à Capistr. & multi alij, loquentes sub varijs terminis, quos latè secutus sum supra num. 4. & 6. & apertè, re sæpius discussa, hanc secundam opinionẽ secura est Rot. diuers. decis. 331. sententiam. n. 9. vers. nec facit quod. in Ianuen. pecuniaria. coram Illustris. Card. Lancel-

Lancellotto, lunæ 6. Iunij 1611. & rursus decis. 372. domini censuerunt. num. 6. vers. non obstat quod. coram R.P.D. Vbaldo, veneris 1. martij 1613. in impressis Romæ 1615. &, quòd qui sua sponte mutuatario roganti mutuat, possit licitè cum eo pacisci de lucro, quod sibi cessat intra terminum, ad quem mutuum exigitur, & antequam mutuatarius sit in mora soluendi mutuum, scribit Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 315. vers. quod potissimum. col. 273. &, quòd mutuans possit pacisci cum mutuatario, vt sine alia mora teneatur soluere mutuatori damnum emergens, secutus sum ex communi opinione infra num. 181. in 4. opin. & etiam teneatur soluere interesse lucri cessantis, sequitur ex probabiliori, & veriori sententia, citatis multis, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7. q. 6. vers. verum dubiæ. & vers. secunda est sententia. & quòd Doct. tàm ex Theologis, quàm ex Summistis, & Iurisperitis amplectantur communiter hanc opinionem, vt mutuanti, qui suas habet pecunias, expositas negotijs, & lucris, ducere liceat in pactum lucrum, sibi cessans, seruatis quibusdam conditionibus, scribit Mich. Sal. d. contr. 9. sub num. 1. vers. tertia opinio. fol. 257. vbi multos citat Doct. & quæ conditiones seruari debeant, scripsi supra num. 76. & seqq. vsque ad num. 93. inclusiuè.

179 Tertia opinio distinguit: Aut mutuator spontè offert mutuare pecunias: & tunc nullo modo potest pacisci de lucro cessante, & paciscendo committit vsuram; quamuis pecuniæ, quas mutuat, sint verè expositæ negotiationi, & lucrum sit probabile, & ipse mutuator non habeat alias pecunias exponendas: Aut mutuator mutuat rogatus pecunias, quas habet negotiationi expositas: & isto casu oritur discordia prædicta inter grauissimos Doctores, in qua discordia potest quis probabilem sententiam securè amplecti, Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 33. sub num. 2. vers. conueniunt tertio. & ipse amplexus est opinionem affirmatiuam, vt eum retuli num. præced. in secunda opinione, & cum hac tertia opinione distinguente concordat in effectu, & per alia verba Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 7. q. 6. vers. quæres quando. col. 552. dicens ex communi sententia, quòd si damus mutuo pecunias, vel rogati, vel indigentis necessitate permoti, vel alterius auctoritate, & iussu coacti, eamvè pecuniam in negotiatione positam habebamus, ex qua certò, vel probabiliter lucrum erat nobis venturum, tunc nobis lucrum cessans, deductum in pactum, debetur sine alia mora; secus, inquit, si sponte nostra mutuum alteri damus, & à lucrando vltrò desistimus, vel si ea pecunia nulli erat exposita negotiationi; quia supererat, cum altera ad negotiationem sufficeret, vel lucrum futurum non erat, sed tantum contingere poterat.

180 Pro, & contra primum membrum huius opinionis vide supra num. 88. in 12. requis.

181 Quarta opinio videtur conciliãdo distinguere, vt respectu lucri cessantis sit vera prima opinio negatiua; respectu verò damni euitandi sit vera secunda affirmatiua, Ioan. Bapt. Lup. in d. l. curabit. §. 6. sub num. 12. 13. 24. & 25. & in hac opinione residet in effectu Menoch. d. casu 119. num. 11. vers. cæterum dubitari. quem retuli supra num. 177. in prima opinione, & infra hoc eodem num. &, quòd mutuans possit damnum emergens consequi, quando tempore, quo mutuauit, de illo pactus est, præueniendo, ac monendo mutuatarium de damno, quod ipsi mutuanti poterat euenire, vt puta, domus ruinam, annonæ penuriam, & similia, scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 3. concl. 3. col. 4. fol. 542. Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. sub num. 12. vers. secundus est casus. & in alia impressione cas. 119. sub num. 20. vers. & primo. cent. 6. & Card. Tolet. tract. de instruct. sacerd. lib. 5. cap. 32. num. 4. & 5. vers. vno modo. & vers. de damno. & in hoc omnes conuenire, scribit Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 42. vers. tertio inter omnes. 14. q. 3. † &,

182 quòd mutuator, qui, vt mutuet centum amico, accipit illa centum mutuo ab alio sub vsuris de mandato, seu consensu dicti amici, & propterea de illis centum vsuras soluit, possit ab amico repetere centum, & vsuras, quia sufficit, quòd amicus dixerit ei, quòd se indemnem conseruet, refert, & sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. in 2. cas. vers. sed quid de eo. & quòd ab initio contractus mutui non liceat pacisci de interesse lucri cessantis, licet aliud sit in damno emergente, scribit Boninf. quem retuli supra num. 24. in fine, vers. comprobatur. & hanc esse veram, & receptam opinionem, sequitur Menoch. d. cas. 119. num. 11. & in alia impressione num. 18.

cent.6.& quòd mutuatarius ex pacto, apposito in mutuo, teneatur ad omnia damna, ex illo mutuo subsecuta, tàm antè morã, quàm post morã, scribit Mich. Sal. ad D. Tho. 2.2. q.78.art.2.contr.8.n.17.&, quòd, exceptis paucis, omnes tàm Iurisconsulti, quàm Summistæ, & Theologi communi consensu tradiderint, posse exigi interesse damni emergentis etiam absque mora debitoris, quando interesse fuit deductum in pactum mutui, scribit Io. Azor. de instit. moral. pat.3.lib.7.tit. de mut.cap.7. q.6. vers. de damno. & quòd mutuatarius teneatur satisfacere de damno emergente tàm post moram, quam ante, scribit motiuando Medin. in suis tract. tom. 2.tit. de reb. per vsur. acquis. q.3. vers. si dicas hoc. fol.320.

183 Quid dicendum isto casu, qui est vnus ex difficilioribus, & grauioribus, qui possint occurrere in disputatione de vsuris, vt in controuersia; an mutuanti liceat in pactum deducere lucra cessantia; exorditur Mich. Sal. ad D.Thom. 2.2.q.78. art.2. controu.9. tom. 2. fol.255. & ideo tanto opinionum conflictu agitatur, & in eo Doctores non solum dissident inter se, & variè alios citant, sed aliqui allegantur pro vtraque parte, vt contra Nauar. & Couar. scribit Lup. d.§.6. sub num.13.& num.25. vt retuli supra num. 178. in secunda opinione.

Breuiter duas statuo conclusiones.

Concludo primo, quòd huius tertij casus disputatio non habet locum, quando vltra pactum lucri cessantis, in mutuo appositum, mutuatarius constituitur in mora per interpellationem hominis, vel diei, quia tunc omnes Doctores concordant, quòd à tempore moræ debeatur interesse: & ratio est euidens, tum quia mutuatarius post moram tenetur ad interesse, etiam circumscripto pacto, & hoc non videtur posse reuocari in dubium, cum solum dubitetur, an mutuum cum interesse, iustè exigendo, transeat in aliam speciem contractus; vt patet ex his, quæ scripsi hac ead. q. par. præced. nu.70.& seqq. & hac eadē ampl. sup. nu.20. tum quia emendatio damni debetur etiam de iure diuino, vt secutus sum sup. num.96. & 97. & nullo iure excipitur emendatio damni dati à mutuatario; imò illa magis includitur, quia valde iniquum esset, vt mutuatarius, qui tenetur mutuatori gratias agere de mutuo, posset loco gratiarum damnum dare: sed emendatio interesse est emendatio damni, quia interesse est damnum, vt scripsi sup. d. num.96. ergo.

Concludo secundo illatiuè ex præcedenti, quòd disputatio remanet solum, quando adest pactum, non requisita alia mora: & in hac disputatione concludo, adhuc non esse recedendum à secunda opinione affirmatiua, quòd pactum sit licitum, per ea, quæ secutus sum in tota hac ampliatione num.1. & seqq. & præsertim num. 62. & 96. ex quibus satis apparere potest, opinionem hanc esse veram, & communem.

184 Extende primo hanc conclusionem, seu secundam opinionem, vt in foro interiori possit procedere, non solum in interesse lucri cessantis, in quo locuti sumus, sed etiam in pœna conuentionali, vt puta, mutuo cum pacto, quòd teneraris mihi mutuatum reddere infra annum, alias, si non reddideris, tenearis restituere sortem, & vlterius decem, hancque extensionem sine distinctione fori tenent Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 3. concl. 1. in solutione dubitationis, fol. 541. Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib.5. cap.32. num.1. & de communi opinione Io. Azor. de institut. moral. par.3. lib.5. tit. de vsur. cap.6. quæst. 5.

185 Secus in foro exteriori, quia in eo pœna conuentionalis, adiecta mutuo, est suspecta de vsura, & ideo non tenet, per ea, quæ secutus sum sup. num. 27. & 29. Imò pœna conuentionalis exigi non potest, non solum in contractu mutui, sed neque in alijs contractibus, nisi prout declaraui in meo tract. de iud. caus. lib.2. cap.2. num.377. & 378. & cap.8. num.520.

186 Retenta hac extensione in foro interiori. Declara, vt procedat, si interueniant quatuor conditiones: Prima est, vt mutuans pœnam adijciat principaliter ad effectum, vt debitor satisfaciat de capitali, & hoc desideret magis, quàm pœnam, alias si mallet sibi in termino non satisfieri, vt consequatur pœnam, tunc committit vsuram mentalem. Secunda, vt mutuans probabiliter ignoret, mutuatarium non valiturum soluere tempore statuto, alias si probabiliter cognoscit, non valiturum soluere, committit vsuram: secus si timeret, & ideo pœnam imponeret, quia tunc ratio impositionis pœnæ est, vt soluatur capitale. Tertia, vt si deinde mutuatarius sine sua culpa factus est impotens ad soluendum, mutuator pœnam non exigat. Quarta, vt si pars debiti sit soluta,

luta, non exigatur pœna, nisi pro rata partis non solutæ, Card. Tolet. d. cap. 32. num. 1. & 2. cum tertia conditione concordant quæ scripsi supra sub num. 101. vers. amplia primo. & cum hac quarta conditione concordat Io. Azor. d. cap. 6. in fine, vers. quæres tertio.

187 Extende secundo, vt maximè procedat, quo ad interesse damni emergentis, in hoc enim conueniunt omnes, vt dixi hic supra sub num. 181.

188 Subextende hanc extensionem, vt possit pacisci non solum de damno, quod est præsens, & certum, vt secutus sum supra num. 54. sed etiam de damno, quod probabiliter timetur, & formidatur, quia quamuis non sit omnino certum, & ideo nondum euenerit, & sit minus quàm præsens, tamen siue eueniat, siue non, dummodo non paciscatur de toto damno formidato, pactum erit licitum, vt scribit Card. Tolet. quem secutus sum supra sub num. 79.

189 Intellige hanc subextensionem, dum loquitur de damno futuro, vt in damno sine taxatione habeat locum tam in foro interiori, quàm in foro exteriori, per ea, quæ dixi supra num. 1. & seqq. sed in damno taxato procedat solum in foro interiori, per ea, quæ secutus sum supra num. 75. & seqq.

191 Tempera eandem secundã extensionem, vt de damno non probabili pacisci non possit certo modo; quia esset vsura, sed poterit pacisci solum sub conditione, nempè, mutuo tibi hac lege, vt, si quid damni mihi ex mutuo acciderit, tu resarcias; si verò nihil acciderit, ad nihilum vltra sortem tenearis, Card. Tolet. d. cap. 32. num. 5. vers. de damno. hocq; temperamentum est verissimum, per ea, quæ secutus sum infra num. 292. vbi videas.

192 Extẽde tertio, vt procedat indistinctè tàm in mutuo coacto, per ea, quæ ex communi omnium sententia secutus sum sup. nu. 114. & seqq. ad eum, in 1. restrict. quàm in mutuo non coacto, & ita sine distinctione loquitur secunda opinio, posita sup. num. 178. quam secutus sum supra sub num. 183.

193 Restringe septimo, vt non procedat in eo, qui scienter, & sine titulo alienas retinet pecunias; quia licet is, qui est debitor simpliciter ex contractu, vel quasi contractu, & non soluit, non dicatur in mora, nisi sit monitus ad soluendum, quia creditor, cum sciat, debitum esse purum, idcoq; illud ad sui libitum petere possit, & non petat, eatenus videtur debitori facere dilationem, quatenus differt petere, Io. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 35. q. 2. col. 326.

194 Tamen secus est in eo, qui est obligatus restituere ex distractu, quia is, rescindendo, seu resoluendo contractum, resoluit etiam contractus titulum, quo resoluto, resoluitur bona fides circa non restitutionem, & resoluta, idest, remota bona fide, debitor absque alia monitione semper est in mora restituendi, & consequenter nulla alia requiritur mora per hominis, vel diei interpellationem; cum regula firma sit, quòd mora causatur, quando aliquis scit, vel scire debet se debere, Curt. Iun. cons. 28. in causa vertente. sub num. 5. & statim debeatur, quod absque termini præfixione debetur, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. in solutione quarti dubij, vers. ad aliud. fol. 19. quare si alter ex contrahentibus ab altero pecuniam accipiat vigore contractus, qui sit nullus, seu sit resolutus, & is, qui pecuniam dedit, nihil ex parte sua debeat adimplere, facere, seu restituere, vtique is, qui pecuniam habuit, & tenetur restituere, semper est in mora, donec non restituit; præsertim, si ipse nullitatem, seu rescissionem procurauerit, seu ijs nitatur, per ea, quæ, loquendo de contractu nullo, & vsurario, cuius vigore contrahens retinebat pecunias pupillares, scribit Rot. diuers. decis. 195. in vltima. num. 1. & paulò supra par. 1.

195 † Et licet Rota loquatur in pecunijs pupillaribus, in quibus videtur specialiter receptum, vt debitor dicatur in mora re ipsa, l. 3. in minorum. C. in quib. caus. in integr. restit. non est necess. & scribit Socc. cons. 2. sequendo. num. 17. lib. 1. tamen ratio, in qua se fundat Rota, non est specialitas pecuniarum, sed est detentio pecuniarum sine titulo, data nullitate contractus.

196 Confirmatur primo hæc restrictio, quia, soluta societate officij per mortem socij, qui pecunias dedit super periculo vitæ alterius, officialis non tenetur ad fructus officij, quos promisit, quia promisit eos, durante societate, quæ per mortem socij expirauit, & consequenter cessauit periculum amissionis pecuniarum, cuius ratione debebantur fructus: minus tenetur ad damna, & interesse ob non restitutas pecunias, quia licet promiserit, finita societate, restituere sortem, &, nisi restituerit, loco damnorum, & interesse, quid

certum promiserit; tamen, cum ipse ignorauerit mortem socij, neque eam scire teneretur, non fuit in mora, & consequenter non potest teneri ad interesse: sed secus esset, quando esset soluta societas per mortem officialis, quia tunc eius hæredes, licet amplius non teneantur ad fructus societatis ob easdem præcedentes rationes; tamen tenerentur ad damna, & interesse, quia ipsi sciuerunt, mortuum esse eum, cuius hæredes sunt, ideoque, non restituendo pecunias, essent in mora, vt consuluit Hier. Gabr. cons. 78. in vsu est. num. 1. & seqq. & num. 5. vbi notat hanc differentiam. lib. 1.

197 Nec dicatur, hoc Gabrielis consilium in secunda parte num. 5. dum scribit, socio deberi interesse, quãdo societas finitur ex parte officialis, defendi hac alia ratione, quòd dies finitæ societatis interpellauit: quia respondeo, hoc fundamentum deficere, cum debitor sub conditione debeat, etiam adueniente conditione, interpellari secundum communem opinionem, quam retuli supra q. 1. num. 384. & seqq. & num. 389. & iste officialis erat debitor sortis sub conditione.

198 Minus replicetur, eius consilium fundari in eo, quòd officialis obligauerat se restituturum pecunias, finita societate: quia respondeo, quòd, data nullitate societatis officij, vt nos loquimur in restrictione, officialis remanet debitor obligatus ea obligatione, quæ re contrahitur ad restitutionem pecuniarum, vt benè explicat Rot. diuers. decis. 195. in vltima. num. 1. par. 1. Quare eius consilij fundamentum erit, quia non debet quis scienter, & sine titulo retinere alienas pecunias, alioqui tanquam morosus tenebitur ad interesse.

199 Confirmatur secundo, quia retinens mala fide, & sine titulo pecuniam alienam, adhæret naturæ furis, qui semper dicitur morosus, vt secutus sum supra num. 117. At iste retinet mala fide, & sine titulo, per ea, quæ scripsi supra num. 193. & 194. ergo.

200 Confirmatur tertio (& tendit ad idem) quia si quid inuenisti & non reddidisti, rapuisti, cap. 6. si quid. 14. q. 5. quare, si quis rem inueniat alienam, & sciat illius rei dominum, eumq; rem illam non habere pro derelicta, imò animum habere eam recuperandi, debet eam restituere, etiam si dominus tardet illam repetere, & donec non restituit, peccat, & vtendo ea, eatenus rapinam, seu furtum committit, quia vult lucrari vsum illius rei, quem scit esse alienum. Ergo à simili, qui, rescisso contractu, pecuniam retinet alienam, & scit illius dominum, & eum non habere illã pro derelicta, sed imò velle eam recuperare, quia ex quò dedit eam ob causam, & illa causa cessauit, cessat etiam datio, & sic præsumitur velle eam recuperare: & consequenter qui pecuniam illam retinet, & ea vtitur, eatenus rapinam quo ad illum vsum committit, donec non restituat: si rapinam committit; ergo est in mora.

201 Confirmatur quartò, quia malæ fidei possessor tenetur restituere nõ solũ fructus, quibus ipse fruitus est, sed fructus, quibus petitor frui potuisset, si ei possidere licuisset, l. 62. si nauis. §. generaliter. ff. de rei vendic. & hãc esse communem opinionem testatur, & sequitur Copin. tractat. de fructib. lib. 2. tit. 4. cap. 1. num. 2. versus finem, tom. 17. fol. 244.

202 & malæ fidei possessor dicitur non solum is, qui est prædo, qui nullo titulo possidet, sed etiam is, qui, non obseruatis contractus solemnibus, titulo, mala fide acquisito, possidet, l. 1. in fine, C. de fid. instr. & iur. has. fisc. lib. 10. & qui in fraudem creditorum res debitoris emit, l. 10. ait prætor. §. per hãc actionem. ff. quæ in fraud. cred. qui propterea tenentur similiter ad fructus perceptos, & qui percipi potuerunt, vt in dictis iuribus, & notat Copin. d. tit. 4. cap. 2. nu. 1. & 2. fol. 244.

203 † &, quòd, rescisso contractu alienationis rei minoris, eo quòd fuerit facta absque iuris debita solemnitate, fructus vniuersi minori reddantur, si emptor non bona fide emerit, dicit text. in l. 2. si contra. C. si quis ign. rem min. &c. & notat Couar. var. resol. lib. 1. cap.

204 3. sub num. 6. in 3. conclus. † &, quòd, data nullitate contractus ipso iure, statim ex eo tempore debeant restitui fructus, non expectata petitione, aut litis contestatione, scribit, pluribus citatis, Tiraq. in l. si vnquam. in verbo, reuertatur. num. 268. vers. primum igitur. C. de reuocan. donat. quem sequitur Lancell. Gall. tract. de stat. in verbo, non possit. q. 6. num. 5. tom. 2. fol. 307. quia tunc ab initio contractus est in mora, Rot. diuers. decis. 195. in vltima. paulò supra num. 1. par. 1. &, quòd fructus rei veniãt in restitutionem sine mora, & sine mala fide, quoties actione personali datur restitutio rei ex iustitia, scribit Couar. var. resol. lib. 2. cap. 3. sub num. 9.

205 vers. est & aliud. † &, quòd si res, contra legum præcepta alienata, reuocetur, fructus

ctus etiam in restitutionem veniant, scribit, citatis iuribus, Copin. tract. de fruct. lib. 4. tit. 1. cap. 7. num. 1. & seqq. tom. 17. fol. 254. & , quòd, dissoluta venditione ex causa de præterito, quæ inerat iam à tempore venditionis, fructus, ab emptore percepti, sint venditori restituendi, vt in actione redhibitoria, retuli, & secutus sum supra q. 1. num. 481. & , quòd rescissa, seu annullata venditione, etiam ad instantiam venditoris, emptor teneatur restituere fructus, scribit Fab. de Mont. quem retuli inf. ampl. 10. sub num. 39. vers. prima opinio.

206 At qui alienas pecunias scienter, mala fide, & sine titulo detinet, est omnino similis malæ fidei possessori, & in nihilo ab eo discrepat: Ergo is sine alia mora tenetur restituere omne lucrum cessans, quod dominus pecuniarum, & creditor facere potuisset, si illas pecunias habuisset, & resarcire omne damnum, quod est passus, & passus non esset, si suas habuisset pecunias.

207 Infero ex hac restrictione, quòd, data nullitate cambij, societatis officij, seu alterius contractus, & supposito, quòd is, qui ex illo contractu pecuniam accepit, sciat, vel scire debeat nullitatem, ideoque pecuniam acceptam mala fide retineat: ille contractus non resoluitur in simplex mutuum, sed resoluitur in creditum ob causam non secutam, & hoc multi refert, per ea, quæ secutus sum in tota hac restrictione, & infra nu. 213. in quinto argumento, & quòd non resoluatur in mutuum, ostēdo multipliciter.

208 Primo, quia hoc ipso, quòd quis dat pecunias in societate officij, constat, quòd noluit eas mutuare, quia societas est contractus lucratorius, & mutuatio est contractus gratuitus: ergo, si illa societas resolueretur in simplex mutuum, resolutio fieret sine consensu contrahentis, imò fieret contra eius mentem, nihil autem magis repugnat contractui, quam defectus consensus, cum contractus consensu, & voluntate contrahentium perficiatur, & lex contrahentium menti non resistit, sed eam sequitur.

209 Confirmatur hoc argumentum, quia sicut si tu personæ, inhabili ad contrahēdum, locares domum pro certa mercede, & illa persona eam ad sui vtilitatem, & necessitatem habitaret, teneretur soluere tibi mercedem condignam arbitrio iudicis, quia etsi contractus locationis esset nullus ex inhabilitate contrahentis, tamen non resolueretur in commodatum, quia locando constat, quòd noluisti commodare, & locatarius non debet locupletari cū alterius iactura, ideoq; tibi locatori daretur remedium ex l. si me & titium. ff. de præscript. verb. vel officium iudicis, aut actio præscriptis verbis, iuxta ea, quæ scripsi par. seq. limit. 17. sub num. 26. ita etiam, licet societas officij, seu alius contractus non teneat, tamen non resoluitur in mutuum gratuitum, ita vt is locupletetur cum alterius iactura, quia satis constat, quòd noluit mutuare; & pro hac confirmatione adde, quod scripsi infra num. 216.

210 Secundo, quia si lex pecunias, datas pro societate officij, resolueret in mutuum contra voluntatem eius, qui eas dedit, subuerteret naturam mutui, siquidem natura mutui est, vt fiat de consilio, vt secutus sum supra q. 1. sub num. 402. vers. minus. & sub num. 405. in secunda responsione, & istud fieret ex violentia legis.

211 Tertio, quia pecuniæ in casu huius illationis remanent penes debitorem sine titulo, & cum mora, vt patet ex his, quæ secutus sum sup. num. 193. & seqq. in restrict. sed si resoluerentur in mutuum, remanerent penes debitorem & cum titulo, & iusto titulo, nempè mutui, & sine mora: ergo non videtur verū, quòd resoluatur in simplex mutuum.

212 Quarto, quia ea est mutui natura, vt pecunia, seu alia res mutuata non illicò repeti possit; sed cum aliqua discreta dilatione arbitrio iudicis, quia alias videretur dolosè mutuata, vt secutus sum supra q. 4. num. 13. sed, rescisso contractu, restitutio pecuniæ, datæ pro illo contractu, non esset reguladanda à natura mutui, & consequenter cessat in ea consideratio doli, & arbitraria iudicis dilatio, maximè si rescissio processerit ab eo met, qui pecuniam tenetur restituere. ergo non videtur resolui in simplex mutuum.

213 Quinto, quia, supposito, quòd officialis ex pecunia, quam accepit in societate officij, emerit partem officij, seu censum, aut aliud fructiferum egerit negotium, ex quo fructus, lucrumvè perceperit; si societas illa officij, data eius nullitate, seu dissolutione, resolueretur in simplex mutuum; sequeretur, quòd officialis teneretur restituere solam sortem, per ea, quæ scripsi supra q. 1. num. 408. & nihil teneretur soluere ratione fructuum, vt dixi ead. q. 1. num. 332. quare non teneretur restituere fructus, seu accessiones, quas, vti mutuatarius, ex re mutuata accepisset,

pisset, Copin. tract. de fructib. lib. 3. tit. 1. cap. 3. num. 1. & 2. tom. 17. fol. 247.

214 Sed hoc consequens videtur falsum; quia, data nullitate, seu rescissione contractus, restitui debent fructus, ex illo nullo, seu rescisso contractu percepti; vt secutus sum supra num. 201 in 4. confirm. & , quòd morosus dicatur, is, qui intelligit, vel intelligere debet se debitorem fore; ideoque quis sine alia interpellatione cõstituatur in mora quo ad fructus, vbi scit, eos ad se non spectare, scribit Io. Ant. Rub. in l. vinum. num. 9. vers. subijcitur. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 86. & sapienter sentit Rot. diuers. decis. 195. in vltima. num. 1. par. 1. vbi, loquendo contra debitores, dataque nullitate contractus, ait, visum fuisse optima ratione deberi lucrum cessans, stantibus probationibus, ex quibus constiterat Rotæ, debitores fecisse lucrum in genere; & loquendo generaliter, quòd res, data ob causam, ea non secuta, reuocari possit res data, & cum re veniant restituendi fructus, scribit, citatis iuribus, Copin. eod. tract. de fruct. lib. 4. tit. 1. cap. 10. num. 1. & seqq. fol. 254. & , quòd, rescisso contractu, debeant restitui fructus percepti post rescissionem de hoc nulla est dubitatio, quia dubitatur solum de fructibus perceptis ante rescissionem, vt latè explicaui sup. q. 1. num. 482. & seqq. vbi videas.

Ergo falsum videtur antecedẽs, quòd societas resoluatur in simplex mutuum, & consequenter officialis, resoluta societate in creditum ob causam non secutam, tenetur restituere sortem vna cum fructibus, quos ex ea percepit à tempore initæ societatis, si fuerit nulliter inita, & à tempore rescissionis citra, si fuerit rescissa.

Nec dicatur, quòd fructus, quos officialis percipit ex officio, non tantum percipit ratione pecuniarum socialium, quantum percipit ratione periculi perdendi capitale totius societatis in casu mortis, quod periculum non est commune cum socio, data nullitate, seu rescissione societatis: & sic socius perciperet fructus ex re non sua, sed ex periculo alterius.

Quia respondeo, quòd socio debentur fructus, qui perciperentur ex officio sine periculo vitæ; postquam admittimus, quòd officialis eam summam percipit partim ratione officij, & partim ratione periculi, vt explicaui supra q. 1. num. 282. in fine, & 291. quare siue ex ipsa societate, siue ex alio contractu perceperit, tenetur restituere, quos percepit.

215 Sexto, quia si resolueretur in simplex mutuum, sequeretur, quòd agens ad nullitatem, seu rescissionem societatis officij, non teneretur, etiam parte opponente, restituere prius, quod ex societate habuisset; quia, si, data nullitate, seu rescissione, societas debet resolui in mutuum; mutuatario non esset deneganda actio, quamuis mutuum non restituat, quia ipse non impugnat mutuum, sed societatem.

Sed hoc etiam consequens videtur falsum; quia agens ad nullitatem, seu rescissionem contractus, debet prius restituere, quod ex illo contractu accepit, vt secutus sum supra sub num. 141. 142. & seqq.

Ergo falsum videtur antecedens.

216 Septimo, quia sicut locatarius, qui agit ad inualiditatem contractus locationis, non potest prætendere locationem fuisse resolutam in commodatum, ideoque tenetur in primis offerre mercedem locatori, & deponere, Caputaq. decis. 118. iudicium nullum. num. 4. par. 2. ita etiam qui agit ad nullitatem societatis officij, vel alterius contractus non debet prætendere societatem esse resolutam in mutuum, sed debet in primis restituere quicquid ex illo contractu accepit.

217 Contra hanc illationem tenet ex diametro Rot. diuers. decis. 192. circumscripta. num. 1. par. 1. decis. 287. habebat. vers. dubitaui. in fine, 291. domini. num. 1. 336. honorius. sub num. 5. & 338. fuit per dominos. num. 1. inter impressas Lugduni anno 1612. & alibi passim; dicens, quòd societas officij quando est nulla, seu est finita, resoluitur in simplex mutuũ; quod ex eisdem decis. retuli supra q. 1. n. 277. † & ideo Rot. diuers. decis. 10. fuit resolutum. sub num. 1. in Rom. turris bubalariæ, lun. 7. Nouembris 1575. coram bon. mem. Card. Seraphino, inter impressas Romæ anno 1615. dixit, quòd, inito contractu census cum pacto, vt venditor teneatur censum infra certum terminum redimere, contrahentes videntur voluisse facere actum elusorium, vel potius cõtractum fœneratitiũ cũ pignore, à iure reprobatum.

218 Comprobatur primo hæc Rotæ sententia, quia mutuare pecuniam, vel ex alio contractu datam non repetere est idem; quia dum non repetitur remanet, vti mutuũ tacitum.

Comprobatur secundo, quia ex contractu lucratorio, qui sit nullus, non potest lucrum

crum percipi; quia si lucrum procederet à contractu, necessariò sequitur, quòd, cessante illo contractu, cesset lucrum: sed lucrum ex mutuo percipi non potest; ergo rectè inquit Rot. quòd resoluitur in simplex mutuum.

219 Retorta illatione, si placet, in puncto iuris.

Non obstat auctoritas Rotæ, quæ tenet contra illationem; quia respondeo tripliciter: Primo resp. quòd ipsamet Rota videtur quandoque tenuisse cum nostra illatione, vt patet ex decis. quam citaui supra num. 194. & 314. Secundo resp. quòd fit resolutio in mutuum non omnino simplex, sed in mutuum morosum, & ita intelligerem Rotam. Tertio resp. quòd, etsi Rotæ auctoritas sit magna, præsertim apud me, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 26. num. 4. & adeo magna, vt inter Rotæ sententiam, & alterius Iureconsulti opinionem, ea videatur differentia, quæ solet esse inter verba diuitis, & verba pauperis: *diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubem perducent; pauper locutus est, & dicunt, quis est hic?* Eccles. 13. num. 28.

220 † tamen non est tanta, vt legi, & rationi non sit postponenda; Rotæ enim opiniones, non vt legem habemus, sed eas ex lege, & ratione consideramus, & quod in eis legis auctoritati congruit, cum Rotæ laude accipimus; quod verò non congrueret, cum pace eius respueremus; ac per hoc tantorum Reuerendorum Patrum, quorum laudem consequi non valeo, quorum multis litteris mea hæc exigua scripta non comparo, quorum ingenium diligo, quorum ore delector, quorum prudentiam miror, & integritatem veneror, opinionem hanc, si iure non probaretur, ea libertate, ad quam nos vocauit Dominus, non acciperem, quia lex eam non acciperet.

Et hæc de primo requisito, posito supra num. 100.

DE NEGOTIATIONE, seu merce parata.

SVMMARIVM.

Interesse lucri cessantis vt debeatur, debet ex communi conclusione clarè constare, quòd creditor habuit paratam negotiationem lucratoriam, num. 221.

Primus casus huius communis conclusionis est, quando creditor non est mercator, seu non est solitus negotiari, & in isto procedit conclusio, num. 222. Etiamsi creditor habitaret in locis, vbi eiusmodi negotiatio non deficit, num. 223.

Secundus casus est, quando creditor est solitus negotiari, & in isto licet sint opiniones, tamen concluditur idem, quod in primo, num. 224. 225. & 226.

Restringitur primo conclusio in hoc secundo casu, vt non procedat in negotiante in Ciuitate Genuæ pecunias super cambijs, eod. num. 226. 227. & 230. Quid in hoc videatur iudicasse Rota Rom. num. 228. & 229. Extenditur hæc restrictio, num. 232. Subrestringitur, num. 233.

Restringitur secundo, vt non procedat quoad aliquale interesse arbitrio iudicis, num. 234.

Genuensibus qua ratione facilius debeatur interesse, num. 226. 231. & 235.

Genuensis, ergo mercator, num. 236.

Genuæ rigorosè agitur pro interesse, num. 231.

Pupillares pecuniæ nisi ponantur ad honestum lucrum, tutor condemnatur, num. 227.

Prouincia abundat in suo sensu, num. 231.

221 VENIO ad secundum; de existentia occasionis, idest de negotiatione, seu merce parata; & concludo similiter, esse necessariam; alias lucri cessantis interesse non debetur, Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. nu. 3. ff. de eo, quod cer. loc. quem sequuntur Affl. decis. 20. quidam nobilis. num. 2. Mohed. decis. 3. alias 208. dux sessæ. de vsur. vbi hoc bis dicit, & Rot. diuers. decis. 202. die 24. sub num. 2. 3. & 4. in Rom. bonorum de Ceulis, ven. 13. Ianuarij 1600. coram R. P. D. Penia, & decis. 291. domini circumscripserunt. num. 4. in Rom. societatis, ven. 23. Iunij 1600. coram Illustrissimo Card. Mellino. decis. 289. domini dixerunt. num. 2. & 3. & decis. 774. post obitum. num. 2. in Bononien. dotis. mercur. 4. Maij 1600. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in impressis Lugduni 1612. & decis. 325. dubium erat. num. 7. vers. de interesse. in Lucana locationis, ven. 18. Martij, & 29. Aprilis 1611. coram eodem in impressis Romæ 1615. & in Rom. fructuum, & interesse coram R. P. D. Pamphilio, die 10. Decembris 1614. in fine illius decisionis, vbi, quòd Rota ita semper voluit, Stracch. tract. de mercat. par. 4. tit. de contract. mercat. sub num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 298. & videtur sequi etiam Gabr. in conclus.

conclus.lib. 3. tit. de solut. concl. 10. sub nu. 3, vers. contrarium. & alij; quos citat; & sequitur, testans, hanc conclusionem esse magis receptam, & tenendam Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. sub num. 9. vers. hanc primam. in fine, cent. 6. & in alia impress. lib. 2. cent. 2. cas. 119. sub num. 3. vers. præterea. ibi, hanc primam. & benè hæc conclusio probatur ex d. l. 3. in illis vltimis verbis, *quòd si merces solebat comparare, &c. puto & lucri habendam rationem*. ex quibus verbis clarè constat, quòd ex parte creditoris requiritur facultas, & voluntas propinqua, & verisimilitudo lucrandi; quæ pendet ab existentia occasionis.

222 Declara primo hanc conclusionem, distinguendo duos casus.

Primus casus est in creditore, qui non est solitus negotiari, qualis est nobilis: & isto casu dico, conclusionem, supra firmatam, esse communiter receptam, & practicari, quia iste habet præsumptionem exclusiuam lucri contra se, & ideo debet probare, quòd habuerit præ manibus censum, vel quid fructiferum emendum, & quia non habuit pecunias, non potuit emere; & ita, concordando hunc, & sequentem casum, sequitur Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. num. 17. versus finem, vers. non per hoc. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. & certè hæc est opinio communis, quia controuersia reducitur solum ad creditorem, qui est solitus negotiari.

223 Extende hanc communem opinionem, vt procedat etiam in Ciuitatibus, & locis, in quibus sunt loca montium, & non deficiunt occasiones, imò sunt frequentes, ineundi societates officiorũ, & emendi annuos reditus censuales, & similes; & etiam si creditor sit vir sagax, & prudẽs, & aliàs emerit loca mõtium, & annuos census, & contraxerit societates officiorum, quia adhuc, nisi probet in specie, se habuisse, & voluisse emere, non debet obtinere, Rot. diuers. d. decis. 289. domini dixerunt. num. 3. & 4. in Rom. societatum, & decis. 774. post obitum. num. 2. in Bononien. dotis, mercurij 24. Maij 1600. coram Illustrissimo Card. Lancellotto, in impressis Lugduni anno 1612. quare secũdum Rot. in citatis decisionibus lucri cessantis interesse, quod probari debet ex potentia propinqua lucrandi, non censetur probatum ex qualitate loci, in quo passim inueniuntur occasiones collocandi pecunias ad lucrum.

224 Secundus casus est in creditore solito negotiari, & lucrari; & isto casu oritur discordia inter Doctores.

Prima enim opinio est affirmatiua, quòd etiam isto casu procedat conclusio, vt creditor teneatur probare; hancq; opinionem sequuntur Castrens. Affl. Mohed. Rot. diuers. & Gabr. quos citaui supra nu. 221. loquuntur enim ij in creditore solito negotiari, & lucrari, & ita videtur manifestè sentire Rot. d. decis. 774. num. 2. dum loquitur in solito non tenere suas pecunias otiosas, & ab hac opinione in puncto iuris non videtur discedere Menoch. d. cas. 119. num. 6. in fine, ibi, constare itaque debet. & qui tenuerint hanc opinionem, & esse communem recenset, licet non sequatur, Rot. Genuen. decis. 139. paulus. sub num. 8.

225 Secunda opinio contraria est negatiua, quòd conclusio, firmata supra num. 221. non procedat in mercatore, & in eo, qui est solitus negotiari, & lucrari; quia in isto sufficit hæc verisimilis probatio, vel saltem non requiritur tanta probatio, secundum ea, quæ scribunt Abb. in cap. 7. per vestras. num. 6. de donat. inter vir. & vxor. & in cap. 8. conquestus. num 6. de vsur. dicens, quòd solitus mercari ex pecunia, potest agere contra debitorem morosum, vt soluat loco interesse id, quod fuisset verisimiliter lucratus ex pecunia, Io. Bapt. Lup. in d. l. curabit. §. 6. sub num. 17. præsertim versus finem, vers. non per hoc. fol. 121. & Surd. cons. 327. rotæ lucensis. sub num. 53. vers. iustificatur. & num. 54. lib. 3. & videtur sentire Nauar. in cap. si fœneraueris. not. 15. num. 45. vers. quinta quòd. 14. q. 3. dum, constituit differentiam inter creditorem mercatorem, qui negotiatur pecunias, vt is possit recipere interesse lucri, & creditorem non mercatorem, ita vt pluris valeat pecunia mercatoris, quam dicit esse paratam ad negotiandum, quàm pecunia non mercatoris, ex quò non est parata ad negotiandum; & pro hac opinione possunt videri Doct. quos citant Gabr. d. lib. 3. tit. de solut. concl. 10. num. 1. & Surd. vbi supra; & quòd sufficiat probare, petentem interesse fuisse mercatorem talis conditionis, & exercitij, & similes mercatores, prout est ipse petens, consueuisse lucrari communiter decem pro centenario singulis annis, deducta omni impensa, quia satis est, quòd probatio concludat à communiter accidentibus, siquidem in probatione interesse suffi-

ciunt

ciunt iustificationes coniecturales, nec requiritur, lucrum fuisse in potentia propinqua, scribit Cagn. in d.l.cutabit. num.67. & 68. & in l.vnica, num.42. & 43. C. de sent. quæ pro eo, &c. vbi contra Castrens. & alios sequitur, ita seruari in practica, & secundum hanc meliorem, & tutiorem practicam, inquit, interesse lucri cessantis peteretur sempet vniforme ad rationem septem, vel decem pro centenario; quòd si, inquit, teneremus primam opinionem Castrens. & aliorum, esset multum difficile iustificare interesse; & qui alij tenuerint hanc opinionem, citat Menoch.d.cas.119. sub num.9. alibi num.4. vers. secunda est opinio. qui etsi in puncto iuris videatur sequi primam opinionem, vt retuli sub num.præced.vers. optima. tamen postea num.7. in fine, ait, se audire, praxim obseruare, quòd satis sit probasse, se mercatorem; & hæc secunda opinio videtur probari ex l.3. in illis vltimis verbis: *quòd si merces solebat comparare, &c.* ff. de eo quod cer. loc. & facit etiam, quod habetur in Matth. 25. num. 27. *oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, &c.*

226 Retenta tamen, si placet, prima opinione, vti tutiori in practica.

Restringe primo eam, vt non procedat in mercatore, negotiante pecunias super cambijs in Ciuitate Genuæ, quia in ista Ciuitate forus cambiorum semper est paratus volentibus dare, vel accipere pecunias cambio quolibet die, & hora in platea banchorum, & nunquam desunt, qui accipiant, & dent quamuis summam, etiam magnam, vt satis videtur fuisse probatum in Rot. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, lunæ 7. Iunij 1610. & rursus coram eodem in Rot. diuers. decis. 331. sententiam. initio, vers. quinto quod in ciuitate. in Ianuen. pecuniaria, lunæ 6. Iunij 1611. prout iste forus est notorius; & ideo non est necessarium, vt creditor mercator Genuensis probet hoc secundum requisitum, hincq; Rot. Genuen. decis. 1. sub num.43.44. & 45. decis. 139. paulus. sub num.8. vers. altera verò. & sub num. 9. vers. quibus hinc inde. & decis. 19. nos auditores. num.9. in fine, & num.10. transit semper fine ista probatione: solent tamen Genuenses adhuc ad cautelam articulare generaliter, quòd potuissent illas pecunias negotiari in cambijs, vt in forma articuli, quem posui infra num.244.

227 Confirmatur hæc restrictio, quia in Ciuitatibus in signibus, in quibus sunt mercaturæ, negotiationes, & consequenter patent occasiones lucrandi, & emendi loca fructifera, nempè, census, loca montium, & similia, tutor, qui non posuit pecunias pupillares ad honestum lucrum, condemnatur, non aliter contra eum probato, quòd habuerit occasionem præ manibus, & potuerit ex illis pecunijs lucrum acquirere, Ios. Lud. in peruſ. decis. 67. tutor quidam. num. 15. 16. & 20.

228 Contra hãc restrictionem videtur tenuisse Rot. Rom. de qua Mohed. decis. 3. alias 208. dux sessæ. de vsur. nam Grimaldus, & Centurionus, contra quos Rota resoluit, vt eis non deberetur interesse, quia non probauerant, apparuisse, qui vellent pecunias ad cambium, erant Genuenses, & ideo mercatores, vt dixi infra num.236.

229 Comprobatur hæc Rotæ Rom. sententia contra hanc restrictionem, quia in Vrbe est similis forus paratus ad negotiationẽ cambiorum, ad ineundas societates officiorum, ad emenda loca montium, & census; & tamen creditor, qui etiam esset solitus inire societates officiorum, seu emere loca montium, & pecunias otiosas non tenere, adhuc non obtineret interesse istarum societatum, seu locorum montium, nisi in specie probaret, vt dixi supra num. 223. vers. extende hanc.

230 Ego non discedo à restrictione, & Rotæ Rom. decisioni respondeo, quòd ille de Grimaldis mercator Gennensis commorabatur forsan alibi, quàm Genuæ, ideoque debebat probare; alioquin si ille mercator commoratus esset Genuæ, illa decis. Rotæ Rom. non satisfaceret Genuensibus, & ideo eam in eorum tibunali non seruarent, quia Curia Genuensis contenta est hac probatione, quòd creditor sit solitus negotiari in cambijs, &c. vt patet ex titulorum formula, quam posui infra num.244.

231 Ad comprobationem respondeo dupliciter. Primo, Romæ non ita frequentem, & promptam esse negotiationem cambiorum, societatum officij, censuum, & locorum montium, prout est frequens, & prompta negotiatio cambiorum in Ciuitate Genuæ. Secundo respondeo, quòd quælibet prouincia abundat in suo sensu, cap. penult. vtinam. dist.76. & cap.1. dist.41. Zocch. tract. de ieiun. num. 109. tom.14. fol. 161. quare, licet pecuniarum videatur vna, & eadem potestas

potestas vbique esse, tamen in alijs locis facilius, & leuioribus vsuris inueniuntur, alijs difficilius, & grauioribus vsuris, l.4. ideo in arbitrarijs. ff. de eo quod cert. loc. Genuæ contra debitores morosos rigorosè agitur; omnis ratio, quæ pro interesse concludit, diligenter attenditur, iuraque, interusurijs fauentia, inuiolabiliter seruantur, interusurij enim materia reputatur fauorabilis, quia, sublatis interusurijs, mercatores, & mercatura facilè ruerent, & Genuenses sunt ferè omnes mercatores, & degunt, vt aiunt, in scopulis, ita vt, deficientibus agris, prædijs, locisq; fructiferis, omnis eorum cultura versari debeat in pecunia, & propterea sunt valdè prompti ad condemnandum ad interesse, & ad interesse alterius interesse; at Romæ, alijsq; Ciuitatibus, in quibus non ita viget mercatura, & viuunt ex prædiorum reditibus, odiosum est interusurij, & interesse nomen, ideoq; in eo remissè, ac magna æquitate proceditur, & sæpè contra interesse petentes responderi, iudicariq; solet, per ea, quæ scripsi infra num. 246. & seqq. & præsertim num. 253.

232 Extende hanc restrictionem, vt procedat non solum in negotiante per se ipsum, sed etiam in alio quouis, etiam si sit mulier, quæ solita sit dare suas pecunias mercatoribus ad honestum lucrum, & illas tenere non otiosas in arca, quia isto casu debetur ei interesse, sicut debetur ei, qui per se ipsum negotiaretur, licet plus, & minus, Cagn. in l. vnica, sub num. 37. C. de sent. quæ pro eo, &c. & pro maiori intelligentia huius extensionis, adde quæ scripsi ampl. seq. num. 1. & 3. & ampl. 11. num. 7. & 9.

233 Subrestringe hanc restrictionem, vt procedat, supposito, quòd probetur, creditorem esse solitum negotiari in cambijs, quorum dixi paratum esse semper forum; secus autem si non probetur, esse solitum negotiari in cambijs, quia possunt hæc simul stare, quòd adsit parata occasio negotiandi in cambijs, & quis nolit in eis negotiari: secus etiam quo ad mercaturam aliarũ mercium, quia si mercator Genuensis non esset solitus negotiari in cambijs, sed in alijs mercibus, tunc procederet prima opinio, quòd deberet probare, habuisse præ manibus occasionem præcisam talis, seu talium mercium, &c. cum de istis alijs mercibus non sit ita paratus forus, & certus de quantitate interesse.

234 Restringe secundo, vt non procedat quo ad aliquale interesse arbitrio iudicis, quia quamuis solitus negotiari, non probet in specie, se præ manibus habuisse certam occasionem; tamen, si iudici constet, hunc creditorem esse virum sagacem, & solitum negotiari, & lucrari, & in genere non defuisse occasionem negotiandi, & lucrandi, poterit iuxta loci consuetudinẽ taxare moderatum interesse, vt sequitur Surd. cons. 327. rotæ lucensis. num. 53. in fine, vers. iustificatur. & nu. 54. & 55. lib. 3. quia probationes sunt arbitrariæ; & quòd mercatori solito negotiari concedatur non solum interesse damni emergentis, sed etiam lucri cessantis, dixit Rot. diuers. decis. 69. domini in ista. nu. 2. in fine, vers. præterea. coram Illustrissimo Card. Millino, in Mediolanen. pecuniaria, mercurij, 9. Decembris 1592. in impressis Romæ anno 1615.

235 Remedium, vt probatio huius secundi requisiti, paratæ scilicet negotiationis, de quo supra num. 221. nunquam deficiat, & consequenter pecunia semper pariat interesse, habent magna ex parte Genuenses; siquidem sunt ipsi præ cæteris soliti negotiari in cambijs, vt testatur Rot. Genuens. quam retuli hac ead. q. par. præced. nu. 65. & hic nu. seq. adeo quòd quisque eorum qualitatem hãc facilè probat, qua probata, agendo de interesse cambiorum, succedit, quod scripsi supra sub num. 226. in præceden. prima restrictione; vel saltem sunt negotiatores, & mercatores aliarum mercium, ideoq; agendo de interesse lucri cessantis, procedente à mercatura, succedit hæc secunda restrictio.

236 † quia omnes Genuenses sunt mercatores, in tantum, vt valeat consequentia: est Genuensis; ergo mercator, Rot. Genuen. decis. 139. paulus. num. 10.

Verum licet Genuensis ex hoc videatur releuatus ab onere probandi, se esse mercatorem, & solitum negotiari, & lucrari, tamen, nisi hoc probet, non obtineret, Rot. Genuens. decis. 50. antonius maria. sub nu. 2. licet in ea decis. non constet, an esset Genuensis ille Augustinus Gentilis Costa, cui denegauit interesse, quia non probauerat hanc qualitatem, quòd esset solitus mercari, & Rot. diuers. decis. 331. sententiam. post initium, vers. quarto quod ipse. in Ianuen. pecuniaria, lunæ 6. Iunij 1611. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in impressis Romæ anno 1615. inter alia fundamenta, quibus approbat interesse conuentum in mutuo, est

etiam

etiam istud, quòd mutuator, qui erat Genuensis probauerat, se esse solitum suas pecunias negotiari in cambijs: & ita seruant Genuenses, formant enim, & facilè probant eiusmodi titulum, quem vocare solent, *il titolo del commune.* cuius formulam secundum Genuensium stylum posui infra num. 244.

237 Absoluta prima declaratione, posita supra num. 222.

Declara secundo eandem conclusionem, vt quemadmodum ad consequendum lucrum cessans debet probari existentia occasionis lucrādi, vel quòd creditor erat solitus negotiari, ita ad consequendum damnum emergens, sufficit probare, extitisse dānum.

Et hæc de secundo requisito, posito sup. num. 221.

DE QVANTITATE INTERESSE.

SVMMARIVM.

Interesse vt debeatur, debet probari quantitas, num. 238. *Declaratur duplex species probationis, num.* 240 *&* 241. *Subdeclaratur primo, vt, probato interesse, & non probata quantitate, fieri debeat condemnatio ad interesse, num.* 242. *Subdeclaratur secundo, vt iudex possit æstimare, & condemnare, ibidem.*

Probatio à solitis in materia lucri non concludit, sub num. 238.

Probatio lucri cessantis est difficilis, num. 239.

Probatio verisimilis, & coniecturalis sufficit in interesse, num. 241.

Genuenses facilè liquidant quantitatem lucri cambiorum, num. 243.

238 TRANSEO ad tertium, de quantitate lucri cessantis; & concludo, fore necessarium, vt creditor, agens ad interesse lucri cessantis, probet quantitatem lucri, quod fecisset, etiam si iste creditor esset mercator, & solitus lucrari, quia non sequitur: est consuetus aliquando lucrari; ergo, si habuisset, fuisset lucratus, quia possibile est, quòd non fuisset lucratus, cum multa potuissent euenire in cōtrarium; quare non teneretur probare, quando lucrum fuisset certum, secus quando dubium, Paul. de Castr. in l. 3. §. fin. num. 3. initio, & in fine, ff. de eo quod cert. loc. quem sequuntur Afflict. Mohed. & alij communiter, vt retuli supra sub num. 99. & num. 221. & ratio est euidens, quia condemnatio non potest ferri super re incerta; requiritur enim semper liquidatio certa ante executionem facti, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 9. num. 28.

239 Infero ex hac conclusione, lucri cessantis probationem esse difficilem, quia lucrum cessans est non ens, & non entis nullæ sunt causæ, Iaf. in l. 3. non vtique §. fin. num. 7. ff. de eo quod cert. loc.

240 Declara eandem conclusionem, vt interesse, idest quantitas lucri possit duplici probationis specie liquidari.

Prima probatio est, quæ dicitur certa, clara, & indubitata, qualis est probatio cambiorum, recambiorum, & locorum montium, &, loquendo de hac probatione, nulla est difficultas, quòd hæc concludentissimè probat, & sufficit ad condemnandum.

241 Secunda probatio (& hæc videtur destruere conclusionem) dicitur verisimilis, & coniecturalis, qualis est illa, quæ versatur super mercibus, & hæc etiam sufficit ad condemnandum, vt patet ex his, quæ scribunt Gl. in l. 3. §. vlt. in verbo, solebat. ff. de eo quod cer. loc. Bal. in l. 11. rogasti. §. si tibi. ff. si cert. pet. quem retuli, & secutus sum hac ead. q. par. præced. sub nu. 27. Iaf. in d. l. 3. non vtique. §. vltimo. sub nu. 7. vers. secundo not. Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 4. sub num. 5. vers. septimo eadem. dum scribunt, quantitatem interesse probari per coniecturas, seu verisimiles coniecturas, & Cagn. in l. curabit. num. 58. 59. & 60. C. de act. empt. dum scribit, taxationem interesse ad certā quantitatem, habita ratione fructuum secundum communem contingentiam, & cursum, non esse rescindendam, dato, quòd probaretur de minori quantitate; quia, vt inquit, non inspicitur futurus euentus, & ideo non est facienda liquidatio secundum fructus perceptos, sed secundum fructus, qui à communiter accidentibus percipi solent, Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. reuocauit. num. 14. vers. cæterum vero. & num. 16. cent. 6. & ex Nauar. & Card. Tolet. secutus sum supra nu. 83. in 7. requis. & in taxatione fructuum societatis officij idem scribit Castrac. in tract. de societ. offic. cap. 10. num. 8. & seqq. & præsertim num. 11. & 12. & in taxatione cambiorum Rot. diuers. decis. 331. sententiam. sub num. 11. vers. nec obstat taxatio. in Ianuen. pecuniaria, lunæ 6. Iunij 1611. coram Illustriss. Card. Lancellotto.

Subde-

242 Subdeclara primo eandem declarationem, vt, probato interesse, sed non praecisè quantitate interesse, iudex adhuc debeat condemnare reum conuentum ad interesse, quia, cum actor probauerit suam intentionem, videlicet, sua interesse, debet in ea obtinere, & deinde fiet liquidatio quantitatis interesse in executione sententiae, & ita seruatur in practica, Cagn. in l. vnica, nu. 53. in 7. dubitatione, C. de sent. quae pro eo, &c. haecq; praxis in Ciuitate Genuae nullam recipit dubitationem.

Subdeclara secundo, vt, probato interesse, sed non quantitate, possit ipse iudex aestimare, & condemnare, Cagn. in d. l. vnica, num. 54. & facit, quod scripsi supra nu. 234. ver. restringe. & sub nu. 225. quamuis contrarium sentiat Rot. quam retuli sup. n. 224.

Confirmatur haec subdeclaratio, quia saepe, probato damno, seu interesse, & non probata quantitate, statur iuramento partis, quae damnum passa est, vt in positionibus negatis secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 7. num. 761. & in mutuo negato, cap. 11. num. 233. & taxatio super damnis, & interesse, facienda iuramento partis, reducitur, & taxatur per iudicem arbitrio boni viri, & iudex prius taxat ipse, & postea admittit partem ad iurandum, vt, latè haec declarando, secutus sum d. lib. 2. cap. 9. num. 427. & seqq.

243 Collige ex hac declaratione in prima specie probationis, quòd Genuenses, vt se eximant ab hac difficili quantitatis liquidatione, de qua in hoc tertio requisito, posito supra num. 238. negotiantur in cambijs, quorum interesse facillimè liquidāt, faciunt enim listam cambiorum, & recambiorum de foro in forum, cum reditibus cuiusque fori, eamq; listam faciunt ostendi testibus examinandis, vt in sequenti formula titulorum, in secundo titulo, vel exhibent listam confectam à Cancellario gabellae cambiorum, vt fuit seruatum in d. Ianuen. pecuniaria, vers. & confirmatur. coram Illustriss. Card. Lancellotto, lunae 2. Maij 1611.

INTERESSE VT DEBEATVR an sint necessaria alia requisita, & quae.

SVMMARIVM.

Titulorum formula in Curia Genuensi ad consequendum, & liquidandum interesse, nu. 244.

Cambiorum lucra Genuenses consequuntur sine cambio, num. 245.

Interesse vt debeatur, an sint necessaria alia requisita cum distinctione duorum casuum, num. 246. & seqq.

Interesse lucri cessantis vt debeatur sunt probanda duo: Primum, quòd creditor cessauerit à lucro, quia pecunias non habuit: Secundum, (si sit creditor ex causa societatis disdicta) quòd fecerit omnes diligentias, sub num. 246. Obijcitur contra primum, num. 256. & seqq. Contra secundum, sub num. 260. Defenditur stylus Aud. Camerae, ibidem.

Interesse vt debeatur, quando creditor accepit pecunias sub interesse, sunt probanda quinque. Primum, quòd ideo accepit, quia non habuit pecunias, num. 247. Obijcitur, num. 261. Secundum, vt probet expressim, accepisse in eam causam, num. 248. Obijcitur, num. 262. Tertium, vt priusquam acceperit, denuntiauerit debitori, num. 249. Obijcitur, num. 263. Quartum, vt, acceptis pecunijs, denuo notificauerit debitori, num. 250. Obijcitur, num. 264. Quintum, vt accipiens cum interesse societatis officij, declaret se accepisse ad commodum, & incommodum debitoris, num. 251.

244 HIS tribus requisitis probatis, creditor ex communi theorica, de qua supra num. 99. debet obtinere, debitorem condemnari ad certum interesse; hancq; communem theoricam seruant passim Aduocati in Ciuitate Genuae, formando hos breues titulos.

Supradictus Magnificus Octauius Imperialis, constitutus coram praefatis Mag. DD. Auditoribus Rotae, siue praefato Mag. D. N. causae Commissario, occasione causae, quam habet cum dictis Baptista, &c.

Quibus, &c. Inhaerendo, &c. Dicit, &c.
Et facit infrascriptos titulos.

Et primo qualmente esso magnifico Ottauio Imperiale da anni otto, e più in quà è stato, & è negotiante, non solito di tenere li suoi denari otiosi, ma negotiarli in cambij, & in altri negotij, & da detti anni otto in quà, & per l'istesso tempo hauria hauuto commodità ogni fiera di negotiare sopra cambij al conto più somma di doi mila scudi, & così fù, & è vero, &c.

Secondo, che scudi mille continuati sopra cambij nelle fiere di Piacenza al conto dell'anno 1606. dalli cinque di Maggio in quà, in fiera

fiera de Santi 1613. & per l'istesso tempo hauerebbono risposto di benefitio, & sariano ascesi alla somma, della quale si fà mentione nella lista, che si presenta da leggersi, & mostrarsi à testimonij, prima che depongano, & li testimonij lo sanno, perche in detto tempo hanno negotiato sopra cambij da Piacenza à Genoua, & da Genoua à Piacenza, & perche hanno visto altri negotiarui, & per altre ragioni, che diranno, & per hauer fatto i conti, e cosi fù, &c.

Vltimo quòd de prædictis, &c.

Citatis, &c.

Copia.

Ioseph Martignonus I.C.

145 Collige obiter ex hac praxi, quòd Genuenses hac via consequuntur lucra cambiorum, & recambiorum sine cambio; quia, supposita negotiatione cambiorum pro licita (& in hoc stat punctus) creditores omnes in vim illius negotiationis consequuntur lucra cambiorum per viam lucri cessantis.

146 Contra hanc opinionem, & praxim, nempè, non sufficere præfata tria requisita, de quibus supra num. 99. & seqq. sed requiri plura alia ad consequendum interesse, videntur sentire Rot. & nonnulli alij, vt mox videbimus.

Et quò facilius rem tradamus, duos considero casus.

Primus est simplex & generalis tàm in lucro cessante, quàm in damno emergente: & in isto Rot. & nonnulli alij requirunt duo.

Primum est probatio negatiua, vt, agens ad interesse, probet, quòd ex quò nõ habuit pecuniam non potuit emere, seu damnum euitare, alias, hoc non probato, non potest obtinere, Rot. in Rom. fructuum, & interesse, die 10. Decembris 1614. coram R. P. D. Pamphilio. vers. præterea. mota ex doctrina Pauli de Castr. quam formaliter, citatis ijs, qui eum sequuntur, retuli supra nu. 99. vers. declara. & in multis alijs causis, de quibus decis. 325. dubium erat. num. 5. vers. non obstat. in Lucana locationis, ven. 18. Martij. & 29. Aprilis 1611. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in impressis Romæ anno 1615. vbi, quòd licet conductor, ære alieno grauatus, soluat fructus, & interesse, & ipse anticipatè soluerit locatori scut. 1500. cum pacto, quòd locator teneatur ei ad lucrum cessans, & damnum emergens, tamen non consequitur interesse damni emergentis, nisi probet in indiuiduo, quòd ex defectu dictorum scut. 1500. quos locatori anticipatè soluit, non extinxit æs alienum, pro quo soluit interesse, & quòd, si dictos scutos 1500. habuisset, extinxisset debitum, seu debiti fœneratitij partem, quia posset alias contingere, quòd debitor vnius in scut. 100. cum interesse 12. pro quolibet anno, & creditor decem debitorum separatim, & cuiusque eorum pro simili summa, exigeret à quolibet eorum scut. 12. pro centenario, quos ipse soluit suo creditori, sicq; pro 12. consequeretur 120. cũ nemo eorũ decem debitorum sciret solutionẽ, factã ab altero, prout obscurioribus verbis considerat Rot. d. decis. 325. num. 5. in fine; hincq; aliqui ex DD. Rotæ dicebant, quòd etsi creditor, finita societate officij, contrahat similem societatem, cum declaratione, quòd pecunias accipit ad cõmodum, & incommodum debitoris morosi, hæcq; societas, & declaratio ad claram, & certam debitoris notitiam deducantur, supposita etiam prius omnimoda mora debitoris, tamen debitor non teneretur ad fructus societatis, quia creditor debet probare, quòd nisi illas pecunias accepisset in societate officij, cessasset ab aliquo lucro, vel non euitasset aliquod damnum, Rot. coram Illustriss. Card. Millino, lunæ 3. Decembris 1601. in Romana de Perottis.

Ratio huius requisiti in lucro cessante est, quia quamuis aliquis habeat præ manibus vtilem occasionem emendi, seu negotiandi, & habeat etiam pecunias; tamen multa possent euenire, vt occasionem illam deferar; primo enim potest euenire, vt dissentiat in pretio, vel in alia conditione, & ita deferat, quod sæpè in facto experimur: secundo potest euenire, vt illas pecunias in alios conuerteret vsus non vtiles, & tamen, vt interesse consequatur, malitiosè fingeret se velle emere.

Confirmatur hoc requisitum, quia posset esse, quòd iste creditor haberet alias pecunias otiosas, quibus posset, si vellet, emere; quo casu non deberetur interesse, per ea, quæ in interesse ex mutuo scribit Card. Tolet. quem retuli sup. sub num. 78. in secundo requisito. quare cum probatio sit vndique obscura, & incerta non releuat.

Ratio verò in damno emergenti potest esse illa fraus, quam creditor posset committere, vt ex mente Rotæ deduxi hic supra.

Secundum est, vt si sit creditor ex causa societatis officij, & disdictæ, & velit consequi

lucrum cessans, ostendat, se non solum interpellasse debitorem, sed etiam fecisse diligentias consequendi solutionem, & debitorem fuisse morosum, quia tunc ex quadam æquitate potest creditor aliquod honestum lucrum exigere arbitrio iudicis secundum qualitatem personarum & negotiorum, vt ex sententia D. Thomæ, referendo eiusdem formalia verba, firmat R.P.D. Acorambonus, Rotæ Decanus in quodam eius voto, impresso inter consilia Prosperi Farin. cons. 15.num 87.lib.1.quinimo debet ostendere, se fecisse omnes diligentias pro exigenda sorte societatis, & non sufficerent aliquæ diligentiæ: quare debet obtinuisse mandatum executiuum, & procurasse illius executionem, & tunc etiam ex Rotæ iudicio debetur creditori interesse, Castrac. tract. de societ. cap. 49. per totum; hocq; interesse ex eiusdem Rotæ Decani voto nu. 88. supra citato, non debet excedere quinque, vel sex pro centenario, quia tot reddere solent bona stabilia, & pecuniæ sine periculo; huncque stylum seruat sæpe Auditor Cameræ, cessat enim tunc suspicio contra creditorem, ne differat consequi creditum, vt ex eo consequeretur etiam interesse.

247 Secundus casus est, quando creditor ex quò sibi debitor non soluit pecunias debitas, fuit compulsus eas accipere ab alijs sub interesse: & isto casu, vt creditor consequatur illud interesse, debet plura probare.

Primo enim debet probare, se pecunias accepisse sub interesse, eo quia debitor sibi non soluit in termino præfixo, & maximè si creditori fuerit à debitore data hæc facultas, vt, ipso debitore non soluente in termino, posset accipere cambio, & recambio, aliàs si non probet, se accepisse cambio, non potest obtinere interesse, Rot.diuers.decis.775. dubitatum. sub num. 1. in Mediolanen. pecuniaria, mercurij 27. Martij 1602. coram R. P. D. Litta, in impressis Lugduni 1612. hocq; requisitum satis probatur ex allegatis in primo primi casus, quia in effectu est idem.

248 Secũdo vbi probauerit, se pecunias cambio accepisse, debet probare etiam, fuisse in eã causam expressim acceptas, quia qui tenetur probare, debet clarè probare, cum probatio obscura non releuet, Rot. vbi supra, & enixius Mohed. decis. 1. & 2. tit. de vsur. alias 102. & 103. quare est necessaria probatio in indiuiduo, quòd ideo acceperit cambio, quia pecunia sibi à debitore non fuit restituta, cum possit esse, quòd acceperit pecunias ad cambium ob alias causas, Rot. in Rom. cambiorum de Grandis, ven. 15. Maij 1592. num. 1. coram Illustrissimo Card. Millino, impressa apud Marches. de commiss. par. 1. §. 2. num. 52. fol. 875. & sic debet probare, quòd ex illis pecunijs, cambio acceptis, soluit aliquod debitũ, & quòd non poterat illud aliter soluere: nam posset esse, quòd creditor acciperet cambio, vt debitorem suum sibi obliget ad maius lucrum per viam interesse damni emergentis, quod est vndique multiplicabile, per ea, quæ retuli infra §. 7. gl. 2. num. 60. imò posset esse, quòd pecuniæ, quas creditor sub interusurijs accipit, essent ipsiusmet creditoris, & faceret apparere, quòd essent alterius, qui esset confidens amicus; ideoque ad obuiandum his fraudibus, quæ committi possunt, requiritur probatio concludentissima, quòd, necessitate vrgente, & propter damnum emergens acceperit cambio, & non vt negotiaretur ad lucrandum.

249 Tertio requiritur, vt in casu, quo creditori data non est facultas à debitore capiendi pecunias sub interesse, & debitor est morosus in non soluendo, creditor priusquam pecunias sub interesse accipiat, denuntiet debitori, & protestetur, se illas accepturum, Rot. d. decis. 775. sub num. 1. contra morosum enim debitorem requiritur hæc protestatio, iuxta ea, quæ scripsi infra §. 6. gl. 1. num. 97. & §. 7. gl. 2. num. 16. &, quòd sola mora non sufficiat, sed requiratur denunciatio cum protestatione, vt mutuatarius teneatur ad damna, scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 8. sub num. 17. vers. fauet. tom. 2. fol. 252. & ita, citatis Bero. cons. 195. num. 2. lib. 1. Anch. cons. 376. num. 2. in fine, & Mohed. decis. 3. de renunt. scribit Rot. in Rom. subhastat. bon. coram Illustriss. Card. Lancellotto, Lunæ 7. Iunij 1597. vers. non obstat. dicens, fuisse eo casu necessariam protestationem, quòd pecunias accipiebat in societate officij ad commodum, & incommodum sui debitoris, ad hoc, vt ille suus debitor teneretur ad fructus dictæ societatis.

Et dato hoc alio casu, quòd creditor nolit accipere pecunias sub vsuris, neque vti mercator intendat consequi lucrum cessans mercaturæ, sed velit inire aliquod commercium frugiferum, puta, quia velit emere annuum

annuum reditum, vtique sicut volens accipere sub vsuris, tenetur debitori futuram acceptionem denunciare, vt dixi hic supra, ita etiam volēs emere annuū reditum, debet futuram emptionē, sicq; existentiā occasionis denunciare, prout aliqui in praxi obseruant.

Confirmatur primo hoc tertium requisitum, quia quando credendum esset, fore, vt debitor morosus, puta, mutuatarius, monitus, soluat debitum cum suo minori sumptu; creditor, pura, mutuator teneretur illum monere, se accepturum esse pecunias sub vsuris, si illum commodè monere posit, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 315. vers. illud est. ibi, quando item. col. 273. & ratio potest esse, tum quia quod nobis non nocet, & alteri prodest, est agendum; sed hæc denunciatio creditori non nocet, & debitori prodest, vt dixi, ergo: tum quia hoc ipso, quòd creditori data esset facultas à debitore, vel à lege, vt posset pecunias sub vsuris accipere nomine ipsius debitoris, videretur in hoc procurator ipsius debitoris, sed procurator debet vtiliter gerere negotium domini: ergo tenetur prius requirere ipsum debitorem, an vellet soluere.

Confirmatur secūdo, quia creditor quando potuisset aliter cum minori debitoris dispendio se conseruare indemnem, quàm, sumēdo sub vsuris, tunc debitor tenetur solum ad id, quo cum minori dispendio potuisset se conseruare indemnem, & non ad illud plus, Molin. vbi supra, sed potuisset se forsan conseruare indemnem, denunciando, quia debitor soluisset. Ergo.

250 Quarto requiritur, quòd, facta ista notificatione cum protestatione, & secuta reali pecuniarum acceptione sub interesse, rursus notificetur debitori, ad effectum, vt certò sciat, debitum suum iam esse sub vsuris, sicq; posit, si velit, ab illis se liberare, soluendo debitum, Rot. d. decis. 775. sub num. 1. citata sup. sub num. 247.

251 Quinto requiritur, quòd (si creditor acceperit pecunias in societate officij) declarauerit, quòd illam societatem contrahebat ad commodum, & incommodum debitoris, Rot. quam citaui supra sub num. 249. in 3. requis. & coram R.P.D. Caualerio, in Rom. pecuniaria, lun. 23. Iunij 1608. vbi, facta à creditore in contractu societatis declaratione, quòd pecunias accipit in societate officij animo se reualendi contra suum debitorem, ad quem propterea omne commodum, & incommodum spectare declarat; transit super hoc, nulla excitata dubitatione.

252 Ratio huius requisiti est, ne alias, secuto lucro societatis, creditor, reuoluto mantello, diceret, quòd illam contraxit ad commodum, & incommodum proprium; & propterea si creditor societatis officij, finita societate, protestetur contra debitorem morosum, se velle accipere pecunias in societate officij à Titio, & illinc ad tres dies accipiat, hæc protestatio non est sufficiens, quia esset necessaria declaratio tempore initi instrumenti societatis, quòd pecunias accipit ad commodum, & incommodum ipsius debitoris, vt debitor sit certus de contractu societatis, &, succedente casu mortis, possit pecunias lucrari; siquidem alias esset in potestate creditoris iuxta euentum rei dicere, societatem fuisse contractam ad commodum & incommodum debitoris, vel sui ipsius; & vlterius debet hæc protestatio continere per acta cuius notarij accipiat pecunias, vt debitor possit scire sub cuius vi ę periculo contracta sit societas, ad effectum, vt possit innotescere euentus lucri, Rot. coram Illustrissimo Card. Millino, lunæ 3. Decembris 1601. in Romana de Perottis.

253 Ratio tot requisitorum est duplex. Prima, quia, admisso interesse, scabrosiores insurgerēt difficultates: nempè, quantum interesse sit probatum: rursus, an debeatur primum tantum, vel etiam secundum interesse, & an debeatur interesse alterius interesse, quę sunt difficultates penè inextricabiles, de quibus egimus infra §. 7. glos. 2. num. 18. & seqq. & num. 33. & seqq. vnde boni Iudices, quorum cordi est obuiare litibus, omni conatu student, quomodo possint iugulare interesse, veluti radicem, iuxta illud Ouidianum:

Principijs obsta, serò medicina paratur.

Secunda ratio est, quia etsi interesse, & vsura longè inter se distent, cum interesse sit omni iure concessum, vt dixi supra num. 96. vsura verò omni iure prohibita, vt dixi sup. q. 1. num. 401. tamen vsura, sæpè interesse veste induta, difficilè discernitur, & proinde Iudices Romanæ Curiæ, & præsertim Rota, quæ est & religiosissima, & prudentissima, ne in eorum tribunali sub specie interesse transeat palliata, & personata vsura, ita cautè procedunt, vt potius iustum excludant interesse, quàm damnatam admittant vsuram; hincq; agentem ad interesse crediti resoluti, vt loquuntur, in mutuum, multis, difficilibusq;

busq; onerant probationibus, easq; si faceret, aliam tunc forsan adderent, vt, quasi Hydræ vno auulso capite, alterum consurgat, sicque, qui conscientia, ac virtutis amore, à laruatis non abstinerent vsuris, tot requisitorum difficultate deterriti, arceantur.

254 Hæc etsi bono zelo, piè, ac religiosè, ad arcendam vsuram exigi videantur, tamen quæ eorum occulta sunt, ideoque directò probari non possunt, ad forum interius pro instruenda conscientia remitti debent; non autem ad forum exterius, de quo agimus, quia in eo ea tantum probari debent, quæ occulta non sunt, hæcq; ad illa tria reducuntur, quæ summatim numerauimus supra sub num. 99. vers. declara. & copiosè de eisdem egimus supra num. 100. & seqq. num. 221. & seqq. 238. & seqq. nam quòd illa tria sufficiant, duplici potest argumento probari.

Primo, quia ipsamet Rota, quæ plura requirit, sæpissimè doctrinam citat Pauli de Castr. vt dixi etiam sup. d. num. 99. & quòd Rota sequatur in hoc Paulum de Castr. sunt decisiones vulgatæ, vt dicit Rot. diuers. decis. 139. fuit resolutum. num. 1. coram bon. mem. Card. Pamphilio, in Rom. census, lunæ 29. Nouembris 1599. in impressis Romæ 1615. & tamen Paul. de Castr. pauciora requirit, vt patet ex eius doctrina, quam retuli sub d. num. 99. vers. declara.

Secundo, quia hæc omnia alia requisita præter quintum, de quo supra num. 151. vrgentes pati videntur difficultates.

255 Contra enim primum primi casus requisitum, quo creditor arctatur ad probandam negatiuam, quòd ideo non emerit, seu non soluerit æs alienum, quia pecunias non habuit, vrgent duo.

Vrget primo praxis, qua vtuntur mercatores, qui, protestatis litteris, consequuntur non solum interesse damni emergentis, accipiendo ad cambium, & recambium eandem partitam, vt in protestationis formula, quam posui infra §. 6. gl. 1. num. 98. & §. 7. glos. 2. sub num. 16. nulla vnquam facta probatione, quòd ideo cambio, & recambio acceperint, quia non fuit sibi soluta partita cambij, sed consequuntur etiam interesse lucri cessantis, nō aliter illa partita ad cambium accepta, dummodo sint soliti negotiari, dando, & accipiendo ad cambium, vt in titulorum formula, de qua sup. num. 244.

256 Vrget secundo, quia hoc requisitum vel est improbabile, & tunc nemo cogitur illud probare, quia ad impossibile nemo tenetur; imò si quis vellet illud probare, esset repellendus, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 7. num. 224. & 225. Vel est aliquo modo probabile, & tunc eo modo, quo est probabile, dico esse probatum: dum dico, esse improbabile, loquor de probatione directa, & certa, quia, quòd creditor haberet animum, & voluntatem emendi, si habuisset pecunias, & non emerit, quia non habuit; hoc residet in animo, & corde, ideoq; directò probari non potest, quia solus Deus est scrutator cordium, vt secutus sum d. lib. 2. cap. 9. num. 310. & seqq. posset enim esse, quòd adesset occasio emendi, seu faciendi alium contractum lucratiuum, & creditor, vt consequatur interesse, fingeret, quòd vellet facere illum contractum, si haberet pecunias, & tamē in rei veritate illum contractum non faceret; imò posset creditor reperire simulatum venditorem, qui minimè venderet: Et dum dixi postea, eo modo, quo est probabile, esse probatū, locutus sum de probatione coniecturali, & resultante ex aliqua probatione directa antecedenti, vt puta, creditor probat directò, se habuisse præ manibus occasionem emendi annuum censum, seu quid simile, & requisiuisse suum debitorem, vt ei solueret, eiq; notificasse, se empturum esse illum annuum censum; & constat, quòd debitor non soluit, & quòd creditor non emit: certe ex his, directò probatis, satis dicetur probatum, quòd creditor non emerit, quia non habuit pecunias, seu oritur pro creditore præsumptio, quæ transfert onus probandi contrarium in debitorem; & admitti has coniecturales, & verisimiles probationes, secutus sum etiam supra num. 225. in 2. opin. quare debitori incumbet onus probandi contrarium; videlicet, quòd creditor habuit semper alias pecunias otiosas, quibus potuisset emere, vel, quòd non potuit se concordare cum venditore; alioqui si creditor teneretur ipse aliter hanc negatiuam probare, quòd nō habuerit alias pecunias, quibus emeret, intolerabili grauaretur onere, quia multa sunt loca, in quibus quis potest secretò habere pecunias, & nullus testis posset deponere, quòd viderit omnia loca.

257 Ad doctrinam Pauli de Castr. citatam supra sub num. 246. & latius sub num. 99. respondeo, quòd illa vltima eius verba: *& quia pecuniam non habuit, non potuit emere*. non

non sunt verba articuli probandi, sed sunt verba, quæ ex probatione præcedentium infert Castrensis, quem ita interpretari debemus, ne aliàs ex allegatis num. præcedenti reprehensionem mereretur.

258 Ad rationem adductam respondeo, quòd si creditori denegandum esset interesse, quousque potest considerari casus, vt non emisset, & quousque considerari potest suspicio fraudis, iura, de interesse loquentia, essent abroganda, quia semper potest considerari aliqua suspicio fraudis, vt patet ex his, quæ scripsi infra nu. 267. & consequenter, dum Princeps, & iudex suspicionem fraudis tanto prosequerentur odio, debitoribus nimis fauerent, quod est contra iustitiam, quia debitoribus ita in iustitia debitores sumus, vt creditoribus iniustitiam facere non debeamus.

259 Ad confirmationem respondeo, quòd aliam pecuniam, quam habet otiosam, potest tenere pro futuris necessitatibus, quo casu illa pecunia non habetur tanquam otiosa, Nauar. & Ioan. Azot. quos secutus sum supra sub num. 78.

260 Intellige hæc, quæ dixi contra hoc requisitum, vt procedant in foro exteriori, secus in foro interiori; quia in foro interiori hoc requisitum est necessarium, & ideo, si verè creditor non fuisset empturus, & consequeretur interesse, peccaret, & teneretur ad restitutionem.

Hæc omnia, quæ dixi contra hoc primum requisitum in lucro cessante, habent locum contra idem requisitum in damno emergente, quando creditor dicit, se non soluisse debitum fœneratitium, quia suus debitor non soluit sibi.

Contra secũdum primi casus requisitum, quo creditor societatis disdictæ arctatur ad faciendas omnes diligentias; vrget duplex difficultas: Prima, quia, si, nullo probato interesse, debitor ad illud condemnatur propter illas diligentias, quibus creditor vsus est ad consequendam sortem, condemnatio est iniusta, & vsuraria, nam vtatur creditor mille diligentijs, & non doceat de interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, impossibile est, vt debitor ad illud condemnetur, per ea, quæ secutus sum infra num. 292. restrict. 1. & ita, reprobato contrario Auditoris Cameræ stylo, scitè dixit Rot. in Rom. fructuum, & interesse, mercur. 10. Decembris, 1614. coram R.P.D. Pamphilio, quòd si dicamus, interesse lucri cessantis probari ex eo, quòd in Vrbe sunt multæ occasiones negotiandi, & emendi vtiliter, replico, quòd eiusmodi occasiones in Vrbe non sufficiunt, per ea, quæ dixi supra num. 229. iuncto nu. 223. Secunda difficultas, quæ vrget, est, quia si creditor cessauit à lucro, vel damnum est passus propter moram debitoris, potest illud consequi, omissis tot diligentijs, per ea, quæ dixi num. sequentibus; nam istæ diligentiæ ostendunt culpabiliorem moram, sed non inducunt nouã moram obligantem.

Cæterum, vt meam dicam sententiam, Auditoris Cameræ stylus, dum officialem, debitorẽ ex causa societatis officij, condemnat ad quinque, vel sex pro centenario, iuridicè defendi potest, non ratione prædictarum diligentiarum, sed ea ratione, quòd pecunia socialis habet hoc speciale, vt socius, qui pecuniam socialem inuasit, teneatur ad interesse, per ea, quæ dixi supra num. 137. restr. 4. sicque potest condemnari ad rationem societatis officij nõ periculosę, vt scripsi supra num. 120. & seqq. illat. 4 & maximè iuridicus est hic stylus, quando ipse officialis, seu qui bonam fidem recognouit, disdixisset societatem, & pecunias non restitueret, quia tunc hic stylus clarè iustificatur ex his, quæ scripsi supra nu. 141. & seqq. quare illæ diligentiæ videntur seruire potius pro notarijs, vt mandatorum emolumenta acquirant, in damnum debitorum, & quandoque creditorum, si ea ab inope debitore recuperare non possint, vnde (si ita esset) consultis superioribus, abolendæ essent.

261 Cõtra primum secundi casus requisitum, quo creditor arctatur ad probandum, se pecunias accepisse cambio, seu sub alio interesse; moueor, quia facultas, à debitore data creditori, vt, ipso debitore non soluente in termino, possit creditor accipere cambio, & recambio, non restringit obligationem debitoris ad interesse damni emergentis tantum, ita vt si creditor non acceperit cambio, debitor ad nullum teneatur interesse, vt arbitratæ sunt illæ decisiones, quia hoc est contra intentionem ipsorum contrahẽtium, qui voluerunt, vt creditor non teneretur accipere, sed esset in eius libero arbitrio: ergo si creditor poterat, & noluit debitorem obligare ad istud grauius interesse, non debet ex hoc perdere lucrum cessans, quod debitori est minus graue: & pro maiori intelligentia est sciendum, quòd mercatores

accipiunt cambio, non solum, vt damno emergenti occurrant, sed etiam, vt lucrum faciant, siquidem ipsi eandem summam, quam cambio ab alio accipiunt, cum lucro dant alteri, & sic traficant pecunias: imò, ne damnum lucri cessantis patiantur, accipiunt cambio vt plurimū à se ipsis, & hoc est, quod mercatores dicūt, *cambiar in se stessi*, per ea, quæ scripsi §. seq. gl. 8. nu. 17. & dicitur cambiū recursæ, de quo latè scripsi inf. §. 6. gl. 1. num. 2. & seqq. Sed quia hæc omnia respiciunt creditorem, qui sit mercator, solitus lucrari, ideo est distinguendum: Aut agens ad interesse, est talis, vt in eo cadat lucrum: & tunc concludo, quòd hæc probatio non videtur necessaria, quia interesse lucri cessantis debetur, non ex eo, quia creditor acceperit pecunias sub fœnore, sed ex eo, quia cessauerit à lucro, quod fecisset, si debitor soluisset: quare, si creditor erat mercator, solitus negotiari, & lucrari; non video quomodo ex eo, quòd non acceperit cambio, debeat perdere lucrum cessans, quod sibi de iure debetur, iuxta ea, quæ secutus sum supra num. 225. quia hoc esset lapidare eum de bono opere, cum is potuisset cambio accipere, vt fructuosius ageret negotium, sed desijt accipere, ne debitor grauiori oneraretur interesse, soluendo prouisiones, gabellas, & similia: sed, vt clarius hanc ostendamus veritatem, fingamus, quòd iste creditor fuerit cum suo damno coactus dare creditoribus bona in solutum ad euitandos carceres; certè debitor morosus non poterit dicere, se non teneri ad hoc damnum emergens, quia creditor debuisset accipere cambio, & soluere creditoribus: nam creditor replicaret, quòd si accepisset cambio, soluisset grauius interesse; & in omnem casum, quòd non tenebatur accipere, sed erat in eius facultate, vt posset accipere; sicq; illa facultas accipiendi cambio respiciebat fauorem creditoris: Nec dicatur, quòd si non acceperit cambio, cessat damnum emergēs, pro quo debetur interesse, tam immediatum, quàm mediatum, multiplicatum, & quomodocunque calculatum, vt dicit Rot. Genuen. quam citaui infra §. 7. gl. 2. num. 60. vers. venio ad secundum. & remanet interesse lucri cessantis, quod debetur primum duntaxat, vt dixit ead. Rot. Genuen. quam & alios citaui eod. §. 7. gl. 2. sub num. 20. Quia respondeo, illam decisionem, dum loquitur in interesse lucri cessantis, esse sibimet contrariam, & inconstantem, vt notaui eadem glos. 2. sub num. 33. & num. 39. & non seruatur per ea, quæ dixi ibidem sub d. num. 33. Aut agens ad interesse est talis, in quem cadere non potest lucrum cessans, sed solum damnum emergens, & tunc dico, quòd si inter creditorem, & debitorem conuentū esset, vt creditor pro aliquo formidato dāno futuro acciperet pecunias sub interesse cābij; & ita in conuentione se restrinxerunt, & creditor ostenderet, damnum emersisse, sed non probaret, se pecunias cambio accepisse, & tunc dico, quòd debitor ad aliquod interesse non teneretur; quia creditor, ne damnum emergeret, debebat accipere cambio; contractus enim ex partium conuentione legem accipiunt; secus tamen si conuentio creditorem ad accipiendum non obligasset; sed facultatem dedisset.

262 Contra secundum (quo creditor, qui pecunias sub fœnore accepisset, arctatur ad probandum, fuisse expressim acceptas in eam causam; idest, quia, debitore non soluente, & imminente damno, fuerit, vt illi occurreret, coactus accipere cambio, vt loquitur, & sentit apertè Rota) moueor, quia debitor, qui promisit soluere omnia damna, & interesse, vt in casu decisionis Mohedani, quam etiam Rota moderna vsque ad præsentem diem sequitur, non intelligitur promisisse solum damnum emergens, vt credit Rota, sed promisit etiam interesse, cuius appellatione venit etiam lucrum cessans, vt secutus sum infra num. 269. extens. 2. & hoc inter mercatores transit sine difficultate; quare, cum promiserit etiam interesse lucri cessantis, non est necessaria probatio damni emergentis, & sic videtur ruere totum fundamentum decisionum Rotæ, & ideo censerem, quòd Rota melius iudicauerit in decisione contraria, de qua idem Mohed. decis. 1. de vsur. & satis totum hoc comprobatur ex his, quæ dixi supra contra primum requisitum: & ita seruant Genuenses, qui hoc requisitum non attendunt.

263 Contra tertium, quo creditor arctatur ad notificandum debitori, & protestandum, se accepturum pecunias cambio, seu sub alio interesse, obstat in primis eadem oppositio, quam adduxi contra primum, quia si non est necessaria acceptio pecuniarum, easq; propterea non accipit, non potest requiri hæc denunciatio, & protestatio. & dato, quòd creditor velit eas accipere, & agatur de damno

damno emergente, tamen adhuc censerem, esse superfluas, quia, quòd ego patiar, vel non patiar damnum, non procedit à protestatione, quam facerem, sed procedit à mora mei debitoris, & damno, inde secuto; & mihi damni emendatio non magis debetur, quia fuerim protestatus, quàm si non fuerim protestatus; cum illa protestatio possit solum iuuare ad declarandum animum patientis damnum, quòd non intẽdit illud remittere, & non potest causare obligationem damnificantis, qui alias non esset obligatus; quare si creditor acciperet sub excessiuo, seu simulato interesse pecunias, debitor ad illud non teneretur, quamuis millies ei creditor denunciasset, ac protestatus esset, & è conuerso, si sub moderato fœnore acciperet ad emendam annonam, priusquam eius pretium augeretur, debitor teneretur ad illud, quãuis creditor omisisset protestari, quia nõ debet creditor ex mora debitoris pati illud damnum, & interesse, & debitor ex mora propria lucrum consequi, si pecunijs creditoris annonam viliori emisset pretio, aut emisset forsan aliquod prædium frugiferum, vel annuum reditum, indeque lucrum annuum perciperet, & demum, debitorem morosum teneri ad emendationem huius damni emergentis, scribunt, nulla facta mentione de hac protestatione, Petr. de Anch. & Io. Azor. quos secutus sum infra num. 282. ibi, septimo quia. licet Azor. post Ang. quem citat, requirat, monendum esse debitorem, quia monitus forsan solueret, vel aliter prouideret, sed neque monitionẽ hanc esse necessariã paret ex his, quæ scripsi n. seq.

Non obstat illa praxis protestandi litteras cambij; quia respondeo, quòd creditor ex cambijs ad constituendum debitorem in mora, debet ostendere, se tempore solutionis fuisse in loco destinatæ solutionis, iuxta ea, quæ scripsi §. seq. gl. 5. num. 201. &, vt ibidem dixi sub num. 204. & 205. praxis illa docendi, se fuisse in loco, vt reciperet solutionem, addit ad cautelam protestationem, quæ tamen necessaria non esset.

Minus obstat Rotæ decisio, quia procedit quoad casum, de quo supra num. 251.

Similiter non obstat, quòd aliqui creditores denuncient debitori existentiam occasionis frugiferæ, quam habent, quia respondeo, quòd qui denunciationem hanc faceret, abundaret in cautela, sed non esset necessaria.

Minus etiã obstãt duæ illæ cõfirmationes.

265 Ad primam enim respondeo, quòd denunciationis omissio potest forsan esse contra charitatem, sed non contra iustitiam, quia de iure creditor non tenetur denunciare, & monere debitorem morosum de eo, quod debitor tenetur scire, & præcauere; alias sequi posset, quòd creditor debitori moroso deberet etiam notificare, qua parte iuris cautum sit, quòd debitor morosus teneatur creditori ad lucrum cessans, quia si debitor de hoc moneretur, forsan inueniret modum soluendi, vt euitaret emendationem lucri cessantis: sed hæc sequela est falsa, Ergo.

266 † Neque obstant illæ duæ rationes; quia admitto ex regula, concedendum esse quod alteri prodest, & tibi non nocet, sed dico, quòd creditori hæc denunciatio nocet, quia requirit curam, & expensas denunciationis; & ideo illa regula obligat, vt concedat, si sit requisitus, sed non obligat in iustitia, vt etiam non requisitus concedat, imò faciat: & altera regula, quòd procurator debeat negotium debitoris vtiliter gerere, magis obligat, vt vtiliter gerat negotium proprium; cum illud mandatum non sit factum ad vtilitatem debitoris, sed ad vtilitatem creditoris.

Ad secundam confirmationem respondeo, quòd est vera, suppositis æquali indemnitatis conseruatione, & æquali incommodo creditoris: quæ æqualitas incommodi cessat, vt dixi.

Contra quartum, quo arctatur ad denuo denunciandum post contractum debitum sub interesse; obstant, quæ dixi in præcedenti; & quòd si fideiussor accipiat pecunias sub interesse, & declaret, quòd eas accipit eo, quia cogitur soluere debitum fideiussionis cum simili interesse, debitor, pro quo soluit, teneatur ad illud debitum, & interesse, licet fideiussor debitori non intimauerit præfatam declarationem, cum nullum nouum inferat grauamen debitori, qui iam erat obligatus ad tantundem interesse, si illud debitum non fuisset solutum, dixit Rot. in Roman. societatis officij, die 21. Octobris 1580. coram bon. mem. Card. Blanchetto. admitto enim, quòd istæ denunciationes, & protestationes laudabiliter fierent, & debitorem in maiori constituerent mora, & contumacem redderent minus excusabilem; sed tamen non sunt necessariæ, quia mora iam causauit obligationem.

Ad

267 Ad rationes, quibus requisita videntur defendi, respondeo, admittendo, quòd Iudex, motus bono zelo, ne ex lite lites oriantur, & ne aperiatur via fraudibus vsurarum, iuxta ea, quæ scripsi supra hac ead. ampliat. num. 9. & 10. debet omni conatu principijs obstare, & multa indagare, & indagando requirere; tamen in primis cauere debet, dum ista conatur facere, ne alteri iniustitiam faciat: deinde debet aduertere, quòd etsi multa & plura requirat, tamen semper remanebit aliqua suspicio fraudis, quæ in foro exteriori detegi non potest: quid enim, si creditor, agens ad lucrum cessans, non probet, quòd non potuisset euenire casus, quòd non fuisset lucratus, cum potuisset contingere, quòd non solum non esset lucratus, sed quòd perdidisset capitale, imò potuisset euenire casus, vt aliquis pecunias, sibi solutas, statim furatus esset, & (quod peius est) propter illas pecunias insidiatus esset ipsius vitæ, prout casum hunc posse euenire, experientia quandoque docuit: &, quid si creditor habuisset alias pecunias otiosas, & omnino absconditas, & incognitas, quibus potuisset emere, & lucrari: quid si creditor, agens ad emendationem damni emergentis, ijsdem pecunijs secretis, & in archa absconditis, ac otiosis potuisset soluere æs alienum, & tamen in despectum sui debitoris acciperet sub interesse; & quid si pecunias, quas accipit, essent suæ propriæ, iuxta ea, quæ scripsi supra sub num. 248. in tertio requisito: quid si ad consequendum vsuras à suis debitoribus, fictè contraheret plura debita sub interesse: & quid si fuisset in aliqua culpa, seu negligentia dãni emergentis; dicemus ne, quòd, singulis istis fictionibus non elisis, non potest obtinere lucrum cessans? certè non; quia tam exacta probatio, quæ excludat omnem fraudis suspicionem, cum sit impossibilis, & contineat infinitatem, non est requirenda, cum nemo debeat obligari ad impossibile, per ea, quæ dixi §. seq. gl. 3. sub num. 114. & quæ infinitatem continent reijcienda sint, vt in alio proposito scripsi infra §. 7. glos. 2. num. 10. & non requiri tàm exactam probationem patet, quia si fideiussor in societate officij, coactus soluere, accipiat ab alio in societate officij, cum declaratione, quòd accipit ad commodum, & incommodum sui debitoris, & soluat, potest illud interesse consequi; vt, constituendo differentiam inter fideiussorem, qui possit accipere, vt supra, & creditorem, qui non possit accipere, nisi, probatis requisitis necessarijs, dixit Rot. quam citaui sup. sub num. 246. vers. primum. & num. 251. vtrobiquè, in fine, & tamen posset esse, quòd fideiussor posset sine vllo incommodo soluere de proprijs pecunijs, quas haberet otiosas: & certè si hæc tam exacta probatio requireretur, vana & elusoria redderentur iura, quæ mandant, vt debitor morosus teneatur ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis, & consequenter lites super interesse admitti non deberent.

Vtile tamen admodum fore arbitror, si (cõsiderata qualitate creditoris, an sit mercator, & solitus negotiari, vel non solitus negotiari,) difformis, vel vniformis, sed certa ferretur lex, qua iudicibus arbitrium, & varietas opinionum circa probationem interusuriorum amputaretur; creditoribus ad committendas fraudes vsurarum via clauderetur, & debitoribus occasio lucrandi cum creditorum iactura, aut saltem eos damnificandi occasio tolleretur.

INTERESSE, PROBATIS REQVISITIS, debetur omnibus.

SVMMARIVM.

Debitor morosus tenetur creditori ad interesse, num. 268.

Extenditur primo, vt teneatur vidua, si ei dotem non restituat, & nobili, & etiam in foro conscientiæ, ibidem.

Extenditur secundo, vt teneatur etiam ad interesse damni emergentis, num. 269. Subextenditur primo, vt magis teneatur ad interesse damni emergentis, quàm ad interesse lucri cessantis, num. 270. & seqq. Subextenditur secundo respectu probationis faciendæ, n. 283.

Extenditur tertio, vt teneatur ad interesse cambiorum, quamuis sit rusticus, &c. num. 284. & seqq.

Extenditur quarto, vt teneatur non solum ipse debitor, sed etiam fideiussor, cum distinctione, num. 287. & 288.

Lucrum cessans, & Damnum emergens, quæ dicantur, nu. 289. & seq. Et in quibus differant, num. 271. & seqq.

Interesse appellatione continetur lucrum cessans, & damnum emergens, num. 269.

Damni emendatio debetur magis, quàm lucrum cessans, num. 273.

Lucrum

Lucrum radicatum, & damnum non differunt, num.274.
Damnum euitare est minus propinquum vsuræ, quàm facere lucrum, num.275.
Mutuare cum pacto, vt mutuatarius restituat etiam aliam rem mutuatoris, quam indebitè tenet, non est vsura, num. 275. Neque cum pacto, quòd singrapham etiam alterius mutui subscribat, num.276.
Damni infecti promittens potest extollere suas ædes, quamuis, extollendo, officiat lumini ædium vicini, sub num. 271.
Actione bonæ fidei intentata, potest peti interesse damni emergentis, non autem lucri cessantis, num. 273.
Vsuras, quas fideiussor soluit pro debito proprio, vt solueret fideiussorium, potest in foro interiori repetere à principali debitore, num.277.
Mutuatarius tenetur soluere vsuras, ad quas teneretur mutuator, si ea lege mutuauerit, num.281.
Debitor tenetur soluere vsuras, quas soluit creditor, eo quia ipse debitor non soluit ei in termino, num. 282.

268 FIRMATA, ac plenè declarata septima subampliatione, posita sup. num.98.quòd cuilibet creditori, probatis mora, & alijs requisitis, de quibus supra num. 99. & seqq. debeatur interesse lucri cessantis, etiam non conuentum.

Extende primo eãdem subampliationem, vt procedat etiam in vidua, quia si erat parata emere prædia ex pecunia dotali,& propter moram hæredis mariti, non restituentis dotem, non potuit emere, debebitur ei interesse, Paul. de Castr.in l.diuortio. sub nu. 6. ff. sol. matr. & alij, quos in diuersis locis sequitur Surd.tract.de aliment. tit. 1. q.45. sub num.40. vers.sed quod. & num.41.quibus addo Io. Guter. tract. de contract. iur. cap.2.num.6. vers.adde idem. tom.6. par.2. fol.43. vbi de communi opinione; & , quòd viduæ, quæ erat emptura annuum reditum, debeatur interesse, etiam si ipsa diues sit, scribit Couar. var.resolut. lib. 3. cap. 1. sub num.3. vers.sexto.in fine,& benè ista extensio comprobatur ex his, quæ scribit Surd.d. q.45.num.27. vers. limita. & num. seqq. & quòd hæc extensio procedat in quocunque, etiam nobili, qui emisset prædia, ex quibus fructus percepisset, si pecunias habuisset, & procedat etiam in via Theologorum,& in conscientia, scribit Cagn. in l.vnica, sub nu. 37.& 44. C.de sent. quæ pro eo,&c.

Secus si non erat parata, nisi extaret consuetudo, vel statutum, seu pactum, iuxta ea, quæ secutus sum infra S.6.gl.1. num.49.

269 Extende secundo in eo, quòd dixi, esse condemnandum ad interesse lucri cessantis, vt procedat etiam in interesse damni emergentis, probata mora, & probato damno, quod emersit ex mora; quia sub nomine interesse, ad quod tenetur debitor morosus, continetur lucrum cessans, & damnum emergens, l.3.S.vlt.in vltimis verbis, ff. de eo quod cert. loc. cuius verba retuli sub nu. seq. Gl.in l.vnica, in verbo, possibile. & ibi Rebuff. in præfat. num. 47. vers. secundo quæro.& in gl.prout.sub num.11.vers.quinto. C. de sent. quæ pro eo, &c. Alex. cons. 168. requisitus. num.4. lib.2. Matth.Coler. tract.de process. execut.par.1.cap.10.num. 100.102.& 104. Mich.Sal.ad D. Tho.2.2. q.78.art.2.contr.9. sub num.1.vers.explicatur idem. ibi, vtrumque autem. tom. 2. fol. 255. latè Menoch. tract. de arbitr. iud. lib.2.cent.2.cas.119.num. 1. in alia impressione, cas.119. num.4. cent. 6. vbi alios citat tàm ex Iureconsultis, quàm ex Theologis.

270 Subextende primo hanc extensionem, vt non solum habeat locum in damno emergente, sed magis in eo, quàm in lucro cessante, quia, agendo de condemnando debitorem morosum ad interesse, appellatione interesse magis comprehenditur damnum emergens, quàm lucrum cessans, prout benè colligitur ex d. l. 3. S. fin. in illis vltimis verbis, *quòd si merces solebat comparare, an & lucri ratio habeatur non solius damni, puto & lucri habendam rationem*. hancq; subextensionem sentiunt apertè Bal. in l.iusiurandum.col.mihi 32. ibi,& interesse tàm damni emergentis, quàm lucri cessantis peti potest. ff.de iureiur. Dec.in cap. 6.cum venerabilis.num.58.de except. Stracch. tract. de mercat. pat.4.tit.de contract. mercat. num. 2. tom. 6. par. 1. fol. 298. & Rot. Genuen. decis.134. in dei nomine. versus finem, nu. 3. in fine, dum dicunt, quòd interesse, quod debetur, consideratur non solum ratione damni emergentis, sed etiam respectu lucri cessantis, & sic includunt casum magis dubium, per ea, quæ scripsi infra S.7. glos.3. num.18. & in terminis claris Matth. Coler. tract.de process.execut.par.1.cap.10.nu.91. Mich.

Mich.Sal.d.contr.9.sub num. 1. vers. explicatur idem. ibi, quamuis autem. & melius D.Thom.2.2.q 78.art.2. ad primum.quem citant Io. Azor.de instit.moral. par.3. lib.5. tit.de vsur. cap.4.vers.communis. & cap. 5. in fine initij, & Mich. Sal.ad D. Thom. 2.2. q.78.art.2.initio, num.9. in 4. concl. iuncto num. 5. in fine, vers. his positis. tom. 2. fol. 218. dicens, licere mutuanti ratione damni emergentis lucrum accipere, non tamen ratione lucri cessantis, & explicat Nauar. in cap. si fœneraueris. num. 50. vers.ad secundum. 14. q.3.& esse communem omnium Theologorum, & Canonistarum sententiam, vt ratione damni emergentis possit ex mutuo lucrum exigi, testatur,& sequitur Io. Azor.d.cap.4.vers.communis.

271 Ratio est, quia lucri, & damni dispar est ratio, l. 26. proculus. ff. de damn. infect. Osasch.decis.95.anno sub num.42.vers.non obstant.Io.Bapt.Lup.in l.curabit. § 6. nu.3. in fine, C. de act. empt.inter tractat. diuers. tom.7.fol. 120. Matth.Coler. d.cap.10.nu. 92.& 93. & Mich. Sal.d.controu. 9. sub nu. 1.vers.explicatur idem. fol.255.& adeo differunt, perdere lucrum, & pati damnum, vt si ego ædes meas altius tollam, & ex earum altitudine tu, qui habes ædes vicinas, prohibearis proprio lucro luminum, quia ædes meæ luminibus tuarum officiunt, & ego tibi damni infecti promiserim, tu ex mea promissione agere non potes, quia damnum non infero, sed prohibeo lucrum, d. l. proculus.

272 † id enim propriè damnum dici videtur, vbi aliqua fit patrimonij diminutio; at vbi quis re, nondum quæsita, priuatur, non dicitur pati damnum, Paleot. tract.de noth. cap. 9. num 9.tom.8.par.2.fol.49 & Mich.Sal in loco supra proxime citato,& quòd, si iactura interesse sit in bonis acquisitis, saltem quia in futurum de bonis, quæ tunc habuerit, cogetur aliquid plus insumere, quàm alioquin insumpsisset, aut aliquid suorum bonorũ deterius reddi, aut omnino destrui, appelletur damnum emergens; si verò iactura interesse sit, quòd acquirere omittet, dicatur lucrum cessans, quia, quod quis de nouo sua industria acquirit, lucrum nuncupatur, & quando ab eo acquirendo desistit, dicitur ab eo cessare, scribit Molin. de iust. tom.2.de contract.disp.314 initio. fol.267. idque est notum omnibus; hincq; videmus, quòd debitor, cui bonorum alienatio est prohibita in fraudem creditorum, non potest alienare bona quæsita, potest tamen repudiare acquirenda, vt secutus sum in meo tract.de iudic.caus.&c.lib.2.cap.2.sub num. 290. iura enim, prohibentia alienationem, seu donationem, considerant alienationem, ex qua alienans fit pauperior, & diminuitur patrimonium, vt secutus sum d.cap.2.num. 291. versus finem, & seqq. vbi multa alia habes similia;

273 † quare in actione bonæ fidei posse damni emergentis interesse semper peti, non autem lucri cessantis, scribit Gail. in pract. obseru. lib. 2. obseruat. 6. num. 2. quem sequitur Rener. Bud. tract. de mon. cap. 26. num. 13. & ideo obseruabis, quòd omnes auctoritates sacræ scripturæ, citatæ à Rebuff.in d. l. vnica, in præfat. num. 3. & seqq. C. de sent. quæ pro eo quod, &c. loquuntur non in lucro cessante, sed in damno, quo res diminuitur, & maius damnum facit, qui damnum infert, quàm qui lucrandi occasionem tollit, & consequenter sicut maius infert damnum, ita efficacius tenetur.

274 Verum tamen est, quòd damnum, & lucrum non differunt, quando lucrum est radicatum, Ias.in l.reprehendenda, in fine, num. 10.C.de instit. & substit.& Rebuff.in d. l.vnica, post notab. in gl. prout.sub num. 20. vers.oppono. & promissio,seu stipulatio damni infecti habet locum etiam in casu, quem ex l. proculus. retuli sup.num. 271. si lumina deberentur iure seruitutis, Osasch. d.decis.95.sub num.42.

275 Infero confirmando, & exemplificando eandem subextensionem, & attingendo materiam, de qua principaliter agimus, quòd euitare damnum, minus propinquum est vsuræ, quàm sit facere lucrum, Spec.tit de vsur.num.7.vers.nec est vsura.lib.4.fol.188. quod multis ostendo exemplis. Primo, quia si potens aliquis detineat rem meam, eamvè nolit mihi restituere, nisi ego ei mutuem centum, & ego mutuo, & ipse rem meam mihi restituat, & postea tempore conuento reddat mutuum, ego non facio vsuram, neque peccatum, Lauren.de Rodulph. in cap. consuluit.par.2.post q.41. vers. supradictæ. vbi ponit q.42. num.3. & seqq. de vsur. inter tract.diuers.tom.7.fol.24. Medin.in suis tract.tom.2.tit.de reb. per vsur.acquis. q.1. vers.secundum inquirendum. in fine,& vers. ac proinde. & vers. seq. fol. 296. Sot. de iust.& iur.lib.6.q.1. art. 1. vers. tunc enim. ibi, præterea si id. fol.525. in fine, Ant. de Rosel.tract.de vsur.num.29.tom.7. fol. 67.

Nauar.

Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua, sub num. 209. vers. addimus. & Card. Tolet. tract. de instr. sacerd. lib. 5. cap. 34. de alijs causis, &c. num. 3. vers. alia quinta. & hoc exemplū declara ex his, quæ scripsi infra ampl. 10. sub num. 90.

276 † Vel si alicui mutuauerim decem in secreto, & sine vlla cautione, ita vt is possit ea in iudicio negare, possum ei alia decem mutuare ea lege, vt coram tabellario syngrapham omnium viginti mihi subscribat; quia licet illa obligatio sit pecunia æstimabilis, tamen illam mihi debebat, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. col. 8. in secunda conditione, fol. 536.

277 † Secundo, quia; quicquid sit in foro exteriori; in foro interiori, si fideiussor coactus est accipere pecunias sub vsuris, vt solueret creditori, cui fideiussit, & ideo soluit vsuras, potest illas & sortem, quam soluit à debitore repetere, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 4. q. 2. & lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. vers. secundus casus.

278 † Tertio, quia licet ab initio contractus mutui non liceat pacisci de interesse lucri cessantis, secundum eos, quos citaui supra num. 177. in prima opinione, tamen aliud est in damno emergenti, Menoch. & alij, quos citaui sup. num. 181.

279 † Quarto, quia interesse damni emergentis debetur non solū immediatum, sed etiam mediatum, multiplicatum, & calculatum quomodocunque; secus in interesse lucri cessantis, quia debetur solum primum, vt tenet Rot. Genuen. quam remissiuè retuli, sed non sequor supra num. 261. vers. contra primum.

280 † Quinto interesse lucri cessantis non debet debitor, qui per impotentiam non soluit, secus est in interesse damni emergentis, quia illud adhuc debet soluere, vt secutus sum supra sub num. 101.

281 † Sexto, quia si debitor vsurarū mutuauit socio pecuniam hoc pacto, quòd ipse restitueret vsurario sortem, & vsuras, non est iste mutuans vsurarius, si intendebat omnino satisfacere vsurario de illa pecunia, quam mutuauit, sequitur Anch. cons. 376. secundo dubitatur. num. 2. vers. ad materiam. &, quòd si ego habeam paratam pecuniam, quam volo soluere creditori meo, & tu me rogas, vt illam tibi mutuem, & ego mutuo, hoc pacto, inter nos inito, quòd tu tenearis creditori meo soluere vsuras, ad quas me posset cogere, non faciam vsuram, scribunt Ant. de Rosel. vbi sup. & distinctius, & vberius Saly. c. in auth. ad hæc, num. 14. q. 16. C. de vsur. Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. in 2. part. num. 16. q. 34. de vsur. inter tract. diuers. d. tom. 7. fol. 23. quem sequitur Archiepisc. Florent. eod. tract. de vsur. cap. 2. §. 14. num. 26. & 27. eod. tom. 7. fol. 82. & nemine citato, sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 22. q. 4. versus finem, ibi, respondeo posse. quod etiam dixit antea cap. 22. q. 4. & ita, reiectis opinione contraria, & opinione distinguente, ait esse tenendum simpliciter ead. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 4. q. 1. vers. sed dicendum.

282 † Septimo, quia si tu teneris mihi ad certam diem soluere, & quia non soluisti, recepi ab alio sub vsuris, vsuras, quas alias solui, restituere teneris, Pet. de Anch. d. cons. 376. num. 2. in fine, dummodo ego acceperim in causam necessariam; & monuerim te, quòd ego eram propterea accepturus ab alio sub vsuris, quia tu forsan monitus solueres, Io. Azor. d. cap. 4. q. 3.

Et tamen si in prædictis 1. 2. 6. & 7. exemplis tractaretur non de damno euitando, sed de acquirendo lucrum, esset vsura, & sic magis periculosum, seu suspectum de vsura est lucrū cessans, quàm damnum emergēs, quia qui euitat damnū, nihil sibi accrescit, & pecunia nihil sibi germinat, & nō tenetur quis cū suo dāno alteri subuenire, Anch. vbi sup.

283 Subextende secundo, vt etiam respectu probationis videatur magis deberi interesse damni emergentis, quàm lucri cessātis, quia creditor, volens consequi lucrum cessans, tenetur probare, se esse mercatorem, solitum lucrari secundum vnam opinionem, seu se habuisse certam occasionem lucrandi, vt retuli supra num. 224. & 225. sed volens consequi interesse damni emergentis non tenetur hoc probare, Io. Bapt. Lup. in l. curabit, §. 6. num. 3. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 120. & Gail. in pract. obseru. lib. 2. obser. 6. num. 6. & ideo sat erit probare damnum secutum ex mora, vt dixi supra initio extensionis, num. 269.

284 Extende tertio, vt procedat etiam si interesse oriatur ex cambijs, cōtractis cum rustico, vel simili persona, quam is, qui ei cambio pecuniam dedit, verisimiliter præsumere, seu credere debuisset, non indigere cambio, & consequenter, dando illi cambio, videatur versatus in mala fide, iuxta ea, quæ scripsi infra ampl. 17. num. 1. & seqq. quia adhuc, si, vt ei daret, cessauit à vero cambio, debetur ei interesse cambij.

Ratio huius extenſionis eſt, quia, quicquid ſit de illo articulo, an cambium cum ruſtico ſit licitum, quem diſcuſſi infra dicta ampl. 17. quando creditor cambij erat pecunias illas daturus mercatori, ſeu ſimili, qui verè, & propriè cambium contraxiſſet, & ceſſauit illi dare, quia rogatus dedit ruſtico, tunc debetur ſibi intereſſe lucri ceſſantis, per ea, quæ latius ſcripſi ſupra hac eadem ampl. num. 1. & ſeqq.

285 Infero propterea, quòd ſi talis creditor fuiſſet paratus dare cambio perſonæ, cum qua non potuiſſet facere contractum cambij, tunc iſte, cui mutuaſſet, non teneretur ad intereſſe cambiorum.

286 Ratio iſtarum omnium extenſionum, in quibus diximus, deberi intereſſe tàm damni emergentis, quàm lucri ceſſantis, eſt, quia iſtud intereſſe non eſt vſura lucratoria, ſed reſtauratoria, ſeu recompenſatoria damni illati, vel vtilitatis non acceptæ, Matth. Coler. tractat. de proceſs. execut. par. 1. cap. 10. ſub num. 104. & lucratoria dicitur illa, quæ ſola eſt propter lucrum ex mutuo; reſtauratoria verò dicitur illa, quæ debetur propter damnum, quod emerſit, ſeu propter lucrum, quod ceſſauit, Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vſur. cap. 3. in fine, in 4. diuiſione, quare lucratoria eſt prohibita, reſtauratoria verò permiſſa.

287 Extende quartò, vt ad intereſſe teneatur non ſolum debitor principalis, vt hucuſque locutus ſum, ſed etiam illius fideiuſſor, tam in cambio, quàm in cæteris contractibus bonæ fidei; ſiquidem cambium eſt emptio, & venditio, vt ſecutus ſum ſupra q. 4. num. 21. in 4. opinione, & emptio, & venditio eſt contractus bonæ fidei, per ea, quæ ſcripſi infra ampl. 10. num. 5. 8. & 9. ſed in contractibus bonæ fidei veniunt vſuræ officio iudicis, Bar. in l. 56. quæro. num. 2. ff. loc. & conduct. quia licet iſtæ vſuræ non ſint in obligatione, ideoq; officium iudicis obligationem non præſupponat, Bar. vbi ſupra, tamen quia veniunt ex natura actionis principalis, fideiuſſor, ſimpliciter accedens, videtur ſe ad illas obligaſſe, Paul. de Caſtr. in l. 9. centum capuæ. ſub num. 5. ff. de eo quod cert. loc. & hanc eſſe veram concluſionem, quòd fideiuſſor, ſimpliciter intercedēs, teneatur etiam pro acceſſionibus, & vſuris, quæ veniunt officio iudicis mercennario ſecundum naturam actionis bonæ fidei, ſequitur Neguſ. tract. de pign. in 4. memb. 2. par. princip. num. 56. tom. 6. par. 1. fol. 204. &, quòd fideiubens pro eo, qui obligatur ex contractu, teneatur etiam ad damnum vſurarum, ex quò obligatio eſt fauorabilior, ſcribit Paul. de Caſtr. in d. l. 56. quæro. ſub num. 4. ff. loc. & conduct. &, quòd fideiuſſor teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, cauſatum à mora debitoris principalis, eo quia mora principalis noceat ipſi principali, & fideiuſſori, & maximè quando fideiuſſor acceſſit vti principalis, ſcribit Rot. diuerſ. deciſ. 195. in vltima. num. 2. par. 1.

288 Secus tamen eſſet in actione ſtricti iuris, vt, quando, condemnato ad reſtitutionem rei non parente ſententiæ condemnatoriæ, defertur actori iuramentum in litem propter dolum condemnati; nam iſto caſu fideiuſſor, qui promiſit iudicatum ſoluere, tenetur ſolum ad veram rei æſtimationem, & non ad id, quod iuratur in litem, Bar. in l. 1. ſub nu. 2. & Paul. de Caſtr. ſub num. 1. ff. de in lit. iur. rurſus idem Caſtr. in d. l. centum capuæ. ſub num. 8. & Neguſ. vbi ſup.

Quia huius extenſionis materia multum pendet à d. l. centū capuæ. quæ eſt ſubtilis, & difficilis, & Doct. adeò intricatè locuti ſunt, vt hodie difficultas appareat magis laborioſa, & veritas magis occulta, quia ſicut eius, quod multipliciter exponitur, veritas ignoratur, ita quò maior eſt expoſitionum multitudo, maior eſt veritatis incertitudo, ideo hæc ego animaduertens, ſatius eſſe iudicaui, extenſionem in terminis, in quibus facilior, & vera videtur, ſimpliciter firmare, quàm numeroſa diſtinctione varias, & difficiles gignere opiniones, in quarum relatione, & diſcuſſione longior etiam requireretur oratio, quàm præſens locus poſſet admittere; hancq; intricationem, & opinionum, ac diſtinctionum varietatem vt cognoſcas, ex eis aliquas indicabo, & aliquas breuiter referam, non tamen diſcutiam.

Prima igitur doctrina, ſeu diſtinctio ſit, quam tradit Gl. in d. l. centum capuæ. in verbo, nec oportebit. & in verbo, augeri. quam tu poteris videre.

Secunda eſt Bartoli in l. fin. ff. de fideiuſſ. quam ſimiliter relinquo videndam.

Tertia declaratio, ſeu diſtinctio eſt: Aut fideiuſſor intercedit pro certa ſumma; & tūc fideiuſſor tenetur ſolum pro illa; & hoc caret difficultate: Aut intercedit ſimpliciter, & tunc aut augmentum eſt principale, & venit naturaliter, & iſto caſu fideiuſſor tenetur: aut

aut illud non venit naturaliter, sed venit ex aliquo accidenti, puta, propter factum principalis, & tunc aut illud augmentum subrogatur loco primi; & tenebitur fideiussor: aut illud augmentum non subrogatur loco primi, sed adiungitur, & tunc fideiussor non tenetur: aut illud augmentũ non est principale, sed reputatur accessio; & tunc aut venit extra naturam actionis, & rursus aut conuentione expressa, & fideiussor tenetur; aut tacitè, & non tenetur: aut illud augmentum venit secundum naturam actionis, & tunc est denuo distinguendum cum Gl. 4. in d. l. centum capuæ. & cum Azon. in summ. C. loc. in fine; ita distinguit Rayn. de Forolium in d. l. centum capuæ. in fine, num. 4. inter Repet. tom. 2. fol. 283. & quòd is fideiussor, qui non se simpliciter obligat ad dotem, sed expressa quantitate, nõ teneatur ad fructus, seu interesse, sed solum ad quantitatem, quam expressit, secus forsan quando simpliciter se obligat pro restitutione dotis, scribit Hier. Gabr. cons. 152. iure communi, num. 7. & 8. lib. 2.

Quarta doctrina est, quòd in actionibus arbitrarijs, quæ proponuntur propter debitum certo loco, ex mora rei augetur obligatio ad interesse contra ipsum reum: ex mora fideiussoris contra fideiussorem: ex mora verò rei non augetur contra fideiussorem, cum hoc interesse non sit à reo debitum; ergo nec à fideiussore promissum; secus in vsuris per stipulationem à reo debitis, & ideo peti possunt, forte non soluta, secus in interesse, Rayn. in eadem l. centum capuæ. num. 1.

Quinta doctrina concipi potest, sed non minus confusa quàm præcedentes, ex his, quæ refert Io. Ant. Rub. in l. vinum. sub num. 147. & seqq. & num. 154. & seqq. ff. si cert. pet. cod. tom. 2. fol. 91.

Aliam doctrinam refert Petr. Stell. in l. qui romæ. §. duo fratres. num. 108. 109. & 110. ff. de verbor. obligat. inter Repeten. tom. 6. fol. 489.

289 Exemplifica easdem extensiones, declarando terminos, vt lucrum cessans dicatur, quando mercator, seu alius creditor auxisset patrimonium, facultates, seu lucratus esset; vt puta, mercator, habens pecunias paratas ad emendas merces, mutuat tibi illas pecunias, & tu die præfixo non restituis, & ideo cessat lucrum facere, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 3. vers. quæstio hæc. in fine, Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. reuocauit. num. 1. Card. Tolet. de instr. sacerd. lib. 5. cap. 32. num. 3. vers. secundo etiam. Nauar. infra cit. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 314. vers. si verò pecunias. fol. 269. & in hoc concordant

290 omnes. † damnum verò emergens dicatur, quando diminuitur patrimonium, vt puta, tu habes pecunias paratas ad soluendum debitum pœnale, seu pignoratitium, vel ad emendum fœnum, vel ad soluendum debitum fiscale, mutuas illas pecunias Titio cum pacto, quòd die decima sequentis mensis eas tibi restituat, non restituit; vnde distracta sunt pignora, vel pœna est commissa, vel mortua sunt animalia, vel res ad soluendum fisco vi distracta est vilissimo pretio, l. 3. §. fin. ff. de eo quod cert. loc. item si mutuasti pecunias paratas ad reficiendum domum, aut ad emendum æstate triticum, seu fœnum, vel ad soluendum æs alienum, & quia mutuatarius fuit morosus in restituendo, tu propterea domum non potuisti reparare, & ideo corruit, triticum duplo carius emisti, pecora fame perierunt, & quia creditoribus non soluisti, magno fœnore ab alijs mutuo accepisti, vt solueres, vel bona tua pro modico fuisti coactus distrahere, Sot. d. art. 3. vers. quæstio hæc. fol. 541. & latius Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua. sub num. 211. vers. in decimo quinto. & num. 212. in fine, vers. in decimosexto, Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 119. num. 16. vers. præterea. in alia verò impressione est, in cent. 6. cas. 119. num. 27. & 28. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. num. 102. Molin. d. disp. 314. vers. si quis pecunias. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 4. initio, & ante hos breuius Paul. de Castr. in l. 5. quod si ephesi. in fine, num. 3. ff. de eo quod cert. loc. & Rebuff. in l. vnica, in præfatione, sub num. 25. vers. imò licet. C. de sent. quæ pro eo, quod, &c. & ita in effectu paucissimis verbis declarat, quid sit damnum emergens, & quid lucrum cessans Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 3. col. 2. in fine, vers. secunda causa. fol. 318. Titius ergo tenetur tibi ad ista damna, quæ eius culpa tibi emerserunt, Rebuff. vbi supra, & Nauar. in locis supra proximè citatis, & latius in cap. si fœneraueris, not. 15. num. 41. 42. & 55. 14. q. 3. & Ioann. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. num. 1. 2. 3. & 16. C. de

act. empt.inter tract. diuers. tom.7. fol.120.

291 Declara eandem exemplificationem, vt debitor morosus non teneatur simpliciter,& absolutè,prout simpliciter,& absolutè locuti videntur Rebuff.Sot.Nauar.& Ioan. Bapt. in ea citati, sed teneatur, prout declaraui infra §.7.glos.2. num.88. & 101. exemplif. 5.& 6.

INTERESSE QVIBVS CASIBVS non debeatur.

SVMMARIVM.

Interesse etsi ex communi conclusione solui debeat à debitore moroso, tamen multi sunt casus, in quibus hæc conclusio venit restringenda.

Restringitur primo, vt non procedat, quando interesse non probetur, & quid in foro interiori, num. 292.

Restringitur secundo in debito ex causa censuum, num.293. Declaratur, subrestringendo, num. 294.& seqq.

Restringitur tertio, vt interesse alterius interesse in infinitum non debeatur, sed cum declarationibus remissiuè, num.297.

Restringitur quarto cum distinctione, quando interesse peteretur post sententiam, seu receptam sortem, num. 298. & seqq.

Interesse ex dispositione iuris per sententiam Iudicis, & non ex pacto partium, debetur etiam in censibus, num. 294. Sic etiam debetur in cambijs, num.296.

Interesse, quod debetur iure actionis, potest peti etiam post sententiam, & post receptum capitale, num.298. Secus si debeatur officio iudicis mercennario, quia hoc post receptum capitale amplius non debetur, num.299. Etiamsi creditor cum protestatione illud sibi reseruaret, num.300. Et etiam quòd, recipiendo capitale, non dixerit, quòd eum liberabat à capitali, num.306. Dummodo debitor contradicat protestationi, num. 301. Et quando dicatur contradicere, & quando consentire, num.304.& 305 Et dummodo solutio fiat creditori principali, secus si fieret adiecto alibi quàm in loco destinata solutionis, num. 207. Et dummodo sit receptum etiam capitale, secus si solum lata sit sententia, quia, &c. num. 309. & 310. Declaratur, num. 311.

Interesse & pœna an remaneant, soluta sorte, num. 308. & 312.

292 RESTRINGE I. nunc illatiuè eandem septimam subampliationem, positam supra nu. 98. loquentem de interesse mutui, & consequenter eius extensiones positas supra num.268. & seqq. vt non procedant quādo mercator, seù alius creditor aliquod damnum, seu interesse lucri cessantis, vel damni emergentis passus non est, quia tunc remanet mutuum naturale, in quo re ipsa contrahitur obligatio,& quando re ipsa contrahitur, non potest in plus contrahi, quàm re sit datum, etiam si sit actum expresè, quòd in plus contrahatur, quia, vt dicunt Doctores, potius caderent sydera, quàm obligatio contrahatur in plus, quàm sit datum, Ias.in l.11. rogasti. §. tibi. sub num.4. vers.vltimo nota. ff. si cert. pet.& Matth.Coler.tract.de process. execut. par.1.cap.10. num. 95. & satis probatur ex d. §.si tibi. quem citaui infra ampl.10,num. 70. in fine, & cum hac restrictione concordant, quæ secutus sum infra §.7. glos.2. sub num.73. vers. in prima.

Intellige hanc restrictionem, vt procedat in foro exteriori, sed in foro interiori vide quæ scripsi supra num.75. & seqq.& præsertim, sub num.79. sub num.95. vers. infero. sub num. 61. in fine, & num 188.

293 Restringe secundo, vt non procedat contra morosum debitorem censuum, qui pacto se obligauerit ad interesse lucri cessātis;quia pacta, continentia morosum censuum debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas. aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas, medio iuramento creditoris liquidandas, ex toto irrita sunt, & nulla, vt in Pij V. constitutione super censibus, scribit Virg. de Boccat. tract.de censib. par.1.nu.9.cuius tamen doctrina eo loci videtur obscura.

294 Declara, subrestringendo hanc restrictionem, vt procedat, quoad interesse vigore pacti, secus quoad interesse vigore iuris sine pacto: quare Pontifex in ea constitutione prohibuit eiusmodi pacta ad euitādas fraudes, & præcidendam omnem vsuræ occasionem, sed non prohibuit interesse,quod procedet ex dispositione iuris,& per sententiam iudicis, Io.Azor.de instit. moral.par.3. lib. 10. tit. de censib.cap.13.q.1. quod idem, sed obscurius ante eum scripsit Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 93. vers. tertium quod. & vers. an autem.14.q.3.

Confir-

295 Confirmatur primo hæc declaratio, quia emens censum potest pacisci, quòd venditor teneatur certo tempore, puta, de triennio in triennium renouare cedulam bancariam, seu dare nouos fideiussores, & alia pacta licita, & honesta apponere, quæ si venditor non obseruauerit, poterit emptor petere loco damnorum, & interesse sortem principalem, Rot.diuers.decis.741. domini dixerunt. sub num.1.vers. secundo dicimus. par. 1.

Sed circa hanc confirmationem aduerte obiter, ne emptor census obliget venditorem ad dandum fideiussorem ad contentamentum ipsius emptoris, vt emptor hac via in fraudem constitutionis Pij V. repetat sortem, non contentus vnquam fideiussore oblato; nam iudices hic in Vrbe, timentes posse vexari quandocunque, non reperto idoneo fideiussore, perfidiæ, & malitiæ iniqui creditoris, recusantis etiam idoneos fideiussores, numquam occurrunt: at alibi prudenter particularem magistratum discretorum virorum, qui nullo eius risico fideiussores, quos idoneos æstimat, approbet, scio esse constitutum.

296 Confirmatur secundo, quia licet idem Pius V. in alia constitutione super cambijs, prohibeat, ne quispiam audeat siue à principio, siue alias certum, & determinatum interesse, etiam in casu non solutionis, pacisci; neque realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur pro primis terminis, iuxta receptum locorum vsum exercere; tamen non prohibet, ne fiat pactum de certo lucro, taxando per iudicem, vel alterius prudentis viri arbitrio, quia Pontifex voluit solum prohibere, ne is, qui dat cambio, taxet in causa propria, Io. Azor. eod. lib. 10. tit. de camb.cap.11.q.2. vers. ad tertium. col.888. quare si ego, indigens pecunijs hic Romæ, accipio cambio à te centum aureos, soluturus eos Toleti in Hispania ad tres menses, eo pacto, quòd si soluti non fuerint prædicto tempore, teneat tibi soluere hic Romæ dictos centum aureos vnà cum lucro, quod tu percepisses, si tempore constituto Toleti soluissem, quia tuus procurator eos Toleti dedisset cambio alteri, soluturo hic Romæ; & hoc lucrum dicam, taxandum esse hic Romæ sententia iudicis, & eueniat casus, vt Toleti non soluantur, ego tenebor ad soluendum hic Romæ, non solum centum, sed etiam lucrum, quod tu percepisses, si soluti fuissent: quòd si nec soluero hic Romæ, possum à te hic Romæ denuo cambio accipere pro Toleto, adiecto pacto, quòd si Toleti non soluentur, tenear hic Romæ soluere capitale, & etiam septem, sententia, & decreto iudicis, Io.Azor. d.cap.11.q.4.col.889.

Quare supposito in casu huius declarationis, quòd interesse debeatur, quia verè probetur, tunc certè cessat constitutio Pij V. & (quicquid nimis simpliciter videatur dixisse Azor.) dico, quòd deberetur interesse vbique, & forsan interesse alterius interesse, consideratis his, quæ scripsi infra §.7.gl.2.num. 21.& seqq. nu.33.& seqq. num.63.& seqq. & his, quæ scripsi eadem glos.2.num.53.

297 Restringe tertio, vt illud interesse, quod diximus deberi ratione lucri cessantis, non debeat extendi ad interesse alterius interesse, & sic in infinitum, sed debeat restringi ad primum interesse, vel saltem non debeat excedere capitale, secundum vnam opinionem.

De huius restrictionis resolutione vide, quæ, loquendo de interessibus cambiorum, late scripsi d. gl. 2. num.33.& seqq.& num. 63.& seqq.

Declara tamẽ hic, vt, si obligatio debitoris morosi, seu culposi habeat certum specificum obiectum ad rem, deductam in contractu, & aliud obiectum non habeat; tunc interesse non possit excedere duplum eius, quod debebatur, nulla habita consideratione quantitatis damni. quod creditor passus est, quod posset longè excedere duplum debiti, vide in eadem gl.2. sub num.73.vers. tertia quando. & sub num 83.vers.exemplifica primo. & seqq. & num. 88. vers. exemplifica quinto.

Secus quando obligatio habet aliud specificum obiectum, quia tunc potest excedere duplum, vt declaraui ead. gl.2. sub num. 94.vers.exemplifica primo.

298 Restringe quarto, distinguendo duas species interesse.

Prima species est; quando interesse debetur iure actionis; & istud interesse in tantum debetur, vt possit peti etiam post sententiam, qua debitor sit condemnatus simpliciter ad capitale, nulla facta mentione de interesse, etiam petito, vt probatur ex l. 1.C.de iudic. & ibi benè declarat Ias.num. 3. Bar.in l.fin.sub num.3.ibi, circa quòd debes. ff.de eo quod cert. loc. & hæc est communis

 opinio,

opinio, quæ confirmatur ex his, quæ de expensis, & fructibus, debitis iure actionis, idest, vigore instrumenti, &c. scripsi in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 21. num. 45. & potest hoc interesse peti, etiam si creditor receperit capitale, Ias. in d. l. 1. sub nu. 3. vers. hinc infero.

299 Secunda species est; quando debetur solum officio iudicis mercennario, vt puta, propter moram, seu aliam inobseruantiam contractus, & non ex stipulatione; & in hac specie concludo, quòd creditor, recepto capitali, non potest vlterius petere interesse, Doct. in l. fin. vbi Bar. num. 3. Paul. de Castr. sub num. 1. & seqq. ff. de eo quod cer. loc. & quòd emptor non debeat soluere vsuras, quando soluit sortem pretij post moram, & vsuræ non sunt promissæ, sed venirent præstandæ officio iudicis, scribit Virg. de Boccat. tract. de interd. vti possid. cap. 18. num. 80. vers. vsuræ non debentur. tom. 3. par. 2. fol. 314. & quòd maritus, recipiendo sortem doris sine interesse, non possit illud amplius petere, scribit Alc. tract. de præsumpt. par. 3. præsumpt. 32. num. 7. tom. 4. fol. 314.

300 Extende hanc conclusionem, vt procedat etiam si creditor, recipiendo sortem, ideoq; liberando debitorem à sorte, protestatus esset, quòd reseruabat sibi ius petendi interesse, quod intendebat sibi saluum esse, & illud velle consequi, quia, hac protestatione non obstante, non potest amplius petere interesse; & ratio est, quia illa protestatio est apta ad tollendam interusurij, siue interesse remissionem, quæ posset procedere à tacito consensu creditoris, dum reciperet simpliciter sortem principalem, sed non est apta ad tollendam remissionem, quæ procedit ex iuris necessitate, cum officium iudicis mercennarium nō possit subsistere, principali actione sublata, Bar. in d. l. fin. sub num. 3. & Paul. de Castr. num. 6. ff. de eo quod cer. loc. & protestatio nihil operatur contra illud, quod lex ex necessitate inducit, Ias. in ead. l. fin. sub num. 4 & protestatio non prodest in his, quæ à potestate protestantis non depēdent, Paul. de Castr. & Ias. in locis supra proximè citatis; & hanc extensionem sequitur Flam. Cart. decis. 38. quidam petijt. num. 12. & seqq. & num. 17.

301 Declara, hanc extensionem esse veram, quando debitor, soluens, non acquiescit, sed dissentit huic protestationi, quia tunc procedunt omnia adducta in extensione, & non potest dici, quòd agatur quasi ex nouo contractu innominato, Paul. de Castr. in d. l. fin. in fine, & Ias. sub num. 5. ibi, in alio casu quando debitor. ff. de eo quod cer. loc. & hęc est opinio communis.

Secus si debitor consentiat huic protestationi, quia tunc creditor vigore illius protestationis, acceptatæ à debitore, posset agere, & consequi interesse, non vigore officij iudicis, vel primæ actionis sublatæ, sed noua actione præscriptis verbis, quæ oritur ex quodam contractu innominato, tempore solutionis celebrato, scilicet, libero te, hoc acto, quòd habeam interesse, Bar. Paul. de Castr. & Ias. in locis supra proximè citatis.

302 Contra primum membrum huius declarationis: quòd enim creditor possit consequi interesse, etiam si debitor soluens non consentiat protestationi, scribit, sibi parum constans, Bar. in d. l. fin. versus finem, ff. de eo quod cer. loc. dicens, quòd apparet, quòd creditor liberat debitorem soluentem, non liberaturus si crederet, se non posse petere interesse, & sic inquit, cum ab interesse sit liberatus sine causa, potest agi condictione sine causa, vt debitor reponatur in pristinam obligationem, sicque creditor possit petere interesse; hancque opinionem non aduertens, quòd eam tenuit Bar. sequitur, loquendo sine auctoritate, Rot Genuen. decis. 87. ioannes stephanus. sub num. 7. dicens, hoc primum declarationis membrum esse periculosum, & propterea ab eo cauendum, quia protestatio semper esset superflua, cum omnis debitor semper contradiceret protestationi creditoris, & ita, inquit, per solam contradictionem creditor excluderetur à iustissima interesse prætensione.

303 Quicquid dixerit Bar. contra quem tenent in hoc Paul. de Castr. & Ias. supra citati, non recedo à declaratione tàm in secundo, quàm in primo membro. Et ad Rotæ Genuensis rationem respondeo, quòd si creditor non vult sibi præiudicare, abstineat à receptione solutionis, & faciat debitorem condemnari ad vtrumque; alias sibi imputet.

304 Subdeclara primo ampliando secundum membrum huius declarationis, vt debitor satis dicatur consentire, & acceptare protestationem, quando est præsens, & non contradicit, ita colligo ex mente Pauli de Castr. & Ias. in locis supra proximè citatis, dum dicunt, protestationem creditoris recipientis solutionem non iuuare, quando debitor soluens

uens expresſè contradicit, ſecus, inquiunt, ſi debitor ſit præſens, & non contradicat, aut expresſè conſentiat.

305 Subdeclara ſecundo, ampliando idem ſecundum membrum, vt procedat etiam ſi debitor fuiſſet abſens, ideoque non poſſet dici, quòd conſèſerit proteſtationi, vt puta, ſi creditori ſoluiſſet debitor debitoris, ceſſus dicto creditori; quia adhuc creditor in vim proteſtationis non contradictę poſſet conſequi intereſſe, Rot. Genuen. d. deciſ. 87. ſub num. 7. nam debitor ſibi imputet, ſi non fuit præſens, vel non elegerit perſonam, quæ in ſolutione contradiceret proteſtationi de intereſſe: ſatis enim eſt, quòd is, qui ſoluit pro debitore, non contradixerit proteſtationi de intereſſe.

306 Subextende eandem extenſionem, & dicta in ea, vt procedant etiam ſi creditor ſimpliciter reciperet fortem, nullo facto verbo, quòd liberaret debitorem à forte; quia adhuc, proteſtatione non obſtante, non poteſt petere intereſſe, niſi in caſu, quo poſſet, etiam ſi liberaſſet à forte, ſicque nulla eſt conſtituenda differentia, an liberauerit à forte, vel receperit ſimpliciter, nullo facto verbo de liberatione, Paul. de Caſtr. in d. l. fin. verſus finem, ſub num. 7. quem ſequitur Iaſ. ſub num. 4. ff. de eo quod cert. loc.

Nec obſtat, quòd Bar. ibidem, quem ſequitur Flam. Cartar. deciſ. 38. quidam petijt. in fine, num. 17. conſtituat differentiam, motus ex l. 3. §. item iulianus. ff. eod. vbi ſolutio facta adiecto non liberat ab intereſſe.

Quia benè Paul. de Caſtr. & Iaſ. vbi ſup. reſpondent, vt in num. ſeq.

307 Tempera primo eandem concluſionem, poſitam ſupra num. 299. vt non procedat, quando ſolutio eſt facta adiecto alibi, quàm in loco, vbi erat facienda, quia ſi creditor ob hoc, quòd ſolutio eſt facta alio in loco, patitur intereſſe, illa ſolutio, facta adiecto, liberat quidem ipſum debitorem à debito fortis, ſed non liberat ab illo intereſſe: Verum ſi creditor ipſe recepiſſet ſolutionem in illo alio loco, videretur remiſiſſe illud intereſſe, & conſequenter debitor eſſet liberatus tàm à forte, quàm ab intereſſe, quia creditor potuiſſet ſibi præiudicare, & remittere tàm expresſè, quàm tacitè illud intereſſe; quod non poteſt facere adiectus, l. 3. non vtique. §. item iulianus. & ibi Bar. Paul. de Caſtr. & Iaſ. ff. de eo quod cer. loc.

308 Sed quia, ſublata forte, peti non poteſt intereſſe, quod eſt forti acceſſorium, & de per ſe ſtare non poteſt, cum non debeatur iure actionis, ſed officio iudicis mercenario, ideo iſto caſu, quo ſoluta eſt ſors adiecto, debet creditor, quaſi ſoluta non ſit ſors, petere denuo ſortem integram, & intereſſe, ſed in effectu debet conſequi ſolum intereſſe, Bar. Paul. de Caſtr. & Iaſ. vbi ſupra.

Confirmatur hoc ex ſequenti temperamento.

309 Tempera ſecundo, vt non procedat, quando non eſt facta ſolutio, ſed ſolum lata eſt ſententia condemnatoria ad ſortem, omiſſo intereſſe, quia tunc actor poteſt, omiſſa hac ſententia, iterum agere actione prima, & petere iteratam condemnationem fieri tam in forte, quàm in intereſſe, Bal. conſ. 166. ſtaturo. q. 3. lib. 1. & clarius Paul. de Caſtr. in l. 4. C. depoſ. & Rot. Genuen. deciſ. 87. ioannes ſtephanus. num. 5.

310 Intellige hoc temperamentum, vt non procedat, quando actor vigore illius ſententiæ recepiſſet ſolutionem, quia tunc non poſſet amplius petere intereſſe, etiam ſi vellet iterato petere totam ſummam, omiſſa ſententia, Bal. & Paul. de Caſtr. in locis ſup. proximè citatis, in vltimis verbis illius legis.

311 Declara limitando eandē intelligentiam, vt non ſit vera, quando creditor, recipiendo ſolutionem, proteſtatus eſſet ſaluum ſibi ius conſequendi intereſſe; quia vigore huius proteſtationis pręſeruatiuę poſſet iterato petere integram ſummam ad effectum conſequendi ſolum intereſſe, vt dictum eſt ſupra num. 308. Rot. Genuen. deciſ. 99. in cauſa. ſub num. 2. ibi, ſecundo non procedit. & clarius d. deciſ. 87. ſub num. 5. vbi ita ſe defendit à Bal. & Paul. de Caſtr. citatis num. præcedenti, vt eorum doctrina procedat in receptione ſolutionis ſine hac proteſtatione.

Si hæc declaratio, de qua dubito, eſſet vera, oporteret eam denuo diſtinguere, & intelligere ex his, quæ dixi ſupra nu. 301. verſ. declara. & ſeqq.

312 Soluta forte, an remaneat pœna, ſeu petitio pœnæ; vide Bar. & Alex. in addit. ad eum, in l. fin. num. 2. & 3. verſ. vltimo oppono. ff. de eo quod cer. loc.

Reliqua nonnulla, quæ poſſunt inſeruire huic materiæ, collige ex his, quæ, loquendo de expenſis, omiſſis in ſententia, ſcripſi in meo tract. de appell. q. 17. limit. 21. quia hæc octaua ampliatio iam habuit ſatis congruam dotem.

Locutus sum supra num. 299. de officio iudicis; si vis scire differentiam inter officium iudicis, quod dicitur nobile, & officium, quod dicitur mercenarium, vide in meo tract. de iudic.caus.lib.1.cap.68. num. 2. in fine: & quando ex conditione legis, seu canonis nascatur actio, & quando officium iudicis, vide Abb. quem citaui in meo tract. de appell.q.17.limit.6.memb.6.num. 36.in fine: & quando officium iudicis possit implorari, vide in eod.nostro tract.de appel. q.16.limit.1.num.47.& 49.& q.17.limit.6. memb.1.num.13.& 68.& memb.4 num.11. & 12.

AMPLIATIO IX.

SVMMARIVM.

Deponere pecunias penes campsorem, vt illas negotietur in cambijs, seu penes mercatorem, vt illas negotietur in mercibus, & lucri participem faciat deponentem, est licitum; & hac est ampliatio, num.1.

Subampliatur primo, vt sit licitum, etiam si addatur pactum, quod capitale sit saluum, num. 3. & 5. Declaratur, num.5. & 6.

Subampliatur secundo, etiam si taxetur certum & securum lucrum, inito tamen triplici contractu, num.7.

Subampliatur tertio, vt depositarius in hac negotiatione possit dare pecunias vnius, & sibimet soluere ex pecunijs alterius, &c. num.8.

Restringitur eadem ampliatio, vt procedat, si deponens credat, depositarium negotiatum iri in cambijs licitis; secus si in illicitis, num.9.

1 AMPLIA IX. vt sicut est licitum dare cambio, & honestum ex eo lucrum facere, ita etiam licitum sit deponere pecunias penes aliquem campsorem, qui eas negotietur in cambijs, & deponentem faciat lucri participem, sicq; ex pecunia cum ministerio alterius potest perueniri ad honestum lucrum, prout de lucro in genere, & non de lucro cambiorum, loquitur Abb. in cap.7. per vestras. num.6.& seqq. de donat. int.vir. & vxor. & in cap. vlt. num. 12.de vsur. Et quòd viduæ, & alij non idonei mercaturæ possint licitè dare suas pecunias idoneis campsoribus, & Bancherijs, vt eas negotientur in cambijs, soluendo ipsis Bancherijs solitas prouisiones, scribunt Bonins. tract. de camb. cap. 7. vers. non veggo. fol. 23. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 1. ibi, si secundo. & ita passim practicant Genuenses: & hoc dicitur, *cambiar per terza persona*.

2 Ratio huius ampliationis est, quia sicut coiri potest societas, in qua vnus conferat plus operæ, & industriæ, & alius plus pecuniæ, l.5.& 6.societas. ff.pro soc. & sicut coiri etiam potest, vt vnus ponat operam, & alius pecuniam; & lucrum, & damnum in mercibus sit commune; quia sæpè vnius ex socijs diligentia tantum præstat, quantum pecunia ab alijs collata, vt latè explicat Pet. de Vbal.tract.de duob.fratr. par.4.num.2.& seqq. & q.2.num.7.tom.6.par.1. fol.138. & breuiter Couar.var.resolut.lib.3. cap.2. nu. 2.vers.prima conclusio. ita etiam in cambij negotiatione instar societatis potest vnus ponere pecuniam, & alter operam, & industriam.

3 Subamplia primo hanc ampliationem, vt procedat, etiam si pecunia deponatur cum pacto, quòd capitale sit semper saluum, ita vt deponens, aliquod in eo damnum non sentiat, Host. in sum. tit. de vsur. S. an aliquid. & multi huius negotij expertes practicant hanc subampliationem, cum qua videtur transire Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. S.2.nu.20.in fine, de vsur. inter tract. diuers.tom.7.fol.138. & multa parum clarè refert in hoc articulo Anchar.in cap. peccati.q.5.nu.11.de reg.iur. in 6. videtur tamen se remittere ad Hostien.hic à nobis citatum; quare in Ciuitate Genuæ, iuxta hanc subampliationem mulieres solent dare pecunias alicui negotiatori, qui se obligat periculo suo illas pecunias negotiari super cambijs veris, & realibus ex Genua ad Placentiam, & ex Placentia ad Genuam, aut vbi celebrabuntur feriæ cambiorum per magnificam nationem Genuensem, & vlterius promittit, mulierem, dantem pecunias, non grauare aliqua expensa: & adde quæ scripsi hac ead.q. par.præceden.num.65.& infra S.3.glos.3.num.41. & seqq.

Ratio huius subampliationis, omissis alijs, potest esse, quia hoc genus cambij est veluti quidam contractus societatis, in qua deponens ponit pecuniam, & depositarius operam, & periculum; & non videtur damnanda, quia est necessaria ad obuiandum, ne depositarius de facili deponenti fraudem faciat; nam depositarius, dans etiam proprias pecu-

pecunias cambio, quando aliquis ex illis, quibus dedisset, rumperet, semper diceret, quòd ille est, cui dederat pecunias depositas; vel demum posset illas dare personis parum securis, ideo hoc pacto obuiatur huic fraudi, adde quæ scripsi infra S.3.gl.3. num.36. & seqq. declar.2.

4 Contra hanc subampliationem tenent Abb. in d.cap.per vestras. sub num.8.& in d.cap.vlt.sub num.12. qui loquitur etiam in pecunia dotali, & Io. à Capistr.tractat.de vsur. num.90. vers.dicit etiam. & num. 91. tom.7.fol.108.qui vult, periculum non pertinere ad solum deponentem, sed debere esse commune, motus quasi retorta ratione, nempe, quia, cum ista sit quædam societas, communia debeant esse periculum, lucrum, & damnum, alias esset, inquir, societas leonina, Couar. var.resolut.lib.3.cap.2.num.3. vers.secunda conclusio. & seqq. & Io.Bapt. Lup.in cap.nauiganti.S.1. idest, post præfationem, num. 12. vers. quinimò in casu. de vsur, tom 7. fol. 136. dicens, societatem videri contractam in fraudem vsuratum, & ob id illicitam reputari, & socium per talem actum censeri vsuratium, quando conuenit, ad se nullum periculum pertinere, sed capitale esse saluum, &, finita societate, ad se restitui: hancq; refert, & sequitur esse communem, & hæc opinio contraria videtur canonizata per Sixti V. constitutionem.

5 Retenta subampliatione, præsertim quia Sixti V. constitutioni respondemus infra S. 3.gl.3.num.37.

Declara eam, vt procedat, adhibitis duabus conditionibus.

Prima, dummodo hoc genus cambij transeat in societatem, vt dixi in ratione, alias, si non adsit ista societas, periculum absolutè spectaret ad dominum pecuniarum, Io. Azor.de instit. moral. par. 3. lib.10. tit. de camb.cap.11.q.1.

6 Secunda conditio est, & dummodo deponens pecuniam, soluat iustum pretium assecurationis, idest, soluat depositario iustas prouisiones, quæ sibi debentur, tum quia ipse, negotiando pecunias suo periculo, est veluti fideiussor ad fauorē deponentis pro his, quibus ipse depositatius dabit pecunias depositas ad cambium, tum quia adhibet laborem, & industriam, vt aduertit etiam Io. Bapt.Lup. d.S.2.nu.20.in fine; secus si non soluetet istas prouisiones, quia isto casu procederet opinio contraria, posita supra nu. 4. prout latius explicaui inf. S.3.gl.3.num.36. & seqq. vbi videas.

7 Subamplia secundo, vt possit non solum pacisci de conseruando capitale integro, sed etiam de certo lucro, dummodo soluat pretium tàm assecurationis capitalis, quàm assecurationis certi lucri; faciendo proprerea tres contractus: primum societatis: secundum assecurationis capitalis: & tertium assecurationis certi lucri, vt declaraui infra d.gl.3.num.36. & seqq.

8 Subamplia tertio, (& est potius vnum exemplum) vt depositarius, habens scutos quatuor mille, depositos, vt eos negotietur in cambijs nundinarijs, quorum mille sint Caij, mille Seij, mille Meuij, & mille Titij, possit mille Caij dare ad cambium Petro, qui eos vult tenere in cambijs per annum integrum; & ijs datis, &, aduenientibus proximis nundinis, possit depositarius sibi ipsi soluere ex pecunijs alterius, &, aduenientibus secundis, & sic deinceps quousque labatur annus, possit soluere sibi ex pecunijs aliorum: & hunc negotiandi modum esse frequentem, & licitum, quia vnus possit dare pecunias, accipere, scribere litteras, soluere, & exigere pecunias à se ipso, repræsentante personas multorum, scribit Io.Azor. de instit.moral.par.3.lib.10. tit.de camb. cap.9. in fine, q.6. col.886. & posse vnum plurium personam gerere, & à se ipso exigere, scripsi infra S.6.gl.1.num.25.

Cæterum ex isto exemplo non colligitur, quòd singuli scuti mille sint in singulis nundinis dati ad cambium, & consequenter videntur ex ijs aliqui in aliquibus nundinis remanere otiosi; ideoque, consultis de facto mercatoribus, vberius esset explicanda huiusmodi negotiatio, cum ita explicata non pariat eam vtilitatem, quam cambiorum negotiatio deponentibus & depositatijs parere solet.

9 Restringe eãdem ampliationem cum hac distinctione: Aut deponens pecuniam ad negotiandum, scit probabiliter, depositarium non facere cambia licita; & tunc non potest, & sic ampliatio non procedit, Bonins. tract.de camb.cap.vlt.Io.Bapt. Cauat.tract. de camb. tit. de dante. vers. aut antonius. fol.234. & quòd si deponens sciat, nummularium non negotiari, & tamen lucrum reddat, ac si esset ex negotiatione acquisitum, deponens isto casu illud lucrum retinere non possit, nisi quatenus sua interest, scribit Io.

Azor.

Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 1. in fine, vers. item si. Aut scit, quòd depositarius facit aliqua cambia licita, & aliqua illicita, & deponens dat cum pacto, vt exerceat illas in cambijs licitis; & tunc rursus distinguo: Aut deponens credit, depositarium ita facturum; & isto casu deponens potest licitè lucrum recipere: Aut credit, illum non ita facturum, & tunc non potest lucrum recipere, Io. Bapt. Cauat. vbi supra.

AMPLIATIO X.

SVMMARIVM.

Cambium ex pretij iniustitia non redditur illicitum, cum contrahentibus liceat se decipere in pretio, & hæc est ampliatio, num. 1.

Declaratur primo, vt deceptio, seu læsio toleretur vsque ad dimidium in omni contractu, & præsertim emptionis, num. 2. Secus vltra dimidium, quare læso daretur tunc remediũ ex l. 2. C. de resc. vend. Et quæcunque dicuntur de læsione vltra, & infra dimidiam secundum ius commune, habent locum in læsione statutaria; num. 3. Infertur contra aliquos, deceptionem tolerabilem non restringi ad eam, quæ est intra latitudinem pretij, num. 4. Extenditur primo hæc declaratio, vt habeat locum in omnibus contractibus, num. 5. Infertur primo ad venditionem spei. Infertur secundo ad assecurationem periculi, & explicatur pretium periculi quod sit. Infertur tertio ad ludum, & sponsionem, & subinfertur cum restrictionibus ad æqualitatem, & iniustitiam ludi, & sponsionis, ita vt rescindi possint, ibidem. Extenditur secundo, etiam si excessus vltra dimidium esset in vno nummo, num. 6 Extenditur tertio, vt læsio, seu deceptio infra dimidium toleretur, etiam de iure canonico, ibidem. Extenditur quarto, vt læsus vltra dimidium possit rescindere, etiam si renunciasset generaliter omnibus legibus, ibidem. Extenditur quinto, explicando quando contractus propter læsionem sit solum iniustus, sed non illicitus, ibidem. Extenditur sexto, vt remedium d. l. 2. ita competat emptori, sicut venditori, & quomodo calculetur læsio in emptore, & quomodo in venditore, ibidem. Subdeclaratur primo eadem declaratio, vt procedat in læsione simplici, secus in læsione admixta dolo, quia rescinditur pro quauis minima læsione, num. 7. & seqq. Huic subdeclarationi multæ dantur intelligentiæ circa dolum, num. 10. & seqq. Exemplificatur, seu explicatur multipliciter eadem subdeclaratio, quando dicatur adesse dolus, num. 14. & seqq. Subdeclaratur secundo, vt quando cum læsione infra, vel vltra dimidium concurreret aliquid aliud, quod posset inducere simulationem, tunc contractus sit illicitus, &c. num. 23. Infertur, & subinfertur ad multa, declarando, quando ex contractu simulato oriatur vsura, nu. 27. 29. & seqq. Subdeclaratur tertio, an, rescisso contractu ex capite læsionis, sint restituendi fructus, num. 38. & seqq. Subdeclaratur quarto, vt ad cognoscendam læsionem, data latitudine pretij, attendi debeat medium pretium, nu. 40.

Declaratur secundo, vt deceptio infra dimidium toleretur in foro exteriori, secus in foro interiori, num. 41. & 44. Infertur hinc, in foro exteriori tolerari à lege humana vsuras, & vsuras Iudæorũ, meretrices, & præscriptiones, quamuis hæc omnia prohibita sint in foro interiori, num. 45. & seqq. Subdeclaratur primo, an, & quando læsio, seu deceptio toleretur in foro exteriori, cum distinctione quatuor casuum, num. 51. & seqq. Subdeclaratur secundo, quot modis dicatur pretium iustum, num. 56. & seqq. Subdeclaratur tertio, vt pretium iustum possit esse triplex, num. 59. Subdeclaratur quarto, an ad cognoscendam pretij iustitiam habenda sit ratio vtilitatis, quam emptor ex re empta est percepturus præter naturam rei, num. 60. & seqq.

Declaratur tertio, in quibus contractibus non sit permissa læsio etiam infra dimidium, & etiam in foro exteriori, num. 64. & seqq.

Declaratur quarto, quod sit pretium cambij, nu. 67. Subdeclaratur latè in quo ex cambientibus nullus sit tolerandus excessus, num. 68. & seqq. Is, qui in cambio, censu, & similibus lædi potest in pretij iustitia, si sit læsus vltra dimidium, an possit agere ad rescissionem, &c. sub num. 79. Et campsori, & mutuanti quid licitum sit recipere vltra iustitiam pretij, & vltra sortem, num. 82. & seqq.

Declaratur quinto, quanta læsio sufficiat ad rescissionem actus, quando procedit ex facto tertij, num. 104. & seqq.

Declaratur sexto, vnde cognoscatur iustitia pretij in cambijs, num. 107. & seqq.

Declaratur septimo, vt deceptio inter contrahentes toleretur circa pretium rerum, secus circa numerum, mensuram, & quantitatem, & circa vitium rerum, num. 110.

Ludi dolus qualis toleretur, num. 12.

Ludi

Ludi & Sponsionis } *æqualitas, & inæqualitas quomodo considerentur, sub num. 5. vers. infero tertio, & seqq.*
Assecuratio potest fieri etiam post secutum euentum rei, dummodo fiat bona fide, n. 19. & seqq.
Venditio & Assecuratio } *quando dicantur dolosè facta, num. 16. & seqq.*
Dolus, ob quem rescinditur contractus, qualis esse debeat, sub num. 7. 11. & 14.
Dolus si causam contractui dederit, an & quando contractus sit ipso iure nullus, & an dolus dans causam, & dolus incidens, differant, num. 8. & 9.
Contractus omnes an sint bonæ fidei, nu. 5. & 9.
Mutuator quæ possit licitè accipere à mutuatario vltra sortem, num. 82. & seqq.
Emens, & Vendens } *plus, minusvè iusto pretio, credēs pretium esse iustum, est tutus in vtroque foro, si iniustitia pretij non excedat dimidium, & indistinctè in foro interiori, quamdiu durat credulitas, sed, superueniente scientia de pretij iniustitia, etiam si sit infra dimidium, tenetur ad restitutionem, sub num. 14. & num. 52. vers. contra.*
Pretium, impositum à lege, an & quomodo possit excedi, sub num. 5. vers. subintellige secundo. num. 56. 68. & seqq.

1 AMPLIA X. vt cambium non reddatur illicitum ex eo, quia eius pretium sit iniustum, & cambientes in eo se deceperint: & moueor, quia cambium est emptio, & venditio, vt dixi supra q. 4. num. 21. & in emptione & venditione licitum est naturaliter contrahentibus se decipere in pretio, l. 17. in causæ. §. idem pomponius. ff. de minor. 25. ann. & l. 25. item si pretio. §. fin. ff. loc. & cond. & scribunt Bal. & alij in l. 2. num. 1. C. de resc. in. vendit. Ioan. Andr. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 2. de vsur. Cæpol. tract. de simul. contr. num. 47. tom. 7. fol. 5. Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip. sub num. 8. tom. 6. par. 1. fol. 65. &, quòd secundum leges ciuiles licitum sit emptori, & venditori, vt se inuicem decipiant, scribunt D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. initio, & Mich. Sal. ad ipsum d. art. 1. controuers. 17. initio, vers. in primis. fol. 65. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. in 7. causa, vers oppositum. fol. 44. & q. 32. col. 3. vers. nec obstar. fol. 238. & alij, quos secutus sum infra num. 41. decl. 2. & hæc est conclusio communis, in qua pluribus non insisto, tum quia satis innotescet ex sequentibus declarationibus, tum quia quotidie practicatur; &, loquendo in cambijs, hanc ampliationem tenent Calder. cons. 11. mercator ianuensis. ibi, & posito quod. tit. de vsur. Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. nu. 47. vers. constat ergo. de vsur. & Ant. de Rosel. tract. de vsur. sub num. 49. & 50. vers. non obstat. tom. 7. fol. 68.

Contra hanc ampliationem in contractu cambij tenent ij, quos citaui infra num. 72. vers. capio secundam.

2 Retenta ampliatione, &, loquendo generaliter in omnibus contractibus, & præcipuè in contractu emptionis.

Declara primo eam, vt procedat, si læsio, seu deceptio non excedat medietatem iusti pretij, quia vsque ad dimidium possunt contrahentes se decipere in pretio, d. l. 2. & ibi Bal. num. 1. & alij Doct. C. de rescind. vend. Ant. Burg. in cap. cum dilecti. num. 15. de empt. & vendit. inter Repeten. tom. 4. fol. 254. Cæpol. d. tract. de simulat. contract. sub num. 233. vers. verum quia. tom. 7. fol. 14. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 3. ibi, sequitur secundo. fol. 568. Mich. Sal. d. vers. in primis. in fine, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 21. num. 20. & communiter omnes, & ita in terminis cambij loquuntur Calder. & Io. de Anan. supra citati.

3 Secus si excedat dimidium iusti pretij, quia tunc deceptus potest agere ad rescissionem contractus; lex enim humana cogit ad restituendū, si aliquis sit deceptus vltra dimidiam iusti pretij quātitatem, D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. vers. ad primum ergo. & ita scribunt Doct. infra allegati, & communiter omnes, & probant iura citata in seq. vers.

Ratio huius declarationis est ea, quam adduxi infra num. 78.

Verum aduerte, quòd deceptus, idest læsus, agendo ad rescissionem debet alternatiuum concipere libellum, petendo scilicet rescissionem contractus, vel id, quod deest, ad decipientis, idest, lædentis electionem, vt in d. l. 2. C. de rescind. vend. & cap. 2. cum dilecti. de emp. & vendit. Gabr. in suis conclus. lib. 3. tit. de empt. & vendit. concl. 1. num. 1. & seqq. & dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 50. num. 10. & latè declarando prosequitur Ant. Burg. in d. cap. cum dilecti. num. 12. 33. & sub num. 59. & seqq. inter Repet. tom. 4. fol. 254. & 258.

Quicquid in contrarium deceptus (inaduerten-

uertenter forsan) scripserit Mich. Sal. ad D. Thom.2.2.q.77. art.1. controu.17. initio, vers. oppositum docent. in fine, fol. 66. dicens, quòd si deceptio, quam contrahens patitur, excedat vltra medietatem iusti pretij, erit in facultate decepti, vel rescindere contractum, vel recipere æqualitatem.

Aduerte priusquam vlterius procedam, quòd tàm tota hæc declaratio,eiusq; extensiones, & subdeclarationes, quàm cæteræ declarationes, de quibus acturus sum, & demum cætera omnia, quæ de læsione infra & vltra dimidium iusti pretij dicturus sum in terminis iuris communis,procedēt etiam, & habebunt locum infra & vltra minorem læsionem statutariam, seu municipalem cuiusque loci; quare quicquid disponit ius commune tàm in foro fori,quàm in foro poli in læsione infra, & vltra dimidiam, statuta Vrbis lib.1.cap.154. intelliguntur disponere in læsione infra, & vltra tertiam iusti pretij, quia hæc læsio, vti subrogata in locum læsionis iuris communis, recipit, & admittit omnes & singulas interpretationes,& dispositiones,quas admittit læsio in terminis iuris communis,cum statutum, corrigēs ius commune in re principali, corrigat etiam in accessorijs,si ius commune etiam correxisset in illis accessorijs, vt secutus sum in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.2.num.536. & 540.

4 Infero ex prima huius declarationis parte, decipi Leonar.Less. de iust. & iur. lib. 2. cap.21 num. 23. & aliquos alios,dum arbitrarentur, sensum legum, citatarum supra num. 1. quæ dicunt, naturaliter licere contrahentibus, se inuicem decipere, restringi ad deceptionem, quæ est intra latitudinem iusti pretij; & ratio quare deciperentur, est, quia intra hos cancellos nulla dicitur deceptio, cum tota latitudo sit iusta, & ideo earum legum sensus est, vt possint se decipere vsque ad dimidium iusti pretij, Sot.de iust.& iur. lib.6.q.2.art.3. col.3. in secunda deductione, fol. 568. & latius postea q. 3. art. 1. col.5.vers.primum igitur. fol. 571. & 572. & ita videtur sentire etiam Couar.var.resol. lib.2. cap. 3. num.2. vers. primum. dum secundo loco adducit hunc sensum,vt contrahentes videantur naturaliter inuicem sibi donare hanc modicam læsionem.

5 Extende primo hanc totam declarationem, vt habeat locum in omnibus contractibus; & moueor, quia hodie omnes contractus sunt bonæ fidei, vt dixi infra num.9. sed remedium d. l. 2. extenditur ad omnes contractus bonæ fidei, Gabr. in concl.lib.3. tit.de empt.& vend.concl.1.num.19. & 20. ampl.6. ergo,&c.

Infero primo ex hac extensione, quòd eadem declaratio habet locum in venditione spei, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus.lib.2.cap.2.sub num.476. vers.quartus casus.

Infero secundo, quòd procedit in contractu assecurationis, cum in assecuratione substantialiter insit emptio, & venditio, vt secutus sum supra q.1.num.129.& infra hac ead.q.par.3.limit.6.num.5. & in emptione, & venditione etiam periculi requiratur æqualitas inter pretium,& periculum, quod pretio emitur, vt secutus sum infra §.3.glos. 3. num. 51.

Explica istas illationes, distinguendo duos casus.

Primus casus est: quando periculum, puta, maritimum, est lege, vel prudentum virorum communi ęstimatione sine vlla distinctione taxatum: & isto casu læsio, commissa sine dolo,& sine fraude, toleratur infra dimidium pretij taxati; non autem vltra dimidium; non habita consideratione, an vnum periculum sit maius altero; per ea, quæ scripsi infra §.3.gl.3.sub num. 12.vers.extende. & vers.seqq. vbi videas.

Non obstat, si diceres, quòd sicut aliarum rerum pretium sumitur à quantitate rei venalis, ita vt maius debeatur pretium pro duabus vlnis panni, quàm pro vna, & minus pro vno cado vini, quàm pro duobus, ita etiam maius debeatur pretium pro maiori periculo, quàm pro minori.

Quia respondeo, periculi magnitudinem isto casu non sumi ex maiori, vel minori verisimilitudine futuri, imminentisque periculi, sed sumi ex maiori, & minori quantitate rerum, quæ periculo exponuntur; quare ex hac responsione duas firmo conclusiones: prima quarum est, quòd ita æstimatur periculum nauis nauigantis in mari magis procelloso, sicut nauigantis in mari minus procelloso: secunda est, quòd maius debetur pretium assecuranti merces pro scutis 1000. quàm assecuranti pro scutis 500. etiam si assecuratæ pro scutis 1000. sint in mari minus procelloso.

Minus obstat, si instares, quòd sicut aliarum rerum pretium metimur ex maiori, & minori bonitate rei venalis, ita vt pluris valeat

leat aurum obryzum, quàm aurum non purissimum, & pluris valeat vinum eiusdem speciei magis bonum, quàm minus bonum; ita quoque ex maioritate, & minoritate periculi metiri debeamus pretium periculi.

Quia respondeo, vt supra, maiorem, & minorem bonitatem in eadem specie à lege non considerari quoad iustitiam pretij.

Intellige quæ dixi in hoc primo casu, vt procedant tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori, quia cum difficile foret, qualitates periculi, & bonitatis æquare pretijs, gustis, iudicijs, & opinionibus contrahentium, tota illa maioritas, & minoritas periculi, & bonitatis rei venalis censetur quædam bonitatis, & periculi latitudo, intra quam, sicut intra latitudinem pretij sit licitum contrahentibus meliorare suam conditionem, & sibi imputet, qui suam meliorem non facit.

Subintellige primo, vt hæc latitudo periculi, & bonitatis rei venalis se extendat vsque quò Magistratus, qui rerum venalium pretium taxat, permittit, rem illam esse venalem in ea specie, cuius indiuidua indistinctè taxauit; quare si Magistratus vini Romani pretium taxet in sex quatrinis pro qualibet, vt vocant, foglietta, intelligitur eodem pretio taxasse tàm bonum, quàm non bonum, sicq; licitum est eodem pretio vendere vtrumque; sed si, quod bonum non est, ita bonum non sit, vt venale esse non debeat, Magistratus venditionem illius interdicere debet; & sic latitudo ad illud se amplius non extendet.

Subintellige secundo, vt quemadmodum latitudo bonitatis, & periculi remanet ad fauorem venditoris, vt propterea possit eodem pretio vendere magis bonum, & minus bonum, ita è conuerso latitudo pretij; qualis qualis toleranda sit; intelligatur adesse in fauorem emptoris, vt propterea possit rem etiam summè bonam minori pretio emere, sed venditor nunquam maiori pretio, sed solum minori; dummodo læsio non sit vltra dimidia n.

Secundus casus est: quādo periculum est à lege, vel communi æstimatione taxatum cum distinctione, vt in l. 68. hæreditatum. ff. ad l. falc. de qua vide quæ in hoc proposito scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num 477. præsertim in futura impressione: & isto casu dico, pretium considerari ex maioritate, & minoritate periculi, prout est consideratum à lege, & ita procedant quę scripsi infra §. 3. gl. 3. num. 51.

Infero tertio notabiliter, quòd etsi in ludi, & sponsionis cōmercio non interueniant pretium, & res; ideoq; reduci non possit ad commercium emptionis & venditionis, & proinde inapplicabile videatur remedium l. 2. C. de rescind. vend. tamen potest etiam in eo considerari iniquitas, iniustitia, & læsio, & subinde, eadem iustitia, & æquitate suadente, fieri locus rescissioni, & restitutioni, quia communis omnium commerciorum conditio est, vt seruetur æqualitas, vt dixi infra §. 6. gl. 1. sub num. 41. & quòd communis cōditio tàm ludi, quàm sponsionis æqualitatem exposcat, scribunt Franc. Garc. de contract. cap. 43. num. 4. Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 21. versus finem initij, & communiter omnes; qua æqualitate non seruata, alter ex collusoribus, seu sponsoribus necessariò læditur; & proinde rectè Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 507. vers. paucis dicam. damnando quemdam contractum, scribit, iniquas, & ideo cum obligatione ad restituendum esse sponsiones, in quibus vna pars longè probabilior est, quàm altera, & tamen æqualiter spondent; quod clarius postea explicat disputat. seq. 508. initio.

Subinfero primo, quòd si collusorum, seu sponsorum alter habeat pecuniam, (si pecunia ludatur) vel saltem possibilitatem soluendi; alter verò sit inops, quia nec pecuniam, nec bona habeat, vel, si non sit inops, ius non habeat alienandi bona, quia sit filiusfamilias, minor, vel pupillus, vtique hic, qui non habet vnde soluat, seu, si haberet, non habet ius alienandi, licet vincat, non potest lucrari, & consequenter lucrum, quod acciperet, teneretur restituere, vt in filiofam. loquitur Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 2. col. 8. in fine, ibi, aliud dubium. & col. 9. fol. 323. & 324. & latè declarat Io. Azor. in infra cit. cap. 26. q. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. col. 444. & 445. & in inope, minore, & pupillo Franc. Garc. d. cap. 43. sub num. 4. & Lopez. d. cap. 21. in fine initij, & in filiofam. religioso professo, depositario, seruo, fure, fœmina coniugata, & prodigo bonorum, Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. cap. 26. col. 443.

Ratio huius subillationis est, quia si collusor, habens vnde soluat, vinceret, non posset lucrari, & si quid à pupillo, seu minore, vincendo, acciperet, teneretur restitue-

re,

re, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 22. col. 21. in fine, vers. vt igitur. fol. 176. & 177. &, testando de magis communi opinione, scribit Garcia d. cap. 43. sub nu. 4. vers. ma tutto il punto. & vers. seq. ergo neque ipse, ludendo cum istis, potest perdere, quia alias sequeretur, quòd is, qui non habet vnde possit soluere, esset in tuto, siquidem posset vincere, & non perdere, quod est contra naturam ludi, in quo periculum perdendi debet esse commune, Garcia d. cap. 43. num. 4. & communiter omnes; & quod dico in ludo, habeas pro repetito in sponsione.

Nec obstat quòd commercium, seu contractus, initus cum minore, seu pupillo possit claudicare ad fauorem ipsius minoris, & pupilli, ita vt possint ex eo lucrari, & non perdere, quia sit nullus, ipsis nolentibus valere, & validus, si voluerint valere, vt secutus sum par. seq. limit. 17. num. 9. & in primo casu sequentis secundæ intelligentiæ adducit pro argumento Lud. Lopez d. cap. 21. vers. at patet.

Quia respondeo, distinguendo duplicem nullitatem, seu iniustitiam contractus: Prima est illa, quæ procedit à sola contrahentis inhabilitate, non adhibitis solemnitatibus, sed in reliquis contractus habet sua substantialia, & iustitiam contractus: & in ista habet locum claudicatio: Secunda est illa, quæ procedit à defectu substantiæ contractus, seu ab iniustitia contractus; qualis est illa, quando in emptione deficeret pretium, aut alter esset enormissimè læsus vltra dimidium, aut dolo deceptus, & quando in ludo, seu sponsione deficeret commune periculum, & adesset manifesta, & enormis inæqualitas, vt in casu subillationis: & in ista nullitate, seu iniustitia dico, quòd claudicatio non toleratur, quia nec pro minori, aut pupillo, neque pro alia quauis persona tolerari debet iniustitia.

Intellige primo hanc subillationem, vt procedat quando collusor, qui est soluendo, ignorat impotentiam collusoris; & ita procedat subillatio; sed si eam sciat, & nihilominus, non coactus, neque seductus ludat, subillatio redditur dubia; subillationē enim adhuc tenent Sot. in loco, supra proximè citato, & Alcozer. tract. de lud. cap. 16. &, loquendo in sponsione, tenet etiam Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 508. paulo post initium. Contrariam opinionem, restringendo subillationem, tenent Nauar. in man. cōfes. cap. 19. n. 12. & Garcia d. cap. 43. n. 5. vers. circa il primo. & ante eos, loquendo de eo, qui scit, se inferiorem in ludo, & tamen ludit, dicens, superiorem vincentem isto casu non teneri ad restituendum, quasi voluerit donare, scribit Medin. d. q. 22. vers. corollariè sequitur. in fine, col. 21. fol. 177. &, supposito casu, quòd tu me inuites ad vadiandum, quòd Turca est mortuus; & ego dicam tibi, quòd scio certè, non esse mortuum, & tu tamen, credens esse mortuum, vis vadiare, & vadiamus, idest, sponsionem facimus, & cōsequenter ego lucror, me in conscientia non teneri de rigore ad restituendum, quamuis tutius esset restituere, scribit Medin. d. q. 22. col. penult. vers. si obijcias. in fine, fol. 178. & hanc contrariam opinionem esse veriorem, scribit Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. cap. 25. q. 5. vers. secunda. col. 442. quia scienti, & volenti non fit iniuria. Hanc controuersiam, distinguēdo, vt opinio Soti procedat, quando quantitas, quam collusor amittit, est tanta, vt verisimilis præsumptio sit, vt eam donare noluerit; opinio verò contraria procedat in quantitate, in qua, consideratis circumstantijs, cadat verisimilis præsumptio donationis, nititur componere Lud. Lopez de contract. lib. 2. cap. 21. vers. cæterum. sed hanc compositionem euertit Lud. Molin. d. disput. 508. versus finem initij, dicens, quòd collusor, seu sponsor non credit, ideoque remanet deceptus, & cum sit deceptus, non dicitur plena libertate donare, sed inuoluntariè mixtè. Hæc Doctorum dissensio in hoc articulo potest nutriri ex opinionum contrarietate, quam in articulo; an ementi scienter rem vltra dimidium iusti pretij, competat remedium l. 2. C. de rescin. vend. adduxi supra restrict. 1.

Intellige secundo eandem primam subillationem, vt procedat in terminis, in quibus loquitur, nempè quando æqualitas deficit omnino in re ludenda, ita vt alter ex collusoribus habeat multum, seu aliquid ludendum, & alter nihil.

Secus quando æqualitas non deficit omnino, sed adest aliqua ex parte, quia tunc sunt distinguendi tres casus. Primus casus est; quando æqualitas deficit solum in hoc, quòd vnus habet pecuniam præsentem, alter verò absentem, sed quia est diues, & fide dignus, ideo qui habet præsentem, vult

adhuc

adhuc cum eo ludere pecunia præsenti pro pecunia credita, cum vtramque pecuniam tanti existimet valere:& in hoc casu concludo, ludum esse iustum, eamvè inæqualitatem non esse attendendã; tum quia est modica, suppositis diuitijs, & fide collusoris; tum quia vnus ex collusoribus potest tacitè, vel expresiè aliquid de omnimoda æqualitate remittere alteri collusori; Lud. Molin. de iust.tom.2.de contract.disput.515.versus finem, vers.ad tertium. & proinde licet alia remaneat inæqualitas respectu repetitionis, & actionis, quia si habens pecuniam præsentem, amittat, & soluat, non potest eum, qui eam lucratus est, cogere ad restituendum, nisi per viam sententiæ, ferendæ à iudice; quòd si lucretur pecuniam absentem, & creditam, denegatur ei actio, vt dixi sup. q.1.num.111.tamen hæc est inæqualitas tolerabilis, quæ modicè lædit, cum in effectu paria sint, dare repetitionem amittẽti, & denegare actionem vincenti. Secundus casus est; quando vnus collusor habet solum quinque, & ideo plura perdere non potest, sed ea omnia in primo iactu exponit ludo, & alter habet 100. ex quibus totidem quinque ludo in illo primo iactu exponit, sicque in primo iactu sunt pares, & is, qui habet solum quinque exposita, vincit illa alia quinque, exposita à collusore; vnde ex tunc habet decem, quæ omnia exponit similiter ludo in secundo iactu, aliaque decem exponit collusor; sicque etiam in secundo iactu sunt pares; & demum is, qui cœpit ludere, habens solum quinque, quoties vincit, duplicat iactum, donec vincit omnia 100. collusoris: & isto casu concludo, quòd iure potuit vincere illa 100. & eo amplius, quia semper in ludo exposuit æqualem quantitatem, & hoc sufficit; licet ab initio non haberet tantam pecuniæ quantitatem, quantam habebat collusor, Franc.Garc.tract.de contract.cap.43.sub num.6. vers.ma qui viene. & vers. seqq. Lud. Lopez de contract. lib.2. cap. 21. vers. succedit. & seqq. & præsertim vers.at patet. & Io. Azor. de institut.moral. par.3 lib.5.cap.25.q.6.col.442.& hæc conclusio fortius procedit, si in primo iactu ludi non omnia quinque exponãtur, sed pauciora. Tertius casus est, quando vterque collusor in progressu ludi habet in ludo pecuniam coram se expositam, sed alter altero in maiori quantitate, & qui in maiori habet quantitate, sperans se victurum, vel fore, vt aduersarium vertat in fugam, & sic lucretur primam sponsionem, auget eam in tota quantitate pecuniæ, quam coram se habet, & alter, acceptata sponsione, vincit: & isto casu concludo, quòd is, qui vincit, non potest vincere nisi pro ea quantitate, quam ipse habet ludo expositam; sic post Alcozer. de ludo cap.16. sequuntur Franc.Garc.de contract.cap.43.nu.7.vers.ma vna. & Lud. Lopez de contract. lib.2. cap. 21. vers. hinc corollariè. il 2.& credo seruari de consuetudine. Nec placent distinctiones, seu considerationes, quibus præfati restringunt hanc conclusionem, multoq; minus placet, quod scribit Azor.d.cap.25.q.7. quare indistinctè procedet, nisi in casu, in quo collusores aliter expressis verbis contraherent, vt puta, si habens minorem quantitatem, diceret, quòd soluet quantitatem; quæ deficeret casu quo perderet, quod Itali dicunt, *far buono*. item si habens maiorem quantitatem, diceret, quod vult ita spondere, seu ludere, vt, vincendo, lucretur minorem quantitatem, qnam habet collusor, & perdendo, perdat maiorem quantitatem, quam lucretur collusor, qui habet minorem.

Subinfero secundo, quòd si colludentes non sunt pares in ludo, quia alter alterum superet in arte ludendi, is, qui excellentior est, tenebitur, si quid superlucratus sit, amittenti restituere; quia non est vtriusque æqua conditio; imò alter est in tuto, vel quasi; alter verò, vt plurimum, est in periculo; & consequenter ludus est illicitus, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q.22. vers.corollariè sequitur.il 2.col.22.fol.177. Franc. Garcia de contract. cap. 43. num. 8. vers. esplicaremo. Lud. Lopez de contract. lib.2.cap.21. vers.patet autem.iunctis vers. præced. prima propositio. & vers. notanter. Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.5.cap.25. q.4.col.441. & communiter omnes.

Explica ampliando hanc subillationem, vt procedat, etiam iudicis sententia non expectata, Medin. in loco supra proximè citato.

Restringe primo eandem subillationem, vt procedat solum in ludo, qui consisteret in viribus, aut in peritia, arte, & ingenio, secus in ludo, qui sine peritia consisteret in mera fortuna, & casu, Medin.d.q.22. vers.corollariè sequitur. il 2. fol. 177. quia isto casu cessant termini habiles.

Restringe secundo, vt sit vera, quando ex-

ceſſus eſt adeo notabilis, vt arbitrio boni viri poſſet dici, quòd haberet peritiam duplo, & vltra, maiorem ea, quam haberet alter colluſor; ſecus ſi non videretur maior vltra duplum, & conſequenter eſſet maior in eo gradu, vt adhuc is perdere poſſet; & ita in effectu per alia verba ſentiunt Franc. Garcia de contract.cap.43.num.9. verſ. hora ſi domanda. Lud.Lopez de contract. lib. 2.cap. 21. verſ.prima conditio. & Io. Azor. de inſtit.moral.par.3. lib.5.cap.25.q.4. col.441. dum requirunt peritiam adeo maiorem, vt ludens ſit certus de victoria:& ratio eſt,quia ſi exceſſus eſt ita notabilis,poteſt ſemper apparere, & conſequenter eſt inexcuſabilis, vt in exceſſu vltra dimidium in contractu emptionis ſcripſi infra num.78.ſed ſi non ſit ita notabilis, poteſt excuſari, quia eſſet impoſſibile dare omnimodam æqualem peritiam, & datam cognoſcere.

Reſtringe tertio eandem ſubillationem, vt non procedat, quando colluſor, qui habet inferiorem peritiam, certus eſſet de ſua inferioritate, & inæqualitate, quia tunc, ſi perderet, non cogeretur colluſor, qui haberet maiorem peritiam, & vinceret, reſtituere, Medin. quem citaui ſup.hoc eod.num. verſ. intellige primo. Garcia de contract.cap.43. ſub num.9. verſ.la terza concluſione. & Io. Azor.de inſtit.moral.par.3.lib.5. cap.25. q. 4. verſ.quæres. col.441.

Sed pro & contra hanc reſtrictionem poſſunt adduci ij, quos citaui ſup. hoc eodem num. verſ.intellige primo.& eandem diſtinctionem, quam ibidem retuli, facit Lud.Lopez de contract. lib.2. cap.21. verſ.ſecunda concluſio. & ſeqq. hæcq; eadem diſcordia poteſt, vt ibidem dixi, nutriri ex ijs,quæ in articulo emptionis ſcripſi num.ſeq. reſtr. 1.

Reſtringe quarto,vt non procedat,quando iſta inæqualitas excellentiori erat incognita, & ea durante, lucratus eſt in ludo, quia donec ei cognita non ſit, licitus eſt ludus; ſecus poſtquam ei innoteſcit, & non alteri colluſori, quia tunc debet abſtinere à ludo, aut de ſua maiori peritia certum facere colluſorem; ita,articulo diſputato, firmat Medin.in ſuis tract.tom.2.tit.de reb.reſtit.q. 22.verſ.quid autẽ. & ſeqq.& præſertim verſ. ſi obijcias. col. penult. & anterioribus, fol. 177. & tenent Franc.Garc. de contract. cap. 43.ſub num.9.verſ.hora ſi domanda. verſus finem, & Lud.Lopez de contract.lib.2.cap. 21.verſ.præterea duo.

Confirmatur hæc reſtrictio in prima parte, quia in ſponſione ſuper euentu præterito dicimus, quòd licet, euentu manifeſtato, appareat, alterum ex ſpondentibus fuiſſe ſecurum in lucro ex parte rei, ſuper qua fiebat ſponſio, tamen quia ille rei euentus tempore ſponſionis erat incognitus, poteſt is, qui vicit, lucrum tuta conſcientia retinere, Medin.d.q.22. col.penult. verſ. ſi obijcias. fol. 178. Ergo ſic etiam dicendum eſt in eo, qui erat incertus, an perditurus, vel victurus eſſet in ludo; vt donec fuit incertus de victoria, licite potuerit lucrari in ludo.

Contraria opinio, quòd is, qui vicit in ludo, teneatur reſtituere, ſuadetur hoc argumento,quia emens rem minori pretio bona fide, ignorans, eam pluris valere, tenetur in foro conſcientiæ ſupplere iuſtum pretium,ſeu reſtituere, cũ primum cognouerit, eam rem pluris valuiſſe, vt ſecutus ſum inf. ſub num.52.in 2.caſ.verſ.contra hanc.Ergo etiam is, qui bona fide vicit, ignorans ſuum notabilem exceſſum in peritia ludendi, tenebitur lucrum reſtituere, cum primum cognouerit illum notabilem exceſſum.

Comprobatur hæc opinio, quia ſicut in emptione, & venditione requiritur æqualitas inter acceptum,& datum,ita etiam in ludo requiritur æqualitas inter periculum, & victoriam, quicquid dicat Medin. d. q. 22. col.antepenult. verſ.reſpondetur. in fine, dum conatur adducere differentiam; cum nullam in effectu adduxerit.

Retenta hac opinione contraria, quæ mihi videtur verior.

Non obſtat confirmatio, adducta pro reſtrictione, quia reſpondeo, quòd de natura ſponſionis ſuper euentu præterito eſt, vt vnus ex ſpondentibus ſit tũc ab initio ſponſionis in ſecuro, ſed ignorato lucro, & alter in certa,ſed ignota amiſſione: at in ludo non eſt de eius natura, vt alter ex colluſoribus ſit in certo notabili exceſſu, ſed ignoto, & ideo,quia eſt ignotus, ſit licitus.

6 Extende ſecundo, vt habeat locum etiam ſi exceſſus vltra dimidiũ ſit in vno denario, ſeu nummo, Cæpoll. tract. de ſimulat. contract.n.70.tom.7.fol.6.Ant.de Burg.in cap. cum dilecti. nu.14.de empt.& vend.& Gabr. in ſuis cõcl.lib.3.eod.tit.concl.1.n.6.ampl.2.

Extende tertio eandem declarationem in prima parte, vt procedat non ſolum de iure ciuili, ſed etiam de iure canonico; quare ſi læſio non excedat dimidiam iuſti pretij,contractus

tractus remanet validus, & licitus in foro contentioso tàm seculari, quàm ecclesiastico, quia nec à iure ciuili, nec à iure canonico ex sola pretij paruitate citra dimidium iusti pretij præsumitur fraus, vel dolus, aut simulatio; & ideo læsus neutro iure admittitur ad agendum, Abb. in cap. 5. per tuas. nu. 4. de donat. Anch. in cap. peccatum. num. 21. vers. & primo vtrum peccet. de reg. iur. in 6. Cæpol. de simul. contract. num. 47. & 223. Ofasch. decis. 95. anno. num. 1. Stracch. tract. de mercat. par. 2. tit. de stat. mercat. &c. num. 6. tom. 6. par. 1. fol. 290. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 32. col. 4. vers. secundo opponunt. fol. 238. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 3. art. 1. col. 5. vers. primum igitur. fol. 571. in vltimis verbis, & Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 5. sub num. 1. & ita seruatur.

Confirmatur hæc extensio, quia Papa confirmat statuta Vrbis lib. 1. cap. 154. de læsione. quæ tolerant læsionem infra tertiam partem: ergo apparet, quòd neque lex Pontificia dat remedium in foro fori, sed imò eam in eo tolerat.

Quicquid contra hanc extensionem dicat Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. controu. 17. num. 7. vers. nunc iam. fol. 69. dicens, quòd in cap. cum dilecti. reseruatur remedium agendi.

Extende quarto in secunda parte, dum diximus, remedium d. l. 2. C. de rescin. vend. competere, quando læsio excedit dimidium iusti pretij, vt procedat, etiam si læsus generaliter in instrumento emptionis renunciauerit generaliter omnibus legibus, auxilijs, & beneficijs, &c. Bal. in d. l. 2. q. 5. num. 8. Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip. num. 16. in fine, tom. 6. par. 1. fol. 65. & ita ex traditis per Tiraq. in l. si vnquam. in præfat. num. 123. C. de reuocan. donat. existimat communem esse opin. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 4. num. 1.

Restringe primo hanc extensionem, vt non procedat, quando quis sciẽter emit rem vltra dimidium iusti pretij, seu quis scienter vendidit minori pretio dimidio iusti pretij, quia istis non competit remedium dictæ l. 2. quia scienti, & volenti non fit iniuria, non infertur dolus, nec decipitur, imò is censetur renunciare iuri suo, Spec. tit. de empt. & vendit. rubr. de rescin. vendit. §. nunc dicendum. num. 12. vers. quid si aliquis. lib. 4. fol. 94. Abb. in cap. 6. cum causa. sub num. 4. ibi, aut vero quis. & Ant. de Burg. sub num. 19. ibi, soluit & bene. de empt. & vend. Salyc. in d. l. 2. num. 11. q. 7. C. de rescind. vendit. & esse opinionem communem testantur Ant. de Burg. in d. cap. cum causa. num. 20. & alij in diuersis locis, quos citat Couar. d. cap. 4. num. 2. & facit quod secutus sum infra num. 54. & ampl. 19. num. 78.

Contra hanc communem restrictionem; quòd enim adhuc competat remedium d. l. 2. tenet Arius Pinel. in d. l. 2. par. 1. cap. 2. num. 11. & seqq. vers. sed ea scribentium. quem sequitur Couar. in loco supra proximè citato, & illius opinionem, vti Reip. vtilem, humaniter recipiendam scribit in addit. ad eundem Arium Eman. Soarez.

Restringe secundo eandem extensionem, vt non procedat, quando deceptus, idest, læsus, renunciasset specialiter auxilio d. l. 2. quia talis renunciatio est valida, & ideo, qui renunciauit, non potest ex capite illius legis venire contra venditionem, Paul. de Castr. in d. l. 2. num. 9. in 4. conclus.

Verum quia materia huius restrictionis admittit varias considerationes, seu distinctiones, quas docent Bal. in ead. l. 2. q. 7. nu. 10. & Salyc. num. 13. Abb. in cap. 6. cum causa. sub num. 4. & Ant. de Burg. num. 21. & 22. de empt. & vendit. & magis cumulatè, & firmius Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip q. 4. per totam, num. 17. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 65. & Couar. d. cap. 4. sub num. 1. & seqq. vsque ad num. 5. inclusiuè, & ego proposui non vniuersam huius l. materiam prosequi, sed solum quædam magis necessaria, idcirco in occurrenti casu huius restrictionis ad eos tu recurras.

Extende quinto, sed explicando eandem declarationem in secunda parte, vt quamuis alter ex contrahentibus sit deceptus, seu læsus vltra dimidium iusti pretij; tamen, supposito casu, in quo verè constet, vtrumque contrahentem habuisse animũ faciendi contractum emptionis, & venditionis, talis contractus possit dici solum iniustus, & ex hoc capite poterit agi ad rescissionem, vel ad supplementum iusti pretij alternatiuè, vt dixi, sed non poterit dici contractus simulatus, aut pignoratitius, seu vsurarius, etiam si in contractu adesset pactum de retrouendendo, & emptor esset solitus fœnerari, vel similes contractus facere, quia etiam vsurarij possunt celebrare contractus veros, & quandoque verè, & non simulatè celebrant, & in

certis cessant coniecturæ, Cæpol. tract. de simulat. contract. sub num. 201. & 202. tom. 7. fol. 11. & hæ coniecturæ facerent fidem in foro exteriori, non supposita certitudine voluntatis contrahentium, quòd voluerint emere, & vendere, per ea, quæ dixi infra num. 23. secus autem supposita, vt dixi, certitudine voluntatis, & consequenter, supposita hac certitudine, non posset agi ad nullitatem contractus; quamuis cum læsione concurrerent prædictæ coniecturæ.

Extende sexto, vt remedium d. l. 2. ita detur emptori, sicut venditori, Ant. de Burg. in cap. cum dilecti. num. 14. de empt. & vendit. & Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de empt. & vend. concl. 1. nu. 31. ampl. 13. & ideo sicut licitum est emptori lædere venditorem citra dimidium, & non vltra dimidium, ita etiam licitum est venditori lædere emptorem citra dimidium, & non vltra dimidium, tùm quia ampliatio ista, eiusque declaratio loquuntur de contrahentibus, & sic tàm in vno, quàm in altero, tùm quia in correlatiuis idem ius statui debet, tùm demum quia in omnibus contractibus seruanda est æqualitas.

Restringe primo hanc extensionem, vt non procedat in contractibus, in quibus is, qui habet naturam emptoris, acquirit aliquam certam annuam, seu semestrem, aut trimestrem accessionem pecuniariam, & pro eiusmodi contractibus est à lege determinatum certum pretium, quia in his venditori licet lædere emptorem in pretio, non autem emptori licet lędere venditorem, per ea, quæ scripsi inf. sub n. 68. vers. subdeclara. & seqq.

6 Restringe secundo, & subdeclarando eandem declarationem, positam supra num. 2. vt aliter sumatur deceptio, idest, læsio, qua læditur venditor, & aliter læsio, qua læditur emptor: In læsione enim passiua venditoris conueniunt omnes, eum tunc dici læsum vltra dimidium iusti pretij, quando rem, quæ iustissimo pretio valebat 10. vendidit infra quinque, vt puta, vendidit quatuor, vt scribunt Arius Pinel. in l. 2. par. 1. cap. 2. num. 4. vers. sed quod. C. de rescind. vend. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 8. vers. his sanè. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 21. num. 20. & hoc transit sine difficultate: At in læsione passiua emptoris surgit difficultas: Vna enim opinio tenet, emptorem dici læsum, quando rem emerit pretio, excedente plus duplo iustum rei valorem, vt puta, rem, quæ iusto valore valebat 10. emit 21. quia læsio consideratur ex inæquali commutatione, & idcirco sicut venditor læditur, quando dat 10. in re, & recipit quatuor in pretio; ita è conuerso dicetur læsus emptor, quando is dabit 21. in pretio, & recipiet 10. in re; hancq; opinionem tenent ij, quos citant Couar. in loco, supra proximè citato, ibi, alij diuersum. & Arius Pin. d. cap. 2. num. 6. vers. sed quamuis. & num. seqq. vbi ipse hanc eandem in puncto iuris existimat veriorem, sed nimis obscurè se explicat. Altera verò opinio tenet, emptorem tunc dici deceptum, idest læsum vltra dimidium iusti pretij, ideoq; posse ad rescissionem alternatiuè agere, quando soluit nō solū iustum pretium rei, quā emit, sed vltra illud soluit etiā vltra illius medietatem, vt puta, si rem, quæ iusto pretio valebat 10. ad summum, emerit 16. Ant. Burg. in cap. cum dilecti. num. 14. not. 2. de empt. & vend. Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip. sub num. 7. q. 1. tom. 6. par. 1. fol. 65. Leonar. Less. in loco, supra proximè citato, & alij, quos omitto; hancq; opinionem, vti receptiorem apud forensia tribunalia, amplexus est Couar. in loco, supra proximè citato, motus duabus considerationibus: prima, quia venditio non est iudicanda ab eo, quod hinc inde commutatiuè datur, cum venditio non sit vera commutatio pecuniæ cum re, sed sit æstimatio rei per pecuniam, & consequenter considerandum est solum pretium, quod emptor soluit, in quo si dederit vltra medietatem eius, quod iustum erat, dicetur læsus, vt puta, cum deberet dare 10. dederit 16. secunda consideratio est, quia si esset consideranda illa hinc inde commutatio, vt considerat altera præcedens opinio, sequeretur hoc absurdum, vt in venditione vnius, eiusdemque rei, cuius æqua & exacta æstimatio sint 10. difformis haberetur ratio, cum venditor læderetur vltra dimidium, si ex his decem deficerent ei sex, & emptor non læderetur vltra dimidium, nisi his decem superadderet vndecim; hancq; alteram opinionem esse communem, & receptissimam, & in Lusitania, alijsque Prouincijs patrijs constitutionibus, de hac læsione loquentibus, ita exemplum tradi, scribit, sed in puncto iuris non sequitur Arius Pinel. d. cap. 2. num. 5. & 6.

7 Subdeclara primo, restringendo eandem declarationem, dum dixi, contrahentibus licitum esse se decipere vsque ad medietatem

tem iusti pretij, vt procedat in læsione, & simplici deceptione; secus si in læsione sit admixtus dolus ex proposito; quia tunc dolo malo deceptus potest rescindere contractum pro quauis minima læsione, Calder. in cap. vlr. nauiganti. num. 17. de vsur. Abb. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 6. eod. & in cap. 42. cum causa. versus finem, sub num. 4. ibi, item ex alio. & ibi, aut interuenit deceptio re ipsa. & Franc. de Aret. sub num. 24. de testib. quos secutus sum etiam infra num. 55. in 4. cas. Cæpol. tract. de simul. contract. nu. 49. vers. nam contractus venditionis. tom. 7. fol. 5. Stracch. tract. de sponſ. part. 3. in verbo, item quæro vincentius. num. 3. ibi, nec in præmissis. tom. 6. par. 1. fol. 306. & Boninſ. tract. de vendit. ad temp. cap. 5. num. 10. in fine, & num. 11. & sic venditor posset præcisè rem recuperare, Gabr. in concl. lib. 3. tit. de empt. & vendit. concl. 1. num. 109. limit. 17. hancq; eandem doctrinam sub alijs verbis docet Bal. in d. l. 2. sub num. 1. in 3. oppo sit. C. de rescind. vend. quem sequuntur Ioan. de Anan. in d. cap. 6. in ciuitate. num. 8. in fine, & vti singulariter declarantem, Ant. Burg. in cap. cum causa. num. 61. in 23. limit. de empt. & vend. distinguens inter deceptionem, prouenientem ex industria deceptiua, vt tunc pro quauis etiam minima deceptione detur remedium decepto; & inter deceptionem, prouenientem ex industria negotiatiua, vt tunc non detur remedium, nisi excedat dimidium iusti pretij, adde quæ scripsi infra num. 55.

Confirmatur hæc subdeclaratio auctoritate sacræ scripturæ 1. ad Thessalonicen. 4. num. 6. *ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus*. Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip. sub num. 8. tom. 6. par. 1. fol. 65. & Boninseg. tractat. de vendit. ad temp. cap. 5. num. 4. in fine.

8 Ratio, qua vberius explicamus hanc subdeclarationem, est; quia fides bona est contraria dolo, l. 3. §. fin. ff. pro soc. & ideo quoties contractui inest dolus, contractus non tenet, seu rescinditur sub hac distinctione: Aut enim sumus in contractu bonæ fidei; & tunc; quicquid sentiant Petr. de Bellaper. & Cyn. qui eum videtur sequi in l. 5. dolo. C de inutil. stipul. volentes, quòd siue dolus causam dederit, siue inciderit in contractu bonæ fidei, contractus non sit nullus, sed possit rescindi; ego nunc, articulo non aliter discusso, sequor contrariam opinionem, quòd contractus bonæ fidei, cui dolus malus causam dedit, sit ipso iure nullus, l. 7. & eleganter. in princ. ff. de dol. mal. & d. l. 3. §. fin. Cæpol. vbi sup. Bolan. tract. de restit. in integr. cap. 177. in fine, num. 17. tom. 5. fol. 182. quòd latius declarat Iaſ. in §. actionum. sub num. 30. ibi, contrariam opinionem, num. 31. & seqq. Instit. de action. & esse communem sententiam, quòd contractus bonæ fidei non valeat, quando contrahentes ipsi contractui dolum faciendo causam dederunt, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 6. tit. de contract. cap. 10. q. 2. col. 518. etiam si contractus sit iuratus, quia, stante dolo, deficit consensus, Guter. tract. de contract. iurat. cap. 37. num. 12. tom. 6. par. 1. fol. 83. Aut sumus in contractu stricti iuris, & tunc ex iisdem, quos in præcedenti membro Iaſ. citat, sed non sequitur, refert, quòd agitur actione de dolo ad rescindendum, vel etiam excipitur, & ita tenet Io. Azor. d. cap. 10. q. 2. quando dolus est commissus ab altero ex contrahentibus; hancque distinctionem inter contractum bonæ fidei, & contractum stricti iuris communiter teneri testatur, & sequitur Ant. Burg. in cap. cum dilecti. sub num. 45. 46. & 47. de empt. & vend. inter Repeten. tom. 4. fol. 257. sed quando non ipsi contrahentes, sed alius tertius, vt puta, proxeneta dolum adhibuit, tunc siue contractus sit bonæ fidei, siue stricti iuris, contractus tenet indistinctè, Ant. Burg. in d. cap. cum dilecti. sub nu. 52. eod. fol. 257. & Io. Azor. in loco infra proximè citato, & tunc agendum esse contra illum tertium actione de dolo, quo tertio non existente soluendo, teneri eum, cuius gratia dolus fuit commissus, scribit Io. Azor. d. cap. 10. quæst. 2.

9 Cæterum (si vera esset opinio, quòd hodie de æquitate canonica omnes contractus mundi sunt bonæ fidei, vt dicit Iaſ. in §. quadrupli autem. in fine, num. 90. Institut. de action. seu quòd de iure canonico sint bonæ fidei quantum ad effectum, ideoq; quilibet contractus, cui dolus causam dederit sit nullus, vt scribit Ant. Burg. d. cap. cum dilecti. num. 53. & 54.) vana, & superflua esset distinctio, de qua num. præcedenti inter contractum bonæ fidei, & contractum stricti iuris.

Superest alia difficultas circa dicta huius

rationis; nunquid dolus, qui causam dat contractui bonæ fidei, inficiat contractum magis, quàm dolus incidens, vt ex Glos.refert Cyn.in d.l. dolo. quæ tamen hoc non aperit, &, motiuando ex aliorum dictis, scribit Ias.in d.§.actionum. sub num.30 & apertè tenet Cæpol.de simulat.contract. nu. 49. & 50. tom. 7. fol. 5. dicens, quòd si dolus causam dedit contractui bonæ fidei, contractus ipso iure non tenet;sed si incidat in contractum, posset solum agi ad supplementum iusti pretij.

Ego, huius difficultatis discussione omissa, video, quòd de dolo, dante causam contractui, & de dolo incidenti, promiscuè, & sine aliqua differentia locuti sunt Abb. in cap.6.in ciuitate. sub num.6.de vsur.& in cap.42.cum causa. versus finem,sub num.4. ibi, item ex alio. de testib.& Franc.de Aret. qui eum sequitur ibidem, sub num. 24. dicens, quòd quando dolus dat causam contractui, vel incidit contractui emptionis, & venditionis, contractus sine dubio rescinditur,vel reducitur res ad æquum in foro contentioso, & multò fortius in foro animæ, & Ant.Burg.in d.cap.cum dilecti. num.21.in 2.cas.princip.de empt.& vend.dicens,quòd, si dolus daret causam deceptioni,vel incideret, competeret remedium d.l. & eleganter.

10 Intellige primo hanc subdeclarationem, dum dicimus, quòd contractus rescinditur, seu est nullus ipso iure, vt hoc sit verum,volente decepto; alias secus, quia si voluerit stare contractui; tunc ille, qui commisit dolum, non posset proprium dolum allegare, Ias.in §.actionum. num.41. Instit.de action. & Ant. Burg.in d.cap.cum dilecti. sub num. 21.& 58.& faciunt quæ scripsi in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.2. num.390.

11 Intellige secundo, vt procedat, quando dolus est talis, vt caperet etiam prudentissimum virum, alias contractus remanet validus, vt in simili dicimus de metu,qui requiritur talis,vt cadat in constantem virum,Ias. in d.§.actionum. num.40.vers.vnum tamen, & faciunt quæ, loquendo de metu, secutus sum infra ampl.19. sub num.67. vers. subinfero secundo.

Explica hanc intelligentiam, vt procedat in foro exteriori, secus in foro interiori, per ea, quæ de metu secutus sum d.ampliat. 19. sub num.67. vers.explica primo.

12 Intellige tertio, vt procedat, quando dolus repugnat naturæ, & moribus contractus, quia tunc contractus potest rescindi, vt dixi supra num. 7. secus quando dolus, & deceptio non repugnant naturæ,& moribus contractus, quia tūc non rescinditur; idest,nō est necessaria aliqua restitutio; quare si tu, ludens, vidensq; certissimò te lucraturum, augeas sponsionem,&,vt vulgo dicunt,*inuiti del resto*,vel contra videns,te non posse lucrari,auges similiter sponsionē, vt alios terreas, & ita lucraris, vtique lucrata restituere non teneris; quia quamuis hoc videatur quædam deceptio, tamen est licita, quia ita fert lex ludi; & ludentes eo ipso, quòd conueniunt ludere, tacitè consentiunt in eiusmodi dolos, quos ludi leges admittunt, & qui dicuntur potius cautelæ, quàm doli, Medin.in suis tract.tom.2. tit. de reb.restit. q.22.in fine,Couar.in cap.4.peccatum.par. 2. §.4.sub num.6. vers. sed contrariam. iuncto num.5. vers. hinc pulchra. de reg. iur. in 6.tom.1.fol.625.Boninf.tractat.de lud.cap. 14.num.1. & seqq. Garcia de contract. cap. 43. sub num.9.vers.la quarta conclusione. Lud.Lopez de contract.cap.21.versus finem, vers.tertia propositio. Ludou.Molin.de iust. tom.2.de contract.disput.517. Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.q.5.de dominio, art.6. tit. an per ludum pecunia præsenti,&c.vers. in actu autem. fol.165. & Io.Azor. de instit.moral. par.3.lib.5.tit.de delict. ex quib. orit. restit. in parr.cap.25.q.2. col. 440. & seq. qui explicant per exempla; & cum hac, & præcedenti intelligentia procedit forsan, quod sentit Bal. citatus supra sub d.nu.7.vers.subdeclara. in fine.

Pone casum huius intelligentiæ in ludo chartarum: vnus ex collusoribus certò scit, se in qualitate chartarum, aut punctorum quantitate alterum excedere,alter tamen id nescit, & qui de lucro certus est, summam pecuniæ, quam coram se habet, in sortem mittit, idest, auget sponsionem, siue ludum (quod Hispani dicunt, *embidar el resto*) alter verò, ex ignorantia hoc ipsum acceptans, quicquid coram habet, amittit: pone etiam casum in ludo scaccorum, quem Hispani vocāt,*del axedrez*, alter collusor aduertit,quòd aduersario,incautè latrunculū mouēti,subripiet ineuitabiliter latrunculū,vocatū, *dama*, & quia, subtracto tali latrunculo, certus est de lucro, auget ludum, & aduersarius, non præuisa futura latrunculi subtractione,acceptat auctionem, & perdit; his certè casibus vincens,non tenetur restituere, Medin.Garcia,

cia, Lud. Lopez, Molin. & Io. Azor. in locis supra proximè citatis.

13 Intellige quarto, vt procedat in dolo, commisso à contrahente; sed si sit commissus à proxeneta, seu alio tertio, aliter forsan esset dicendum, Iaf. in d. §. actionum. nu. 44. vers. an autem. Cæterum iste proxeneta tenetur de dolo, vt scripsi sup. num. 8. versus finem.

14 Exemplifica primo, seu explica terminos eiusdem subdeclarationis, vt simplex deceptio, seu deceptio, proueniens ex industria negotiatiua, qua contractus non rescinditur, nisi excedat dimidium iusti pretij, dicatur, quando dolus non inest contractui, sed vendens credit, se vendere iusto pretio, & emens ita se credit emere, quia isto casu decipiens re ipsa, in primis non peccat, &, durante credulitate, non est tractandum, an in foro conscientiæ teneatur ad aliquam restitutionem, cum ignoret læsionem; &, superueniente scientia de non iusto pretio, adhuc est tutus in foro fori, tàm inspecto iure ciuili, quàm inspecto iure canonico, per ea, quæ scripsi supra sub num. 5. extens. 3. sed in foro conscientiæ, an sit tutus, sunt opiniones, quarum communis, & magis secura est negatiua, quòd non sit tutus, & quòd propterea teneatur restituere, vt secutus sum infra sub num. 52. vers. contra.

15 Exemplifica secundo, seu explica terminos eiusdem subdeclarationis, eiusq; rationis, vt dolus ex parte emptoris dicatur, quando is induxit venditorem ad vendendum minus iusto pretio, quia tunc competit venditori remedium etiam citra dimidium iusti pretij, Abb. in cap. 42. cum causa. versus finem, sub num. 4. in 2. membro distinctionis, de testib. quem retuli etiam infra num. 55. in 4. cas. Et ex parte venditoris, quando is, vendendo, mentitur de qualitate rei vendendæ, vel tacet, & occultat aliquid circa rem, propter quod res pluris venditur, Franc. de Aret. in eod. cap. cum causa. sub num. 24. ibi, dicitur autem dolus.

16 Exemplifica tertio: Præses quidam prouinciæ in interiorem familiaritatè magnum admiserat mercatorem: iste mercator præsensit decretum, à Præside factum, biduo, aut triduo publicandum, eoque vilius imponendum pretium frumento: statim frumentum, quod habebat, vendidit, nec emptorem certiorem fecit de decreto publicando; certè isto casu emptor potest contra mercatorem agere ad id, quod interest; neque isto casu quærendum est, an deceptio sit vltra dimidium iusti pretij, quia vbi dolus dat causam contractui, succurrendum est decepto pro quauis læsione, Bar. in l. 40. quæro. ff. de act. empt. Felyn. in cap. 2. cognoscentes. sub num. 7. limit. 2. in fine, de constitut. Neuiz. cons. 49. ex ducali. num. 17. vers. quarto principaliter. Stracch. tract. de sponf. par. 3. in verbo, item quæro vincentius. nu. 2. & seqq. vers. putoque. tom. 6. par. 1. fol. 306. & Menoch. tract. de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. cas. 185. sub nu. 20. 21. & 22. &, quòd venditor teneatur non solū ad restitutionē, sed etiam ad interesse, scribit Brun. tract. de cess. bon. q. 30. q. 4. princip. sub nu. 1. tom. 3. par. 2. fol. 192. & idē cōtra eū, qui prohibitionē monetarū futurā sciebat, & ideo illas statim expendit, vel de illis creditori satisfecit; quòd, inquā, illas recipere teneatur, & bonas ac expēdibiles loco earū restituere, sequitur Brun. d. q. 30. q. 4. princip. num. 2. tom. 3. par. 2. fol. 192. adde quæ scripsi §. seq. gl. 5. num. 299. limit. 2. & n. 339. & inf. §. 7. gl. 5. n. 152. & seqq. & vide quæ scribit M. Ant. Cucch. de instit. maior. lib. 1. tit. 3. sub nu. 21. fol. 7.

17 Imò secundum Stracch. d. verbo, item quæro vincentius. num. 3. in fine, & tract. de assecurat. gl. 27. sub num. 4. vers. secunda facti species. eod. tom. fol. 377. dolus isto casu posset forsan puniri, vti crimen stellionatus.

18 Infero ex hac exemplificatione, tutam non esse resolutionem, quam ex Io. Azor. retuli supra q. 1. num. 412. & 413.

19 Exemplifica quarto in assecuratione nauis, mercium, vitæ hominis, & similium post secutum in eis casum sinistrum, quia etsi assecuratio, facta etiam post secutum casum sinistrum, teneat, dummodo qui facit, se assecurari, ignoret, esse secutum, Stracch. tract. de assecur. glos. 27. sub num. 2. vers. prima quando. tom. 6. par. 1. fol. 377. Gam. in Lusit. decis. 181. in princip. & videtur admissum à stat. Gen. lib. 4. cap. 17. §. securitates factæ.

20 Tamen secus est, quando is, qui fecit, se assecurari, iam nouerat, seu præsumitur nouisse, casum sinistrum esse secutum, quia tunc assecuratio est dolosa, ideoq; nullatenus tenet, Stracch. d. gl. 27. num. 4. & seqq. vers. secunda. Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 28. num. 25. vers. sequitur. & de hoc nemo dubitat; & in statut. Genuen. in d. §. securitates factæ. satis est expressū; & quòd ista sit fraus assecurati, notat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs. cap.

cap. 18. dub. 9. vers. prima si quando. col. 1022.

21 Contraria opinio in prima parte exemplificationis, nempè, quòd assecuratio post secutum casum sinistrum, sit nulla, etiam si assecuratus ignorasset, casum sinistrum esse antea secutum, suadetur hoc argumento, quia assecuratio est emptio, & venditio periculi, vt scripsi sup. q. 1. num. 129. sed emptio, & venditio rei, in rerum natura non existentis, non tenet, per ea, quæ post Santer. latè deducit Stracch. tract. de assecurat. gl. 6. num. 6. tom. 6. par. 1. fol. 365. & ideo in stat. Genuen. eod. cap. 17. §. securitates non possint. disponitur, vt securitates fieri non possint, nisi extet risicum in re assecurata. Ergo, &c.

Confirmatur hæc contraria opinio, quia assecuratio non solum est nulla, quando assecuratur res, non existens, vt dixi, sed est nulla etiam, quando existit, sed nulli subest periculo; quare sicut assecurato non debentur merces assecuratæ, quando is sciebat casum sinistrum in eis iam secutum, vt dixi nu. præceden. ita è conuerso neque assecuratori debetur pretium assecurationis, si is sciebat, merces esse in tuto, quia cũ hoc casu nullum subeat periculũ, non potest periculi pretium habere, Io. Azor. d. cap. 18. dub. 5. vers. in hac re, col. 1021. &, quòd idcirco, assecurator, si certus sit, rẽ ante contractum peruenisse ad terminũ, verbi gratia, in portum, in quem illam assecurat, non possit pretiũ exigere, tum quia obligatio, quam in se suscipit, nullius est pretij, tum quia adest dolus, scribit Leonar. Less. d. cap. 28. sub nu. 24. vers. hinc sequitur.

22 Non discedo ab exemplificatione, & moueor hac vnica ratione, quia assecuratio, & sponsio in substantia conueniunt, vt scripsi supra q. 1. num. 131.

Sed sponsio potest fieri de re incerta, & dubia, tàm si sit de re dubia futura, per ea, quæ scripsi d. q. 1. sub num. 88. 90. 95. & 97. quàm si sit de re dubia præsenti, vel præterita, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dub. cap. 19. not. 3. col. 1023. & quòd sponsio fieri possit tàm de re præterita, quàm de præsenti, & futura scribit Franc. Garcia de contract. cap. 43. sub nu. 3. vers. vn'altra. & in re præterita scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 22. vers. si obijcias. col. penult. fol. 178. & ratio est euidens, quia sponsio est species ludi, vt scripsi d. q. 1. sub num. 86. vers. ergo commercia. sed ludus ex sui natura ita potest esse de re futura, sicut de re præterita: admitto tamen, quòd in sponsione de re præterita, vel præsenti facilius committi potest fraus, quàm in sponsione de re futura.

Ergo etiam assecuratio potest fieri de re præterita; & ita seruatur, quia sufficit, risicum semel extitisse.

Non obstant adducta in contrarium num. præcedenti, quia respondeo dupliciter.

Primo aliud esse, assecurari rem, cuius salus, vel interitus potuerit ante assecurationẽ, vel post euenisse, sed ignoretur, vt est casus, in quo loquimur; aliud, assecurari rem, quæ tàm ante, quàm post assecurationem, nec salutem, nec interitum potuerit habere, quia non extiterit res, vt in casu oppositionis.

Secundo respondeo, admittendo, quòd, si quis, nullas habens merces in naui, sed fingens eas habere, & valere decem millibus aureorum, fecerit, eas assecurari ad Hispalim, vel Genuam, datis quingentis aureis, & nauis perest, assecuratio non tenet ex dispositione dicti stat. Genuæ, & quòd hoc idem de iure communi scribũt Santer. & Stracch. citati sup. n. 21. tamẽ in iure communi posset forsan sic distingui: aut assecurator sciebat, seu suspicabatur, nullas extare merces, vel extare non tãti valoris, & dicerẽ, quòd assecuratio adhuc tenet, in vim sponsionis, vt si nauis venerit salua, assecurator lucretur 500. sin minus perdat 1000. vt ex Sot. sequitur Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 28. sub n. 28. aut ignorabat, & bona fide contraxit, putans, extare merces, vel tanti valoris; & isto casu similiter tenet assecuratio, si contraxisset, etiam si sciuisset, secus si non contraxisset, Leonar. Less. vbi supra.

Verum hæc distinctio Lessij posset forsan adaptari in foro interiori, non autem in foro exteriori, quia si in eo attenderetur hæc distinctio, facilè posset committi fraus, nam si nauis valeret scut. 1000. & assecuratio fictarum mercium fieret pro scut. 8000 casus sinister nauis posset ab assecurato studiosè procurari, vt, submersa naue, lucraretur pretium fictarum mercium, ideo in foro exteriori, ad obuiandum huic fraudi, tenendum est indistinctè cum Santer. Stracch. & stat. Genuæ, quòd assecuratio non teneat.

Pro vlteriori intelligentia huius exemplific. vide quæ scripsi sup. q. 1. nu. 128. & seqq.

Exemplifica quinto in ludo, de quo scripsi sup. q. 1. sub n. 123. vers. excipe 3. & seqq.

Subde-

23 Subdeclara secundo, restringendo eandem primam declarationem, positam supra num. 2. vt non procedat quando cum paruitate pretij concurreret aliquid aliud, ex quo, iuncta paruitate, seu excessu pretij, posset præsumi simulatio contractus in fraudem vsurarum; vt in casu, de quo infra num. 31. vers. exemplifica. quia tunc, nulla habita consideratione quantitatis læsionis, contractus esset non solum iniustus, sed esset etiam illicitus, & ideo nullus, dummodo præsumatur simulatus in fraudem vsurarum: & isto casu, quando agitur de simulatione contractus, quantitas paruitatis, seu excessus pretij quanta esse debeat, relinquitur arbitrio iudicis, vt, post relatas in hoc articulo opiniones, residet Cæpol. tract. de simulat. contract. num. 236. vers. sexta. & num. seqq. in quibus probat, & declarat, ex quibus debeat moueri iudex ad arbitrandum, & ita etiam sentit sub num. 202. ibi, difficile tamen. tom. 7. fol. 14. & sentit Io. Andr. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 2. ibi, & dummodo in fraudem vsurarum nihil fiat. de vsur. &, quòd vbi ex iniustitia pretij oriatur suspicio simulationis contractus, stetur arbitrio iudicis, an pretium sit iustum, vel iniustum, sequitur Affl. decis. 40. casus est. num. 19.

24 Infero ex hac subdeclaratione, quòd quamuis ex sola pretij iniustitia, seu læsione, etiam medietatem iusti pretij excedente, contractus emptionis, & venditionis non conuincatur de vsura, d. cap. 6. in ciuitate, & ibi Abb. num. 5. vers. nota ex. de vsur. tamen; quando vltra iniustitiam pretij concurrit suspicio fraudis, & simulationis in fraudem vsurarum, aliud esset dicendum, vt patet ex his, quæ dixi infra num. 31. vers. exemplifica.

25 Subinfero, explicando hanc illationem pro absoluta totius rei intelligentia, triplicem deceptionem, seu dolum posse considerari in contractu.

Prima deceptio, seu dolus est, quoad rei pretium sine vitio rei, de qua fit contractus.

Secunda deceptio est, non in pretio, sed in vitio rei, quæ venditur.

Tertia est deceptio, quo ad speciem contractus, & hæc speciali nomine vocatur simulatio.

In prima deceptione, seu dolo, qui consistit circa pretium, sunt constituendi tres casus.

Primus casus est, quando deceptio est simplex vltra dimidium, & isto casu concludo, contractum posse rescindi, vel reduci ad iustum pretium, reseruata electione ei, qui decepit, vt dixi supra num. 2. & 3. vers. secus. quia isto casu dolus, seu deceptio dicitur re ipsa, vt dicunt Doct. in l. 2. C. de rescind. vendit.

26 Secundus casus est, quando deceptio est similiter simplex, sed non est vltra dimidium iusti pretij: & isto casu concludo, deceptionem, seu dolum non attendi, ideoq; contractus remanet omnino validus, vt dixi supra num. 1. & 2.

Ratio vtriusque conclusionis in vtroque casu est, quia nec modicitas pretij, nec excessus pretij, de per se soli faciunt contractum illicitum.

27 Tertius casus est, quando modicitas, seu excessus pretij non est simplex, sed habet admixtam aliam qualitatem, seu coniecturam, quæ arguat fraudem contractus; & isto casu siue læsio sit magna, siue parua, concludo, esse examinandas istas coniecturas, & vbi præsumptiuè probent fraudem, contractus erit illicitus, vel vsurarius, vt dixi etiam supra num. 23. in secunda subdeclaratione.

Tempera istam conclusionem, vt hæ qualitates, seu coniecturæ fraudis vsurarum cessent, quando constat de certa cõtrahentium voluntate, quòd volebant vendere, & emere, quia in certis cessant coniecturæ, vt secutus sum supra sub num. 5. extens. 5. sed hic stat difficultas, quam non vidi à Doctoribus tactam, quando dicatur constare de certa eorum voluntate; quia difficile est eam probare in foro contentioso, vt dicit Cæpoll. tractat. de simulat. contract. sub num. 202. tom. 7. fol. 11.

28 In secunda deceptione concludo, non solum non tolerari læsionem, ascendentem ad dimidium iusti pretij, sed neque aliam inferiorem, nisi sit minima, quæ non transeat ad notabilem quantitatem, per ea, quæ scripsi infra sub num. 110. vers. secus.

29 In tertia deceptione, seu dolo, quo simulatur contractus, considero duas species simulationis.

Prima simulatio est, quando fit de contractu licito ad contractum licitum: & quia hæc simulatio est licita, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 8. num. 529. & 531. concludo, contractum simulatum esse validum, etiam in ea forma, in qua est simulatus; vt puta, ego, à te rogatus,

gatus, volo tibi mutuare pecuniam, & tu vis mihi resarcire lucrum cambij, à quo cesso, vt tibi mutuem, & ideo de mutuo fingimus cambium, vtique ista fictio est iusta, vt secutus sum supra ampl.8.num.1.& 22. idem, si ego volo tibi mutuare, sed, quò celeriorem habeam executionem in repetitione, simulamus, esse depositum, vt ex Cæpol. caut. 243. secutus sum d. cap. 8. num. 531. vel si ego volo tibi donare, sed ad efficaciorem donationis validitatem simulamus emptionem, nulla admixta turpitudine, seu fraude; nam sicut, mutuando, possem adijcere legem, quòd tenearis mihi in forma depositi; ita etiam possumus integrum depositum simulare, & istis casibus magis valebit, quòd simulatè agitur, quàm, quod verè concipitur, & erit limitatio regulæ, de qua num. seq.

30 Secunda simulatio est, quæ fit de contractu illicito ad licitum: & in hac considero duos casus.

Primus casus est in contractu mutui virtualis, seu impliciti, dum contrahentes intentionaliter contrahunt mutuum lucratorium, & ideo illicitum; sed simulant venditionem, emptionem, locationem, societatem, vel alium contractum licitum, ex quo mutuans capiat lucrum, pecunia æstimabile, quod ex contractu mutui capere non potest; & sic neuter habet animum contrahendi illum contractum, quem simulatè gerunt: & isto casu concludo, contractum esse illicitum, & vsurarium, Cæpol. tract. de simulat. contract. q.4. num.191.192. & 193. tom.7. fol.11. & sub num. 202. vers. secundo casu. quia plus valet quod verè agitur, quàm quod simulatè concipitur, vt in rubr. & nigro, C. plus valere quod agitur. Calder. cons. 11. mercator ianuensis. de vsur. Abb. in cap.6. in ciuitate. sub num. 2. de vsur. & Cæpol. d. num. 191. & pro maiori huius casus intelligentia vide omnino, quod scripsi sup. q.1. num.570. vers. ratio quare.

Ratio huius conclusionis est, quia lex, loquens contra vsurarios, procedit contra fictos emptores, qui in veritate sunt vsurarij, Ant. Burg. in cap. ad nostram. num. 6. not. 1. de empt. & vendit. inter Repeten. tom. 4. fol.261.

31 Exemplifica hunc casum, quando emptor emit vili pretio, & incontinenti rem emptam locat eidem venditori pro certa annua pensione, & pro tanto tempore, cum pacto retrouendendi, durante illo tempore locationis; quia hic re vera non est contractus emptionis, & venditionis, neque locationis, sed est contractus mutui lucratorij cum pignore, seu est contractus pignoratitius, simulatus, & illicitus, vt tenuit Rot. diuers. decis. 801. in vna. initio, & num. 1. 2. & 3. in Imolen. bonorum, ven. 16. iunij 1595. coram R. P. D. Orano, in impressis Lugduni anno 1612. hæcq; simulatio augeretur, quando emptor possessionem rei emptæ numquam esset adeptus, sed in ea remansisset semper venditor, Cæpol. d. tract. de simulat. contrac. præsumpt. 24. num. 164. & Affl. decis. 40. casus est. sub num. 18. & clausula precarij, seu constituti in contractu simulato nihil operatur, Cæpol. vbi sup. nu. 166. & seqq. & Affl. d. decis. 40. n. 17. rursus augeretur simulatio, quando venditor teneretur ad omnia onera, ita quòd emptor rem haberet liberam tàm à solutione gabellarum, quàm collectarum, & vectigalium, soluendorum, & præcipuè si adderetur pactum, quòd in casu redemptionis venditor teneretur emptori reficere omnes impensas factas per emptorem in instrumentis, etiam concernentibus commodum ipsius, Rot. vbi sup. sub num. 3. vers. nec habenda, & num. 4. hæc enim sunt contra naturam venditionis, ideoque inducunt præsumptionem vsurarum, Rot. diuers. decis. 19. fuit conclusum. sub nu. 2. coram R. P. D. Cantuccio, in Rom. nuil. cens. 4. Febr. 1583. in impressis Rom. 1615. augeretur etiam fortius simulatio, quando emptor indirectè arctaret venditorem ad redimẽdum infra certum tempus, per ea, quæ secutus sum supra q. 1. num. 479. & seqq. iuncto num. 475. vt puta, quando in casu non redemptionis obligaret eundem ad dandos nouos fideiussores de euictione ad contentamentum ipsius emptoris; quod certè nihil aliud esset, quàm cogere eum ad redimendum, si placuerit ipsi emptori, quia semper posset dicere, fideiussores, qui offerrentur, non esse in sui satisfactione, & consequenter posset agere ad restitutionem pretij loco damnorum, & interesse. hincq; alias cum vnus ratam partem scripturarum, seu officij notariatus capitolini non vacabilem emisset pretio scutorum 900. eandemque incontinenti locasset venditori pro annua pensione scutorum 67. cum dimidio alterius, & pro toto tempore dato ad redimendum; respondebam de iure, prædictum contractum esse illicitum, quia in eo concurrebat modicitas pretij, cum officia

ficia non vacabilia in Curia vendantur ad rationem quinque pro centenario, & iste emerat ad rationem septem, & concurrebant alia prædicta.

Aduerte obiter circa istud exemplum, sumptum ex pacto retrouendendi, quòd diuersæ sunt coniecturæ, quibus hoc pactum censetur vsurarium, & eas omitto, quia non pertinent ad nostrum institutum; tu poteris in occurrenti casu videre aliquos ex Doctoribus supracitatis, & eos, quos citat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 12. q. 7. per totam. col. 661. & seqq.

32 Extende eandem conclusionem, vt procedat etiam si pretium contractus sit iustum, ita vt nulla in contractu possit considerari læsio, quia contractus adhuc erit vsurarius, ideoq; rescindi poterit, tàm de iure canonico, quàm de iure ciuili, Cæpol. d. tract. de simul. contract. num. 191. & sub num. 202. vers. secundo casu. fol. 11. & facit quod scripsi sup. num. 23. in 2. subdeclaratione.

33 Restringe per oppositum, declarando duas facti species, quando non vterque, vt in hoc primo casu, de quo supra sub nu. 30. sed alter tantum eorum gessit fraudem in animo.

Prima facti species est, quando venditor non habebat animum vendendi; emptor tamen habebat animum emendi; & isto casu distinguo: Aut emptor sciebat animum venditoris; & tunc in foro contentioso conclusio huius primi casus non procedit, quia non potest dici contractus simulatus, seu vsurarius, cum extrema, nempè mala intentio venditoris, & non mala intentio emptoris simul non concurrant; secus tamen est in foro conscientiæ, quia emptor adhuc tenebitur, Cæpol. d. tract. de simul. contract. sub num. 193. ibi, aut interuenit. & sub nu. 202. vers. tertio casu: Aut emptor ignorabat animum venditoris; & tunc, si emptor fuit in lata culpa ignorantiæ, non excusatur in foro conscientiæ, & ideo tenebitur, ac si sciuisset; vt in præcedenti membro distinctionis, Cæpol. vbi sup. num. 195. in fine, & 196. & sub d. num. 202. vers. tertio casu. secus si fuit in leui, vel leuissima culpa, quia tunc in nihilo tenetur venditori, sed debet ei à confessario iniungi pœnitentia pro modo negligentiæ, & non pro modo damni, Cæpol. in locis sup. proximè citatis: quòd si emptor in nulla fuit culpa, seu negligentia, tunc est in omnibus, & per omnia excusatus in foro ciuili, canonico, & conscientiæ, Cæpol. vbi supra. sub num. 197. & sub num. 202. vers. tertio casu.

34 Secunda facti species est opposita, quando emptor non habebat animum emendi, sed intendebat accipere pro pignore, venditor tamen habebat animum vendendi: & isto casu, referendo breuiter eandem doctrinam Cæpollæ, qui discedit, vt ipse dicit, ab Host. Ioan. Andr. & Laur. de Rodulph. distinguo: Aut venditor ignorauit malam intentionem emptoris; & isto casu contractus remanet illicitus, vel licitus, prout voluerit ipse venditor, quia quoad venditorem est licitus, & contra eum agi non potest, sed ipse agere poterit contra emptorem ad rescissionem contractus: Aut venditor sciuit animum emptoris; & tunc quia ipse venditor fuit in culpa, vterque caret actione in foro contentioso, sed in foro conscientiæ emptor indistinctè tenetur, Cæpol. vbi sup. nu. 199. & sub num. 202. vers. tertio casu. & hæc de primo casu, posito supra num. 30.

35 Secundus casus est in alio contractu, quàm mutui; vel etiam mutui, sed sine lucro; & concludo, contractum non esse vsurarium, quia vsura non consistit in alio contractu, quàm in contractu mutui lucratorij, veri, vel palliati, per ea, quæ secutus sum hac ead. q. par. præced. num. 25. & 26. dico tamen, contractum, esse nullum; quare, cum lex prohibeat, ne filiofamilias mutuetur pecunia, & tu ei mutuas frumentum, vel aliam rem, ex cuius venditione filiusfamilias consequatur pecuniam; vtique tu non facis contra verba legis, sed facis contra mentem, Bal. in l. non dubium. in princ. & Ias. num. 2.

36 C. de legib. † item lex prohibet officiali, ne accipiat munera, præter esculenta, & poculenta, si officialis accipiat esculenta, & poculenta in magna quantitate, non facit contra verba legis, sed facit contra mentem, & ideo facit fraudem legi, Ias. vbi sup. & ita punitur, qui facit contra solam mentem legis, sicut qui facit contra mentem, & verba, Bal. in d. l. non dubium. num. 1. Ias. num. 4. & adde quæ scripsi infra §. 6. glos. 1. num. 11. vers. quia replicatur. & num. 16. vers. & demum.

37 Infero ex conclusione huius secundi casus, aliud esse, contractum esse vsurarium, & aliud, contractum esse illicitum.

38 Subdeclara tertio eandem primam declarationem, positam supra num. 3. in secunda parte, dum dixi, quòd, data læsione vltra dimidium iusti pretij, potest læsus agere alterna-

ternatiuè, vt isto casu emptor, qui emit, teneatur non solum restituere rem, vel supplere pretium, vt dixi, sed teneatur etiam restituere fructus, quos percepit, secundum ea, quæ scribunt Bal. in d. l. 2. sub num. 3. vers. tertij dicunt. & ibidem Salyc. sub nu. 5. vers. venio ad quæstionem. ibi, confirmat etiam. C. de rescind. vend. dum scribunt, quòd læso vltra dimidium iusti pretij non datur condictio ex illa lege, quia condictio ex lege est stricti iuris, ideoque in ea non venirent fructus, nisi post moram, sed in casu nostro, inquiunt, veniunt fructus; Ergo inferunt, datur actio ex vendito, in qua veniunt etiam ea, de quibus non est actum.

Confirmatur hæc subdeclaratio, quia, rescissa venditione ex causa de præterito, quæ inesset à tempore vẽditionis, debentur etiam fructus, vt ex veriori opinione de iure scribit. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. sub num. 9. vers. est & aliud. quem in alio casu secutus sum supra q. 1. num. 482. & scripsi sup. ampl. 8. num. 205. sed læsio, ob quam contractus venditionis rescindirur, fuit causata in ipso contractu venditionis: ergo.

39 Contra hanc subdeclarationem, nempè, quòd emptor fecerit fructus suos, ideoq; eos non teneatur restituere, neque computare in sortem, tenent Cæpol. tract. de simulat. contract. sub num. 17. in fine, & num. 18. vers. & multo magis. rom. 7. fol. 4. Ant. Burg. in cap. ad nostram. sub nu. 36. de empt. & vend. inter Repeten. rom. 4. fol. 263. & ita viderur transire Gabr. in suis conclus. lib. 3. tit. de empt. & vendit. conclus. 1. num. 14. in fine ampl. 4. dum hanc opinionem vltimo loco refert; & quòd praxis receperit hanc contrariam opinionem, quamuis subdeclaratio sit verior de iure, testatur Couar. in loco, sup. proximè citato.

Ratio potest esse duplex: Prima, quia d. l. 2. prouidet læso solum, vt lædens teneatur vel restituere rem, vel supplere iustum pretium, & sic supponit validitatem venditionis: si est valida; ergò, inquit, emptor percepit fructus ex re sua, Cæpol. vbi supra. Secunda (& hæc videtur melior) quia res empta habetur ex titulo oneroso, quo casu, resoluto titulo, non restituuntur fructus, medio tempore percepti, quia imputatur agenti ad rescissionem, quòd non egerit incontinenti, quare cum ipse fuerit negligens, & in culpa sibi imputet, vt latius explicat Ant. Burg. in loco, supra proximè citato; & ad corroborationem addo, quòd iniustum esset, vt emptor staret periculo perdendi rem ex aliquo casu sinistro, & venditor in tuto consequeretur fructus illius rei.

Pro clariori resolutione, loquendo in contractu emptionis, & venditionis, considero duos casus.

Primus casus est, quando emptor contentus vult supplere iustum pretium; & isto casu; quamuis nondum viderim, qui eum tetigerit, & videatur concludendum fine controuersia, fructus non esse restituendos; tùm quia, cum non rescindatur contractus, fructus, ex eo percepti, remanent; tùm quia ratio restituendi fructus, de qua in seq. casu, militat, quando resoluitur contractus: tamen ego distinguendo, concludo, quòd hæc opinio contra subdeclarationem potest procedere in foro fori, sed in foro conscientiæ dicerem, emptorem adhuc teneri ad restitutionem fructuum pro rata iusti pretij non soluti, prout censuit etiam Cæpol. d. tract. de simulat. contract. sub num. 18. & 19.

Secundus casus est, quando, emptore nolente supplere iustum pretium, rescinditur contractus venditionis; & isto casu militant opiniones, quas adducit Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. num. 9. vers. est & aliud.

Prima opinio est affirmatiua, quòd fructus sint restituendi, & ita procedat subdeclaratio, quæ duobus præcipuis nititur fundamentis: Primo, quia, quando rescinditur venditio, accessiones hinc inde restitui debent, vt nihil amplius quicquam consequatur alteruter ipsorum rescindentiũ, quàm si venditio facta non esset: resoluta namque venditione; perinde habetur, ac si facta non esset, sicque, ea resoluta, res in pristinam causam redit, & omne ius rei est saluum, & integrum, ac si nunquam interuenisset venditio, & in his accessionibus fructus continentur, Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 8. princip. in 2. effectu. num. 3. Secundo, quia, rescissa venditione ex causa de præterito, fructus sunt restituendi, vt dixi num. præced. in fine.

Secunda opinio est negatiua, quòd fructus non sint restituendi, & ita procedat opinio, quæ est contraria subdeclarationi; hancq; secundam opinionem seruari à praxi retuli sup. vers. contra.

Tertia opinio est, quòd emptor, si fuerit in bona fide, restituet rem cum fructibus perceptis non consumptis, & quos percepit post

post litis contestationem, atque etiam consumptos prius, si ex eis fuerit factus locupletior; secus si ex eis non fuerit factus locupletior; similiter venditor, si quid certum ex pretio perceperit, illud emptori restituet, vt puta, si ab emptore loco pretij non soluti certum quid annuum habuerit, Conar. d. vers. est & aliud. in fine, ego addo, quòd non solum restituet, si habuit ab emptore, sed etiam si habuerit aliunde; puta, quia ex pretio, sibi ab emptore soluto, emerit annuum censum, vel aliud frugiferum commercium contraxerit: quia non conuenit vt habeat fructus rei, & pretij; hæcq; tertia opinio maximè procedet in foro conscientiæ.

40 Subdeclara quarto, vt data pretij latitudine, in qua tàm summum, quàm medium, & infimum pretium sit iustum, iuxta ea, quæ secutus sum infra num. 101. restrict. 2. tunc ad cognoscendum, an læsio sit infra, vel vltra medietatem iusti pretij, debeat medietas sumi non à summo, vel infimo pretio, sed à medio; & moueor, quia in dubio media via eligi debet, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 7. cap. 11. sub num. 380. vers. tertio quia. quare, si res, quæ vendi soleat 12. 11. vel 10. & quodlibet istorum pretium sit iustum, & vendita sit quinque, dicerem, probatam esse læsionem.

Subdeclara quinto, vt, ad cognoscendam læsionem contractus, non sit inspiciendum solum pretium, sed debeat considerari totus contractus, vt ostendit Surd. cons. 217. ad quod se remittit decis. 150. honorantia, num. 6 & 7.

Et hæc de prima declaratione, posita sup. num. 1. & 2.

41 Declara secundo, restringendo hanc eandem decimam ampliationem, vt quamuis de iure ciuili, & canonico liceat contrahentibus se decipere in pretio vsque ad dimidium, vt dixi supra num. 1. & sub num. 5. extens. 3. tamen secùs est in foro conscientiæ coram Deo, quia in isto foro seruanda est lex naturæ, & diuina, quæ mandat, ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem, vt retuli supra num. 7. in fine. & consequenter mandat, vt in contractibus seruetur iustitia commutatiua, vt aduertit Mich. Sal. ad D Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. controu. 17. sub num. 1. vers. hæc adeo. fol. 66. & mandat, vt, quod tibi fieri velles, tu alteri facias, Matth. 7. n. 12. & D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. vers. sed contra. sed nemo vellet, ab alio decipi, etiam in parua quantitate; ergo nec ipse debet alium decipere; Item hæc deceptio quamuis toleretur à iure, tamen non conuenit viro bono; sed in foro conscientiæ quilibet debet esse bonus, ergo in foro conscientiæ deceptio non est toleranda, Cæpol. tract. de simul. contract. nu. 55. vers. de iure ciuili. & num. 56. tom. 7. fol. 5. &, quòd quamuis contrahentibus liceat se decipere, tamen non conueniat bono viro, scribit Gl. vnica in l. 58. semper. ff. de reg. iur. & ideo cautelam esse, & consuluisse in Ciuitate Ferrariæ, quòd emptor, læsus in emptione, faciat positionem, quòd venditor est bonus vir, quia si venditor id fatebitur, emptor habebit intentum, quamuis læsio sit citra dimidium, scribit Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 11. vers. vltimo pro ista parte. de vsur. verumtamen est, quòd hæc cautela non satisfacit, quia etiam Christiano non conueniret alium decipere; vltra, quòd huic positioni respondendum non esse, reijciendo propterea hanc cautelam contra Io. de Anan. scribunt Felyn. in cap. 16. dudum. sub num. 13. de præsumpt. & Ant. Burg. in cap. cum dilecti. sub num. 15. de empt. & vendit. inter Repet. tom. 4. fol. 255. &, quòd dicitur, licitum esse contrahentibus se decipere vsque ad dimidiam iusti pretij, illud procedat de iure fori, non de iure poli, quia ius positiuum noluit pro modica læsione dare actionem in odium litium, & quia homines omni die super hoc litigarent, scribit Abb. in cap. 8. quia plerique. num. 28. in vltimis verbis, de immun. eccles. imò commercia ipsa impedirentur, si semper exacta illa, & mathematica pretij æqualitas foret anxiè, & nimia scrupulositate consideranda, vt scribit Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 3. sub num. 2. vers. primum. &, quòd in foro conscientiæ omnis excessus iusti pretij reijciatur, & reputetur iniustus, scribit Ioan. Bapt. Lup. in l. 2. comment. 2. §. 2. num. 51. in fine, C. de pact. int. empt. & vend. tom. 7. fol. 129. quare peccat contrahens, qui alium decipit, licet citra dimidiam iusti pretij, vt ex Calder. sequitur Abb. in cap. 1. sub num. 2. ibi, & pro hoc. de empt. & vend. & quòd venditor non sit tutus in conscientia, retinendo excessum iusti pretij, quamuis in foro exteriori sit tutus, si excessus est citra dimidium, scribunt Medin. in suis tractat. tom. 2. q. 3. caus. 7. vers. oppositum. fol. 44. & clarius q. 32. col. 2. vers. quod autem. & col. 3. & 4.

vers. nec obstant. & vers. secundo opponunt. fol. 237. & 238. & Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 5. num. 8. & 9. & latè Nauar. in cap. 2. qualitas. sub num. 26. vers. his tamen. & num. 27. & seqq. 34. q. 3. dist. 5. de pœnit. & quòd lex, quæ venditori, decepto infra medietatem iusti pretij, negat actionem in iudicio, non præcipiat, rem illam esse emptoris, nec liberet eum à debito restituendi, sed solum permittat, illam venditionem exterius haberi tanquam validam, ad tollendas lites, scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio. art. 1. concl. 2. vers. hæ duæ. fol. 135. &, quòd ideo in foro conscientiæ teneatur illum excessum restituere, testatur esse communem Theologorum consensum, art. 7. vers. probatur hæc. fol. 172. & esse communem Doctorum sententiam, vt fraudator, qui citra dimidium decepit, non excusetur à restitutione eius, in quo alterum circumuenit, siue emendo, siue vẽdendo, testatur, & sequitur Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 21. num. 21. & hanc esse omnium Doct. ac bonorum virorum sententiam, scribit Iodoc. tract. de subhast. cap. 5. sub num. 34. tom. 6. par. 1. fol. 82. hincque est, quòd Ecclesia, si vult vendere rem suam, & reperit aliquid plus, quàm valeat communiter, non debet illud vltra accipere, Gl. in cap. 2. ea enim. §. hoc ius. in verbo, vt plus, 10. q. 2. Abb. in cap. 42. cum causa. sub num. 3. ibi, nec sequitur. de testib. & in d. cap. 1. num. 2. de empt. & vend. quem in vtroque loco citat Franc. de Aret. in d. cap. cum causa. num. 15. quia Ecclesia dicitur cultrix iustitiæ, vt scripsi in meo tract. de appell. q. 7. nu. 49. & in suis contractibus obseruat ius poli, non ius fori, per ea, quæ, loquendo de Episcopo Aurelio Carthaginensi, D. August. relatus in cap. vlt. quicumque. 17. q. 4. scribit his verbis. *quidam enim cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes (retento sibi vsufructu) donauit Ecclesiæ: nati sunt ei filij postea, & reddit Episcopus, nec etiam opinanti illi, quæ donauerat, in potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.*

Confirmatur magis hæc declaratio, quia lex humana potest coacta indulgere solum pœnam temporalem transgressionis legis diuinæ, & naturalis; sed numquam potest indulgere culpam, & pœnam in foro Dei, per ea, quæ dixi infra sub num. 45. & 49. quia naturalia, & diuina tolli lege humana non possunt, per ea, quæ dixi infra ampl. 19. sub num. 40. sed de iure diuino est prohibita deceptio, & defraudatio in mensura, Deuter. 25. num. 13. & seqq. *non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor, pondus habebis iustum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi.* Ergo de iure diuino prohibita est etiam deceptio in pretio, quia pretiũ, & pecunia sunt mensura rerũ, vt secutus sum hac ead. q. par. præced. n. 13. & ideo inter pretium rei emptę, & rem emptam debet esse æqualis commutatio, per ea, quæ de iustitia commutatiua, seruanda in quolibet contractu, scripsi infra §. 6. gl. 1. sub num. 41.

42 Hanc declarationem non ausus est firmare Innoc. in cap. 6. in ciuitate, sub num. 1. de vsur. dicens dubitatiuè, quòd ista deceptio forsan non procedit de iure poli.

43 Contra hanc declarationem, nempe, quòd non sit peccatum, tenet Anch. in cap. peccatum. num. 21. vers. & primo vtrum peccet. initio, & in fine, de reg. iur. in 6. quem sequitur Franc. de Aret. in d. cap. 42. cum causa. sub num. 27. vers. quarta & vltima conclusio. dicens, quòd non peccat, quia facit, lege permittente, & consequenter nihil tenetur restituere, quia in dubio potest adhærere legi in foro conscientiæ, maximè quia, si aliter diceremus, intricarentur multi, & valdè impedirentur commercia; tenet etiam Abb. quem retuli infra num. 52. vers. secundus, dum ait, quòd lex canonica daret remedium, si eo casu adesset peccatum, vnde sibi non est constans; & videtur ex professo tenere Io. Andr. in cap. peccatum. sub num. 25. ibi, nam sicut. & num. 29. de reg. iur. in 6. cuius repetitionem ponit per appendicem post cap. possessor. dum, constituendo differentiam inter ius ciuile, & ius canonicum, inquit, quòd etsi vtrunque ius intendat inducere homines ad bonum commune; tamen diuerso, inquit, modo intendunt inducere: nam ius ciuile intendit dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati ciuiliter viuenti, secundum quem modum commune bonum debet promoueri, & conseruari per legalem iustitiam, & per ciuilem amicitiam; at ius canonicum, inquit, intendit dirigere in bonum commune, non solum, prout intendit ius ciuile, sed vlterius secundum fidem, in Deum tenendo, & vitam aliam expectando, quia cum ius canonicum sit quædam explicatio

plicatio iuris diuini, oportet, quòd ab vtroque idem finis intendatur, bonum autem commune hoc modo conceptum requirit etiam quandam cœlestem amicitiam, & ideo ius canonicum debet prohibere omnia peccata.

Comprobatur hæc contraria opinio, quia, quod est licitum secundum naturam, non est peccatum, per ea, quæ, argumentando contra eandem declarationem, adducit Nauar. in d. cap. qualitas. num. 26. vers. ex hac.

Sed hæc deceptio est naturaliter licita contrahentibus, vt dicit text. quem citaui supra num. 1. & tenent communiter Doct. ibidem à me citati. Ergo.

In hac contrarietate posset pro concordia recurri ad opinionem, quam ex Ioanne Gersone refert, & impugnat Leonar. Less. d. cap. 21. num. 21. opinabatur Gerson, quòd is peccaret, & teneretur confiteri, sed non teneretur ad restitutionem.

44 Non discedo à declaratione, & respondeo ad adducta contra eam.

Ad id, quòd lex humana admittit deceptionem inter contrahentes, respondeo, quòd tolerat, sed non approbat, nisi quoad validitatem contractus; imò eam inhonestam esse declarat; ideoque non potest dici, hanc deceptionem fieri, lege permittente; & consequenter non esse peccaminosam: & dato, sed non concesso, quòd lex humana approbaret hanc deceptionem, tamen decipiens peccaret, quia dum dicitur, iustè fieri, quod legis sit auctoritate, intelligitur non de lege humana, sed de lege diuina, vt exponit Medin. d. q. 32. col. 5. in fine principij, vers. secundo opponunt. in fine, fol. 239. quem sequitur Bonins. tractat. de vendit. ad temp. cap. 5. num. 7. vel intelligitur, iustè fieri quoad forum exterius.

Ad illud, quod dicitur, ius canonicum dirigere ad cœlestem societatem, respondeo, quòd etsi ita sit, tamen in foro fori cogitur aliquando ob rationem, de qua infra, tolerare, quæ à cœlesti societate deuiant, sicq; vt dicit Chrysost. relatus à Bonins. sub d. num. 7. quod permittimus, nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

Ad comprobationem, in cuius solutione multum se torsit Nauar. in d. cap. qualitas. sub num. 42. 43. 44. & 45. respondeo dupliciter. Primo, licere se naturaliter decipere, sumendo, licere, pro, permissum esse, & naturaliter, pro naturali corrupto: siquidem dupliciter consideratur natura; nempè, incorrupta, & corrupta, vt explicaui sup. q. 1. num. 48. & 49. est ergo sensus illius legis, vt quilibet, natura iam corrupta, naturaliter appetat vili emere, & carè vendere; vnde habetur Prouerb. 20. nu. 14. *malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur*. huicque appetitui lex positiua occurrere non potest, nisi destruat commercia, sine quibus tamen humana societas non consistit, per ea, quæ dixi ead. q. 1. num. 68. quapropter lex cogitur permittere, vt homines se naturaliter decipiant, vt dixi nu. seq. vers. ratio. hæcq; responsio in effectu est doctissimi Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. rest. q. 32. vers. nec obstat. col. 3. fol. 238. Secundo respondeo, quòd ille text. intelligitur de circumuentione intra latitudinem pretij, vt, citato Couar. respondet Leonar. Less. d. cap. 21. num. 23. sed hæc responsio reprobatur, & male pro ea citatur Couar. vt patet ex his, quæ scripsi sup. n. 4. vbi videas.

Ad Gersonis opinionem respondeo, quòd etsi aliquibus casibus, de quibus infra ampl. 19. nu. 98. & 100. possit tuta consciẽtia retineri etiam acquisitum cum peccato, tamẽ id est vel propter reciprocam turpitudinem, vel propter assistentiam consensus; quod non est in casu nostro, quia excessus inter pretium, & rem venditam nõ habet turpitudinem ex parte læsi, minusvè eius consensum, quia non intelligitur donatus, sed datus titulo emptionis, & venditionis, & qui dat eiusmodi titulo, intelligitur dare, seruata æqualitate inter pretium, & rem, per ea, quæ dixi infra §. 3. gl. 3. num. 51. ideoq; ille excessus censetur contra dantis voluntatem extortus.

Et quia hæc æqualitas, vt plurimum, non seruatur, hinc ementes, & vendentes facilè peccant, vt ex sacra scriptura deduxi supra q. 1. sub num. 77. quia rari inueniuntur, qui suam conditionem, dum contrahunt, meliorem facere studiosè non curent; &, ea facta, non glorientur, vt retuli supra vers. ad comprobationem. & rariores inueniuntur, qui restituant; vnde cogor admonere nos, vt, quantum possumus, abstineamus à negotiatione, & ab emptione & venditione, & vbi societatis humanæ necessitate compulsi cogimur emere, & vendere, suadeo, vt omnino caueamus, ne alterum lædamus.

Verũ, quia iniusta videretur lex, quæ societatẽ humanã sine vẽditionis, & emptionis

commercio consistere non posse videret, & tamen hoc commercium sub ineuitabili angustaret peccato, per ea, quæ scripsi supra q.1.num.73.ideo illud, etiam interueniente læsione, sub duplici conditione sine vllo salutis æternæ dispendio concedit; prima est, quando læsio ignoranter interuenit, vt dixi infra num. 52. secunda est, quando res venalis haberet incertum pretium, ideoque variũ,& difforme, quod euenire solet, vel ex qualitate rei, vel ex qualitate temporis, aut loci, vel ex copia, & inopia, & ideo vsus, & cõsuetudo videretur admittere quodcũque pretium, dũmodo non sit notoriè iniustum, ita vt pretij latitudo se vsque ad notoriam iniustitiam exclusiuè extendat;quasi,exclusa notoria pretij iniustitia, res tanti valeat, quanti vendi potest: hoc enim casu arbitrarer, quòd quamuis emptor crederet, venditorem esse læsum, vel è conuerso venditor crederet,læsum esse emptorẽ,(si læsio dicenda sit) tamen esset tutus etiam in foro consciẽtiæ, dũmodo absit omnis dolus,& fraus, & conscientia non remordeat, quia ob prædictas qualitates, & pretij difformitatẽ hanc credat esse veluti iustam pretij latitudinem.

Ratio diuersitatis, quare tàm lex ciuilis, quàm canonica toleret læsionem, quam non toleret lex conscientiæ, idest, lex Dei, est, quia lex humana datur populo, in quo sunt multi, qui deficiunt à virtute, ideoque satis est eos temperare, & coercere à vitijs, & malis, quæ exteriora apparent, & ad societatis humanæ perniciem tendunt; at lex conscientiæ datur viris virtuosis, ideoq; respicit tàm extra, quàm intra; Vnde lex humana tolerat læsionem vsque ad certum modum, & in qua non appareat de fraude, & dolo, non iudicans de occultis, quæ ad humanæ societatis perniciem non apparent, at lex diuina, respiciens etiam occulta, & virtutem, nullam tolerat læsionem, D. Thom. 2.2.q 77.art.1.vers.ad primum ergo. quem sequuntur Cæpol.vbi sup.num.57. B.Ioan.à Capistr.tract.de vsur. par.2. secundæ partis princip.num.39.tom.7.fol.105. & Iodoc.d. tract.de subhast. cap.5. sub num.32. tom.6. par.1.fol.82. & quòd lex humana nõ omnia prohibeat, quæ sunt contra virtutem, neque perfectum faciat hominem, prout facit lex diuina, quia legi humanæ sat est quietam, & tranquillam hominum societatem conseruare, cætera verò iustissimo Dei iudicio referat, scribit Boninseg. tractat. de vendition. ad tempus, cap. 5. num. 10.

45 Retenta ergo declaratione.

Infero ex ea, & simul corroboro rationem, quòd lex humana dimittit aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ vtilitates impedirentur, si omnia peccata, pœnis adhibitis, districtè prohiberentur, vt dicit D.Thom. infra citatus.

Primo ergo lex ciuilis permisit, seu concessit vsuras, non quasi existimans, eas esse secundum iustitiam, sed, ne impedirentur vtilitates multorum, D. Thom. 2. 2. q. 78. art.1.vers.ad tertium. Card.de Turrecrem. in cap. quid dicam. sub num.1.& 2. in 2.respons.14.q.4. Io. à Capistr. vbi sup. Medin. d.q.32.col.4.vers.secundo opponunt. versus finem, fol. 238.& Boninf.tract.de vendit.ad temp.cap.3. num.2. in fine, num. 3. & 4. & num. 11. in fine, sed permisit solum, dimittendo,seu indulgendo pœnam,non culpam, quia culpam indulgere non potest; aliquando enim minus malum toleratur, vt euitetur maius, sed tamen tolerantia indulget solum veniam pœnæ, non autem culpæ, cap.6. denique. dist. 4. & ita benè declarat Io. Andr. in cap.peccatum. num.17. q. 3. & sub num. 19. & 23. de reg. iur. in 6. quod repetit per appendicẽ,ad cap.possessor. & latius Molin. de iust.tom.2.de contract. disput.304. vers. quoad ius cæsareũ.col.236.dicens,quòd ius cæsareum non solum permittebat vsuras in hoc sensu, quòd crimen illud non puniebat (eo pacto, quo inter Christianos meretricium ad maiora mala vitanda permittitur) sed etiam in hoc, quòd quarundam vsurarum, semel solutarum, repetitionem non concedebat; atque item in hoc, quòd ad exigendas vsuras quasdam, lege concessas, actionem concedebat. Sed Boninf.d.cap.3. num.4.& 10.consentit quidem in hoc,quòd ius ciuile non approbet vsuras, dicens, quòd imò esset hæresis, si diceremus, quòd leges ciuiles permittunt vsuras,tanquam licitas:at postea num.5.6.& seqq.dissensit in reliquis, dicens, quòd lex ciuilis permittit vsuras, quia eas non punit,neque in vsurarium animaduertit, & actionem in iudicio ad repetendum non denegat, neque etiam ad soluẽdas iniquas vsuras cogit. Sed hoc Boninsignij postremum dictum, quòd non deneget actionem ad repetendum, & non cogat ad soluendum vsuras, quas permitit, non approbo, nec insisto, tu vide text. in l.3. C.

de

de vsur.& Doct. & quòd consuetudo nutritiua vsurarum non sit consuetudo, sed corruptela, quæ quamuis in iudicio non puniatur, tamen secundum conscientiam sit iniqua, vsuraria, & ideo detestabilis, & ideo licet aliquis contractus, qui sit vsurarius, &, quia fuerit vsitatus in prouincia, admittatur in iudicio tanquam licitus, tamen quoad Deum, & in foro conscientiæ remaneat vsurarius, quia leges, & iura non omnia peccata puniunt, & aliquando mitius plectunt grauiora, quàm leuiora delicta, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 8. q. 6. col. 645.

Aduerte primo, vlterius declarando, quòd Doct. tractando, an vsuræ sint de iure ciuili prohibitæ, varijs, & differentibus loquuntur terminis: aliqui enim dicunt, esse de iure ciuili permissas: aliqui, modestius loquendo, dicunt, non esse prohibitas, tametsi deberent omnino prohiberi: aliqui verò dicunt, prohibitas esse etiam de iure ciuili, vt refert Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 1. num. 6. vers. quod verò. quod dixi etiam in seq. secunda aduertentia: aliqui verò dicunt, eas à iure ciuili non solum esse permissas, sed etiam, vti licitas, esse approbatas, & hoc tenet Couar. sub d. nu. 6. vers. ego sane. hasq; varias opiniones recenset etiam, & confutat Io. Bapt. Lup. in l. curabit. in 1. comment. §. 3. nu. 16. 17. & 18. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 115.

Aduerte secundo, quòd hæc vsurarū concessio, seu tolerantia, quæ procedebat à legibus Imperatoris, fuit ab eodem Imperatore virtualiter reuocata in Auth. de ecclesi. tit. & priuil. coll. 9. initio, vbi Imperator mandat, seruari omnia statuta in Concilio Nicæno; sed Concilium Nicæn. prohibet sub pœna vsuras, cap. 2. quoniam. dist. 47. & cap. 8. quoniam. 14. q. 4. hancq; aduertentiam tradit Gl. 1. in cap. 11. quid dicam. d. 14. q. 4. & latè, articulo explanato, Io. de Anan. in cap. 3. quia in omnibus. sub num. 16. præsertim ibi, patet ergo ex prædictis. de vsur. & ideo vsuram esse prohibitam etiam de iure ciuili, reiecta consideratione, an vsura sit, vel non sit infra legitimum modū, sequitur ex communi opinione, reiecta contraria opinione etiam communi, Clar. recept. sent. lib. 5. §. vsura. vers. difficultas est. Contra hanc aduertentiam sequitur Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 304. vers. doctores. col. 237.

Sed quicquid sit de veritate huius aduertentiæ, certum est hodie, quòd hæc tolerantia cessat, quia iure pontificio abrogatæ sunt leges ciuiles, quæ vsuram permittebant, vt retuli supra ampl. 8. num. 44. ideoq; hodie etiam in foro seculari datur actio ad repetendas vsuras solutas, Molin. d. disput. 304. vers. erant verò. col. 237. & dari in praxi sine vlla dubitatione actionem ad repetendum, patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. nu. 332. & 334. & alibi sæpe; & ita, remota omni controuersia, consuetudo vlterius vsurarium punit etiam in foro seculari, vt secutus sum infra ampl. 20. num. 30. quod non esset, si vigeret tolerantia.

Quicquid in contrarium dixerit Couar. d. cap. 1. sub num. 6. vers. ego sanè. dicens contra communem Doctorum sententiam, quòd ex admissione Concilij Nicæni vsura non est reprobata.

46 Secundo permittit, seu tolerat prostibula, & meretrices, vt ex Sot. retuli infra §. 3. gl. 3. sub nu. 46. & ostendit consuetudo; quare adulterium, cum cauponæ ministra commissum, non punit, l. 29. quæ adulterium. in fine, C. ad l. iul. de adult. *hæ autem immunes à iudiciaria seueritate, & stupri, & adulterij præstentur; quas vitæ vilitas dignas legum obseruatione non credidit*; & proinde Loth, volentibus sodomiæ vitium committere, fornicationi proprias filias obtulit, vt ita maius euitaret malum, vt habetur Genes. 19. & in cap. 1. quod ait. dist. 14. par. 1. & cap. 12. offerebat. 32. q. 7. hacq; ratione simplicem fornicationem non esse de iure ciuili prohibitam, sequitur, multis allegatis, Clar. recept. sent. lib. 5. §. fornicatio. initio, & vers. & in primis. & tamen fornicatio est peccatum mortale, vt retuli inf. ampl. 19. sub num. 98. & Medin. in loco supra proximè citato, qui loquitur de concubinatu.

Infero ex hac tolerantia, quòd locans domum meretrici, non peccat, si eam locat in ciuitate, & loco, in quo meretrices tolerantur, Nauar. in man. cōfess. cap. 17. sub n. 195. vers. respondimus quarto. ibi, contrarium. quem sequitur Lud. Lopez tract. de contrac. lib. 2. cap. 28. versus finem, in 4. dicto. & moueor hac ratione, quia alias sequeretur, quòd etiam Papa, & Respub. qui meretrices tolerant, & à ciuitate non expellunt, sed imò illis ciuitatem locare videntur, peccarent: secus est, si locaret in ea parte ciuitatis, in qua ciuitas non permittit meretrices habitare, quia sic locans, legem, & consuetudinem

dinem iustam transgreditur, Lopez. d. cap. 28. versus finem, in 3. dicto.

47 Tertio permittit præscriptionem cum mala fide, & tamen est peccatum, secundum ea, quæ scribunt Io. Andr. in cap. possessor. num. 35. in fine, & num. 36. de reg. iur. in 6. Medin. in loco, supra proximè citato, & alij communiter in diuersis locis.

48 Quarto tolerat vsuras iudæorum, vt dixi infra §. 3. gl. 3. num. 44. 45. & 46. & tamen vsura est omni iure prohibita, vt dixi supra q. 1. num. 401. sed hæc omnia permittit, vt dixi, quoad veniam pœnæ, non autem culpæ; vnde in iure humano nunquam datur pœna sine delicto, sed datur aliquando delictum sine pœna, vt scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 71. sub num. 3.

49 Cæterum hæc omnia punientur à lege diuina, vt dicit D. August. lib. 1. de lib. arbit. quem referunt Io. Andr. in d. cap. possessor. sub num. 36. & in cap. peccatum. seu appendice ad d. cap. possessor. num. 28. in fine, de reg. iur. in 6. & Sor. de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 6. in fine initij, col. 1. fol. 43. *lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedit, & impunita relinquit, quæ per diuinam prouidentiam vendicantur.*

50 Verum & lex diuina, idest, DEVS, qui erga nos charitate, misericordia, & amore exardet, pœnitentiam expectans, punitionem differt, aliàs, si statim nostra peccata ex iustitia puniret, quis nostrum viueret? iuxta illud Ouid. trist. lib. 2. egl. 1.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter; exiguo tempore inermis erit.

51 Subdeclara primò eandem secundam declarationem, distinguendo quatuor casus.

Primus casus est, quando interuenit deceptio ex re ipsa, & ex proposito, non tamen interuenit dolus partis; & isto casu procedit declaratio, vt hæc deceptio toleretur in foro contentioso, sed non in foro conscientiæ, quia in foro conscientiæ non debebat pati, proximum decipi, quem debet diligere, sicut se ipsum, Abb. in d. cap. 42. cum causa. versus finem, sub num. 4. in vltimo membro distinctionis, de testib. vbi sic declarat Innocentiũ, à nobis supra cit. nu. 42. & Abbatem refert Franc. de Aret. in d. cap. cum causa. sub num. 24. ibi, aliquando ille. vbi, declarando hunc casum, in quo interuenit deceptio re ipsa, & ex proposito, sed sine dolo, inquit, quòd si vendens sciit, rem valere minus tempore venditionis, & emptor ignorat, venditor non est tutus in foro conscientiæ, sed typographi errore legitur, *plus*, cum legi debeat valere, *minus*, vt hic legimus nos.

52 Secundus casus est, quando cessat non solum dolus, sed cessat etiam deceptio ex proposito, licet remaneat deceptio re ipsa; & isto casu concludo, non dari aliquod remedium citra dimidium iusti pretij, nec subesse aliquod peccatum, quia si nutriretur peccatum, ius canonicum daret remedium etiam in foro contentioso, Abb. sub d. num. 4. in 1. membro distinctionis, ibi, sed dic clarius. quem refert ibidem Franc. de Arer. sub d. nu. 24. ibi, aliquando dolus non inest. dicens propterea, quòd si vendens, credit, se vendere iusto pretio, & emptor similiter credit, se emere iusto pretio, vterque est tutus etiam in foro conscientiæ, licet alter eorum sit læsus, seu deceptus re ipsa. Et, quòd si dolus non ex proposito, aut ex intentione inciderit, sed quia contrahentes ipsi ignoranter decepti sunt, existimantes, illud esse iustum pretium, obseruari tunc debeat l. 2. C. de rescin. vend. hæcq; conclusio satis iustitiæ etiam in foro Dei accedat, refert Boninf. tract. de vend. ad temp. cap. 5. sub num. 11.

53 Aduerte, quòd etsi conclusio huius secundi casus esset vera; illius tamen ratio, quam Abb. adducit, videlicet, quia, si adesset peccatum, ius canonicum daret remedium etiam in foro contentioso, quam rationẽ in alio proposito adducit etiam in cap. 8. quia plerique. sub nu. 25. q. 7. de immun. eccles. est falsa, vt patet ex his, quæ secutus sum supra sub nu. 5. extens. 3. & se conquassat cum his, quæ ex eod. Abb. & alijs secutus sum supra num. 41. decl. 2. & hic in præcedenti casu, in quibus locis apparet, quòd ius canonicum non dat remedium in foro contentioso.

Extende hanc conclusionem, vt sit tutus non solum, durante ignorantia læsionis, quia hoc non habet dubium, cum deficiat voluntas, sed sit tutus, etiam superueniente scientia læsionis, quia licet superuenerit, tamen non tenetur nec in foro fori, nec in foro conscientiæ ad aliquam restitutionẽ, Franc. de Aret. vbi sup. quem sequitur Ant. Burg. in cap. cum dilecti. sub nu. 22. in 3. cas. princ. de emp. & vendi. inter Repet. tom. 4. fol. 255. & hoc idem tenet Io. Crot. in cap. in ciuitate. nu. 24. & seqq. de vsur. eod. tom. fol. 366.

Ratio

Ratio huius extensionis est, quia sicut, completa præscriptione cum bona fide, & iusto titulo, qui præscripsit, est tutus etiam in foro conscientiæ, quamuis deinde superueniat scientia rei alienæ, vt secutus sum infra ampl. 17. sub nu. 26. ita etiam postquam lex ex contractu, bona fide inito, transtulit in contrahentem dominium rei, contrahens tuta conscientia retinebit illud dominium, quamuis superueniat scientia, quæ si fuisset ab initio, dominium non fuisset translatum cum pace conscientiæ.

Contra hanc extensionem, nempè, quòd statim atque contrahens agnouerit, se pluris vendidisse, seu minoris iusto pretio emisse, etiam citra dimidium iusti pretij, teneatur supplere, seu restituere, scribunt Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 22. vers. è contra. & vers. seq. col. antepenult. fol. 177. Nauar. in cap. 2. qualitas. num. 31. vers. infertur tertio. 34. q. 3. de pœnit. dist. 5. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. controu. 18. sub num. 1. vers. primo cum, fol. 70. &, testando de communi opinione, scribit Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 4. sub num. 11. vers. quinto quòd. versus finem, & quòd, non restituendo, peccet venialiter, seu mortaliter, iuxta quantitatem læsionis, tenent omnes Theologi, vt testatur, & sequitur Mich. Sal. d. art. 1. controu. 17. num. 2. vers. sequitur. iuncto vers. præced. fol. 67. hancq; opinionem in effectu tenet ipsemet Abb. in hoc propterea sibi parum constans, in cap. 8. quia plerique. q. 9. num. 28. & 30. de immun. eccles. quem secutus sum infra ampl. 19. num. 78. & ita, cum, firmando contra Franc. de Aret. Ant. de Burg. & Gomez. citat Couar. in loco, supra prox. citato; & ita, reprehendendo eosdem Franc. de Aret. & Ant. de Burg. tenet Nauar. in cap. nouit. nu. 53. de iudic. quem sequitur Mich. Sal. d. controu. 17. sub num. 2. vers. qua de causa. & pro hac contraria opinione adde quæ scripsi d. ampl. 19. num. 78.

Ratio huius contrariæ opinionis est, quia in eo, quod deest iusto pretio, deficit consensus veri domini, cum supponamus ignorantiam, quæ excludit consensum, quo excluso, retentio est iniqua, vt dicit Couar. in loco supra proximè citato, seu est similis furto, vt scribit Salon. d. controu. 17. num. 2. vers. sequitur.

54 Tertius casus est, quando vterque sciebat valorem rei venditæ; & tunc similiter nullum est peccatum, licet res sit vendita maiori, vel minori pretio, quia illud plus videtur donatum, Abb. in d. cap. cum causa. in fine, & Franc. de Aret. num. 24. in fine, de testib. &, quòd isto casu volens venire contra voluntatem, non audiatur, quia illud censetur donatum, scribit Ant. Burg. in cap. cum dilecti. num. 18. vers. primus casus. de empt. & vendit. & confirmatur hoc ex his, quæ scripsi supra sub num. 5. vers. restringe primo. il 1.

55 Quartus casus est, quando interuenit deceptio re ipsa dolo partis, quia induxit dolosè ad vendendum pro minus iusto pretio; & isto quatto casu concludo, quòd competit remedium etiam in foro contentioso pro deceptione etiam citra dimidium iusti pretij, Abb. in d. cap. cum causa. versus finem, sub num. 4. ibi, item ex alio. & in 2. membro distinctionis, & latius Franc. de Aret. sub nu. 24. vbi, declarando hunc casum, inquit, quòd dolus dicitur dare causam contractui, seu incidere contractui, & ideo tàm in foro contentioso, quàm in foro conscientiæ contractum esse rescindendum, seu satisfaciendum parti læsæ, quando vendens decepit emptorem, mentiendo de qualitate rei, vel tacendo aliquid, & occultando circa rem, propter quod res pluris venditur; & idem, testãdo de communi, scribit, & sequitur Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 4. sub nu. 11. vers. quinto quod. in fine, dicens, quòd omnes conueniunt etiam in foro exteriori, contractum esse rescindendum, vel læsionem tollendam, etiam intra dimidium, si dolo ex proposito contigerit, & quòd in hoc nulla contingit dubitatio; & huius quarti casus conclusionem latius firmaui supra nu. 7. & 8. subdecl. 1.

56 Subdeclara secundo eandem declarationem, vt ad cognoscendam pretij iustitiam, seu iniustitiam etiam in foro conscientiæ, duos habeamus modos: Primus modus est, vt perquiramus, an pretium, de quo ageretur, sit à lege, vel statuto taxatum; quia si est taxatum, illud dicitur iustum, & ita iustum, vt nec modicum vltra illud liceat accipere, Cæpol. tract. de simulat. contract. nu. 69. vers. dubitatur. tom. 7. fol. 5. &, quòd vbi pretium lege positum est, vt puta, quòd modius aue tritici, aut vini, aut vlna panni vendatur decem, tunc nec vnius oboli accessio licita sit, sed sit peccatum mortale, si excessus notabilis augeatur, obnoxiumq; restitutioni,

tioni, &, si excessus sit perexiguus, sit veniale, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 2. in fine, fol. 567. & æquipararem taxationem, factam à lege, & factam à consuetudine, quia consuetudo est lex non scripta, & ideo sicut arbitrium iudicis cessat in decisis à lege, ita etiam cessat in decisis à consuetudine, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 12. sub num. 86. Secundus modus est, vt, non reperta taxatione legis, attẽdamus, an agatur de pretio rei mobilis, vel de pretio rei immobilis: nam in re mobili iustum pretium dicitur illud, quod communiter à non constituto in ægestate reperitur similis rei; & sic res tanti valet, quanti communiter vendi potest non constituto in ægestate, & intelligenti, & scienti conditionem rei, & habenti ætatem perfectam, & plenum iudicium, vt latè declarat Cæpol. vbi supra nu. 71. & seqq. & est attendendum pretium loci, in quo agitur, quia scimus quàm varia sint pretia rerum per singulas ciuitates, regionesque, maximè vini, olei, frumenti, & similium, l. 4. ideo in arbitrium. ff. de eo, quod cer. loc. In re verò immobili non potest dari certa doctrina, qua cognosci possit punctualiter iustum, & iniustum pretium; vnde erit recurrendum ad pretium, quo eo in loco solet vendi pertica illius terræ, vel canna parietis, & siti; si sit domus; & ad fructus, qui indè percipi solet; demum aduertendum est, quòd vbi à lege pretium non sit taxatum, iniustitia pretij cognosci non potest, nisi sit in magno excessu, quia in parua quantitate non potest dari certus ordo, & vnus æstimaret pluris, & alius minoris, & pretia rerum variantur, & ab istis in substantia non videtur discedere Cæpol. d. tract. de simulat. contract. num. 78. & quòd iustum pretium rerum non sit punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistat, ita quòd modica additio, vel minutio non videatur tollere æqualitatem iustitiæ; & secundum legem diuinam teneatur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum, scribit D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. vers. ad primum ergo. Iodoc. tract. de subhastat. cap. 5. sub num. 33. & 34. tom. 6. par. 1. fol. 82. † sed

57 quomodo probetur valor rei immobilis, latè prosequitur Io. Bapt. Lup. in l. 2. §. 5. per totum, C. de pact. int. empt. & vendit. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 132.

58 Infero ex hac subdeclaratione, quòd in hac iusti pretij difficili cognitione relinquendum est hoc negotium contrahentium conscientiæ, vt qui eorum remordentem habeat conscienriam de alterius læsione, consideratis laboribus, & impensis, teneatur omnino restituere, quia eum nec lex ciuilis, nec canonica tuetur, Iodoc. tract. de subhastat. cap. 5. sub num. 34. versus finem, tom. 6. par. 1. fol. 82.

Explica vlterius eandem secundam subdeclarationẽ in primo modo, vt, taxato à lege pretio rei mobilis, ad victum, & vestitum necessariæ, venditori non liceat vendere carius, testibus his, quos, loquendo in foro conscientiæ, secutus sum supra num. 56. &, loquendo indistinctè, Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. princip. num. 31. tom. 6. par. 1. fol. 53 sed vilius licet ei vendere, vt, citatis iuribus, quæ tu poteris videre, scribit idem Fab. eod. num 31.

Sed si lex aliquo casu statueret, vt venditori liceret carius vendere, sed emptori non liceret vilius emere, seruanda esset lex, vt in contractu census scripsi infra num. 69. 70. & 81.

59 Subdeclara tertio, vt pretium iustum possit esse triplex, nempe, summum, medium, & infimum, vt secutus sum infra num. 101. restrict. 2.

60 Subdeclara quarto, vt pretium iustum cuiusque rei sit illud, quod correspondet bonitati rei, impensis, labori, periculis, & industriæ venditoris, ac alijs, de quibus scripsi sup. q. 1. num. 436. nulla habita consideratione futuræ vtilitatis, quam peculiariter percepturus est ipse emptor propter aliquam particularem qualitatem, quam habet; quia etsi respectu ipsius emptoris res valeret pluris, quàm sit æstimatio communis; tamen debet ei vendi æstimatione communi, & non pluris, alias illud pretium maius esset illicitum, vt ex D. Thom. sequuntur B. Io. à Capistr. tract. de vsur. in 2. par. secundæ par. princ. sub num. 38. tom. 7. fol. 105. & Franc. de Aret. in cap. 42. cum causa. sub num. 27. ibi, si verò aliquis vendat. de testib. quod etiam aduertunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 3. art. 1. col. 4. conclus. 4. fol. 571. & Nauar. in man. confess. cap. 23. sub nu. 78. vers. secundo quod. ibi, secundum quos vtilitas. quia pretium datur propter rem vendentis, non autem propter vtilitatem, quæ emptori prouenit ex persona, & conditione sua, quia illa vtilitas non dicitur res venditoris, neque

tradita à venditore, quia non erat penes eum, Aret. & B.Io à Capistr.vbi supra, & in alio proposito ex Mich. Sal. secutus sum S. seq.gl.3.sub num. 101. vers.secus. venditor igitur non potest augere pretium ex rei vendendæ vtilitate, quæ procedat ex qualitate emptoris;& proinde vendens in massa vnam vnciam auri aurifici, qui ex eo facit aliquod ornamentum, & aliam vnciam auri alchymistæ, qui veram sciat alchymiam; non potest carius vendere alchymistæ, quàm aurifici, licet illa vncia auri longè vtilior sit alchymistæ, quàm aurifici.

61 Verum tamen est, quòd iste emptor, qui multum iuuaretur, & emeret ab eo,qui non cogebatur vendere, posset propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad eius honestatem, quia in amicitia vtilis recompensatio deber fieri secundum vtilitatem, quam consecutus est ille, qui beneficium suscepit, quæ quidem quandoque excedit valorem rei datæ, vt ex Arist.sequitur B.Io.à Capistr.d.tract.de vsur. in 2. par. secundæ par. princ. num.38. in fine, tom. 7. fol. 105. & breuius ex D. Thom. adducit Card.de Turrecrem.in cap.si quis vsuram vers.ad secundum. in fine, num. 4. 14. q. 4. dicens, quòd emens, qui ex re empta multum iuuatur, potest propria sponte aliquid vẽditori supererogare,quod pertinet ad eius honestatem, & Sot.d.conclus.4. dicens, vrbanum esse,vt eiusmodi emptor gratias venditori rependat; quia etsi in commutatiua iustitia rerum tantum æqualitas pensetur,tamen in amicitia vtilitas per donum gratificum rependitur.

62 Restringe hanc subdeclarationem, vt non procedat, quando venditor non erat alias pro iusto pretio venditurus, vt puta, ego codicem,in quo à pueritia studui,& memoriam collocaui, emo propter singularem affectionem plus iusto pretio, & venditor non erat illum venditurus, quia forsan non peccat, Anch.in cap.peccatum. num. 21. in fine, de reg.iur.in 6. & quòd si res, quæ venditur, cedat in detrimentum venditoris, qui multum illa re indigeat, tunc possit illa res vendi maiori pretio, quàm valeat, quia tali casu iustum pretium erit, vt non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit, scribit B.Ioan.à Capistr. dicta par. 2. secundæ partis princip. sub num. 38. & in alio proposito ex Caiet. secutus sum S. seq. gl. 3. sub num. 101. vers. subrestringe primo.

Extende nunc dicta supra num. 60. vt quemadmodum pretium rei vendendæ non debet augeri ex qualitate emptoris, ita etiã non minuatur ex qualitate venditoris; & proinde alchymista, qui veram conficeret alchymiam, non teneretur aurum verum, & bonum vendere viliori pretio.

63 Sed quid dicendum de damno passo?nunquid & eius ratio habenda sit; vt puta, cum mercator sine sua culpa iactum fecit,aut nauem aliquam onustam perdidit,vel incendio casuali pretiosa amisit?

Respondeo, habendam esse rationem, quia si negotiator conduceretur à Repub.licitè posset in conductione omnia talia metiri, & secundum illa omnia exigere mercedem ab ea. Igitur cum mercatori, seu negotiatori non satisfaciat Resp. poterit ipse sibi prouidere secundum condignum, Conrad. de contract.q.51.concl.1.in fine.

Contrarium est verum,quia inter circunstantias, ob quas mercator potest augere pretium mercium, vna est periculum, quod subit in illis mercibus transuehendis, seu conseruandis: vnde si periculum eueniat, non debet redundare contra Remp. sed contra se ipsum,qui periculo eas exposuit,Card. à Turrecrem.in cap. canonum. vers.secundo hic surgunt. num.9.14.q.4. & ita seruatur, quia sicut mercator potest lucrari vltra expensas, labores, & pericula; ita etiam debet posse perdere.

Et hæc de secunda declaratione, posita supra num.41.

64 Declara tertio, restringendo,vt non procedat,quando essemus in contractu census, societatis officij,& similibus, quos Princeps declarasset illicitos, quoties dans pecuniam ad emendum, seu contrahẽdam societatem, daret, seu, inquam, solueret minus pretio, taxato per Principem, seu Remp. quia isto casu nulla remanet difficultas, quòd, si census ematur, seu societas contrahatur pro minori pretio in quauis quantitate, etiam pro vno quadrante, contractus esset illicitus, quia vbi habemus casum legis, non oportet disputare, & cessant argumenta, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1.cap.63.sub num.1. vers.sed nimis.

65 Confirmatur hæc declaratio, quia vbi pretium à lege positum est, tunc nec vnius oboli accessio licita est, testibus his, quos secutus sum supra num.56.

Infero

Infero ex hac declaratione, sic confirmata, quòd vbi habemus pretium legale, cessat illa latitudo pretij, in qua continetur triplex pretium, vt declaraui infra num. 101.

66 Subdeclara hanc declarationem, vt illa minor iusto pretio solutio annullet contractum, & reddat illicitum, volente contrahente, cui maior solutio erat facienda; secus, eo nolente, quia illa nullitas est inducta eius fauore, cui, si vult, potest renunciare, per ea, quæ in æquiualentibus terminis secutus sum supra num. 10.

67 Declara quarto (& accedo ad terminos huius decimæ ampliationis) vt pretium cambij nundinarij, in quo supra num. 1. diximus, licere cambientibus se inuicem decipere, & lædere, dummodo læsio non excedat medietatem iusti pretij, non dicatur pretium, seu valor, quo emitur, & venditur scutus marcharũ, ita vt si scutus marcharum sit pro proximo foro appretiatus sol. 66. liceat eum vẽdere pro sol. 130. neque è conuerso emere pro sol. 32. quia hoc respicit pretium totius scuti, & non cambij, sed pretium dicatur illa pars, quæ in communi foro, & æstimatione minuitur de valore ordinario totius scuti; vt puta, scutus marcharum ex suo valore ordinario in ratione contrahendi cambium pro nundinis valet more cambiorũ Genuensium sol. 68. sed quando venditur, & emitur, valet minoris, vt puta sol. 66. d. 8. vel alio pretio, prout fuerit in communi foro æstimatum, licet in actuali solutione cambiorum semper valeat sol. 67. d. 4. monetæ aureæ, & sic d. 8. minus, quàm valeat scutus auri in auro quinque stamparum, prout hos omnes valores, & pretia scuti *de marche*, clarius, & latius explicaui infra §. seq. glos. 3. num. 69. finge nunc, quòd in Ciuitate Genuæ scutus marcharum in ratione cambiorum in communi foro sit appretiatus sol. 66. d. 8. & sic appretiatus sit solido vno, & denarijs quatuor minus quàm valeat; vtique pretiũ cambij dicentur hi solidus vnus, & denarij quatuor, qui detrahuntur, & sunt 16. denarij; & proinde læsionẽ in cambio metiẽtes ex solido vno, & denarijs quatuor in quolibet scuto marcharum, si scutus marcharũ vendatur sol. 66. den. 8. & adhuc denarijs 9. minus, idest, in totum sol. 2. & den. 1. minus, dicetur venditor læsus vltra dimidium iusti pretij.

68 Subdeclara, distinguendo duplicem speciem læsionis.

Prima species est, quando læditur is, qui emit scutos marcharum, idest, is, qui dat pecunias ad cambium.

Secunda species est, quando læditur is, qui vendit scutos marcharum, idest is, qui accipit cambio.

Capio primam speciem: & concludo indubitanter, quòd emptor, idest, is, qui dat ad cambium, potest à venditore licitè tàm in foro fori, quàm in foro poli lædi in pretio cambij, vendendo illi carius iusto pretio, ita vt, si iustum scuti marcharũ pretium sint sol. 66. den. 8. possit ei vendi pro sol. 67. siue 67. & 4. & ita practicatur passim, quando emptor emit à debitore idoneo, qui sit, vt loquuntur, *bona detta*, seu, *bona lettera*, quia is, vt habes in discursu, quem retuli infra §. 9. num. 40. scutum marcharum semper rationatur vno, vel duobus denarijs pluris, quàm sit iustum pretium, & sic vendit suum scutum marcharum pluris iusto pretio, & erubescerent *bone lettere*, vt audiui ab ipsis mercatoribus, accipere ad cambium pretio, quod vocant, *al conto*, quia semper pluris valet pecunia, debita ab idoneo debitore, quàm valeat pecunia, debita à malo debitore, vt ostendi hac ead. q. par. præcedenti, sub num. 77. vers. prima. num. 78. 79. & 80.

Ratio huius conclusionis, quare emptor possit licitè lædi in pretio à venditore, est, quia dans ad cambium, & sic emptor, videtur quodãmodo habere personam mutuantis, hacq; de causa, cum is sit creditor in capitali, & vlterius in aliqua accessione; cambij contractus inter Doct. & Theologos innumeris agitatur controuersijs, & consequenter sicut in contractu mutui non consideratur, sed toleratur læsio spontanea passiua in mutuatore, ita vt nulla inde resultet iniquitas, quia mutuum est contractus gratuitus; ita etiam non consideratur læsio passiua spontanea in eo, qui dat ad cambium.

69 Confirmatur hæc conclusio, quia hoc idẽ passim seruatur in contractu census: nã etsi à lege permissum sit, emi censum ad rationem decem pro centenario, vti iustum pretium, tamen potest venditor, lædendo emptorem, carius vendere; nempe ad rationem octo, septem, sex, & quinque, iuxta idoneitatem ipsius, qui vendit censum; si enim is habeat opes magnas, & tutas, & facilè ab eo census exigi possit, puta, quia sit aliqua vniuersitas, vel alius vndique idoneus futurus debitor, vtique is carius vẽdit, nẽpè, censum quinque scutorum vendet pretio scutorum centum;

centum, & sic emptor carius emet; secus si vendens non sit ita idoneus, quia vilius vendet, nempè, censum octo scutorum vendet pro pretio scutorum centum; quod idem videmus aliquando seruari in contractu societatis officij, quia si is, qui vult accipere pecunias ad societatē officij, sit facultatibus idoneus, inueniet eas ad rationem vndecim, & eò minus pro centenario, quasi lex in eiusmodi contractibus statuerit latitudinem pretij ad fauorem solum vendentis censum, seu accipientis pecuniā in societatē, ita vt quantumuis magna esset læsio contra ementē censum, seu dātem pecuniam in societatem, non propterea vnquam decernat contractum illicitum, prout decernit, quando læsio etiam modica esset contra vendentem, seu accipientem pecunias; quare Nicolaus V. in constitutione super censibus, annuendo Regis supplicationi, permittit Regnicolis in Sicilia contractum census, dummodo annuus census decimam partem principalis recepti, seu pretij, non excedat, idest, dummodo pretium non excedat decem pro centenario, quod idem Martinus V. & Calistus III. prædecessores disposuerant in eorum constitutionibus, quæ reperiuntur inter extrauagantes in tit. de empt. & vend. inter quas tamen non adest præfata Nicolai V. constitutio: disposuit ergo Martinus V. vt validus sit census ad rationem, & pro qualibet marcha annui census decem, vndecim, tredecim, quatuordecim marchæ, aut plus, vel minus secundum temporis qualitatem, prout ipsi contrahentes inter se conuenerant, cuius Martinianæ constitutionis verba hunc habent sensum, vt marcha vna census annui possit emi decem, vndecim, duodecim, tredecim, & quatuordecim marchis, quod idem est, ac si diceretur, annuum censum vnius aurei posse emi decem, vndecim, duodecim, tredecim, vel quatuordecim aureis, ac proindè annuum censum decem aureorum iustè emi centum aureis, vel centum & decem vsque in centum, & quadraginta aureos, vt, horum verborum mala quorundam interpretatione adnotata, aduertit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 8. q. 4. hæque constitutiones quoad pretium seruantur: & quòd pretium decem pro centenario sit iustum, sequitur Paris. cons. 75. omnis difficultas. num. 29. & 30. lib. 4. & post eum Surd. cons. 162. memini. num. 34. lib. 2. sed in Hispania legale, ideoque indiuisibile census redimibilis pretium ex Recompilatione noua legum Castellæ lib. 3. ita computandum esse, vt sorti 14. millium dupondiorum mille dipondia quotannis in pensione respondeant, scribit Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 58. vers. circa hunc. sicq; pretium legale secundum pragmaticam illius Regni sunt 14. pro vno, vt aduertit idem Lopez d. cap. 58. vers. porrò quia. & consequenter vna annua marcha auri non posset

70 emi minori pretio, quàm marchis 14. † vnde sequitur, quòd similes constitutiones, dum prohibēt, ne emptor possit cēsum emere minori pretio, & venditori permittunt, vt possit quouis maiori pretio vēdere, venditori soli, & non emptori prospexerint, quod etiā aduertit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. art. 3. tit. de censib. contr. 11. initio, fol. 473. & sic emptor in eiusmodi contractibus semper potest, vt dixi, in vtroque foro lædi.

Ratio est, quia, quantò maius est pretium, quo emptor emit censum, eò magis emptio distat ab vsura, siquidem vsura consistit in accessione ad capitale pecuniæ datæ, vnde quò minor est accessio, eò maior est distantia ab vsura; hincq; lex tolerat stipulationem pro minori quantitate, sed non pro maiori; & proinde, si tibi dedero decem, sic vt nouem debeas, non amplius ipso iure debes, quàm nouem, sed si dedero decem sic, vt vndecim debeas, amplius quàm decem condicere non possum, l. 11. rogasti. vers. si tibi dedero. ff. si cert. pet.

71 Sed in hac confirmatione illud obiter aduertam, quòd etsi constitutionis mens hæc videatur, & ita suadeat ratio, vt emptor census possit in pretio lædi, & non lędere, tamen in effectu, & attento vsu, videmus quasi totum oppositum, nempè, quòd emptor nunquam læditur, sed potius læditur venditor, quamuis pro scutis 100. vendatur annuus census scutorum sex; siquidem emptor in effectu emit fructus fundi, qui, deductis deducendis, vix solet reddere quinque pro centenario, & nihilominus emptor, complicatis contractibus, eosdem fructus retrouendit eidem venditori, taxato eorum valore ad rationem non quinque pro centenario, sed ad rationem sex, & vltra vsque in decem, vt explicaui supra q. 1. num. 174. & 242. sed qua tamen ratione eiusmodi excessus in taxatione possit tolerari, explicaui supra ampl. 8. num. 36. & 37.

72 Capio secundam speciem læsionis, quando

do læditur venditor, idest, accipiens cambio: & in hac specie concludo, læsionem non videri de iure tolerandam, quia in eiusmodi contractibus, nempè, cambij, census, societatis officij, &, si qui sunt similes, pretium legale intelligitur semper & adeo appositum fauore debitoris, vt creditori illud nunquam minuere liceat, per ea, quæ secutus sum infra num. 70. & eiusmodi læsioni applicari possunt quæ scribunt Nauar. in cap. nauiganti. vers. decimoquinto. num. 24. vers. vnde sequitur. & sub num. 76. vers. concludimus. ibi, secunda vt pro pecunia. de vsur. dicens, iniusta esse, & adeo mortifera, & iniqua, vt ad restitutionem obligent illa cambia, in quibus plus iusta mercede, campsor accipit, & eo iniquiora, quo plus ob temporis præfiniti productionem, ad soluendum concessam, recipit, & plus, & minus iusto pretio declarat, sumendo quoad hoc summum, seu rigidum, & infimum pretium, & Io. Bapt. Lup. eod. cap. nauiganti. §. 2. sub num. 34. ibi, ad vnum tamen aduertas. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 140. vbi, quòd ita tenent omnes.

Confirmatur primo hæc conclusio, quia idem dicimus in contractu census, & societatis officij, in quibus etsi venditor, seu accipiens pecunias in societate possint in pretio lædere ementem, seu dantem pecunias, vt dixi sup. sub num. 69. tamen ipse emens, siue dans pecunias non potest lædere venditorem, emendo minori pretio annuum censum, puta scutorum 11. pretio scutorum 100. quod satis colligitur ex constitutionibus citatis supra sub d. num. 69. nec is, qui dat pecunias ad societatem officij potest excedere vsuram centesimam, idest, annua 12. pro centenario.

Confirmatur secundo, quia in cambio, in quo interuenit diuersitas loci, aut temporis, semper inest tacitum mutuum, vt ex Medin. retuli supra q. 5. sub num. 1. & consequenter excessus pretij in eiusmodi cambio semper videtur vsurarius ratione mutui taciti, quare licet in aliarum rerum contractu, vt puta, in contractu emptionis, & locationis domorum, & prædiorum, in permutatione, in commodato, & similibus; læsio, & excessus simplex non inducat vsuram, sed remaneat in puris terminis simplicis læsionis, præsertim quando in contractu sit sine temporis dilatione hinc inde mutuũ adimplementũ; secus tamen est in contractu cambij, census, societatis officij, & similium, in quibus pecunia pecuniam negotiamur, capitali semper saluo, quia in istis reperitur materia apta ad vsuram, nempè pecunia pro pecunia, in qua mutuum præcipuam habet sedem, & in mutuo vsura: quare potest lex hos contractus ob solam læsionem declarare fœneratitios ad obuiandum vsurarum fraudibus.

73 Contra hanc conclusionem; quòd enim liceat campsori, qui dat ad cambium, lædere campsuarium, emendo minori pretio, quàm sit taxatũ, (quicquid dici posset disputando) seruat forsan vsus: & vsus ratio esset, quia cãbia haberent duplex pretiũ: primũ est illud, quod imponit mercatorum consulatus, & dicitur, *al conto*, vt latius explicaui supra q. 5. sub nu. 53. & hoc pretium inuiolabiliter seruatur in liquidandis interessibus eorum, qui negotiantur in cambijs contra morosos debitores, tàm pro creditore, quàm pro debitore, & ratò cãbientes contrahunt isto pretio: secundum pretiũ esset illud, in quo cambientes conuenirẽt, attento communi valore, & cursu fori, & hoc esset variũ, &, non distaret ab eo, quod est impositum à cõsulatu, nisi in modicissima quantitate; nẽpe in vno, duobus, aut quatuor denarijs, vt scripsi sup. sub n. 68. & d. q. 5. n. 70. quare sicut cãpsuarius, eò quia sit bona littera, potest scutum marcharum, qui sit appretiatus sol. 66. vendere maiori pretio, nempe sol. 66. & 4. vt dixi supra sub d. num. 68. ita è conuerso campsor eo quia campsuarius non sit bona littera, posset eundem scutum marcharum solidorum 66. emere minori pretio, nempè sol. 65. & d. 8. & ita eiusmodi læsioni potest applicari ampliatio, quam ex Cald. & Io. de Anan. posuimus supra num. 1.

Corroboratur hæc contraria opinio, quia mercator potest in cambijs lucrati, iuxta generalem consuetudinem, dummodo non excedat modum, Bal. & alij, quos secutus cutus sum par. præcedenti, num. 43. Ergo mercator potest, lucrando, lædere accipientem cambio, dummodo non excedat modum à generali, & rationabili consuetudine permissum.

74 Tenendo hanc contrariam opinionem, cum suppositione duplicis pretij, potest responderi adductis pro conclusione.

Ad Nauar. & Lup. respondeo, quòd contrarium tenent Calder. & Io. de Anan. quos secutus sum supra num. 1.

Ad

Ad primam confirmationem, respondeo, disparem esse rationem inter censum, & cambium, quia in censu supponimus vnicum pretium legale, quo, & non alio minori liceat emere censum; at in cambio vltra pretium, à consulatu impositum, supponimus aliud inferius pretium in communi foro receptum, quo campsori liceat marcharum scutos emere.

Ad secundam confirmationem, & sic ad Medin. respondeo, quòd licet Medin. consideret mutuum admixtum in eiusmodi cambio, quod propterea vocat cambium impurum, vt ex eo retuli d. quæst. 5. sub num. 1. nihilominus ex eiusdem Medinæ doctrina habemus, quòd non omnis excessus in eiusmodi cambio est vsurarius: aut enim excessus est propter mutuum admixtum; & tunc excessus, quantumuis paruus, est vsurarius: aut excessus non est propter mutuum admixtum, sed propter aliquam aliam causam; & tunc excessus, quamuis sit iniustus, non est vsurarius. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 3. vers. verum quemadmodum. col. 5. fol. 361. ob quas enim causas campsor possit lucrū licitè exigere, dixi par. præced. num. 44. & seqq. & in illis causis, si excederet, excessus esset iniustus, sed non vsurarius: & certè si adducta confirmatio esset vera, sequeretur, quòd omnis venditio, seu permutatio rerum mobilium, quæ mutuabilia sint, esset propter excessum vsuraria, cum in his confici posset mutuum: sed hoc consequens est falsum, quia licet possit esse peccatum, tamen non est vsura, cap. 6. in ciuitate. de vsur. etiam si venditio fiat cum dilatione ad soluendum: dummodo excessus non sit absolutè fundatus in dilatione, & ideo sit exclusum mutuum implicitum; & licet sit peccatum, vt dixi, tamen hoc peccatum datur etiam in excessu cuiusuis contractus, vt dixi sup. nu. 41. declarat. 2. admitto tamen, quòd lex ecclesiastica, ad obuiandum fraudibus vsurarum, posset declarare in foro fori aliquem contractum vsurarium, ex eo solo, quòd haberet excessum pretij cum dilatione temporis ad soluendum, sed non declarauit adhuc, quòd cambium sit vsurarium propter pretij excessum, soluendi cum dilatione temporis.

Quid firmandum? Dico, quòd, supposito altero pretio, & cum varietate, eo modo, quo dictum est sup. num. 73. opinio, illic adducta contra conclusionem, procedit sine difficultate. At non supposito hoc altero pretio, distinguerem duos casus principales.

Primus casus est, quando res, quæ venditur, potest esse melior, & potest esse deterior; vt puta, quia vnus debitor potest esse melior, seu deterior altero, ideoq; scuti marcharum possunt esse meliores, & deteriores, considerata qualitate debitoris, qui eos debet soluere, vt dixi hic supra sub num. 68. & isto casu distinguo adhuc inter forum interius, & forum exterius.

In foro interiori, discedendo à Nauar. & alijs, dicerem etiam, veram esse opinionem contra conclusionem; quòd danti ad cambium, licitum esset propter inidoneitatem debitoris transgredi pretium, à lege impositum, dummodo in conscientia probabiliter teneat, quòd etiam lex in particulari ita taxasset propter periculum, & verisimiles labores in exigendo illo cambio, vt & in mutuo dicebamus sup. q. 1. num. 493. & seqq. quia tūc cessant læsio, & excessus, in quo fundaretur iniquitas cambij, cum mali debitoris nomen non tanti valeat, quanti valet nomen debitoris boni, per ea, quæ scripsi ead. q. 1. num. 430. & seqq. & hac ead. q. par. præceden. num. 78. & 79. imò, quòd dans cambio ex obligatione præcedenti possit iustè accipere maius pretium, retuli sup. ampl. 3. sub num. 1. 4. & 5.

Nomen autem boni debitoris dicitur, quando debitor est non solum facultatibus idoneus, sed est etiam pacificus, veridicus, & timet Deum, & honorem; at è conuerso nomen mali debitoris dicitur, quando est rixosus, litigiosus, fraudolentus, sicarius, & Deum, & honorem non timet, quamuis facultatibus sit magis idoneus, quia, vt dicit Ecclesiastes 7. num. 2. *melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* & vt habetur Prouerb. 22. nu. 1. *melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* & Ecclesi. 41. num. 15. *curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.* & exornat Nauar. in man. confess. cap. 17. nu. 89. versus finem vers. his tamen. diceretur etiam nomē mali debitoris, quando debitor esset fortior creditore, quia difficilis esset exactio; *noli fænerari homini fortiori te; quòd si fæneraueris, quasi perditū habe.* Eccles. 8. n. 15. & facilè creditor succūbit, *& ditari te ne socius fueris: quid communicabit*

bit cacabus ad ollam? quando enim se collise-rint, confringetur, Eccles. 13. num. 2.

76 In foro autem exteriori dico, conclusionem esse veram simpliciter, quia lex fori contentiosi, ad tollendas fraudes, & lites; æqualiter existimat nomen mali debitoris, & nomen boni debitoris, & imputet sibi is, qui malo credidit debitori; & in hoc foro potest procedere, quod scribunt Nauar. & Lup. citati pro conclusione.

77 Secundus casus est, quando res, quæ venditur, non potest esse melior, seu deterior, sed necessariò est æqualis bonitatis, & pretium est impositum à lege certum, & determinatum, vt in cambio minuto, quod fit de pecunia præsenti, cum pecunia præsenti, æstimata à Principe, & isto casu dico, indistinctè pretium illud ad vnguem esse seruandum, & quemlibet excessum, quantumuis minimum, non esse tolerandum, & ideo nummularium excedentem teneri tàm in foro fori, quàm in foro poli ad restitutionem, non tamen est vsura, per ea, quæ dixi supra, & præsertim quia hoc casu nullum interuenit mutuum, nec explicitum, nec implicitum.

78 Ratio in vniuersum, cur in alijs venditionibus, pro quibus non habemus pretium, à lege taxatum, toleretur in foro fori læsio, non ascendens vltra dimidiam, vt dixi supra num. 1. & non toleretur in venditione, pro qua habemus pretium, taxatum à lege, est, quia in illis pretium habet latitudinem, ideoque difficile esset inuenire punctualiter iustitiam pretij, & consequerer de facili orirentur lites, & difficilè terminarentur; hacq; ratione in illis toleratur excessus, quasi certitudinaliter non possit de eo apparere, & propterea etiam in illis non toleratur, si excedat vltra dimidiam, quasi tunc possit de eo apparere; at è conuerso, quia, quando pretium est taxatum à lege, potest semper de illo certitudinaliter apparere, & consequenter faclè tunc esset dirimere litem, ideo nulla tunc toleratur læsio.

79 Retentis conclusionibus, superius firmatis; prima nempè, vt campsuario, accipienti pecunias ad cambium, liceat carius vendere scutos marcharum campsori, sicque eum lædere in pretio, vt explicaui supra sub num. num. 68. vers. capio primam. retenta etiam secunda, nempe, vt campsori, danti ad cambium, non liceat vilius emere scutos marcharum, nisi prout explicaui sup. num. 73. & 75. Restringe eãdem primam conclusionem, vt procedat, inspecta læsione infra dimidiam; ita vt, si scutus marcharum sit appretiatus pro sequenti proximo foro solidis 66. sicque sit appretiatus duobus solidis minus, quàm valeat scutus marcharum, non æstimatus pro cambijs; cum non æstimatus pro cambijs valeat sol. 68. vt dixi supra sub num. 67. campsuario licitum sit lædere campsorem, vendendo illi scutum marcharum sol. 67. & ita procedat conclusio, firmata supra sub num. 68.

Secus, inspecta læsione vltra dimidiam, quia pro eiusmodi læsione competeret campsori remedium d. l. 2. C. de rescind. vend. & proinde si campsuarius venderet ei scutum marcharum sol. 67. & d. 8. campsor, vt dixi, vti læsus vltra dimidium iusti pretij, posset agere ad rescissionem, seu supplementum, per ea, quæ, loquendo generaliter de quouis contractu, scripsi supra num. 3. & num. 5. extensi. 7.

Confirmatur hæc restrictio, quia etsi vendens annuum censum, possit, carius vendendo, lædere emptorem in pretio, vt explicaui supra sub num. 69. & 70. tamen, si carius venderet vltra dimidium iusti pretij, posset emptor ex remedio eiusdem l. 2. agere alternatiuè ad rescissionem contractus, vel ad supplementum iusti pretij; non enim reperio iure cautum, quòd præfatum remedium emptori, si sit læsus vltra dimidiam, sit in contractu census sublatum.

80 Verum, quando emptor census dicatur læsus vltra dimidiam cognosci non potest, nisi prius cognoscatur, quod sit iustum pretium census, cum non possit cognosci quanta si pars ad totum, nisi cognoscatur totum; & licet hæc cognitio non pertineat ad id, de quo modo agimus, tamen quia supra sub num. 69. & seqq. aliqua de censu opportunè scripsimus, censeo continuatiuè ad materiam vtile fore, vt obiter de pretio census, parum ab itinere discedendo, breuissimè scribamus: & in primis distinguendum est inter censum redimibilem, & censum perpetuum, cum census redimibilis pretium propter illam redimibilitatem semper minuatur, vt secutus sum supra ampl. 8. num. 37. & seqq. & consequenter eius pretium est minus, quàm sit pretium census perpetui; quare si census annuus vnius aurei redimibilis valeat 14. aureis, si erit perpetuus, valebit 28. seu 30. aureis, quia pretium census perpetui communi æstimatione solet esse duplo maius,

maius, quàm pretium census redimibilis, vt scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 17. q. 1. vers. in hac re. col. 839. sed decipitur Io. Azor. quia redimibilitas non minuit medietatem, sed solum tertiam partẽ, vt secutus sum sup. ampl. 8. n. 38.

Census perpetui pretium iustum quod sit, Doct. variè loquuntur; ex eorum tamen varijs dictis duas, quæ certiores, & veriores videntur, collegi cõclusiones. Prima conclusio est, quòd pretium iustum census perpetui est illud, quod impenderetur pro comparando fundo, vel possessione, quæ (defalcatis expẽsis, & laboribus pro cultura, & cura) redderet tot fructus, vel reditus, quorum valor æquiualeret annuæ pensioni pecuniariæ, quæ census pretio emenda est, vt ex Conrad. sequuntur Franc. Garcia de contract. cap. 28 sub num. 10. vers. alcuni dottori. & Lud. Lopez de contract. lib. 1. cap. 58. vers. regula. & hanc esse communem regulam ad cognoscendum valorem reditus, vt pretium, pro reditu datum, sit tantum, quo possit quis in patria illa possessionẽ aliquam emere, quæ (deductis laboribus, & expensis) possit tantam possidenti commoditatem dare, quantus est reditus, cum illa pecunia emptus, testatur, sed dicit, non esse omnino firmam, & certam regulam Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquisit. q. 12. vers. ad secundum. col. antepenult. fol. 401. & licet annui reditus perpetui iusta æstimatio non sit similis prædiorum æstimationi, quæ ex fructibus eorum deducitur; verumtamen negari non posse, optimam esse rationem dijudicandi iustum pretium reditus perpetui per similitudinem, & proportionem iusti pretij fundi, similem reditum communiter (deductis expensis) ex fructibus afferentis, scribit Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 9. sub num. 5. Secunda conclusio est, quòd, cum prædicta regula, etsi rationabilis sit, non sit tuta, per ea, quæ adducunt Medin. & Couar. in locis supra proximè citatis, iustum pretium æstimatur illud, quod regionis moribus cõmuniter est receptum, Medin. vbi supra. Extra autem has duas conclusiones variæ sunt circa iustitiam pretij census perpetui opiniones, quas latè, & distinctè recensent Couar. d. cap. 9. num. 5. & seqq. & Io. Bapt. Lup. in l. 2. §. 2. sub num. 44. & 45. & seqq. vers. infertur. C. de pact. inter empt. & vend. commen. 2. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 129. & confusè, non distinguendo inter censum perpetuum, & redimibilem, Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 6. num. 17. & seqq. vers. quod autem. & Foller. tract. de censib. in verbo, vidistis enim. num. 1. & seqq. tom. 6. par 2. fol. 153. vide eos.

81 Census autẽ redimibilis iustũ pretium duplex statuitur: negatiuũ scilicet, & affirmatiuum: negatiuum est certum, & determinatum, quod si non obseruaretur, contractus census non teneret; & hoc pretium sunt decem pro vno, ita vt annuus census vnius, si emeretur minori pretio, quàm decem, census non teneret, quia Nicolai V. constitutio concessit contractum census, dummodo annuus census decimam partem principalis recepti non excedat, vt retuli supra sub nu. 69. & illa dictio, *dummodo*, qua præfata constitutio iteratò vtitur, importat conditionem, seu formam, per ea, quæ scribit Tiraq. de retr. lignag. §. 8. gl. 8. num. 1. ita vt si id, quod illa dictione adijcitur, non seruetur, actus ruat, Stracch tract. de mercat. par. 4. tit. mand. num. 8. tom. 6. par. 1. fol. 300. & Pij V. constitutio de censibus, quam hodie seruamus, nihil circa census pretium disponit, vt aduertit etiam Nauar. in cap. si fœneraueris. sub num. 104 in 3. q. 14. q 3. ergo præfata Nicolai constitutio circa pretium remansit: pretium affirmatiuum habet latitudinem; potest enim census annuus vnius emi, non solum decem, vt dixi, sed vndecim, duodecim, tresdecim, & quatuordecim, & plus, & minus, secundum temporis qualitatem, & prout partes fuerint concordes, & sic scuti 10. annui reditus non possunt emi minori pretio, quàm scut. 100. sed benè possunt emi maiori, nempè scut. 110. vsque ad scut. 150. vt scripsi supra sub d. num. 69. & ita in effectu consentiunt Virg. de Boccat. tract. de censib. par. 3. nu. 50. vers. iustum. & Io. Azor. d. tit. de censib. cap. 21. vers. quarto quia. & seqq. col. 850. & cap. 8. q. 4. col. 827.

Et ita pretio census constituto, tres elicio opiniones, quanta debeat esse læsio in pretio census, vt dicatur vltra dimidium: Prima sit opinio, quòd emptor census dicatur læsus vltra dimidium iusti pretij, quando annuum censum scutorum 10. emeret scutis 151. seu annuum censum scutorum quinque emeret scutis 76. & huius opinionis fundamentum est, quia læsio vltra dimidium iusti pretij in emptore consideratur, quando iusto pretio additur medietas illius pretij iusti, & aliquid vltra; vt puta, si pretium iustum sint 10. &

emptor soluat 16. & sic soluat vltra tertiam iusti pretij, vt ex communi opinione secutus sum sup. nu. 6. restr. 2. in fine; vnde censendũ est, quòd Nicolaus V. in citata constitutione non alia ratione statuerit, annuum censum scutorum decem posse emi scut. 100. vsque ad scut. 140. & pluris; (quod ego intelligo vsque ad scut. 150. & non vltra) quia si expressisset, quòd posset emi etiam vltra scut. 150. videbat, quòd quodammodo erat emptio cum læsione vltra dimidium; & sic Nicolaus V. videtur secutus opinionem, quam vltimo loco retuli d. nu. 6. in fine. Secunda sit opinio, quòd vltra dimidium dicatur, quando census scutorum quatuor emeretur scutis 100. quia cum annuus census scutorũ 10. possit emi, vti iusto pretio, scutis 100. sequitur, quòd si emptor eodẽ pretio scutorũ 100. emerit censum scutorum quinque, diceretur læsus solum vsque ad dimidium, & non vltra; secus autem si emerit censum scutorum quatuor, quia tunc esset læsus vltra dimidium iusti pretij, quia soluisset duplicatum pretium, & vltra; si enim scutis 100. potest emi census scutorum decem, vtique scutis 50. potest emi census scutorum quinque: ergo si pro censu scutorum quatuor soluit scut. 100. soluit vltra duplum, hæcq; secunda opinio procedit, attenta illa prima opinione, quam retuli sup. d nu. 6. in fine. Tertia sit opinio, quòd dicatur vltra dimidium, quando annuus census scutorum duorum, & iuliorum quatuor emeretur scutis 100. quia si annuus census scutorum quinque potest emi scut. 100. vti iusto pretio: ergo tunc dicetur emptus cum læsione vltra dimidium, quando eodem pretio scutorum 100. erit emptus annuus reditus scutorum duorum & iuliorum quatuor, quia læsio vltra dimidium stabit in vno iulio.

Sed tria sunt adnotanda, & sum expeditus à tota restrictione.

Primum, quòd; quicquid sit de veritate harum trium opinionum; secunda (nempè, quòd, empto annuo reditu scutorum quinque maiori pretio, quàm scutis 100. & sic, empto censu scutorum quatuor pretio scutorum 100. emptor dicatur læsus vltra dimidium) videtur amica praxi, & vsui, quia videmus, censum scutorum quinque non emi maiori pretio, quàm scutis 100.

Secundum, quòd ego nondum vidi in praxi, quòd emptor egerit ad rescissionem census, seu supplementum iusti pretij ex capite enormissimæ læsionis.

Tertiũ, quòd dato, quòd emptori cõpeteret remedium d. l. 2. tamẽ quia pretium census semper est notũ omnibus, emptor diceretur scienter emisse, & cõsequenter denegaretur ei hoc remedium, si vera est prima restrictio, quam post 4. extens. posui sup. sub n. 5.

82 Restringe primo nũc secundam cõclusionem, dum sup. sub n. 72. & 76. diximus, quòd campsori, dãti ad cambium, & emptori census, non licet lædere in pretio cãpsuarium, & venditorem; vt, loquendo de emente censum; hæc conclusio paruam habeat partem in praxi, vt ostendi supra num. 71. vers. sed in hac. & loquendo in campsore, dũ diximus, quòd ei non licet emere scutos marcharum minori pretio, quàm pro pretio taxato, ita vt vltra illud ei non liceat aliquid lucrari; restringe, inquam, formaliter, vt non procedat sequentibus casibus, quia in his illud vltra esset licitum, etiam in mutuo; & consequenter dato, quòd in cambio inesset mutuum, erit licitum etiam in cambio.

Primus casus est, quando id, in quo læditur campsuarius, qui accipit cambio, idest, quando id, quod campsor recipit vltra pretium iustum, non est pecunia æstimabile; quia eiusmodi lucrum potest sine vitio vsuræ accipi, etiam ex mutuo, vt declarant Card. de Turrecrem. in cap. putant. sub nu. 2. in 3. conclus. 14. q. 3. Ioan. de Anan. in cap. nauiganti. sub nu. 20. vers. quærit etiam. de vsur. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. col. 3. in fine, & 4. vers. secundum inquirendum. fol. 296. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. vers. ad hanc quæstionem. concl. 3. col. 2. fol. 533. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua. sub num. 206. vers. dixi lucrum. & vers. seq. nam Abb. in d. cap. nauiganti. num. 2. 16. & 17. Io. de Anan. sub num. 18. q. 4. & Io. Bapt. Lup. §. 1. idest, post præfationem, sub num. 30. vers. sed aduertendum. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 137. Medin. d. vers. secundum inquirendum. Sot. d. art. 2. conch. 1. col. 2. fol. 533. & Nauar. d. cap. 17. sub nu. 220. & seqq. & quotquot sunt scribunt, vsuram esse, quando id, quod ex pacto vltra sortem accipitur, est pecunia æstimabile; quia quod potest pecunia æstimari, habetur pro pecunia, vt ex Arist. sequuntur Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 35. num. 18. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. & Io. de Anan. d. q. 4. sub num. 18. secus er.

go, si id, quod vltra sortem datur, non sit pecunia æstimabile, & ita procedit iste casus.

83 Exemplifica primo hunc casum, seu verius eiusmodi lucrum, pecunia non extimabile, in lucro spirituale meriti, & gratiæ, iuxta illud in Euangel. Matth. 19. in fine, *centuplum accipiet*, quod propriè non est vsura, licet aliquando metaphoricè sic dicatur, Nauar. sub d. num. 206. ibi, dixi lucrum. & quòd mutuans possit propter mutuum sperare bona cœlestia, & spiritualia, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquisit. d. vers. secundum inquirendum, fol. 296.

84 Exemplifica secundo in lucro præsentationis, electionis, seu collationis beneficij; quia si quis mutuaret, vt præsentetur, eligatur ad beneficium, vel vt illud sibi conferatur, committeret peccatum simoniæ, quod est grauius vsura; non tamen committeret vsuram, Nauar. vbi supra, & hoc est, quod sub alijs verbis generalioribus dixit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. post conclusionem tertiam, col. 3. ibi, contra tertiam verò conclusionem. fol. 534.

Ratio esset, quia delictum minus confunditur cum maiori, si vnum non possit committi sine altero, Vital. tract. crim. tit. de insult. percuss. defens. &c. num. 22. & Clar. recepr. sent. lib. 5. q. 84. vers. alius est casus.

85 Exemplifica tertio in lucro beneuolentiæ, & amicitiæ, vt puta, cum quis mutuat, seu dat cambio, vt mutuatarij, seu campsuarij amicitiam, & beneuolentiam acquirat, quia cum amicitia suaptè natura pecunia æstimari non possit, licet aliqui pluris æstimarent amicitiam, quam, mediante mutuo, acquirunt, quàm lucrum, quod vsurarius ex mutuo quæreret, Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 36. num. 19. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. Io. de Anan. in cap. nauiganti. sub nu. 20. vers. quærit etiam, de vsur. Medin. d. q. 1. vers. secundum inquirendum, col. 3. & 4. Sot. d. art. 2. col. 3. ibi, secundum æstimationem humanã. fol. 534. & Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 206. vers. dixi lucrum. & sub num. 209. Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 7. q. 13.

86 Extende hanc exemplificationem, vt procedat etiam si mutuator mutuet eo pacto, vt mutuatarius sit ei amicus, gratus, vel beneuolus; imò etiam si mutuatarium obliget ad exhibendum mutuatori signa amoris, & beneuolentiæ, inter amicos debita, & consueta, vt ex Sot. in loco, supra proxime citato, sequitur Io. Azor. d. cap. 7. q. 13. in fine.

Contra hanc extensionem facit, quod de antidorali, naturaliq; obligatione non reducenda in obligationem ciuilem, scripsi infra num. 96. vers. declara, tu cogitabis, quia vtraque opinio est probabilis.

87 Tempera candẽ exemplificationem, vt sit vera, dummodo mutuantis præcipua intentio sit mutuare, vt acquirat beneuolentiam, & amicitiam simpliciter; licet secundariò ex illa beneuolentia, & amicitia aliquid vltra speret habere; quia hoc est licitum; secus si præcipua intentio sit mutuandi, vt ex amicitia, & beneuolentia acquirat aliquid temporale, pecunia æstimabile, vt puta, si cuperem habere beneuolentiam, gratiam, & amorem Papæ, vel Imperatoris, vel alterius domini, vt possim consequi castrum, beneficium, officium, & quid simile: si cuperem beneuolentiam alicuius aduocati famosi, vt me defenderet, & similia, & ideo istis mutuo, quia hoc non liceret, & esset peccatum, Laur. de Rodulph. Io. de Anan. & Nauar. in locis supra proximè citatis; & ideo, si iste mutuator aliquod lucrum faceret, teneretur illud restituere, sed si lucrum non consequitur, non potest teneri ad restitutionem, sed remanet solum peccatum, quod sola contritione deletur, Laur. de Rodulph. & Io. de Anan. ibidem. Et dicitur mutator ex amicitia, & beneuolentia lucrum principaliter sperare, quando sine ista spe non mutuaret; & è conuerso dicitur sperare secundario, quando adhuc esset mutuaturus, Laur. de Rodulph. vbi sup. & tota hæc explanatio facilior est illa, quam tradit Sot. d. art. 3. col. 3. in fine, & col. 4. fol. 534. & quando in casu prædicto mutuator tenetur ad restitutionem, an eam facere debeat mutuatario, vel pauperibus, ex quò mutuator non extorsit, vide Abb. in d. cap. nauiganti. sub nu. 17. & alios, quos citaui infra num. 93.

88 Exemplifica quarto in eo, qui mutuat rustico, vt eius possessionem colat, sed soluit ei culturæ iustam mercedem; quia quamuis non esset mutuatutus, nisi rusticus coleret, & rusticus nó coleret, nisi haberet mutuum, tamen non est vsura, Bal. in l. rogasti. §. si tibi. col. 2. ibi, ponamus ergo. ff. si cert. pet. Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 42. num. 3. & seqq. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 24. & Io. de Anan. in cap. nauiganti. sub num. 21. ibi, ex prædictis. & nu. 22. de vsur. Petr. de Vbal. tract. de duob. fratr.

fratr. par. 4. sub num. 8. q. 3. ibi, & non de mercede quam dat. tom. 6. par. 1. fol. 539. in fine, Ant. de Rosel. tract. de vsur. sub num. 30. & 31. tom. 7. fol. 67. imò mutuator hoc casu nihil vltra sortem recipit, cum soluat iustam mercedem: secus si ob mutuum non solueret iustam mercedem.

89 Contra hanc exemplificationis conclusionem tenent Nauar. d. cap. 17. nu. 220. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 1. idest, post præfationem, sub nu. 30. vers. sed aduertendum. iuncto vers. redeundo. in d. num. 30. & plures alij, quos citat, & sequitur Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. sub num. 5. vers. tertio tamen. ibi, verum aduersus. vbi in fine refert, & sequitur, hanc esse communem opinionem, & veriorem, & ab hac contraria opinione nõ discedit Molin. de Iust. tom. 2. de contract. disput. 309. vers. circa mutuum. iuncto vers. communis tamẽ. col. 254. & 253. Verum dicto vers. circa mutuum dat consilium ad euitandam vsuram, vt non fiat mutuum, sed fiat locatio operarum, soluta mercede anticipatè.

Retenta hac communi contraria opinione, & supposito casu locationis vineæ pro certa, & iusta annua mercede ad annos 12. cum pacto, quòd conductor teneatur locatori mutuare scut. 800. restituendos conductori mutuanti in fine locationis; alias, non restitutis, censeatur facta relocatio ad alios annos sex, & sic deinceps.

Infero huius casus materiam, & quæ super eo scripserunt consulentes, congesti à Prosp. Farin. cons. 181. facti species. lib. 2. defendentes hoc pactum ab vsura, esse resoluenda cum hac distinctione.

Aut loquimur de primo pacto, quo conductor obligatur mutuare locatori: & concludo, pactum esse licitum, & consequenter, mutuum non esse vsurarium; quia hoc mutuum est ad augendam mercedem locationis contra ipsum mutuantem, & non ad eam minuendam, sicque obligatio ad mutuandum non est ad aliquam mutuantis vtilitatem, sed ad vtilitatem mutuatarij; quare locator locat, vt conductor vltra iustam mercedem mutuet, non autem conductor mutuat, vt locator locet pro minori mercede; quo casu esset vsura, per ea, quæ dixi supra q. 1. num. 401. & 408. & hic supra sub num. 82. versus finem, quia mutuum non admittit lucrum pecunia æstimabile; ideoq; si in rei veritate præcessisset inter eos tractatus de mutuo cum obligatione ad locãdum, &, vt occultaretur vsura, conficerent contractum locationis, & adderent pactum prædictum de mutuando; attenderetur tractatus, & rei veritas, & non scripturæ ordo; sed in dubio, & in foro exteriori, & supposito iusto pretio mercedis, standum est scripturæ, qua, vt dixi, excluditur vsura.

Aut loquimur de secundo pacto, quo locator, non restituendo mutuum, obligatur relocare, donec restituerit mutuum: & in hoc membro distinctionis vrget difficultas.

Prima enim opinio erit, quòd hoc pactum sit vsurarium, quia obligat mutuatarium ad ineundum cum mutuatore alium contractum, quàm contractum simplicis pignoris, seu assecurationis: nam obligat ad cõtractum locationis, qui habet manifestam differentiam cũ contractu pignoris; siquidem de natura pignoris, seu alterius simplicis assecurationis est, vt mutuator ex pignore, seu assecuratione non consequatur aliam vtilitatem, quàm cautionem sui crediti; at de natura locationis est, vt ex illo contractu oriatur vtilitas, & lucrum; hac enim spe vterque contrahens contrahit: imò ipsa obligatio ad locandum est pretio æstimabilis, & consequenter mutuum est vsurarium ex mente communis opinionis, quam retinui supra vers. contra.

Cõfirmatur hæc opinio, quia etsi pactum legis commissoriæ sit reprobatum inter debitorem, & creditorem, vt dixi supra q. 1. sub num. 503. & secundum communem opinionem sit licitum, quando paciscitur, vt mutuatario non soluente mutuum infra tempus conuentum, pignus datum cedere debeat in solutum, seu vendi pro iusto pretio ipsi mutuatori; tamen opinio contraria, quòd adhuc non sit licitum, videtur probabilior, cum illud ius vendendi, & acquirendi rem debitoris, etiam ob iustum pretium, sit ipsi creditori lucrum considerabile; quamuis hanc opinionem, retenta contraria communi, reprobet Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. num. 7. versus finem.

Secunda opinio contraria, quòd hoc pactum sit licitum; suadetur ex communi opinione, adducta in præcedenti confirmatione: nam si mutuator potest obligare mutuatarium ad reluendum pignus infra certum tempus, ita vt, si illud non reluerit, teneatur ei pignus vendere pro iusto pretio: ergo potest etiam eum obligare ad relocandum pro iusta mercede.

Corroboratur primo hæc secunda opinio,

nio, quia illa obligatio non est ad acquirendum aliquid vltra sortem mutuatam;sed est ad facilitandam exactionem mutui, & reddendum securiorem mutuatorem; sed eiusmodi obligatio est licita, vt videntur sentire Bal. in l. 11. rogasti. §.si tibi. in fine, Saly c. sub num.6.& 7.Ias.num.10.& alij. ff.si cert. pet.Io.de Anan.in cap.vlt.sub num.19. ibi, aliquando apponitur aliquod pactum. num. 20.de vsur.& Couar.d.cap.2.num 7.in fine.

Corroboratur secundo (& tendit ad maiorem huius primæ explicationem) quia obligatio ad vendendum pignus, seu relocandum contrahitur principaliter ad effectum, vt mutuator sit securus, & cautus de futura restitutione mutui, & licet in consequentiam sequatur illa acquisitio, seu lucrum; tamen intentio mutuatoris, & mutuatarij est solum circa assecuratione, hæcq; intentio principalis, quæ est iusta, & licita, debet attendi, & non id, quod necessariò inde venit in consequentiam, per ea, quæ in alio proposito secutus sum in meo tract.de iudic. caus. lib.2. cap. 2. num. 173.& 196. vers.ratio. ideoque licet vulnera, & homicidium sint strictissimè prohibita, tamen si veniant in necessariam consequentiam permissæ defensionis, non considerantur.

Pro faciliori intelligentia, & solutione distinguo duos casus.

Primus est, quando contrahitur principaliter mutuum, & in eo mutuator obligat mutuatarium simpliciter ad aliquem contractum diuersum ab assecuratione mutui, vt puta, obligat ad vendendum, seu locandum ipsi mutuatori: & isto casu dico, mutuum esse vsurarium, quamuis venditio, & locatio fieri debeat pro iusto pretio, per ea, quæ scripsi supra in exemplificatione, & ita procedat prima opinio.

Secundus casus est, quando mutuator non obligat simpliciter mutuatarium, sed obligat in casu non restitutionis mutui; & iste casus est ille idem, de quo supra in secundo membro distinctionis,vers.aut loquimur de secundo pacto. ideoq; militant hic illæ eædem duæ pugnantes opiniones, quarum vt hic tutiorem eligamus, distinguo.

Vel loquimur in foro interiori; & dico, quòd si intentio mutuatoris versatur solum circa assecurationem mutui, vt dicebam supra in 2.corroboratione,pactum est licitum: secus si intentio mutuatoris versabatur solum circa acquisitionem iuris, ad emendum pignus, sed simulabat, quòd intendebat solum assecurationem, quia tunc coram Deo esset vsura.

Vel loquimur in foro exteriori: & dico, inhærendum esse secundæ opinioni, quòd pactum sit licitum, quia etsi adducta pro ea in prima, & secunda corroboratione facile euerti possint; siquidem Doct. citati pro prima corroboratione loquuntur in simplici assecuratione, nempè, quando mutuatarius obligatur ad præstationem fideiussoris, vel dationem pignoris, vel ad veniendum ad iudicium, & recipiendum in se præceptum de soluendo;& casus noster habet mixturam acquisitionis, vt dixi; & ratio adducta pro secunda confirmatione non videtur bona, quia facilè mutuatores traherentur ad simulandam obligationem pro assecuratione, sicq; aperiretur via vsurarum fraudibus,quibus lex positiua obuiat, prohibendo quandoque etiam contractum, qui, remota fraude, esset licitus; quare sicut sub simulata defensione non licet vulnerare, & interficere, & debet lex, si posset, omni conatu simulationi obstare, ita etiam non licet mutuare cum obligatione ad aliam lucratoriam acquisitionem sub simulata assecuratione mutui; huicq; simulatæ assecurationi debet lex radicitus se opponere.

Tamē, ijs euersis,remanet hoc aliud fundamentum, quia pactum, quòd si mutuatarius infra certum tempus conuentum non restituat mutuum, res, mutuatori data pro pignore, seu hypotheca,efficiatur ipsius mutuatoris, & cedat in solutum pro debito, est pactum legis commissoriæ,vt declarant Nic. Vall.tract.de reb.dub. rubr. inter pign. dationem, &c.num.15.tom.18.fol.332. Ioan. Gut.tract.de contr.iur.cap.32. num.1. tom. 6. par. 2. fol. 78. & communiter omnes, & hoc pactum est licitum, quando adijcitur, quòd cedat in solutum pro iusto pretio, vt ex communi opinione referunt, & sequuntur Couar.d.cap.2.num.7. versus finem, Io. Bapt.Lup.in l.2.comment. 2.in præfat.num. 21. C.de pact.int.empr.& vend. inter tract. diuers.tom.7.fol.126.& Io.Gut. d. cap. 32. num.4.reprobata contraria Caroli Molinei opinione; & hoc pactum, quòd in casu non restitutionis mutui cēseatur facta relocatio, in effectu est idem cum pacto legis commissoriæ, & supponimus mercedem locationis esse iustam. Ergo,&c.

Ratio differentiæ inter primum, & secundum

dum casum, de quibus supra vers. primus, & vers. secundus. est euidens, tum quia in primo casu mutuatarius obligatur absolutè, & simpliciter ad vendendum mutuatori: at in secūdo remanet in facultate mutuatarij elidere obligationem, restituendo mutuum; tùm quia euidentia primi casus se habet ad nouam acquisitionem: at euidentia secundi casus se habet, vt, completo tempore mutui, mutuator consequatur solutionem quasi per viam compensationis, sine alio labore.

Firmata communi opinione, quòd pactum legis commissoriæ sit licitum, quando pignus non remanet emptum, seu datum in solutum pro summa mutuata, sed pro iusto pretio, quo pignus æstimabitur; cum plerumque mutuatores accipiant pignus maioris valoris, quàm sit mutuum.

Intellige primo eam, vt procedat de plano de iure ciuili, quod inuitum tolerabat aliquando vsuras, vt dixi supra num. 45. sed de iure diuino, & canonico posset adhuc de ea dubitari, quia in effectu non solum prouidetur assecurationi, cui satis dicitur prouisum per dationem pignoris, sed fit alius contractus acquisitiuus; sine quo benè posset stare mutuum etiam assecuratum; cum mutuatori pateat via ad agendum pro solutione, & interim posset incumbere pignori.

Intellige secundo, quòd etsi possit procedere in pacto legis commissoriæ, cum obligatione tamen, vt mutuator soluat iustum pretium, vt dixi; tamen si esset simplex pactum legis commissoriæ, nempe, vt pignus remaneat mutuatori emptum pro pecunia mutuata, esset illicitum, etiam si pecunia mutuata ascenderet ad iustum pretium, quod tunc non esset definitum; imò etiam si pecunia mutuata excederet iustum pretium; & moueor, quia licet lex, quæ prohibet hoc pactum pro summa mutuata; fundetur in eo, quod ferè semper contingat, vt pignoris valor excedat summam mutuatam, & hoc fundamentum cesset in casu, quo supponimus, mutuum esse æquale, vel maius iusto pretio pignoris; tamen virtus legis, cum sit ad obuiandum vsurarum fraudibus, habet locum, inspecto foro exteriori, etiam in casu, in quo cessat ratio legis, secundum ea, quæ scribunt Doct. quos in alijs propositis citaui sup. q. 1. sub num. 510. vers. prima. & nu. 540. in sexto argumento. lex enim ad ea, quæ frequenter, & facilè, non ad ea, quæ rarò eueniunt, aptatur; quia quæ semel, aut bis accidunt, contemnunt legislatores, l. 5. nam ad ea. ff. de legib.

Et consequenter ex his possem motiuari, quòd illud pactum relocandi pro eadem mercede, nisi locator restituerit mutuum, non sit licitum, cum deberet concipi pactum relocandi pro ea mercede, quæ à peritis æstimabitur iusta.

Declara nunc eandem contrariam opin. quam retinui sup. vers. contra. vt mutuator ex hac vsura non perdat mutuum, neque teneatur ad aliud, quàm ad restitutionem illius, quod arbitrio boni viri æstimabitur illud onus iniunctum, si fuerit executioni mandatum, alias teneretur solum ab illo onere liberare ipsum mutuatarium, prout declaraui supra quæst. 1. sub num. 505. declar. 2.

90 Exemplifica quinto, quando mutuator mutuat cum pacto, quòd mutuatarius restituat non solum mutuatum, sed reddat eidem mutuatori aliud, quod mutuatarius ei debebat ex alia causa, vt explicaui sup. ampl. 8. num. 275. & 276. & infra ampl. 19. sub nu. 119. vers. subinfero.

Declara hanc exemplificationem, vt procedat, concurrentibus duobus requisitis, & non alias: primò enim requiritur, quòd debitum sit liquidum: secundo, quòd sit debitum ex iustitia, alias esset vsura, Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 309. vers. primum. & vers. secundum. col. 252.

91 Exemplifica sexto in eo, qui mutuat, vt mutuatarius instruat ipsum mutuantem, vel eius filiū, aut intercedat pro eo apud Deum, vel pro eo eat Romā: itē in domino molendini, seu furni, qui mutuat, vt mutuatarius eat ad eius molendinū, seu furnum: idem in doctore, qui mutuat scholaribus, vt intrent secum scholas, indeq; dominus molendini, seu furni aliquod lucrum consequuntur, cum & alij ad illud propterea accedant, & Doctor famam maiorem consequitur, & ex fama maius salarium; quia etsi isti non essent alias mutuaturi, tamen cum mutuatarij ex hoc damnum non consequantur, non videtur vsura, secundum eos, quos citant, sed non sequuntur Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 220. vers. nonagesimoprimo. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 1. idest, post præfationem, sub num. 30. vers. similiter. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137.

92 Contra hanc exemplificationem tenent Abb. in d. cap. nauiganti. num. 16. & 17.

Calder.

Calder. sub num. 34. q. 5. ibi, & per prædicta. Ioan. de Anan. sub num. 18. ibi, ex prædictis soluitur. & Io. Bapt. Lup. d. §. 1. sub num. 30. vers. sed aduertẽdum. de vsur. Petr. de Vbal. tract. de duob. frat. par. 4. q. 3. num. 8. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. artic. 2. col. 7. initio, fol. 536. Nauar. vbi supra, & ante hos Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 35. num. 17. & 18. & q. 38. num. 21. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. & quòd mutuans cum pacto, quòd mutuatarius emat de officina ipsius mutuatoris, acquirendo ex hoc mutuo hanc nouam obligationem, committat vsuram, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. vers. sed contra. col. 5. in fine, fol. 297. & latius q. 4. vers. tum etiam. col. 6. fol. 339. &, quòd si dominus alicuius molendini mutuauerit pistori, vel alteri, vt molat in suo molendino, sit mutuum vsurarium, quia accipit vltra sortem, auferendo libertatem mutuatario molendi alibi; sed si mutuatarius ex hoc non sit læsus, mutuator non teneatur ad restitutionem, &c. scribit Guid. Pap. tract. de vsur. num. 14. tom. 7. fol. 72. &, quòd vsurarium sit mutuum, quo obligatur medicus ad curandum ęgrotos mutuatoris temporibus debitis iusto pretio, & mercede, tanta videlicet, quanta alij medici ægrotos curare consueuerunt, similiterq; vsurarium sit mutuum, quo rusticus mutuatarius obligatur restituere mutuum, metẽdo mutuatoris segetes, aut putando vites, aut denique colendo agros iusta, & debita mercede, compensata mercede cum mutuo, scribit Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo. cap. 7. q. 1. vers. dicendum existimo. & quòd miseri Doctores, qui pecuniam mutuant scholaribus, vt secum intrent, vt ipse Doctor maiorem famam acquirat, committant vsuram, & maximè quando faciunt in detrimentum famæ Doctoris, secum concurrentis, scribit Ant. de Rosel. tract. de vsur. num. 27. tom. 7. fol. 67. & pro hac opinione contra istam sextam exemplificationem facit, quod in difficilioribus casibus scribit Sot. d. art. 2. col. 6. ibi, imò verò, neque in pactum ducere, vt mutuatarius faciat eleemosynas, fol. 535.

93 Et quando dominus molendini, seu furni, & doctor tenerentur in casu prædicto ad restitutionem, an eam facere debeant mutuatarijs, vel pauperibus, vide Laur. de Rodulp. in cap. consuluit. par. 2. q. 40. & 41. num. 1. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 23. Abb. in cap. nauiganti. sub nu. 17. & Io. de Anan. sub nu. 18. & 19. eod. & Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 220. vers. nonagesimo primo. & late Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo. cap. 7. q. 3. & 4.

Declara hanc contrariam sententiã, prout declaraui supra q. 1. sub num. 505. declar. 2.

Et hęc de primo casu posito sup. sub n. 82.

94 Secundus casus est, quando id, in quo læditur campsuarius, idest, quando id, quod campsor accipit vltra iustum pretium, non venit principaliter, neque expectatur tanquam iure debitum ex cambio; sed venit tanquam antidorale, & remuneratorium de gratia, & non de iustitia debitum, vt, loquendo in mutuo, scribunt Gl. in cap. 10. consuluit. in verbo, sperantes. de vsur. Card. de Turrecrem. in cap. putant. sub num. 2. in 2. concl. 14. q. 3. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua. sub num. 209. vers. in decimo & vndecimo. & communiter omnes in diuersis locis; quare si mutuator ducatur ad mutuandum sine aliqua spe lucri, & ex sola charitate proximi, vt fieri debet, si postea mutuatarius hac contemplatione aliquid mutuatori donabit, & ipse recipiat, credens, illum purè donare, nec apparet, vnde oppositum credere debuisset, certè, his concurrentibus, hoc lucrum donatum non est vsura, Ant. de Rosel. tractat. de vsur. num. 20. vers. rursus. tom. 7. fol. 67. &, quòd mutuator possit sine pacto à mutuatario gratis oblatum capere vltra sortem, sed cauere debeat mutuator à praua intentione, quia, si eam mutuando habuisset, teneretur in foro pœnitentiali illud restituere, scribit Host. in sum. tit. de vsur. §. an. aliquo casu. vers. tertio quando. fall. 3. & hanc esse communem opinionem, quòd mutuator possit à mutuatario aliquid gratis, & liberaliter sibi donatum accipere, testatur, & sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. cas. 11. & probatur ex eo, quia, licet non deceat, Episcopum, manum, quam ordinando imponit, vendere, tamen si is, qui fuerit ordinatus, non ex placito, neque exactus, neque petitus aliquid gratiæ tantummodo causa dare voluerit, hoc potest licitè accipi, cum eiusmodi donatio non ex ambientis petitione processerit, cap. 4. sicut episcopum. 1. q. 2.

95 Ratio est, quia lex euangelica in illis verbis, *nihil inde sperantes*. prohibet sperari, seu expectari lucrum; sicque, vt committatur vsura,

vsura, opus est, quòd mutuator speret siue, ab initio mutui, siue post, Ant. de Rosel. d. tract. de vsur. nu. 39. Ergo, vbi mutuatarius donet sine spe mutuatoris, non est vsura.

96 Declara restringendo, quod dixi in hoc secundo casu, vt non procedat, quando mutuator hanc antidoralem, naturalemq; obligationem reduceret in obligationem ciuilem, quia esset vsura, Card. de Turrecrem. in cap. si fœnerauerís. num. 5. versus finem, ibi, insuper si mutuans paciscatur &c. 14. q. 3. Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. vers. sed contra. col. 5. in fine, fol. 297. & latius vers. respondetur, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. vers. restat ergo. ibi, ad quartum ergo. col. 11. fol. 538. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 1. idest, post præfationem, in fine, sub num. 30. vers. ex quibus. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 137. & alijs citatis, hanc esse communiter receptam, & multò veriorem, quia illa obligatio ciuilis ad remunerandum est pecunia æstimabilis, scribit Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 7. q. 2. vers. altera est opinio. &, quòd idcirco si mutuator obliget mutuatarium ad sibi remutuandum, fit mutuum vsurarium, ex quò, ista obligatio est pecunia æstimabilis, scribit Sot. in loco sup. proximè citato.

97 Subdeclara hanc declarationem, vt, secluso pacto, seu obligatione ciuili, liceat mutuatori petere à mutuatario, vt iure gratitudinis, & honestatis in casu occurrenti, cum ipse indiguerit, velit sibi remutuare, Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. sub num. 5. vers. tertio tamen. circa medium, & Io. Azor. in loco supra proximè citato.

98 Tertius casus est, quando mutuatarius nihil penitus mutatori restituit vltra sortem, sibi mutuo datam, sicque mutuum est vndique gratis, & absolutam continet charitatem ex parte mutuatarij, & ex parte mandantis mutuo dari; licet mutuator aliunde propter illud mutuum lucrum, & quidem magnum consequatur, vt puta, cum testator legat alicui campsori domum, si hæredi mutuauerit centum, quia isto casu campsor potest licitè mutuare illa centum, vt consequatur domum, Ant. de Rosel. tract. de vsur. nu. 39. vers. alius verò, & num. 42. tract. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 67. & 68. quare à fortiori si quis donaret, vel legaret alicui mille sub ista conditione, seu hoc onere adiecto, vt iste donatarius, seu legatarius teneatur singulis annis mutuare gratis, & amore centum pauperibus; nulli dubium erit, quòd iste poterit acceptare donationem, seu legatum, & mutuare sine vllo scrupulo vsuræ: inest enim in hoc mutuo vtilitas mutuatarij, & qui mandauit mutuum, bene exercet charitatem, & in hoc est fundata lex euangelica.

99 Quartus casus est, quando id, quòd à mutuatario accipit mutuator vltra sortem, non lędit mutuatarium, & mutuatorem conseruat indemnem, vt in casu, quem posui supra ampl. 8. sub num. 275. & 276.

100 Quintus casus est, quando id, quod mutuator accipit vltra sortem, procedit ex re ipsa, mutuo data, & sic mutuator recipit plus, sed non vltra sortem, vt in primo, secundo, & tertio casu, quos posui supra q. 1. num. 409. 415. 422. & seqq.

Reliquos casus, si qui sunt, collige, si potes, ex his, quæ scripsi d. q. 1. num. 439. & seqq. in 4. & sequentibus casibus.

101 Restringe secundo, vt nō procedat, quando in cambio essent tria pretia; nempe summum, medium, & infimum, quia tunc campsor potest excedere infimum, & medium, dummodo nō excedat summum, quia quodlibet istorum dicitur pretium iustum, vt in re vendenda scribunt Sot. de iustit. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 3. initio. fol. 568. Couar. var. resol. lib. 2. cap. 3. n. 1. Nauar. in man. confess. cap. 17. de peccato vsuræ circa mutua. num. 228. vers. idem de eo. & num. 241. vers. centesimosexto. & cap. 23. de auaritia, &c. num. 79. vers. tertio quod; & in cap. si fœnerauerís. initio, num. 5. vers. quarto noto. versus finem, 14. q. 3. & alij, quos citat, & sequitur Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 7. sub num. 2. 3. & seqq. & dixi supra q. 1. num. 566. &, quòd vendens ad tempus cariori pretio, quàm præsenti pecunia, nón dicatur illicitè vendere, dummodo non excedat summum pretium intra iustam pretij latitudinem, tenent omnes, vt sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 8. tit. de empt. & vend. cap. 8. initio, vers. in primis. col. 642. quare iniustum pretium diceretur, quando exceditur summum, vel infimum.

102 Ratio huius restrictionis est, quia hoc pretium, quòd non est lege positum, non est indiuisibile, sed habet latitudinem; cum iustitia, & prudētia humana illas omnes circunstantias, & qualitates rei vendendæ non valeat ita metiri, vt pretij metam possit inde pun-

punctualiter attingere, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 3. circa initium, fol. 568. Imò addo, indiuidua eiusdem speciei esse varia in bonitate etiam intrinseca, & illas circunstantias, à quibus sumi debet iustitia, esse instabiles, & inter se multum aliquando differre; & adde quæ scripsi sup. sub num. 56.

Sed horum pretium, quod attendi debeat, quando agitur de læsione, vide supra num. 40 subdecl. 4.

103 Infero extendendo hanc restrictionem, non solum non iniustè cambire eos, qui, pretio, à lege non taxato, cambiunt pro maiori, vel minori pretio intra latitudinem, sed neque eos, qui, etiam taxato pretio, excedunt supra, vel infra, esseq; tutos etiã in foro conscientię, in terminis tamen, in quibus locutus sum sup. sub num. 67. & 68. & sub num. 75. vers. in foro. vbi videas.

Et hæc de quarta declaratione, posita supra num. 67.

104 Declara quinto (& in hac declaratione attingo læsionem, procedentem ex facto tertij; siquidem hucusque egi de læsione, procedente ex facto partium,) vt læsio, procedens ex facto tertij, sufficiat ad rescindẽdum contractum, seu actum, etiam si sit infra dimidiam, quia hæc non est ita tolerabilis, sicut illa, quæ procedit ex facto ipsorum principalium.

Quare quanta sufficiat læsio, procedens ex laudo, seu arbitramento arbitri, & arbitratoris, & qua peti possit reductio ad arbitrium boni viri, vide in meo tract. de iudici cauf. &c. lib. 1. cap. 2. num. 449. & seqq.

105 Et quid in venditione, facta per procuratorem, vide Ant. Burg. in cap. cum causa, sub num. 24. de empt. & vend. & Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de empt. & vendit. concl. 1. num. 26. & seqq. ampl. 11.

106 Et quid in datione in solutum, facta per iudicem, vide eosdem Ant. Burg. in dic. cap. cum causa, num. 45. & Gabr. d. concl. 1. in limit. 5. num. 64. & 65. vers. declara tamen. & de datione nominis debitoris in solutum adde, quæ scripsi §. seq. glos. 5. num. 280. & seqq & præsertim num. 281.

107 Declara sexto, vt iustitia pretij cambij, in quo nummularius pecuniam accipit, alibi restituturus, seu dat, alibi recepturus, non reguletur ab æquiualentia numismatum, quæ commutantur, sed ab impensis, laboribus, & periculis, quæ nummularius subijt, & proindè nummularius lucrum accipit, etiam si pluris valeat pecunia in loco, vbi accipit, quàm in loco, vbi restituit, quia quamuis recipiat plus, quàm sit soluturus alibi, tamen suo periculo, labore, & impensis pecuniam alterius ex vno loco in alium portat, & obsequium præstat, & Reip. vtile negotium gerit: item lucrum accipit, etiam si minoris valeat pecunia in loco, vbi dat, quàm in loco, vbi recipit; quia licet minus det, quàm sit recepturus, tamen ipse inseruit in dãdis pecunijs, vbi ille indiget, suamque operam, & industriam ponit, in obeũndo officio, & suam pecuniam præsentem dat pro longè distanti, quæ solet minoris æstimari; vnde quando prius accipit, lucratur, quia suscipit onus portatoris, quando verò prius dat, lucratur, quia pecuniam præsentem pluris æstimat, quàm absentem, ex quò illam postea reducere intendit, & consequenter in impositione pretij nulla habetur ratio inæqualitatis numismatum; sicut in simili, si Hispanus, commorans in Sicilia, daret Siculo in Sicilia centum tritici modios, & Siculus ille daret Hispano totidem modios tritici, quos habet in Hispania, æqua esset permutatio, quia Siculus labore, impensis, & periculo triticum, quod habet in Hispania, in Siciliam veheret, & Hispanus in Hispaniam, quod habet in Sicilia, & ideò nulla habetur ratio, quòd triticum pluris in Hispania, quàm in Sicilia æstimetur, Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 7. vers. at cæteri. & vers. sequẽ col. 874. & quare campsori, siue prius det, siue prius recipiat, debeatur merces, vide etiam sup. q. 1. sub num. 425. in fine, & 426. & hac eadem q. par. præced. sub num. 49. & 90.

108 Contra hanc declarationem, in eo quod ait, numismatum æquiualentiam non attendi; oppono, quia quod cambitio debeat regulari etiam ab æquiualentia numismatum, alias cambitio sit iniusta, & vsuraria; tenet Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 1. concl. 3. col. 3. & 4. in responsione ad primum argumentum, fol. 614. & 615. & art. 2. vbi pluribus in locis ostendit, in cambio habendam esse rationem copiæ, & inopiæ monetæ ratione loci, & secutus sum par. præced. n. 48.

Confirmatur primo hæc contraria opinio, quia cambium, siue sit emptio, & venditio, siue sit permutatio iuxta ea, quæ scripsi sup. q. 4. num. 21. & 18. in 4. & 3. opinione, debet semper in se habere iustitiam commutatiuam, per ea, quæ dixi infra §. 6. gl. 1. sub nu. 41. &

41. & eam non haberet, si haberetur solum ratio laborum, & impensarum, & non haberetur ratio inæqualitatis numismatum ratione locorum. Ergo.

109 Confirmatur secundo, quia Azor. pro declaratione, quam ipse sequitur, citat quidem auctores, sed non loca; & similem quod adducit de commutatione tritici inter Hispaniam, & Siciliam, non existimo verum: finge enim, quod modius tritici in Sicilia valeat scuto vno, & in Hispania scutis tribus; certè absurdum est dicere, quòd inter Siculum, & Hispanum esset æqua commutatio, si vnus eorum daret centum modios alteri in Hispania, & alter alteri centum in Sicilia; imò hoc est de diametro contra doctrinam Soti, & aliorum, quos secutus sum par. præced. sub num. 48. dum dicunt, iustam esse commutationem, si vbi adest inopia detur vnus, vt vbi adest copia recipiantur duo, si in loco dationis tanti valeat vnus, quanti in loco receptionis duo: neque considerandi sunt labores, & sumptus in transportatione formali, & reali, quam quilibet notum facere, vt considerat Azor. sed alia via procedendum est, quia habens centum modios tritici in Hispania, posset illud vendere, & ex parte pretij, emere centum modios in Sicilia, supposito commercio inter vnum, & aliud Regnum; quare non est consideranda transportatio vera, & realis, quia illa non fieret, sed est consideranda venditio tritici in Hispania, & emptio in Sicilia, quia ita fieret. Absurdum proinde non existimo, quòd nummularius possit in Belgio dare scut. 25. vt recipiat scut. 100. in Indijs; hoc enim admitto, quia posset ratione copiæ, & inopiæ inter vnum, & alterum locum esse æqua commutatio: sed quòd deinde nummularius det in Indijs scut. 100. vt totidem habeat in Belgio, & quòd vlterius propterea que cambio habeat idem lucrum rationis impensarum, & laborum, hoc existimo absurdum.

Infero, magis explicando, & quasi conciliando, quod et si campsori debeatur merces laboris, & debeantur expensæ, & periculi pretium, siue moneta sit æqualis, siue inæqualis, & siue nummularius prius accipiat, siue prius det, quia semper in eo considerantur labor & impensæ, vt dixi par. præced. sub num. 6. & hac eadem parte num. 9. & in prima declaratione.

Tamen quando nummularius mercedem illam restringit, & temporaliter trahit, monetamque

locem, currentem in plateis, pro quibus fit cambium, & valor ille sumitur ex æqualitate, & inæqualitate copiæ, & inopiæ pecuniæ, & ex æqualitate, & inæqualitate bonitatis numismatum; quo valore considerato, seruari debet iustitia commutatiua permutationis pecuniarum, & inde sumi iustitia mercedis nummularij, & ita procedit opinio contra declarationem.

110 Declara septimo, restringendo eandem ampliationem, positam sup. num. 1. dum diximus, dicitum esse contrahentibus se decipere, eo tamen modo, quo declarauimus postea num. 2. & seqq. vt procedat circa valorem, & pretium rei, vt hucusque locuti sumus; secus circa numerum, mensuram, & quantitatem rei, quia in his nec in foro conscientiæ, nec in foro exteriori toleratur aliqua læsio, quamuis parua; quam deceptus in quantitate rei, etiam citra dimidiam, potest agere iure communi ad supplementum; Abb. in cap. 3. per tuas. num. 4. vers. nota & tene menti. de donat. Ant. Burg. in cap. cum causa. num. 50. limit. 15. de empt. & vendit. inter Repet. tom. 4. fol. 270. vt puta, si vendatur fundus, expresso certo numero iugerum, seu expressa mensura, quod reperiretur plus, non intelligitur venditum, & si reperitur minus, agitur ad supplementum. Abb. d. cap. per tuas. sub num. 8. & Burg. d. limit. 15. num. 60. & hoc est, quod sub alijs verbis tradit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. controu. 2. num. 4. in fine, vers. Obseruemus tertio. & num. 5. fol. 82.

Secus etiam, quando deceptio esset circa vitium rei venditæ, l. 1. §. proinde. ff. de edil. edict. cum venditor tenetur illud exprimere, & non expresserit, iuxta ea, quæ scribunt Gl. in l. 1. §. iulianus. in §. item qui furem. ff. de act. empt. Bal. in l. 1. num. 41. q. 4. per totum. & ibidem Salyc. sub num. 4. in 6. opposit. C. de rescind. vendit. Fab. de Mont. tract. de empt. & vend. q. 8. principal. 8. in fine, tom. 6. par. 1. fol. 65. & latissimè tractat Mich. Sal. d. art. 3. controu. 1. sub num. 10. & seqq. vers. his positis. fol. 83. & seq. & scripsi aliquid supra num. 13. in fine; & faciunt quæ scripsi supra q. 1. num. 482. vers. primus. & infra §. 7. gl. 2. num. 74. & seqq.

Confirmatur hæc declaratio in eo, quod dixi, læsionem circa quantitatem rei non tolerari, etiam si sit infra dimidium, ex Deuteron. auctoritate, cuius verba formalia retuli supra num. 12. versus finem. vbi videas.

AMPLIATIO XI.

SUMMARIUM.

Cambium est licitum etiam inter eos, qui non sunt mercatores, num. 1. & seqq. Imò potest exerceri etiam à muliere, & à quauis persona habili ad contrahendum, num. 9. & 10.

Prohibitum vna via, non debet alia concedi, num. 2.

Cambiorum negotiatio est mercatura, & veluti regina mercaturarum, num. 4.

Pecuniæ omnia obediunt, includit omnia, & protegit sicut sapientia, sub num. 4.

Mercator diues potest, omissis mercium mercaturis, totam pecuniam negotiari in cambijs, & à fortiori potest aliquam pecuniam tenere otiosam pro cambijs, num. 4. & 5.

Clerici seculares, paupertatem non professi, possunt ministerio laicorum dare pecunias ad cambium, &c. num. 6. & 9.

Clericis etsi probibita sit negotiatio, & mercatura in genere, tamen aliqua negotiationis species permittitur, & quæ sint prohibita, & quæ permissa, num. 7.

Clerici debent abstinere non solum ab his, quæ sunt mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali, sub num. 7. & 8.

Episcopi gloria est pauperum inopia prouidere, sub num. 8.

Sacerdotis, religiosiq; viri ignominia est proprijs studere diuitijs, sub eod. num. 8.

1 AMPLIA XI. vt cambium sit licitum etiam inter eos, qui non sunt mercatores, Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. non veggo. fol. 23. Fabian. Genuen. quem citaui infra num. 6. vers. infero secundo. & quòd etiam priuato homini, qui nummularij officium non facit, lucrum percipere liceat ex cambio per litteras, dando prius ipse pecunias, vt alio in loco recipiat, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 6. in fine, q. 5. subdens, ei tamen non deberi tantum lucri, quantum nūmulario publico permittitur; quod idem in campsore publico cambij minuti ex eodem retuli §. seq. gl. 3. num. 101. vers. contra. & quòd etiam is, qui non est mercator, possit etiam sine aliquo obiecto mercaturæ tenere suas pecunias in continuis cambijs, scribit Boninf. d. tract. de camb. cap. 4. initio, & posui casum sup. q. 5. num. 51.

Confirmatur primo hæc ampliatio, quia cambium minutum potest fieri etiam inter eos, qui non sunt mercatores, vt secutus sum d. num. 101. ergo possunt inter eos fieri etiam alia cambia, cum ratio in contrarium non appareat.

Confirmatur secundo, seu verius ostenditur veritas huius primæ, quia etsi vsus nundinarius cambiorum fuerit primum inuentus pro seruitio mercaturæ; & ideo cambia fierent solum inter mercatores, tamen postea, necessitate compellente, fuit vsus iste, vt dixi q. præced. num. 8. ampliatus, ita vt cambitio esset mercatura, & negotiatio, & pro se ipsa, qua mercatura, & negotiatione admissa pro licita, & honesta; esset iniustū, & damnosum Reip. quòd non mercatores non possent in illis nundinis emere, & vendere, & sic cambire pro suis necessitatibus.

2 Confirmatur tertio, quia si cambiorum negotiatio esset licita solum inter mercatores, sequeretur, quòd vidua, aliæq; similes personæ, ad mercaturam, & negotiationem inhabiles, non possent dare suas pecunias Bancherijs, qui illas negotiarentur in cambijs, quia quod vna via à lege prohibetur, non debet alia concedi in fraudem legis, Iacob. de Aren. tractat. de posit. §. 3. num. 10. tom. 4. fol. 6. sed hæc sequela est falsa de iure, & de consuetudine, per ea, quæ dixi sup. ampl. 9. num. 1. & seqq.

Confirmatur quarto, quia rationes, quæ contra istam ampliationem adducuntur, sunt falsæ, & friuolæ, illa enim præcipua ratio (quòd ideo soli mercatori liceat lucrum capere ex cambio, quia cābium fit mutuum, in quo non liceat lucrari, nisi mercatori ratione interesse, quod patitur) est falsa, quia non est mutuum, per ea, quæ dixi supra q. 4. num. 5. & seqq. est etiam falsa, quia in mutuo non solum mercatori, sed cuilibet alij licitum est consequi interesse lucri cessantis, & damni emergentis, vt, loquendo in quouis creditore, secutus sum supra ampl. 8. num. 222. in primo casu. & num. 268. extens. 1. & patet ex his, quæ scripsi in ead. ampl. 8. sub num. 76. & seqq. vbi inter conditiones, necessarias ad consequendum interesse ex mutuo, non numeratur qualitas, quòd mutuator debeat esse mercator; reliquæ etiam rationes, si quæ adducuntur, sunt friuolæ, & parui ponderis; haeque de causa eas consulto prætereo.

Contra istam ampliationem tenet Hier.

 de

de Luc.tract.de camb. in verbo, pro decisione.num.30.& seqq. & num.36.tom.6. par. 1.fol.410. & forsan idem sentit Medin.in suis tract.tom.2. tit. de reb. per vsur.acquis. q.5.col.4. vers.verum quemadmodum. fol. 361. dum simpliciter scribit, quòd non omnibus licet cambire, non explicando qui sint illi, quibus non conuenit cambire.

3 Non recedas ab ampliatione, licet aliqui timore huius ampliationis soleant cambij negotium facere sub nominibus, quòd ipsi sunt mercatores, soliti dare, & accipere cambio, vt patet ex formula, quam posui supra q.5. sub num.16. ibi, & essendo persona. & supra hac ead.q.7. ampl.8. sub num.244.

4 Infero primo, corroborando eandem ampliationem, quòd etsi homo diues, & pecuniosus posset pecunias implicare in mercatura rerum, & ex illa lucrum honestum acquirere; tamen potest, illa rerum mercatura omissa, solam negotiationem cambiorum nundinalium licitè exercere; quia ista etiam dicitur mercatura; imò dicitur mercatura mercaturarum, & quasi regina aliarum negotiationum, vt dixi q. præcedenti, sub num.8. cum ista disponat de pecunia, *& pecuniæ omnia obediunt*, Ecclesiastes 10.nu. 19. vnde ipsa includit omnia, vt scripsi hac ead.q.par. præcedenti, num. 14. imò videtur quodammodo æquiparari sapientiæ, quia, vt ait idem Ecclesiastes 7.num.13. *sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*, quare non temerè dixit Horat.

O Ciues, Ciues, quærenda pecunia primum:
Virtus post nummos, &c. & in lib. 3. morum medicorum,

Nummus honoratur, sine nummis nullus amatur;

Nummus vbi loquitur, Tullius ipse tacet.

sequitur hinc, quòd cum ab ista cæteræ pendeant negotiationes, & mercatura, & ad istam in indigentijs recurrant, ista hoc ipso videatur cæteris alijs Reipub. vtilior, cum habeat rationem regendi, & sustinendi alias, quæ Reip. vtiles sunt.

Quicquid contra hanc illationem scripserit Hier.de Luc. d. tract. de camb. num.39. tom.6.par.1.fol.410. licet enim is ea moueatur ratione, quòd iste, qui non pro mercatura, sed ad lucrandum hanc artem exercet, sibi thesaurizet ad gehennam, cum non pro bono Reip. sed suo tale exercitium sumat ad augendas suas iniustas opes, & in damnum aliorū mercatorum; tamen hæc ratio dupliciter confutatur: primo, quia si hac ratione damnaremus mercaturas, quòd mercator suæ magis, quàm Reipub. studeat vtilitati, omnes damnabimus mercaturas: secundo, quia licet mercator, seu artifex malè versetur, & animam in mercatura, & arte perdat, tamen illa mercatura, & ars possunt in se ipsis esse licitæ, & vtiles Reipub. prout dixi etiam supra q.1.num.71.& seqq.

Temperanda tamen sunt quæ in hac illatione ad huius negotiationis cambiorum, seu verius pecuniarum, & diuitiarum exaltationem videmur dixisse, ex his, quæ scripsimus q.præced.num.16.& 18. & sup. q.1. num. 77. & 78. in quibus locis omnino videas.

5 Subinfero ex ista illatione, quòd sicut homo pecuniosus potest omnes pecunias implicare in cambijs, vt dixi, ita à fortiori mercator ditissimus, quamuis multam negotietur pecuniam in mercibus, potest aliquam pecuniarum partem tenere otiosam, ordinatam pro cambijs, ita vt eam non expenderet, etiam si quæuis vtilis, & bona occasio ei contingeret negotiandi super mercibus illam pecuniam, quia iste non peccat.

Quicquid in contrarium scripserit idem Hieron. de Luc. d. tract. de camb. num.41. fol.410.

6 Infero secundo, quòd clerici seculares, qui paupertatem professi non sunt, possunt, mediante aliquo laico, dare suas pecunias ad cambium, non pro se ditando, sed pro sua, vel suorum necessitate; & dummodo non dent scandalum, neque à cultu diuino distrahantur, Fabian. Genuen. tractat. de camb.inirio, num.45. versus finem, & num. 46,tom.6.par.1.fol.415. quem, & alios, loquendo de consuetudine, sequitur Io.Bapt. Cauat.tract.de camb. tit.de dante. in princ. fol.234.

7 Confirmatur hæc illatio, quia etsi *nemo, militans Deo, implicat se negotijs secularibus*, Apost.2.ad Timoth. 2.num.4. ideoque clericis mercatura, & negotiatio sit prohibita, cap.10.fornicari.dist.88.& pluribus alijs sacrorum canonum locis, & Doctorum auctoritatibus citatis, sequitur Stracch. tract. de mercat.par.3.num.4.tom.6. par.1. fol.295. &, citata d.dist.88. per totam, scribunt Sot. de iust.& iur.lib.6.q.2.art.2.in 5.concl. col. 4.fol.565.in fine, & Card.Tolet.de instruct. sacerd.lib.8. cap. 53. de negotiatione, vers. secundo ratione. & multas etiam auctorita-

tes

tes adducit, sed sequitur cum distinctione Conrad. de contract. q. 52. in secunda, & quarta conclusione; nam clericus debet abstinere non solum ab his, quæ sunt mala secundum se, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali, quod in negotiatione contingit propter tria: primo, quia est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clericus debet esse contemptor: secundo, propter frequentia negotiatorum vitia, quia difficulter negotiator exuitur à peccatis labiorum: tertio quia nimis implicaret animum curis secularibus, & per consequens retraheretur à spiritualibus, vt ex D.Thom. refert, & sequitur Card. à Turrecrem. in cap. canonum. num. 11. vers. ad secundam. 14. q. 4.

Tamen distinguenda est negotiatio in triplicem speciem: Prima enim dicitur negotiatio œconomica, quæ fit ad sustentandum se, & domum suam, prout necessitas postulauerit: Secunda dicitur negotiatio politica, cuius finis est publicis populi necessitatibus succurrere, & hæc Ciuitatum Gubernatoribus conuenit: Tertia dicitur negotiatio lucratiua, qua scilicet quis aliquid emit, vt illud postea carius vendat; hæcq; tertia negotiatio fit duplici modo: primus modus est, quando emptor rem, quam emit, artificio, & industria mutat, & meliorat, ideoq; carius vendit; hæcq; non tàm dicitur negotiatio, quàm artificium: secundus modus est, quando quis emit, vt carius vendat, nullo artificio adhibito, nullaq; addita melioratione, hæcq; proprie dicitur negotiatio, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 30. in 2. modo. vsque ad vers. esset. fol. 223. col. 1. in fine, & seqq. ex quibus tribus negotiationis speciebus clericis prohibentur solum secunda species, videlicet negotiatio politica, Medin. in d. 2. modo. vers. alia est. il 1. fol. 223. in hac enim intelligendum est Apostoli dictum ad Timoth. supra relatum, & tertia species in secundo modo, videlicet negotiatio lucratiua, sine artificio, & melioratione, Medin. vbi supra, vers. alio modo. fol. 224. col. 1. reliquæ autem species, nempè, prima, quę dicitur negotiatio œconomica, ac tertia in primo modo sunt eis licitæ, Medin. in d. 2. modo, initio, & vers. alia est. il 2. fol. 223. col. 1. in fine, & 2. & sunt licitæ non solum clericis; sed etiam ei, qui esset monachus, cui licent ea omnia, de quibus in cap. 33. nunquam. de consecrat. dist. 5. & latè explicat Conrad. d. q. 52. in 3. conclus. quare licitum est clerico emere ea, quæ necessaria sunt in domo pro vsu suo, & familiæ suæ; similiter si clerici de prædijs ecclesiasticis, vel patrimonialibus, vel dona habeant aliqua, quibus non indigent, possunt illa vendere, Conrad. d. concl. 3. & Medin. d. q. 30. in secundo modo, fol. 223. col. 1. in fine, &, quòd clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officij sui detrimento debeat præparare, dicit text. in cap. 3. clericus. dist. 91. & quòd clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, debeat nihilominus artificiolo victum quærere; omnes enim clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola, & litteras discant, dicit text. in cap. seq. clericus. ead. dist. 91. quare, vt habetur in Apostolorum actib. 18. Apostolus Paulus, etiam cum esset Episcopus, exercuit artificium artis scænofactoriæ, idest, fuit funifex, vel tabernaculorum, seu tenoriorum factor, & 1. ad Corinth. 4. num. 12. ipse pro se, & alijs dicit, *laboramus, operantes manibus nostris*. & 2. ad Thess. 3. num. 8. *neque gratis panem manducauimus ab aliquo; sed in labore, & fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus*. & d. cap. 33. nũquam. de consecr. dist. 5. *si apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, &c. cur tu, &c.* &, quòd clericus, peractis horis, & visitatis infirmis, possit, si voluerit, exire ad opus rurale, vt necessitatibus peregrinorum, & hospitum, siue diuersorum commeantium, infirmorum, atque defunctorum succurrere valeat, dicit text. in cap. 2. presbyter. dist. 91. & in cap. 1. de celebr. miss. imò neque tertia species negotiationis in 2. modo videtur absolutè clericis prohibita: nam clerici possunt emere, & vendere ex iusta causa, puta, vt victum quærant, seu domum suam sustentent, vel indigentibus subueniant, vel Reip. vtilitati, & necessitati consulant, vt, citato D.Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. latè deducit Salyc. in auth. ad hæc. sub num. 18. q. 21. ibi, & in clericis res videtur clara. C. de vsur. & quòd clericus possit habere tabernam, idest, apothecam ad res vendendas propter honestam, & necessariam negotiationem, scribit Præpos. in cap. 9. negotiatorem. & ante eum Gl. ibidem dist. 88. & pro istis facit, quod secutus sum par. præceden. num. 64. vers. ad quintum. Item qui emit rem, non vt vendat, sed vt retineat, & postea propter aliquam causam velit eam vendere, non est negotiatio, & quamuis ca-

rius vendat, est licitum, vel quia eam rem in aliquo meliorauerit, vel quia est mutatum pretium secundum diuersitatē loci, vel temporis, vel propter periculum, cui se exposuit, transferēdo rem de loco ad locum, vel eam rem fieri faciendo, puta, ex ferro infecto factum, Saly c. sub d. num. 18. q. 21. quod etiam sub alio modo scribit Anch. in cap. peccatum. sub num. 21. vers. & primo. col. 18. de reg. iur. in 6. &, quòd clerici, quibus prohibitum est exercere tabernam, possint illam per alium exercere sine amissione priuilegij clericatus, sequitur Rebuff. ad constit. Franciæ tract. de mercat. art. 1. gl. 14. tom. 2. fol. 205. & latè ostendit, & declarat Medin. d. q. 30. in 2. modo, vers. hæc tamen non obstant. iunctis præcedentibus, fol. 224.

8 In huius confirmationis materia non licet diutius insistere, quia nimis confirmationis limites excederemus: sed quæ negotiationes, & commercia sint prohibita clericis, & quæ permissa, vide Spec. tit. de cleric. coniug. num. 6. & seqq. vers. sed quam dices honestam. lib. 4. fol. 75. Medin. d. q. 36. vers. alia est negotiatio politica. & vers. alio modo. fol. 223. & 224. & latius Redoan. de spol. eccles. q. 2. num. 1. & seqq. vsque ad num. 59. & an iste articulus æquè comprehendat omnes species clericorum, tractat ibidem, num. 35. in fine, vers. ego vltra. & resolutè d. num. 59. & seqq. vsque ad num. 66. & qua pœna puniantur clerici, qui exercent negotiationes illicitas, scribit num. 66. & seqq. tom. 14. fol. 217. & seqq. lege eum, quia copiosè scripsit: &, quòd clerici exercentes negotiationem, sibi prohibitam, peccent mortaliter, vide Medin d q. 30. vers. nota tamen. fol. 225. col. 1. in fine.

Illud solum generaliter monebo omnes religiosos, & sacerdotes, ne in his commercijs, & exercitijs, quæ ad sui, suæq; familiæ sustentationem sibi permittuntur, proprijs studeant diuitijs, quia sicut gloria Episcopi est pauperum inopiæ prouidere, ita ignominia sacerdotis est proprijs studere diuitijs, vt ex D. Hieron. refert text. in cap. 71. gloria Episcopi. 12. q. 2.

Contra hanc illationem, & præsertim contra vltimum dictum confirmationis facit, quod scribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 12. sub num. 3. vers. alterum est. tom. 2. fol. 587. dicens in casu, de quo ipse loquitur, quòd etiam is, qui pecuniam dat campsori, seu mercatori, vt illam negotietur in cambijs, censetur campsor, seu mercator, non immediatè, sed mediatè.

9 Retenta illatione.

Infero tertio, quòd etsi mulieres non sint mercatrices, & non negotientur; tamen possunt suas pecunias dare alicui campsori, qui eas negotietur in cambijs pro ipsis mulieribus, vt dixi supra ampl. 9. num. 1. & seqq.

10 Infero quarto generaliter, quòd omnis persona, quæ est habilis ad emendum, & vendendum, potest inire contractum cambij, quia cambium est contractus emptionis, & venditionis, vt firmaui supra q. 4. num. 21. & infra ampl. 17. num. 1. & seqq.

AMPLIATIO XII.

SVMMARIVM.

Cambium est licitum, etiam dato pignore, seu fideiussore, num. 1. Declaratur, num. 4.

Mutuum non est illicitum, quamuis mutuator mutuet cum pignore, num. 2.

Pignoris fructus debet campsor computare in sortem, alias cambium esset illicitum, sub nu. 4. Extenditur primo, vt maximè eos computare debeat mutuator. Subextenditur, etiam si mutuatarius iure donationis fructus remitteret. Extenditur secundo, etiam si dominus pignoris alias, non dato pignore, fructus illos non collegisset, sub eod. num. 4.

Pignoris fructus non computantur in sortem, quando pignus mutatur in venditionem, sub eod. num 4. restrict. 1. Multi sunt casus, in quibus non computantur in sortem, num. 5.

Fructus restitui debent venditori, rescissa venditione, eo quia emptor non soluerit in termino, sub num. 4. vers. primus.

Pactum legis commissoriæ reprobatur in pignore, sub num. 4. vers. secundus.

1 AMPLIA XII. vt cambium licitè contrahi possit, etiam accepto pignore, seu dato fideiussore, Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. & quantunque. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controuer. 1. num. 17. vers. ad vltimum. fol. 558. tom. 2. Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 11. & Romoal. Coli tract. de camb. cap. 28. & ita tenent omnes sine difficultate, & super cambijs, dato creditoribus pignore,

pignore, consuluerunt, nulla in hoc excitata difficultate, Iureconsulti Florentini, & Curt. Iun. cons. 132. habita diligenti. sub num. 1. vers. omissis. & num. seqq.

2 Confirmatur hæc ampliatio, quia si quis, mutuando, recipit pignus mobile, vel immobile ad sui securitatem, & nullum fructum intendit habere ex illo pignore, mutuum cum eiusmodi pignore est licitum, Archiep. Flor. tract. de vsur. cap. 2. §. 25. num. 42. tom. 7. fol. 83. & Conrad. tract. de contract. q. 32. in 1. conclus. vbi tamen ponit fallentiam, quando mutuatarius ita indiget illo pignore, vt mutuator ex debito charitatis deberet illud mutuatario concedere.

Ergo, si pignus toleratur in mutuo, multò magis tolerabitur in alijs contractibus, in quibus non alia ratione fuisset pignus prohibitum, quàm ratione mutui impliciti.

3 Quicquid contra hanc ampliationem scripserit Hier. de Luc. tractat. de camb. vers. pro decisione. num. 42. tom. 6. par. 1. fol. 410. dicens, quòd etsi iste, qui dat cambio, pignore accepto, sit in tuto de cambio, tamen secundum Doct. inquit, stabit in periculo animæ, quia ponere se ita in tuto, non est absque discrimine conscientiæ, ex quò exit limites mercatorios; & quicquid, distinguendo, scripserit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de vsura, vers. quæro antonius. & seqq. fol. 241. dicens, quòd si dans cambio, accepit pignus eò, quia probabiliter credidit, eum non posse soluere in nundinis, tunc vsura est manifesta, & hanc dicit esse communem opinionem; secus, inquit, si credat, eum soluturum, sed tamen voluerit se cautiorem reddere, quia tunc, inquit, contractus est licitus.

Nam Hier. loquitur sine auctoritate, & ratio, quam adducit, non est bona, quia se reddere securum non est damnabile, & quilibet, qui dat cambio, quærit dare debitori securo, & stultè ageret, qui aliter faceret; & quòd debitor cambij sit idoneus, magis idoneus, & non idoneus, non est de substantia cambij: & ad Io. Bapt. respondeo dupliciter: primo, quòd dato etiam eius dicto pro vero, tamen non pignus, sed credulitas impotentiæ inficeret cambium: secundo respondeo, quòd eius dictum quoad credulitatem impotentiæ debitoris, etsi videatur commune, tamen est impracticabile, & conquassatur ex his, quæ scripsi infra ampliat. 17. num. 1. & seqq.

4 Declara hanc ampliationem, vt in pignore infructifero procedat de plano.

Sed in pignore fructifero est distinguendum: Aut enim campsor, cui datum est pignus, vult compensare fructus pignoris in sortem, siue eos restituere; & tunc vtique contractus cambij, etiam cum pignore, est licitus, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum sup. q. 1. num. 481. & in contractu mutui hic supra num. 2. Aut campsor non vult eos compensare, sed vult lucrari; & tunc contractus cambij est illicitus, per ea, quæ, loquendo de contractu venditionis, rescisso ex causa de præterito, & vigore pacti legis commissoriæ, & conditionis, impedientis natiuitatem venditionis, scripsi eadem q. 1. num. 482. 483. & 484. nam, generarim loquendo, fructus pignoris esse restituendos, seu computandos in sortẽ, alias contractum esse vsurarium, seu illicitũ probatur ex cap. 1. & 2. & cap. 8. conquestus. de vsur. cum similibus, & scribunt Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. in 3. partic. princip. num. 49. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 41. Io. de Anan. in d. cap. 1. num. 1. in fine, Archiepisc. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 25. num. 42. tom. 7. fol. 83. Sor. de iust. & iut. lib. 6. q. 1. art. 2. ad secundum, seu sextum argumentum. col. 12. fol. 538. Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 216. vers. octuagesimooctauo. Molin. de iustit. tom. 2. de contract. disput. 320. initio, col. 286. & 287. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 12. initio, & num. 1. tom. 2. fol. 287. & 288. dicens, hanc esse veram, certam, & communem sententiam inter Summistas, & rationem reddit.

Extende primo hanc declarationem in secunda parte, vt maxime procedat, si creditor cum pignore sit creditor ex mutuo, quia tunc est vsura formalis, cum simus in mutuo, in quo vsuram formalem committi, quando mutuator recipit vltra sortem, diximus hac ead. q. par. præced. sub num. 25. & vsuram esse prohibitam omni iure, latè ostendi supra q. 1. num. 401. & 404.

Subextende hanc extensionem, vt procedat etiam si debitor in contractu mutui iure donationis irreuocabilis remiserit, & donauerit fructus pignoris ipsi mutuatori, quia adhuc non dicitur sponranea donatio, & ideo tenetur eos restiruere, per ea, quæ secutus sum infra ampl. 19. num. 65.

Extende secundo, vt procedat etiam si

Hh 3 alias

alias debitor illos fructus non colligebat, nec colligere cogitabat, vt puta, quia datus erat in pignore ager sterilis, & debitor illum colere non intendebat: adhuc enim creditor tenetur illos fructus restituere, vel computare in sortem, deductis expensis, & laboribus, tum quia sufficit, esse fructus bonorum debitoris, & eos nullo iusto titulo à creditore retineri posse, tum quia alias sequeretur, quòd si creditor ex pignore sua solerti industria longe plures colligeret fructus, quàm debitor cogitaret, non teneretur illam maiorem summam restituere, quod est absurdum; hancq; extensionem contra Sotum tenent Nauar. d. cap. 17. sub num. 216. & Molin. d. disput. 320. vers. sotus. col. 287.

Restringe primo eandem declarationem in secunda parte, vt non procedat in pignore, quod licitè mutatur in venditionem, quia statim atque mutatur in eam, dominium transit in creditorem, & consequenter in eundem transit periculum pignoris, & debitor liberatur à debito, & proinde ad eundem creditorem pertinent fructus; tum quia fructus sequuntur dominium; tum quia, qui subit periculum, debet habere vtilitatem periculi, per ea, quæ, loquendo de venditione cum pacto retrouendendi, latius sub multiplici consideratione scripsi supra q. 1. num. 473. 474. & 478.

Pro huius restrictionis maiori intelligentia distinguo breuiter duos casus.

Primus casus est; quando venditur res cum pacto, quòd, si emptor non soluerit pretium intra certum terminum, res sit inempta, idest, venditio sit nulla; & isto casu dico, quòd istud pactum est validum, & iustum, Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 7. princip. num. 10. vers. restat videre. & intelligitur appositum fauore venditoris, quia is adimpleuit pro parte sua, & dicitur pactum legis commissoriæ, vt secutus sum in meo tract. de iudic caus. lib. 2. cap. 2. sub nu. 384. & dixi supra q. 1. num. 483. &, rescissa venditione, tenetur emptor restituere fructus, quos percepit, vt secutus sum dicto num. 483.

Secundus casus est; quando mutuatarius, siue alius debitor dat mutuatori, siue creditori pignus cum pacto, quòd, si infra certum terminum non soluerit debitum, pignus intelligatur emptum à creditore pro illo debito, seu mutuo; & isto casu dico, quòd eiusmodi pactum dicitur etiam legis commissoriæ, sed est reprobatum in pignoribus, l. 1. & vlt. C. de pact. pign. Bal. in d. l. 1. num. 2. Salyc. num. 1. & seqq. & in d. l. vlt. sub nu. 2. vers. conclude ergo. Fab. de Mont. d. q. 7. princip. sub num. 10. vers. restat videre. & num. 12. & sub num. 14. & Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 324. vers. in pignoribus. & seqq. col. 299. vbi declarant.

Et quando pactum legis commissoriæ valeat etiam in pignore, vide eundem Fab. de Monte d. q. 7. num. 11. fol. 64. vbi ponit quatuor fallentias.

5 Restringe secundo, vt multi sint casus, in quibus fructus pignoris non computantur in sortem; ego eos non prosequor, quia non est nostra materia; vide tu Hostien. in sum. tit. de vsur. §. an aliquo casu. vers. primo quando. in prima fallen. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. ad secundum, seu sextum argumentum. col. 12. fol. 538. Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 7. tit. de mutuo, cap. 8. in 1. casu. col. 557. & latè Conrad. de contract. q. 32 conclus. 2. & seqq. & de fructibus pignoris dati in causa dotis, vide quæ scripsi supra ampl. 8. num. 175. & seqq. & de fructibus pignoris feudalis, vide Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. controu. 13. fol. 289. tom. 2.

AMPLIATIO XIII.

SVMMARIVM.

Cambium potest licitè contrahi cum debitore idoneo pro minori lucro, vt is pro maiori contrahat cum non idoneo, num. 1.

1 AMPLIA XIII. vt ego possim licitè dare cambio alicui mercatori facultatibus idoneo ad rationem solidorum 66. & 8. pro scuto marcharum, cum hac intentione, vt ipse possit postea dare ad rationem solidorum 66. & 3. alteri, cui ego nolui dare, quia non habui eum pro idoneo, hocque exemplum in hac ratione congruit pro cambijs, quæ contrahuntur Genuæ, nam si alius vult se ponere in periculo, in quo ego nolui stare, & pro illo periculo ille vult aliquid lucrari, ego licitè potui nolle, & alius potuit velle, quia quilibet est suæ rei moderator, & arbiter.

Confirmatur hæc ampliatio ex his, quæ scripsi supra hac ead. q. ampl. 10. sub nu. 68. & 69.

& 69. vbi dixi, marcham alio pretio æstimari in diuite; & alio in non diuite, & similiter censum maiori pretio emi à venditore diuite, quàm à venditore inope.

Quicquid scripserit Hiet. de Luc.tract.de camb. in verbo,pro decisione.num.40.tom. 6. par. 1. fol. 410. vbi, ponendo hoc aliud exemplum; (mercator diues, requisitus ab alio mercatore non diuite, negat ei mutuare, seu dare cambio, sed clandestine, proxeneta mediante,inuenit alium mercatorem, cui credit,& mutuat illi marcham ad 54.pro marcha,vt iste possit mutuare eidem mercatori non diuiti ad 54. 2. 3. & sic vterque lucretur) quærit, an iste modus cambiendi sit licitus: & respondet, quòd non, quia ille mercator diues non habet æquitatem, quia facit alteri, quod sibi fieri nollet, ponendo illum alterum in periculo, vt ipse tutus euadat; quo in loco verbo, *mutui*, vtitur pro verbo, *cambij*.

AMPLIATIO XIV.

SVMMARIVM.

Cambium potest contrahi etiam sub incerto,& futuro pretio imponendo, num. 1. Et etiam pro aliquo modico minus, sub eodem num. 1. subampliat. 2. Restringitur, vt non sit licitum, quando campsor interim postea procuraret, cambium augeri, num. 2.

Cambium potest contrahi sub certo pretio, ita vt tunc lucrum sit euidens, reiecta Soti opinione, sub num. 1. subampl. 1. & num. 3.

1 AMPLIA XIV. vt cambium sit licitum, non solum quando sit pro certo pretio, iam à consulatu mercatorum imposito, seu inter cambientes taxato, iuxta ea, quæ scripsi supra q.5.sub num.53. & 54. sed sit etiam licitum, si fiat pro pretio imponendo, ideoque incerto; quod contingit, quando solutis, seu aliter expeditis litteris cambiorum in nundinis, fiunt tunc ibidem cambia pro pretio, imponendo à mercatorum consulatu, seu magistratu in Ciuitatibus, & locis post reditum ex nundinis, per ea, quæ scribit Sot. de iust.& iur.lib. 6.q. 12. art. 4. vers. ad quæstionem. col. 1. fol. 623. & apertius Romoal. Coli tract. de camb.cap.23.

Confirmatur hæc ampliatio, quia cambium est emptio, & venditio pecuniæ, vt dixi supra q.4. num.21. Sed cæteræ res, quæ emuntur,& venduntur, possunt emi, & vendi pro pretio imponendo, vt dixi d.q.5.nu. 65. & hac ead. q. par.præcedenti, num. 56. Ergo, &c.

Subamplia primo hanc ampliationem, vt hoc solum cambium, pro pretio imponendo sit licitum, & non illud, quod fit pretio determinato, secundum Sot. in loco supra proximè citato.

Quicquid dicat Sot. vtrumque est licitum, & Sot. hoc ipso ostendit, se expertem fuisse huius negotij, seu contractus; tum quia cambia regulariter ita contrahuntur pro pretio certo,& rarò pro pretio imponendo, vt scripsi supra d.q.5.num.65.& 66.tum quia, quod fit pretio certo, non fit pretio absolutè taxato à nummulario, seu campsore, sed fit pretio, imposito à consulatu.

Subamplia secundo, vt cambium possit fieri, non solum pro pretio imponendo, sed etiam pro aliquo modico pluri, vt puta pro vno, vel duobus denarijs vltra pretium imponendum,ita vt si accipiens cambio sit bona littera, possit expressè conuenire, quòd scutus marcharum sibi soluatur vno, vel duobus denarijs vltra valorem, qui imponetur, per ea, quæ scripsi d. q.5. num.70.

2 Restringe primo hanc ampliationem, vt non procedat, quando campsor, qui dat cambio, & sic emit scutos marcharum, procuraret deinde, & malitiosè efficeret,vt pretia cambiorum essent in magna æstimatione, idest, quòd valor scuti marcharum vilesceret; quia tunc cambium esset illicitum, & campsor mortifere peccaret, Sot. & Romoal.in locis supra proximè citatis.

3 Restringe secundo, vt nõ procedat,quando non est æquilibre dubium, pluris, minorisvè ducatum æstimatum iri,quia hoc cambium est veluti vadiatio, idest, positio pecuniæ periculo futuri euentus: accipe centum hac lege, vt si cambiorum pretia aucta fuerint, soluas mihi plus, sin verò, minus, vel æquale; hoc enim casu, si vtraque pars æqualiter subesset aleæ, essetque æquilibre dubium, cambium erit licitum, Sot. vbi supra; sed quia perquàm rarissimè, imò possumus dicere, nunquam, dum eiusmodi cambia fiunt, timetur minus pretium, sed semper est certum, auctum iri, sicque non fiunt, nisi ad personandas vsuras, tutum non est, facere huiusmodi cambia ad incertam solutionis

tionis quantitatem, cum semper illic lateat anguis, Sor.d.art.4. col.vlt. in documento, ibi, ex his hoc colligamus documentum.

Hæc restrictio, salua Soti reuerentia, non est vera, quia cambia contrahuntur pretio certo,& terminato,vt scripsi hic supra num. 1. & patet ex litterarum formulis, quas posui supra q.5. & ideo, vt dixi sub d. num. 1. vers. quicquid. & apertius supra hac ead. q. par.præced.n.94.deceptus est in hoc Sotus.

AMPLIATIO XV.

SVMMARIVM.

Campsor, supposita triplici scutorum marcharum æstimatione, potest viliori à campsuario indigente emere, num. 1.

1 AMPLIA XV. vt si scutus marcharum vendatur nūc pro proximo foro sub triplici pretio, nempe sol.65.66.& 67. tu possis ab indigente emere pro sol.65. & sic minori pretio,tum quia licitum est contrahentibus se decipere in pretio, vt scripsi supra ampliat.10. num.1. tùm quia quodlibet istorum pretium dicitur iustum, vt ex Nauar.secutus sum supra ead.ampliat. 10.num.101.restrict.2. & ideo sub istis pretijs contrahentes possunt licitè contrahere; & ratio, quare soleat quandoque in rebus dari triplex pretium, est, quia etiam rerum bonitas est inæqualis: & sicut in rebus est inæqualitas bonitatis, ita etiam inæquales sunt debitores, qui vendunt scutos marcharum, ita vt vnus sit minus idoneus, quàm alius; & consequenter pluris æstimetur nomen magis idonei debitoris, quàm nomen minus idonei.

Quicquid scripserit Hier.de Luc. tract.de camb.vers.pro decisione. num.44.q.7. tom. 6.par.1.fol.410.dicens,quòd Doct. scribunt, quòd non esset sine periculo ponere se in extremo vitioso in detrimentum proximi indigentis, & præcipuè, cum non sit fas lucrari de alterius commodo.

AMPLIATIO XVI.

SVMMARIVM.

Cambium cum recursa est licitum, num. 1.
Recambium est licitum, num. 2.

1 AMPLIA XVI. vt sit licitum cambium, quod vocant, *con la ricorsa*: cum tu, scilicet, das mihi ad cambium scutos 100. & ego facio tibi litteras cambij, soluendas vel à teipso tibimetipsi, vel à me mihimetipsi,iuxta formulam litterarum, de quibus supra q.5.num.88. vers.prima. & num.94. vers.secunda. hoc enim cambium esse licitum, te latè disputata, firmaui infra §.6. gl. 1. num. 2. & seqq. vers.secunda. & num. 63. vers. retenta. & seqq. ad illum, vbi videas.

2 Subamplia hanc ampliationem,explicando potius eam, vt ideo sit licitum etiam recambium, per ea, quæ dixi hac ead. q. par. præcedenti. num. 99. iunctis num.97.& 98.

AMPLIATIO XVII.

SVMMARIVM.

Cambium,contractum cum campsuario, quem campsor credat, non esse soluturum litteras cambij, est adhuc licitum, num. 1. *& seqq. Contrarium, num.* 7. *& seqq. Resolutio cum distinctione, num.* 15. *& seqq. Retinetur ampliatio cum distinctionibus, num.* 22.
Subampliatur primo, vt procedat quando campsor dubitat, an sit soluturus, eod. num. 22.
Subampliatur secundo, quando firmiter tenet, campsuarium soluturum esse, nu. 23. *& seqq. Et quid si superueniat scientia in contrarium, num.* 26 *&* 27.
Cambiorum siccorum multi casus, num. 10. *& seqq.*
Emptio, & venditio non habet pro substantia, quòd emptor debeat credere, venditorem traditurum esse rem emptam, num. 2. *Nec,quòd debeat scire, an venditor habeat rem, quam vendit, num.*4.
*Campsor non dat ad cambium illi, à quo non speret solutionem litterarum cambij,& c. num.*3.
Cambij capitale, & interesse verè probatum debentur etiam ex cambio nullo, num. 5.
*Pauper, & similes, qui videntur inhabiles ad accipiendum cambio, quomodo possint accipere, num.*6.
*Census scienter emptus super re non venditoris, est illicitus, num.*8.
*Societas simulata, & ficta est illicita,num.*9.
Constitutionis Pij V. de cambijs intellectus, num. 16.
Censu imposito super re aliena, ignorante emptore,

re, ideoque fructus exigente bona fide, an illi fructus sint restituendi, &c. num. 24. & seqq.

1 AMPLIA XVII. vt cambium sit licitum, quamuis, accipiens cambio, sit rusticus, mechanicus, pauper, vel similis, quem is, qui ei dat cambio, verisimiliter credere debeat, non habiturum in nundinis, seu loco, pro quo accipit cambio, facultatem soluendi, Boninseg. tractat. de camb. cap. 7. vers. sono alcuni. fol. 19. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 6. col. 890. hæcq; ampliatio pluribus comprobatur argumentis.

2 Primo, quia cambium est emptio, & venditio nummorum, vt secutus sum supra q. 4. num. 21. & seqq. sed ad emptionis, & venditionis iustitiam, non est necessarium, quòd venditor, qui promittit rem tradere, sit talis conditionis, vt emptor eius promissioni probabiliter debeat credere; sufficit enim, quòd possit credere, illum volentem, vel inuitum, iustitia cogente, posse satisfacere obligationi tradendi rem.

3 Secundo (& tendit ad idem) quia huius ampliationis termini videntur implicare contradictionem, seu ligare arenam sine cæmento, cum supponant, campsorem credere pecunias campsuario, cui sciat non esse credendas, quod certè saperet fatuitatem, & omnimodam inuerisimilitudinem, ne dicam, impossibilitatem, cum campsores, timentes campsuariorum inopiam, seu impotentiam, priusquam suas pecunias illis credant, se diligenter informent de eorum idoneitate, & facultatibus, & vbi bonam non habeant informationem, abstinent à cambijs: nec rusticitas, seu ars mechanica, imò neque apparens paupertas sunt tutum inditium impotentiæ, & inopiæ; & experimur, nos ab his, quos facultatibus valde idoneos existimamus, sæpius falli, & decipi, quàm ab alijs infimis, quibus potest propterea quadrare illud Ouidianum:

Quo minimè credis gurgite piscis erit.

& satisfaciunt, quæ scripsi infra §. 6. glos. 1. num. 64.

4 Tertio, quia in emptione aliarum rerum non tenetur emptor scire, an ille, qui vendit, habeat, seu sit habiturus rem, quam vendit, per ea, quæ dixi d. gl. 1. nu. 64. versus finem: sed tollitur omnis difficultas, quia in cābio cum recursa nummularius iam ostendit, se scire eum, cui dat ad cambium, non esse soluturum in nundinis, nisi per viam recursus ad eundem nummularium, & tamen istud cambium toleratur, vt, late articulo disputaro, scripsi infra d. gl. 1. num. 21. & seqq. in secunda opinione: ergo nihil refert, quòd nummularius credat, eum, cui dat cambio, non esse habiturum effectum, seu creditum in nundinis, quo possit satisfacere litteris cambij.

5 Quarto, quia hæc disputatio videtur frustratoria, cum, dato etiam, quòd eiusmodi cambium esset illicitum, tamen capitale cambij, & illius interesse, quod creditor verè passus esset, adhuc ei deberetur saltem in foro conscientiæ, Nauar. in cap. nauiganti. num. 26. vers. in solo vno. de vsur. & quòd in omnem casum iste rusticus teneretur ad interesse damni emergentis, & lucri cessantis, scribit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de dante. vers. quæro in casu. fol. 234. quod satis etiam probatur ex his, quæ scripsi supra ampl. 8. sub num. 1. & infra ampl. 20. sub num. 3. & quòd ex pecunijs, nulliter datis in societatem officij, debeatur interesse, probatis requisitis necessarijs, dixit Rot. quam citaui infra ead. ampl. 20. num. 27. & cum hoc argumento concordat eadem Rot. diuers. decis. 195. in vltima. num. 1. par. 1. dicens, quòd licet contractus sit nullus, & vsurarius, tamen non sequitur, quòd debitores non remanserint obligati ea obligatione, quæ re contrahitur, ad restitutionem pecuniarum, & per consequens, non restituendo eas, ad interesse lucri cessantis, ad quod faciunt, quæ scripsi supra d. ampl. 8. num. 193. & seqq. restr. 7. & quòd pactum vsurarium in mutuo vitietur, & non vitiet, secutus sum infra d. ampl. 20. num. 7. & quòd taxatio certi interesse non vitiet mutuum, quamuis sit reprobata, secutus sum supra d. ampliat. 8. num. 60.

6 Quinto, quia in omnem casum facilè eludi potest hoc requisitum, seu qualitas, cum posset iste rusticus, seu pauper, qui indiget mutuo, & non cambio, inuenire mercatorem, qui pro paupere acciperet cambio, & pauper promitteret de conseruando indemnem ipsum mercatorem, Nauar. in cap. nauiganti. num. 29. vers. vtile tamen. de vsur. & hac via omnes essent tuti, tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori: ergo non est dicendum, quòd lex voluerit disponere id, in quo, si disposuisset, redderetur ludibrio,

dibrio, & frustratoria in vtroque foro.

7 Contra hanc ampliationem, nempe, quòd cambium sit illicitum, tenent Syluest. *in verbo*, vsura.4.§.9. Sot.de iust. & iur. lib.6. q.13. art.1. concl.3. col.3. initio, fol.629. Nauar.in man.confess.cap.17. sub nu. 301. not.2. & in cap.nauiganti. num.25.de vsur. Hier.de Luc. tractat.de camb. in verbo, pro decisione. num.43.tom.6.par.1.fol.410.dicens, quòd is, qui dat cambio, peccat, quia scit, quòd, si litteræ illius rustici præsentabuntur, redibunt cum protestatione, &, si non præsentantur, fit in fraudem vsurarum, Fabian.Genuen. eod. tract. initio, sub num. 46. vers. decima. fol.415. dicens, esse vsuram, Io.Bapt.Cauat.tract.de camb. tit.de dante, vers.quero an căpsor.fol.234.& quòd sit cambiū illicitū, scribit Romoal.Coli tract. de camb. cap. 19. intorno, in fine, dicens, cambium esse licitum, quando mercator, qui habet creditum, subscribit litteras pauperis, qui non inueniret dantem; dummodo habeat in foro pecunias, seu creditum, vt possit soluere, quia alias esset cambium fictum contra constitutionem Pij V. quod idem formalius, citatis auctoribus, latius sequitur cap.22.ln 2.conclus. hancq; opinionem contra ampliationem esse etiam de mente Ioannis Azor.de instit.moral.par.3.lib.10.tit.de camb.cap.9.q.2.vers.in hac re, patet, quia scribit; cambium cum recursu esse licitum, quamuis is, qui dat cambio, iam sciat, accipientem non habere aliquem, qui pro eo soluat in nundinis; dummodo tamen probabili spe, vel potestate habeat, & sic secundum eum, nisi adesset probabilis spes, seu potestas, vt habeat, qui soluat, non esset licitum, quod expressè asserit postea, cap.10. vers.tertio quãdo. quod idem sentit ibidem, in fine, vers.prætereа quando. & vers.secundo quando. scribens, esse cambium vsurarium, seu siccum, quando reipsa mittuntur litteræ ad locum, vbi pecuniæ sunt soluendæ, sed remittuntur inanes, & scripsi infra §.6.gl.1.sub num.2.& 3. vers.secundo quia. & satis videtur probari ex Pij V. constitutione, in illis verbis: *neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat.*

8 Confirmatur primo hæc opinio contraria, quia sicut societas officij est illicita, & vsuraria, quando is, qui pecunias accipit in societate, nullum habet officium, vt dixi hac ead.q.par.præced.num. 35.in 10. argum. & sup.q.1.nu.267.& 276.in 5. requis.& similiter illicita est census exactio, quando emptor census sciebat, censum imponi super re aliena, sed simulabat ignorantiam, vt declarant Nauar. in cap.si fœneraueris. num. 119.14.q.3. Virgin.de Boccat.tractat.de censib. par.2.num.44.& 45. & Io. Azor. de instit.moral.par.3.lib.10.tit. de censib. cap. 7.q.7. ita etiam illicitum, ac vsurarium est cambium, quando is, qui accipit cambio pro nundinis, non est talis, qui indigeat illo cambio pro nundinis, & non habeat in illis effectus, seu creditum, quo possit soluere litteras cambij, quas facit: ita enim si habet ad iustitiam cambij facultas, & possibilitas verisimilis in campsuario, vt possit soluere litteras cambij in nundinis, siue alio in loco, in quo promiserit soluere; sicut se habet officium in societate officij, & fundus in censu ad iustitiam societatis, & census.

9 Confirmatur secundo, quia dans pecuniam in societatem illi, quem scit non esse eam negotiaturum, vt militi, vel clerico indigentibus, committit vsuram, seu peccat, quia non est vera, sed simulata societas, quæ mutuum velat, siue palliat, quamuis pecunias det pro certo, & iusto lucro, & seruatis illis tribus contractibus, de quibus scripsi infra §.3.gl.3.num.36.declar.2.contentis virtualiter in contractu societatis, Nauar. in manual.confess. cap.17.de vsura in societate, num.258. vers.centesimo duodecimo. & dixi par.præced. num.35. Ergo idem dicendum est in cambio, quamuis in eo sit seruata forma contractus cambij.

10 Confirmatur tertio, quia si nummularius det tibi Romæ pecunias cambio, & quærat à te, vbi tu sis eas soluturus, & tu respondeas, soluam tibi, vbi volueris, hoc cambium est siccum, quia tu in effectu videris pecunias mutuas petere, vt tuis commodis prospicias Io.Azor.de institut.moral.par.3. lib. 10. tit.de camb. cap. 10. vers. item suspecta.

11 Confirmatur quarto; quia si nummularius probabiliter scit, eum, cui dat cambio, necessitate compulsum accipere, esseq; ibi soluturum, vbi accipit, cambium est siccum, Ioan.Azor.d.cap.10. vers.item cum.

12 Cõfirmatur quinto; quia si tu dares cambio scutos 100.Caio, isq; diceret, se eos soluturum Venetijs, & tu diceres, volo, vt mihi soluas Neapoli, vbi tu scis, Caium nullam pecuniam habere, nec alium quempiam,

piam, qui pro eo soluat, cambium esset siccum, Io. Azor. d. cap. 10. in fine.

Confirmatur sexto; quia si quis emat boues à rustico, & eidem eosdem locet pro certa annua pensione, & sciat, rusticum illum non habere boues, talis emptio, & locatio sunt iniustæ, vt secutus sum infra §. 6. glos. 1. num. 3.

13 Iuxta hanc contrariam opinionem Nauar. in cap. nauiganti. vers. decimoquinto. num. 25. vers. sequitur. Ioan. Bapt. Lup. §. 2. num. 23. in fine, de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 139. & Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 7. inferunt, siccum esse cambium, quod quotidie fit cum Regibus, qui pecunias accipiunt à campsoribus, & illis dant chirographos, per quos Romæ, Lugduni, & Venetijs ad certum tempus, vel nundinas, mandant solui, conscijs tamen & campsoribus, & Regibus, qui accipiunt, quòd pecunias illic non habent, neque sunt habituri, sed intendunt earum restitutionem faciendam in eodem loco.

14 Et maximè procedit secundum Nauar. & Io. Azor. vbi supra hæc opinio, seu illatio, quando Rex, seu alius, accipiens cambio, se obligat ad recambia, nisi soluerit cambium; seu se obligat (quod idem est) in casu non solutionis soluere omnia lucra, quæ nummularius esset in nundinis ex repetitis identidem cambijs, donec ipse Rex soluerit, percepturus.

15 Quid dicendum? Duplex videtur posse excogitari distinctio.

Primo namque distingui potest inter forum, & forum: In foro exteriori concluderem, ampliationem esse veram, quia quando emptor, & sic dans cambio habet animum emendi, sed venditor, & sic accipiens non habet hunc animum, & emptori notus est hic animus venditoris, extrema non coniunguntur ad faciendum contractum simulatum; cum intentiones non coniungantur, ideoque in foro exteriori contractus remanet validus; secus in foro interiori, vt, loquendo in contractu emptionis, & venditionis, scribit Cæpol. quem retuli supra ampl. 10. sub num. 33.

Secundo distinguerem: Aut dans cambio, vt daret cambio, imò vt mutuaret, cessauit à vero cambio, & isto casu, potest in vtroque foro consequi illud lucrum cessans: Aut non cessauit à vero cambio, & tunc possumus redire ad primam distinctionem.

Retentis his distinctionibus, respondeo ad ea, quæ sunt adducta contra ampliationem.

16 Ad Pij V. constitutionem, in qua consistit neruus huius contrariæ opinionis, respondeo, distinguendo vt supra, inter forum, & forum.

Aut enim loquimur in foro conscientiæ, & supponimus, campsorem, qui dat cambio, esse conscium, quòd litteræ, quas à campsuario accipit pro nundinis, sunt inanes, & fictæ, quia tacitè vterque intendit contrahere mutuum, & ideo pecunias restituere in loco, vbi sunt datæ; & ita sequitur etiam in effectu: & isto casu vera est opinio contra ampliationem, quia in rei veritate, quæ attenditur in isto foro, per ea, quæ scripsi sup. q. 1. num. 529. & infra ampl. 19. num. 13. 36. & 37. hoc cambium est mutuum lucratorium; & ita procedit illa Pij V. sancta, diuiniq; iuris amica constitutio.

Aut loquimur in foro exteriori: & dicerem, ampliationem esse veram, quia lex fori exterioris non iudicat de istis, quæ sunt occulta, & resident in corde; semper enim campsor potest dicere, quòd ipse sperabat, & credebat, campsuarium soluturum esse in nundinis, & quòd, nisi ita sperasset, ei non dedisset cambio.

17 Ad primam confirmationem respondeo, quòd societas officij, & census habent diuersam rationem à cambio; nam in societate officij potest oculariter, aut saltem per notorietatem apparere de officio, & similiter in censu potest apparere de fundo, vnde, qui, ignorato officio, & ignorato fundo, daret pecuniam ad societatem, vel emeret censum, esset in euidenti, & latissima culpa, & diceretur ignorantia crassa, & forsan affectata, ideoque inexcusabilis; quo casu paria sunt scire, vel scire debere, & lex fori, quæ in his indicat, non dicitur iudicare de occultis, sed de patentibus; non sic est in eo, qui dat pecunias ad cambium, quia, si is ignoret, an ille, cui dat, indigeat, nec ne cambio pro illo loco, & an illic habere possit modum soluendi litteras cambij, potest esse ignorantia excusabilis, cum hæc indigentia, & modus soluendi litteras sint occulta, de quibus lex fori non iudicat, sed iudicium reseruat Deo, cui hæ fraudes occultæ sunt patentes; & faciunt quæ scripsi supra ampl. 10. sub num. 44. vers. verum. & vers. ratio. & num. 78.

18 Ad secundam confirmationem respódeo similiter, diuersam habere rationem, quia qui dat clerico, vel militi ad negotiandum, est in euidenti, & inexcusabili culpa, cum ex manifesta clerici, & militis inhabilitate excludatur omnis ignorantia.

19 Ad tertiam respondeo, quòd ex illa responsione soluendi, vbi nummularius voluerit, clarè constat, quòd is nó indigebat cambio, sed mutuo; & ideo qui ei dat, est in latissima culpa, seu dolo, quia iam scit, quòd ille vult contrahere mutuum.

20 Ad quartam respondeo; quòd illa procedit in foro interiori, in quo semper apparet veritas; secus in foro exteriori, in quo illa scientia dantis esset occulta.

21 Ad quintam respondeo, vt ad tertiam, quòd tunc clarè apparet, quòd is, qui petit cambium, quærit mutuum, vnde qui ei dat, est in latissima culpa; quare in eo foro, in quo apparet ista veritas, in eo punietur.

Ad sextam respondidi in eodem §.6.glos. 1.num.65.

22 Retenta ergo ampliatione cum distinctionibus, supra adductis.

Subamplia primo eãdem ampliationem, vt firmius procedat, quando dans cambio, non firmiter arbitratur, rusticum, cui dat cambio, esse non solutorum, sed solum dubitat, an sit soluturus, quia dubitãs, & ignorans æquiparantur, l.22. manifestissimi. §.si autem nescius & dubitans. & ibi notat pro singulari Bat. in §.sed quærebatur. sub num. 2.vers.nota etiam. C.de furt. & Io. Hannib. de Canonic.in l.naturaliter. num.92. & 94. ff.de vsucap.inter Repeten. tom.5. fol. 347. vbi alios citat; sed hæc regula, quòd dubitans, & ignorans æquiparetur, an & quando procedat, vide eos, quos allegat Paris. in addit. ad Bar. in loco supra citato.

Quicquid scripserit Fabian. Genuen. d. tract.de camb.initio, num.47. tom.6.par.1. fol.415. dicens, quòd in dubio debet abstinere, & quicquid dicat Nauar.in man. confess.cap.17.num.299. dicens, quòd ignorantia facti, quod quis tenetur scire, non excusat.

23 Subamplia secundo, vt multò firmius procedat, quando campsor, qui dat cambio, non solum non est conscius impotẽtiæ campsuarij, & de ea non solum non est dubius, sed firmiter tenet, eum esse soluturum litteras cambij, quia, quamdiu est in ista bona fide, cambium remanet licitum, & potest licitè lucrum percipere, Fabian.d. tract. de camb.sub num.46. vers. decima. ibi, si verò campsor. nec dissentiunt Nauar. in loco, supra proximè citato, & Io.Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 23. de vsur. inter tract.diuers. tom.7.fol.139.

24 Confirmatur hæc subampliatio, quia si Caius ignoranter, & bona fide emerit censum, impositũ super re aliena, & annuas pensiones eadem bona fide acceperit, & consumpserit, non tenetur eas restituere, Medin. in suis tractat.tom.2. tit.de reb.per vsur. acquis. q. 15. vers. sequitur hinc. in fine, col. 14.fol.408.&, quòd pensiones, quas bona fide accepit, possit tuta conscientia retinere, easq; non debeat restituere, neque computare in sortem, scribunt Nauar.in cap.si fœneraueris. sub num.118.q.26. 14. q.3. Virgin. de Boccat.tract.de censib.par.2. nu.44. vers.vigesimosexto. Io. Azor.de instit.moral. par.3. lib.10. tit. de censib. cap.7. q.7. ibi, quæres quid dicendũ. col. 825. & latè Lud. Molin.de iust.tom.2.de contract. disp. 394. vers.quartum est. & procedit hæc confirmatio siue venditor sciuerit, rem esse alienam, aut non liberam, siue ignorauerit, Molin. in loco supra proximè citato; & quòd si mulier parasset emere cẽsum, & ideo pecuniam daret alicui, à quo deciperetur, quia is, recipiendo pecuniam, dicat, quòd pecuniã illam accipit sub censu, asserendo eidem mulieri, quòd census potest ita securè contrahi, & censum aliter non constituat; imò neque aliquam de pecuniarum datione faciat scripturam, & mulier, fraudum ignara, illi simpliciter credat, possit dicta mulier census pensiones, quas bona fide ab eo reciperet, tuta conscientia sibi retinere pro suo interesse lucri cessantis, sequitur Lud. Lopez de contract. lib.1.cap.4. vers.hinc planè. & facit quod scripsi supra ampliat. 8. num. 118. & seqq.

Consolidatur hæc confirmatio quia licet societas officij fuerit inita super officio, cuius fructus iam ab aliis societatibus, antea contractis, erant absorti, & ideo videatur inita sine officio, tamen si is, qui postremò societatem iniuit, ignorauerit anteriores societates, & bona fide exegerit fructus suæ societatis, non tenebitur neque in foro interiori, neque in foro exteriori illos restituere, seu computare in sortem, per ea, quæ, loquendo in foro exteriori, secutus sum supra quæst. 1. num.329. & 330.

Sistamus

25 Sistamus quæso tantisper gradum super hac confirmatione, & eius consolidatione, quia est passus difficilis: & contra eas obstat Rot. diuers. in decis. quas secutus sum ead. q. 1. sub num. 209. vers. infero. & num. 332. dum dixit, fructus perceptos ex censu, creato sine pecunia numerata, & fructus, perceptos ex societate officij post alienatũ ipsum officium, esse restituendos, seu computandos in sortem, quamuis sint percepti bona fide.

Pro huius ancipitis confirmationis resolutione distinguo [illegible]

Aut loquimur in foro interiori, & dico, veram esse confirmationem, per ea, quæ dixi in confirmatione, & supra q. 1. sub num. 178. vers. intellige. & clarius num. 180.

Aut loquimur in foro exteriori, & facio duas conclusiones. Prima conclusio est contra confirmationem, quòd fructus sine restituendi, seu computandi in sortem; quia paria sunt, emere censum sine fundo, & emere censum super fundo alieno, inscio domino fundi, sed qui perciperet fructus ex censu creato sine fundo, imò ex fundo infructifero, aut alias incapace, seu postea perempto, teneretur illos restituere, vt secutus sum supra q. 1. num. 176. & seqq. num. 202. 205. & 208. ergo tenetur etiam restituere is, qui emit censum, impositum super fundo alieno; neque debet audiri, allegando ignorantiam, quia etsi sit verisimilis, cum quilibet emptor desideret, & studeat emere vtiliter, & securè; & tunc emat vtiliter, & securè, quando fundus est venditoris, liber, & idoneus; & ideo, si census reperiretur impositus super fundo alieno, plusquam verisimile est, quòd emptor ignorauerit; tamen hæc ignorantia in foro exteriori reputatur inexcusabilis, vt in ijsdem ferè terminis dixi supra num. 17. quia debebat se assecurare, quod venditor census haberet illum fundum, de quo si se non assecurauerit, contentus sit, quòd illa ignorantia prosit sibi ad agendum ad interesse, vt dixi in seq. conclusione. Secunda conclusio est, quòd si emerit ignoranter, vt dixi, poterit, cum rescíuerit, fundum esse alienum, agere ad restitutionem sortis, & ad damna, & interesse, quorum damnorum, & interesse emendationem potest obtinere, probatis requisitis, de quibus vide quæ latè scripsi supra ampl. 8. num. 99. & seqq. quòd si scienter emisset, tunc nec ad interesse agere posset, teste Medin. quem secutus sum d. q. 1. num. 179. [illegible]

Hac resolutione firmata cum duplicis fori distinctione, & duabus adhibitis conclusionibus; ad ea, quæ pro consolidatione confirmationis adduximus supra vers. consolidatur. respondeo, distinguendo inter ignorantiam iuris, & inter ignorantiam facti: ea enim, quæ iuris est, non excusat, præsertim in foro exteriori, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. nu. 511. & 512. & talis est ignorantia eius, qui exigit fructus ex censu, empto sine præsenti pecuniæ numeratione, cum ius constitutionis Pij V. de censibus hanc requirat numerationem; talis etiam & longè maior est ignorantia eius, qui emeret censum, super nullo fundo impositum, quia iste erraret in iure gentium, imò in iure naturali, cum non possit emi census fundi sine fundo: Ignorantia verò facti est duplex, quædam non reputatur culposa, & ideo est excusabilis, qualis est ignorantia, de qua supra d. vers. consolidatur. quædam autem est culposa, seu crassa, & hæc est inexcusabilis, & in hac dicimus, paria esse, scire, vel scire debere, & talis est ignorantia eius, qui exigeret fructus societatis officij post alienatum officium, vt scripsi supra q. 1. num. 333. & eius, qui exigeret fructus census, impositi super re aliena, domino rei inscio: transeo ad alia.

26 Extende hanc subampliationem, vt procedat etiam si postea campsor sciat, cãpsuarium non indiguisse cambio, illudq; soluere non posse, quia cambium remanebit adhuc licitum, etiam pro tempore futuro, tum per ea, quæ dixi supra num. 1. & seqq. & num. 15. & seqq. tum quia, qui bona fide præscripsit, non obligatur in foro conscientiæ ex scientia postea superuenienti, Bal. quem secutus sum infra ampl. 19. num. 48. in fine. Petr. de Vbal. in cap. si diligenti. num. 102. de præscrip. inter Repet. tom. 4. fol. 157. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 7. art. 2. sub 4. conclus. ibi, exceperim præterea. col. 3. versus finem, fol. 378. & alij, quos citat, & sequitur Tiraq. in reg. cessante causa, limit. 12. num. 16. vers. id quod. & esse communem opinionem scribunt, & sequuntur Abb. in cap. 8. quia plerique. nu. 25. q. 7. de immun. eccles. quem retuli infra ampl. 19. nu. 127. in fine, Franc. Aret. in cap. 42. cum causa. sub num. 27. de testib. & latius, & ordinatè, articulo discusso, Io. Andr. in cap. possessor. q. 6. num. 39 & seqq. & in specie num. 43. vers. concludo igitur. & seqq. de reg. iur. in 6. & de communi

testatur etiam Imol. quem citat, & sequitur Tiraq. in loco supra proximè citato, hancq; communem esse testatur, & sequitur succinctè adductis rationibus, & citatis multis, Balb.tract. de præscript.in 2.par.3.par.principale q.9. per totam, tom.17.fol. 66. & consentiunt etiam Theologi, nempè Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.restit. q.18. vers. his tamen. & vers.in hoc igitur. col. 3. & 4. fol. 145. & 146. vbi, articulo discusso, firmat, præscribentem posse tuta conscientià retinere, non obstante superuenientia scientiæ, dummodo in præscriptione interuenerint omnia necessaria, & Mich. Sal. ad D. Thom. 2.2. q.77. art.1. controu.17. initio, vers.secundo quòd.& num.8. vers.ad secundum. fol. 65. & 69. qui etsi articulum hunc incidenter tangat, argumentando ex eo in alia quæst. tamen nullam in eo mouet controuersiam, nullamq; sentit difficultatem, quicquid scripserit Petr. de Anch. in cap. 8. quia plerique. nu.10.q.3.de immun. eccles. & in cap. peccatum. sub num.11.col.11. in fine, de reg.iur.in 6.vbi de contraria testatur Theologorum opinione, licet ipse eam non sequatur, sed teneat istam, hancq; communem opinionem, quòd qui legitimè præscripsit, sit tutus etiam in foro conscientiæ, tenet, etiam si mala fides oriretur post completam præscriptionem statutariam, dato quòd non esset completa, secundum tempora, præfixa à iure communi, Felyn.in cap.vlt. quoniam. sub nu.7. in 2.saluat.de præscrip. ita etiam ius contractus, semel bona fide acquisitum ad lucrandum fructus, & interesse, non debet ex scientia superuenienti irritari, & adde, quæ scripsi supra ampl. 10.num.14. vers.exemplifica primo.

27 Contra hanc extensionem in casu cambij tenet Fabian. vbi supra.

Comprobatur primo hæc contraria opinio, quia etiam is, qui ignoranter, & bona fide emerit censum, impositum super re aliena, debet postea, cum hoc resciuerit, contractum rescindere, repetito pretio, Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.per vsur.acquisit. q.15. vers. sequitur hinc. col. 13. & 14. fol. 408. Nauar. in loco supra proximè citato, Virg.de Boccat.d.par.2.nu.45. & Io. Azor. d.cap.7.q.7.versus finem.&,quòd si emptor conscius fuerit, rem esse talem, in qua census collocari non poterat, tunc accipere non possit pensiones, & accipiendo, teneatur in partem pretij computare, scribit Ludou. Molin. de iust. tom. 2. de contractib. disputat. 394. vers. quartum est, in fine.

Comprobatur secundo ex his, quæ scripsi, & secutus sum supra ampl. 10. sub num. 9. & vers. contra.

AMPLIATIO XVIII.

SVMMARIVM.

Cambium, cuius interesse, seu accessiones conuertuntur in capitale, est licitum, num.1.

Cambium cum recursu, recambium, & cambium cum conuersione accessionum in capitale sunt synonyma, num.2.

1 AMPLIA XVIII. vt licitum sit etiam cambium, cuius interesse, & accessiones multis vicibus conuertuntur in capitale cambij, ita vt cambium primum impinguetur, & crescat per renouationem, iuxta ea, quæ scripsi infra §. 6. glos.1.num.83. vers. ad septimum. imò sit licitum etiam quòd interesse alterius interesse, idest accessio accessionis, conuertatur semper in capitale, donec cambium, sic auctum, non soluatur, per ea, quæ scripsi infra §. 7. glos.2.num.33. & seqq.& num.41. & seqq.

2 quia eiusmodi cambium cum conuersione accessionum, & interesse in capitale est idem cum cambio cum recursu, & recambio, quæ propterea sunt synonyma: sed hæc omnia, nempè cambium cum recursu, & recambium sæpè firmauimus esse ex se licita; ideo de eiusmodi cambio, cuius interesse conuertitur in capitale, non est pluribus agendum.

AMPLIATIO XIX.

SVMMARIVM.

Forum interius, & forum exterius difformiter quandoque disponunt, num.1. & seqq.

Forum politicum differt aliquando à foro christiano, num.5.

Lex aeterna est ratio continua, aeterna, & semper eadem, num.19.

Iustitia, & ius consistunt in rectitudine, num.17.

Lex diuina est eadem cum lege naturæ, sub n.14.

Lex naturæ vnde proficiscatur, num.7. Est eadem apud omnes, & in cuiusque corde est scripta, num.9. Est immutabilis, num.11. Declaratur, num.22. & seqq. Aliter procedit in

Contrahens cum errante, tenetur restituere, num. 77. & seqq.

Hypocrita, quæ sub nomine boni Christiani acquisiuit, tenetur restituere, num. 79. & 80.

Contrahens cum Ecclesia sine superioris assensu, teuetur restituere, num. 81.

Legatarius, soluto sibi legato, & per errorem facti non detracta falcidia, tenetur illam restituere, num. 82. & 113. Secus si per errorem iuris, num. 112. Declaratur sub eod. num. 113.

Contrahens de re aliena sine consensu veri domini, tenetur restituere, sub num. 82. illat. 6. vbi latissime hoc extenditur, restringitur, & declaratur.

Restituere quando quis teneatur in foro conscientiæ, quamuis sit tutus in foro fori, sub num. 83. illat. 1. Et quando non teneatur in foro conscientiæ, quamuis obligetur in foro fori, num. 84. & seqq.

Vsura est rapina, videturq; maius delictum, quàm furtum, & quasi æquale homicidio, & quomodo distinguatur à furto, & rapina, num. 64.

Mutuatarius dicitur coactè soluere, etiam si diceret, quòd illud plus spontè soluit, num. 65. & seqq.

Metus, cadens in constantem virum, qui dicatur, remittitur arbitrio iudicis, sub n. 67. explic. 2.

Metum, cadentem in constantem virum, quando metiamur ex qualitate personarum metuentium, & quando non, sub num. 67. vers. prima. & seqq.

Mors potius obeunda est, quàm, quæ fœda sunt, committere, sub uum. 67. vers. secunda.

Honor in foro morali cæteris rebus anteponendus est, sub num. 67. confirm. 3.

Peccatum non voluntarium quando sit peccatum, & quando non, declaratur sub num. 67. vers. non obstat. & seqq.

Impuberis ætas quod videt, ignorat, num. 70.

Impubes obligatur naturaliter, num. 73.

Sententia, lata ex falsis probationibus, vel ex defectu probationum, licet sit iusta in foro fori, tamen est iniusta in foro conscientiæ, ideoq; in hoc foro non tuetur, num. 83. & seqq. vbi multa adducuntur exempla.

Restituere non tenetur, qui rem habet cum consensu veri domini, num. 92. & seqq. Et quid, si sit turpiter acquisita, num. 98. & seqq.

Incapax acquisitionis, an rem, quam tenet de consensu domini, debeat dimittere, num. 93. & seqq.

Meretrix an teneatur restituere acquisita ex meretricio, num. 98. & 99.

Mathematicus, qui suasionibus inducit ad sibi credendum, & inde acquirit, an teneatur restituere, num. 98. & 99.

Iudex an teneatur restituere, quod sibi ob iustam, vel iniustam ferendam sententiam est datum, num. 100. & seqq.

Testis an teneatur restituere, quod ob ferendum verum, vel falsum testimonium sibi datur, num. 100. & seqq.

Aduocatus an teneatur restituere, quæ ex iniusto acquisiuit patrocinio, num. 103.

Possidentis melior conditio in pari causa turpitudinis, sub num. 102.

Restituere an teneatur, quæ sibi data sunt, ne faciat aliquod malum, num. 104. & seqq.

Hæres an teneatur soluere legata, relicta in testamento minus solemni, sub num. 114. vers. infero. & seqq. in quibus declaratur.

Hæres ab intestato an teneatur restituere hæreditatem hæredi ex testamento minus solemni, num. 115. in fine, 116. & 117.

Electus, si electio non sit nulla, sed veniat annullanda, an interim possit sine peccato retinere beneficium, num. 121.

Restituere an teneatur, qui dolosè, & ex malitia rem habuit à vero domino, num. 122.

Aduocatus, Medicus, Cursor, & Iudex } *an teneantur restituere, quod vltra iustum sine dolo receperunt, num. 124. & seqq.*

Præscribens an teneatur restituere, num. 127. & seqq.

Præscribere an possit, qui tenetur ex propria obligatione, & quid, si statutum præsumat solutionem, seu satisfactionem, sub num. 133. illat. 4.

Præscriptio statutaria an habeat locum in debito iurato, sub num. 133. not. 4.

Præscriptio cum mala fide an possit induci à statuto, sub num. 133. illat. 4.

Præsumptio, quantumuis iuridica, an sit alleganda, sub num. 133. not. 3.

Confiscata bona à lege potest delinquens tuta conscientia retinere, donec non sit condemnatus per sententiam iudicis, num. 139.

1 AMPLIA XIX. vt tàm contractus cambij, quàm alterius negotij possint esse liciti in foro exteriori, idest, in foro fori, seu contentioso, qui in foro interiori, idest, in foro poli, pœnitentiali, seu conscientiæ sint illiciti, prout aduertunt Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 48. de vsur. dicens, quòd mens contrahentium cambia, posset

posset esse corrupta, sed illa, inquit, habet solum Deum vltorem, non Ecclesiam; & Salyc.in auth.ad hæc.sub num.18.q.21. C. de vsur. dicens, quòd textus, & leges, quæ dicunt,rem posse carius,seu minori pretio vendi, dummodo non excedatur medietas iusti pretij, loquuntur in foro iudiciario, non in foro pœnitentiali, & sic quoad peccatum, de qua re latè egi supra ampl.10.num.41.& seqq. † & è conuerso,potest dari contractus, qui sit licitus in foro conscientiæ, & illicitus in foro fori, quia in foro conscientiæ attenditur veritas, Nauar.in cap. si fœneraueris. not.16. sub num.54. vers.aduertendum. ibi, quarta vt mutuans.14. q. 3. & in cap. nauiganti. num.26.vers.in solo vno. de vsur. Similiter quis ratione damni illati potest teneri in foro contentioso, & non in foro conscientiæ, quando damnum fuit illatum,non ex proposito, nec ex lata culpa; quo casu sufficit in foro conscientiæ reddere pœnitentiam, secundum Felyn. in cap. 1. fallent. 6. cas.3.sub num.41. de constit. Idem dicimus de creditore, qui debitori furto subtrahit tantundem; & de eo, qui rem propriam, vel æquiualentem detentori furatur; is enim licet in foro conscientiæ tutus sit, seruatis aliquibus conditionibus, de quibus Couar. var.resolut. lib.1. cap. 2. sub num. 14. vers. quarto ex principali. & num.15. per totum, & latius Medin. in suis tract. tom.2.tit.de reb.restit.q.11.col.4.initio,vers.quibus non obstantibus. fol. 102. & excusetur etiam à pœna furti,Clar.recept.sent.lib.5.§.furtum. vers.excusatur autem. tamen non est forsan ab omni pœna tutus in foro fori;& sine (forsan) quando non essent seruatæ omnes conditiones, requisitæ, quia,si creditori daretur hæc facultas,vt in recompensam posset clam rem sui debitoris accipere, facilè daretur occasio iniurijs, furtis, infamiæ, & scandalis, eò, quòd multi fingerent, rem sibi debitam esse: multi etiam putarent, debitum suum liquidum esse, cum non sit liquidum; multi se de iustitia desperare dicerent, aliaq; multa possent vel fingere, vel obijcere, per quæ furta vellent defendere; quibus omnibus lex vt obuiet, prohibet, ne quis authoritate propria sibi ius dicat, Medin. d.q.11. col.6.vers.respondetur. fol. 103.& licet dato casu, in quo hæc omnia cessarent, ideoq; cessare deberet in eo legis prohibitio secundum Medin. in loco, supra proximè citato; tamen quòd adhuc legis prohibitio non cesset, suadetur ex his, quæ scripsi supra q. 1. sub num.507.& 508. &, quòd sit differentia inter vnum,& alterum forum,scripsi formaliter supra q.1.num.534.& satis patet ex his, quæ scripsi supra ead.q.1.num.528.& seqq. iuncto num.506.& seqq. & apertius ex his, quæ scripsi infra sub num.83. & seqq. ad illum.

3 Confirmatur primo hæc ampliatio in secunda parte, quia vsura nautica, idest,illud, quod mutuator recipit vltra sortem mutuatam, est à iure pontificio vetita, quoad forum exterius, & etiam quoad forum interius, si propter pecuniæ,aut alterius rei mutuationem accipiatur, secus si ob solam securitatem præstitam recipiatur, quia isto casu in foro interiori licitè percipitur;sed pro intelligentia huius differentiæ inter vnum,& alterum forum in isto casu, vide quæ scripsi supra q.1.sub num.506. vers.primum est forum.& num.528.& q.5.sub nu. 100. & adde casum,quem posui §.seq. gl.5.sub num.109.

4 Confirmatur secundo, ex casu, quem secutus sum supra ampl.8.num.120.illat.4.

Confirmatur tertio, quia licet beneficiarius, alienans rem ecclesiasticam contra tenorem extrauagantis Pauli II. vel inconsulto Romano Pontifice, peccet mortaliter, & multas, grauesq; pœnas, & etiam excommunicationem incurat, vt admonet Nauar. in cap.non liceat papæ. num.13. vers. septimo denique. & num. 15. in comment. de alien.rer.eccles.tamen,si alienatio fiat ob iustam causam, sine dolo, vel contemptu, sed bona fide, & præsertim si foret ecclesiæ vtilis, non peccat mortaliter, neque præfatas pœnas incurrit in foro conscientiæ, cum Papæ consilium requiratur quoad forum exterius; secus quoad forum interius,in quo sufficit seruare ius naturale, & diuinum absque contemptu legis humanæ, Nauar.in d.cap. non liceat papæ. num.16. & seqq.

5 Confirmatur quarto, quia etiam inter forũ politicum,& forum christianum reperitur in hac materia diuersitas:nã cambiorum negotiatio in se est turpis, & iniusta, si loquamur politicè, & œconomicè; si verò loquamur christianè, est licita, quia multa politicè sunt abhorrenda, quæ christianè iusta sunt,& è conuerso,vt,concordando D.Thomam, quem vti contrariam citaui par. præcedenti, sub num.50.vers.demum. explicat Hier.de Luc. tractat.de camb. in verbo, pro decisione, sub num.10.& 11. tom. 6. par.1. fol.409.

fol. 409. hæcque inter forum, & forum diuersitas videtur etiam de mente Apostoli, in illis verbis, quæ retuli supra q. 1. sub num. 65. *omnia mihi licent, sed non omnia expediũt.*

6 Vt huius ampliationis veritatem à radice cognoscamus, & pro vniuersali totius materiæ intelligentia, explicandos esse censeo quatuor articulos, nedum vtiles, sed valde necessarios ad resolutionem quamplurium difficultatum, quæ in foro animæ occurrunt.

Primus articulus est: An lex positiua, idest, humana, & lex naturalis, seu diuina differant.

Secundus articulus: An lex positiua obliget etiam in foro interiori, idest, in foro animæ, siue conscientiæ.

Tertius articulus; supposito, quòd obliget: An obliget in consequentiam ad restituendum, quod ex actu, contra eius prohibitionem gesto, fuerit acceptum.

Quartus articulus; supposito, quòd non obliget: An detur aliqua certa regula ad cognoscendum, quando quis teneatur restituere, & quando non, præsertim in foro conscientiæ.

Quoad primum articulum. Videtur prima facie dicendum, quòd plures habeant inter se inuicem differentias.

Prima quarum est, quòd lex positiua, omissis varijs eius definitionibus, seu descriptionibus, quas colligunt Sot. de iust. & iur. lib. 1. q. 1. art. 1. initio, fol. 3. Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 3. num. 25. & 28. tom. 1. fol. 192. Fortun. Garc. de vlt. fin. iur. can. & ciuil. num. 7. eod. tom. fol. 107. & alij in diuersis locis; & omissis descriptionibus, de quibus in cap. 1. dist. 2. & cap. 2. dist. 4. in effectu est placitum Principis, quod ipsi Principi, vel populo est vtile, vt dixit Trasymachus apud Platonem, relatus à Coras. de iur. ciuil. &c. par. 1. cap. 3. fol. 59. & à Bolog. dict. tract. de leg. &c. cap. 9. sub num. 6. fol. 299. vterque tom. 1. & probatur ex l. 1. ff. de constit. princip. *quod principi placuit, legis habet vigorem.* & sic lex positiua procedit ab opinione Principis, & non à certa ratione, quare Iureconsf. in l. 12. prospexit. ff. qui & à quib. manum. ait, legem, quamuis duram, esse seruandam.

7 At lex naturalis, non ab hominis, idest, Principis, seu Populi opinione, sed ab ipsa natura proficiscitur, Coras. in loco, supra proximè citato, *cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, einsmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* ad Rom. 2. num. 14. & apertius differentiam docet text. in cap. 2. duæ sunt. 19. q. 2. in illis verbis. *duæ sunt, inquit, leges; vna publica, altera priuata, publica lex est, quæ à sanctis Patribus, scriptis est confirmata, vt est lex canonum, &c. lex verò priuata est, quæ instinctu sancti Spiritus in corde scribitur, &c.* & expressè differentiam argumentatiuè adducit Bologn. d. cap. 9. num. 4. in fine, & num. 5. fol. 299. dicens, quòd leges humanæ nullis naturæ fundamentis subnixæ sunt, sed ab hominum potius opinione pendent: at ea omnia, inquit, quæ rationi, atque honestati conueniunt; ad legem naturalem spectant, & non ad leges humanas.

8 Secunda differentia, qua huius etiam primæ veritas explicatur, est, quòd lex humana non est eadem apud omnes, sed diuersa, & inuicem opposita, & consequenter non apud omnes est idem bonum, & æquum positiuum: apud nos enim lege nostra matrimonium inter consanguineos, vel affines maximè improbatur: apud Persas verò, Medos, & Parthos eorum lege solemnissimum, ac iustum habetur matrimonium, quod cum matre, sorore, alijsq; consanguineis contrahitur: apud totum Christianum orbem distinctæ sunt singulorum vxores: apud Arabas verò vnam aiunt esse omnibus consanguineis vxorem; aliasq; habent barbaras, irrationales, & bestiales leges, quas referunt Coras. d. cap. 3. fol. 59. & Bologn. d. cap. 9. sub num. 6. fol. 292. & quòd apud Persas, Assyrios, Parthos, Medos, Aethiopes, Indos, & Scotos inter ascendentes, & descendentes in primo gradu lineæ rectæ admitterentur connubia, scribunt ij, quos citat Thom. Sanch. in disputat. de sanct. matrim. sacram. lib. 7. disput. 51. sub num. 6. vers. difficultas. & de prædictis, alijsq; varijs gentium moribus, & legibus in ducendis vxoribus, vide Tiraq. de legib. connub. in l. 7. vbi latissimè. Quinimo & inter nos Christianos, & Catholicos extant leges municipales inter se pugnantes; vt puta, quòd filia fœmina succedat æqualiter cum masculo; & quòd non succedat, & similes, quas longum esset recensere.

9 Sed lex naturæ est eadem apud omnes; quod enim à natura procedit, est constans, æternum, semperq; idem, & vbique idem; sicut ignis, qui apud omnes peræquè populos, & omni tempore est calidus, & vrit; &

rerum

rerum benè olentiũ odor ab omni æuo cunctis fuit mortalibus gratus; & ideo ius naturale dicitur immutabile, vt dixi in seq. differentia. & quia lex naturalis scribitur in corde cuiuslibet, vt scripsi hic sup. sub nu. 7. & in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. nu. 505. non solum est eadem apud omnes, sed cuilibet est nota, ita vt illius ignorantia neminem excuset, etiam si sit rusticus, siluester, paganus, mulier, & similes, vt secutus sum d. cap. 8. num. 500. & seqq.

10 Tertia differentia (& infertur ex præcedenti) quia lex humana est variabilis, & mutabilis; videmus enim in eadem Republica, aut Ciuitate leges ipsas frequenter, ac perbreui tempore mutari, corrigi, & abbreuiari, Corasf. eod. cap. 3. fol. 59.

11 At ius naturæ est immutabile, Arist. ethic. lib. 5. cap. 7. Corasf. d. cap. 3. fol. 59. Bologn. d. tract. de leg. iur. & æquit. cap. 26. num. 2. versus finem, fol. 315. & Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 5. sub num. 3. vers. respondent. & habetur in §. penult. sed naturalia. Instit. de iur. nat. &c. & in cap. 3. non est peccatum. dist. 6.

12 Quarta differentia est, quia nos, qui iudicamus secundum leges humanas in foro exteriori; si causa sit ciuilis; non iudicamus sine actore, per ea, quæ dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 2. num. 5. & 23. cap. 68. num. 2. & sub num. 8. vers. si de consuetudine. &, si sit criminalis, non sine accusatore, aut legitima inquisitione, vt, loquendo de accusatore, & de iure, scripsi d. cap. 68. num. 2. &, loquendo de inquisitione, scripsi cap. 8. num. 1. 2. 3. & 4. & d. cap. 68. sub nu. 8. vers. si de consuetudine. quam inquisitionem præcedere debet diffamatio, vt dixi cap. 84. num. 11. & seqq. quæ succedat in locum accusatoris, vt dixi eod. lib. 1. cap. 2. num. 8. Similiter nos non iudicamus ex veritate, nobis priuatim nota, sed ex actis, & probatis, vt secutus sum eod. lib. 1. cap. 80. num. 1. & sæpissimè iudicamus ex testium depositionibus: Item leges humanæ, seu ius positiuum multa mala dimittunt impunita, vt patet ex his, quæ scripsi supra ampl. 10. num. 44. & seqq. & num. 49. & multa non mala puniunt, quando nituntur præsumptionibus ad obuiandum fraudibus, vt patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. sub num. 529. iuncto num. 507. & seqq. ad illum, & infra num. 37.

13 At DEVS, & Confessarius eius loco hic in terra, qui iudicant secundum ius naturale, & diuinum in foro interiori, iudicant, & condemnant sine actore, sine accusatore, & sine inquisitione, & ex veritate, non ex actis, & probatis, & nunquam ex testium depositionibus, sed semper ex infallibili veritate coram Deo, & ex rei confessione coram confessario, coram quo ipse reus est etiam accusator, & testis: Similiter ius naturæ, seu diuinum nullum malum dimittit impunitum, & nullum bonum irremuneratum.

Demum lex positiua, & ius gentium non solum differunt à iure naturali, sed multa, quæ fuerant iuris naturalis, sunt à iure gentium, & positiuo sublata, vt argumentando deducit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 3. q. 1. vers. verum. col. 14.

14 Contrarium, his non obstantibus, est verum; nempè, quòd lex humana non differt à lege naturæ, nisi prout differunt pars à toto, riuus à fonte, genitum à generante, fundatum à fundamento, quare non ab hominum opinione, sed à naturæ decreto profluit, vt rectissimè post Stoicos, & Cicer. scribunt Corasf. de iur. ciu. &c. par. 1. cap. 3. ibi, cæterum hæc qualemqualem. tom. 1. fol. 59. & Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 3. num. 11. fol. 291. & quòd tàm lex canonica, quàm ciuilis deriuentur, & profluant à lege naturæ, ostendit Fort. Garc. de vlt. fin. iur. &c. nu. 11. & seqq. eod. tom. 1. fol. 108. &, quòd ius ciuile, & canonicum præsupponant ius naturale, tanquam fundamentum, à quo sumunt originem, refert, & declarat ex Fratre Gerardo de Senis disputante, Io. Andr. in cap. peccatum. sub num. 24. & 25. q. 5. de reg. iur. in 6. cuius repetitionem posuit per appendicem ad cap. possessor. & de lege canonica, quòd non differat à lege naturæ, patet, quia procedit ex auctoritate noui, & veteris testamenti, cap. 24. qualiter. de accus. & sic ex lege diuina, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 85. num. 6. versus finem, quæ lex diuina est eadem cum lege naturæ, cap. 1. dist. 1. *diuina natura, &c.* & sic vna pro altera promiscuè sumi potest, & proinde præcepta Decalogi in lege veteri, tradita à Deo, dicuntur legis naturalis, vt sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. q. 2. col. 5. & latius cap. 3. q. 2. col. 15. vbi de communi Theologorum opinione; & consequenter emptiones, locationes, societates, & reliqua huius generis, de quibus extãt leges humanæ, à iure naturæ deducuntur, Bologn. d. tract.

d.tract.de leg.iur.& æquit.cap.24.num.4.in fine,fol.313.& conuenit legi humanæ, quod habetur in Matth.5.num.17.*nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas; non veni soluere, sed adimplere*.hæcq; sententia contraria quatuor conclusionibus explicata est à Sot.de iust.& iur. lib.1.q.5. art.2. vers.ad quæstionem.col.2.& seqq. fol.36.

15 Confirmatur primo, quia omnis lex constat ex ratione, cap.5.consuetudo. dist.1. & ex ratione naturali, cap. 2. erit. & ibi Gl.in verbo, naturam. dist.4.Ergo omnis lex profluit à natura, & sic à lege naturæ.

Confirmatur secundo(& tendit ad idem) quia vbi contingat dubitari de intellectu alicuius legis, recurrendum est ad rationem naturalem; imò vbi eam habemus, superfluum est quærere legem positiuam, vt secutus sum infra §.7.gl.2.num.35.

16 Confirmatur tertio, quia omnis lex est honesta, iusta, &c.d.cap.erit. dist. 4. & intantum hoc est verum, vt nisi fuerit iusta, non erit lex, Sot.d.art.2. concl. 1. & Mich. Sal.ad D.Thom.2.2. q.60. art.5.conclus.3. vers.primus est. fol.80. sed lex,quæ non deriuetur à natura, eiusq; ratione, non potest esse honesta, neque iusta. Ergo.

17 Confirmatur quarto, quia iustitia non est aliud, quàm quædam rectitudo: ergo ius, siue naturale, siue legale, in quadam rectitudine consistit, & sic quamuis ius naturale, & ius legale sint distincta, tamen distincta non est eorum rectitudo; quare,si bene consideremus, ius legale, idest, ius positiuum non addit super ius naturale aliam rectitudinem, sed specificat illam eandem, ita vt verum sit dicere, ius legale, siue positiuum esse quandam specificationem expressiuam naturalis rectitudinis,vt latè docet Io. Andr. in cap.possessor.sub num.12. de reg.iur.in 6. & proinde ius legale,seu positiuũ nunquam contrariatur, sed semper concordat cum iure naturali, vt ex eod. Io.Andr. secutus sum infra num.43. vers.confirmatur tertio, nam sicut aqua capitolina, aqua S.Ioannis Lateranensis, & plurium viridariorum,& domorum hìc in Vrbe sunt distinctæ, & habent distinctas functiones, & proprios vsus, & nihilominus omnes, & quælibet earum sunt de aqua fœlici, ideoque habent eundem saporem, easdemq; qualitates,ita etiam tàm ius Pontificium, quàm Cæsareum, & quodlibet aliud ius habent eandem qualitatem cum iure naturali, à quo procedunt.

18 Non obstant differentiæ adductæ.

Ad primam enim respondeo; quòd Principis placitum, procedens ab opinione, & non à ratione, non est lex, Bologn. de leg. iur.& æquit. cap.3.sub num.20. & 21. tom. 1. fol. 291. hocq; benè probatur ex d. cap. consuetudo.dist.1.in illis verbis,*porrò, si ratione lex constat, lex erit omne, iam quod ratione constiterit dumtaxat, &c.* & dixi infra num.51.& quòd legis nomine indigna sint, quæ rationem non habent; scribit Coral.de iur.ciuil.&c.cap.3.versus finem,ibi,neque enim negat iureconsultus. eod. tom. 1. fol. 59.quare leges Tiranni,leges appellari non possunt, quia deest illis legis substantia,quæ est ratio.

19 Ad secundam respondeo,quòd etsi leges humanæ non sint eædem apud omnes, sed diuersæ, imò sint variabiles, vt dicimus in tertia differentia; tamen (quod tibi paradoxum videbitur)sunt apud omnes semper eædem,& numquam mutantur; quia sicut speculum, quamuis in eo diuersæ figuræ inspiciantur, ac ex diuersis obiectis varientur, semper manet idem, & nunquam mutatur, sed quia variantur obiecta, variantur speculi repræsentationes;ita quoque omnis lex semper est iusta, & in hoc adeo est eadem apud omnes, atque in hoc inuariabilis, vt si aliter foret, non esset lex, per ea, quæ dixi sup. n.15.& seqq. sed quia varij sunt populorum mores, & variantur causæ, variatur legis dispositio, sed non mutatur lex; quæ est ratio continua, æterna, & semper eadem: & data hac morum varietate,& causarum variatione; variatur legis dispositio, siue lex sit humana, siue sit naturalis, & diuina; vt inferius ostendam; non tamen lex vnquam mutatur, sed mutantur res, quæ lege indigent: vel aliter, & breuius responsionem formando, dico, quòd immobilitatem in lege intelligimus, durante eadem causa legis,quia tunc, supposita iustitia legis, & sic erit lex, non potest mutari, quia fieret iniusta, & sic non esset lex; & proinde implicaretur contradictio; at è conuerso, data causæ mutatione, lex, quæ in opposita causa erat iusta, non esset amplius iusta, mutata causa, & ideo non esset amplius lex;& consequenter alia opus est lege; siuè loquamur de lege humana, siue de lege naturali, & diuina, vt apertè ostendi in sequenti responsione.

Quicquid aliter quoad ius positiuum docuerit Leonar.Less.de iust.& iur. lib.2. cap. 5.sub

5. sub num. 3. versus finem, dum scribit, quòd semper manet ius naturale, & illud dictamen, etiam si defectu materiæ hic, & nûc non me obliget actu, & semper vim habet, manenribus iisdem circumstantijs materiæ, ad differentiam, inquit, iuris positiui, quod, inquit, potest tolli, etiam si nulla fiat mutatio circa materiam; egregiè enim cum nobis sentit de iure natutali, sed dissentit de iure positiuo.

20 Corroboratur hæc responsio, quia medicinalis regula est, vinû esse hominibus congruum; & huic regulæ non derogatur, dum infirmò vini potus interdicitur, sed mutatio fit in homine, cui perpetua illa regula non congruit, D. August. lib. 1. confess. quem sequitur Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 3. art. 1. col. penult. versus finem, fol. 306. quare licet medicinæ ars medicamenta variet secundum varias morborum causas, & infirmorum complexiones: calida enim frigidis, & frigida calidis curat: exilibus, pueris, senibus, & non robustis iuuenibus helleborum negat, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 56. num. 2. versus finem; tamen nemo sanæ mentis dicet, propterea medicinæ artem esse mutabilem, & variam; sic & Dominus Redemptor noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, & elatis præciperet humilitatem.

21 Ad tertiam differentiam, (quæ est ferè eadem cum secunda præcedêti, & ideo vberius soluam eandem secundam) respondeo, negando differentiam; quia, data variatione, seu mutatione causæ, ob quam variari, seu mutari debeat lex, mutanda est, siue sit lex humana, siue sit natutalis, & diuina, per ea, quæ dixi in præcedenti responsione; & hic, exemplis rem explicando, multipliciter ostendo.

22 Primo, quia lex diuina, seu naturæ posuerat hominem in paradiso voluptatis, vt custodiret illum, quia homo erat innocens, & non peccauerat; at postquàm homo fuit factus nocens, & peccator, & sic variata, seu mutata fuit causa, eiecit eum de paradiso: similiter ante peccatum originale, & dum natura erat innocens, terra sine cultura, & sine labore producebat fructus; at, commisso peccato originali, & lapsa natura, terra non sine cultura, & non sine labore fructificauit; & hæc omnia facta sunt per legem naturæ, & Dei, vt latius ostendi supra q. 1. nu. 48. & 49. Ergo, mutata causa, mutatur etiam lex naturæ.

23 Secundo, quia communis rerum possessio erat quidem de iure naturæ incorruptæ ante commissum originale peccatum, vt secutus sum supra q. 1. num. 40. & 48. sed lapsa natura, commissoq; originali peccato, & sic, variata causa, eodem iure naturali introducta est rerum diuisio; hæcq; distinctio probatur, quia, alias, sublata hac duplicis naturæ distinctione, apertè sibiipsi contradiceret text. in cap. 7. ius naturale. dist. 1. dum asserit, de iure naturali, communem omnium esse possessionem, & postea subdit, de eodem etiam iure naturali restitui debere depositum pecuniæ, & commodatum; quæ quidem duo pugnarent, quia, data omnium communi, & indiuisa rerum possessione, depositum pecuniæ, & commodatum non possent habere locum; quod ante nos considerauit Fortun. Garc. in l. ius naturale. num. 28. & seqq. ff. de iust. & iur. inter Repeten. tom. 1. fol. 31. &, quòd corrupta natura, naturali ratione, & sic de iure natutali factum sit, vt rerum dominia distinguerentur, scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. esto igitur. col. 9. & vers. de iure. col. 11. fol. 6. & 7. & Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 24. sub num. 5. tom. 1. fol. 314. & dixi supra q. 1. num. 49. &, quòd diuisio rerum procedat à iure naturali, alio medio ex Scot. deducit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. vers. contra. col. 11. dicens, præceptum naturale, quo omnia debebant esse communia, obligasse ad tempus, videlicet, donec genus humanum cœpisset augeri, & multiplicari. Rursus, distinctis rerum dominijs, & data in aliquo extrema necessitate, eadem naturæ lex illi communem rerum vsum ad necessitari subueniendum denuo concedit, vt ex Medin. secutus sum supra q. 1. num. 54.

24 Tertio, quia vim vi repellere, est de iure naturæ, cap. 7. ius naturale. dist. 1. & notatur in l. 4. vt vim. ff. de iust. & iur. similiter, parentibus obtemperare, patriæ, & magistratibus parere, & fidem seruare, sunt, seu procedunt immediatè ex iure naturæ, Bologn. de leg. iur. & æquit. cap. 24. num. 1. & 2. tom. 1. fol. 313. & ab eodem naturæ fonte procedit, vt depositum reddamus, d. cap. ius naturale. dist. 1. iusiurandum adimpleamus, Exod. 20. num. 7. in die festo non agamus, & desistamus operari, Genes. 2. num. 3. & bene-

benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo. & Exod.20.num.8.*& seqq. memento, vt diem sabbati sanctifices, &c.* homicidium, & furtum nunquam committamus, & his similia, Exod.20.num.14.& 16.

25 Et tamē, si quis iustè sit à iudice ad mortem condemnatus, non licet ei per vim se defendere, Mich.Sal.ad D.Thom.2.2.q.69. art.4.conclus 1.fol.475. quia qui superioris potestati, iustè iudicantis, resistit, Dei ordinationi resistit, vt ex Apost. retuli infra, sub num.50.vers.sed quare. imò etiam si iniustè sit condemnatus ad mortem, quia sit innocens, est quæstio inter Doct.an possit se ita defendere, vt inferat mortem, de qua q. idem Mich.Sal.d.art.4.post 3.conclus. controu.1.fol.476. nam illud certum est, quòd qui iure publico vtitur, non videtur iniuriæ faciendæ causa hoc facere: iuris enim executio non habet iniuriam l.13. iniuriarum.

26 §.1.ff.de iniur.&c.† Item parentibus, & magistratibus imperantibus, vt quis diuinam, aut humanam lædat maiestatem, parendum non est, cap.98.imperatores.& cap. 101. si,

27 is qui præest.11.q 3. † Fides ei, qui postea de Rep. malè meritus est, non est seruanda, Bologn. d.tractat.de leg. iur.& æquit. cap. 26.

28 num.5. fol.315. † Depositum prædoni, apparente vero domino, restituere, æquum non est, Coras.de iur.ciuil.&c.par.4.cap.17.tom. 1.fol. 79. & notorio prædoni denegatur restitutio, Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib 4. tit de restit.cap.3.vers.ad argumentum.col. 247.& latius Medin.in suis tract. tom.2. q. 2.col.7. vers. de eo quod.fol.14. & 15.Gladius ei, qui eum sana mente deposuit, furenti restitui non debet, testibus his, quos secutus sum par. seq. limit. 18. sub num. 4.

29 † Ei, qui pecuniam apud te deposuit, si bellum patriæ inferat, restituere peccatum est, & non reddere iustum: Si aliquid turpe, flagitiosumvè iureiurando decretum sit, violari potest fides, imò præcipitur: Iudicem, seu ministrum, occidendo reos, non peccare, latè disputando firmat Card. de Turrecrem. cap.1.num.1.& 2.23.q.5.imò, non solum non peccare, sed mereri, si zelo iustitiæ, omni rancore, & malo affectu deposito, & seruatis iuris regulis, peccatores occidat, scribit num.3. vers.secunda conclosio. † Hostes,

30 & patriç proditores trucidare, gloriosum esse, scribit Coras. d.cap 17.fol.79. Latrones, viarū grassatores, assassinos, sicarios, aliosq; id genus sceleratos homines suspendi, ac de medio truncari, iura vbique mandant: Ad necessariam vitæ defensionem, inuasorem occidere non prohibemur, per ea, quæ secutus sum in meo tract.de appell.q.16.num.3. Aliena bona capere, seu furtum committere, propter extremam necessitatem, permittitur, quia tunc omnia sunt communia; & sic non aliena, sed sua capit, per ea, quæ adducit Medin.de reb.restit.q.3.quem retu-

31 li sup.q.1.nu.54.Et in necessitatis casu operari in die festo non denegatur, Luc.14.n.5. *cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?* & latè hoc vltimum prosecutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib.2. cap. 5. num. 17. & seqq.& his similia.

32 Quarto, quia in naturalibus quoque nulla est ferè notior apud omnes propositio, quàm, quòd, cessante causa, cessat effectus; & , quòd non cessante, non cessat; & ideo, cessante sole super terram, cessat lux, & quia in igne manet eadem causa vrendi, siue ignis sit Romæ, siue sit Constantinopoli, ideo æque vtrobique vrit.

33 Ad quartam respondeo, quòd etsi veræ sint differentiæ adductæ, tamen ex illis non sequitur, quòd lex humana non deriuetur, & non profluat à iure naturæ, & non sit illius pars; & hoc est, quod nos asserimus; imò illas met differentias, quas considerauimus, asserimus esse à iure naturali, & diuino ex notissimis, iustissimisq; causis constitutas: nam pro rebus ciuilibus iudex ideo ex se, & sine partis instantia moueri non potest, quia sibi non constat, an pars, ex quò non instat, velit ius suum dimittere, &, dimittendo, donare; vnde dicimus, quòd iudex, non petenti, non impartitur officium, seu, quòd sine partis instantia eius officium conquiescit, vt scripsi in meo tractat. de iudic. caus.

34 lib.1.cap 68. num.2. † pro rebus quoque criminalibus sine accusatore, aut famosa insinuatione moueri non debet, ne possit, ad vindicanda sua priuata odia, & iniurias, procedere, vt aduertit etiam Mich. Sal. ad D. Thom.2.2.q.67.art.3.vers.ad primum. in fine, & vers.ex his. fol. 429. & 430. quare Iesus, vt iudicibus exemplum daret, mulierem, quamuis esset adultera, tamen, quia nemo eā accusabat, dimisit, Ioan.8.n.10.& 11. *mulier, vbi sunt, qui te accusabāt; nemo te condemnauit? quæ dixit: nemo, Domine, dixit autem Iesus, nec ego te condemnabo.* quod

etiam

etiam retuli in meo tract. de iudic. cauf. lib. 1. cap. 68. sub nu. 12. & cap. 80. sub num. 11. Nec secreta petitio, aut accusatio sufficeret; ita vt iudex occultè sciret voluntatem partis, tum quia iudici non est credendum, per ea, quæ dixi num. seq. tum quià propter hominum calumnias, & fraudes, quæ insurrexerunt ex peccato originali, vt scripsi sup. q. 2. num. 49. & 50. si deficeret iste ordo processus, tolleretur iusta defensio, ac multa, quæ longum esset recensere, sequerentur mala.

35 † Requiritur etiam in fori exterioris iudice scientia publica, & priuata non sufficit, ne sub priuatæ scientiæ pretextu, & colore vindictas proprias sumat, & iniustitias faciat, vt considerat etiam Mich. Sal. d. q. 67. art. 2. post conclus. 4. tit. ad quartum. nec iudex secundum, &c. fol. 423. & ideo in Dan. cap. 13. licet certò sciret falsitatem illorum duorum senum, qui falsum tulerant testimoniũ adulterij contra Susannam, tamen pro iudicis fori exterioris instructione interrogauit eos, & postquam de falso fuerunt conuicti, tunc

36 eos, & non prius condemnauit. † At Deus, & confessarius eius loco, qui iudicant in foro interiori, & ideo sciunt cordis secreta, quæ confessario à reo reuelantur, iudicant, & condemnant sine partis instantia, sine accusatore, & sine famosa insinuatione, & ex scientia sibi priuatim nota; tum quia est certa, tum quia cessant prædicta: nam Deus est summum bonum, & summa Iustitia, & confessarius non potest ad propriam vindictam

37 agere, seu condemnare: † similiter, quia iudices fori exterioris sæpe latet veritas, multa impunita dimittunt, & multa non punienda puniunt, dum nocentem ob probationum inopiam absoluunt, & innocentem ex falsis testibus, vel fallacibus præsumptionibus rectè, & iustè condemnant in foro exteriori, iniustè tamen, inspecto foro interiori; sed Deus, qui veritati infallibiliter innititur, iniquum semper punit, & bonum semper remunerat: quare sicut eadem lex, seu Princeps potest causam, seu executionem diuersis iudicibus diuersimode committere pro eorum imperio, & vni maiorem, quàm alteri facultatem dare; nempè, vt vnus procedat summariè, & manu regia, & alius ordinariè, & tamen vtrique eadem lex, idemq; Princeps committit; ita etiam in casu isto eadem lex naturalis, & diuina potest diuersos dare modos.

Ad id, quòd per ius gentium, & positiuum sint sublata aliqua iuris naturalis, patet responsio ex his, quæ dixi infra num. 40. & seqq.

38 Retenta igitur hac contraria opinione, quòd lex humana profluat à iure naturæ, & à iure diuino, vt dixi supra num. 14. & seqq.

Declara primo, vt ius naturale, seu diuinum dupliciter considerari possit: primo, prout est ex se explicitum sine vllo hominũ ministerio; & hoc ius comprehendit prima, & indubitata principia, item præcepta, quæ sunt scripta in lege diuina: secundum verò ius naturale dicitur illud, quod est implicitum, & ratione naturali explicatur; & hoc ius comprehendit totum ius gentium, & ius ciuile.

39 Declara secundo, vt consideratio, quam circa immutabilitatem huius secundi iuris naturalis fecimus supra num. 19. vers. ad secundam, reddatur elusoria in concreto, idest, in actu; siquidem licet Princeps debeat legem condere, seu mutare ex iusta ratione, & propter causæ mutationem; tamen ipse & non alius habet potestatem cognoscendi de iusta ratione, & causæ mutatione, & quando cognoscit, ei contradici non potest, quia, vt dicit Ecclesiastes 8. num. 4. *sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis?* quod aduerti etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 97. sub num. 88. vers. iuxta hæc, & l. 12. prospexit. ff. qui & à quib. manum. lib. *quod quidem perquàm durum est, sed ita lex scripta est*. quod latius retuli supra q. 1. sub nu. 507. Cæterum quamuis illa consideratio ad vsum praxis reddatur elusoria, tamen conducit ad multarum difficultatum resolutionem, & in rationis discursu plurimum valet.

40 Infero primo, quòd errasse videntur, aut saltem non rectè locuti Innoc. in cap. 8. quia plerique. sub num. 3. vers. quidam tamen, ibi, *& principum est aliquando contra naturalem æquitatem statuere*. & in fine, num. 6. Ant. de Butr. sub num. 9. il 2. cas. 4. Anchar. num. 15. q. 7. & Abb. num. 7. & nu. 37. q. 13. de immun. eccles. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. penult. in 2. argum. fol. 329. & alij passim in diuersis locis, & forsan aliquando nos, eorum loquendi morem inaduertenter secuti, dum supponunt legem positiuam contra ius naturale; nam hoc etiam improbaui in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 53. sub num. 35. & sup. q. 1. nu. 104. vers. hæ

hæ duæ; & ratio eſt euidens, quia repugnat, & implicat contradictionem, vt lex poſitiua deſcendat, & profluat à iure naturæ, vt latè oſtendi ſupra num. 14. & ſeqq. & ſit contra ius naturæ, per ea, quæ dixi in ſeq. illatione. num. 45. poteſt autem iſte loquendi vſus eatenus tolerari, quatenus ius poſitiuum interpretatur, vt diſpoſitio iuris naturalis non habeat locum in aliquo caſu. Verum, licet tunc videatur contra ius naturale, tamen conſonat cum iure naturali, quia interpretatur ex iuſtiſſima, & rationabili cauſa ab eodē iure naturali approbata; puta, lex naturalis, ſeu Dei mandat, vt nō occidas, Exod. 20. n. 14. & Matth. 5. n. 21. & cap. 19. n. 18. ius poſitiuum interpretatur hoc mādatum, vt non habeat locū in iudice contra malefactorem, qui ſit legitimè conuictus, vel confeſſus corā iudice, quia tunc iuſtum eſt, vt huic ex iuſſu iudicis adimatur vita; nam omnis pars eſt facta propter totum, & proinde ſicut ad hominis ſalutem ſecatur membrum putridum, ne contagione totum pereat corpus: *expedit enim tibi, vt pereat vnum membrum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam*, Matth. 5. num. 30. & alijs verbis dixi in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 2. cap. 10. num. 41. in fine. ſic Reipublicæ corporis ſaluti expedit malefactores ciues, vti membra putrida, truncari, ne tota Reſpublica infectetur, *quia modicum fermentum totā maſſam corrumpit*, vt ex Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 5. nu. 6. retuli in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 59. ſub num. 1. & hæc interpretatio approbatur ab ipſo iure naturali, ſeu diuino, Exod. 21. n. 12. *qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur*, Leuit. 24. n. 17. Deuter. 19. nu. 11. alijsq; in locis, & latè docuit Magiſter Sot. de iuſt. & iur. lib. 5. q. 1. art. 2. per totum, fol. 396. & ſeqq.

41 Confirmatur primò hæc illatio, quia genus humanum poſt primam Adæ, & Euę noſtrorum primorum parentum copulam, cum marium, fœminarumq; coniunctione opus haberet, vt, gignendo, multiplicaretur, nec vlli eſſent homines, niſi qui ex illis duobus naſcerētur; viri ſorores ſuas coniuges ex pręcepto legis Dei, & naturæ acceperunt, quia Deus illis creatis dixerat: *creſcite, & multiplicamini*, vt in Geneſ. 1. n. 22. & licet poſtea humana, religioſaq; lex, humano genere creſcente, fraterna damnabiliter prohibuerit connubia, tamen Dei, & naturæ legi non aduerſatur, cum hæc eadem prohibitio à Dei lege dicatur emanare; ſic humana, religioſaque lege illam rationabiliter interpretante, quaſi lex naturæ fraterna connubia permiſerit ad tempus, donec genus humanum non erat multiplicatum, vt ex D. Thom. ſequitur Io. Azor. de inſtit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 2. q. 1. verſ. contra hoc. col. 12. & ratio huius interpretationis eſt, quia illa permiſſio procedebat à neceſſitate, qua ceſſante, lex humana, dum & ſobolis procreationi, & humani generis concordiæ ſtudere debet, matrimonia inter ſanguine coniunctos, nempe, inter aſcendētes, & deſcendentes in infinitum, & inter tranſuerſales vſque in quartum gradum, damnauit, & inter alios, ſic ſanguine non coniunctos, prudenter admiſit; vt qui ſanguine in concordia, & neceſſitudine nō coniungerētur, matrimonij nexibus colligarentur, cap. 1. 35. q. 1. & quòd ad augendas neceſſitudines, & propinquos adiungendos, & ad augendas concordias, matrimonia inter ſanguine coniunctos ſint prohibita, ſcribunt Tiraq. de legib. connub. in l. 7. num. 45. verſ. quare autem. & Thom. Sanch. in diſputat. de ſanct. matrim. ſacram. lib. 7. diſput. 53. ſub num. 3. verſ. nihilominus. quare fecit lex humana, quod lex Dei, & naturæ feciſſet, ſi neceſſitas tunc aliter non coegiſſet.

42 Confirmatur ſecundo, quia lex diuina, ſeu naturalis, quæ mandat veritatē duobus, aut tribus teſtibus probari, Deut. 17. n. 6. & cap. 19. n. 15. Matth. 18. n. 16. & Ioan. 8. nu. 17. & cap. 4. in omni negotio. de teſtib. cap. 10. cum eſſes. & cap. 11. relatum. de teſtam. & lex ciuilis, quæ teſtatoris voluntatem mandat probari ſeptem teſtibus, l. hac conſultiſſima. C. de teſtam. & Inſtit. de teſtam. ordin. & lex canonica, quæ mandat, vt parochiani vltima voluntas probetur coram duobus teſtibus, & presbytero ſuo, d. cap. cum eſſes. non diſcordant, nec contrariantur, quia lex humana non diſcedit à lege diuina, ſed eam ſequitur, explicando, & interpretando, habentes eandem rectitudinem, vt ſcripſi etiam in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 53. ſub nu. 35. & deduxi ſupra num. 17. nam vbi homines naturali ſinceritate viuerent, ille numerus teſtium ſufficeret, at cum in Remp. humanæ fraudulentiæ ſerperent, & in teſtamentis maior oriretur ſuſpicio falſitatis, naturali ratione maior teſtium numerus in teſtamentis exactus eſt, quia vbi maius periculum, ibi cautius agendum, prout videtur conſideraſſe etiam Sot.

de

ste iust.& iur.lib.4.q.5.art.3.col.penult.vers. si quis autem. fol.329. nec obstat, quod aliter interpretetur lex ciuilis, & aliter lex canonica; quia respondeo, quòd vtraque rectè interpretatur, nec dissentiunt; lex namque ciuilis respexit maiorem falsitatis suspicionem, quàm lex canonica: & licet text. in d. cap.cum esses. dicat, tantum testium numerum esse alienum à lege diuina,tamen benè, & verè loquitur, supposita fidei sinceritate, & non magna falsitatis suspicione, quæ forsan in eo loco, pro quo Papa rescribebat, non imminebat.

43 Confirmatur tertiò, quia lex positiua, quę præscriptionem inducit, non est contra ius naturale, vt aliqui arbitrati sunt, sed concordat cũ iure naturali pluribus rationibus: Prima, quia quando leges, seu iura habent eandem rectitudinem, tũc vnum eorum non potest alteri contrariari: sed ius naturale, & ius positiuum de præscriptionibus habent eandem rectitudinem: ergo. Secunda, ius, habens congruam, & rationabilem causam, concordat cum iure naturali: sed ius de præscriptionibus est huiusmodi, per ea,quæ dixi infra in seqq. rationibus: ergo. Tertia, quia ius positiuum, colligens ex negligentia consensum, & sic puniens eam ob bonum publicum, concordat cum iure naturali, quod vult puniri peccata, & negligentias: sed ius positiuum de præscriptionibus facit hoc: ergo. Quarta, quia hoc ius imponit finem litibus, quæ impediunt bonum publicum: ergo, &c. Io.Andr. in cap. possessor. num. 15. vers. declaratis. de reg. iur. in 6. quare in vniuersum lex positiua habet eandem rectitudinem cum lege naturali, vt dixi supra num.17.confir.3. † sed lex positiua explicat

44 sæpè rectitudinem, quam non explicauit ipsa lex naturalis, vt puta, lex naturalis vult, puniri delinquentem;sed non explicat punitionis modos, quos ideo explicat lex positiua, vtendo rectitudine legis naturalis, videlicet,secundum qualitatem delicti: item lex naturalis prohibet, aliena subtrahi; sed non distinguit modos subtractionis; eos explicat lex positiua,videlicet,actum furandi, rapiendi, & similes: prohibet etiam lex naturalis,alterum locupletari, cum alterius iactura; sed non explicat casum, qui potest euenire, vt quis etiam cum legis naturalis rectitudine possit locupletari cũ alterius iactura; & iste est casus vsucapionis, & præscriptionis, quem explicat lex positiua, & eius rectitudinem iam ostendi in præcedentibus rationibus; sic docuit Ioan.Andr. in d.cap.possessor.sub num.12. hancq; eandem doctrinam per alia verba, & nemine citato, latius quatuor conclusionibus secutus est Sot.de iust.& iur. lib. 1. q. 5. art. 2. vers.ad quæstionem. col.2. & seqq.fol.36. &,quòd licet ius positiuum sit fundatum in iure naturali, tamen alia sit prohibitio iuris naturalis,& alia prohibitio iuris positiui; siquidem prohibitio iuris naturalis oritur immediatè ex sola vitij cognitione, quia ius naturale docet vbi sit vitium cognoscendum, & inclinat ad ipsum detestandum; prohibitio autem iuris positiui fit per pœnæ comminationem, & sic per additionem ad prohibitionem iuris naturalis, scribit Io. Andr. in cap. peccatum. num.24.in fine,& 25. de reg.iur. in 6. cuius repetitionem posuit per appendicem post d.cap.possessor.

45 Infero secundo, (& virtualiter continetur in præcedenti) quòd ius humanum non potest derogare iuri naturali, seu diuino; tum quia cum profluat à iure naturali, & diuino, si illud posset tollere, seu derogare, destrueret suum principium, & tanquam ædificium, destruendo suum fundamentum, se ipsum demoliretur;tũ quia ius humanum, vti inferius,non potest tollere, quod disponit ius diuinum, & naturale, quod est superius argumento textus in l. 4. nam magistratus. ff. de recept. arbitr. *non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius*, Matth. 10. num. 24. tum quia Deus, qui Principi dedit potestatem condendi legem, non intelligitur ei mandasse, vt quicquam faceret contra se, Bal. quem secutus sum infra sub num. 48. & ideo errasse, aut impropriè locuti videntur Doct. vt aduerti sup.q.1.num. 314. non enim derogat;sed explicat,vt dixi hic supra, & conuenit Principis iustitię,& honestati,vt, quod facit, explicando, non dicamus, quòd facit, derogando; sic enim Principis iustitiam videremur lædere,cum Princeps sit iuris naturalis custos,& interpres, non autem ablator, & abolitor: quare cum differentia remaneat non in re,sed in verbis,quia Doct. dum dicunt, quòd derogat, non intendunt dicere, quòd corrigit,sed quod explicat,debemus vti verbo proprio explicationis, & non derogationis, quod non solum est improprium, sed est etiam odiosum, quia le-

gum correctio eſt odioſa, corrigi enim non debet lex, niſi ſit iniuſta; quare, ſi corrigitur iuſta, non eſt corrigere, ſed eſt explicare, ſeu facere aliam ex iuſta cauſa, vt late explicaui ſup. nu. 19. in reſponſione ad ſecũdam.

46 Infero tertio, corroborando eandem contrariam opinionem, hinc eſſe, quòd doctrina, & opiniones Iureconſulti, qui plurimum iudicio abundet naturali, ſunt firmiores, & iuri magis amicæ, quàm doctrina, & opiniones alterius, qui tanto naturali lumine non ſit dotatus, etiam ſi iſte alter vberiori lectione ſit refertus: multi enim naturale iudicium valet in iuriſprudentia, quia tota profluit à iure naturali, vt dixi.

Et hæc de primo articulo.

47 Quoad ſecundum, de quo ſupra num. 6. concludo affirmatiuè, quòd lex humana, ſeu poſitiua, quæ ſit iuſta, obligat in conſcientia, & ſic in foro interiori, id eſt, animæ, Abb. in cap. 1. ſub num. 9. Dec. ſub num. 62. in 2. concluſ. & ſub num. 72. concl. 5. de conſtit. Mantic. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 1. & 18. Sot. de iuſt. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. in fine initij, col. 2. fol. 325. & latè lib. 1. q. 6. art 4. in fine initij, poſt 5. argum. & verſ. quæſtio eſt. & ſeqq. fol. 46. & ſeqq. Nauar. in man. confeſs. cap. 23. nu. 40. verſ. dicendum ſecundo. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an per ludum pecunia præſenti, &c. verſ. his poſitis. fol 166. & tit. an quando luditur pecunia abſenti, &c. in fine, verſ. obſeruemus. fol. 169. & hoc eſſe omnium conſenſu receptum, ſcribit art. 4. tit. an per contractũ, &c. verſ. probatur efficaciſsimis. in fine, fol. 145. & eſſe communem ſententiam, quòd leges, & canones obligent in foro conſcientiæ, teſtatur, & ſequitur Fort. Garc. tract. de vlt. fin. iur. canon. & ciuil. num. 260. illat. 16. tom. 1. fol. 120. & quòd lex ciuilis iuſta ſit admittenda etiam in foro animæ, pulchrè conſuluit Fed. de Sen. conſ. 21. numquid hæres. num. 2. in fine, verſ. in contrarium. & num. 3. quem ſequitur Anch. in cap. poſſeſſor malæ fidei. num. 12. verſus finem, de reg. iur. in 6. & ſcribit etiam Couar. in cap. cum eſſes. nu. 6. de teſtam. tom. 1. fol. 55.

48 † & (loquendo de lege Pontificia) ſicut qui aſſereret, quòd eccleſiaſticæ, ſanctæq; leges non obligant in foro conſcientiæ, genere ſuo ſub reatu mortalis maculæ, erraret in fide Catholica, Sot. d. art. 4. concl. 4. col. 4. fol. 47. ita (loquendo de lege Principis ſecularis) is, qui aſſereret, quòd ex lege ciuili non poteſt oriri obligatio in conſcientia, erraret in temeritate, Sot. eod. art. 4. col. 7. initio, ibi, colligamus ergo. fol. 48. imò, quòd ſit de fide, vt admittamus, quòd lex humana iuſta obliget in conſcientia, ſcribit Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex pœnalis obliget, &c. concl. 1. verſ. tertio lex humana. fol. 223. & proinde dum lex poſitiua obligat in conſcientia, illi non obedire, eſt peccatum mortale; Reſp. enim habet auctoritatem ad prohibenda opera nociua, cui non obedire, cum leges humanæ iuſtæ obligent in conſcientia, eſt peccatum mortale, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 6. tit. an liceat ludere. concl. 2. initio, fol. 164. &, quòd faciens contra præceptum legis, peccet mortaliter, ſcribit Gemin. in cap. 35. commiſſa. §. fin. num. 2. de elect. in 6. &, quòd facere contra legem ſit peccatum, & faciens ſit redarguendus, & puniendus à ſuperiore, ſcribit Rebuff. ad conſtit. Franc. tractar. de ſentent. execut. art. 11. gl. vnica, num. 4. verſ. item peccatum. tom. 1. fol. 406. &, quòd lex ciuilis, & canonica ſeruanda ſit in foro conſcientiæ, quando eſt iuſtè facta ab habente poteſtatem, & fundata ſuper certo, ſequitur Felyn. in cap. 1. num. 47. verſ. extra prædictos. de conſtit. hæcq; concluſio probatur ex cap. vlt. 14. q. 1. & ab hac cõcluſione non diſcrepat in effectu reſponſio, qua Bonniæ, propoſita, & diſputata quæſtione in ſcholis Fratrum Prædicatorum (an lex poſitiua excuſet, vel obliget in foro pœnitentiæ) D. Pet. de Vltramon. Auditor D. Card. Raynaldi Apoſtolicæ Sedis Legati publicè coram Doct. & ſcholaribus vniuerſis, hunc in modum diſtinxit: Aut lex humana dicit contra legem diuinam; & tunc non excuſat in foro pœnitentiæ, & poſuit exemplum in vſuris, nam ſi aliqua lege permitterentur, dicit, illam legem non valere, tum quia conditor legis humanæ non poteſt tollere legem ſuperioris, tum quia conditor legis humanæ, ſiue ſit Papa, ſiue Imperator, eſt conſtitutus à Deo, & ab eo habet poteſtatem condendi legem, ſed ille, qui mandat alicui, non intelligitur mandare, vt quicquam fiat contra ſe: Aut lex humana eſt ſecundum legem diuinam, & tunc ligat, & excuſat etiam in foro conſcientiæ, imò tranſgreſſor debet tunc magis puniri, quàm ſi eſſet ſimplex lex diuina, vel humana, quia duplex funiculus difficilius rumpitur: Aut lex humana eſt con-

dita præter legem diuinam, & tunc subdistinxit: aut lex humana est fundata super præsumptione: & isto casu non excusat; quare si teneo fundum alienum, quem scio esse alienum, & petitur à me in iudicio, & propter defectum probationum, vel aliam ob causam absoluor, in foro conscientiæ non excusor, quamuis ista absolutio faciat ius in foro fori, vt non tenear restituere: aut lex humana est fundata super veritate, vel certo: & tunc excusat in foro pœnitentiæ, quare qui auctoritate legis præscribit cum bona fide, & iusto titulo, est tutus etiam in foro conscientiæ, etiam si post completam præscriptionem sciat, rem esse alienam, prout totam hanc distinctionem retulit Bal. in l. cum quis. num. 14. vers. post hoc sciatis. C. de iur. & fact. ignor.

49 Ratio huius conclusionis est, quia obedientia debetur legi in tantum, vt etiam si aliquando præciperet, intermitti aliquod bonum, esset adhuc ei obediendum, quia per obedientiam crescit obedientis virtus, & ex virtute meritum, & è conuerso per inobedientiam oritur peccatum; nam edere de arbore vetita in Paradiso ex se non erat peccatum, quia arbor in Paradiso non erat mala, sed fuit peccatum, quia prohibitum erat de illa edere, cap. 99. quid ergo. 11. q. 3. & Genes. 2. nu. 16. & 17. *præcepitq; ei, dicens: ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* quædam enim peccata sunt, quia prohibita, vt in d. cap. quid ergo. & quædam prohibita, quia peccata, vt Exod. 22. Io. Andr. in cap. peccatum. in appendice, sub num. 4. post cap. possessor. de reg. iur. in 6. fol. 62. & Medin. in suis tractat. rom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 2. initio, fol. 302. quæ ex sui natura sunt peccata, vitiosa, & habent malitiam conuolutam, sunt vsura, vt dixi supra q. 1. num. 404. & ista, quia ex sui natura sunt talia, ideo à lege naturæ sunt prohibita, huiusmodi etiam sunt homicidiū, adulterium, mendacium, & similia, quæ Arist. 3. ethic. solo lumine naturali interius ductus, asseruit, esse peccata, morte digna, & de se talia, vt pro eis vitandis mors esset sustinenda, vt ex eo refert Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 19. vers. verum salua. col. 7. fol. 150. quare in his, quæ ideo mala sunt, quia sunt prohibita; rectè dicimus; si lex non fuisset, homo non peccasset, ad Rom. cap. 3. nu. 20. *per legem enim cognitio peccati.* cap. 4. nu. 15. *vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* & cap. 5. num. 13. *peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Sed tamen per obedientiam fieri nunquam debet malum, d. cap. quid ergo.

50 Sed quare etiam lex Principis secularis obliget in conscientia, colligo triplicem rationem: Prima ratio est, quia potestas Principis, legem condentis, procedit à Deo, vt ostendi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 11. num. 3. Vnde Imperatoris, seu Principis leges non sine ratione diuinæ dicuntur, l. 1. §. sed & si quid. *& à nostro diuino fuerint ore profusa.* C. de vet. iur. enucl. cap. 1. dist. 8. *quia ipsa iura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit generi humano.* & cap. vlt. 16. q. 3. *sed & venerandæ Romanæ leges diuinitus per ora Principum promulgatæ.* quod idem, alijs iuribus, & Doctoribus citatis, scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. num. 379. in fine, vers. primo quia. & facit, quod ex Apost. retuli infra hoc eod. num. Ergo sicut lex Dei obligat in cōscientia, ita etiam leges Principis, quæ à Dei lege profluunt. Secunda, quia lex naturalis obligat in conscientia, & hoc est clarum; sed ratio naturalis exigit, vt ad regimen orbis, & rectum ordinem inferiora per superiora regantur, & regi sine potestate non possunt; & sicut omnia cœlestia à primo motore reguntur, & ordinem sumunt, ita ad regimen humani generis Principibus, qui à Deo sumpserunt imperium, obedire decet, Fortun. Garc. tract. de vlt. fin. iur. canon. & ciuil. sub num. 260. illat. 16. tom. 1. fol. 120. & consequenter qui non obedit, peccat, *itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit,* Apostol. ad Rom. 13. n. 2. tum quia facere contra iustam Principis legem est malum morale, & consequenter apud Deum est peccatum, quoniam lex iusta est regula rationis, cuius lineā transgredi est obliquitas, quæ est peccatum; tum quia quicquid mali in moribus est, peccatum existit, vt ex D. Thom. sequitur Sot. d. art. 4. col. 6. in fine, ibi, consequens nihilominus. fol. 48. Tertia, quia lex positiua est pars iuris naturæ, seu profluit ab eo, vt ostendi supra num. 14. & seqq. ergo sicut ius naturæ obligat in conscientia, ita etiam obligat ius positiuum.

Infero, extendendo hanc conclusionem, quòd etsi lex humana sit lata à Principe laico, tamen, si sit ordinata ad bonum commu-

ne, & sit iusta, ligat etiam clericos; vnde clerici non possunt, vendendo frumentum, excedere pretium, taxatum à Principe, quamuis laico, Rodriq. in sum. par. 1. cap. 196. conclus. 1.

Sed quia hęc illatio pendet ab illo articulo; an leges, & statuta laicorum ligent clericos, & personas ecclesiasticas, videnda sunt, quæ scribunt Doct. in locis, à me citatis in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub num. 204. & ego nihil firmo.

51 Aduertenda sunt quinque circa hãc conclusionem: Primum, quòd illa conditio, vt lex sit iusta, veluti superflua, exprimit id, quod essentialiter inest legi, quia, si non esset iusta, non esset lex, cap. 2. erit lex. dist. 4. & dixi supra num. 16. confirmatione 3. & num. 19. vers. ad secundam. vnde sequitur, quòd gabella, quæ non est licitè imposita, vt puta, quia sit imposita à non habente potestatem, vel sit imposita nimis barbarica, vel cesset causa, propter quam fuit imposita, potest licitè fraudari, secundum ea, quæ refert & sequitur Felyn. in cap. 1. fallen. 6. nu. 41. vers. ex quibus. de constit. sed an, & quando hæc sequela de gabella possit procedere, esset longiori oratione tractandum, idcirco hic nihil de hoc firmo: & quæ sint leges iniustæ, repugnantes legi diuinæ, vide Summ. Pisan. ad quam se remittit Felyn. d. cap. 1. num. 49. Secundum, quòd lex ecclesiastica potest expressè sub reatu peccati mortalis obligare; at lex secularis nunquam sub hoc reatu expressè obligat, sed ex natura legis hæc obligatio potest consequi, Sot. de iust. & iur. d. art. 4. col. 5. fol. 47. in vltimis verbis, & col. 9. in respons. ad postremum argumentum, fol. 49. quia facultas obligandi expressè sub pœna peccati pertinet priuatiue ad

52 iurisdictionem ecclesiasticam. † Tertium, quòd transgressio legis, an inducat peccatum mortale, vel veniale, ex grauitate, vel leuitate rei est examinandum, Sot. vbi sup. & Mich. Sal. d. q. 62. art. 3. tit. an lex pœnalis obliget, &c. concl. 1. vers. tertio lex humana. fol. 223. hæcq; leuitas, vel grauitas ex qualitate pœnæ, à lege impositæ, cognosci potest, vt puta, si mortis pœna sit imposita, mortale est peccatum, prout hanc pœnam comedenti de ligno scientiæ boni, & mali imposuit Deus: *de ligno autem scientia boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2. n. 17.

53 † Quartum, quòd etsi omissio, seu transgressio legis inducat reatum culpæ, idest, peccatum, vt dixi, quia omnis lex, quæ absolutè fertur idest, quæ contrarium non explicat, obligat ad culpam, vel venialem, vel mortalem, secundum qualitatem operis, quia lex secum affert obedientię preceptum, quæ obedientia per se est virtus, & inobedientia peccatum, tamen potest lex exprimere, quòd illa lex non obliget ad culpam; quo fit, vt quicunque legem ferre voluerint, siue seculares, siue ecclesiastici Principes fuerint, quæ non obliget ad culpam, illud debent exprimere; prout in Religionibus, & præsertim Dominicana, exprimunt aliquæ constitutiones, in quarum capite adest, quòd non obligent ad culpam, testibus Io. Andr. in cap. 7. telatum. sub num. 2. ibi, commendatur per hoc regula prædicatorum. ne cler. vel mon. &c. Sot. d. art. 4. in postremo argum. col. 6. fol. 48. initio, & col. 10. fol. 50. Nauar. in man. confessar. cap. 23. num. 49. vers. secundo quod. & in Augustiniana, teste Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex pœnalis obliget, &c. concl. 1. initio, fol. 223. Ex his sequitur, quòd lex, quantumuis pœnalis sit, obligat etiam ad culpam, Gemin. in cap. 35. commissa. §. fin. num. 2. de elect. in 6. quia illa pœna ponitur in lege, vt lex obseruãtius custodiatur, nõ vt transgressor sit vacuus à culpa, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 37. in respons. ad 6. rationem, vers. ad sextam. fol. 259. in fine, Sot. d. art. 4. col. 10. & peculiariter art. 5. vers. quæstio hæc. col. 2. fol. 52. Mich. Sal. ad D. D. Thom. 2. 2. d. concl. 1. per totam, fol. 223. & latè Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 5. sub num. 2. vers. hæc vero. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 627. nisi contrarium sit in ea expressum, vt dicunt Sot. & Mich. Sal. in locis

54 supra proximè citatis. † Verum in hac quarta aduertentia non parum dubitari potest, an hoc sit verum, quòd lex non obliget ad culpam, quando initio legis hæc obligatio eximitur ab ipsa lege, & dubitatio oritur, quia hæc obligatio procedit à natura legis, vt ipsemet Sot. citatus supra in 2. aduertentia adducit pro fundamento, dum scribit, quòd lex secularis obligat ad culpam: quare hæc contraria conditio, quòd non obliget, aut est contra substantiam legis, & tunc vitiat, & non vitiatur, & sic resoluit legem in non legem, quia illam inficit; aut non est contra substantiam, sed est contra naturam, & tunc vitiatur, & non vitiat, & sic habetur

pro

pro non adiecta, vt, loquẽdo in contractibus, scribunt generaliter Doctores, quos citaui ampliatione sequenti, nu. 15. & 16. Neque hoc dubium tollitur eo, quia lex consultoria, quamuis diuina sit, non obliget etiam ad veniale, cap. vlt. 14. quæst. 1. quia respondeo, quòd aliud est consilium, vbi offerentis est arbitrium, aliud præceptum, vbi necessitas est seruientis, d. cap. vlt. quare, cum lex, maximè pœnalis, habeat semper in se præceptum; ruit hæc consideratio, quam fecit Nauar. in loco supra proximè citato. Rursus id limitandum esset, vt non procederet in his, quæ per se mortalia sunt, quia in his semper manet obligatio sub reatu peccati mortalis; quare procederet in his, quæ per se mortalia non sunt, Io. Andr. in loco proximè citato. Quintum, quòd licet lex pœnalis obliget, vt dixi, in conscientia, & ideo non obediens peccet, tamen non obligat in conscientia ad soluendam pœnam, quam imponit, nisi præcesserit sententia iudicis, vt secutus sum infra num. 139. vers. declara.

55 Quoad tertium articulum, de quo supra num. 6. concludo negatiuè, quòd lex ex eo solo, quòd actus sit gestus contra eius prohibitionem, non obligat in consequentiam ad restitutionem; quare possunt hæc duo simul stare; quòd quis sit prohibitus gerere aliquem actum, & non teneatur restituere, quod habuit, gerendo illum actum, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 98. & seqq. vsque ad num. 111. inclusiue, in quibus iste articulus magis congruè, quàm hîc latè examinatur, & resoluitur.

56 Quoad quartum articulum, in cuius explicatione, tractando subtilem materiam restitutionis, faciendæ in foro pœnitentiali, multum laborarunt Innoc. & alij Canonistæ in cap. 8. quia plerique. de immunit. eccles. & Couar. in cap. 4. peccatum. de reg. iur. in 6. & post D. Thomam ex Theolog. Medin. in suis tract. tom. 2. per plures qq. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 6. & 7. Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 6. & seqq. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. & seqq. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. & 5. de restit. & alij vetustiores; sed eorum pace (præsertim Canonistarum) dixerim, nullam certam dederunt doctrinam, & ideo confusè docuerunt: nam Ant. de Butr. qui in eod. cap. materiam hanc reduxit ad sex casus, processit quidem subtiliter, sed eam intricauit, vt scribit Abb. ibidem, num. 7. vers. extra materiam. & ipse Abb. quamuis materiam d. nu. 7. & seqq. conetur explicare per tredecim qq. quarum decisio eius iudicio pendet à duabus regulis, quas præmittit; tamen est in eadem intricatione; & non minus confusè scripserunt Sot. & Mich. Sal. † nos, vt

57 ordinatè, & clarè materiam istam, à cæteris hucusque confusè tractatam, explicemus; referemus prius regulas, & generales doctrinas, quibus ipsi vsi sunt.

Prima doctrina continetur his duabus regulis: Prima regula est, quòd vbicunque lex positiua, habens concursum legis, seu æquitatis naturalis, disponit super restitutione, vel retentione, seruanda est illa lex positiua, etiam in foro conscientiæ; quia lex positiua, non nutritiua peccati, seruari debet, etiam in foro conscientiæ, ex quò nulla alia lex distinguit illo casu inter forum pœnitentiale, & forum contentiosum, nec subest causa distinguendi; & sic seruandæ sunt leges positiuæ, quando non occurrit æquitas naturalis in contrarium. Secunda regula: vbicunque inter legem positiuam, & legem naturalem datur discrepantia; seruanda est lex, seu æquitas naturalis in foro conscientię, nisi lex positiua ex aliqua iusta, & vera causa disponat contra illam legem naturalem, quia tunc est seruanda lex positiua, Abb. in d. cap. 8. quia plerique. num. 7.

Contra hanc doctrinam obstant duo: Primũ, quia secunda regula admittit & quidem pro fundamento discrepantiam inter ius naturale, & ius positiuum, & tamẽ inter ea non extare discrepantiam, firmauimus sup. nu. 14. & seqq. Secundum, quia dato, vt in prima regula, quòd lex positiua conueniat cum naturali, tamen ex hoc non sequitur conclusio, quòd restitutio fieri debeat per ea, quæ dixi in præcedenti articulo.

58 Secunda doctrina habet hanc distinctionem: Aut nullitas contractus procedit ex inhabilitate personæ contrahentis, vt puta, quia contrahens est pupillus; & tunc fieri debet restitutio etiam in foro animæ, quia per eiusmodi contractum non fuit trãslatum dominium: Aut non procedit ex inhabilitate personæ, sed ex defectu alicuius solemnitatis, requisitæ à iure positiuo ad obuiãdum fraudibus; & tunc potest quisque contrahentium bona conscientia vti beneficio iuris positiui; & sic qui retinet, in foro conscientiæ non tenetur restituere, & qui repetit, &

repetendo recuperat, tuta conscientia recuperat, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. col. 3. ibi, ad cuius explicationem. fol. 326. quare possidens aliquam hæreditatem, vel legatum ex testamento imperfecto, non tenetur hæredi ab intestato restituere, donec iudex non præcipiat, & hæres ab intestato potest illa repetere, & vterque est tutus in conscientia, vt deducit etiam, referendo Soti opinionem, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio. art. 4. tit. an per contractum, &c. vers. ex hac sententia. iuncto vers. præced. tertia opinio. fol. 147.

Contra primum membrum huius distinctionis tenuit Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. num. 12. de immun. eccles. quem retuli, & confirmaui infra num. 71. & 72.

Contra secundum membrum, dum in eo dicitur, vtrunque contrahentem esse tutum in conscientia, opponit Mich. Sal. d. art. 4. tit. an per contractum, &c. versus finem, vers. tertio falsum est. fol. 148. dicens, quòd sic darentur duo domini eiusdem rei simul, & eodem tempore, quod est impossibile, & totam Soti opinionem multipliciter carpit eod. tit. an per contractum, &c. vers. falsum tamen. & seqq. fol. 148.

Tertia doctrina habet duas regulas: Prima quarum est, vt quis teneatur ablatum restituere ratione iniustæ acceptionis, siue ea sit iniusta in iniuriam proximi, siue quia lege prohibita; quam primam regulam ponit, lateq; examinat Couar. in cap. peccatū. par. 2. ante primum §. & §. 1. & seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 609. Secunda regula est, quòd quis tenetur ad restitutionem ratione rei, quæ aliena est; quam regulam ponit, & examinat idem Couar. in d. cap. peccatum. par. 3. ante primum. §. & §. 1. & seq. fol. 662. & seqq.

Sed vtraque regula est fundata in principijs adeo generalibus, vt nos parum doceāt.

59 Quarta doctrina habet hanc vnicam conclusionem, quòd, data vtriusque opinionis probabilitate, quisque eam sequi debet, in qua conscientia sibi non repugnat, quia quicquid est contra conscientiam, est peccatum, ad Rom. 14. nu. 23. in fine, *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* & cap. 20. quoniam omne. de præscript. Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. vers. si quis autem. col. 9. fol. 329. & ab hac resolutione non discedit Mich. Sal. d. tit. an per contractū, &c. in fine, vers. obseruemus. fol. 148. & concl. 4. fol. 149. & conclus. vlt. vers. ad vltimum. fol. 151. & quidem agere contra conscientiam in re graui, peccatum est mortale, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. tit. debeat ne iudex, &c. vers. primo agere. fol. 423.

Corroboratur hæc doctrina, quia conscientia etiam erronea ligat, vt secutus sum infra §. 6. gl. 1. sub num. 53. & satis patet ex prædictis, & infradicendis; quare iurans licitum, quod credit illicitum, & iurans verum, quod credit falsum, est periurus quoad Deum, & similiter credens venire contra iuramentum, & non venit, vt si credebat, iuramento non esse satisfactum, cui tamen erat satisfactum, quia Deus respicit animum hominis, Abb. in cap. 18. quanto. num. 3. not. vlt. de iureiur. & proinde faciens cōtra conscientiam, ædificat ad gehennam, idest, ad ignem infernalem, Gl. vnica, dist. 13. & Cæpol. de simul. contract. num. 193. tom. 7. fol. 11. quinimò, qui facit aliquid, dubitans, an illud sit peccatum mortale, nec ne, faciendo, peccat mortaliter, iuxta illud Ecclesiast. 3. num. 27. *qui amat periculum, in illo peribit.* vt admonet Nauar. in cap. consideret. in princ. sub num. 38. de pœnit. dist. 5. vbi declarat, aliud esse, dubitare, aliud, credere aliqua rationabili ratione, & auctoritate Illust. Doctoris admonente.

Contra hanc doctrinam (etsi communis sit) obstat, quia sicut paucissima iudicis arbitrio relinquenda sunt, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. sub num. 297. & quare, nu. 380. sic etiā in propria causa nihil propriæ committi deberet cōscientiæ, quando veritas, quæ est vna, sciri potest; ideoq; non benè meo iudicio sentiūt Doct. dum in aliquo articulo, præsertim in foro conscientiæ, aiunt, vtramque opinionem esse probabilem, nisi hanc duplicem probabilitatem expressè sancta Mater Ecclesia, quæ non mouetur, nisi ex iustissimis causis, admitteret.

Confirmatur primo hæc contraria opinio, quia is, quem conscientia remordet, debet eam purgare, Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 19. vers. sed hostien. de vsur. quare si conscientia dictat, fieri aliquid, quod non est contra legem Dei, debet illud fieri, vel debet deponi conscientia: si verò dictaret aliquid, quod esset contra Deum, vel eius legem, licet non liget ad faciēdum, ex quò, si faceret, peccaret mortaliter, quia faceret contra legem Dei; tamen ligat ad deponendum talem conscientiam, in qua quis

quis errat, &, si non deponit, peccat etiam, non faciendo, quia, non faciendo, facit in contemptum, dum credit, dictante conscientia, hoc non fieri, displicere Deo; & ideo talis conscientia omnino deponēda est; alias peccatur mortaliter, vt explicat Parif. in d. cap. quoniam omne. num. 2. de præscript. inter Repet. tom. 4. fol. 161. quare Iudæi, quibus conscientia dictabat, quòd CHRISTVS esset crucifigendus, quia habebant legem, quòd quicunque se faceret filium Dei, morte moreretur; crucifigendo, peccarunt mortaliter, quia fecerunt contra legem Diuinam, committendo crimen læsæ diuinæ maiestatis in primo, & supremo capite, &, non crucifigendo, debuissent deponere illam conscientiam, cum conscientia etiam erronea liget, vt dixi hic supra.

Confirmatur secundo, quia vbi conscientia sit ita perplexa; vt ab vtraque parte remordeat, ideoque, vti constituta inter duo mala, nesciat se purgare; duo tunc debet obseruare: primum, an verè sit inter duo mala, quorum alterum necessariò sequi debeat, & alterum electiuè euitari possit; & tunc maius euitari debet, cap. 1. dist. 13. & scripsi supra ampl. 10. sub num. 46. secundum, vt, si conscientia possit, eligendo, errare, peritiores consulat; alias conscientiæ perplexitate non excusaretur; vnde etsi Iudæi haberent præfatam legem, quòd quicunque se faceret filium Dei, morte moreretur; ideoque, si CHRISTVM non crucifixissent, potuissent credere, quòd mortaliter peccassent; tamen occidendo, mortaliter peccarunt, nec à conscientiæ dictamine excusantur, quia debebant consulere peritiores, nempè, Apostolos, & sacram scripturam, vt dicit Glos. vnica, dist. 13. Et postquam perplexus peritiores, vel sanctorum virorum, aut peritorum libros consuluerit, & ab ijs certus factus esset, quòd illud non esset peccatum, neque contra legem; & tamen ipse non deponeret conscientiam; si illud faceret contra conscientiam, adhuc peccaret, quòd si, reluctante adhuc conscientia, non faceret, is, veluti obstupescens efficeretur inutilis, non enim faceret mala, quia mala, nec faceret bona, quia ageret contra conscientiam, & sic vti stupidus nihil ageret in mundo, & hoc est illud, quod sacra scriptura, quam citaui supra q. 1. sub num. 18. ait: *noli esse iustus multum, neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.*

Patet ergo ex his omnibus, quòd nec potest eligere opinionem, quam vult, nec absolutè tenetur sequi eam, in qua sibi conscientia non repugnat, sed adhibendæ sunt circunstantiæ, superius adductæ.

Declara incidenter, sed vtiliter has duas confirmationes, quòd etsi faciens actum iustum, & licitum, &, faciendo, credit, esse illicitum, peccet contra conscientiam, vt dixi; tamen si ex illo actu aliquid acquirat, non tenetur illud restituere; quare si quis, spondendo, arbitraretur, rem ita se certissimò habere, prout ipse dicit in sponsione, & ita in effectu res se habuerit, & proinde lucratus fuerit; & postea comperiat, falsum omnino fuisse fundamentum, ex quo ita arbitrabatur, ideoq; se exposuisse periculo amittendi, non tenetur restituere, quod ex illa sponsione lucratus est; sicut & is, qui lucratur ex contractu, qui est licitus, & ipse credit esse vsurarium, peccat quidem, sed non tenetur restituere, Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 508. in fine, vers. illud est.

60 His relatis, constituo duas conclusiones, ex quibus per illationes casus omnes facilè decidemus.

Prima conclusio est, quòd retinens scienter, ideoq; mala fide rem alienam, tenetur indistinctè in foro interiori eam restituere, & etiam in foro exteriori, si in eo ex actis legitimè constet, rem esse alienam, vt latè, & elatè patet ex sequenti declaratione, & eius illationibus.

61 Ratio huius conclusionis est duplex: Prima, quia ius naturæ obligat etiam in foro interiori, idest, in conscientia, vt dixi etiam supra num. 47. & seqq. & sub nu. 50. sed ius naturæ disponit, vt quod tibi non vis, alteri ne facias, Matth. 7. num. 12. *omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex.* & habetur dist. 1. initio, & nemo vellet, rem suam ab alio occupari, &, se inuito, retineri, sed sibi restitui: ergo de iure naturæ retinens scienter rem alienam, tenetur eam restituere. Secunda ratio est, quia quicumque habet vltra id, quod suum est, debet illi reddere, cuius est; hoc enim ratio commutatiuæ iustitiæ exigit quippe, cuius officium est æqualitatem constituere inter eum, qui minus habet, & eum, qui plus, Sot. de iust. & iur. lib. 4. quæst. 7. art. 2. vers. quæstio hæc. col. 1. fol. 377.

62 Declara primo hanc conclusionem, vt scien-

scienter rem alienam accipere, seu detinere dicatur is, qui eam accipit, seu retinet sine consensu veri domini, siue, inuito domino.

63 Infero primo, (& simul probo hanc declarationem) quòd si quis ex furto, rapina, oppressione, dolo, fraude, vel calumnia rem acceperit, tenetur in foro animæ ad restitutionem, & pœnitere de peccato non sufficit, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 1. Ioan. Andr. & Ant. de Butr. vterque nu. 3. & Abb. num. 8. de immunit. eccles. nec aliter saluari potest, nisi restituat, cap. 4. peccatum. & ibi Doct. de reg. iur. in 6. & Ant. de Butr. vbi sup. hancq; illationem, quam tenent omnes sine controuersia, latè probant Medin. Sot. & alij, quos citaui infra sub num. 82. vbi habes extensiones.

Ratio huius illationis, & sequentium est, quia fur, & oppressor retinent rem alienam, inuito domino, Couar. in d. cap. peccatum. par. 2. §. 1. num. 1. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 611.

Declara hanc illationem, dum dicunt, pœnitentiam de peccato nõ sufficere, & non posse saluari, nisi restituat, vt procedat quando habet facultatem restituendi, alias, si non possit restituere, sufficit pœnitentia de peccato, cap. 1. 14. q. 6. & Gl. 1. vers. vel enim. & vers. vtrum sit verum. in cap. 4. peccatum. de reg. iur. in 6. & communiter omnes; ratio autem quare pœnitentia de peccato non sufficiat, quando habet facultatem restituendi, & non restituit, est, quia est ficta pœnitentia, & non vera, d. cap. 1. 14. q. 6. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. col. 3. vers. quibus non obstantibus, fol. 12.

64 Subinfero primo, quòd mutuator, accipiens à mutuatario vltra sortem, & sic cum vsura, tenetur illud vltra omnino restituere, non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori.

Ratio huius subillationis est, quia vsura est rapina, cap. 10. 14. q. 4 *si quis vsuram acceperit, rapinam facit, vita non viuit*; imò vsura videtur grauius delictum, quàm furtum, cap. 11. quid dicam. ead. 14. q. 4. *an crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore*? quasi vsura sit homicidium: nam fœnerari, idest, dare sub vsuris, est hominem occidere, Cic. lib. 2. offic. quem referunt, & sequuntur Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. vers. quapropter. versus finem, col. 10. initio, fol. 528. & Couar. var. resol. lib. 3. cap. 1. sub nu. 5. vers. superest. versus finem: sed homicidium est grauius delictum, quàm furtum: ergo etiam vsura, cum sit æqualis homicidio; &, quòd vsura comprehendatur sub furto, sentiunt Sot. & Nauar. quos secutus sum sup. §. 1. q. 1. nu. 402. versus finem; sed quomodo vsura sit rapina, & furtum, & quomodo differant, explico: Sciendum igitur est, quòd præfata tria se habent per ordinem: furtum se habet in plus, quàm rapina: rapina in plus, quàm vsura: nam de ratione furti sunt duo: primum, quòd vsurpetur res aliena: secundum, quòd hæc vsurpatio sit occulta; attento primo, furtum extenditur ad rapinam: attento verò secundo, distinguitur ab ea: de ratione autem rapinæ sunt tria: primum, quòd vsurpetur res aliena, & hoc attento, participat de furto: secundum, quòd dicta vsurpatio sit manifesta; &, hoc attento, distinguitur à furto, & extenditur ad vsuram, & sic vsura est rapina: tertium, quòd ista vsurpatio sit penitus violenta, & hoc attento, distinguitur ab vsura: de ratione autem vsuræ sunt alia tria: primum, quòd per ipsam vsurpetur res aliena, &, hoc attento, participat de furto, & de rapina; & ideo vsura dicitur rapina, & dicitur furtum: secundum, quòd vsurpatio sit manifesta, &, hoc attento, participat de rapina, & distinguitur à furto: tertium, quòd hæc vsurpatio fiat per consensum coactum, & extortum ratione mutui, quo soluens timet carere, & per consequens hæc manifesta vsurpatio non est penitus voluntaria, nec penitus violenta, &, hoc tertio attento, vsura distinguitur & à furto, & à rapina, vt post Fratrem Gerardum de Senis docet Io. Andr. in cap. possessor. num. 34. de reg. iur. in 6. &, quòd vsura dicatur rapina, largè sumpta, prout quælibet illicita vsurpatio rei alienæ dicitur rapina, & sic accipiatur pars pro toto, scribit Card. de Turrecrem. in d. cap. si quis vsuram. num. 2. vers. respondeo. & quòd voluntas mutuatarij, vsuras soluentis, habeat inuoluntarium admixtum, quia non daret, nisi quodammodo coactus, eo scilicet, quòd non potest aliter mutuũ recipere, scribit Medin. in suis tract. to. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. in difficultate tertij argumenti, vers. alij vero. fol. 348. & quas identitates, & differentias habeant furtum, & rapina, poteris etiam, si placet, colligere ex his, quæ scribit Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 1. num. 1. & seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 612. & 613.

65 & 613. † quare si tu mutuas mihi decem, & ego promitto tibi restituere illa decem ex causa mutui, & vlterius promitto vnum ex causa donationis, & sic promitto restituere vndecim, talis promissio, & donatio, vti facta in fraudem vsurarum, non tenet in contractu mutui, Bal. in l. rogasti. §. si tibi. circa principium, ff. si cert. pet. & Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. num. 19. in fine, & nu. 20. de vsur. & fructus, quos Ciuitas, seu Rex soluit subditis, qui eis mutuant pecunias, & dicũt, se eos soluere ex mera liberalitate, Illicitè percipiuntur, quia Rex non esset alias donaturus, & sic ista largitas, cũ incipiat à mutuo præcedenti, debet reputari captiosa, Bal. in l. iusiurandum. col. mihi 33. ibi, præterea cum rex. & ibi, non obstat argumen-
66 tum. ff. de iureiur. † Imò mutuatarij voluntas adeo censetur fuisse coacta, vt, si vsuras solutas mutuatori remittat, remissio non teneat, nisi mutuator prius actualiter obtulerit restitutionem, vel nisi remissio sit omnino libera, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. sub nu. 348. & 349.
67 vbi vide: † Ergò cum mutuator vsurarius vsurpet rem alienam, coacto, & extorto domini consensu, dominium rerum, quas extorquet ex causa vsurarum, nõ transit in ipsum vsurarium, Clar. recept. sent. lib. 5. §. vsura. vers. præterea dominium. &, quòd vsurarius non comparet dominium rei, per vsuram acquisitæ, latè tuetur, & sequitur post alios, quos citat Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 326. vers. contraria sententia. & seq. col. 304. & seq. &, quòd idcirco fructus, percepti ex censu, inito contra formam constitutionis Pij V. quamuis bona fide essent percepti, nunquam transeant in dominium recipientis, & vsurarius non acquirat dominium vsuræ, secutus sum supra q. 1. sub num. 209. versus finem, illat. 1. Ergo tenetur omnino restituere, quia sicut consensus coactus non eximeret raptorem ab obligatione restituendi, ita etiam non eximet vsurarium.

Ex hac ratione nota duo. Primum, quòd in vsuris etiam Rex est capax coactionis passiuæ, quamuis ipse & viribus, & potentia longè vsurarium cogentem excederet, & consequenter in foro fori minus malũ visum esse, quòd vsurarius cogat Regem ad soluendum iniustas vsuras, quàm vt Rex iniusta vi cogat vsurariũ ad mutuandum sibi sine vsuris. Secundum, quòd ruit argumentum, quod refert Io. Andr. in cap. peccatum. in appendice post cap. possessor. sub num. 4. de reg. iur. in 6. ad ostendendum, vsurarium contractum esse licitum: argumentum est hoc: vnusquisque potest licitè accipere, quod sibi voluntariè donatur: sed, quod recipit fœnerator per contractum vsurarium, sibi voluntariè donatur, quia datur per pactum in contractu mutui. Ergo.

Amplia hanc subillationem, vt procedat etiam si mutuator fuerit à mutuatario inductus ad mutuandum, quia licet hoc ipso mutuatarius sit in æquali peccato, tamen mutuator non inducitur à mutuatario ad recipiendam vsuram, imò ipse, dum recipit, committit rapinam, vt dixi supra q. 1. sub num. 331. vers. respondeo.

Subinfero secundo, quòd is, qui, adhibito iniusto metu, contraxit, seu donationem habuit, tenetur in vtroque foro restituere, quia iniustus metus, seu qui in constantem virum cadit, excludit consensum, prout declarat Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 15. vbi de communi, & latè materiam huius subillationis explicat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 23. per totum, col. 303. & seqq. & lib. 6. tit. de contract. cap. 7. per totum, col. 510. & seqq. & de iure naturali, quando in contractu, seu obligatione deficit consensus, in conscientia huiusmodi contractus, seu obligatio non valet, nec Ecclesia potest facere, vt valeat, quia vbi in contractu abest consensus, tollitur substantia contractus, Ioan. Azor. eod. lib. 4. tit. de restit. cap. 24. q. 1. vers. in hac re. col. 308.

Explica primo hanc subillationem, vt in foro interiori non solum metus, cadens in constantem virum, obliget, vt dixi, ad restituendum, sed etiam metus reuerentialis, & alius quiuis minor eo, qui cadit in constantem virum, dummodo is fuerit talis, vt fuerit causa, sine qua non, idest, quòd alias non fuisset datum, &c. secus est in foro exteriori, vt dixi, quia, si in foro exteriori daretur rescissio actuum ob leuem metum, omnium ferè repeteretur rescissio, & ita Resp. litibus molestaretur, Nauar. d. cap. 17. sub num. 30. vers. hactenus.

Explica secundo, vt qui dicatur metus, cadens in constantem virum, remittatur arbitrio boni viri, idest, iudicis, Franc. de Plat. tract. de excomm. §. 46. num. 10. tom. 14. fol. 360. & Mar. Salom. in l. 1. sub nu. 15. ff. de

ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168.

Pro vlteriori huius secundæ explicationis, seu verius arbitrij intelligentia, distinguo duplicem speciem actionis meticulosæ.

Prima species actionis meticulosæ est illa, qua agens, contrahendo, & distrahendo, disponit de re temporali; & in hac prima specie in qua agitur de validitate, & inualiditate contractus, consideranda est qualitas personæ metuentis; quia minor metus exigitur in muliere, quàm in homine; in muliere enim sufficit metus, qui possit cadere in constantem mulierem; at in homine requiritur metus, qui cadat in constantem virum, Abb. in cap. 14. cum locum. sub num. 6. de sponsal. minor etiam requiritur in homine meticuloso, timido, quivè sit pusilli animi, quàm in forti, & audace viro; maior in muliere viragine, quàm in verecunda, & timida; sic etiam venditor de mancipio, si affirmet emptori, esse constantem, non exacta constantia, quasi à philosopho desideratur, l. 18. si quid venditor. ff. de edil. edict. & in hac specie actionis meticulosæ procedit præcedens secunda subillatio.

Secunda species actionis meticulosæ est illa, qua quis, metu adductus, agit turpiter, nempè, contra legem naturæ, seu Dei: & in hac specie, nulla habita differentia qualitatis agentium, an is sit mulier, an vir, an fortis, an meticulosus; nullovè habito discrimine qualitatis metus, an sit magnus, an talis, qui cadat in constantem virum, seu non cadat; concludo, omnes, facientes contra eiusmodi legem, mortifere peccare, quouis metu fuerint impulsi; metus enim in his, qualis qualis sit, operationem à peccato non excusat, cum sit omnino mala, & non excusanda, quia debet quis potius mortem violentam pati, quàm aliquod peccatum committere, cap. 5. sacris. & ibi Abb. num. 1. & sub num. 5. de his quæ vi met. ca. fiunt. & satius est, mori fame, quàm idolothysis vesci, cap. 8. sicut satius 32. q. 4. quod explicat Albert. de agnosc. assert. cathol. q. 30. nu. 11. vers. quia potius. tom. 11. par. 2. fol. 102. vnde, qui mortis metu fidem abnegat, mortaliter peccat, Alber. d. q. 30. num. 8. vers. circa tamen. Simanch. de cathol. instit. tit. 27. nu. 35. vers. sed inter hæresim, in fine, cod. tom. fol. 140. & Pegn. ad Eymer. direct. pat. 1. in q. 9. commen. 24. vers. ac primum quidem, in fine, & est apud omnes tàm philosophos, quàm theologos, ac iurisprudentes comprobatū, mortem, ac extrema omnia subeunda prius quàm quicquā eorum, quæ natura fœda sunt, facere; & generalius secundum canones, quàm mortaliter peccare, Mar. Salom. in l. 1. num. 8. vers. in hoc iure, & num. 9. ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168. hincq; egregium illud, *malo mori, quàm fœdari*; & pro huius conclusionis distincta intelligentia, & veritate adde omnino, quæ, diluendo aliqua, quæ videbantur obstare, scripsi infra vers. quia respondeo, & vers. voluntarium vero, ibi, secundus casus.

Confirmatur primo hæc conclusio, quia magis timere debemus eum, qui minatur, & potest occidere corpus, & animam, quàm eum, qui minatur, & potest occidere solum corpus, Matth. 10. num. 28. *& nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*, ergo is, cui, non peccando, imminet mors corporis, &, peccando, imminet mors corporis, & animæ, debet non peccare.

Confirmatur secundo, quia etiam in foro militaris, terrenæque disciplinæ potius mors obeunda est, quàm non seruare præceptum Ducis belli; in hoc enim foro nihilò seuerè minus vendicantur, quæ metu, aut maioris vis impetu admittuntur; quare locum in acie deserere, stationem irruentibus hostibus relinquere, fossa, vel muros non implere, fuga se tueri, & arma abijcere, quouis metu vrgente, seuerè puniuntur, Mar. Solom. in d. l. 1. sub num. 13. & 14. Quinimo in re militari non seruans mandatum Ducis belli, capite punitur, etiam si fœliciter rem gesserit, vt secutus sum in meo tract. de indic. caus. lib. 1. cap. 97. sub num. 181. & 182. Ergo cur in foro interiori militaris cœlestis disciplinæ non itidem obeunda est potius mors, quàm facere contra præceptum Dei?

Confirmatur tertio, quia ab honore ad animam, vt à minori ad maius, valet argumentum, quia quæ apud Illustres gentiles erat olim honoris æstimatio, eadem & maior apud religiosissimos christianos est hodie animæ, cum vtrique virtus inseparabiliter sit coniuncta: sed apud graues, aliosq; honestos viros honor cæteris rebus est præferendus, l. 26. iulianus. ff. si quis omis. caus. testam. & l. 5. reprehendenda. C. de instit. & substit. imò honor æquiparatur vitæ, l. 9. iusta causa. ff. de manum. vind. & secundum communem scribentium

bentium sententiam vitæ præferri debet; vnde quæ dehonestant, & famam, honoremq; lædunt, magis quàm mors timenda sunt; hinc stupri metus maior, quàm mortis esse debet, adeo quòd potius mors eligi debet, quàm pati stuprum, & ideo, qui ad euitandum stuprum quid dederit, actione quod metus causa recuperat, l.8. isti quidem. ff. de eo quod met. caus. & mulier potius famis necessitatem pati, quàm turpem vitam eligere debet, l.43. palam. ff. de rit. nupt. hioc nobilis Lucretia Romana, Collatini vxor, & castitatis exemplum, fœdi in se commissi, quamuis violenter, ægra, atque impatiens se peremit, vt narrant Lio. lib.1. ad finem, & D. August. relatus io cap.4. proposito. S. lucretiam. 32.q.5.

Ergo, si pro honoris, & famæ defensione mortem, & cætera omnia mala fortiter pati, ac contemnere debemus, à maiori eadem omnia fortius contemnere, & pati debemus pro animæ salute, quia anima est multò pretiosior corpore, cap.13. in fine, de pœnit. & remiss. & quouis honore, & fama mundana.

Non obstat firmatæ conclusioni, quòd Deus respiciat animum, vt ex Abb. retuli supra sub num. 59. vers. corroboratur. &, quòd peccatum sine volūtate peccandi non sit peccatum, adeo quòd nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium, vt ex D. August. de vera religione, cap. 14. refert text. 15.q.1. initio; & ideo, qui fame conficitur, si ab excommunicato cibum petat: qui in puteum cecidit, & à prætereunte excommunicato opem implorat: qui lege, aut ex professo religionis carnes manducare prohibetur, & in eum locum venit, vbi, cum nulla alia re cibari possit, carnibus vescitur, non peccat, Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 8. ff. de legib. quæ singula comprobantur, quia neque Dauidi Regi imputatum est peccatum, quòd esuriens, ipse, & qui cum eo erāt, comederunt panes propositionis, quos Sacerdotibus tantum edere licebat, 1. Reg.21. num.3. & seqq. & Matth. 12. num.3. & seqq. & qui coactè ad sui defensionem, & metu suæ mortis aggressorem occidit, caret culpa, & nulla est dignus pœna.

Quia respondeo, distinguendo inter inuoluntarium, & voluntarium, & vtrumque est duplex: est enim inuoluntarium purum, quod dicitur per vim præcisam, & absolutam, quando scilicet in nobis non est, vtrum agamus, vel non agamus, sed extrinsecus prouenit, vt si ventus nos aliquo deferat, quia tunc non subijcimur legi, loquenti de euntibus illuc, l.15. cæsar. & l. seq. S. si propter. ff. de public. & vectig. alterum inuoluntarium est illud, quod faciunt ignorantes, & demētes sine ipsorum culpa; vt in d. caus. 15.q.1. initio; qui enim demens agit, ignoranter agit, & qui ignoranter agit, errat, & qui errat, non consentit, & vbi consensus nullatenus concurrit, id omnino inuoluntarium est: & in eiusmodi inuoluntarijs procedit obiectio; quare, si quis in primo genere inuoluntarij ligatus, & renitens circuncidatur, vel eius genua per vim ab alijs ante idola, vel Mahometum flectantur, vtique talis non abnegat Christū, quia dicitur potius pati, quàm agere, ideoq; non peccat, sicut & is, qui inuitus, reclamans, & renitens ad fontem baptismatis feratur, & cum verborū prolatione immergatur, non recipit sacramentum baptismatis, Albert. de agnosc. assert. cath. q.30. num.7. vers. secundus casus. tom. 11. par.2. fol.102. Simanch. de cath. instit. tit.17. num.29. vers. qui autem vi coacti. fol. 140. & Pegn. ad Eymer. direct. par.1. in q.9. commen. 24. vers. ac primum. & hinc in Concilio Anchiritano agitatum fuisse de illis sacerdotibus, quorum manus violenter idolorum sacrificijs admotæ fuerunt, scribunt Simanch. in loco, proximè citato, & Mar. Salom. in d. l.1. sub num.2 ff. de legib. cuius Concilij verba formaliter refert Pegn. d. commen.24. vers. de coactis. & vers. seq. & mulier, quæ per eiusmodi vim stuprum, seu adulterium passa est, nulla pœna tenetur, l. 26. fœdissimam. C. ad l. iul. de adult. & egregiè Abb. cons. 4. facti contingentia. num. 1. & seqq. lib.1. post D. Augustinum, relatum in cap. 4. proposito. S. lucretiam. 32. q. 5. Similiter, si quis in secundo inuoluntarij genere ignoranter bis baptizatus fuerit, non indiget pro eo pœnitere, cap. 117. qui bis. de consecr. dist.4. si quis filium occidat, putans hostem occidere, si magister gladiatorius, docendi causa, percutit, vnde mors sequitur, venia digni sunt, quia ignoranter fecerunt, Mar. Salom. io d. l.1. sub num. 17. ff. de legib. & nescientium non sunt peccata, cap.1. meritò. & ibi Gloss. vlt. 15.q.1. vbi latè declarat, cum non omnis ignorantia excuset, & ideo de quibusdam ignorantibus dictum est, *si quis ignorat, ignorabitur*. d. caus. 15.q.1. initio. & hæc de inuoluntario.

Voluntarium etiam est duplex: alterum dicitur

dicitur liberum, seu spontaneum: alterum verò non liberum, sed coactum: liberum dicitur propriè voluntarium, quia voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid non faciendum, vel faciendum, vt ex D. August. lib. 1. retract. cap. 15. refert text. in 15. q. 1. initio, & peccatum ita voluntarium in hoc primo genere est propriè peccatum, venia omnino indignum, quia ex voluntate peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio, & delinquentis proposito committuntur, d. caus. 15. q. 1. initio.

Volũtarium verò coactum dicitur, quando quis aliquid contra voluntatem facit, sed tamen vult facere, propter quod facit; & in hoc, an peccet, si, quod facit, est contra legem Dei, seu naturæ; distinguo duos casus: Primus casus est, quando quis, ita faciendo, obtemperat soli naturæ, præcipienti vitæ defensionem: & isto casu non peccat, quia eadem lex naturæ, & Dei isto casu non intendit illum obligare ad parendum; & ita procedunt exempla, adducta in obiectione, de eo, qui, ne fame conficiatur, cibum petit ab excommunicato; de eo, qui cecidit in puteum, & opem ab excommunicato implorat; de eo, qui præter carnes alium non habet cibum; & de eo, qui, ad suæ vitæ necessariam defensionem, aggressorem occidit; in his enim dicimus etiam, vt in obiectione, quòd Deus animum respicit: Secundus casus est, quando quis, obtemperando tyranno, facit contra legem Dei: & isto casu, quouis mortis metu imminente, faciens contra legem Dei, mortaliter peccat; quare iussus à tyranno occidi, nisi innocentem occidas, aut quid aliud turpe facias, debes potius mori, quàm facere, & in his terminis procedit conclusio, posita supra vers. secunda species. quæ conclusio confirmatur ex eo, quòd Eleazar annorũ nonaginta, seni venerabili, & septem Machabæis fratribus ab Antiochæ rege iussis carnes porcinas edere, gloriosum fuit, dira tormenta, & cruciatus perpeti maluisse, quàm contra patrias leges facere, vt legitur 2. Machab. cap. 6. num. 26. & seqq. & cap. 7. num. 1. & seqq. & alijs illustratur exemplis: nam Aemilius Papinianus, cui in iurisprudentia parem secula non tulerunt, occidi maluit, quàm iussus ab Imperatore Carcalla parricidium excusare; & Mutius Sceuola truculento Syllæ in hæc verba respondit: *licet mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, vt, propter exiguum, similemq; sanguinem meum, C. Marium, à quo Vrbs, & Italia seruata est, hostem iudicem.* O memoratu digna exempla, quibus vtinam nostri seculi iudices tenerentur.

Ratio, quare hoc secundo casu metus, cadens etiam in constantissimum virum, non excuset à peccato, est duplex.

Prima, quia adhuc est peccatum voluntarium; hi namque actus, & si mixti sint ex voluntario, & inuoluntario; tamen voluntarijs magis similes sunt, vt ex Arist. sequuntur Mar. Salom. in l. 1. sub num. 3. vers. mixti sunt. ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168. & Albert. de agnosc. assert. cath. q. 30. sub num. 8. tom. 11. par. 2. fol. 102. & in rubr. q. 13. sub num. 68. vers. & dixi peccasse de hæret. in 6. inter Repeten. tom. 5. fol. 377. nam est in agentis electione, quid agere velit; & proinde si quis alteri mortem minetur, si noluerit peierare, & ipse peieret; vtique etsi non spontè dicatur peierasse; tamen dicitur voluisse peierare, quia voluit viuere, vt dicit text. in cap. 1. merito. 15. q. 1. sicut ille, qui leuandæ nauis causa iactum in mare facit, impellente necessitate, facit, tamen volens facit pro sua salute contra vim tempestatis; similiter in eo, qui torquetur, fateri, & non fateri in eius potestate est; hincq; multi noxij obstinatis animis omnes tormentorum cruciatus superant, præeligentes non fateri; aliqui verò tanta sunt impatientia, vt nedum commissa, sed etiam non perpetrata scelera fateri velint potius, quàm pati tormenta: vnde qui tormentorum cruciatu fatetur, quamuis spontè non fateatur, tamen volens dicitur fateri, obstringiturq; ea confessione, legitima modo præcedant inditia, & ideo notarius non debet scribere, quòd reus tortus confessus est spontè, quia falsum scriberet, sed debet scribere, quòd est voluntariè confessus, vt hæc omnia admonet Salom. in d. l. 1. sub nu. 3. & 4. est tamen verum, quòd in ratificatione ad bancum iuris notarius de stylo permisso scribit, quòd spontè ratificat, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 9. hincque adiens hæreditatem per metum, hæres efficitur, l. 21. si mulier. §. si metu. ff. quod met. caus. ex quo textu notant communiter, quòd voluntas coacta, voluntas est.

Secunda ratio, & elegantior est, quia, loquendo de idolatria, & apostasia à fide, &

per

per consequens de hæresi, scribit Eymer. in direct.inquis.par.2.q.41.de blasphemis.nu. 8. vers.nec excusatur. metus mortis pro fidei defensione, & confessione, quantum ad verum catholicũ,non est metus,cadens in constantem virũ; quinimo nec metus mortis pro peccato mortali etiam minimo perpetrando.

Tria circa præmissa breuiter notãda sunt:

Primum, quòd etsi metus, qui cadat in constantissimum virum, à peccato mortali non excuset, per ea, quæ dixi supra vers.secunda species. tamen minuit pœnam tàm in huius, quàm alterius vitæ tribunali, & ita in nostro foro quotidie videmus practicari, siquidem peccatum,quò magis voluntarium est, eò magis malum est, & proinde sicut ille,qui nullo,vel leui metu ductus, magis voluntariè peccat, quàm hic, qui metu mortis peccat,ita ille magis, quàm hic puniri debet.

Secundum notandum est, quòd hi, qui mortis metu, seu alio maioris vis impetu peccant, aut à virtute deficiunt, non æqualiter excusantur, cap. 118. eos quos. de consecr. dist. 4. vbi grauius puniuntur Episcopi, sacerdotes, & diaconi, quàm inferioris ordinis clerici,idq; suadetur ratione,quia non eadem desideratur constantia in mancipio, quæ desideratur in philosopho, l.18. si quid venditor.ff.de edil.edict.& sicut maior exigitur virtus in sapiente,& in nobili,quàm in humili,& plebeo; ita etiam virtutis defectus maior est in illo, quàm in isto.

Tertium notandum est, quòd in crimine hæresis metus, cadens in constantem virum, adeo excusat à pœna, vt si captus ab infidelibus, vel hæreticis mortis metu Mahometum adorauerit, seu ad Iudæorum ritum transierit, vel aliter fidem abnegauerit,hæreticus censendus non sit,Albert.de agnosc. assert.cath.q.30.num.6.& 8.tom.11. par.2. fol.102.& in rubr.q.13. num.67. de hæret. in 6. inter Repet. tom.5. fol.377. Simanch. de cath.instit.tit.17.num.35.& 36.fol.140. Conrad.Brun.tract. de hæret. cap.4. nu.9.& seqq.fol.273.& Pegn.ad Eymer. direct.par. 2.in q.9.cõm.24.vers.rursus animaduertẽdũ.

Ratio est,quia sicut coacta verę fidei confessio non facit catholicum;spontanea enim, non compulsa debet esse fidei professio, dicente Apost.ad Rom.10.num.10. *corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. ita nec coacta erroris assertio facit hæreticum: *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt, quæ coinquinant hominem*, Matth. 15. num. 19. hæresis ergo non ante perficitur, quàm pertinax consensus accedat, quia non in factis, aut dictis, sed in intellectu, & voluntate consistit, cum credere non sit,nisi in volente, vt eleganter exprimit Simanch. d.tit.17.num.35.

Tẽpera hoc tertiũ notandũ, vt excusetur omnino in foro interiori,si appareant signa, & gesta de dissensu,& de non ratificatione;at in foro interiori adhuc non omnino excusatur,per ea,quæ dixi sup.vers.secũda.& seqq.

68 Infero secundo,quòd si tu ex cõtractu,gesto cum pupillo sine tutore, aliquid habueris,teneris in foro interiori illud restituere, quia,cum deficiat consensus domini,contractus est ipso iure nullus,Innoc.in cap.8.quia plerique. sub num.3.vers.sed quid dices in eo.Io.Andr. sub num.4.vers.quid si quis tutus. ibi,sed quid dices in eo. Anch.num.11. in fine,& num.12.q.5.de immun.eccles.Sot. de iust.& iur.lib.4.q.5.art.3.col.3.ibi,ad cuius explicationem. fol.326. & col.6. in solutione secundæ rationis, ibi, contingit esse puerum. fol.327. & ita, generalius formato dubio, post longam disputationem concludit in effectu Mich.Sal. ad D. Thom.2.2. q. 5.de dominio,art.4.tit.an per contractũ,&c. conclus.1. fol.148. & huius illationis argumenta, generaliter formato dubio, adducit Sot.d.art.3.initio, & latius Mich. Sal. d.art. 4. tit. an per contractum, vers. in hac quæstione.& seqq. fol.145.& quòd lex positiua, quæ inhabilitat personam ad cõtrahendum, obliget in foro pœnitentiæ, & conscientiæ, & in nullo foro ex tali consensu,reprobato à iure positiuo,oriatur obligatio, cum lex positiua disponat super veritate, & non ex præsumptione, sequitur Petr.de Anchar.in cap. peccatum. num.11. in fine, & sub num. 12. de reg.iur. in 6. hæcq; illatio est communis, pro qua adduci possunt Bal. Sot. & Couar. dum tenent,quòd hæres non teneatur soluere legata,relicta in testamento minus solemni, vt ex eis retuli infra sub num. 114. vers. infero. & consequenter tacitè sentiunt,quòd legatarius,seu hæres,qui hæc legata,seu hæreditatem accepissent de manu non hæredis, teneantur etiam in foro conscientiæ restituere.

69 Ratio huius illationis non est illa, quam Innocent.Io.Andr.Sot.Mich. Sal.supra citati, & cæteri videntur considerasse, nempè,

quia deficiant solemnitates, requisitæ à iure; siquidem hæc ratio non concludit in testamento, quod etsi minus solemne sit, obligat tamen hæredem in conscientia, vt secutus sum infra sub d. num. 114. vers. infero. nec concludit in contractu, quia contractus mulieris, factus sine fraude, valet in foro conscientiæ, etiam non seruata forma statuti, loquentis de consensu propinquorum, Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. de constit. nam in foro conscientiæ attenditur veritas, & non solemnitas: † ratio igitur est, quia minor 14. annis æquiparatur furioso, vt scripsi par. seq. limit. 17. num. 6. vel quia impuberis ætas, quod videt, ignorat, vt ex l. 1. versus finem, C. de fals. mon. retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 1. num. 238. & consequenter, si ignorat, non potest consentire, deest igitur in pupillo consensus perfectus, cum habeat imbecille, & infirmum iudicium, l. 1. ff. de min. 25. ann. quod est pars substantialis consensus; & paria sunt, non adesse consensum, vel adesse inutilem, infirmum, & imperfectum; vnde & ille titulus habetur pro non titulo, & consequenter deest etiam bona fides, quia contra iura tu es mercatus.

70

71 Contra hanc illationem sentit Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. num. 12. dicens, quòd emens à pupillo, vel ab ecclesia sine solemnitatibus legitimis, cum vero tamen pretio, & causa legitima subsistente, potest bona empta retinere cum bona conscientia; & facit, quod scripsi sup. sub num. 4.

72 Confirmatur primo hęc opinio contraria, quia contractus, initus cum pupillo, est nullus ipso iure, volente pupillo; secus, eo nolente, vt puta, quia vtiliter contraxerit, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 320. ergo quamdiu pupillus nō reclamat de illo cōtractu, is, qui secum contraxit, est tutus in foro consciētię.

73 Confirmatur secundo, quia pupillus obligatur naturaliter, vt secutus sum d. cap. 2. num. 344. & in foro conscientiæ attenditur ius naturale, vt ex Abb. retuli sup. sub num. 57. & solui debet, quod naturaliter debetur, vt secutus sum infra num. 95. extens. 2. ergo qui rem à pupillo habuit, non tenetur in foro conscientiæ restituere.

74 Retenta illatione, & pro solutione contrariorum.

Declara primo eam, vt procedat, quando contrahens cum pupillo, videbat, quòd pupillus ex illo contractu lædebatur, quia tunc habuit infectam conscientiam; & dicitur lædi, etiam si ei vendenti soluatur iustum pretium, si pretium illud probabiliter dissipaturus sit; secus si videbat, pupillum rem vtilem gerere, quia isto casu non habuit infectam conscientiam, & damnum non inferebat, & ideo in foro conscientiæ cessat restitutio.

75 Declara secundo illatiue ex præcedenti, vt obligatio pupilli sit naturalis, quando illa obligatio eum non lædit, & ita procedunt, quæ scripsi in citato cap. 2. num. 344. secus quando illa obligatio ipsum lædit, quia tunc nec ciuiliter, nec naturaliter debet obligari, cum æquitas naturalis, & ius naturale velint, minores, & pupillos conseruari indemnes, l. 1. ff. de min. 25. ann. *hoc edictum prætor, naturalem æquitatem secutus, proposuit, quo tutelam minorum suscepit, &c.* & S. vlt. Instit. de attil. tut. *impuberes autem in tutela esse iuri naturali conueniens est.*

76 Subinfero, confirmando eandem illationem, quòd multo magis sine consensu domini dicitur retinere, qui rem à furioso habuit, & propterea tantò magis tenetur etiam in foro conscientiæ restituere.

77 Infero tertio, quòd si tu ex contractu, quem tecum per errorem quis iniuit, aliquid habuisti, teneris illud restituere, quia error excludit consensum, &, excluso consensu, dominium non transfertur, &, non translato dominio, tu detines rem alienam, quam iure vtriusque fori teneris restituere.

78 Subinfero primo, confirmando, & declarando, quòd si is, qui in te rem alienauit, est prudens, & sagax, qui verisimiliter sciat, rem pluris valere, sed voluerit, illud plus, seu residuum habere pro derelicto, tu non teneris illud restituere, nec in foro exteriori, nec in foro interiori; secus si non sit prudens, & sagax, quia tunc quamuis parua sit læsio, teneris in foro conscientiæ ad restitutionem, Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. sub nu. 12. cas. 5. hancq; subillationem latè explicat ibidē Abb. sub nu. 28. & ita secutus sum sup. ampl. 10. nu. 54. 51. & sub n. 53. vers. contra.

79 Subinfero secundo, quòd hypocrita, qui multa bona acquisiuit sub nomine boni christiani, tenetur in foro conscientiæ illa restituere, Innoc. in d. cap. quia plerique, num. 5. vers. de quæsitis in bello. Io. Andr. sub num. 4. vers. de quæsitis autem. Anchar. nu. 14. vers. quid de hypocrita. Abb. nu. 36. q. 12. & Ant. de Butr. sub num. 12. cas. 6. in fine,

fine, vbi hanc subillationem extendit ad eremitas, & ad eos, qui fingunt, se esse infirmos, & Abb. vbi supra addit, quòd etiam in foro iudiciali possunt hæc bona ab eo extorqueri, quia non sunt sua, sed sunt Ecclesiæ vniuersalis, sicut cætera bona ecclesiastica, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. col. 3. in fine, vers. vsura autem. fol. 338. dicens, quòd qui, simulata paupertate, elemosynam accipit, cum verè pauper non sit, tenetur eam restituere, ex communi doctrina, & in tit. de reb. restitut. q. 23. vers. ad quintum. fol. 190.

Verum hæc restitutio facienda forsan non est illis, qui bona dederunt; quia illi receperunt mercedem suam à Deo, sed est facienda ipsi Deo in eleemosynam, Abb. vbi supra.

80 Ratio huius subillationis est, tum quia illi, qui dederunt, errarunt, credentes dare bono christiano, & non hypocritæ, & sic errando, deficit consensus, per ea, quæ dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 489. & quòd inter omnes conueniat, vt quoties error est in persona, tunc accepta per errorem sint restituenda, quia quod per errorem in persona datur, nō est volutarie datum, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 22. vers. his positis. col. 302. tum quia iste hypocrita per fraudem quæsiuit, vt dicunt præfati Doct. quæ fraus includit non solum dantis errorem, sed accipientis malitiam, & fraudem, quæ errorem causauit.

Ab hac subillatione non discedo, quia licet circumferantur opiniones, quas refert Io. Azor. d. tit. de restit. cap. 21. q. 8. col. 298. & seq. adhærendo opinioni Medinæ d. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 23. vers. quinto arguitur. & vers. seqq. fol. 186. & vers. ad quintum. fol. 190. vbi sic distinguit: aut causa illa, quæ deficit in donatario, fuit causa finalis donationis; & tunc, quod ei fuit donatum, est restituendum: aut fuit impulsiua, & tunc non est restituendum; & ex hac distinctione infert Azor. ad multa.

Tamen hæc Medinæ opinio concordat cum subillatione, quia in subillatione præsupponimus causas donationis, & eleemosynarum fuisse causas finales.

81 Infero quarto, ex eodem consensus defectu, acceptum ab ecclesia sine superioris assensu, esse vtriusque fori iure restituēdum, & ex assensus defectu insurgere malam fidem, quia, qui contra iura mercatur, est in mala fide, cap. 82. qui contra. de reg. iur. in 6. & ideo emptor, qui iustò pretio emerit à rectore res ecclesiæ, cuius habet liberam administrationem, tenetur iure vtriusque fori restituere, non solum res, sed etiam fructus, quos percepit, Anch. in cap. possessor malæ fidei. num. 11. in fine, de reg. iur. in 6.

82 Infero quinto, quòd si hæres per errorem facti soluerit tibi integrum legatum, non detracta eius falcidia, tu in vtroque foro teneris restituere, semel tamen, vt explicaui infrà num. 113. iuncto num. præcedenti 112.

Infero sexto (constituendo regulam ampliatiuam) quòd quisquis rem alienam habet contra voluntatem domini, tenetur eam domino restituere, per ea, quæ scripsi supra num. 60. & seqq.

Extende hanc illationem, seu regulam, vt procedat non solum in eo, qui accipit rem, quam sciebat esse alienam, & ideo sciebat, quòd eam accipiebat à fure; sed etiam in eo, qui hoc ignorabat, quando eam accepit, sed scit postea, dum eam retinet, quia vterque dicitur eam retinere contra voluntatem domini, & consequenter esse in mala fide; & ideo tenetur ad restitutionem, per eadem, quæ dixi d. num. 60. & seqq. quantauis enim optima fide quis rem alienam accipiat, tamen statim atque cognouerit, esse alienam, tenetur eam prima opportunitate restituere, quia non potest retinere rem alienam, inuito domino; hincq; lex ciuilis, vbicunque res fuerit, concedit domino, vt, etiam nullo restituto pretio, possit eam vindicare; quòd si prima opportunitate, postquam cognouit esse alienam, non restituat, ex tunc incipit esse possessor malæ fidei, & consequenter obligatur restituere non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis; & proinde si res interim periret, sibi non restituenti periret, quia fuisset in mora, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. num. 1. & 2. imò secundus detentor, si sciat, rem esse alienam, sibi ipsi accipiendo, furtum committit, rem alienam iniustè contrectando, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. initio, fol. 94. & benè solidatur ex his, quæ scripsi supra ampl. 8. num. 200. & aduerte, quòd loquor de re mobili.

Subextende primo hanc extensionem, vt, si res extet, teneatur rem ipsam restituere; si verò non extet, quia consumpta sit, teneatur soluere valorem, Medin. in loco, supra proximè citato; vel, si extet, sed non penes

 se,

se, quia sit ei furto subtracta: & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. de iustit. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. vers. quęstio hæc. paulò post initium, conclus. 2. col. 2. fol. 378. cum fur sit semper morosus, vt secutus sum supra ampl. 8. num. 117. & is, qui retinet scienter rem alienam, reputatur fur, vt ex Medin. retuli supra in extensione, & dicitur non minus morosus, quàm ipse fur, vt ex eodem Medin. secutus sum d. ampliat. 8. num. 117. & quòd quilibet, qui mala fide retinet rem alienam, teneatur eam restituere, & ipsi, & non domino pereat, & ideo, ea perempta, teneatur soluere illius pretium quanti plurimi, secutus sum ex Nauar. d. ampl. 8. sub nu. 117.

Subextende secundo, vt teneatur restitere, etiam si nullam ex ea re vtilitatem acceperit; & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. in loco, supra proxime citato: ergo ita etiam teneri debet, qui eam retinet, sciens esse alienam; ratio est, quia vterque est in mora.

Subextende tertio, vt si eam ipse iniuriosè contra voluntatem domini acceperit; nempè, rapiendo per vim, vel per furtum, tunc teneatur restituere, non solum, prout dixi supra num. 63. sed teneatur etiam ad duplum, seu quadruplnm, vt dixi supra dicta ampl. 8. num. 117. & forsan, vt credo, hæc subextensio procedet etiam in eo, qui rem illam scienter emit, vel aliter habet à fure, quia sit particeps delicti: sed est aduertendum, quòd nec in foro interiori tenetur ad duplum, seu quadruplū, nisi sit per iudicem ad illud condemnatus, cum illud interesse habeat naturā pœnæ, quam nec in foro interiori quis soluere tenetur, nisi sit ad eam condemnatus, per ea, quæ dixi infra n. 139.

Intellige, dum locutus sum de accipiente scientet rem à fure, vt in foro interiori paria sint, accipere scienter, vel dubie, quia dubitans, & adhuc faciens, videtur contemnere animę salutem, qua propterea indignus est; & hoc est, quod dicitur; qui amat periculum, peribit in illo; quia quicquid non est ex fide, idest, ex conscientia, peccatum est, per ea, quæ, generatim loquendo, explicaui supra sub num. 59. & in his terminis motiuat Medin. in loco, inf. proximè citato.

Neque obstat, quòd supra ampl. 17. sub num. 22. dixerim totum oppositum, nempè, dubitantem æquiparari ignoranti; quia respondeo, quòd cum hæc æquiparatio procedat; & non procedat secundum subiectam materiam, ego, generatim loquendo, nihil de ea illic firmaui: sed, loquēdo speciatim de debitoris idoneitate, libuit æquiparare ignoranti, quia hæc æquiparatio firmiorem reddebat illam subampliationem, & procedit æquiparatio, quia de debitoris idoneitate potest semper dubitari, præsertim propter futuros euentus, & alias, si dato dubio de idoneitate, prohiberetur contractus, dissiparetur tota illa negotiatio: cæterum si materia possit consistere sine dubitatione, & loquamur in foro interiori, indubitanter dico, quòd dubitans æquiparatur scienti, per ea, quæ dixi sub d. num. 59.

Pro absoluta tamen resolutione huius intelligentiæ vide multas conclusiones, quas tradit Medin. d. q. 10. vers. si verò rem. & seqq. fol. 96.

Restringe primo nunc eandem regulam, eiusq; extensionem, & subextensiones, de quibus supra hoc eodem num. illatione 6. vt non procedant, quando is, qui rem habet alienam, eam habet iuris auctoritate, fundata super veritate, vt puta, quia rem præscriptione acquisierit, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. concl. 4. ibi, vt si ab illegitimo possessore. col. 3. fol. 378. vel eam acquisierit in bello iusto, de qua tamen acquisitione, & de tota materia rerum captarum in bello iusto, cui acquirantur, & an restitui debeant, & an, recepto prius pretio, vel sine, vide Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 11. sub nu. 6. vers. res autem. & num. seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 658. & proinde qui rem emit ab hoste, postquam in hostis dominium transierit, res efficitur ipsius emptoris irreuocabiliter, vt secutus sum supra q. 1. sub num. 145.

Ratio huius restrictionis est, quia si rem à fundamento inspiciamus, dicitur habita ex consensu domini, & non contra voluntatem domini, cum legi, transferenti dominium in præscribentem, populus consenserit, vt dixi infra num. 127. & seqq. & belli lex, cui bellatores se spontè supponunt, hæc sit, vt res, in bello iusto capta, efficiatur capientis.

Restringe secundo, vt non procedat in eo, qui à piratis, & latronibus emit rem, cuius dominum ignorat, vel, si non ignorat, emit, quasi dominus eam amplius recuperare non possit, aut ea intentione, & pretio emit, vt quasi vtile domini negotium gesserit; quia hic emptor non solum non participat de furto, sed neque eam tenetur restituere, nisi

reddito

reddito sibi pretio à domino, vt secutus sum supra q. 1. sub num. 145.

Restringe tertio declarando, vt qui rem bona fide emerit ab eo, quem credebat esse dominum illius rei, & postea certam habet notitiam, eum, qui sibi vendidit, eam furto subtraxisse, possit eandem rem eidem furi tuta conscientia restituere, vt ab eo recuperet pretium, quo se conseruet indemnem in eo, in quo culpam non habet; & se indemnem conseruare non posset, si rem vero domino restitueret, quia amitteret pretium; Nauar. & alij, quos citat, & sequitur Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. nu. 14.

Confirmatur hæc restrictio, quia charitas ordinata incipit à se ipso, in tantum, quòd liceret mihi alienas merces proijcere in mare, vt saluarem meas, vt scripsi supra hac ead. q. par. præcedenti, sub num. 73.

Contrariam opinionem (nempè, quòd emptor non possit rem furi restituere, sed debeat eam restituere domino, etiam si amittat pretiũ) tenet, tutiorẽ esse in rigore conscientiæ, & ita agendum esse, si iste emptor credat, quòd si rem furi restituat, ea nunquam amplius perueniet ad dominum, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. & fusius in vers. verum quamuis. col. 5. fol. 96. & simplicius tenet Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, quo fit rursus. col. 3. fol. 378. dicens, quòd si reddiderit illegitimo possessori, restitutioni manet obnoxius, quia de iustitia tenebatur restituere domino; loquitur tamen Sot. cum hoc grano salis, dummodo restituere potuerit domino sine suo magno detrimento, magnumq; detrimentum intelligerem infamiam; & apertius hoc asserit eod. art. 2. col. 5. ibi, ob hoc fortè non deerit. fol. 379. & qui alij hanc contrariam tenuerint opinionem, citat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 3. initio.

In hac controuersia Azor. d. cap. 3. q. 1. vers. quare dicendum. concludit, emptorem secundum conscientiam rem domino restitere debere, quando pretium à fure repetere non potest, vel quia in longinqua loca discesserit, & conueniri non possit, vel quia mortuus sit, vel quia non compareat, vel pretium reddere renuat, vel nequeat; tunc enim, inquit, cum res adhuc extet, domino suo debetur, & emptor, si non reddat, incipit esse possessor malæ fidei.

Hæc Azorij conclusio est confusa, quia non aperit, an restitutio sit facienda domino in casu, quo ipse dominus non possit recuperare pretium à fure, vel in casu, quo illud recuperare non possit ipse emptor; est etiam inepta, dum videtur restitutionem restringere sub conditione (quando pretium à fure repetere non potest, &c.) & licet eam conclusionem mutuo videatur accepisse à Sot. d. art. 2. post 4. concl. col. 5. ibi, & confirmatur hæc veritas. fol. 379. tamẽ Sot. ab ipso in hac conclusione nõ citatus, loquitur sine cõditione, quia ex illa impotẽtia recuperandi pretium à fure, non restringit conclusionem, vt restringit Azor. sed probat conclusionem, dicens, quòd si latro disparuisset, emptor in foro iudiciali compelleretur, tanquam debitor, rem cum iactura pretij exhibere; quod, inquit, signum est, emptorem teneri de iustitia: ergo, inquit, ob id, quod reperiri possit latro, dominus nullum ius amittit: ergo tunc etiam tenetur domino. Sed neque Sot. satisfacit, & clarius, argumentando, locutus est Medin. d. quæst. 10. vers. tum etiam. il 2. col. 5. fol. 96. dicens, quòd si emptor posset furi rem restituere, vt pretium ab eo recuperaret, sequeretur, quòd si fur esset mortuus, vel esset absens, aut omnino pauper factus, posset emptor rem apud se retinere, aut eam alijs vendere, ne scilicet pretium amittat, quod ipse supponit esse falsum.

Ego non discedo à restrictione, quam benè probat, & validè tuetur Leonar. Less. d. cap. 14. num. 14. & seqq.

Restringe quarto, vt non procedat, quando rem habuit, & retinet bona fide, quia, durante hac bona fide, ignorantia inuincibilis excusat eum etiam à peccato, ideoque neque in foro fori, neque in foro conscientiæ tenetur eam restituere; licet enim rem illam emerit à fure, & consequenter habuerit, & retineat contra voluntatem domini, tamen quia hæc omnia sibi sunt ignota, non habentur in consideratione, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. fol. 95. & hoc transit sine controuersia, quia est impossibile, vt quis obligetur restituere id, quod iustè ignorat esse alienum; & consequenter, si interim, durante bona fide, emptor rem destruxit, seu alienauit, & postea scit, tẽ illam fuisse furtiuam, & sic tunc incipiat cessare bona fides, tenetur vero domino restituere, quantum ipse factus est locupletior; si enim nullum lucrum

sibi acquisiuit, vt puta, quia tantum dederit pretium furi, quantum postea ipse rem vendidit, aut si per viam donationis rem illam à fure accepisset, & ipse similiter eãdem alteri donasset, aut res ipsa in ipsius potestate, nullo inde commodo percepto, perijt; nihil tenetur restituere: e contra; si factus est locupletior, vel inde cõmoditatem aliquam est assecutus, vt, si tantundem de suis bonis erat consumpturus (si rem illam consumpsit) aut alteri eam pro maiori pretio vendiderit, & similia; tenetur id ipsum domino restituere, Medin.d.vers. si autem. versus finem, Nauar.in man.confessar.cap.17.sub num.7. & 8. & Sot. de iust. & iur. lib.4. q.7. art. 2. post 4.conclus. ibi, emi fundum à latrone. col.3.in fine, & 4.fol. 378. & 379. vbi ponit regulam solemnem, quòd quicunque tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, tenetur restituere rem, si eam habeat, & solum id, in quo ditior factus est, sed non tenetur restituere id, quod bona fide consumpsit, per quod non est factus locupletior; hancq; regulam multis illustrat exemplis, quæ tu apud eum leges; & regula ista apertè probatur ex l.22.item veniunt. §. præter hæc. versus finem, vers. eos autem. ff. de petit.hæred. vbi Glos. in verbo, facti essent. dicit, esse optimam regulam, qua nulla verior in lute.

Intellige hanc restrictionem, dum dixi, restitui debere incrementum, quo factus est locupletior, vt hoc sit verum, si incrementum processerit ex re ipsa; secus si processisset ex labore, diligentia, & industria emptoris, qui postea maiori pretio teuenderit, vt declarant Sot.de iust.& iur.d.q.7.art.2. post 4. conclus. ibi, intellige autem si factus est locupletior. col.4.in fine, fol. 379. & Ioan. Azor.de instit.moral. par. 3. lib.4. tit. de restit.cap.3.q.2. vers.in hac re.col.248.

Restringe quinto, vt quoad restitutionem faciendam remaneat aliqua differentia inter forum exterius, & forum interius; & idcirco pro vtriusque fori cognitione quoad hãc restrictionem distinguo duos casus, quibus vniuersam ferè restitutionis materiam compendiosè explicabo.

Primus casus est, quando quis tenetur restituere sola ratione rei acceptæ, postquam scit, rem, quam detinet, esse alienam; & isto casu distinguo: aut rem adhuc detinet, aut non detinet: si detinet, dico, quòd in vtroque foro, vnica restitutione sufficiente, tenetur restituere, non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis: si non detinet, rursus inspici oportet, an eam alienauerit, seu consumpserit bona fide, an verò cum dolo, & in fraudem domini: si bona fide, dico, quòd in foro conscientiæ tenetur solum restituere id, in quo factus est locupletior, vt dixi in proxima præcedenti restrictione, secus in foro exteriori, quia in hoc foro non potest ciuiliter quis aliter conueniri, quàm actione personali, aut reali, vel saltem ex æquitate legis 32. si me & titium. ff.si cer.pet. sed nulla ex his competit domino rei; non enim habet actionem personalem, quia non contraxit cum eo, qui rem aliunde bona fide, & iusto titulo habuit, neque habet realem, quia actio realis sequitur rem penes quemcumque possessorem, vt declarat Maran. in suo spec. par. 4. dist. 3. princip. num. 1. fol. 73. neque competit ei æquitas dictæ l. si me & titium. quia hæc æquitas non datur, nisi inter actorem, & reum sit gestum aliquod negotium, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de appellat.q. 17. limit.6.memb.6.num.19.in fine: neque dicatur, quòd si is, qui rem alienauit, consecutus est pretium ex illa alienatione, illud pretium succedat loco rei, & consequenter adhuc possit conueniri, tanquam si rem detineret; quia replico, quòd æstimatio, seu pretium succedit loco rei in iudicijs vniuersalibus, vt in petitione hæreditatis, Bal.in l.3. mater tua. sub num. 6. vers. non obstat hæc lex. C.de rei vendic. Neguf. tract. de pign.in 1.memb.5.part.num.48.tom.6.par. 1.fol.225. Vrsil.in annot.ad Affl.decis.369. alphonsus. sub num.10. & latius Tiraq.de retr.lign.§.32.gl.vnica, num.21. & 22. fol. 346. quare, si quis, accepto pretio, vendat res hæreditarias, & deinde interrogatus respondeat, se nihil hæreditarium possidere, iste erit mendax, quia pretium succedit loco rei, M. Ant. Cucch. de ment. circ. possess. num.15.tom.3.par.2.fol.295.secus in iudicijs singularibus, Neguf. vbi supra, Tiraq. d.gl.vnica, num.20. Affl.d.decis.369.nu.4. & M.Ant.Cucch.vbi sup.num.329.fol.298. quia in istis pretium non succedit loco rei, nisi in quibusdam casibus specialibus, Vrsil. ad Affl. vbi supra, & in casu, quo res præstari non possit, Bal. vbi supra; & dicitur res præstari non posse, & ideo posse agi ad pretium contra eum, qui eam habuit titulo lucratiuo, quando est perempta, seu præscripta,

pta, Neguſ. vbi ſup. ſeu quando non poteſt recuperari ſine magna difficultate, vt quia poſſidetur à magno barone, vel tyranno, vel eſt equus, cum quo ſtipendiarius receſſit, Bal. in d.l. mater tua. num. 17. verſ. deinde quæro. vnde cum non ſimus in iudicijs vniuerſalibus, neque in caſu ſpeciali non poteſt ratione pretij conueniri: & rario prædictæ diuerſitatis inter forum conſcientiæ, & forum exterius eſt, quia in foro conſcientiæ nulla toleratur iniuſtitia; ſecus eſt in foro exteriori; quia in eo, ad euitandas lites, &, ne tollantur commercia neceſſaria, toleratur quandoque iniuſtitia, vt dixi ſupra ampl. 10. num. 45. & ſeqq. quare lex poſitiua domino rei ſatis conſultum iudicat, reſeruando ei facultatem agendi contra furem, & contra poſſeſſorem rei: & hæc quando rem bona fide conſumpſit, ſeu alienauit: ſi autem alienauit cum dolo, & in fraudem domini, dico in vtroque foro, vnica ſolutione ſufficiente, teneri ad reſtituendum: & quoad forum interius dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, eo ipſo, quòd poſt habitam notitiam rem alienat, niſi aliqua iuſta, & vrgens cauſa alienationem excuſaret: at in foro exteriori dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, quando timore euictionis alienat in potentiorem cauſa mutandi iudicium, ff. & C. de alien. iud. mut. cauſ. & Affl. ad conſtit. Neap. in conſtit. eorum fraudibus. ſub num. 2. lib. 2. item dicitur alienare doloſè, quando, lite pendente, ſeu conteſtata, alienat, quia dicitur dolo deſinere poſſidere, & qui dolo deſinit poſſidere, pro poſſeſſore damnatur, quia pro poſſeſſore dolus eſt, l. 174. qui dolo. ff. de reg. iur.

Secundus caſus eſt; quando quis tenetur reſtituere ratione iniurioſæ acceptionis; & iſto caſu dico, quòd æquè tenetur reſtituere in vtroque foro, vnica reſtitutione, ſeu ſolutione ſufficiente, ſiue rem poſſideat, ſiue non, ſiue ſit factus locupletior, ſiue non, ſiue res perierit, ſiue non.

Reſtringe ſexto, diſtinguendo tres caſus principales, in re, non ex alicuius manibus accepta, ſeu habita, ſed inuenta, & à nemine tunc occupata, ſeu poſſeſſa.

Primus caſus eſt; quando res inuenta nunquam fuit in alicuius bonis, cuiuſmodi ſunt gemmæ, lapilli, & cætera, quæ inueniuntur in littore maris; & eiuſmodi res occupanti conceduntur, l. 3. item lapilli. ff. de rer. diuiſ. & S. item lapilli. Inſtit. eod. & ex D. Thom. ſequuntur Card. de Turrecrem. in cap. ſi quid. ſub num. 1. 14. q. 5. & Mich. Sal. qui alios citat ad D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ſub. de reb. inuent. verſ. de rebus primi. fol. 394. item feræ beſtiæ, & ſimilia, de quibus eod. tit. de rer. diuiſ. S. feræ. & Nauar. in man. confeſs. cap. 17. ſub num. 170. & conſequenter ſumus extra terminos habiles, quia res iſtæ non ſubiacent alicui reſtitutioni.

Secundus caſus eſt in theſauris antiquo tempore occultatis, qui ab aliquo non poſſidentur; & in his rurſus diſtinguo: aut enim inueniuntur in loco ipſius inuentoris, & tunc ſunt ipſius inuentoris, S. theſauros. Inſtitut. de rer. diuiſ. D. Thom. Card. de Turrecrem. & Mich. Sal. in locis, ſupra proximè citatis: aut inueniuntur in agro alieno, & non data opera, ſed fortuitu, & tunc diuiduntur inter dominum agri, & inuentorem pro æquali portione, vt in eod. S. theſauros. & ſcribunt ſupracitati: quòd ſi theſaurus ſit inuentus in agro alieno, data opera, ſunt opiniones, an diuidatur, vt ſupra; vel ſit integer domini agri, de quibus opinionibus Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 4. verſ. in prima parte. fol. 395. quare ſi inuentor in agro alieno, dimidium non reſtitueret domino agri, peccaret, Nauar. dicto cap. 17. num. 172.

Cæterum Principum legibus hodie theſaurum, ſiue inueniatur in agro alieno, ſiue in proprio, ſpectare ad Principem, huncque eſſe iam vſum apud omnes ferè nationes, & hinc Hiſpaniarum Regem, cum primum nouerit, theſaurum eſſe inuẽtum, ſibi illum applicare, data inuentori, vel domino agri quinta parte, ſcribit, defendẽdo vſum hunc, tanquam licitum, & iuſtum, Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 6. verſ. ſed nihilominus. Et adeo iſte vſus inualuit, vt contra inuentores, præcedentibus legitimis inditijs de inuentione, eaq; negata, ſeu integro theſauro non patefacto, procedant ad torturam: ſed quicquid ſit de iuſtitia harum legum, & vſus, non eſt hic locus, vt ſuper materiam theſauri vlterius immoremur.

Tertius caſus eſt, quando inuenitur res, quæ de propinquo erat in bonis alicuius, & tũc denuo diſtinguo inter qualitates rerum.

Aut enim res inuenta eſt vilis, ſeu modici momenti, & tunc inueniens, ſi eam non reſtituat, non peccat mortaliter, Nauar. in man. confeſs. cap. 17. ſub nu. 170. verſ. diximus. ego intelligo hoc eſſe verum, quãdo is, qui

ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168.

Pro vlteriori huius secundæ explicationis, seu verius arbitrij intelligentia, distinguo duplicem speciem actionis meticulosæ.

Prima species actionis meticulosæ est illa, qua agens, contrahendo, & distrahendo, disponit de re temporali; & in hac prima specie in qua agitur de validitate, & inualiditate contractus, consideranda est qualitas personæ metuentis; quia minor metus exigitur in muliere, quàm in homine; in muliere enim sufficit metus, qui possit cadere in constantem mulierem; at in homine requiritur metus, qui cadat in constantem virum, Abb. in cap. 14. cum locum, sub num. 6. de sponsal. minor etiam requiritur in homine meticuloso, timido, quiuè sit pusilli animi, quàm in forti, & audace viro; maior in muliere viragine, quàm in verecunda, & timida; sic etiam venditor de mancipio, si affirmet emptori, esse constantem, non exacta constantia, quasi à philosopho desideratur, l. 18. si quid venditor. ff. de edil. edict. & in hac specie actionis meticulosæ procedit præcedens secunda subillatio.

Secunda species actionis meticulosæ est illa, qua quis, metu adductus, agit turpiter, nempè, contra legem naturæ, seu Dei: & in hac specie, nulla habita differentia qualitatis agentium, an is sit mulier, an vir, an fortis, an meticulosus; nullouè habito discrimine qualitatis metus, an sit magnus, an talis, qui cadat in constantem virum, seu non cadat; concludo, omnes, facientes contra eiusmodi legem, mortifere peccare, quouis metu fuerint impulsi; metus enim in his, qualis qualis sit, operationem à peccato non excusat, cum sit omnino mala, & non excusanda, quia debet quis potius mortem violentam pati, quàm aliquod peccatum committere, cap. 5. sacris. & ibi Abb. num. 1. & sub num. 5. de his quæ vi met. ca. fiunt. & satius est, mori fame, quàm idolothysis vesci, cap. 8. sicut satius. 32. q. 4. quod explicat Albert. de agnosc. assert. cathol. q. 30. nu. 11. vers. quia potius. tom. 11. par. 2. fol. 102. vnde, qui mortis metu fidem abnegat, mortaliter peccat, Alber. d. q. 30. num. 8. vers. circa tamen. Simanch. de cathol. instit. tit. 17. nu. 35. vers. sed inter hæc, fin. in fine, eod. tom. fol. 140. & Pegn. ad Eymer. direct. par. 1. in q. 9. commen. 24. vers. ac primum quidem. in fine, & est apud omnes tàm philosophos, quàm theologos, ac iurisprudentes comprobatū, mortem, ac extrema omnia subeunda 32 prius quàm quicquā eorum, quæ natura fœda sunt, facere; & generalius secundum canones, quàm mortaliter peccare, Mar. Salom. in l. 1. num. 8. vers. in hoc iure. & num. 9. ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168. hincq; egregium illud, *malo mori, quàm fœdari*: & pro huius conclusionis distincta intelligentia, & veritate adde omnino, quæ, diluendo aliqua, quæ videbantur obstare, scripsi infra vers. quia respondeo, & vers. voluntarium vero, ibi, secundus casus.

Confirmatur primo hæc conclusio, quia magis timere debemus eum, qui minatur, & potest occidere corpus, & animam, quàm eum, qui minatur, & potest occidere solum corpus, Matth. 10. num. 28. *& nolite timere* 33 *eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* ergo is, cui, non peccando, imminet mors corporis, &, peccando, imminet mors corporis, & animæ, debet non peccare.

Confirmatur secundo, quia etiam in foro militaris, terrenæque disciplinæ potius 34 mors obeunda est, quàm non seruare præceptum Ducis belli; in hoc enim foro nihilò seuerè minus vendicantur, quæ metu, aut maioris vis impetu admittuntur; quare locum in acie deserere, stationem irruentibus hostibus relinquere, fossa, vel muros non implere, fuga se tueri, & arma abijcere, quouis metu vrgente, seuerè puniuntur, Mar. Solom. in d. l. 1. sub num. 13. & 14. Quinimo in re militari non seruans mandatum Ducis belli, capite punitur, etiam si fœliciter rem gesserit, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 97. sub num. 181. & 182. Ergo cur in foro interiori militaris cœlestis disciplinæ non itidem obeunda est potius mors, quàm facere contra præceptum Dei?

Confirmatur tertio, quia ab honore ad animam, vti à minori ad maius, valet argumentum, quia quæ apud illustres gentiles erat olim honoris æstimatio, eadem & maior apud religiosissimos christianos est hodie animæ, cum vtrique virtus inseparabiliter sit coniuncta: sed apud graues, aliosq; honestos viros honor cæteris rebus est præferendus, l. 26. iulianus. ff. si quis omis. caus. testam. & l. 5. reprehendenda. C. de instit. & substit. imò honor æquiparatur vitæ, l. 9. iusta causa. ff. de manum. vind. & secundum communem scribentium

bantium sententiam vitæ præferri debet; vnde quæ dehonestant, & famam, honoremq; lædunt, magis quàm mors timenda sunt; hinc stupri metus maior, quàm mortis esse debet, adeo quòd potius mors eligi debet, quàm pati stuprum, & ideo, qui ad euitandum stuprum quid dederit, actione quod metus causa recuperat, l. 8. isti quidem. ff. de eo quod met. caus. & mulier potius famis necessitatem pati, quàm turpem vitam eligere debet, l. 43. palam. ff. de rit. nupt. hinc nobilis Lucretia Romana, Collatini vxor, & castitatis exemplum, fœdi in se commissi, quamuis violenter, ægra, atque impatiens se peremit; vt narrant Liu. lib. 1. ad finem, & D. August. relatus in cap. 4. proposito. §. lucretiam. 32. q. 5.

Ergo, si pro honoris, & famæ defensione mortem, & cætera omnia mala fortiter pati, ac contemnere debemus, à maiori eadem omnia fortius contemnere, & pati debemus pro animæ salute, quia anima est multò preciosior corpore, cap. 13. in fine, de pœnit. & remiss. & quouis honore, & fama mundana.

Non obstat firmatæ conclusioni, quòd Deus respiciat animum, vt ex Abb. retuli supra sub num. 59. vers. corroboratur. &, quòd peccatum sine volũtate peccandi non sit peccatum, adeo quòd nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium, vt ex D. August. de vera religione, cap. 14. refert text. 15. q. 1. initio; & ideo, qui fame conficitur, si ab excommunicato cibum petat: qui in puteum cecidit, & à prætereunte excommunicato opem implorat: qui lege, aut ex professo religionis carnes manducare prohibetur, & in eum locum venit, vbi, cum nulla alia re cibari possit, carnibus vescitur, non peccat, Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 8. ff. de legib. quæ singula comprobantur, quia neque Dauidi Regi imputatum est peccatum, quòd esuriens, ipse, & qui cum eo erãt, comederunt panes propositionis, quos Sacerdotibus tantum edere licebat, 1. Reg. 21. num. 3. & seqq. & Matth. 12. num. 3. & seqq. & qui coactè ad sui defensionem, & metu suæ mortis aggressorem occidit, caret culpa, & nulla est dignus pœna.

Quia respondeo, distinguendo inter inuoluntarium, & voluntarium, & vtrumque est duplex: est enim inuoluntarium purum, quod dicitur per vim præcisam, & absolutam; quando scilicet in nobis non est, vtrum agamus, vel non agamus, sed extrinsecus prouenit, vt si ventus nos aliquo deferat, quia tunc non subijcimur legi, loquenti de euntibus illuc, l. 15. cæsar. & l. seq. §. si propter. ff. de public. & vectig. alterum inuoluntarium est illud, quod faciunt ignorantes, & demẽtes sine ipsorum culpa; vt in d. caus. 15. q. 1. initio; qui enim demens agit, ignoranter agit, & qui ignoranter agit, errat, & qui errat, non consentit, & vbi consensus nullatenus concurrit, id omnino inuoluntarium est: & in eiusmodi inuoluntarijs procedit obiectio; quare, si quis in primo genere inuoluntarij ligatus, & renitens circuncidatur, vel eius genua per vim ab alijs ante idola, vel Mahometum flectantur, vtrique talis non abnegat Christũ, quia dicitur potius pati, quàm agere, ideoq; non peccat, sicut & is, qui inuitus, reclamans, & renitens ad fontem baptismatis feratur, & cum verborũ prolatione immergatur, non recipit sacramentum baptismatis, Albert. de agnosc. assert. cath. q. 30. num. 7. vers. secundus casus; tom. 11. par. 2. fol. 102. Simanch. de cath. instit. tit. 17. num. 29. vers. qui autem vi coacti. fol. 140. & Pegn. ad Eymer. direct. par. 1. in q. 9. commen. 24. vers. ac primum. & hinc in Concilio Anchiritano agitatum fuisse de illis sacerdotibus, quorum manus violenter idolorum sacrificijs admotæ fuerunt, scribunt Simanch. in loco, proximè citato, & Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 2. ff. de legib. cuius Concilij verba formaliter refert Pegn. d. commen. 24. vers. de coactis. & vers. seq. & mulier, quæ per eiusmodi vim stuprum, seu adulterium passa est, nulla pœna tenetur, l. 26. fœdissimam. C. ad l. iul. de adult. & egregiè Abb. cons. 4. facti contingentia. num. 1. & seqq. lib. 1. post D. Augustinum, relatum in cap. 4. proposito. §. lucretiam. 32. q. 5. Similiter, si quis in secundo inuoluntarij genere ignoranter bis baptizatus fuerit, non indiget pro eo pœnitere, cap. 117. qui bis. de consecr. dist. 4. si quis filium occidat, putans hostem occidere, si magister gladiatorius, docendi causa, percutit, vnde mors sequitur, venia digni sunt, quia ignoranter fecerunt, Mar. Salom. in d. l. 1. sub num. 17. ff. de legib. & nescientium non sunt peccata, cap. 1. meritò. & ibi Glos. vlt. 15. q. 1. vbi latè declarat, cum non omnis ignorantia excuset, & ideo de quibusdam ignorantibus dictum est, *si quis ignorat, ignorabitur.* d. caus. 15. q. 1. initio. & hæc de inuoluntario.

Voluntarium etiam est duplex: alterum

dicitur

dicitur liberum, seu spontaneum: alterum verò non liberum, sed coactum: liberum dicitur propriè voluntarium, quia voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid non faciendum, vel faciendum, vt ex D. Augustlib. 1. retract. cap. 15. refert text. in 15. q. 1. initio, & peccatum ita voluntarium in hoc primo genere est propriè peccatum, venia omnino indignum, quia ex voluntate peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio, & delinquentis proposito committuntur, d. caus. 15. q. 1. initio.

Volūtarium verò coactum dicitur, quando quis aliquid contra voluntatem facit, sed tamen vult facere, propter quod facit; & in hoc, an peccet, si, quod facit, est contra legem Dei, seu naturæ; distinguo duos casus: Primus casus est, quando quis, ita faciendo, obtemperat soli naturæ, præcipienti vitæ defensionem: & isto casu non peccat, quia eadem lex naturæ, & Dei isto casu non intendit illum obligare ad parendum; & ita procedunt exempla, adducta in obiectione, de eo, qui, ne fame conficiatur, cibum petit ab excommunicato: de eo, qui cecidit in puteum, & opem ab excommunicato implorat; de eo, qui præter carnes alium non habet cibum; & de eo, qui, ad suæ vitæ necessariam defensionem, aggressorem occidit; in his enim dicimus etiam, vt in obiectione, quòd Deus animum respicit: Secundus casus est, quando quis, obtemperando tyranno, facit contra legem Dei: & isto casu, quouis mortis metu imminente, faciens contra legem Dei, mortaliter peccat; quare iussus à tyranno occidi, nisi innocentem occidas, aut quid aliud turpe facias, debes potius mori, quàm facere, & in his terminis procedit conclusio, posita supra vers. secunda species. quæ conclusio confirmatur ex eo, quòd Eleazar annorū nonaginta, seni venerabili, & septem Machabæis fratribus ab Antiocha rege iussis carnes porcinas edere, gloriosum fuit, dira tormenta, & cruciatus perpeti maluisse, quàm contra patrias leges facere, vt legitur 2. Machab. cap. 6. num. 26. & seqq. & cap. 7. num. 1. & seqq. & alijs illustratur exemplis: nam Aemilius Papinianus, cui in iurisprudentia parem secula non tulerunt, occidi maluit, quàm iussus ab Imperatore Carcallâ parricidium excusare: & Mutius Sceuola truculento Syllæ in hæc verba respondit: *licet mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, vt, propter exiguum, senilemq; sanguinem meum, C. Marium, à quo Vrbs, & Italia seruata est, hostem iudicem*. O memorati digna exempla, quibus vtinam nostri seculi iudices tenerentur.

Ratio, quare hoc secundo casu metus, cadens etiam in constantissimum virum, non excuset à peccato, est duplex.

Prima, quia adhuc est peccatum voluntarium; hi namque actus, & si mixti sint ex voluntario, & inuoluntario; tamen voluntarijs magis similes sunt, vt ex Arist. sequuntur Mar. Salom. in l. 1. sub num. 3. vers. mixti sunt. ff. de legib. inter Repeten. tom. 1. fol. 168. & Albert. de agnosc. assert. cath. q. 30. sub num. 8. tom. 11. par. 2. fol. 102. & in rubr. q. 13. sub num. 68. vers. & dixi peccasse. de hæret. in 6. inter Repeten. tom. 5. fol. 377. nam est in agentis electione, quid agere velit; & proinde si quis alteri mortem minetur, si noluerit peierare, & ipse peieret; vtique etsi non spontè dicatur peierasse; tamen dicitur voluisse peierare, quia voluit viuere, vt dicit text. in cap. 1. merito. 15. q. 1. sicut ille, qui leuandæ nauis causa iactum in mare facit, impellente necessitate, facit, tamen volens facit pro sua salute contra vim tempestatis; similiter in eo, qui torquetur, fateri, & non fateri in eius potestate est; hincq; multi noxij obstinatis animis omnes tormentorum cruciatus superant, præeligentes non fateri; aliqui verò tanta sunt impatientia, vt nedum commissa, sed etiam non perpetrata scelera fateri velint potius, quàm pati tormenta: vnde qui tormentorum cruciatu fatetur, quamuis spontè non fateatur, tamen volens dicitur fateri, obstringiturq; ea confessione; legitima modo præcedant inditia, & ideo notarius non debet scribere, quòd reus tortus confessus est spontè, quia falsum scriberet, sed debet scribere, quòd est voluntariè confessus, vt hæc omnia admonet Salom. in d. l. 1. sub nu. 3. & 4. est tamen verum, quòd in ratificatione ad bancum iuris notarius de stylo permisso scribit, quòd spontè ratificat, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 9. hincque adiens hæreditatem per metum, hæres efficitur, l. 21. si mulier. §. si metu. ff. quod met. caus. ex quo textu notant communiter, quòd voluntas coacta, voluntas est.

Secunda ratio, & elegantior est, quia, loquendo de idolatria, & apostasia à fide, &

per

per consequens de hæresi, scribit Eymer. in direct.inquif.par.2.q.41.de blasphemis.nu. 8, vers.nec excusatur. metus mortis pro fidei defensione, & confessione, quantum ad verum catholicũ,non est metus,cadens in constantem virũ; quinimo nec metus mortis pro peccato mortali etiam minimo perpetrando.

Tria circa præmissa breuiter notãda sunt.

Primum, quòd etsi metus, qui cadat in constantissimum virum, à peccato mortali non excuset, per ea, quæ dixi supra vers.secunda species. tamen minuit pœnam tàm in huius, quàm alterius vitæ tribunali, & ita in nostro foro quotidie videmus practicari, siquidem peccatum,quò magis voluntarium est, eò magis malum est, & proinde sicut ille,qui nullo,vel leui metu ductus, magis voluntariè peccat, quàm hic, qui metu mortis peccat,ita ille magis, quàm hic puniri debet.

Secundum notandum est, quòd hi, qui mortis metu, seu alio maioris vis impetu peccant, aut à virtute deficiunt, non æqualiter excusantur, cap. 118. eos quos. de consecr. dist. 4. vbi grauius puniuntur Episcopi, sacerdotes, & diaconi, quàm inferioris ordinis clerici,idq; suadetur ratione,quia non eadem desideratur constantia in mancipio, quæ desideratur in philosopho, l.18. si quid venditor.ff.de edil.edict.& sicut maior exigitur virtus in sapiente,& in nobili,quàm in humili,& plebeo; ita etiam virtutis defectus maior est in illo, quàm in isto.

Tertium notandum est, quòd in crimine hæresis metus, cadens in constantem virum, adeo excusat à pœna, vt si captus ab infidelibus, vel hæreticis mortis metu Mahometum adorauerit, seu ad Iudæorum ritum transierit, vel aliter fidem abnegauerit,hæreticus censendus non sit, Albert.de agnosc. assert.cath.q.30.num.6.& 8.tom.11. par.2. fol. 102. & in rubr.q.13. num.67. de hæret. in 6. inter Repet. tom.5. fol.377. Simanch. de cath.instit.tit.17.num.35.& 36.fol.140. Conrad.Brun.tract. de hæret. cap.4. nu.9.& seqq.fol.273.& Pegn.ad Eymer. direct.par. 2.in q.9.cõm.24.vers.rursus animaduertẽdũ.

Ratio est,quia sicut coacta verè fidei confessió non facit catholicum;spontanea enim, non compulsa debet esse fidei professio, dicente Apost.ad Rom.10.num.10. *corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. ita nec coacta erroris assertio facit hæreticum: *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt, quæ coinquinant hominem*, Matth. 15. num. 19. hæresis ergo non ante perficitur, quàm pertinax consensus accedat, quia non in factis, aut dictis, sed in intellectu, & voluntate consistit, cum credere non sit,nisi in volente, vt eleganter exprimit Simanch. d. tit. 17. num. 35.

Tẽpera hoc tertiũ notandũ, vt excusetur omnino in foro interiori,si appareant signa, & gesta de dissensu,& de non ratificatione;at in foro interiori adhuc non omnino excusatur,per ea,quæ dixi sup.vers.secũda.& seqq.

68 Infero secundo,quòd si tu ex cõtractu,gesto cum pupillo sine tutore, aliquid habueris,teneris in foro interiori illud restituere, quia,cum deficiat consensus domini,contractus est ipso iure nullus,Innoc.in cap.8.quia plerique. sub num.3.vers.sed quid dices in eo.Io.Andr. sub num.4. vers.quid si quis tutus. ibi,sed quid dices in eo. Anch.num.11. in fine,& num.12.q.5.de immun.eccles.Sot. de iust.& iur.lib.4.q.5.art.3.col.3.ibi,ad cuius explicationem. fol.326. & col.6. in solutione secundæ rationis, ibi, contingit esse puerum. fol.327. & ita, generalius formato dubio, post longam disputationem concludit in effectu Mich.Sal. ad D. Thom.2.2. q. 5.de dominio,art.4.tit.an per contractũ,&c. conclus.1. fol.148. & huius illationis argumenta, generaliter formato dubio, adducit Sot.d.art.3.initio, & latius Mich. Sal. d.art. 4. tit. an per contractum, vers. in hac quæstione.& seqq. fol.145.& quòd lex positiua, quæ inhabilitat personam ad cõtrahendum, obliget in foro pœnitentiæ, & conscientiæ, & in nullo foro ex tali consensu,reprobato à iure positiuo,oriatur obligatio, cum lex positiua disponat super veritate, & non ex præsumptione, sequitur Petr.de Anchar.in cap. peccatum. num.11. in fine, & sub num. 12. de reg.iur. in 6. hæcq; illatio est communis, pro qua adduci possunt Bal. Sot. & Couar. dum tenent,quòd hæres non teneatur soluere legata,relicta in testamento minus solemni, vt ex eis retuli infra sub num. 114. vers. infero. & consequenter tacitè sentiunt,quòd legatarius,seu hæres,qui hæc legata,seu hæreditatem accepissent de manu non hæredis, teneantur etiam in foro conscientiæ restituere.

69 Ratio huius illationis non est illa, quam Innocent.Io.Andr.Sot.Mich. Sal.supra citati, & cæteri videntur considerasse, nempè,

quia deficiant solemnitates, requisitæ à iure; siquidem hæc ratio non concludit in testamento, quod etsi minus solemne sit, obligat tamen hæredem in conscientia, vt secutus sum infra sub d. num. 114. vers. infero. nec concludit in contractu, quia contractus mulieris, factus sine fraude, valet in foro conscientiæ, etiam non seruata forma statuti, loquentis de consensu propinquorum, Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. de constit. nam in foro conscientiæ attenditur veritas, & non solemnitas: † ratio igitur est, quia minor 14. annis æquiparatur furioso, vt scripsi par. seq. limit. 17. num. 6. vel quia impuberis ætas, quod videt, ignorat, vt ex l. 1. versus finem, C. de fals. mon. retuli in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 1. num. 238. & consequenter, si ignorat, non potest consentire, deest igitur in pupillo consensus perfectus, cum habeat imbecille, & infirmum iudicium, l. 1. ff. de min. 25. ann. quod est pars substantialis consensus; & paria sunt, non adesse consensum, vel adesse inutilem, infirmum, & imperfectum; vnde & ille titulus habetur pro non titulo, & consequenter deest etiam bona fides, quia contra iura tu es mercatus.

70

71 Contra hanc illationem sentit Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. num. 12. dicens, quòd emens à pupillo, vel ab ecclesia sine solemnitatibus legitimis, cum vero tamen pretio, & causa legitima subsistente, potest bona empta retinere cum bona conscientia; & facit, quod scripsi sup. sub num. 4.

72 Confirmatur primo hęc opinio contraria, quia contractus, initus cum pupillo, est nullus ipso iure, volente pupillo; secus, eo nolente, vt puta, quia vtiliter contraxerit, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 320. ergo quamdiu pupillus nō reclamat de illo cōtractu, is, qui secum contraxit, est tutus in foro consciētię.

73 Confirmatur secundo, quia pupillus obligatur naturaliter, vt secutus sum d. cap. 2. num. 344. & in foro conscientiæ attenditur ius naturale, vt ex Abb. retuli sup. sub num. 57. & solui debet, quod naturaliter debetur, vt secutus sum infra num. 95. extens. 2. ergo qui rem à pupillo habuit, non tenetur in foro conscientiæ restituere.

74 Retenta illatione, & pro solutione contrariorum.

Declara primo eam, vt procedat, quando contrahens cum pupillo, videbat, quòd pupillus ex illo contractu lædebatur, quia tunc habuit infectam conscientiam; & dicitur lædi, etiam si ei vendenti soluatur iustum pretium, si pretium illud probabiliter dissipaturus sit; secus si videbat, pupillum rem vtilem gerere, quia isto casu non habuit infectam conscientiam, & damnum non inferebat, & ideo in foro conscientiæ cessat restitutio.

75 Declara secundo illatiue ex præcedenti, vt obligatio pupilli sit naturalis, quando illa obligatio eum non lædit, & ita procedunt, quæ scripsi in citato cap. 2. num. 344. secus quando illa obligatio ipsum lædit, quia tunc nec ciuiliter, nec naturaliter debet obligari, cum æquitas naturalis, & ius naturale velint, minores, & pupillos conseruari indemnes, l. 1. ff. de min. 25. ann. *hoc edictum prætor, naturalem æquitatem secutus, proposuit, quo tutelam minorum suscepit, &c.* & §. vlt. Instit. de attil. tut. *impuberes autem in tutela esse iuri naturali conueniens est*.

76 Subinfero, confirmando eandem illationem, quòd multo magis sine consensu domini dicitur retinere, qui rem à furioso habuit, & propterea tantò magis tenetur etiam in foro conscientiæ restituere.

77 Infero tertio, quòd si tu ex contractu, quem tecum per errorem quis iniuit, aliquid habuisti, teneris illud restituere, quia error excludit consensum, &, excluso consensu, dominium non transfertur, &, non translato dominio, tu detines rem alienam, quam iure vtriusque fori teneris restituere.

78 Subinfero primo, confirmando, & declarando, quòd si is, qui in te rem alienauit, est prudens, & sagax, qui verisimiliter sciat, rem pluris valere, sed voluerit, illud plus, seu residuum habere pro derelicto, tu non teneris illud restituere, nec in foro exteriori, nec in foro interiori; secus si non sit prudens, & sagax, quia tunc quamuis parua sit læsio, teneris in foro conscientiæ ad restitutionem, Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. sub nu. 12. cas. 5. hancq; subillationem latè explicat ibidē Abb. sub nu. 28. & ita secutus sum sup. ampl. 10. nu. 54. 51. & sub n. 53. vers. contra.

79 Subinfero secundo, quòd hypocrita, qui multa bona acquisiuit sub nomine boni christiani, tenetur in foro conscientiæ illa restituere, Innoc. in d. cap. quia plerique. num. 5. vers. de quæsitis in bello. Io. Andr. sub num. 4. vers. de quæsitis autem. Anchar. nu. 14. vers. quid de hypocrita. Abb. nu. 36. q. 12. & Ant. de Butr. sub num. 12. cas. 6. in fine,

fine, vbi hanc subillationem extendit ad eremitas, & ad eos, qui fingunt se esse infirmos, & Abb. vbi supra addit, quòd etiam in foro iudiciali possunt hæc bona ab eo extorqueri, quia non sunt sua, sed sunt Ecclesiæ vniuersalis, sicut cætera bona ecclesiastica, Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. col. 3. in fine, vers. vsura autem. fol. 338. dicens, quòd qui, simulata paupertate, eleemosynam accipit, cum verè pauper non sit, tenetur eam restituere, ex communi doctrina, & in tit. de reb. restitut. q. 23. vers. ad quintum. fol. 190.

Verum hæc restitutio facienda forsan non est illis, qui bona dederunt; quia illi receperunt mercedem suam à Deo, sed est facienda ipsi Deo in eleemosynam, Abb. vbi supra.

80 Ratio huius subillationis est, tum quia illi, qui dederunt, errarunt, credentes dare bono christiano, & non hypocritæ, & sic errando, deficit consensus, per ea, quæ dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 489. & quòd inter omnes conueniat, vt quoties error est in persona, tunc accepta per errorem sint restituenda, quia quod per errorem in persona datur, nō est voluntarie datum, scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 22. vers. his positis. col. 302. tum quia iste hypocrita per fraudem quæsiuit, vt dicunt præfati Doct. quæ fraus includit non solum dantis errorem, sed accipientis malitiam, & fraudem, quæ errorem causauit.

Ab hac subillatione non discedo, quia licet circumferantur opiniones, quas refert Io. Azor. d. tit. de restit. cap. 21. q. 8. col. 298. & seq. adhærendo opinioni Medinæ d. rom. 2. tit. de reb. restit. q. 23. vers. quinto arguitur. & vers. seqq. fol. 186. & vers. ad quintum. fol. 190. vbi sic distinguit: aut causa illa, quæ deficit in donatario, fuit causa finalis donationis; & tunc, quod ei fuit donatum, est restituendum: aut fuit impulsiua, & tunc non est restituendum; & ex hac distinctione infert Azor. ad multa.

Tamen hæc Medinæ opinio concordat cum subillatione, quia in subillatione præsupponimus causas donationis, & eleemosynarum fuisse causas finales.

81 Infero quarto, ex eodem consensus defectu, acceptum ab ecclesia sine superioris assensu, esse vtriusque fori iure restituēdum, & ex assensus defectu insurgere malam fidem, quia, qui contra iura mercatur, est in mala fide, cap. 82. qui contra. de reg. iur. in 6. & ideo emptor, qui iustò pretio emerit à rectore res ecclesiæ, cuius habet liberam administrationem, tenetur iure vtriusque fori restituere, non solum res, sed etiam fructus, quos percepit, Anch. in cap. possessor malæ fidei. num. 11. in fine, de reg. iur. in 6.

82 Infero quinto, quòd si hæres per errorem facti soluerit tibi integrum legatum, non detracta eius falcidia, tu in vtroque foro teneris restituere, semel tamen, vt explicaui infra num. 113. iuncto num. præcedenti 112.

Infero sexto (constituendo regulam ampliatiuam) quòd quisquis rem alienam habet contra voluntatem domini, tenetur eam domino restituere, per ea, quæ scripsi supra num. 60. & seqq.

Extende hanc illationem, seu regulam, vt procedat non solum in eo, qui accipit rem, quam sciebat esse alienam, & ideo sciebat, quòd eam accipiebat à fure; sed etiam in eo, qui hoc ignorabat, quando eam accepit, sed scit postea, dum eam retinet, quia vterque dicitur eam retinere contra voluntatem domini, & consequenter esse in mala fide; & ideo tenetur ad restitutionem, per eadem, quæ dixi d. num. 60. & seqq. quantumuis enim optima fide quis rem alienam accipiat, tamen statim atque cognouerit, esse alienam, tenetur eam prima opportunitate restituere, quia non potest retinere rem alienam, inuito domino; hincq; lex ciuilis, vbicunque res fuerit, concedit domino, vt, etiam nullo restituto pretio, possit eam vindicare; quòd si prima opportunitate, postquam cognouit esse alienam, non restituat, ex tunc incipit esse possessor malæ fidei, & consequenter obligatur restituere non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis; & proinde si res interim periret, sibi non restituenti periret, quia fuisset in mora, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. num. 1. & 2. imò secundus detentor, si sciat, rem esse alienam, sibi ipsi accipiendo, furtum committit, rem alienam iniustè contrectando, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. initio, fol. 94. & benè solidatur ex his, quæ scripsi supra ampl. 8. num. 200. & aduerte, quòd loquor de re mobili.

Subextende primo hanc extensionem, vt, si res extet, teneatur rem ipsam restituere; si verò non extet, quia consumpta sit, teneatur soluere valorem, Medin. in loco, supra proximè citato; vel, si extet, sed non penes

se, quia fit ei furto subtracta: & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. de iustit. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. vers. quæstio hæc. paulò post initium, conclus. 2. col. 2. fol. 378. cum fur sit semper morosus, vt secutus sum supra ampl. 8. num. 117. & is, qui retinet scienter rem alienam, reputatur fur, vt ex Medin. retuli supra in extensione, & dicitur non minus morosus, quàm ipse fur, vt ex eodem Medin. secutus sum d. ampliat. 8. num. 117. & quòd quilibet, qui mala fide retinet rem alienam, teneatur eam restituere, & ipsi, & non domino pereat, & ideo, ea perempta, teneatur soluere illius pretium quanti plurimi, secutus sum ex Nauar. d. ampl. 8. sub nu. 117.

Subextende secundo, vt teneatur restitere, etiam si nullam ex ea re vtilitatem acceperit; & moueor, quia ita teneretur ipse fur, Sot. in loco, supra proxime citato: ergo ita etiam teneri debet, qui eam retinet, sciens esse alienam; ratio est, quia vterque est in mora.

Subextende tertio, vt si eam ipse iniuriosè contra voluntatem domini acceperit; nempè, rapiendo per vim, vel per furtum, tunc teneatur restituere, non solum, prout dixi supra num. 63. sed teneatur etiam ad duplum, seu quadruplum, vt dixi supra dicta ampl. 8. num. 117. & forsan, vt credo, hæc subextensio procedet etiam in eo, qui rem illam scienter emit, vel aliter habet à fure, quia fit particeps delicti: sed est aduertendum, quòd nec in foro interiori tenetur ad duplum, seu quadruplũ, nisi sit per iudicem ad illud condemnatus, cum illud interesse habeat naturã pœnæ, quam nec in foro interiori quis soluere tenetur, nisi sit ad eam condemnatus, per ea, quæ dixi infra n. 139.

Intellige, dum locutus sum de accipiente scienter rem à fure, vt in foro interiori paria sint, accipere scienter, vel dubie, quia dubitans, & adhuc faciens, videtur contemnere animę salutem, qua propterea indignus est; & hoc est, quod dicitur; qui amat periculum, peribit in illo; quia quicquid non est ex fide, Idest, ex conscientia, peccatum est, per ea, quæ, generatim loquendo, explicaui supra sub num. 59. & in his terminis motiuat Medin. in loco, inf. proximè citato.

Neque obstat, quòd supra ampl. 17. sub num. 22. dixerim totum oppositum, nempè, dubitantem æquiparari ignoranti; quia respondeo, quòd cum hæc æquiparatio procedat, & non procedat secundum subiectam materiam, ego, generatim loquendo, nihil de ea illic firmaui: sed, loquẽdo speciatim de debitoris idoneitate, libuit æquiparare ignoranti, quia hæc æquiparatio firmiorem reddebat illam subampliationem, & procedit æquiparatio, quia de debitoris idoneitate potest semper dubitari, præsertim propter futuros euentus, & alias, si dato dubio de idoneitate, prohiberetur contractus, dissiparetur tota illa negotiatio: cæterum si materia possit consistere sine dubitatione, & loquamur in foro interiori, indubitanter dico, quòd dubitans æquiparatur scienti, per ea, quæ dixi sub d. num. 59.

Pro absoluta tamen resolutione huius intelligentiæ vide multas conclusiones, quas tradit Medin. d. q. 10. vers. si verò rem. & seqq. fol. 96.

Restringe primo nunc eandem regulam, eiusq; extensionem, & subextensiones, de quibus supra hoc eodem num. illatione 6. vt non procedant, quando is, qui rem habet alienam, eam habet iuris auctoritate, fundata super veritate, vt puta, quia rem præscriptione acquisierit, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. concl. 4. ibi, vt si ab illegitimo possessore. col. 3. fol. 378. vel eam acquisierit in bello iusto, de qua tamen acquisitione, & de tota materia rerum captarum in bello iusto, cui acquirantur, & an restitui debeant, & an, recepto prius pretio, vel sine, vide Couar. in cap. peccatum. par. 2. §. 11. sub nu. 6. vers. res autem. & num. seqq. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 658. & proinde qui rem emit ab hoste, postquam in hostis dominium transierit, res efficitur ipsius emptoris irreuocabiliter, vt secutus sum supra q. 1. sub num. 145.

Ratio huius restrictionis est, quia si rem à fundamento inspiciamus, dicitur habita ex consensu domini, & non contra voluntatem domini, cum legi, transferenti dominium in præscribentem, populus consenserit, vt dixi infra num. 127. & seqq. & belli lex, cui bellatores se spontè supponunt, hæc sit, vt res, in bello iusto capta, efficiatur capientis.

Restringe secundo, vt non procedat in eo, qui à piratis, & latronibus emit rem, cuius dominum ignorat, vel, si non ignorat, emit, quasi dominus eam amplius recuperare non possit, aut ea intentione, & pretio emit, vt quasi vtile domini negotium gesserit; quia hic emptor non solum non participat de furto, sed neque eam tenetur restituere, nisi reddito

reddito sibi pretio à domino, vt fecutus sum supra q. 1. sub num. 145.

Restringe tertio declarando, vt qui rem bona fide emerit ab eo, quem credebat esse dominum illius rei, & postea certam habet notitiam, eum, qui sibi vendidit, eam furto subtraxisse, possit eandem rem eidem furi tuta conscientia restituere, vt ab eo recuperet pretium, quo se conseruet indemnem in eo, in quo culpam non habet; & se indemnem conseruare non posset, si rem vero domino restitueret, quia amitteret pretium, Nauar. & alij, quos citat, & sequitur Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 14. nu. 14.

Confirmatur hæc restrictio, quia charitas ordinata incipit à se ipso, in tantum, quòd liceret mihi alienas merces proijcere in mare, vt saluarem meas, vt scripsi supra hac ead. q. par. præcedenti, sub num. 73.

Contrariam opinionem (nempè, quòd emptor non possit rem furi restituere, sed debeat eam restituere domino, etiam si amittat pretiũ) tenet, tutiorẽ esse in rigore conscientiæ, & ita agendum esse, si iste emptor credat, quòd si rem furi restituat, ea nunquam amplius perueniet ad dominum, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. & fusius in vers. verum quamuis. col. 5. fol. 96. & simplicius tenet Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, quo fit rursus. col. 3. fol. 378. dicens, quòd si reddiderit illegitimo possessori, restitutioni manet obnoxius, quia de iustitia tenebatur restituere domino; loquitur tamen Sot. cum hoc grano salis, dummodo restituere potuerit domino sine suo magno detrimento, magnumq; detrimentum intelligerem infamiam; & apertius hoc asserit eod. art. 2. col. 5. ibi, ob hoc fortè non deerit. fol. 379. & qui alij hanc contrariam tenuerint opinionem, citat Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 3. initio.

In hac controuersia Azor. d. cap. 3. q. 1. vers. quare dicendum. concludit, emptorem secundum conscientiam rem domino restitere debere, quando pretium à fure repetere non potest, vel quia in longinqua loca discesserit, & conueniri non possit, vel quia mortuus sit, vel quia non compareat, vel pretium reddere renuat, vel nequeat; tunc enim, inquit, cum res adhuc exter, domino suo debetur, & emptor, si non reddat, incipit esse possessor malæ fidei.

Hæc Azorij conclusio est confusa, quia non aperit, an restitutio sit facienda domino in casu, quo ipse dominus non possit recuperare pretium à fure, vel in casu, quo illud recuperare non possit ipse emptor; est etiam inepta, dum videtur restitutionem restringere sub conditione (quando pretium à fure repetere non potest, &c.) & licet eam conclusionem mutuo videatur accepisse à Sot. d. art. 2. post 4. concl. col. 5. ibi, & confirmatur hæc veritas. fol. 379. tamẽ Sot. ab ipso in hac conclusione nõ citatus, loquitur sine cõditione, quia ex illa impotẽtia recuperandi pretium à fure, non restringit conclusionem, vt restringit Azor. sed probat conclusionem, dicens, quòd si latro disparuisset, emptor in foro iudiciali compelleretur, tanquam debitor, rem cum iactura pretij exhibere; quod, inquit, signum est, emptorem teneri de iustitia: ergo, inquit, ob id, quod reperiri possit latro, dominus nullum ius amittit: ergo tunc etiam tenetur domino. Sed neque Sot. satisfacit, & clarius, argumentando, locutus est Medin. d. quæst. 10. vers. tum etiam. il 2. col. 5. fol. 96. dicens, quòd si emptor posset furi rem restituere, vt pretium ab eo recuperaret, sequeretur, quòd si fur esset mortuus, vel esset absens, aut omnino pauper factus, posset emptor rem apud se retinere, aut eam alijs vendere, ne scilicet pretium amittat, quod ipse supponit esse falsum.

Ego non discedo à restrictione, quam benè probat, & validè tuetur Leonar. Less. d. cap. 14. num. 14. & seqq.

Restringe quarto, vt non procedat, quando rem habuit, & retinet bona fide, quia, durante hac bona fide, ignorantia inuincibilis excusat eum etiam à peccato, ideoque neque in foro fori, neque in foro conscientiæ tenetur eam restituere; licet enim rem illam emerit à fure, & consequenter habuerit, & retineat contra voluntatem domini, tamen quia hæc omnia sibi sunt ignota, non habentur in consideratione, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 10. vers. si autem. col. 3. fol. 95. & hoc transit sine controuersia, quia est impossibile, vt quis obligetur restituere id, quod iustè ignorat esse alienum; & consequenter, si interim, durante bona fide, emptor rem destruxit, seu alienauit, & postea scit, rẽ illam fuisse furtiuam, & sic tunc incipiat cessare bona fides, tenetur vero domino restituere, quantum ipse factus est locupletior; si enim nullum lucrum

sibi acquisiuit, vt puta, quia tantum dederit pretium furi, quantum postea ipse rem vendidit, aut si per viam donationis rem illam à fure accepisset, & ipse similiter eãdem alteri donasset, aut res ipsa in ipsius potestate, nullo inde commodo percepto, perijt; nihil tenetur restituere: e contra; si factus est locupletior, vel inde cõmoditatem aliquam est assecutus, vt, si tantundem de suis bonis erat consumpturus (si rem illam consumpsit) aut alteri eam pro maiori pretio vendiderit, & similia; tenetur id ipsum domino restituere, Medin. d. vers. si autem. versus finem, Nauar. in man. confessar. cap. 17. sub num. 7. & 8. & Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, emi fundum à latrone. col. 3. in fine, & 4. fol. 378. & 379. vbi ponit regulam solemnem, quòd quicunque tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, tenetur restituere rem, si eam habeat, & solum id, in quo ditior factus est, sed non tenetur restituere id, quod bona fide consumpsit, per quod non est factus locupletior; hancq; regulam multis illustrat exemplis, quæ tu apud eum leges; & regula ista apertè probatur ex l. 22. item veniunt. §. præter hæc. versus finem, vers. eos autem. ff. de petit. hæred. vbi Glos. in verbo, facti essent. dicit, esse optimam regulam, qua nulla verior in iure.

Intellige hanc restrictionem, dum dixi, restitui debere incrementum, quo factus est locupletior, vt hoc sit verum, si incrementum processerit ex re ipsa; secus si processisset ex labore, diligentia, & industria emptoris, qui postea maiori pretio reuenderit, vt declarant Sot. de iust. & iur. d. q. 7. art. 2. post 4. conclus. ibi, intellige autem si factus est locupletior. col. 4. in fine, fol. 379. & Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 3. q. 2. vers. in hac re. col. 248.

Restringe quinto, vt quoad restitutionem faciendam remaneat aliqua differentia inter forum exterius, & forum interius; & idcirco pro vtriusque fori cognitione quoad hãc restrictionem distinguo duos casus, quibus vniuersam ferè restitutionis materiam compendiosè explicabo.

Primus casus est, quando quis tenetur restituere sola ratione rei acceptæ, postquam scit, rem, quam detinet, esse alienam; & isto casu distinguo: aut rem adhuc detinet, aut non detinet: si detinet, dico, quòd in vtroque foro, vnica restitutione sufficiente, tenetur restituere, non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniquæ detentionis: si non detinet, rursus inspici oportet, an eam alienauerit, seu consumpserit bona fide, an verò cum dolo, & in fraudem domini: si bona fide, dico, quòd in foro conscientiæ tenetur solum restituere id, in quo factus est locupletior, vt dixi in proxima præcedenti restrictione; secus in foro exteriori, quia in hoc foro non potest ciuiliter quis aliter conueniri, quàm actione personali, aut reali, vel saltem ex æquitate legis 32. si me & titium. ff. si cer. pet. sed nulla ex his competit domino rei; non enim habet actionem personalem, quia non contraxit cum eo, qui rem aliunde bona fide, & iusto titulo habuit, neque habet realem, quia actio realis sequitur rem penes quemcumque possessorem, vt declarat Maran. in suo spec. par. 4. dist. 3. princip. num. 1. fol. 73. neque competit ei æquitas dictæ l. si me & titium. quia hæc æquitas non datur, nisi inter actorem, & reum sit gestum aliquod negotium, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 6. memb. 6. num. 19. in fine: neque dicatur, quòd si is, qui rem alienauit, consecutus est pretium ex illa alienatione, illud pretium succedat loco rei, & consequenter adhuc possit conueniri, tanquam si rem detineret; quia replico, quòd æstimatio, seu pretium succedit loco rei in iudicijs vniuersalibus, vt in petitione hæreditatis, Bal. in l. 3. mater tua. sub num. 6. vers. non obstat hæc lex. C. de rei vendic. Negus. tract. de pign. in 1. memb. 5. part. num. 48. tom. 6. par. 1. fol. 225. Vrsil. in annot. ad Affl. decis. 369. alphonsus. sub num. 10. & latius Tiraq. de retr. lign. §. 32. gl. vnica, num. 21. & 22. fol. 346. quare, si quis, accepto pretio, vendat res hæreditarias, & deinde interrogatus respondeat, se nihil hæreditarium possidere, iste erit mendax, quia pretium succedit loco rei, M. Ant. Cucch. de ment. circ. possess. num. 15. tom. 3. par. 2. fol. 295. secus in iudicijs singularibus, Negus. vbi supra, Tiraq. d. gl. vnica, num. 20. Affl. d. decis. 369. nu. 4. & M. Ant. Cucch. vbi sup. num. 329. fol. 298. quia in istis pretium non succedit loco rei, nisi in quibusdam casibus specialibus, Vrsil. ad Affl. vbi supra, & in casu, quo res præstari non possit, Bal. vbi supra; & dicitur res præstari non posse, & ideo posse agi ad pretium contra eum, qui eam habuit titulo lucratiuo, quando est perempta, seu præscripta,

pta, Neguſ. vbi ſup. ſeu quando non poteſt recuperari ſine magna difficultate, vt quia poſſidetur à magno barone, vel tyranno, vel eſt equus, cum quo ſtipendiarius receſſit, Bal. in d.l. mater tua. num. 17. verſ. deinde quæro. vnde cum non ſimus in iudicijs vniuerſalibus, neque in caſu ſpeciali non poteſt ratione pretij conueniri: & ratio prædictæ diuerſitatis inter forum conſcientiæ, & forum exterius eſt, quia in foro conſcientiæ nulla toleratur iniuſtitia; ſecus eſt in foro exteriori; quia in eo, ad euitandas lites, &, ne tollantur commercia neceſſaria, toleratur quandoque iniuſtitia, vt dixi ſupra ampl. 10. num. 45. & ſeqq. quare lex poſitiua domino rei ſatis conſultum iudicat, reſeruando ei facultatem agendi contra furem, & contra poſſeſſorem rei: & hæc quando rem bona fide conſumpſit, ſeu alienauit: ſi autem alienauit cum dolo, & in fraudem domini, dico in vtroque foro, vnica ſolutione ſufficiente, teneri ad reſtituendum: & quoad forum interius dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, eo ipſo, quòd poſt habitam notitiam rem alienat, niſi aliqua iuſta, & vrgens cauſa alienationem excuſaret: at in foro exteriori dicitur alienare cum dolo, & in fraudem, quando timore euictionis alienat in potentiorem cauſa mutandi iudicium, ff. & C. de alien. iud. mut. cauſ. & Affl. ad conſtit. Neap. in conſtit. eorum fraudibus. ſub num. 2. lib. 2. item dicitur alienare doloſè, quando, lite pendente, ſeu conteſtata, alienat, quia dicitur dolo deſinere poſſidere, & qui dolo deſinit poſſidere, pro poſſeſſore damnatur, quia pro poſſeſſore dolus eſt, l. 174. qui dolo. ff. de reg. iur.

Secundus caſus eſt; quando quis tenetur reſtituere ratione iniurioſæ acceptionis; & iſto caſu dico, quòd æquè tenetur reſtituere in vtroque foro, vnica reſtitutione, ſeu ſolutione ſufficiente, ſiue rem poſſideat, ſiue non, ſiue ſit factus locupletior, ſiue non, ſiue res perierit, ſiue non.

Reſtringe ſexto, diſtinguendo tres caſus principales, in re, non ex alicuius manibus accepta, ſeu habita, ſed inuenta, & à nemine tunc occupata, ſeu poſſeſſa.

Primus caſus eſt; quando res inuenta nunquam fuit in alicuius bonis, cuiuſmodi ſunt gemmæ, lapilli, & cætera, quæ inueniuntur in littore maris; & eiuſmodi res occupanti conceduntur, l. 3. item lapilli. ff. de rer. diuiſ. & §. item lapilli. Inſtit. eod. & ex D. Thom. ſequuntur Card. de Turrecrem. in cap. ſi quid. ſub num. 1. 14. q. 5. & Mich. Sal. qui alios citat ad D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. rub. de reb. inuent. verſ. de rebus primi. fol. 394. item feræ beſtiæ, & ſimilia, de quibus eod. tit. de rer. diuiſ. §. feræ. & Nauar. in man. confeſs. cap. 17. ſub num. 170. & conſequenter ſumus extra terminos habiles, quia res iſtæ non ſubiacent alicui reſtitutioni.

Secundus caſus eſt in theſauris antiquo tempore occultatis, qui ab aliquo non poſſidentur; & in his rurſus diſtinguo: aut enim inueniuntur in loco ipſius inuentoris, & tunc ſunt ipſius inuentoris, §. theſauros. Inſtitut. de rer. diuiſ. D. Thom. Card. de Turrecrem. & Mich. Sal. in locis, ſupra proximè citatis: aut inueniuntur in agro alieno, & non data opera, ſed fortuitu, & tunc diuiduntur inter dominum agri, & inuentorem pro æquali portione, vt in eod. §. theſauros, & ſcribunt ſupracitati: quòd ſi theſaurus ſit inuentus in agro alieno, data opera, ſunt opiniones, an diuidatur, vt ſupra; vel ſit integer domini agri, de quibus opinionibus Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 4. verſ. in prima parte. fol. 395. quare ſi inuentor in agro alieno, dimidium non reſtitueret domino agri, peccaret, Nauar. dicto cap. 17. num. 172.

Cæterum Principum legibus hodie theſaurum, ſiue inueniatur in agro alieno, ſiue in proprio, ſpectare ad Principem; hunceque eſſe iam vſum apud omnes ferè nationes, & hinc Hiſpaniarum Regem, cum primum nouerit, theſaurum eſſe inuentum, ſibi illum applicare, data inuentori, vel domino agri quinta parte, ſcribit, defendēdo vſum hunc, tanquam licitum, & iuſtum, Mich. Sal. d. q. 66. art. 5. concl. 6. verſ. ſed nihilominus. Et adeo iſte vſus inualuit, vt contra inuentores, præcedentibus legitimis inditijs de inuentione, eaq, negata, ſeu integro theſauro non patefacto, procedant ad torturam: ſed quicquid ſit de iuſtitia harum legum, & vſus, non eſt hic locus, vt ſuper materiam theſauri vlterius immoremur.

Tertius caſus eſt, quando inuenitur res, quæ de propinquo erat in bonis alicuius, & tūc denuo diſtinguo inter qualitates rerum.

Aut enim res inuenta eſt vilis, ſeu modici momenti, & tunc inueniens, ſi eam non reſtituat, non peccat mortaliter, Nauar. in man. confeſs. cap. 17. ſub nu. 170. verſ. diximus. ego intelligo hoc eſſe verum, quādo is, qui

qui eam inuenit, veriſimiliter poteſt credere, eam haberi pro derelicta, quòd ſi non credat, haberi pro derelicta, cenſeo adhuc, quòd inueniens non teneatur vti diligentia ad ſciendum dominum, cum illa diligentia poſſet pluris æſtimari, quàm res ipſa; ſed ſi, nulla adhibita diligentia, certò ſciret dominum; conſulerem ſemper pro reſtitutione.

Aut res inuenta eſt notabilis ęſtimationis; & tunc denuo diſtinguo. Vel inuentor rem illam accipit animo eam retinendi: & tunc eo ipſo committit furtum, Card. de Turrecrem, d.cap. ſi quid. ſub num. 1. & ideo licet non appareat dominus, cui ſit facienda reſtitutio, tamen peccat mortaliter. Vel rem inuentam accipit non animo retinendi, ſed reſtituendi domino, qui eam pro derelicta non habet: & tunc non committit furtum, Card. de Turrecr. in loco, ſupra proximè citato, & omnes communiter: Verum ſicut fides ſine opere eſt mortua, ita iſte animus, non facta alia diligentia pro reſtitutione facienda, non ſufficit; quare, ſi cognoſcit dominum rei inuentæ, debet illi quàm citò, cum commodè potuerit, reſtituere; alioqui, ſi eum non cognoſcat, debet diligenter inquirere, vt eum ſciat, & in his concordant communiter omnes: quòd ſi, facta diligenti inquiſitione, eum non inueniat; tunc ſunt opiniones; aliqui enim tenent, quòd teneatur pauperibus diſtribuere, Nauar. d. cap. 17. num. 171. & de communi inter Canoniſtas teſtatur Mich. Sal. d. art. 5. contr. 1. initio, fol. 398. in fine, & 399. alij verò tenent, inuentorem poſſe ſibi retinere, & vtramque opinionem eſſe probabilem, & hanc probabiliorem teſtatur, & ſequitur Mich. Sal. d. contr. 1. verſ. oppoſitum. & in fine, verſ. vtraque. ſed ſi ipſe inuentor ſit pauper, conueniunt omnes, quòd poſſit in toto, vel pro parte ſibi retinere, adhibito conſilio confeſſarij, Mich. Sal. d. contr. 1. initio, & Nauar. d. cap. 17. num. 171. addens, vt caueat inuentor, ne à cupiditate ſeductus, negligenter dominum inquirat, & ſibi ſeipſum pauperiorem, quàm ſit, perſuadeat.

Reliqua quædam, quæ pertinent ad huius ſextæ illationis materiam in foro contentioſo, habes ſupra quæſt. 1. ſub num. 556. exemplific. 6.

Et hęc ſatis circa primam declarationem, poſitam ſupra num. 62.

83 Declara ſecundo, extendendo eaſdem concluſionem, & declarationem, poſitas ſupra ſub num. 60. & 61. vt detinere rem alienam ſcienter ſine conſenſu domini, dicatur, etiam ſi dominus rei egerit in iudicio, & ſuccubuerit, quia illa ſuccumbentia non inducit conſenſum, nec tollit obligationem reſtituendi in foro conſcientiæ.

Infero primo, probando hanc declarationem, quòd ſi contra inſtrumentum mutui aliquando non poſſit excipi de iure poſitiuo, tamen non excuſor de iure, & in foro conſcientiæ, & pœnitentiæ quoad Deum, & hoc ea ratione, quia iſtud ius humanum eſt fundatum ſuper præſumptione, & incerto, Bal. in l. cum quis. num. 14. verſus finem, ibi, item poſuit exemplum. C. de iur. & fact. ign. quare ſi tu ſpe futuræ numerationis confeſſus es in ſcriptura, te habuiſſe mutuo à me centum, quæ re vera nunquam tibi dederim, &, elapſo biennio, tu à me conuentus, & à iudice condemnatus, quia non potuiſti probare exceptionem non numeratæ pecuniæ, ea mihi coactus per ſententiam ſòluiſti, ego in foro conſcientiæ teneor tibi ea reſtituere, licet in foro fori ſim rei iudicatæ exceptione tutus; & ratio eſt, quia illa 100. habeo à te ſine tuo conſenſu, ſiquidem ſub ſpe futuræ numerationis voluiſti ad eorum ſolutionem obligari; ſed, non ſecuta numeratione, noluiſti; vnde licet ſententia iudicis ſit ritè, & rectè lata ex diſpoſitione legis, præſumentis numerationem, & ſic conſenſum; tamen in foro conſcientiæ eſt iniuſta, & ideo in eo non obligat, per ea, quæ dixi infra num. 87. & cum tota hac illatione concordant in effectu, quæ ſcribit Abb. in cap. 8. quia plerique. num. 18. 19. & 20. de immun. eccl.

Et quia ego teneor reſtituere in foro conſcientiæ, vt dixi, ideo multò minus teneris tu in foro conſcientiæ ſoluere, quamuis lapſum ſit biennium, attenditur enim in foro conſcientiæ veritas, & non præſumptio, Innoc. in d. cap. 8. quia plerique. num. 2. in fine, de immun. eccleſ. quem ibidem ſequuntur Io. Andr. ſub num. 4. Ant. de Butr. ſub num. 9. caſ. 4. Anch. num. 8. q. 2. & Abb. num. 18.

84 Subinfero generaliter, quòd condemnatus iniuſtè per ſententiam iudicis (dico iniuſtè, inſpecto foro interiori, ſed, inſpecto exteriori, eſt iuſta) non tenetur in foro conſcientiæ ſatisfacere condemnationi, Innoc. in eod. cap. quia plerique. num. 3. verſ. idem eſt etiam. Io. Andr. ſub num. 4. & latius Ant. de Butr. num. 9. il 2. ibi, ex hoc patet. Anchar. ſub nu. 8. ibi, idem dicit in eo. & Abb. nu. 19. & ſeqq.

& seqq. vbi quatuor colligit conclusiones, & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. caus. 7. vers. de sententia. & seqq. vsque ad octauam caus. fol. 44. & 45. &, quòd conuentus rei vendicatione, & iniustè condemnatus cum præcepto de restituendo, possit retinere, nec rem restituere, & in foro conscientiæ non peccet, sequitur Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 686. de probat. tom. 3. fol. 312.

85 Explica obiter hanc subillationẽ, vt sententia possit multis modis esse iniusta in foro interiori, quamuis sit iusta in foro exteriori.

Primo erit iniusta, quando reus est absolutus, quia actori defecerit non ius, sed probatio: hic enim reus, etsi in foro exteriori sit absolutus, tamen in foro interiori est condemnatus, ideoq; in eo foro tenetur satisfacere, & restituere actori, ac si ab eo rapuisset, quia coram Deo habet infectam conscientiam, sicut raptor; nam DEVS plus ad affectum respicit, quàm ad actum, & ideo, vt dicit text. in cap. 6. si quid inuenisti. 14. q. 5. *qui alienum negat, si posset, tolleret: Deus enim cor interrogat, non manum*. adde quæ secutus sum supra q. 1. num. 530.

86 Secundo dicitur iniusta, quando quis ex falsis testibus, seu scripturis fuit condemnatus; quare is in foro conscientiæ non tenetur huic sententiæ parere, & aduersarius, qui ex hac sententia aliquid consequeretur, teneretur in foro conscientiæ illud restituere, quamuis in foro fori esset tutus, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 1. concl. 2. vers. porrò. in fine, fol. 135. & hæc sunt clara, & nemo ex Christianis posset habere conscientiam ita peruersam, vt sibi contrarium dictaret.

87 Tertio diceretur iniusta, quando lex præsumeret præsumptione iuris, & ex hac præsumptione ferretur sententia in casu, in quo veritas esset in contrarium, & ideo, vti fundata in falsa præsumptione, vim non habet in foro animæ, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 1. concl. 2. vers. porro. in fine, fol. 135. & patet ex his, quæ dixi sup. sub num. 83. illat. 1. & proinde quando debitor non soluit, licet fuerit à iudice absolutus, eo, quia lex, seu statutum mandet, vt, lapso certo tempore, præsumatur solutio, seu satisfactio, prout hanc præsumptam solutionem mandant statut. Vrbis lib. 1. cap. 158. & 159. tamen in foro conscientiæ debet à confessario condemnari ad soluendum.

88 Quarto diceretur iniusta, etiam si esset lata ex præsumptione iuris, & de iure, sed veritas esset in contrarium; nam etsi sit iusta in foro fori, ita vt contra illam præsumptionem non admittatur probatio in contrarium, nisi per confessionem partis, cuius fauore præsumptio inducitur; tamen in foro interiori est iniusta, quia eiusmodi lex, quæ præsumit præsumptione iuris, & de iure, non debet in foro conscientiæ seruari, supposita veritate contra præsumptionem, sic in effectu sentit Abb. in cap. 8. quia plerique. num. 39. vers. ego latius. de immun. eccles. Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. vers. hanc fallentiam. de constit. & rationem adduxi supra q. 1. nu. 529. vers. confirmatur primo. & proinde si ratio, quare hæres, non confecto inuentario, teneatur vltra vires hæreditarias, esset, quia præsumeretur contra eum dolus, & subtractio bonorum, seu præsumeretur hæreditas soluendo, nisi contrarium probaretur, per ea, quæ refert Brun. tract. de cess. bon. q. 6. 4. quæst. princip. num. 1. & sub num. 7. tom. 3. par. 2. fol. 184. vtique hæres, non confecto inuentario, iustè condemnaretur ad integrum, sed in foro pœnitentiali non teneretur vltra vires hæreditarias, Brun. d. q. 6. num. 10. in fine, & nu. 11. siue esset præsumptio iuris, siue præsumptio iuris, & de iure: verum an præfata ratio sit vera, vide text. in §. si vero non fecerit inuentarium. Auth. de hæred. & falc.

89 Quinto dicitur iniusta, quando sententia non est lata ex lege præsumente, sed ex lege disponente, expressa causa, quæ cesset in casu sententiæ, quia tunc eo casu sententia in foro interiori est indistinctè iniusta; at in foro exteriori non esset iniusta, nisi iudicialiter constaret, quòd cessat ratio, Abb. in loco, supra proximè citato.

Exemplifica hunc quintum modum in sententia lata, contra repetentem mutuum à filiofamilias; nam licet Senatusc. Macedon. ad obuiandum, ne filius procuret, seu anhelet ad mortem patris, deneget mutuatori actionem, seu filio mutuatario det exceptionem, l. 1. ff. ad Senatusc. maced. tamen filius familias, cui quis mutuauerit propter charitatem, vt puta, quia viderit eum in aliquo periculo, propter quod indigebat pecunia, seu mutuauerit ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusasset, tenetur in foro conscientiæ restituere, vt latè explicant Ant. de

de Butr. in d.cap. quia plerique, sub num.7. ibi, ex hoc patet, & num.8. & latius Abb.nu. 26.& 27.q.8.& Mant.de tac.& ambig.conuent.lib.8.tit.7. num.33.& seqq. tom.1. & dixi latius supra q.1. num.532.

Quinimo isto casu, & multis alijs casibus, non solum filiumfamilias teneri in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, probata qualitate mutui, quia in illis casibus Senatusconsultum macedonianum non habeat locum, scribunt Molin. de iust. to.2. de contract. disput.301. in casu octauo, & cas.1.& seqq. vers.in seqq. col.220.& 221. vbi enumerat alios nouem casus, & Mantic. d.tit.7. num.16. & seqq. vbi per viam restrictionum ponit alios viginti duos casus.

Quare extra hos casus procedit, quod in d.cap.quia plerique. scribunt simpliciter Innoc. sub num.3. vers.quidam tamen dicunt. Io.Andr. sub num. 4. ibi, quid in eo qui tutus est, & Petr.de Anch.num.11.q. 4. dum scribunt, quòd exceptio macedoniana non est inducta solum in odium mutuatoris, sed propter bonum publicum, vt euitentur mortes parentum, & quòd propterea nec in foro conscientiæ filiusfamilias tenetur restituere.

Contra hunc modum vrgent, quæ scripsi supra q.1. sub num.510.in 1. limit.

90 Sexto diceretur iniusta, quando causa, quamuis in lege non sit expressa, posset vnica tantum reddi, quia tunc haberetur pro expressa, & ideo concludendum est idem prorsus, quod in præcedenti, Abb. vbi sup. quem & alios citaui supra q.1.nu.515. vers. limitatio.

Secus quando causa non est expressa, & potest non vnica tantum reddi, sed multiplex, quia isto casu non posset dici, quòd causa cessaret, ideoq; sententia remaneret iusta in vtroque foro, per ea, quæ dixi d.num.515.& 514. in 3. limit.

91 Restringe eandem conclusionem, eiusq; illationes, positas sup.nu.60.& seqq. prout erunt applicabiles, vt quoties is, qui restituere debet, aliquid commutatiuè, & vtiliter dederit, non teneatur restituere, nisi sibi commutatum reddatur.

Infero, probando, & extendendo, quòd si quis sit iustè condemnatus ad restituendum, id, quod furto alicui subtraxit, & iste condemnatus in rei veritate debeat tantundem consequi ab eodem, cui ideo furatus sit, & quia aliter ab eo consequi non potest, cum sibi deficiat probatio, non tenetur restituere, nec aliter parere sententiæ in foro interiori, licet teneatur in foro fori, per ea, quæ in his terminis respondet Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb.restit.q.11.col.5. in fine, & 6. vers.quid tamen. fol.102.& 103. & pro maiori huius illationis intelligentia, adde, quæ scripsi supra num.2.

Et hæc satis de prima conclusione, posita supra num.69.

92 Secunda conclusio est, quòd nemo tenetur alteri dare, seu restituere rem propriam, quam iustè possidet, vt latè, & efficaciter patet ex seqq. extensionibus.

Declara hanc conclusionem, vt res propria dicatur illa, quam habuit cum legitimo consensu veri domini sine dolo, & sine fraude, quia per consensum transferuntur res, & earum dominia, l.9. qua ratione. §.hæ quoque. ff. de acquir.rer.dom. & §.per traditionem. Instit.de rer.diuis. imò, vt dicitur in d. §.hæ quoque. nihil tàm conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis, rem suam in alium transferri, ratam haberi; quod notat etiam Io. Andr. in cap. possessor. sub num.26.& sub num.28. versus finem, de reg.iur.in 6. quare generaliter consensu fiunt obligationes, l.2.consensu. ff. de act.& oblig. & ideo potest quis à rei suæ dominio cadere per voluntatem propriam, vt per viam donationis, aut alterius contractus, Medin.in suis tractat.tom.2.tit.de reb. restit.q.1.vers.potest tertio.col.antepenult. fol.10. & nullus peccat, alienum detinendo, si de consensu elicito ipsius domini detineat, Medin.d.tit.de reb.restit. q.2. vers.secundo nullus. col.2. & vers.tertio quia. col. 5. fol.13. vbi declarat.

93 Extende primo, probando eandem declarationem, vt procedat etiam si is, qui eam habuit, esset ex culpa, & delicto proprio incapax acquisitionis; vt puta, quia sit perpetuus hostis, & inimicus fidei, quia iste, si non esset mortuus in fide, posset tuta consciẽtia retinere; sed quia mortuo stultè daretur medicina; ideo frustra de hoc quærimus: si verò non est infidelis, sed est hostis Reip. tunc pro foro exteriori consule, quæ scripsi in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.9.num. 1068. & seqq. vsque ad num.1097. vbi egi an possit acquirere: in foro autem interiori crederem, quòd nõ teneatur restituere, quia ius humanum facit eum incapacem, vt non possit agere iudicialiter, & in foro contentioso cogatur relaxare, sed non præcipit, quòd

quòd ex se, & non coactus restituat, seu relaxet, siquidem illa retentio est iuris naturalis, quod in hac parte sibi ademptum non est; & possunt hæc duo simul stare, quòd ego sim incapax acquisitionis ciuilis, & capax acquisitionis naturalis; cui ius ciuile non vult, nec potest derogare; item aliud est, quòd ego non possim acquirere, & aliud, quòd ego tenear restituere; quare, imò à fortiori, etiam ille, cui iste incapax daret, bona conscientia posset retinere.

94 Restringe hanc extensionem, vt quamuis hostis Reip. possit tuta conscientia retinere, tamen qui ei, & fidei inimico promisisset dare, non solum in foro interiori, & exteriori non teneretur obseruare promissum, sed in vtroque foro esset obligatus non obseruare, quia turpem rem promiserit, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 29.

95 Extende secundo, vt multò magis procedat, si esset incapax sine culpa, & sine dolo, vt puta, quia sit seruus, qui licet de iure ciuili sit incapax ad agendum, & ad retinendum in foro contentioso; tamen in foro interiori, & sic non contentioso est capax ad acquirendum, & retinendum naturaliter, ideoq; qui ei aliquid promiserit, erit in hoc foro naturaliter obligatus, ita vt, si non obseruet, peccet, & de tali promisso non possit facere eleemosynam, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 1. in fine, Io. Andr. num. 3. in fine, Anch. sub num. 6. & declarant Ant. de Butr. sub num. 3. cas. 2. & Abb. nu. 9. & seqq. q. 2. de immun. eccles.

96 Infero ex hac extensione, quòd si tu promiseris dare pecuniam Fratri ordinis Capuccinorum, duo oriuntur dubia: Primum, an tu in foro conscientiæ tenearis illi, volenti accipere, dare: & licet prima facie videatur forsan alicui, quòd sic, ex quò peccaret Capuccinus, accipiendo contra regulam, & non tu, quia tu dares non in contemptũ regulæ, sed pro obseruatione promissionis, ad quam te obligat ius naturale, sicut etiam in vsura non peccat qui eam soluit, sed qui eam recipit, vt dixi supra q. 1. sub num. 407. vers. vna. tamen contrarium est verũ, quia vel tu ignorabas incapacitatem Capuccini, & promissio, vti erronea, non tenet, vel sciebas, & tunc promissio, vti illicita, contemnenda est, sicut & is, qui promisit restituere depositum, non debet illud restituere in casibus, in quibus restitutio perniciosè operatur, vt dixi supra nu. 28. & 29. Secundum dubium est, an Capuccinus, si accepisset, teneretur illi, qui dedit, restituere, & dico, quòd non, sed in alios pios vsus esset arbitrio superioris conuertendum.

97 Extende tertio, vt multò magis procedat, quando is, cui datur, non est incapax acquisitionis, vt in præced. extensione, sed est solum inhabilis ad contrahendũ cum suo damno, quia iste potest non solum retinere in foro conscientiæ, sed etiam in foro contentioso, idest, in foro exteriori: non enim deficit consensus transferentis dominium, cuius translationem lex humana non impedit, nisi respectu transferentis, quando careret pleno iudicio, non autem respectu eius, in quem transfertur; nam lex solet istis in aduersis subuenire, non in prosperè gestis obstare.

98 Extende quarto, vt procedat etiam si habuerit propter illicitum, seu inhonestum exercitium, vt puta, quia sit meretrix, quæ etsi, fornicando, faciat contra legem naturæ, Sot. de iust. & iur. lib. 5. q. 3. art. 3. in respons. ad primum Martini argumentum, col. 3. fol. 434. paulò post initium, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 4. de dominio, art. 1. concl. 1. vers. & confirmatur. fol. 125. & communiter omnes Theologi, & sic etiam contra ius diuinum, Clar. recept. sent. lib. 5. §. fornicatio. initio, & consequẽter est peccatum mortale, ita vt, qui assereret contrarium, esset hæreticus, Sot. & Mich. Sal. in locis, sup. citatis, & Clar. d. §. fornicatio, initio, & §. hæresis. paulò post initium; &, quòd fornicatio sit peccatum mortale, lege non solum humana, sed diuina, & naturali prohibitum, articulo de more suo disputato, firmat Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 19. tamen meretrix potest in conscientia, & in foro fori retinere, quod ex meretricio acquisiuit: similiter mathematicus, licet dolo, vel fraude, & suasionibus aliquem induxerit ad sibi credendum, tamen non tenetur restituere, nec in foro exteriori, neque in foro interiori, Innoc. in cap. 8. quia plerique. num. 2. vers. si autem. quem ibidem sequuntur Io. Andr. num. 4. Ant. de Butr. num. 5. versus finem, & num. 6. Anch. sub num. 12. q. 5. ibi, si autem ex negotiatione. & Abb. in 3. q. num. 12. & 13. & communiter omnes, de immun. eccles. dicens, quòd si meretrix, vel mathematicus dolo, fraude, & suasionibus aliquem induxerit ad sibi credendum, & hic suasionibus inductus, pecuniam dedit, non compe-

competit ei repetitio, cum vtrobique versetur turpitudo, in qua potior est causa possidentis, & subdit, & cum sit hæc iusta pœnitentia, in foro pœnitentiali est seruanda; quod expresius dicūt Ant.de Butr. & Abb. supracitati, dicendo, quòd neque in foro animæ isti tenentur restituere: esse tamen vtrique pœnitentiam in foro conscientiæ iniungendam, scribunt Io. Andr.& ijdem Ant.de Butr.& Abb. supracitati; & quòd ei, qui dedit meretrici propter actum venereum meretricalem, denegetur repetitio, & restitutio, latè firmant Medin.in suis tract. tom.2. tit.de reb.restit.q.20.col.4.vers. si vero turpitudo. & seqq. fol. 154. in fine, & seqq. & largius Sot.de iust.& iur.lib.4.q.7. art. 1. in respons. ad secundum argumentum, col. 7. ibi, quapropter mulier. fol. 369. & Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.q.62.art.5. controu.4. initio,& concl.1.per totam, fol.241.& 242. & Addit. ad Abb.in d.cap.8.quia plerique, sub num.13.in verbo, meretrici. & hanc esse tàm Iurisconsultorum, quàm Canonistarum, & Theologorum communem opinionem, testatur, sed non sequitur, Nauar. in man. confess.cap.17. sub num.34.vers.dico quarto. & testatur, & sequitur Io.Azor.de instit. moral. par.3.lib.4.tit.de restit. cap.21. q.1. vers.difficultas. & seqq. col. 290. & probatur ex textu in l.4. idem etsi. ff. de condict. ob turp. caus. in illis verbis: *sed quod meretrici datur, repeti non potest,&c. sed noua ratione, non ea, quia vtriusque turpitudo versatur; sed solius dantis: illa enim turpiter faceret, quòd sit meretrix, sed non turpiter acciperet, cum sit meretrix*. & in huius extensionis sententiam, loquendo de dato meretrici, profectò iuit Couar. in cap.4.peccatum. par.2. §.2. sub num. 1. & seqq. de reg. iur.In 6. tom.1. fol.616. consideratis rationibus, quibus latè disputat, & firmat, meretricem posse in foro exteriori agere ad mercedem fornicationis promissam, vel non promissam, & apertius Io. Azor. d.cap.21. q.2. vers.cæterum. dicens, quòd is, qui propter fornicationem commissam cum meretrice promisit ei mercedem, tenetur ei eam soluere in conscientia.

99 Contraria opinio, nempè, quòd tàm mathematicus, & meretrix, quàm alius quiuis, cui turpiter detur, debeat restituere tàm in foro interiori, quàm in foro exteriori, suadetur hoc vnico argumento; quia pro opere peccaminoso, idest, criminoso, seu quod habet turpem causam, non est licitum pretium accipere, nec acceptum retinere; quare quicquid est acquisitum per actum peccaminosum, debet restitui, vt argumentatur Medin.d.q.20.initio, & vers. vniuersalius. fol. 153.& 154.col.1. & vers. aliquando mihi, fol.156.& ita, nisi ex alia circunstantia possit hoc lucrum iustificari, firmat, vers.& per hæc. col.10. fol. 157. & huius argumenti, seu conclusionis veritas ex multis patet exemplis.

100 Primo, quia quod datur iudici, vt iustam ferat sententiam, & testi, vt verum perhibeat testimonium, debet secundum ius canonicum restitui, cap.15.non sanè. 14. q.5. Medin.d.q.20. vers.in oppositum. fol.154. col.2.& q.25. col. 10. vers. iam de eo. fol. 197.initio, Nauar.in man. confess. cap. 17. num.33. vers. tertio principaliter. & sub nu. 34. vers.septimo quod. in fine, Mich.Sal.ad D.Thom.2.2. q.62.art.5. controu.3. concl. 3.vers.tertio si iudex. fol.238. Io.Azor. de instit.moral.par.3.lib.4.tit.de restit. cap.21. q.4.vers.quæres an aliqua. in fine, col. 295. & hanc opinionem, vt danti detur repetitio, esse frequentiori iudicio, & interpretum suffragio receptam, scribit, eam declarando, Couar. in cap.4. peccatum. par. 2. §.3. sub num.1.& 2.de reg.iur.in 6. tom.1. fol.620. & 621. Sed an hæc opinio procedat etiam secūdum ius ciuile est valde dubium ex obscurissimo textu in l.2.ff.de condict.ob turp. caus. ibi: *sed & si dedi, vt secundum me in bona causa iudex pronunciaret, est quidem relatum, condictioni locum esse: sed hic quoque crimen contrahit: iudicem enim corrumpere videtur; & ita pridem Imperator noster constituit, litem eum perdere*.

Contra hoc exemplum, & pro eius intelligentia, & explicatione dictæ l.2. vide omnino infra num. 107. vers.ad primum.

101 Secundo, quia quod datur iudici, vt iniustam ferat sententiam, & testi, vt falsum dicat testimonium, debet restitui, Medin. in suis tract. tom.2. tit. de reb. restit. q.20.initio, & in resp. ad rationes, vers.ad primam. fol.159.col.1.in fine,& hanc esse opinionem communem inter Theologos, Iureconsultos, & Canonistas bis testatur, licet eam non sequatur, Io.Azor.d.cap.21.q.4.& vers. quæres an aliqua. col.295. nam cum iudicia, & testimonia,(quæ nec iusta, nec vera vendenda sint) iniqua, & falsa venduntur, multò sceleratius vtique pecunia sumitur, d.cap.

non

non sanè. 14. q. 5. si ergo restitui debet pretium sententiæ iustæ, & testimonij veri, quia illius acceptio fuit peccatum, multò magis restitui debet pretiũ sententię iniustę, & testimonij non veri, cum illius acceptio sit maius peccatum, vt argumentatur etiã Medin. ead. q. 20. col. 7. in fine, vers. secundo idẽ, fol. 156.

Contra hanc secundam, reiecta communi opinione, tenent Mich. Sal. ad D. Thom. d. art. 5. controu. 3. conclus. 5. versus finem, vers. quod si quæras. fol. 240. col. 2. initio, & Io. Azor. d. q. 4. vers. quæres an aliqua. & benè probatur ex l. 3. *vbi autem & dantis, & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur vt malè iudicetur*. ff. de condict. ob turp. caus. & l. seq. idem etsi. ff. eod. *item si dederit fur, ne proderetur, quoniam vtriusque turpitudo versatur, repetitio cessat*.

102 Ratio diuersitatis inter primum, & secundum casum potest esse varia, & ideo multiplex: Prima enim ratio est, quia cum sententia sit de sui natura, & ex iustitia, exq; proprio officio iustè, & gratis ferenda, non est vendibilis, neque pretio æstimabilis: at sententia iniusta, etsi nullo modo ferenda sit, si tamen feratur, est actio pretio æstimabilis, & vendibilis secundum se; ita Mich. Sal. supra proximè citatus. Secunda, quia iudex pro sententijs iustè ferendis habet stipẽdium publicum; & ideo si quid aliud accipit, tenetur restituere, quia pro obeundo officio suo duplex exigeret stipendium; at pro sententijs iniustè ferendis nõ habet stipendium publicum: ergo, licet, iniustam ferendo sententiam, grauissimè peccet, tamen non iniustè accipit pretium, sibi oblatum; ita Ioan. Azor. in loco supra proximè citato. Tertia ratio est, quia in primo casu versatur solum turpitudo ex parte recipientis, nempè, iudicis, & testis, quia accipiunt pretium eius, quod gratis dare debent, ideoque est inuendibile, non autem ex parte dantis; meritò qui turpiter, & peccaminosè recipit, debet puniri, vt restituat, & qui non turpiter dedit, cum dederit in causam bonam, non debet puniri in eo, vt ei denegetur repetitio: at in secundo casu versatur etiam turpitudo dantis, & sic turpitudo vtriusque, vt in d. l. 3. & in pari causa possessoris conditio melior habetur, l. 2. cum te. C. de condict. ob turp. caus. ita sentire communiter Doct. scribit Medin. d. q. 20. col. 4. vers. in oppositum. fol. 154. licet ipse aliam excogitet generalem in hac materia rationem, de qua nos infra num. 105. vers. confirmatur secundo. hæcq; tertia ratio est non solum cõmunis, sed aperta iuris distinctione probatur; nam quod datur ob turpem causam; aut datur, vt dantis sit turpitudo, non accipientis: aut vt accipientis duntaxat, non etiam dantis: aut vt vtriusque. l. 1. ff. de condict. ob turp. caus. Si in primo casu, vt dantis sit turpitudo, non accipientis, tunc non datur repetitio, & ideo quod quis turpiter dat meretrici, & meretrix non turpiter recipit, non tenetur restituere; meretrix namque turpiter agit in eo, quòd efficitur meretrix, sed postquam est meretrix, non turpiter agit, recipiendo mercedem, d. l. 4. cuius verba retuli sup. sub nu. 98. in extensione: imò, si turpiter danti non datur repetitio, etiam quando interuenit turpitudo recipientis, cum in pari causa melior sit conditio possidentis, vt dixi hîc supra, quantò minus ei dari debet, quando deest turpitudo recipientis? Si in secundo casu, quando accipientis tantum versatur turpitudo, tunc datur repetitio, vt in primo exemplo, quãdo iudex, seu testis pro iustè obeundo eorum officio accipiunt, & dicitur versari turpitudo ex parte accipientis, quãdo accipit aliquid, vt faciat id, quod sine illo dato tenetur facere, Nauar. in man. confessar. cap. 17. sub n. 34. vers. secũdo infertur. & ratio est euidens, quia à cõtraria ratione, si dãs turpiter, non repetit ab eo, qui turpiter non recipit: ergo à contrario, dans non turpiter, repetit ab eo, qui turpiter recepit: Si in tertio casu, quãdo vtriusque versatur turpitudo; tũc denegatur repetitio, quia, vt dixi, in pari causa melior est conditio possidentis, sicut denegaretur actio ob eandem regulam, quòd in pari turpitudinis causa melior sit condito possidentis; & ideo iudex, cui ob sententiam iniustè latam esset quid promissum, non posset agere, quia sunt in pari causa turpitudinis; Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 2. sub num. 6. vers. secunda in pari. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 618. & quòd acceptum iniustè de voluntate dantis, ita vt versetur ex vtraque parte turpitudo, non sit restituendum, saltem regulariter de præcepto, probat Nauar. d. cap. 17. sub num. 30. vers. secundo dico. & vers. seqq.

103 Tertio, quia si Aduocato datur, vt iniustum præbeat patrocinium, seu Iurisconsulto, vt iniustum subscribat consilium, potest qui dedit, ei dicere: redde quod accepisti,

quando in iudicio contra veritatem stetisti, iudicem fefellisti, & iniustam causam vicisti, & iustius sic ei dixerit, quàm, si, redde, diceret, illi, qui ex sui officij debito, iudice iubente, hominem vinxit, & in iudicium adduxit, &, ne fugeret, tenuit, D. August. in epist. 54. ad Macedonium: quare, si iustum est, vt minister iudicis restituat, quod accepit pro capiendo homine nefario, & carceri tradendo; qui actus non fuit malus, sed iustus; quantò iustius erit, vt aduocatus restituat, quæ accepit pro iniusto patrocinio? nisi, inquit D. Augustinus, restituendum forte sit alienum, quod per furtum clanculum aufertur, & non, alienum, quod in ipso foro, vbi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumuentis legibus, obtinetur? quare apertè dicit, pretium pro iniusto patrocinio, & pro iniqua sententia receptum, esse restituendum; nec à restitutione liberari in foro conscientiæ, quamuis leges actionem ad repetendum denegent, sic ex eo referunt Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 20. col. 7. in fine, vers. secundo idem. fol. 156. & breuius Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. controu. 3. concl. 5. vers. sed contra. & vers. respondeo. fol. 240.

104 Quarto, quia si quis dederit alicui, ne homicidium, aut aliam iniuriam committat, vel vt ab alio malo opere desistat, & ille destitit, potest adhuc repetere, l. 2. vt puta. ff. de condict. ob turp. caus. & hanc esse communem opinionem in foro conscientiæ, testatur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 6. col. 297. nam pro opere, ad quod quis de præcepto tenetur, non est licitum aliquid recipere, Medin. d. q. 20. col. 5. initio, vers. quarto idem. fol. 157.

Confirmatur primo idem argumentum, adductum supra num. 99. vers. contraria. quia si actus vti peccaminosus, seu criminosus est illicitus, & ideo prohibitus à lege; ergo vti peccaminosum, & criminosum erit etiam prohibitum lucrum ab illo procedens, Medin. d. q. 20. col. 3. vers. vniuersalius. fol. 154. quia sicut *si radix sancta & rami*, ad Rom. 11. num. 16. ita si radix mala, & rami erunt mali, nam, vt habetur Matth. 7. num. 18. & Luc. 6. num. 43. arbor mala non potest bonos fructus facere; quare & iniquitatis mercedem retineri non posse, argumento nobis est restitutio pretij, quam fecit Iudas, vt considerat Medin. d. q. 20. vers. aliquando mihi, in fine, col. 7. fol. 156.

105 Confirmatur secundo, quia opus peccaminosum non est venale, sicut neque venalis est res spiritualis; hæc, quia excedit omnem valorem, & nullum pretium potest ei correspondere; illud verò, quia nullius est valoris, sed omnino tanquam vile, & turpe fugiendum, Medin. ead. q. 20. col. 7. vers. aliquando mihi. fol. 156.

Confirmatur tertio, quia recipiens rem contra legis prohibitionem, non potest illam retinere cum bona conscientia, sed tenetur illam restituere, Gemin. in cap. vnico, §. qui verò. num. 3. in fine, de cler. non resid. in 6.

Confirmatur quarto, quia si quid ex actu, nulliter gesto, seu contractu nullo acquiratur, illud in conscientia retineri non potest, per ea, quæ scripsi supra num. 68. & seqq. ergo multò minus retineri potest, quod acquititur ex actu, qui est peior, quàm actus nullus.

106 His non obstantibus, extensio posita sup. num. 98. est vera, & tenetur communiter tàm in foro fori, quàm in foro conscientiæ.

Ratio autem huius extensionis secundum Nauar. infra citatum, non est ea, quam ex lege ipsa retuli supra sub d. num. 98. videlicet, quia meretrix turpiter faciat, eo, quòd sit meretrix; non tamen turpiter accipiat, cum sit meretrix; siquidem hęc ratio pugnat contra seipsam, cum velit, meretricari esse turpe, & non esse turpe lucrum meretricium; si enim turpe est, aliquem lucrum accipere, vt homicidium committat, quia turpe est committere homicidium, non video, quomodo lucrum meretricium non sit turpe, & sit turpe meretricari, Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 34. vers. dico quarto.

Sed ratio est, quia acceptum de voluntate dantis, ita vt ab vtraque parte admittatur turpitudo, nulli est de præcepto restituendum, Nauar. d. cap. 17. sub num. 36. vers. secundum quod.

Verum licet motiuum, quo Nauar. rationem, ab ipsa lege expressam, impugnat, sit satis considerabile, ratio tamen, quam ipse postea adducit, non satisfacit, siquidem etiam in assassinio adest hinc inde turpitudo, & tamen datum vt committatur assassinium, tuta conscientia non retinetur, per ea, quæ dixi infra sub num. 108. in fine.

Erit igitur meo iudicio probabilior ratio, quam adduxi infra sub d. num. 108. ibi, tertius actus est.

Ad argumentum contrarium respondeo, negan-

negando illud, quia actus meretricius est peccaminosus, & tamen lucrum potest in vtroque foro retinere, vt ostendi supra num. 98.

107 Ad primum exemplum de pretio pro iusta sententia, & pro vero testimonio respondeo dupliciter: Primo dico, contrariam opinionem (nempè, quòd hodie secundum ius ciuile, iudex nō teneatur restituere) esse veriorem, quia, vt habetur in l. 2. ff. de condict. ob turp. caus. cuius verba retuli supra nu. 100. in primo exemplo, etiā qui dat pro iustitia, crimen committit, cum videatur corrumpere iudicem; alias enim, si in foro soli daretur iste casus, vt liceret dare pro obtinenda iusta sententia, & ad redimendas indebitas vexationes, vtique, palliato isto casu, multæ fierēt corruptiones, cum quisque in propria causa iniquus sit iudex, cuique enim videretur habere ius certum, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 12. initio, fol. 372. initio, & sic, data vtriusque turpitudine, iudex secundum opinionem eorum, quos citaui supra sub num. 101. & 102. contra secundum exemplum, non tenetur restituere. Secundo respondeo, quòd etsi admitteremus opinionem, quòd iudex teneretur restituere, tamen dico, diuersam esse rationem inter datum meretrici, & datum iudici, ita vt meretrix non teneatur restituere, & teneatur restituere iudex: ratio enim, quare merettix non teneatur restituere, omissa ea, quam adducit l. 4. ff. de condict. ob turp. caus. cuius verba retuli supra sub num. 98. in extensione, est, quia in dato meretrici concurrit libera voluntas, & spontaneus consensus dantis, qui colligitur ex iustitia commutatiua, sicut innuit Medin. d. q. 20. col. 9. vers. dixi notanter. fol. 157. at in dato iudici pro iustitia non concurrit libera volutas, sed potius furtum, & rapina, vt ex D. August. refert Mich. Sal. ad D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5. controu. 3. concl. 3. vers. tertio si iudex. fol. 238. nam si actus iustitiæ debetur litigatori, tanquam quid proprium, & ideo sine pretio, vt dixi supra num. 102. & ipse soluit pretium eius, quod est suum, seu sibi sine pretio debetur; alterum necessariò sequitur, vel quòd ignoranter soluerit, & sic per errorem, vel compulsus ad redimendas indebitas vexationes; nemo enim vult iactare suum; non sic est in meretrice, quia copia & locatio eius corporis non est scortatoris, & non debetur sine pretio.

108 Ad secundum exemplum, de pretio dato pro iniusta sententia, seu pro falso testimonio, priusquam respondeam præmitto, articulum esse admodum difficilem, & Theologos, & Iureconsultos, qui de eo scripserunt, difficultati non satisfecisse; nam admittunt, vt dixi supra sub num. 98. in extens. meretricem posse tuta conscientia retinere aquisitum ex meretricio, & postea se ita torquent, disputando, an acquisita ex actu, qui ex suo genere sit malus, possint tuta conscientia retineri, vt ad quasdam ambiguas, & verbales confugiant distinctiones, prout confugiunt Couar. in cap. 4. peccatum. par. 2. §. 2. sub num. 6. & 7. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 618. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 21. q. 4. & seqq. col. 294. hoc præmisso, respondeo dupliciter. Primo dico, attento præsertim iure ciuili, veriorem esse opinionem cōtra communem, nempe, quòd non teneatur restituere; sic clarè disponente lege ciuili, cuius verba in eadem opinione contraria retuli supra sub num. 101. hæcque responsio procedit, etiam si datio sit iniusta ex parte vtriusque, dantis scilicet, & recipientis, habeatq; annexam iniuriam contra iustitiam, vt in ipso secundo exemplo, in quo iudex in iniuriā alterius profert sententiam contra iustitiam; & tamen non tenetur restituere, quicquid, distinguendo, aliter dixerit Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. col. 10. in fine, & col. 11. initio, fol. 371. col. 1. in fine, & col. 2. initio. Secundo, admissa communi opinione, à qua, saltem in foro conscientiæ, recedendum nō est propter auctoritatem S. Augustini, citatam sup. n. 103. respondeo, distinguēdo quadruplicem actum peccaminosum, seu criminosum: Primus est, qui ex suo genere, seu intrinseca natura non est malus, sed solū, quia est à lege humana prohibitus ad euitandas mali occasiones, quæ ex illo solent procedere; cuiusmodi est ludus: & in eiusmodi actu dico, acquisitum ex eo non esse restituendum, nisi prout declaraui sup. q. 1. num. 116. Secundus actus est, qui ex suo genere est malus, qualis est fornicatio; sed tamen lex humana eam tolerat ad euitandum peiorem actum, vt dixi supra ampl. 10. num. 46. & in isto actu dico, quòd acquisitum ex eo potest retineri tàm in foro fori, quàm in foro poli. Tertius actus est, qui ex suo genere est malus, & à lege humana propterea prohibitus, & nunquam toleratur, sed punitur; qualis est corruptela iustitiæ, homicidiū, assassinium, vulnera, & similia: & in isto

actu, in quo extat opinionum conflictus, de quo Couar.in cap.peccatum. par.2.§.2. sub num.6.& 7.de reg.iur.in 6. & Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.4.tit.de restit.cap.21. q.4. col.294. ego, sequendo opinionem communem, dicerem, locum omnino esse restitutioni; & ratio differentiæ, quare in hoc tertio actu sit facienda restitutio, seu sit prohibita acquisitio, & non in secundo actu præcedenti, est, quia acquisitio ex sui natura, & suppositis legitimis consensibus, dantis scilicet, & recipientis, non prohibetur; etiam si procedat ex actu peccaminoso; sed solum prohibetur à iurisprudentia, veluti acquisitio sit causa ipsius actus peccaminosi, quia, cessante actus peccaminosi mercede, & lucro, quo improbi ad illud committendum ducuntur, vtique cessabunt etiam mercenarij, & mandatarij illius actus peccaminosi; quare, cum iste actus peccaminosus non fiat, nisi ob lucri, & pretij auiditatem, debet legislator, volens omnino impedire, & nullatenus tolerare illum actum, temouere etiam omnino causam, quia, remota causa, temouetur effectus: non sic est in actu peccaminoso, quem iurisprudentia tolerat, quia in eo remanet in primis permissio acquisitionis ex sui natura, vt dixi, & permissionem iurisprudentia non perimit, quia, cum permittat actum, non censetur prohibere ea, quibus ad illũ actum deuenitur, imò censetur ea permittere, l.56. ad rem mobilem. ff. de procur. latè Caroc. in cap. cum quid prohibetur. par.2. per totam, de regul.iur. in 6. inter Repet. tom.5. fol.462. & aduerte, quòd in hac distinctione suppono, quòd lex positiua potest ex iusta causa impedire acquisitionem dominij; & quia lex est contractus cum subditis, vt dixi infra num.138. ideo ex consensu subditorum impeditur. Quartus actus (quem addo) est, qui ex se est iustus, & licitus, ideoq; à lege est approbatus; sed tamen fit peccaminosus in eo, qui illum facit contra conscientiam, existimans esse actum illicitum, & peccaminosum: & in isto actu dico, acquisitum ex illo actu, non esse restituendum, per ea, quæ scripsi supra num.59. in fine, vers. declara.

Ad tertium respondeo, vt ad præcedens.

109 Ad quartum respondeo dupliciter. Primo dico, illam communem opinionem admitti cũ hac distinctione: aut enim pretium datur alicui, ne is peccet contra iustitiam in damnũ ipsius dantis, vt puta, ne occidat, ne vulneret, aut ne spoliet ipsum, qui dat; prout dari solet publicis latronibus, & viarum grassatoribus: & tunc nulli dubium, quòd tenetur iure vtriusque fori restituere; quia committit furtũ, & rapinam: aut datur pretium, ne peccet contra iustitiam in damnum alterius, vt puta, Titius dat Caio, ne occidat Seium, & tunc probabilis est opinio, vt Caius non teneatur restituere, Sot. de iustit. & iur.lib.4.q.7.art.1.col.10. versus finem, ibi, aut inquam vitium. fol.371. col.1. quem sequitur Io.Azor.de instit.mor.par.3. lib.4. tit.de restit.cap.21.q.6. in 2.opin. col.297. aut datur, ne peccet, non contra iustitiam, sed neque contra alias virtutes; & tunc vide opin. de quibus Azor. d. q.6. vers secundo dicendum. Secundo, admissa communi opinione pro vera indistinctè, quòd datum debeat restitui, respondeo, rationem esse, quia dans isto casu, non dat libera voluntate, siquidem dat metu euitandi malum; siue illud malum respiciat personam propriam dátis, siue alterius personæ, ipsi danti sanguine coniunctæ, siue alterius non coniuncti, quia, etsi, quando respicit personas, sibi sanguine non coniunctas, non videatur metus, cadens in constantem virum; tamen est metus iustus, pius, & adeo viro christiano dignus, vt haberi debeat pro metu, cadente etiam in constantissimum virum.

Ad primam confirmationem patet solutio ex his, quæ dixi supra in responsione ad secundum exemplum.

110 Ad secundam confirmationem, sumptam ex dicto Medinæ, respondet Sot. tractat. de iust.& iur.lib.4. q.7. art.1. col.6. vers.ad secundum. fol.369. vbi, non multum honorificè citando, vocans eum quendam nuperrimum auctorem Complutensem, scribit, spiritualia esse inuendibilia, non ea ratione, quam adducit Medin. nempe, quia excedant omnem valorem bonorum temporalium; siquidem, inquit Sot. quoad humanos vsus attinet, homines illa emerent quanto possent pretio, sed esse inuendibilia, quia gratis sunt diuinitus collata; & similiter negat, actum peccaminosum esse inuendibilem, hancq; negationem probat in actu meretricio, qui, vt inquit, adeo est pretio æstimabilis, vt Resp. miseris fœminis quandoque certum taxet pretium; similiter contra Medin. in hoc latè firmat Couar.in cap.4. peccatum. par.2.§.2. sub num.1. & particulariter

ter num. 31 in fine, verſ. item. & num. 4. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 618. & probari poteſt etiam ex pretio, dato iudici, vt iniuſtam ferat ſententiam.

Ad tertiam reſpondeo, quòd poteſt procedere, quando non adeſt hinc inde turpitudo, ſed ſolum ex parte recipientis.

Secundo reſpondeo, negando hoc argumentum, & veritas huius negationis patet ex his, quæ ſcripſi ſupra q. 1. ſub num. 541.

Ad quartam confirmationem dico in primis, magnam eſſe controuerſiam, an tranſlatum per contractum nullum, poſſit tutà conſcientia retineri, de qua controuerſia ſcripſi ſupra nu. 68. & ſeqq. & infra nu. 120. & ſeqq. & dato, quòd non poſſit, id erit verum, quia deficit conſenſus dantis, non autem quia actus ſit nullus: at in actu peccaminoſo, quamuis peior ſit, ſupponimus adeſſe mutuum conſenſum, qui præcipuum obtinet locum ad transferenda bona.

111 Retenta igitur extenſione, poſita ſupra num. 98.

Infero confirmando eandem, quòd vincens in ludo prohibito, non tenetur reſtituere antequam ſit condemnatus per iudicis ſententiam, teſtibus his, quos ſecutus ſum ſupra q. 1. num. 116. verſ. intellige ſecundo.

Reſtringe tamen eandem extenſionem loquentem de lucro meretricio, ſeu mathematico, acquiſito doloſè, & per fraudem, vt procedat, ſi dolus, vel fraus non exceſſerit terminos ordinarios; nam certum eſt, quòd meretrices, & mathematici vtuntur ſuaſionibus, & illecebris, & iſtæ tolerantur, quaſi naturalia huius exercitij, vt de quodam dolo in ludo ſcripſi ſupra ampl. 10. num. 12. ſecus ſi dolus, & fraus exceſſiſſent modum; quia tunc meretrix, & mathematicus tenentur reſtituere, & ita intelligas Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſt. q. 20. col. 13. verſ. ſequitur amplius. fol. 159. & Io. Azot. de inſtit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de teſtit. cap. 21. q. 3. col. 292. dum ſcribunt, extorta doloſè, & per fraudem eſſe reſtituenda.

112 Extende quinto, vt procedat etiam ſi in conſenſu inſit error iuris, & error excludat conſenſum, quia nihilominus remanet conſenſus facti, qui ſufficit, ſi in eo non ſit error; quare ſi legatarius ab hærede, non errante in facto, receperit integrum legatum ſine detractione falcidiæ, poteſt illud retinere, & falcidiam hæredi non reſtituere, Innoc. in cap. 8. quia plerique. ſub num. 1. Io. Andr. ſub num. 4. Ant. de Butr. num. 10. Anch. nu. 6. verſus finem, & Abb. num. 15. & ſeqq. de de immun. eccleſ. & dixi in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 2. cap. 7. num. 638.

113 Secus ſi hæres erraſſet in facto, quia iſte error omnino conſenſum excluderet, ideoq; legatarius ex iure vtriuſque fori teneretur reſtituere falcidiam, Ioan. Andr. Ant. de Butr. Anch. & Abb. ſupra citati: & dicitur error in facto, quando hæres ſoluit integrum legatum, credens, in hæreditate remanere adhuc falcidiam, Medin. in ſuis tract. tom. 2. tit. de reb. reſtit. q. 23. col. antep. verſ. inde patet. fol. 184. error verò iuris dicitur, quando ſciebat, in hæreditate falcidiam non remanere, ſed ignorabat, ſe poſſe illam ſibi retinere.

Ratio eſt, quia error iuris iſto caſu eſt iniuſtus, & ideo non conſideratur, & cum non conſideretur, non excludit conſenſum.

Declara hanc extenſionē in prima parte, vt procedat in foro fori; ſed in foro cōſciētiæ diſtingue aliter: aut enim teſtator, qui legauit, erat iuriſperitus, ſeu alias ſciebat, ex legato detrahi falcidiā; & tunc legatarius, cui hęres ſoluit integrū legatum, tenetur hæredi in foro conſcientiæ falcidiam reſtituere, licet in foro fori, ſi hęres ſoluerit per ignorantiam iuris, non teneatur: aut teſtator erat ruſticus, ſeu aliter ignarus huius falcidiæ; & tunc, ſi hæres integrum ſoluit legatum, legatarius falcidiam reſtituere non tenetur: ratio in primo caſu eſt, quia voluntas teſtatoris præſumitur talis, qualis eſt diſpoſitio iuris, quam ſciebat, & non prohibuit falcidię detractionem, quam prohibere potuiſſet: in ſecundo verò caſu, voluntas teſtatoris non præſumitur talis; qualis eſt diſpoſitio iuris, quia non potuit velle id, quod ignorauit, Medin. in loco ſupra proximè citato.

114 Extende ſexto, vt procedat etiam ſi conſenſus non ſit ſolemniter expreſſus in actu, ex quo acquiſitio rei debet procedere, ideoque ille actus ſit nullus; quia iſto caſu, licet obligatus ex tali actu non teneatur in foro exteriori tradere, &, ſi dederit, teneatur qui habuit, reſtituere, tamen in foro interiori, nullitate hac non attenta, obligatus tenetur tradere, & qui habuit, non tenetur reſtituere.

Confirmatur hæc extenſio, quia qui habuit rem, interueniente conſenſu illorum, qui habent conſentire, eſt tutus in foro conſcientiæ, quamuis illam habuerit ſine debita ſolemnitate, Abb. in cap. 1. in fine, num. 19.

de in integr. restit. & Felyn. in cap. 1. fallen. 6. num. 39. de constit. hancq; confirmationem, ostendendo generaliter, & in multis casibus, quòd forum conscientiæ ligat, & validat actum, in quo est prætermissa forma, tradita à iure, dummodo non interueniat dolus, sequitur Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 682. de probat. inter Repet. tom. 3 fol. 311.

Infero, probando hanc extensionē, quòd quamuis hæres in foro exteriori non teneatur soluere legata, relicta in testamento minus solemni, tamen, quando ipse hæres certò sciat, hanc fuisse testatoris voluntatem, & consensum, vt prædicta legata soluerentur, tenebitur in foro conscientiæ, & sic suppono, quòd hæres isto casu succedere velit ab intestato, Abb. in cap. 8. quia plerique, sub num. 43. vers. hæc quæstio. de immun. eccles. & hanc esse magis communem opin. testantur, sed non sequuntur Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 5. art. 3. vers. quæstio præsens. col. 3. fol. 326. initio, & Couar. in cap. cum esses. sub num. 4. & 5. vers. sed est quæstio. in fine, de testam. fol. 54. tom. 1. Et, quòd pro legato, relicto in minus solemni voluntate, oriatur obligatio naturalis, scribūt Abb. vbi sup. & Alex. in l. 58. nemo potest. sub nu. 23. vers. item in quantum. ff. de leg. 1. † Quinimò, quòd legatarij, quibus relicta sunt legata in testamento minus solemni, possint in Curia Episcopali petere, & consequi dicta legata per denunciationem Euangelicam, dicit esse verum Ias. in l. cum quis, num. 14. vers. & etiam adde. C. de iur. & fact. ignor. & huius opinionis rationes habes infra num. 118. & sub num. 119. Et consequenter, cum hæres teneatur soluere, vt dixi, legatarius, si habuit, potest retinere, Alex. vbi sup. Item sequitur, quòd sicut hæres tenetur in foro conscientiæ soluere legata, ita etiam hæres ab intestato tenetur dimittere, seu restituere hæreditatem hæredi scripto in testamento minus solemni, vt, argumentando, infert, sed non tenet Couar. d. num. 4. & quòd hæres ex testamento, carente solemnitatibus iuris, & habens purum consensum testatoris, licitè teneat in conscientia, cessante fraude, sequitur Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub nu. 40. de constit. & Franc. Niconit. in cap. quoniam contra. par. 1. num. 688. de probat. tom. 3. fol. 312. & disputata ad vtramque partem quæstione, vtrum testamentum, quod non habet iuris solemnitates, debeat in foro conscientiæ obseruari, affirmatiuam, concordando cum hac illatione, testatur esse magis communem, veriorem, & tutiorem, sequendo eam, Mantic. tract. de coniect. vltim. volunt. lib. 2. tit. 14. sub nu. 29. vers. ad contrarias. iuncto num. 9. & seqq. vbi citat eos, qui hanc sequuntur opinionem, adducit quatuor argumenta, & soluit contraria, licet ipse in fine illius tit. num. 30. hanc opinionem, & cætera, quæ in illa quæst. dixit, subijciat sapientissimorum Theologorum iudicio, à quo profitetur, neque in hoc, neque in quouis alio articulo dissentire; & ab hac affirmatiua in effectu non discessit Medin. quem retuli, & secutus sum infra sub num. 119. vers. subinfero, dum tenet, legatarium isto casu posse sine vitio vsuræ mutuare hæredi, adiecto hoc pacto, quòd hæres ei soluat legatum.

115

116 Contrariam opinionem negatiuam, nempè, quòd ex testamento minus solemni (exceptis legatis pijs) non oriatur obligatio naturalis, quæ pariat ius excipiendi, & quandoque officium iudicis; imò volūtatem non solemnem haberi pro nulla, & quod est nullum, non parere naturalem obligationem, sequitur Bal. in l. 1. in 2. lect. num. 55. vers. vnde ego dico. C. de sacrosanct. eccl. & ita in effectu sub varijs declarationibus, & multiplici distinctione tenet etiam in l. post diuisionem. in fine, num. 5. & in l. cum quis. nu. 6. vers. decimo & vltimo. C. de iur. & fact. ign. & hanc opin. quòd hæres, nec in foro conscientiæ teneatur soluere legata, relicta in testamento minus solemni, quamuis sciat, voluntatem defuncti fuisse, vt soluerentur, minusvè eum, qui successit ab intestato, teneri restituere hæreditatem illi, qui in minus solemni testamento fuit scriptus hæres, tenet Sot. dicta q. 5. art. 3. col. 3. in fine, & col. 4. ibi, vbi frater meus liberis. fol. 326. & ita post longam concertationem concludit in effectu Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 4. tit. an per contractum, &c. conclus. vlt. fol. 149. & esse veriorem opinionem scribit Couar. d. cap. cum esses. num. 5. in fine, vers. ego verò. & seqq. de testam. & rursus hanc eandem contrariam opinionem sequitur in cap. peccatum. par. 2. §. 3. num. 8. in fine, vers. nono hinc. & num. 9. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 623. hancq; Couarruuiæ opinionem, si casus contingeret, facilè posse sustineri, scribit Clar. recept. sent. lib. 3. §. testamentum. vers. secundo infertur. & apertè

eam

eam sequitur quoad hæreditatem, relictam in testamento minus solemni, dicens, eam neque naturaliter deberi hæredi scripto, idem Clar. d. q. 90. vers. cęterum. quod apertius scribit postea, vers. sed quid si. dicens, quòd heres, scriptus in testamento minus solemni, & possidens hereditatē, nulla etiā sibi molestia ab hærede, cui debetur ab intestato, illata, adhuc non est tutus in conscientia, quia sibi neque ciuiliter, neque naturaliter debetur, sed hæc inconstanter, & formidolosè scribit; & qui hanc secuti sint opinionem, refert etiam Mantic. d. tit. 14. sub nu. 8. vers. octauo & vltimo. pro qua etiam colligit septem argumenta, nu. 1. & seqq. & cum hac contraria opinione, quòd testamentum, siue contractus sit nullus, non solum in foro exteriori, sed etiam in foro interiori, transit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 6. tit. de contract. cap. 9. q. 1. vers. tota igitur. iuncto vers. præcedenti, sunt autem col. 514. & 513.

Confirmatur hæc contraria opinio, quia, & is, qui rem habet ex contractu, qui ipso iure sit nullus, tenetur eam restituere, vt dixi supra num. 68. illat. 2. ergo etiam legatarius, qui ex testamento nullo legatum consecutus esset, teneretur illud restituere etiam in foro conscientiæ: ergo multò minus hæres tenetur illud soluere.

117 Retenta illatione, quæ est communis, & vera.

Declara primo eam, vt hæres tunc dicatur certò scire, voluntatem testatoris fuisse, quòd legata soluerentur, quando vltra testamentum fidei hæredis oretenus postea commisisset, vt solueret legata, vt videtur considerasse Abb. in d. cap. quia plerique. nu. 43. & multò magis, quando ei commisisset, vt, non obstante nullitate, qua testamentum laboraret, ea solueret: sed si hæres simpliciter audiuisset ab ipso testatore ante conditum testamentum, quòd volebat facere dicta legata; ego isto casu dubitarem, quia, faciendo postea minus solemne testamentum, potuisset vel mutare voluntatem, vel illam simulasse; siquidem quandoque testatores ex diuersis causis coguntur simulare, & aliud ore exprimere, quàm habeant in corde; & proinde posset testator, vt succederet proximior ab intestato, quem corde diligit, condere testamentum minus solemne, & in eo instituere extraneum, qui hæreditatem certo speraret, vt sic illius odium non excitet, vel vt eius beneuolentiam conseruet: quare hæres, si ex iustis, seu probabilibus causis possit dubitare de certa defuncti voluntate, vtique in conscientia non tenetur satisfacere testamento minus solemni.

118 Declara secundo, concordando opiniones cum distinctione: Aut enim supponimus, hæredem esse certum de voluntate defuncti, aliunde, quàm ex testamento imperfecto, carente numero septem testium: & isto casu procedit, & vera est illatio, quia in foro conscientiæ attenditur veritas, & non suspitio, & præsumptio, & in his terminis loquitur illatio, quæ efficaciter confirmatur ex his, quæ scripsi supra num. 84. & seqq. vers. subinfero generaliter. & num. 88. Aut supponimus, hæredem non esse certum de voluntate defuncti aliunde, quàm ex testamento imperfecto: & isto casu procedit, & vera est opinio contraria, & sic reijcienda est opinio Manticæ, & aliorum, qui non supponunt certam scientiam in hærede aliunde, quàm ex testamento imperfecto; & ratio quare sit vera hæc contraria opinio contra Mantic. & alios, est, quia, licet in testamento supponamus numerum trium testium, & hic numerus de iure naturali, & diuino sufficiat regulariter ad probandam veritatem, quia de iure diuino in ore duorum, vel trium stat omne verbum; & licet in foro conscientiæ attendi debeat ius diuinum, seu naturale; tamen, his omnibus admissis, nego, in testamento sufficere de iure naturali, seu diuino, hunc numerum, quia hoc modo daremus contrarietatem inter ius diuinum, & ius positiuum, quod est falsum, vt ostendi supra num. 42. & seqq. confirm. 2. & sic ruit fundamentum ipsorum, qui dicunt, testatoris voluntatem de iure diuino, seu naturali probari dicto duorum testium, quasi hæc iura discordent, & contrarientur: vnde, sublata veritate testamenti, cessat omnis difficultas, quia nisi hæredi aliter in sua conscientia constet de voluntate defuncti, ex testamento non constat.

119 Ad adducta pro contraria opinione, respondeo, quòd non oritur obligatio naturalis quoad forum exterius.

Ad confirmationē respondeo distinguendo: aut nullitas est fundata in defectu consensus, vt est nullitas obligationis pupilli, de qua locutus sum supra num. 68. & tunc confirmatio procedit: aut nullitas est fundata in defectu alterius solemnitatis, introductæ ad euitandas fraudes, vt in casu nostro,

stro, & tunc confirmatio in foro conscientiæ non procedit, quia veritas prævalet præsumptioni.

Subinfero ex eadem illatione, quòd legatarius ex testamento minus solemni potest mutuare hæredi sine vitio vsuræ, hoc pacto adiecto, quòd hæres mutuatarius teneatur restituere mutuatum, & soluere eidem legatum, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 1. vers. sequitur ex dictis. & vers. seqq. col. 5. fol. 297. & q. 4. vers. ad rationes. col. 4. in fine, fol. 338.

120 Extende septimo, vt procedat etiam si consensus, quo rei dominium in te transfertur, sit rescissibilis, ita vt is, qui rem in te transtulit, possit eandem à te auocare, petita restitutione in integrum iure speciali, vel generali; quia nihilominus tu eam rem restituere non teneris, nec in foro fori, nec in foro animæ, donec non sit petita restitutio, & secuta sententia, quæ te ad restitutionem condemnet, Innoc. in cap. 8. quia plerique. sub num. 3. vers. sed quid dices in eo. Io. Andr. sub num. 4. vers. quid si quis ratus. ibi, sed quid dices in eo. Anch. num. 11. in fine, & 12. q. 5. & Abb. num. 28. q. 9. de Immun. eccl. & licet Innoc. & Io. And. non videantur expressè locuti in foro animæ, tamen in eo loquuntur, quia in toto illo cap. scribunt de restitutione in foro conscientiæ, vt notaui etiam supra q. 1. sub num. 111. & admonet ibi Abb. num. 7. qui propterea d. num. 28. expressè loquitur in isto foro.

Ratio secundum Anch. hic citatum, est, quia tu habes iustum titulum, & dominium antequàm à te auocetur.

121 Confirmatur hæc extensio, quia electus, si electio non sit nulla, sed veniat annullanda, potest retinere beneficium, sic quæsitum, &, retinendo, non peccat, nisi prohibeatur à iudice secundum aliqua, quæ adducit Innoc. in cap. 28. quod sicut. sub num. 8. vers. & argumentum est. de elect. &c. quem refert, & sequitur Abb. in d. cap. quia plerique. sub num. 31. vers. quoad secundam. ibi, & nota. & quòd quamuis in electione non fuerit seruata forma, data à canonibus, dummodo interuenerit purus consensus intelligentium, electio reneat in foro conscientiæ, sequitur Felyn. in cap. 1. fall. 6. num. 39. de constit.

122 Restringe primo hanc extensionẽ, vt non procedat, quando tu, qui ex contractu rem habuisti, vsus es malitia in illo contractu, & sic malitiosè consensum extorsisti; quia, si læsio processerit ex tua malitia, teneris restituere in foro conscientiæ, etiam restitutione non petita, Innoc. & alij in locis supra citatis: Imò poteris condemnari etiam in foro exteriori, per ea, quæ de læsione cum dolo scripsi supra ampl. 10. num. 7. & seqq.

Ratio est euidens, quia malitia, & dolus fraternizant, sed cõtractus, cui dolus causam dedit, est ipso iure nullus, vt dixi d. ampliat. 10. num. 8. cum ex dolo excludatur consensus, & sic semper insisto in fundamento consensus, & non consensus.

123 Restringe secundo, vt nõ procedat, quando alter contrahentium rem alterius cum læsione habuerit, quia tunc quamuis habuerit ex spontaneo, & simultaneo contractu, & dominus agere non possit ad restitutionem, eo quia modica sit læsio; tamen in foro interiori tenetur emendare illam læsionem, vt declaraui supra num. 78. subillat. 1. & ratio est, quia cessat consensus in ea parte, in qua adest læsio, licet consensus adsit in toto contractu; & ideo, ne teneatur restituere in foro animæ, debet habere consensum contrahentis, qui fuit læsus.

Explica vberius hanc restrictionem ex his, quæ copiosè scripsi supra ampl. 10. num. 41. & seqq. ne easdem hic repetamus.

124 Restringe tertio, seu potius declara materiam eiusdem extensionis, adhibendo tres conclusiones: Prima quarum est; qui ex suo exercitio licito aliquid vltra debitum sine dolo malo extorsit, exegit, vel recepit ab aliquo, seu lucratus est; nullam tamen habens iurisdictionem puniendi; vt puta, quia sit aduocatus, cursor, medicus, & similis, non tenetur illud restituere, nisi illud vltra esset immoderatum, ad quod restituendum iudex ex officio suo deberet cogere; prudenter tamen faciet, etiam in casu, quo arctari non potest ad restitutionem, si in eleemosynam illud largiatur: sed medicus, & aduocatus magis cogendi sunt, quia si infirmus, durante infirmitate, ei quid vendat, quasi compulsus contra bonam fidem vendiderit, ad restituendum medicus coerceri debet, l. 3. medicus. ff. de var. & extraord. cognit. Glos. in l. 6. quisquis. in verbo, nullum. C. de postul. quare venditio, facta medico ab infirmo pro minori pretio, rescinditur officio iudicis, Ant. Burg. in cap. cum causa. num. 52. de empt. & vendit. inter Repet. tom. 4. fol. 270. qua ratione prohibitum

tum est etiam aduocato, ne, durante lite, emat à cliente, seu aliter cum eo contrahat, quia facile cliens omnia daret propter timorem litis, d.l.quisquis.vers.præterea nullum. & ibi Gl. sicut enim qui laborat febre, vel alio morbo corporali, est infirmus corpore; ita etiā qui litigat, est infirmus mente, & proinde etiam sicut medicus ipse, dum est infirmus, indiget medico, quia ipse ab æstu sitis, ab appetitu nociuorum, & alijs corporis passionibus victus, se ipsum nō rectè curaret; sic quoque aduocato in causa propria, dicimus, quòd aduocatum quærat, quia multis agitatus passionibus, in suo salutari deficeret; & ex his ego iudicum palatia, in quibus agūtur lites, & magna adest litigantiū multitudo, soleo vulgariter appellare, infirmariā

125 sanorum. †Secunda conclusio: si habens officium cum iurisdictione, aliquid eo amplius, quod ratione iurisdictionis exigere poterat,

126 exegit, tenetur illud restituere. † Tertia conclusio: exercens illicitas negotiationes, vel iniustè acquirens, si conscientia repulsat, seu remordet in eo, quod immoderatè est exactum, purganda est conscientia; si autem conscientia non remordeat, consideret, an is, qui sibi dedit vltra debitum, esset sagax, & discretus, ita vt verisimiliter sciret, quod donabat, & tunc restituere non tenetur, nisi illud vltra esset immoderatum, vt dixi in prima conclusione; an verò esset ignarus, aut prodigus, vel alias iuuenis parum prudens, & tunc quod vltra debitum habuit, tenetur in foro animæ restituere, Innoc. in d. cap.quia plerique. sub num.3. vers. si autem qui potestatem. Io. Andr. sub num. 4. vers. quid si quis qui potestatem. Anch. sub num. 12. q.5. ibi, in alijs exemplis. & latius Ant. de Butr. sub num.12. cal.6. & copiosius, clarius, & ordinatè Abb. num.32. & seqq. q.10. de immun. eccles.

127 Extende octauo, vt procedat non solum, si res sit effecta tua ex consensu expresso illius, qui erat dominus rei, vt hucusque locuti sumus, sed procedat etiam si sit effecta tua ex consensu tacito, seu interpretatiuo; quia tu isto casu non teneris eam restituere nec in foro fori, nec in foro poli.

Exemplifica primo, probando hanc extensionem, quando tu pacificè possedisti rem Titij spatio triginta, vel quadraginta annorum, ipso Titio præsente, & non contradicente, ita, quòd ex eius diuturna taciturnitate possit præsumi, quòd voluerit rem illam habere pro derelicta, & tacitè consenserit, quòd efficeretur tua, quia isto casu tu eam iustè retineres in vtroque foro; nec Titius posset, mutata voluntate, te in ea vexare, quia quod semel placuit, amplius displicere non potest; & hoc acquisitionis genus, procedens ex isto tacito domini consensu, vocatur in iure præscriptio; & reputatur iusta, & licita acquisitio in vtroque iure, ciuili scilicet, & canonico, quia, supposito hoc tacito consensu, cessaret semper mala fides præscribentis, cum mala fides in præscribente non oriatur absolutè ex eo, quòd possidet scienter rē alienam, sed ex eo, quòd eam possidet sine consensu domini illius rei, vt latè patet ex his, quæ scripsi supra num.62. & seqq. & sic, cessante mala fide, ius canonicum non habuisset, cur corrigeret ius ciuile in eo, quòd admittebat præscriptionem sine bona fide; & consequenter superflua etiam redderetur disceptatio; an tutus exceptione præscriptionis, sit tutus in foro animæ, vel potius teneatur facere sibi conscientiam; in qua disceptatione nostri Doct. nimis obscurè loquentes de scientia rei alienæ, sicq; de mala fide, superueniente post completam præscriptionem (quem atticulum clarè definiuimus supra ampl.17. num.26.) intricatas formarunt distinctiones, an, & quando res præscripta sit restituenda: nam Innoc. in d. cap. quia plerique. sub num.3. vers. item qui tutus. dicit, se credere, quòd si præscriptio est odiosa, in qua nullus requiritur titulus, nec bona fides, teneatur restituere; & postea recenset, quòd quidā alij dicunt, quòd dummodo præscriptio sit cum bona fide, licet sit sine titulo, non tenetur restituere; secus, inquit, in præscriptione, quæ non est inducta contra naturalem æquitatem, sed propter bonum, & æquum; quia tunc qui præscripsit non tenetur restituere, & alia subdit, quæ refert, & sequitur Io. Andr. ibidem, sub nu.4. vers. quid si quis tutus. fusè, & perplexius Ant. de Butr. ibidem, num.9. il 1. vers. ex his patet. & breuius Anch. nu.10. q.3. hanc videntur firmare distinctionem; quòd si præscriptio est odiosa, quæ procedit cum mala fide, teneatur restituere; si verò est fauorabilis, quæ procedit cum titulo, & bona fide; non teneatur restituere, & hanc esse communem Canonistarum opinionem, testantur Ant. de Butr. vbi supra, & Abb. infra citatus; licet Theologi dicant, quòd vtroque casu præscribens tenetur restituere in foro conscientiæ:

scientiæ, vt testantur iidem Ant. de Butr. Anch. & Abb. quibus Theologis videtur adhærere Ant. de Butr. loco supra citato, vbi loquitur & contra Innoc. & multis adhibitis considerationibus, quæ hunc passum reddunt confusum; sed Abb. ibidem, num. 25. q. 7. accuratè, & facilè, relata tota Antonij de Butrio distinctione, eaq; expressè impugnata; in eo, quòd etiam de iure canonico facit differentiam inter forum pœnitentiale, & forum contentiosum; concludit, inquam, Abb. indistinctè, quòd tutus iuris dispositione, quod potuit ex causa rem vnius dare alteri, sit tutus in vtroque foro, & ideo non teneatur restituere, etiam superueniente scientia rei alienæ.

128 Ratio huius exemplificationis fundatur in duabus regulis: Prima est, quòd diuturna, & aperta negligentia æquiparatur voluntati, Gl. in cap. vlt. in verbo, aut negligenter. 11. q. 3. & facientis culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare, & non caret scrupulo consensionis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare, cap. 3. error. dist. 83. cap. 3. facientis. dist. 86. & cap. 55. negligere. 2. q. 7. & maximè procedit hæc regula, quando negligens est monitus à iure, vel ab homine, prout à iure monetur is, contra quem præscribitur, dum ei præfigitur

129 tempus. † Secunda regula, & participat de hac prima, est, quòd tacēs habetur pro consentiente secundum regulam generalem, quam etiam citaui in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 8. num. 592. in fine, hancque regulam in nostris terminis, dicens, quòd tacens tanto tempore præsumitur consentire, considerauit Ioan. Andr. in cap. possessor. num. 26. vers. tertia ratio. & sub nu. 43. vers. concludo igitur. de reg. iur. in 6. & quòd ex tacito consensu possit oriri præscriptio, scribit Alex. in l. 117. filiusfamilias. §. diui. sub num. 28. vers. tetigit hic. versus finem, ff. de leg. 1. quem sequitur Balb. tract. de præscrip. par. 1. q. 5. princip. num. 5. tom. 17. fol. 53. dicens, quòd, interueniente scientia eorum, contra quos præscribitur, videntur tacitè consentire, secus si ignorent; & addit Balb. vbi supra num. 6. quòd præscriptio contra scientem habet in se tacitā renuntiationem, & Ant. de Butr. in d. cap. quia plerique. num. 9. il 1. versus finem, dicens, quòd non est tantus stimulus conscientiæ, quando præscribitur contra scientem, quia tunc videtur habere illius consensu: sed, omissis Doctorum suffragijs, probatur, quia in alienante semper inest consensus, & hoc est indubitabile, sed qui patitur vsucapi, videtur alienare; ideoque alienationis verbum vsucapionem etiam continet, l. 28. alienationis verbum. ff. de verb. signif. ergo qui patitur vsucapi, seu præscribi, dicitur consentire.

Ratio rationis, quare colligatur, & præsumatur hic consensus, est, quia cum Reip. valde intersit, ne rerum dominia maneant incerta, & litium materia inde augeatur; & ex litibus magnæ insurgant discordiæ, & ex discordijs alia grauia consequantur damna, potuit, & debuit Resp. ad his obuiandum, legem ferre de præscriptionibus, eliciendo consensum eius, contra quem præscribitur.

130 Contra hanc exemplificationem, eiusq; rationem obijciet aliquis, hæc duo pugnare, & simul conuenire non posse, nempè, quòd quis ingrediatur scienter rem alienam, & quòd possideat eam bona fide, cum is, qui retinet scienter rem alienam, non solum non possit esse in bona fide, sed sit quoad Deum fur, & raptor, nisi eā restituat, cap. 6. si quid. 14. q. 5. *si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti, &c.* &, quòd is dicatur malæ fidei possessor, qui habet scientiam rei alienæ, sequitur Balb. tract. de præscript. tertiæ partis princip. par. 2. q. 1. sub nu. 1. vers. malæ fidei. tom. 17. fol. 62. Et dicere, quòd bona fides posset postea oriri, & confici per taciturnitatem, & patientiam domini, quem pręscriptor credat habere rem illam pro derelicta, & sic consentire, vt illius dominiū transeat in occupantem, esset vanum dictū; siquidem bona fides requiritur omni tēpore, cap. vlt. de præscript. maximè autem ab initio, vt sequitur Balb. d. 2. par. 3. par. princip. q. 7. nu. 1. & 2. & 3. par. 6. par. princip. q. 2. princip. nu. 1. fol. 64. & 106. præterea hæc credulitas non potest esse, nisi simulata, cum res suas, præsertim non parui valoris, nemo sanæ mentis velit habere pro derelictis; quare interrogarem hunc, qui rem ex isto tacito consensu vult præscripsisse, an ipse, si fuisset sua, voluisset eam habere pro derelicta?

Huic obiectioni respondeo, quòd ante conditam præscriptionis legem obiectio ista vrgeret, sed post notam præscriptionis legem non vrget, quia, cum lex declaret, tacentem, & negligentem tanto tempore, præsumi consentire; potest præscribens bona fide credere, quòd tacens toto illo tempore, consentiat; quia sicut bona fide potest quis credere

credere illi, qui sponte verbis expressis consentiret, & gestis annueret, quamuis in corde suo aliter sentiret; ita etiam potest credere, quòd consentiat ille, cui à lege est declaratum, quòd nisi infra tantum tempus contradixerit, intelligatur consensisse.

131 Nec dicatur, quòd præsumptus consensus non appellantis infra tempus à sententia non excusat eum, qui illius sententiæ vigore rem alienam scienter haberet, iuxta ea, quæ scribunt Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. caus. 7. vers. corollariè sequitur. fol. 45. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. tit. an sententia iniusta, &c. concl. 1. & 2. & seqq. fol. 83. & 84. quod etiam videtur apertè sentire Felyn. in cap. 1. fallen. 6. sub num. 40. de constit.

Quia respondeo, diuersam esse rationem: nam non appellans iam expressè dissentijt in tota lite, & sic manifestè apparet de non consensu; & appellationis omissio non tollit illum dissensum, sed solum inducit præsumptionem iuris, & de iure pro iustitia sententiæ, quamuis supponeremus dissensum: secus ergo si omittens appellare consentiret in sententia, Med. in loco supra proximè citato; &, quòd lex præsumat pro sententia, non suspensa per appellationem, scribit Felyn. in loco, supra proximè citato; at in præscriptione supponimus, nunquam constare, seu constitisse de dissensu.

Quo alio consensu possit hæc exemplificatio defendi, vide infra num. 138. extens. 9.

132 Retenta hac ratione.

Infero primo ex ea, quòd decipiuntur Ant. de Butr. in cap. 8. quia plerique. num. 9. il 1. vers. ex his patet. de immun. eccles. & alij Doct. dum rationem hanc, quam assignauimus nos, non considerantes, communiter dicunt, præscriptionem esse in odium negligentis, & in pœnam negligentiæ inductam, & ne rerum dominia maneant incerta & mouetur contra eos ex pluribus. Primo, quia pœna non debet esse grauior delicto, sed priuatio rei, præsertim magni valoris, est pœna grauis, & negligentia rei suæ est culpa leuis, vt aduertit etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 7. vers. quinto & vltimo. fol. 172. Secundo, quia si præscriptio esset inducta ex negligentia eius, qui est dominus rei, præscribens non esset tutus in foro conscientiæ, quia illa negligentia non liberaret eum à mala fide, secus si sit inducta ex tacito consensu, vt deduxi etiam infra num. 135. Tertio, quia negligentia sola ex se non est ita apta ad dominij translationem, prout est aptus consensus, siue expressus, siue tacitus: ergo materia immediata, ex qua conficitur præscriptio, non est negligentia, sed erit consensus, qui proficiscitur ab ipsa negligentia; & sic ratio, fundata in negligentia, vti infirma, debet cedere rationi, fundatæ in consensu, quæ est firma.

133 Infero secundo, declarando exemplificationem, quòd est vera, quando negligentia est ex omni sui parte absoluta, ita vt ex ea verisimiliter colligi possit tacitus consensus; secus autem si negligentia sit in aliqua sui parte vulnerata, & non absoluta; vt puta, quia præscribens, possessionem ab initio violenter inuaserit, aut is, contra quem præscribit, sit infans, furiosus, mentecaptus, ignorans, & similis, in quibus deficit consensus: item si sit infirmus, aut seruus apud hostes, vel aliter impeditus, ita vt excludatur negligentia, & consequenter consensus; vnde dicimus, quòd non valenti agere non currit præscriptio.

134 Subinfero, longius tempus requiri ad præscribendum contra absentem, quàm contra præsentem, quia maior est negligentia præsentis, quàm absentis, & sic facilius potest præsumi consensus in præsente, quàm in absente.

135 Infero tertio, eandem exemplificationem, eiusq; rationem fore valde vtiles, si pro veris sustineri possent, quia, dato consensu pro fundamento præscriptionis, cessaret diuersitas inter forum, & forum; superflua redderetur Doctorum disceptatio de iusto titulo, & bona fide, & de superueniente scientia rei alienæ post completam præscriptionem, de quo articulo scripsi supra ampliat. 17. sub num. 26. & demum conciliarentur ius canonicum, & ius ciuile: sed dato, quòd præscriptionis fundamentum sit negligentia, omnia ista magna cum dissensione insurgũt.

Infero quarto, quòd, sublata ratione taciti consensus, ex quo possit oriri bona fides præscribentis, vt explicaui supra sub n. 127. & 128. &, retenta communi Doctorum ratione, de qua supra num. 132. is, qui propria teneretur obligatione soluere, vel quid aliud facere, nulla temporis præscriptione posset se tueri, quia propria obligatio habet semper in se scientiam, & scientia malam fidem, & mala fides inficit præscriptionem de iure canonico, cap. 2. possessor. de reg. iur. in 6. & cap.

& cap.vlt. de præscript. &,quòd scientia sola impediat præscriptionem, scribit Caputaq. decis. 24. seu 1. in mala. num. 5. par. 2. & consequenter qui per instrumentum, vel apocham, aut aliter se obligasset ad soluendum, non posset, repugnantibus mala fide,& iusti tituli defectu, præscribere, & sublata præscriptione, litium materia non amputaretur; quod ij, qui Vrbis stat. lib.1.cap. 158. condiderunt, aduertentes, sapienter præsumptionis remedium induxerunt, statuentes, vt fluxo sexdecim, seu decem annorum tempore, cum creditoris taciturnitate, præsumatur solutio, seu satisfactio, quod statutum nititur conclusioni, quòd ex têporis diuturnitate debitum non petitum præsumatur solutum, vt tenent ij, quos citat Rot.diuers.decis.788. dubitaui. sub num. 1. & 2. par. 1.hocq; statutum sapienter imitati videntur Genuenses in eorum statut. cap. 5. §. qui per annos quinque. lib.6. statuentes, vt si locator per quinquennium pensionem locationis non petierit, & conductor iurauerit, se soluisse, & præsumptio non extet in contrarium, solutio dicatur probata; quorum statutorum dispositio comprobatur, quia in fortioribus terminis,sciens se debitorem, potest præscribere liberationem contra creditoris actionem præscriptione statutaria, dummodo statutum præsumat contractum simulatum ex lapsu certi têporis cum silentio creditoris, vt refert Felyn. in cap. vlt. quoniam. num. 5. in 4. declar. de præscript. & licet ipse postea sub num.7.limit.3. teneat,quòd statutû non possit inducere præscriptionem cum mala fide,etiam præsumendo simulationem; tamen nos hoc admittimus,sed stat. Vrbis, de quo loquor, non inducit, nec intendit inducere præscriptionem cum mala fide, sed inducit ex iusta verisimilitudine præsumptionem in foro fori, remanente idcirco iudicio super veritate in foro conscientiæ, vt dixi sup. sub num.87.

Ratio, quare statutum possit inducere præsumptionem solutionis, & non præscriptionem, est, quia lex, quæ in occultis statuit id, quod ex verosimili præsumitur, iustè agit,quia cum pro bono publico lites terminandæ sint, & veritas non appareat, necessariò ad verisimilia recurrendum est, cap. 2. afferte. de præsumpt. hæcq; lex, quia præsumit, non tollit ius parti, si veritatem in contrarium ostendat, & dato,quòd omnino tolleret in foro fori, tamen non tollit in foro conscientiæ,per ea, quæ dixi supra sub num. 83. & seqq. & præsertim num. 88. & illud certissimum est, quòd lex humana potest se fundare in præsumptionibus, etiam quod fallatur, vt scripsi supra q.1. num.519.qnia non se fundat in præsumptionibus,nisi ex iusta, & necessaria causa, videlicet, aut quia veritas non appareat;aut quia præsumendo, obuiet fraudibus, & occasioni delinquendi; at lex, quæ præscriptionem cum mala fide induceret, nutriret peccatum, & partis ius omnino perimeret, ideoque iniustè ageret, Balb.tract.de præscript.in 2. par. tertiæ par. princ.q.14.num 1.& seqq. tom.17. fol. 68. quia præscriptionis lex hanc deberet habere naturam, vt præscribentem tueretur etiam in foro conscientiæ, vt secutus sum supra ampl.17. sub num. 26. cum feratur non super re præsumpta, sed super re certa, in qua propterea debet statuere, quod peccatum non continet.

Sed quando mala fides non consideretur in præscriptione,vide infra §.7.glos.7. num. 2. & 3.

Nota primo obiter circa prædicta statuta Vrbis, quòd rubrica de præscriptione, videtur ineptè posita, cum aliud sit præscriptio, aliud præsumptio, & difficilius inducatur præscriptio,quàm præsumptio, de qua in dicto statuto.

Nota secundo, quòd prædictum Vrbis statutum à prædicta præsumptione solutionis excludit quædam debitorum genera, inter quæ est debitum sortis censuum, quia sors census non præsumitur soluta, & ratio in ea est euidens, quia creditor non potest illam exigere, cum quoad se census sit perpetuus, sicq; non potest dici,quòd taceat is, qui caret ore,& lingua; & consequenter deficit in eo fundamentum præsumptionis: & in quibus casibus præscriptio statutaria non habeat locum, vide Balb.tract.de præscript. in 2.par.3.par.princip.q.14.num. 10. tom. 17.fol.69.Io.Bapt.Bou. de statut. Vrb. præscript.gl.19.tom.17.fol.184. & Rot.diuers. decis.727. camillus. num.5. par. 1. & decis. 298. agebat. num.4.& 5.in Rom. census de Cafarellis, mercurij 9. Decembris 1587. in impressis Lugduni 1612.

Nota tertio,quòd etsi præsumptio, quantumuis iuridica, & rationabilis sit, debeat à parte allegari, alias iudex ex officio in ea fundamentum facere non debeat, Magon. in Lucens.decis.27.num.18. & seqq. & Menoch.

noch.tract.de præsumpr. lib.1.q.8. nu.36.& latè q.48.cũ seqq. vbi, latè distinguendo, declarat, an, & in qua præsũptione hoc sit verũ.

Tamẽ secus est in præsumptione, quæ excludat actorem, & cõstet de ea ex actis, quia sicut iudex potest ex officio repellere eum, cui obstat præscriptio, apparens ex actis, vt sequitur Balb.tract.de præscript. par.1.q.8. num.1.& seqq. tom. 17. fol.54. ita videtur dicendum, quòd possit repellere eum, cui obstat præsumptio, inducta ad hunc effectum à statuto.

Nota quarto, quòd prędictũ statutum Vrbis non habet locũ in contractu iurato; quare obligatus soluere ex contractu iurato, tenetur soluere, etiam quod lapsi sint sexdecim anni, & creditor nunquam petierit solutionem, Rot.diuers.decis.199. statutum. nu.1. & seqq.in Rom.pensionis domus, 16.Ianuarij 1598. coram Illustriss.Card.Lancellotto, in impressis Lugduni, anno 1612.

Ratio huius notabilis est, quia debitũ iuratum non tollitur præscriptione statutaria, quamuis statutum pręsumat post tẽpus fraudem, siue contractum simulatum, tum quia iuramentum habet vim litis contestationis, quæ perpetuat actionem ad 40. annos, Felyn.in cap.vlt. quoniam. num.7. limit.2. de præscript. Balb. tract.de præscript. in 2. pat. tertiæ par.princip.q.14.num.11.vers.secundo limitat.tom.17. fol.69. Rot.d.decis.199. num. 3. & latius, & de opinione communi Gabr.in conclus. lib.6. tit.de stat. concl. 11. num.1.& seqq. & quòd iuramentum habeat vim litis cõtestationis, quæ perpetuat actionem ad 40. annos, probatur ex l.9.nam postea. §.si is qui. & ibi Bar.ff.de iureiur. tum quia statutum, vel alia dispositio, simpliciter loquens, nunquam trahitur ad actum iuratum, nisi de iuramento faciat expressam mentionem, Balb.d.q.14.num.12. eod.fol. 69. Gabr.d.concl.11. num. 4. vers.sed contrarium. & Rot.d.decis.199. num.2.

Contra istud notabile tenuerat prius Rot. vt testatur Mohed.decis.5. alias 227.in ead. de præscript. dicens, quòd prædictum statutum habet locum etiam in instrumento iurato, quia illud statutum tollebat probationem instrumenti, & proinde non constabat de debito, neque de iuramento.

In hac contrarietate Io. Bapt. Bou. tract. de stat.vrb.præscript.glos.19.ampl.30.num. 125.& seqq. vsque ad num.135.exclusiuè, & gl.29.num.1.in fine, & seqq. tom.17.fol. 187.& 199.varias recenset opiniones,& distinctiones, sed inconstanter, & sine certa resolutione: At Rot.d.decis.199. num. 4. & seqq. concordat distinguendo, vt opinio, quam ipsa tenet, procedat, quando statutum non adimit fidem instrumento; opinio verò contraria, quãdo statutũ adimit fidem.

Verum, sit Rotæ pace dictum, & salua semper eius prudentiori sententia, hæc distinctio non videtur omnino satisfacere; quia ratio, quare statutum adimat fidem, est, quia creditor non petit debitum infra illud tempus: sed Rota dicit, quòd iuramentum habet vim litis contestationis, quæ per necesse includit interpellationem, & petitionem: ergo vbi adest iuramentum, cessat ratio statuti, & consequenter cessat statutum.

Et eò minus videtur d.decis.199. satisfacere, quia facit differentiam inter statutum, præsumens solutionẽ, & statutũ, adimens fidẽ instrumento; vt primum statutum non habeat locum in cõtractu iurato, & secundum habeat locum; & tamen hæc differentia non videtur admittenda, cum iuramentum æquè vtriusque statuti rationem eneruet: vtroque enim casu virtute iuramenti adest petitio creditoris, & consequenter vtroque casu cessat silentium creditoris; & sic non cessat instrumentum, neque iuramentum.

Quare, retenta Rotæ distinctione, sequeretur, quòd statutum d.cap.158. præsumens solutionem ex lapsu 16. annorum, haberet locum etiam in contractu iurato, quia statutum adimit fidem scripturæ; cætera verò statuta, præsumentia solutionem ex lapsu decem annorum, non haberent locum, quia non adimunt fidem.

Ego concluderem, prædictam differentiam non esse admittendam, per ea, quæ dixi, & propterea concluderem indistinctè, statutum, siue adimat fidem, siue non adimat fidem, non habere locum in contractu iurato, per ea, quæ dixi supra vers. ratio. quam tamen conclusionem limitarem non procedere, quando statutum expresse requireret interpellationem iudicialem, vel extraiudicialem, prout requirit prædictum statutum Vrbis, quia interpellatio debet intelligi in proprio significatu.

Firmata hac nostra conclusione, remanet vt diluamus duo, quæ conclusioni, & primæ opinioni videntur obstare.

Non obstat ergo primum, quòd iuramentum sequatur naturam actus, super quo in-

terponitur, vt secutus sum in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.2.nu. 141.423. & 424. & consequenter actus, qui de sui natura est præscriptibilis, sit præscriptibilis, etiam si sit iuratus, vt videtur sequi Balb. tract. de præscript.in 3.par. quintæ par.princ.q.3.nu. 1.& 2.tom.17. fol.96.

Quia respondeo, quòd sequitur naturam contractus quoad consensum, ita vt, deficiente consensu in contractu, deficiat etiam iuramentum, secus quoad efficaciorem obligationem, vt declarant Franc.Zoan.tract.de empt.& vendit. sub num.40. tom. 6. par. 1. fol. 70. & alij, quos secutus sum d. cap. 2. num.424.

Non obstat secundum, nempè, quòd possessor malæ fidei nunquam præscribat, cap. 2. possessor. de reg.iur. in 6. & cap. vlt. de præscript. & litis contestatio faciat, possessorem esse in mala fide, Rot. decis.4. alias 24. fuit dubitatum. in nou.& Caputaq.decis.27. seu 1. fructuum. num. 5. & 6. par. 2. & tamen nec iuramentum, quod habeat vim litis contestationis, nec ipsa litis contestatio perpetuant actionem vltra 40. annos, vt dixi supra vers.ratio huius.

Quoniam respondeo, distinguendo duplicem malam fidem: Prima mala fides est illa, quæ causatur à sola litis contestatione: & dico, quòd ista operatur duo: Primo, vt possessor teneatur restituere fructus, quos percipit post contestationem litis, vt loquuntur Rot. & Caputaq. in locis supra citatis; quare bonæ fidei possessor tenetur restituere fructus, extantes tempore litis contestatæ, & post contestationem litis, vniuersos, l. 22. certum. C. de rei vend. & ibi Gl. & in cap. grauis. in verbo, fructus. de restit. spol. Secundo operatur perpetuationem actionis vsque ad 40. annos, vt dixi: Secunda mala fides est illa, quæ causatur à certa scientia rei alienæ: & ista operatur non solum, quòd possessor teneatur indistinctè ad restitutionem fructuum, & actio perpetuetur ad 40. annos, sed operatur vlterius de iure canonico, quòd possessor nunquam præscribat, & sic actioni nunquam præscribatur; & ratio differentiæ est, quia potest quis contestari litem, & eam prosequi bona fide, credendo, se iustè possidere, & sic potest præscribere, licet non minori spatio, quàm 40. annis, vt dixi, at is, qui certò scit rem esse alienam, nunquam potest præscribere, quia semper est in mala fide secundum communem Doctorum opinionem, vt dixi supra num. 132. & 135. & sub hoc eodem num. vers. infero quarto.

Nota vltimo, quòd illa conclusio, de qua supra vers. infero quarto (quòd ex sola temporis diuturnitate præsumatur solutio) non est vera de iure communi, quia, si esset vera, frustra lex induceret præscriptionem, Rot diuers. decis. 788. dubitaui. num. 12.& & 13. iuncto nu.1.& 2. par. 1. & ideo est vera solum ex dispositione statutorum.

Extende hoc notandum, vt de iure communi habeat locum etiam in fructibus, seu interesse dotis non solutæ, quia ex diuturnitate temporis non præsumuntur soluti, idest, donati, seu remissi, Corn. cons. vlt. quod est 250. num. 13.& 14. lib. 2. Ias.& alij in l. quæ dotis. sub num.19. ff sol. matr. Alc. tract. de præsumpt. præsump. 32. sub num.6. vers. contrarium. tom.4. fol. 314. & maximè, si fructus, constante matrimonio, fuerint petiti, & super eis contestata lis, & lata sententia pro solutione; quia isto casu cessat præsumptio; quamuis postea maritus longo tempore taceat ad illos consequendos.

Nec obstat text. in l. 17. cum quidam. §. diuus. ff. de vsur. & in l. 55. vir vsuras. ff. de donat. int. vir. & vxor.

Quia respondetur, quòd illa iura loquuntur in vsuris dotis, quæ sunt odiosæ, quæve deberentur officio iudicis, & quando non fuerunt petitæ, constante matrimonio, seu debitor probat, quòd creditor ideo non petebat, quia aliquam sperabat gratiam ab ipso debitore, vt respondent Doct. supra citati. At fructus dotis non sunt vsuræ, ideoque nec odiosi, & debentur iure actionis ex statuto, & ita passim seruatur.

Sed de iure municipali Vrbis seruanda esset dispositio statutorum dicto lib. 1. cap. 158.

Extende nunc, quod supra vers. infero quarto. dixi de mala fide, inficiente præscriptionem, vt maximè procedat in foro interiori; nam licet debens aliquid in genere actione personali, suum sit quod debet, vel nullius, neque possideatur ab aliquo, antequam soluat, & ideo possit illud de iuris subtilitate, & ex legali dispositione præscribere; non obstante mala fide; tamen secus est de æquitate conscientiali, quia debitor tenetur agnoscere bonam fidem, & præscriptio scientis se teneri, non tollit obligationem naturalem, Bal. cons. 319. quæritur an sciens. num. 1. lib. 1.

Et

Et hæc de prima exemplificatione, posita supra sub num. 127.

136 Exemplifica secundo in hæreditate, quæ ab intestato defertur proximioribus defuncti ex dispositione legis, vt paret ex varijs tit. in ff. C. & Instit. prætertim tit. de hæred. quæ ab intest. defer. vt dixi etiam in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1682. in fine, 137 † quia lex sequitur voluntatem defuncti, l. 19. ff. de condit. & demonstr. & latè Mant. de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. nu. 1. & seqq. & eius voluntatem hanc esse interpretatur, quia naturale est, vt diligamus proximos, incipiendo à nobis ipsis secundum charitatem ordinatam, vt dixi d. cap. 9. sub num. 1688. versus finem, & ex charitate ordinata colligi defuncti voluntatem, scribit etiam Mantic. d. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 11. sub num. 2. & num. 5. & probatur ex l. 30. cum acutissimi. in fine, C. de fideicom. & sic proximioribus venientibus ab intestato acquiritur hæreditas defuncti ex eius interpretatiuo, & præsumpto consensu.

138 Extende nono, vt habeat locum in consensu virtuali, quo subditi per legem Principis virtualiter, & efficaciter colligantur: lex enim est contractus inter subditos, & Principem, qui tanquam omnium pater, & legitimus administrator, legem inter subditos, quasi contractum constituit, & subditi in eo contractu, idest, lege, effectualiter consentiunt; ex quò enim populus suam authoritatem, & iurisdictionem Regibus, & Principibus concessit, consensum suum legibus, iustis à Principe condēdis, præbuit, ac proinde si lex ob iustam causam aliquē re sua priuat, & alteri eandē confert, in hoc ipso totus populus consentit, sicut & consentire debet, in quo populi consensu includitur cōsensus ipsius domini particularis, ac proinde in casu nulla illi iniuria fit, si per legē huiusmodi dominio rei suæ priuetur, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 1. vers. confirmatur. col. 14. & vers. si contra. col. 15. fol. 8. & 9.

Exemplifica primo hanc extensionem in confiscatione bonorum, seu alia pœna pecuniaria, imposita per legem Principis, quia, cum lex sit contractus inter Principem, & subditos, vt dixi, subditus, qui contrauenit legi, dicitur contrauenire proprio contractui, &, contraueniendo, incurrit pœnam de eorum consensu appositam, & consequenter cum fiscus, vel pars apprehendit bona, seu pecunias contrauenientis, idest, delinquentis, ea retinet tuta conscientia, quia ea habet ex contractu, & consensu.

Nec dicatur, quòd delinquens soluit illam pœnam coactus, & non spontè; quia respondeo, inspici obligationem, quę fuit spontanea; nam quando Princeps facit legem iustam, prospiciendo publicæ vtilitati; & ideo subditi illam legem recipiunt, dicuntur spontè in ea consentire: quòd autem postea coacti soluant, hoc non consideratur, quia & multi spontè se obligant, & tamen obligationi inuiti per sententias, & mandata executiua coguntur parere.

139 Declara notabiliter limitādo hanc exemplificationem, vt quamuis lex pœnalis obliget in conscientia, vt secutus sum supra sub num. 53. & lex sit contractus inter Principem, & subditos, vt dixi supra num. 138. & ideo obligatus ex lege, dicatur obligatus ex contractu, & ex proprio consensu, & qui est obligatus ex contractu, & consensu, teneatur in foro interiori adimplere contractum, seu promissum, per ea, quæ secutus sum sup. num. 95. & 114. extens. 2. & 6.

Tamen, qui, delinquendo, incurrit pœnam, seu confiscationem bonorum, non tenetur in foro conscientiæ illam soluere, sed satis est, quòd sacerdos imponat pœnitentiam pro delicto; quia pœna imponitur per iudicem in foro contentioso, Gl. in cap. 11. fraternitas. in verbo, cum augmento. in fine, 12. q. 2 Gemin. in cap. 35. §. fin. sub num. 2. vers. nota bene. de elect. in 6. Alex. in l. si pœnæ. sub num. 3. vers. extra gl. ff. de condict. indeb. Felyn. in cap. 1. fallen. 6. cas. 3. sub num. 41. de constitut. Medin. & Mich. Sal. infra citati.

Restringe primo hanc secundam partem huius declarationis, vt nō procedat, quando lex imponeret pœnam ipso facto, quia tunc cōdemnatus teneretur eam soluere etiā ante sententiam, seu declarationē iudicis, vt latè, respōdendo cōtrarijs firmat Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 1. num. 43. in fine, 44. & 45.

Contrariū tenent Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. tit. an lex pœnalis, & c. concl. 3. per totam. fol. 1214. & testando de communi opin. pulchrè Simanch. de cath. instit. tit. 9. num. 22. & seqq. & speciatim nu. 251. tom. 1. par. 2. fol. 32.

Restringe secundo, vt nō procedat, quando delinquens est condemnatus per sententiam iudicis ad illam pœnam, quia ex tunc illam tuta conscientia retinere non potest,

sed solum potest retinere, donec sit à iudice condemnatus per sententiam, Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 2. num. 46. de constit. & Mich. Sal vbi supra, & ex communi opin. sequitur Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 37. col. 2. in fine, vers. sexto esto. & col. 8. in fine, vers. ad sextã. fol. 256. & 259.

Restringe tertio, vt non procedat, quando pœna non descendit à lege, sed ex partium conuentione, quia tunc pars ex arbitrio magis libero, & spontaneo se obligat, & ideo tenetur soluere in foro conscientiæ; est enim perinde ac si condemnatio interuenisset, postquam pacto quis se alteri obligauit, Felyn. in d. cap. 1. limit. 3. sub num. 46.

Restringe quarto, nisi pœna legalis, applicanda parti, esset subrogata loco inæstimabilis interesse, & impossibilis restitutionis; puta pro membro truncato, vel debilitato, Felyn. d. cap. 1. sub nu. 46. limit. 3. de constit.

Sed superfluè Felyn. colligit hanc restrictionem, cum satis contineatur in seq.

Restringe quinto, vt non procedat quando lex iniungit delinquenti, vt satisfaciat læso de damno secuto propter eius delictum, quia ista satisfactio quoad læsum, qui eam recipit, non est pœna, licet sit pœna quoad soluentem, qui eam tenetur soluere etiam in foro pœnitentiali, Gemin. in cap. 35. commissa. §. fin. sub num. 2. vers. nota bene. de elect. in 6. quem, vti pulchrè declarantem, sequitur Felyn. in d. cap. 1. fallen. 6. limit. 5. num. 46. versus finem, de constit.

140 Exemplifica secundo, quando Princeps, ne rerum dominia maneant incerta, facit legem, vt res præscribatur tanto tempore contra negligentem, vt dicebam supra num. 127. & seqq. quia isto casu præscribens videtur præscribere ex contractu facto à Principe inter subditos per legem, & sic negligens dicitur consentire, vt præscribatur.

141 Declara primo, temperando eandem extensionem, vt procedat solum, quando lex est iusta; secus si esset iniusta; quia tunc non esset lex, & consequenter cessaret fundamentum, per ea, quæ dixi sup. num. 16. & 510. & diceretur iniusta, verbi gratia, quando esset nutritiua peccati, & ideo in casu secundæ exemplificationis, de qua hic nunc procedo, supponeremus malam fidem præscribentis, illa lex forsan esset nutritiua peccati, & ideo iniusta; quod tamen non firmo, quia quando lex positiua permittit, sed tolerat minus malum, vt obuiet maiori, quod alias necessario sequeretur, dicitur adhuc iusta, & seruari debet in foro fori; qua ratione lex positiua permittit contrahentibus, vt possint se decipere infra dimidium, vt secutus sum supra ampl. 10. num. 1. & 3.

142 Declara secundo, vt procedat, quando lex innititur veritati; secus si innitatur præsumptioni, quæ in aliquo casu particulari esset erronea; sicq; præsumeret vnum, & in veritate esset contrarium; quare, si lex disponat, vt absolutus per rem iudicatam, vlterius non sit obligatus; & tamen in rei veritate quam actor non potuit probare, sit obligatus, procedit lex ista in foro fori, in quo non apparet de errore præsumptionis; secus in foro poli, in quo constet de errore, quia in isto foro cessat consensus, & contractus legis: lex enim, quæ mandat, absolutum per rem iudicatam non esse amplius obligatum, præsumit absolutionis sententiam esse iustam, quia re vera absolutus non sit debitor: quòd si constaret esse obligatum, vtique non mandasset absolutionem, quia esset lex iniusta, & sic non esset lex, & consequenter lex isto casu non consentit, & sic cessat contractus.

AMPLIATIO XX.

SUMMARIUM.

Cambio etiam nulliter, seq; vsurariè contracto, campsor non perdit pecunias datas cambio, nec excluditur à consecutione interesse, num. 1. & seqq. & num. 16. Reiectis motiuis, de quibus num. 22. & seqq.

Restringitur primo hæc ampliatio, distinguendo duos casus, & quatuor species contractuum, num. 28. & seqq.

Restringitur secundo, vt interesse cambiorum sit indebitum, vbi cambia non exercerentur, num. 35.

Procurator ad accipiendum mutuas pecunias, potest accipere cambio, num. 36.

Locupletatio vnius cum alterius iactura est contra naturam, sub num. [illegible]

Cambij interesse, probatio in eo quæ sit, & debetur etiam nulla cambij forma seruata, num. [illegible]

Mutuum in verbis, & in re societas, dicitur societas, num. [illegible]

Mutuum potest in parte valere, & in parte non, num. 6.

Pactum vsurarium vitiatur, & non vitiat mutuum, num. [illegible]

Census contractus, in quo venditor promisit ipse retro-

retrouenditione dare aliquid amplius, non vitiatur, sed vitiatur illa promissio, num. 9. Vitiatur etiam, & non vitiat pactum, quo venditor cogitur indirectè ad redimendum censum, num. 10. Vitiatur etiam, & non vitiat pactum de soluendo anticipatè, num. 11. Vitiatur similiter, & non vitiat impositio generalis census super omnibus bonis, quando est impositus etiam super certa re, num. 12.

Protestatio contrahentium censum, quòd instrumentum census intelligatur celebratum iuxta formam constitutionis Pij V. &c. coadiuuat multum ad reyeienda pacta iniusta sine vulneratione census, sub num. 12.

Pacta, quæ vitiantur, & non vitiant censum, num. 9. & seqq. & num. 14. & seqq. vbi declaratur.

Pacta accidentalia, seu contra naturalia actus vitiantur, & non vitiant, num. 14. Sed ea, quæ versantur circa substantiam, seu formam substantialem, vitiant, & non vitiantur, num. 15.

Pij V. constitutio de censibus, dum declarat fœneratitios census, initos sub alia forma, non æqualiter declarat, &c. num. 17.

Conditio impossibilis, & Conditio turpis — habentur pro non appositis, num. 13. Declaratur, num. 16.

Societas officij sustinetur pro ea summa, pro qua sustineri potest, num. 18. Et fructus indebitè exacti non computantur in sortem, si, probatis requisitis, cederent loco damnorum, & interesse lucri cessantis, num. 27.

Donatio non insinuata sustinetur in ea summa, in qua insinuatio non requiritur, num. 19.

Vsurarius contractus an & quando puniatur, num. 28. & seqq. Et quando contractus sit vsurarius, & quando non, num. 31. & seqq.

1 AMPLIA XX. vt quamuis contractus cambij sit nullus, ideoq; reduci videatur ad speciem contractus vsurarij; tamen campsor, qui pecunias dedit cambio, illas non perdit.

Ratio est, quia alias vnus locupletaretur cum alterius iactura, quod est contra naturam, l. 14. nam hoc natura. ff. de condict. indeb. vnde, si contractus eo modo, quo est gestus, sit inualidus, & ex illa inualiditate oriretur locupletatio vnius cum iactura alterius, debet lex contractum sustinere eo modo, quo remaneat validus, & quo æqualitas inter vtrumque seruetur, per ea, quæ secutus sum par. seq. limit. 7. sub num. 11. & 12. & consequenter, si contractus cambij cum lucro cambij sit inualidus, & vsurarius, debet reduci ad contractum mutui cum interesse lucri cessantis, & damni emergentis.

2 Pro faciliori huius ampliationis, eiusque rationis intelligentia, & firmiori resolutione duo præmittenda sunt.

Primum, quòd tàm contractus cambij, quàm quiuis alius contractus, vt sit vsurarius, debet necessariò habere mutuum explicitum, vel ad illud implicitè reduci, cum vsura non committatur in alia specie contractus, quàm in contractu mutui, vt secutus sum par. præced. sub num. 25.

Secundum, quòd etsi omnis contractus vsurarius sit contractus mutui, vt dixi, tamen non è conuerso omnis contractus mutui est vsurarius; aut enim pro sorte mutuata redditur sola sors; & tunc nedum non est vsurarius, sed est pius: aut redditur sors cum accessione; & tunc illa accessio vel datur pro interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, & similiter non est vsurarius, per ea, quæ latè scripsi ead. par. præced. num. 74. & seqq. vel datur non pro aliquo interesse, sed ex eo solo, quòd mutuatarius fuit in hoc beneficiatus à mutuatore; & tunc est vsurarius, prout hæc latius explicaui d. par. præcedenti, num. 71.

3 His duobus præmissis, huius ampliationis, eiusq; rationis veritatem quinque ostendo argumentis.

Primo, quia licet contractus cambij resolueretur in mutuum, imò esto quòd esset contractus mutui, & mutui expliciti; tamen si mutuator vltra sortem mutuatam intendat aliquid aliud rehabere, mutuum sumi non debet in ea specie mutui, in quo accessio esset vsuraria, sed debet reduci ad illud mutuum, in quo accessio non est vsuraria, vt puta, si mutuator verè, & iuridicè probet, illam accessionem sibi deberi ratione lucri cessantis, seu damni emergentis, per ea, quæ scribunt Nauat. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub num. 297. ibi, tertio dico. vbi, formato prius num. 296. cambio in sui essentia iniusto, ait, illud cambium non posse defendi, nisi ratione veri interesse, vt puta, quia is, qui dedit cambio, destinasset illas pecunias mercaturæ, vel rebus frugiferis emendis, ita quòd causa principalis, quare cessauerit ab illis, sit datio pecuniarum ad cambium, & demum sentit, illud cam-

bium esse reducẽdum ad eam speciem cambij, seu contractus, in qua, vt euiretur damnum, posit sustineri,& licet ipse addat conditionem, (dummodo seruentur seruanda ex extrauag. Pij V.) quam conditionem tacitè videntur sentire idem Nauar. & Ioan. Bapt. Cauat. quos, loquendo de pecunijs datis ad cambium rustico, cuius litteræ sunt rediture inanes, secutus sum supra ampl. 17. num. 5. vers. quarto quia & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 2. vers. ad secundum. vbi ait, quòd non referr, si illud mutuum nomine cambij simuletur, quia cambium est ficcum, & nummularius à vero cambio cessat, vt suas pecunias in siccum cambium, hoc est, in mutuum det, quo casu, inquit, debet habere interesse cambij, à quo cessauir, vt ex eodem, & alijs secutus sum supra ampl. 8. num. 1. & sic supponunt semper formam cambij, tamen (pateat mihi Nauar.) hæc conditio est frustratoria, quia aliud est lucrum cambij, quod vt debeatur necessarium est, vt verè, & realiter seruetur forma, tradita in cõstitutione de cambijs; & aliud est interesse lucri cambij, à quo quis verè cessauerit, dum rogatus mutuasset, vel debitor fuisset morosus in non soluẽdo, quia istud interesse lucri cessantis deberetur eo ipso, quòd creditor inuitus cessasset à cãbio vero, & reali, seu ab alio negotio, cuius interesse peteretur; vnde tantum abest, vt pro isto interesse sit necessariũ, seruasse formam constitutionis cambij, vt ideo debeatur interesse cambij, quia gratia ipsius mutuatarij, seu culpa debitoris cambiũ nullatenus fuerit contractum, iuxta ea, quæ scripsi dicta ampl. 8. num. 1. & seqq. & num. 245. vbi latè firmauimus, ex mutuo deberi interesse cambiorũ, seruata solum forma mutui, & non cãbij.

4 Secundo, quia etiam contractus mutui resoluitur in eum contractum, cui pacta, & conuentiones conueniant, quare si tu mutuo dares alicui pecuniam, vt mercatoriam artem exercetet, laborem, & industriam subituro, & luctum, & damnum æqualiter diuisuro, contractus non esset vsurarius, cum ex pactis appositis appareat, potius initam fuisse societatem, quàm contractum mutui, Guid. Pap. decis. 186. si quis mutuat. quem sequitur Couar. var. resolut. lib. 3. cap. 2. num. 2. in fine, vers. quin & pecunia, similiter pecunia, mutuo coactè data, resoluitur in emptionem annui reditus, vt scripsi supra q. 1. num. 452. & seqq. 460. & 462. vers. sed non, in contractu enim non verborum sonus, & conceptio sunt attendenda, sed pacta, & conuentiones, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1347. & 1352.

5 Tertio, quia si mutuator potest, explicitè mutuando, pacisci de lucro cessante, vt secutus sum supra ampl. 8. nu. 1. & seqq. ergo, resoluto cambio in mutuum, non repugnat iustitiæ, quòd campsor, probatis requisitis, consequatur lucrum cessans, & euitet damnum emergens, vt latè hanc materiam prosecutus sum d. ampl. 8. num. 1. & seqq.

6 Quarto quia contractus mutui potest in parte valere, & in parte non valere, prout in parte contineret iustitiam, & in parte non contineret; quare, si Titius mutuat tibi centum, & vult sibi fieri instrumentum guarintigiatum de duplo, idest, de ducentum; tale instrumentum & quo ad Deum, & quo ad mundum est licitum vsque ad dicta centum, quia nec in certis, nec in incertis licitum pati debet ob illicitum, vt, articulo latè per argumenta ad vtramque partem discusso, firmat Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 135. num. 29. 30. & 31. & sub num. 33. in 6. argumento, ibi, credo de iuris rigore. de vsur. inter tract. diuers. to. 7.

7 fol. 35. † & pactum vsurarium, mutuo adiectum, vitiatur, & non vitiat, quia contractus mutui de se est licitus, & debet infirmari, quatenus continet vsuras, & vsurarum promissio vitiatur, in quantum excedit legitimum modum, l. 14. iulianus. §. idem papinianus. & ibi Gl. ff. de act. empt. l. 29. placuit. ff. de vsur. & l. 26. eos. §. super vsurarum. ibi, si quis autem. C. eod. Laur. de Rodulph. d. q. 135. sub num. 30. & Surd. consf. 327. rotæ lucensis. sub num. 17. & 18. lib. 3. quem etiam in diuerso casu; faciente tamen ad hunc, secutus sum sup. ampl. 8. nu. 60. &, quòd pactum lucri, appositum in mutuo, non trahat mutuationem in aliud genus contractus, sed maneat mutuatio, ac si pactum non esset appositum, scribit Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 2. in respons. ad tertium, vers. ad tertium. col. 12. fol. 308. & in effectu consentit Molin. quem retuli d. ampliat. 8. sub num. 20. vers. neque. &, quòd pactum vsurarium, adiectum contractui mutui, vitietur, & non vitiet mutuum, quod de per se est licitum, fuisse conclusum in Camera Imperiali, quamuis constitutiones Imperij cassarent, & irritarent contractus vsurarios,

rarios, testatur Andr. Gail. in pract. obseru. lib.1.obseru.4.constitutiones. nu.6.& seqq. iunctis alijs num.præced.lib.1. † similiter, si mutuans nauiganti, aliquid vltra sortem recipiat, partim ratione periculi, quod in se susceperit, & partim ratione mutui, committit vsuram solum quo ad id, quod plus recipit ratione mutui, & non quo ad illud plus, quod recipit ratione periculi, Archiep. Florent. quem secutus sum supra q.1.num.498. confir.3. versus finem.

9 Confirmatur primo hoc quartum argumentum, quia licet contractus censualis, in quo venditor promittit emptori in retrouenditione dare aliquid amplius vltra sortem, sit inualidus in ea parte, in qua hoc promittitur, tamen remanet validus in alia, vt, articulo discusso, firmat Foller. tract. de censib. in verbo, vt vides. sub num.22. ibi, quid igitur dicendum. iunctis nu.4. & seqq. & num.14. in fine, ibi, sed istis non obstantibus. & num. seqq. tom. 6. par. 2. fol. 156.

10 † Licet etiam pactum, appositum in contractu census, quòd emptor, qui domum, super qua census est impositus, conduxit, non possit expelli, etiã finita locatione, nisi prius redempto, & extincto censu, videatur pactum inhonestum, cum ex eo per quandam viam indirectam compellatur venditor ad redimendum; quod est contra naturam census; tamen illud pactum non vitiat contractum census, sed ipsum vitiatur, Rot. diuers. decis. 19. fuit conclusum. num. 4. coram R.P.D.Cantuccio, in Rom. nullit. census, 4. Februarij 1583. in impressis Romæ 1615.

11 † Licet etiam pactum de soluendo anticipatè, appositum in contractu census, sit reprobatum ex constitutione Pij V. de censibus, tamen vitiatur, & non vitiat censum, Rota diuers. decis.326. sententiam. nu.4. vers. alia nullitas. coram Illustriss. Card. Lancellotto, in Bononien. census, veneris, 10. Iunij 1611.

12 in impressis Romæ. 1615. † Licet pariter census, impositus generaliter super omnibus bonis, sit nullus ex constitutione Pij V. tamen, si fuerit impositus super certa re frugifera, & proportionabili censui, & vlterius super omnibus bonis, census est validus, quia illa superfluitas reijcitur, Rot. diuers. decis.285. dixerũt. in fine, n.12. coram bon. mem. Card. Pãphilio, in Beneuẽtana census, 29. Martij 1595. in impressis Lugduni 1612. Et maximè procedit hęc confirmatio, quando contrahentes in contractu census protestati sunt, quòd instrumentum intelligatur initum, factum, & stipulatum iuxta formam constitutionis Pij V. ita quòd, si in eo contra dictam formam esset aliquid appositum, illud habeatur pro non apposito, pro non scripto, & pro non stipulato, sed reducatur, & reductum censeatur iuxta illius tenorem, cum eorũ intentio fuerit, & sit ita contrahere, & non alio modo, Rot. diuers. decis.285. dixerunt domini. n.1. coram eod. bon. mem. Card. Pamphilio, in d. Beneuent. census, 29. Martij 1595. seu 1598. in impressis Lugduni 1612. quę est superfluè iterum impressa in decis.124. inter impressas Romæ 1615. ead. Rot. diuers. decis. 43. fuit conclusum. sub num. 2. vers. tanto autem. coram R. P. D. Orano, in Foroliuien. census. lunæ 13. Nouembris 1589. & decis.89. placuit. in fine, nu. 7. coram eod. bon. mem. Card. Pamphilio, in Beneuentana census, veneris 16. Decembris 1594. in eisdem Romæ impressis.

13 Corroboratur hæc confirmatio, quia hæc pacta, quæ sunt contra naturam actus, sunt veluti conditio impossibilis, quæ, siue sit impossibilis de facto, siue de iure, semper reijcitur, & similiter conditio turpis habetur pro non adiecta, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib.1. cap.57. num.6. & sic vitiatur, & non vitiat.

14 Intellige tamen hanc confirmationem cum hac distinctione: Aut pacta illicita, apposita in contractu census, seu alia, in eo omissa, non sunt circa ea, quæ sunt de forma substantiali contractus census, sed sunt accidentalia, seu contra naturalia; & quia eiusmodi pacta, seu omissiones non remouent consensum contrahentium à contractu census, nec faciunt, illum contractum transire in aliam diuersam speciem; ideoq; sunt quid accidentale, quod potest inesse, & abesse à contractu census; contractus census ex illorum appositione, seu omissione non vitiatur, sed vitiantur ipsa pacta; & ita procedunt adducta in confirmatione, Rot. diuers. decis.176. fuit proposita. num. 2. in fine, vers. examinatis. & seqq. coram bon. mem. Card. Seraphino, in Calaguritana census, lunæ 29. Aprilis 1602. vbi, quòd pactum, vt venditor census teneatur restituere pretium census, vel illos cariores soluere, ad electionem emptoris, si census ex lege Regia in posterum cariores fierent; vitiatur, & non vitiat contractum census, ideoque fructus, ex eiusmodi censu percepti, non com-

computantur in sortem, & decis. 159. cum in vltima.sub nu.1. coram bon.mem. Card. Pamphilio, in Bononien. census, lunæ 26. Iunij 1600. vbi, quòd pactum de solutione anticipata non vitiat censum, sed vitiatur:

15 † Aut pacta, & omissa versantur circa substantiam, seu formam substantialem census; & isto casu, quia eiusmodi pacta, seu omissiones impediunt ipsius census creationem, faciendo, contractum transire in aliam speciem contractus; dico, quòd vitiant contractum census, vt tacitè sentit Rota d. decis. 159.sub num.1.& declarant expressè d.decis.176. sub num.2. & decis. 10. fuit resolutum.num.1.& seqq.coram bon.mem. Card. Seraphino, in Romana turris bubalariæ, lunæ,7.Nouembris 1575. vbi,quòd pactum in contractu census appositum, quòd venditor teneatur infra quatuor annos redimere censum, vitiat contractum census, quia tendit ad perimendum ipsum actum, cum sit contra ipsius actus substantiam, qua remota, remouetur ipse actus, & facit, vt contractus transeat in aliam speciem, nempè, in contractum pignoris fœneratitij, & decis. 325. dubium.sub num.10.vers.vltra quod.coram Illustriss. Card. Lancellotto, in Lucana locationis, veneris 18. Martij, & 29. Aprilis 1611. vbi,quòd pactum illicitum de soluendo certo interesse pro anticipata locationis solutione facit, illam solutionem transire in mutuum palliatum, quas decisiones habes inter impressas Romæ anno 1615. &, quòd ea, quæ sunt de propria essentia, & substantia alicuius actus, remitti non possint, quoniam actus consistere non posset, scribit, loquendo de non remittenda cautione vsufructuario, Peregr.tract.de fideicomm. art.40. num.13. vers.quæ autem.& cum hac distinctione concordat Io. Azor. de instit. moral. par.3.lib.4.tit.de restit. cap.24. vers.his positis. col.307.in fine, dicens, quòd si conditio apposita in contractu est contra substantiam contractus, tunc vitiat contractum; secus, inquit, si sit contra accidentia contractus, quia tunc non vitiat, cum, sublatis, seu mutatis accidentibus, substantia adhuc maneat.

16 Cum hac eadē distinctione procedit corroboratio adducta supra num. 13. de conditione impossibili: Aut enim impossibilitas est circa accidentalia, & tunc vitiatur, & ita procedit corroboratio: Aut est circa substantialia,& tunc non vitiatur,sed vitiat, Addit. 1.ad Gl.1.in S.impossibilis. Instit. de hæred. instit. Abb.in cap.vlt.si conditiones. in 1. & 2.reg.num.2.3.& 4. de condit. appos.

17 Nec huius intelligentiæ distinctioni, contractui census applicatæ, obstat dicta Pij V. constitutio in illis verbis, *contractusq; sub alia forma, &c.* vbi census contractus, qui sub alia forma, quàm sub illa, illic tradita, celebrarentur, declarat fœneratitios, & tamen à forma illic tradita excludit indistinctè, & æqualiter tàm pacta,quæ secundum Rot. sup. citatam sunt contra substantiam,& formam contractus, quàm pacta, quæ sunt contra naturalia contractus.

Quia respondeo negando, quòd æqualiter excludat vtriusque generis pacta; imò illa declaratio contractus fœneratitij, & annullatio refertur non ad omnia, quæ dixit supra, sed refertur tantum ad ea, quæ substantialem contractus formam respiciunt: nam cum Papa improbauerit nonnulla pacta particularia, vt in S. pacta continentia. & in S.sicuti etiam. & illa tantum pacta specialiter annullauerit,non autem totum contractum propter illa damnauerit, colligitur, quòd eius intentio fuerit,quòd,resecatis illis pactis, contractus in reliquis remaneret in suo robore, Rot.d.decis.159.num.2.& seqq. vbi alias adducit rationes, quas tu poteris videre.

Multa mihi dicenda superessent tàm circa hanc obiectionem, & eius responsionem, quàm circa cognitionem; quæ pacta dicantur substantialia contractus, & quæ naturalia: hoc enim opus, hic labor est: sed locus non consentit; transeamus ad alia; & interim collige aliqua pro istorum pactorum declaratione ex his, quæ scribit Io. Azor.de instit.moral. par.3. lib.6. tit. de contract. cap. 13.vers.pacta igitur. & seqq. col.520.

Confirmatur secundo,quia licet ex pecunia, data in societate officij, contracta sine officio, quis fructus societatis consequi non posfit, per ea, quæ scripsi par.præced.nu.35. tamen an illos consequi possit in vim pacti, & contractus innominati, do, vt des, vallati periculo perdendi pecuniam in casu mortis, est articulus controuersus,in quo extant opiniones,quas adduxi sup. quæst.1. num.280. & 283.

18 Confirmatur tertio, quia licet pariter societas contrahatur pro maiori quantitate fructuum, quàm illud officium reddat, siue pro maiori summa, quàm valeat illud officium,

cium, iuxta ea, quæ scripsi supra q. 1. nu. 326. & hac ead. q. par. præcedenti num. 35. & quo ad illam maiorem quantitatem sit nulla, tamen remanet valida, quo ad illã quantitatem, cuius officium est capax, Rot. diuers. decis. 336. honorius. initio, vers. dubitaui. in Romana societatum, lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Illustriss. Card. Millino, inter impressas Lugduni 1612. vbi dicit, Dominos de Rota fuisse concordes, quòd societates officij, initæ cum eadem persona super eodem officio, sustinerentur solum vsque ad valorem officij, & non vltra, & sentit etiam in decis. 287. habebat. vers. dubitaui. in Rom. societ. lunæ 28. Ianuarij 1591. coram bon. mem. Card. Blanchetto, dicens, fructus perceptos non deberi vltra summam, excedentem valorem officiorum, & tamen prima societas excedebat valorem officiorum; & decis. 289. domini dixerunt. in fine, inter easdem Lugduni impressas, dicens, quòd Domini censuerunt, pro rata, per quam societates sustineri non potuerũt, fructus exactos cohærere extinctioni sortis principalis, & idem sentiunt Castrac. tract. de societ. offic. cap. 6. sub num. 7. Io: Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 9. tit. de societ. cap. 9. vers. hæc conditio. col. 779. & ita censeo tenendum.

Quicquid de ista validitate dubitet ratione indiuiduitatis Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. num. 102. & pro tota inualiditate affirmet sub num. 126.

19 Confirmatur quarto, quia licet donatio, non insinuata, non teneat in tota summa; tamen tenet in reliqua summa, pro qua insinuatio non erat necessaria, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 311. & sic sustinetur contractus eo modo, quo sustineri potest.

20 Cõfirmatur quinto, quia licet litteræ cambij fictæ non habeãt executionem paratam, tamen habent eam pro ea parte, pro qua sunt veræ, vt ex Nauar. secutus sum infra §. 7. gl. 5. num. 101. vers. subrestringe. Ergo.

21 Quinto, quia vel consideramus resolutionem cambij in mutuum, & tunc succedunt quæ scripsi: vel consideramus simplicem resolutionem contractus; & tunc is, qui accepit pecunias cambio, remanet debitor obligatus ad restituendas pecunias, & non restituendo, tenetur ad interesse, vt ex Rot. diuers. secutus sum supra ampl. 8. num. 194. in fine, in 7. restrict.

Quarè in summa, vel iste mutuator, mutuando, non cessauit à cambio, & tunc poterit consequi solum interesse, quod verè passus est, cum re vera ipse noluerit mutuare, ideoq; mutuatarius tenebatur statim pecunias reddere, cum apud eum remanserint sine titulo, vt ex Rot. secutus sum d. ampl. 8. nu. 194. vel mutuando cessauit à vero cambio, & tunc debetur ei interesse veri cambij, per ea, quæ latè secutus sum ead. ampliat. 8. num. 1. & seqq.

22 Contra hãc ampliationem sentire videntur ij, qui cambia ficta, simulata, seu aliter sicca passim tanquam vsuraria damnant, &, damnando, nullum faciunt verbum de soluendo aliquo interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, vt patet ex his, quæ scripsi par. seq. limit. 7. num. 1. & alijs in locis, in quibus egerim de cambio vsurario.

23 Comprobatur primo hæc opinio contra ampliationem, quia in his, quæ dependent à voluntate duorum, & agitur de obligatione contrahenda, si actus non valet, vt fit, nec valebit, vt fieri potuisset, per ea, quæ allegaui par. seq. limit. 7. num. 5. vers. minusvè. & in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. sub num. 1123. quia in indiuiduis vtile per inutile vitiatur, vt secutus sum d. cap. 11. num. 312. 313. 1121. & seqq. & cap. 7. num. 701. 702. & 706. vbi habes plura exempla, quæ videntur infringere hanc ampliationem.

24 Comprobatur secundo, quia si rationes, adductæ pro ampliatione, essent veræ, sequeretur, quòd quamuis contractus census esset factus sine fundo, seu sine fundo fructifero; & emptor exegisset census annuos, seu is, qui dedit pecunias ad societatem officiorum, exegisset fructus, etiam mortuo officiali, seu vendito officio, posset illos annuos census, & illos fructus non computare in sortem, sed retinere loco interesse, quia mens contrahentium non fuit, vt pecuniæ starent otiosæ, & quia interesse debetur tàm de iure naturali, quàm de iure diuino; & tamen non est ita, quia ille census, seu societas officij resoluuntur in simplex mutuum; & ideo fructus exacti computantur in sortem, vt tenuit sæpe Rot. quam citaui supra ampl. 8. nu. 217. vers. contra hanc. ergo ex hoc apparet, illas rationes esse infirmas.

25 Comprobatur tertio ex sex argumentis, quæ contra hanc ampliationem adducit Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 135. sub num. 131. vers. in contrarium.

num.

num.132.& 133.de vſur. inter tract. diuerſ. tom.7. fol.35.

26 Retenta ampliatione.

Reſpondeo ad adducta in contrarium; & primo dico, quòd licet illi Theologi, qui damnant cambium vſurarium, non faciant verbum de ſoluendo intereſſe; tamen non ſequitur: ergo ſentiunt, intereſſe non eſſe ſoluendum; nam alibi dixerunt, eſſe ſoluendum pro cambio ficco, vt retuli ſupra ampl. 8. num.1.

Ad primam comprobationem patet ſolutio ex his, quæ ſcripſi par. ſeq. limit. 7. ſub num.11.& 12. & in meo tract. de iud. cauſ. lib.2. cap. 11. ſub num. 1123. in futura impreſſione.

27 Ad ſecundam reſpondeo, quòd pecuniæ, exactæ pro fructibus ſocietatis officij, non computantur in ſorte, ſed cedunt loco damnorum, & intereſſe ratione lucri ceſſantis, probatis requiſitis, de quibus ſup. ampl. 8. num.99.& ſeqq. Rot.diuerſ. deciſ.287. habebat. in fine, coram bon.mem. Card. Blanchetto, lun.28.Ianuarij 1591.in Rom.ſocietat.inter impreſſas Lugduni 1612.& ſic illa confirmatio retorquetur.

Ad tertiam ſufficiat pro reſponſione, quòd idem Laur.de Rodulph. qui illa argumenta deducit, firmat hanc ampliationem contra illa argumenta.

28 Reſtringe primo, explicando eandem ampliationem, vt hæc omnia, quæ dixi de ſoluendo capitale, & intereſſe, legitimè probatum, reſecatis vſuris, procedant, quando creditor in iudicio non egerit ad conſequendas vſuras, ſed egerit ſolum ad conſequendum capitale, ſeu etiam intereſſe, de iure legitimè debitum; quia tunc fieret hæc ſeparatio liciti ab illicito, vt creditor conſequeretur licitum; ſecus ſi in iudicio egiſſet ad vſuras, puta, ad duplum promiſſum ex mutuo, & pro iſto duplo eſſet vſus inſtrumento ſine pœnitentia, quia tunc perdit etiam capitale, Laur. de Rodulph. in d.cap. conſuluit.par.2.q.135.in fine, ſub num. 34. verſ.vnum tamen.de vſur.inter tract. diuerſ. tom.7.fol.35.

29 Quicquid dicat Laur.de Rodulph. tu diſtingue duos caſus.

Primus caſus eſt, quando contentio eſt coram iudice ciuili, ciuiliter agendo: & iſto caſu procedit ampliatio, ſiue creditor vſus ſit inſtrumento, ſiue non, & ſiue cum pœnitentia, ſiue non, & ideo Rota in controuerſijs ſuper ſorte, & fructibus ſocietatis officij, nulla facta mentione de crimine vſuræ, ſemper condemnat ad fructus pro rata, pro qua liciti ſunt, & abſoluit à fructibus illicitis, & vſurarijs; vt patet ex dictis ſup.nu.18. in 3.confirmatione.

30 Secundus caſus eſt, quando contentio eſt coram iudice cauſarum criminalium, criminaliter agendo: & iſto caſu, ſuppoſita opinione, quæ ſeruatur in praxi, vt pro crimine vſurarum poſſit procedi criminaliter (de hoc enim non diſputo) concludo, quòd licet creditor poſſit obtinere in eo, quod remanet licitum, per ea, quæ dixi ſupra num.6.& ſeqq. in 4.argum. & infra §.7.gl.5. num.76. verſ. extende. tamen in eo, quod remanet illicitum, & vſurarium, punitur extraordinariè arbitrio iudicis, ad tradita per Clar. recept. ſent. lib. 5. §. vſura. verſ. & ex hoc. & Menoch.de arbitr.iudic. lib.2.cent.4. caſ.398. per totum, & quòd vſuraria prauitas ſit de iure punibilis, dixit Rot. diuerſ. deciſ.332. num. 3. inter impreſſas Lugduni anno 1612.

Extende concluſionem huius ſecundi caſus, vt procedat indiſtinctè, ſiue mutuator exegerit vſuras, quia tunc vſuræ delictum eſt omnino conſumatum; ideoq; punitur in primis criminaliter, & ſecundario condemnatur ciuiliter ad reſtitutionem vſurarum exactarum: ſiue non exegerit, minusvè inſtrumento vſus ſit in iudicio; quia adhuc puniri debet, cum vſuræ delictum conſumetur ſola ſpe recipiendi vltra ſortem, hæcq; ſpes, ſi ſit occulta, punitur in ſoro interiori, iuxta ea, quæ ſcripſi ſupra ampl. 10. ſub num. 87. ſi verò ſit manifeſta iudicialiter, punitur etiã in ſoro exteriori; exactio enim eſſet neceſſaria ſolũ, vt poſſet condemnari etiam ad reſtitutionem, vt dixi ſub eod.nu.87. ſic dicimus in furto, & rapina, quibus aſſimilatur vſura, vt dixi art.pl.præceden. num 64. fur enim, ſi rem abſtulerit, condemnatur etiam ad illius reſtitutionem, ſed ſi non abſtulerit, ſed ſolum fregerit oſtium, ſeu ſcrinium, & impeditus non abſtulerit, adhuc eſt puniendus ſaltem pœna mitiori, quia deuenit ad actum proximum, & immediatum ipſi maleficio, Clar.recept. ſent. lib.5. q. 92. verſ. itias tamen. verſus finem.

31 Declara etiam pro abſoluta intelligentia quando contrahens poſſit puniri pro contractu, diſtinguendo contractus iniuſtos in quatuor ſpecies.

Prima ſpecies eſt cõtractus explicitè vſurarius:

tarius: & in hac specie concludo, non solum contractum esse iniustum cum obligatione restituendi acceptum vltra sortem, tàm iure fori interioris, quàm iure fori exterioris, sed etiam accipientem puniendum esse criminaliter, vt dixi hic supra, quia vsura est rapina, & furtum, vt dixi ampliat. præcedenti, num. 64.

34 Secunda species est contractus implicitè vsurarius, nempe, quando in rei veritate est contractus mutui, sed est fictus, & simulatus alius contractus, & sic est mutuum palliatum, de quo scripsi par. præced. num. 24. & in hac specie considero duos casus: Primus est, quando certò constat de mutuo palliato, vt puta, quia celebratur contractus venditionis cum pacto, vt venditor teneatur redimere quandocunque ad voluntatem emptoris, cuius lucro cedant fructus rei emptæ, de quo contractu locutus sum sup. q. 1. num. 479. & seqq. 487. iuncto num. 475. & isto casu concludo idem, quod conclusi in præcedenti prima specie, nempè, quòd non solum iste emptor teneatur restituere fructus perceptos, seu illos computare in sortem, sed posset etiam extraordinariè puniri: Secundus casus est, quando non certò constat de mutuo palliato, sed potest solum de eo dubitari, vt puta, quia res cariori vendatur pretio pecunia absenti, quàm præsenti, & non constet de certo venditoris interesse propter dilatam solutionem, ideoque non possint contrahentes illud taxare, ne aperiatur via fraudibus vsurarum, iuxta ea, quæ scripsi par. præced. num. 85. quia posset venditor mutuum palliate hoc modo vt, quasi recepto pretio, *de contanti*, illud deinde mutuet vsque ad tempus dilationis conuentæ, simulato interesse: & è conuerso posset esse, quòd re vera venditor pateretur illud interesse, quod sibi, si probaretur, iustè deberetur: similiter posset ille excessus non esse excessus, considerato forsan mali debitoris nomine, item considerata incertitudine futuri pretij, quia tempore solutionis faciendæ posset eo pretio vendi: & isto casu in foro fori ob istas causas, & incertitudines concludo, venditorem non solum non puniri, sed tolerari etiam validitatem contractus, per ea, quæ scripsi d. par. præced. nu. 77. & seqq. & ita seruat vsus, pro cuius ratione facit quod scribunt Doct. quos secutus sum dicto num. 77. & Stracch. tract. de mercat. par. 1. num. 37. tom. 6. par. 1. fol. 286. & quod scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. num. 216. & 217. In foro tamen interiori castigabitur conscientia iniqui.

33 Tertia species est contractus, qui nec explicitè, nec implicitè apparet vsurarius, sed tamen ad euitandam vsuram, quæ in eo posset facilè committi, est à iure damnatus; nulla tamen contrahentibus est imposita certa pœna; qualis est contractus assecurationis, initus inter mutuatorem, & mutuatarium, qui censetur contractus vsurarius, d. cap. vlt. de vsur. & in hac specie concludo, annullari contractum, tanquam illicitum, restitutis hinc inde datis, & acceptis; nulli tamen alteri pœnæ, præter contractus nullitatem censeo esse locum, quia, quando iudicium fertur ex præsumptionibus, pœna criminalis debet cessare, cap. 2. afferte. de præsumpt. etiam si talis contractus sit damnatus tanquam fœneratitius, ideoque Pontifex in d. cap. vlt. non dixit, illum contractum esse vsurarium, sed dixit esse censendum vsurarium.

34 Quarta species est contractus, qui non solum non est explicitè, vel implicitè vsurarius, sed neque est damnatus propter aliquam vsuræ suspicionem; est tamen iniustus, quia nimis altera pars læditur: & in hac specie in foro fori concludo contractum esse validum, vt latè declaraui supra ampl. 10. num. 1. & seqq. in quibus habes totam materiam huius quartæ speciei.

35 Restringe secundo eàdem ampliationem, (dum dixi, quòd mutuatori, qui, vt mutuet, cessat à cambio vero, debetur interesse cambij veri, à quo cessauit) vt hoc dictum non procedat, quando veniret tempus, vt ista cambia nundinaria per litteras amplius non fierent, quia tunc impossibile esset, vt interesse penderet à lucro cambiorum, quæ essent sublata.

Infero ex hac restrictione, quòd si personæ contrahentes essent in locis, in quibus cambia non fierent, tunc non posset inter eas deberi interesse cambiorum.

36 Subamplia omnes ampliationes, in quibus diximus, aliquam personam posse accipere cambio, vt etiam procurator illius, constitutus ad accipiendam mutuam pecuniam, possit eam accipere cambijs, & recambijs, vt secutus sum par. præcedenti sub num. 22.

Absolutis in hac secunda parte ampliationibus, aggredior tertiam, in qua agendum erit de limitationibus.

§. 1.

§ 1. Quæst. 7. Par. 3.

ARGVMENTVM.

Quæ cambia sint illicita.

LIMITATIO I.

SVMMARIVM.

Cambium, cuius lucrum augetur propter auctam dilationem ad soluendum, an sit licitum, num. 1. *& seqq.*

Cambij lucrum potest referri ad varias causas, & sub diuersis contractibus, sub num. 4.

Cambij lucrum qua ex causa accipiatur, non à mercatoribus, sed à Iurisperitis, informatis de facto, est decidendum, sub ead. num. 4.

Cambij interesse debetur, & quomodo ex dispositione iuris communis, & quomodo sit prohibitum à Pij V. constitutione, sub num. 5.

Cambij interesse debetur in foro conscientiæ, non obstante lege positiua, &c. num. 6.

1 LIMITA I. eandem conclusionem, firmatam supra hac eadem q. par. 1. nu. 41. 50. & seqq. & ampliatam par. 2. ampl. 1. & seqq. vt non procedat in cambio, quod propter dilatam solutionem scutorum marcharum, fit pro maiori lucro, vt puta, tu das cambio in Ciuitate Lucensi scutos 100. pro instantibus nundinis Placẽtinis ad rationem solidorũ 65. pro scuto marcharum, deinde, cui dedisti cambio, prorogas tempus solutionis vsque ad alias sequentes nundinas, cum pacto, quòd cambium intelligatur, non ad rationem conuentam sol. 65. sed sol. 64. quia hoc cambium non est licitum, ex quò lucrum vnius solidi pro scuto marcharum fundatur in solo tempore, Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, pro decisione. sub num. 45. vers. non solet. & num. 46. fol. 410. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. vers. tertia conditio. & quòd cambium ratione temporis neutiquam possit esse licitum, quippe quod manifestam habet rationem mutui, cuius ideo pretium apertam habet vsuræ iniquitatem, firmat Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 2. in concl. responsiua, col. 2. fol. 611. & q. 12. art. 5. in fine initij, & per totum, fol. 625. &, quòd emens marcham auri minori pretio, eò quia vendenti facit dilationem ad soluendum marcham, vt puta, debet venditor tradere in nundinis apparitionis, & emptor dat ei terminum, vt tradat in nundinis Paschatis, contrahat cambium iniustum, & vsurarium, scribit Fabian. Genuen. tract. de camb. initio, sub num. 15. tom. 6. par. 1. fol. 412. &, quòd non sit contractus cambij, sed sit contractus mutui palliati sub nomine cambij, quando quis dat cambio, & postea tempore soluẽdi litteras cambij, requisitus ab eo, qui accepit, prorogat ei tempus ad soluendum vsque ad sequentes proximas nundinas, cum pacto, quòd sibi detur id, quod respondebunt vera cãbia in illis sequentibus nundinis, & quòd lucrum, proueniens ex cambio, computetur in capitale, ac si ipsi fuisset verè exbursata pecunia capitalis cum lucro, & postea iterum illam vnà cum lucro eidem dedisset cambio, scribit Fabian. Genuen. d. tract. de camb. initio, num. 19. fol. 412. quia si mercator emeret marcham auri minori pretio, eò quia anticipatè eam solueret, esset emptio, idest, cambium illicitum, quia lucrum esset fundatum in solo tempore, Fabian. Genuen. vbi supra num. 14. vers. secunda. fol. 411. &, quòd non liceat plus iusto pretio accipere ob expectationem, & dilationem ad sequentes nundinas, & accipiẽs peccet mortiferè, cum obligatione restituendi, scribit Nauar. in cap. nauiganti. num. 75. vers. sexto quod hanc. in fine, & sub num. 76. vers. concedimus. ibi, quarta quæ. de vsur. &, quòd non possit augeri, seu minui pretium cambij, eò quòd solutio cambij mandetur *ad vso*, vel *à poliza vista*, scribit Ioan. Bapt. Cauar. tract. de camb. tit. de litter. vers. quæro an liceat. fol. 224. &, quòd omnia cambia, quibus accedit lucrum solum ratione temporis, sint sicca, ideoq; prohibita tanquam vsuraria, scribit Sot. d. lib. 6. q. 8. art. 2. col. vlt. initio, fol. 606. &, quòd illicita sit prorogatio cum lucro, sequitur Hier. Gabr. conf. 158. constitutio. num. 3. lib. 2. & hæc est doctrina communis in quouis contractu emptionis, & venditionis, vt scripsi supra par. 1. num. 24. vers. & quamuis. & num. 27. & cum hac limitatione benè concordant, quæ scribunt Boninf. & Virgin. de Boccat. quos secutus sum limit. seq. sed quid egemus Doctorum auctoritate, si habemus Pij V. constitutionem, qua duobus in locis, nempè, ibi, *sed & in ipsis cambijs.* & ibi, *curandũ autem, &c.* expres-

expressè damnantur cambia, quorum lucrum sumitur ex distantia, & propinquitate temporis, & habemus etiam rationem naturalem euidentem, quia tempus non potest parere pecuniam.

2 Contraria opinio, nempè, hoc cambium esse licitum, suaderi videtur ex eo, quia illud lucrū, seu interesse non consideratur ratione temporis, vt dicitur in limitatione, sed consideratur ratione valoris marchæ, quia marcha, seu alia res, quò tardius venit cōsignanda emptori, eò minoris æstimatur, quia sicut dilatio, data emptori ad soluēdum pretium, facit, vt pretium æstimetur minus, vt secutus sum supra par. 1. num. 80. vers. quarta causa. & vers. comprobatur quarto. ita etiam dilatio data venditori ad tradendam rem, potest eā reddere vilioré, cum finis mercatoris sit, commutando, lucrari, & marchas non emat, vt illas habeat, sed vt iterum commutet, prout latius dixi supra par. 1. num. 76. quare videtur iuri, & æquitati consonum, vt si venditor vult tardius consignare rem venditam, emptor possit minori pretio emere, loquendo de mercatore, qui emit ad finem reuendendi: tunc enim inspicitur mercatoris interesse, quod ratione temporis augetur: & dato, quòd debeatur interesse, necesse est, vt habeatur ratio temporis, sicut & in reliquis contractibus lucratorijs, seu frugiferis, vt in censu, societate officij, & similibus, cum tempus sit mensura ipsius interesse; ideoque plus debeatur pro vno anno, quàm pro vno semestri.

Comprobatur hæc opinio, quia illud, quod datur loco interesse, est licitum, etiam si daretur pro mutuo formali, vt latè dixi par. præced. ampl. 8. nu. 1. & seqq. & quamuis correspectiuaretur temporis quantitati, vt secutus sum supra par. 1. sub num. 76. vers. sed in. & sub num. 77. vers. prima.

At id, quod datur propter dilatam solutionem, succedit loco interesse, quando creditor est mercator, & ostendit iudici interesse, quod est passus: ergo.

3 Fulcitur hæc comprobatio decreto quorundam Parisiensium anno Domini 1517. qui censuerunt, vt mercatores ratione temporis possent pretium recipere propter lucrum cessans, laborem, & industriam, ita vt si, intercalatis nundinis, solutio cambij in alias differatur, tunc quò longius fuerit tempus, plus recipi possit.

Nec obstat, quòd contra hoc decretum scribit Sot. de iust & iur. lib. 6. q. 12. art. 5. col. 3. fol. 526. Quia respōdeo, quòd Sot. non impugnat, quòd interesse lucri cessantis, causatum debeatur, sed impugnat, seu verius negat, interesse causari, seu deberi ratione solius temporis; & in hoc sumus concordes, quòd tempus de per se solum non sit aptum producere interesse, sed tempus cum alio, puta, labore, industria, & occasione semper est mensura ipsius interesse, quod debetur: & certè valdè miror, quòd Doct. ita variè, & acerrimè contendant de eo, in quo sunt concordes: nam nemo eorum est, qui neget, interesse promissum, & etiam non promissum, quando debitor est morosus, deberi, dummodo interesse concludenter probetur; siquidem interesse debetur omni iure, vt secutus sum par. præced. ampl. 8. num. 96. sub ampl. 5. nemo etiam est, qui dicat, interesse deberi ex solo cursu temporis, cum tempus non generet, sed mensuret interesse; & propterea, vbi interesse non extat, tempus non potest illud mensurare: controuersia igitur inter Doct. debet esse circa ipsius interesse probationem; nunquid scilicet probatio præsumptiua sufficiat, quando petens interesse est mercator, solitus negotiari, & lucrari, de qua re scripsimus hac ead. q. par. præced. ampl. 8. num. 224. & seqq.

Pro concordia, & maiori intelligentia firmo duas breues conclusiones, faciles in iure, sed difficiles cum applicantur facto, & ab his pendet suprema cognitio, an negotiatio cambiorum sit vsuraria.

4 Prima conclusio est, quòd cambium, ex quo campsor lucraretur ratione solius temporis, esset vsurarium, & ita procedit limitatio, quæ est verissima, & admittitur ab omnibus sine controuersia.

Ex hac conclusione grauiter ab aliquibus dubitatum est, an negotiatio cambij sit in vniuersum damnanda: & ratio dubitandi procedit non ex iure, sed ex facto; quia dum dantes cambio, eò plus lucri percipiunt, quò distantius à nundinis dant; videndum est ex qua causa plus percipiant; nam si percipiant eò, quia diuturniores sustineant labores, & maiores faciant impensas, aut saltem grauius patiantur interesse lucri cessantis, admittunt etiam ipsi, licitam esse negotiationem, & iustum fore lucrum; at si lucrum non ex alia percipiant causa, nisi ob distantiam temporis, negotiationem, & lucrum absolutè, & rectè damnant; huiusq; dubita-

tionis resolutionem petendam esse aiunt; non à Iurisperitis, sed ab ipsis mercatoribus, negotiatoribusq; cambiorum, cum sit quæstio facti, ad quam Iureconsultus non respondet, sed respondent negotiatores, cum ipsi sciant ex qua causa lucrum accipiant.

Dubitatio hęc (certè colorata) etsi à nobis satis sublata videatur ex his, quæ scripsimus hac ead. q. par. 1. num. 75. & seqq. tamen vt hic formaliter respondeamus, dico, cambij lucrum posse diuersimodè referri; vel enim refertur ad mercedem laborum, & impensarum, quas facit campsor, & tunc cambium est veluti contractus locationis, & conductionis, vt dicebamus supra q. 4. num. 20. vel refertur ad pretium, quo emuntur, & venduntur scuti marcharum, & tunc est emptio & venditio, vt dicebamus ead. q. 4. num. 21. vel refertur ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis, & tunc est contractus innominatus, vt dicebamus ead. q. 4. num. 17. seu est mutuum, pro quo deberi etiam interesse lucri cessantis, dicebamus hac ead. q. par. præced. ampl. 8. num. 1. & seqq. in pluribus locis; vel refertur ad inæqualem valorem monetarum, quæ commutantur, & tunc dicitur permutatio, vt dicebamus d. q. 4. num. 18. & quisquis sit ex his cõtractibus, lucrum potest non à distantia tẽporis procedere, sed à natura prædictorum contractuum; & licet locans, carius locet, emptor, vilius emat, patiens interesse, pluris illud æstimet, & permutans, inæqualiter æstimet; tamen iniustitiam, non vsuram dicuntur committere: demus etiam, quòd pretij, seu lucri quantitas videretur quandoque temporis distantiæ, & propinquitati correspectiuari; tamen si cambium sumatur pro locatione, & conductione, posset illa correspectiuitas iustificari à maiori, & minori labore, & impensa; similiter si sumatur vt emptio, & venditio, posset iustificari à maiori, & minori copia marcharum, seu emptorum, & venditorum; quòd si sumatur vt contractus innominatus, seu vt mutuum, posset iustificari à maiori, & minori interesse, vt dicebamus supra hac ead. q. par. 1. sub num. 75. & seqq. vbi abundè satisfecimus; sicque hæc singula possent habere proportionem cum tempore; &, quod dicimus de interesse, potest conuenire etiam in permutatione, si ex tarditate permutantis in non tradendo alter permutans, qui dedit, pateretur interesse, proceditq; maximè hæc iustificatio, accedente prudentum virorum approbatione: licet etiam lucrum cambij quandoque excedat laborum, expensarum, & similium quantitatem, ideoque videatur inæquale, tamen hæc inæqualitas, vti accidentalis, non consideratur, per ea, quæ latè scripsi par. præced. ampliat. 6. num. 1. & seqq. num. 13. & 14. Et quia eiusmodi causæ, à quibus pendet iustitia cambij, eiusq; lucri, sunt occultæ, cognitu non faciles, & admixtam habent iuris dispositionem, non à mercatoribus, sed à peritissimis viris, informatis de facto, petenda est propositæ dubitationis resolutio; & interim cambiorum negotiatio, quæ ex prædictis causis communiter est recepta, licita reputatur; & mercatores, alijq; negotiatores, qui propterea sub bona, & publica fide negotiantur, non tenentur vlterius de huius negotiationis iustitia inquirere, quia esset plus sapere, quàm oporteat: debent tamen diligenter obseruare, vt contrahant iuxta receptum, & approbatum morem contrahendi, pretia iusta non excedant, à fraude, & dolo sint vacui, & conscientiam repugnantem purgent.

5 Secunda conclusio est, quòd cambium, ex quo campsor propter distantiam, seu prorogationem temporis auget lucrum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, est instum non in ratione cambij, sed in ratione interesse, quod debetur pro quouis credito, etiam si sit mutuum, vt dixi par. præceden. ampl. 8. num. 1. & seqq. & debetur etiam de iure diuino, vt secutus sum ead. ampliat. 8. num. 96. & ita potest procedere opinio contra limitationem.

Infero primo ex hac conclusione, cambij interesse deberi, non in vim promissionis, & taxationis factæ inter ipsos cambientes, quia obstat Pij V. constitutio de cambijs, sed deberi in vim dispositionis iuris communis, quando interesse verè, & iudicialiter probetur, vt secutus sum supra q. 1. num. 57. & 58. & hac ead. q. 7. par. præced. ampl. 8. nu. 296.

De taxatione huius interesse vide quæ scripsi ead. ampl. 8. num. 23. 25. & seqq. 99. & seqq. 221. & seqq.

6 Infero secundo, quòd etsi lex positiua, ad obuiandum fraudibus vsurarum, posset indistinctè prohibere, ne cambiorum interesse debeatur; tamen hæc prohibitio (quam hucusque non habemus, nisi respectu cambientium, quibus prohibitum est, nec de certo, taxatoque interesse conueniant in contractu cambij) non haberet locum in foro interiori,

quia

quia in eo cessat lex positiua, fundata in præsumptionibus ad obuiandum fraudibus, & attenditur veritas, vt multis diximus in locis.

LIMITATIO II.

SVMMARIVM.

Cambium pro pluribus nundinis simul est illicitum, num. 1. Maximè si haberet pactum, quòd campsuarius antea soluere non possit, num. 2.

1 LIMITA II. vt non procedat in cambio, iniro pro duabus, aut tribus nundinis simul, quia esset vsura, Fabian. Genuen. tract. de camb. initio, sub num. 15. ibi, & multò magis. tom. 6. par. 1. fol. 412. Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. il cambiare. fol. 23. dicens, quòd cambium pro duabus nundinis, seu ad longius tēpus, emendo marchas minori pretio, est omnino illicitum, & iniustum, quia emitur tempus, & sic est vsura, Virgin. de Boccat. tract. de interdict. vti possid. cap. 18. num. 178. & 179. tom. 3. par. 2. fol. 317. & Io. Azot. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. vers. quinta conditio. sed hæc limitatio satis continetur in prima præcedenti, eiusq; veritatem frustra Doctorum auctoritatibus conamur ostendere, cum illam habeamus expressam in Pij V. constitutione, quam habes impressam apud Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 300. Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 26. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 139. & infra §. 9. num. 52.

2 Extende hanc limitationem, vt præcipuè procedat quando campsor, qui dat cambio, apponit pactum, quòd campsuarius, qui accipit, non possit antea soluere, seu, vt aiunt, *rimetterui sopra*. idest, quòd neque per litteras suas, neque per litteras alterius possit in nundinis sequi solutio, quia eiusmodi pactum facit cambium siccum, & ideo vsurarium, Alex. Raud. in opusculo super banc. S. Ambr. num. 45.

Declara hanc limitationem ex his, quæ latè scripsi in limitatione præcedenti, & præsertim num. 4. & seqq.

LIMITATIO III.

SVMMARIVM.

Cambium pro pluribus terminis ad rationem tot pro centenario, &c. est illicitum, num. 1.

1 LIMITA III. quando mercator dat pecunias nomine cambij pro tribus, seu quatuor terminis, sibi in alia Ciuitate soluendas ad rationem trium, seu quatuor pro centenario, iuxta numerum mensium, superaddendo singulum pro singulo mense, vt faciunt in Hispanijs, quia eiusmodi cambium est illicitum, Fabian. Genuen. tract. de camb. initio, num. 17. tom. 6. par. 1. fol. 412. & quòd si mercator hic Romæ det clerico mille florenos sub nomine cambij pro expeditione bullarum, sibi restituendos Parisijs inde ad sex menses in moneta, ibi currenti, & cum pacto, quòd vult quinque pro centenario, sit vsura, scribit Archiepisc. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. vlt. num. 83. & 84. tom. 7. fol. 86.

Et quia hæc limitatio est eiusdem speciei, cuius sunt prima, & secunda præcedentes, quæ inter se non differunt, nisi respectu accidentium, & indiuiduorum; idcirco quæ dixi circa primam limitationem, superfluum est hic repetere.

LIMITATIO IV.

SVMMARIVM.

Cambium restituendum in eodem loco, &c. idest, cambium per Venetias, vel ad libras grossorum, est siccum, & illicitum, nu. 1. & seqq. Et quando sit illicitum etiam pro alio loco, sub num. 4. confirmat. 1.

Cambium, quo campsuarius obligatur remittere ad campsorem totum cambium in loco, vbi est initiatum, est illicitum, num. 3.

Cambium pro Placentia, cum pacto, quod campsuarius soluat id, quod solueret, si fuisset cambium pro Indijs, est illicitum, num. 4.

Cambium quando sit vsurarium, cognosci potest ex regula mutui, sub nu. 4. confirm. 2. & n. 5.

Mutuum est vsurarium, si mutuatarius gratia mutuatoris obligetur restituere alio in loco, vbi mutuatum pluris valeat, num. 5.

Argumentum de tempore ad locum valet, nu. 6.

Cambium ex loco ad locum, inter quæ sit inæqualitas valoris monetæ, est illicitum, si fieret, non habita inæqualitatis ratione, num 7. & 8. vbi hoc idem declaratur in mutuo.

1 LIMITA IV. vt non procedat in cambio, cuius pretium sumatur non ex loco, vbi destinatur solutio, sed ex alio, vbi cambij pretiũ verisimiliter sit maius, & præsertim si solutio directè, vel indirectè destinetur pro eodem loco, vbi contractum est cambium.

Exemplifica hanc limitationem; ego, egens Florentiæ decem libris grossorum (& libra grossorum sunt decem ducati) recipio à campsore in eadem ciuitate Florentiæ 106. florenos, vel plus, minusvè, sicut tunc currunt cambia, & valent 10. libræ grossorum in dicta ciuitate Florentiæ, cum pacto, quòd inde ad vnum mensem teneat eidem campsori restituere in eadem ciuitate Florentiæ tantum, quantum intra decem dies, computandos à die initi cambij, valebunt 10. libræ grossorum in ciuitate Venetiarum, quæ aliquando valent plus, aliquando minus, & sic campsor aliquando perdit, aliquando lucratur, licet vt plurimum lucretur; certè eiusmodi cambium, quod vocant, per Venetias, seu cambium siccum, vel ad libras grossorum, est illicitum, Card. de Turrecrem. in cap. nec hoc quoque. num. 8. vers. alius modus. 14. q. 4. Archiepisc. Florent. tract. de vsur. cap. 2. §. 49. num. 81. tom. 7. fol. 86. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 9. vers. campsor. col. 6. fol. 375. & Fab. Genuen. tract. de camb. initio, num. 18. tom. 6. par. 1. fol. 412. & consequenter est etiam illicitum, si adderetur pactum, quòd ego, volens tenere dictas libras grossorum, possim, sed cum eodem pa-

2 cto, vt supra. † & ratio, quare hoc cambium sit illicitum, est, quia etsi dictæ libræ possint Venetijs valere plus, & minus, & sic mercator possit perdere, & lucrari; tamen; quia vt plurimum valent plus, & sic contractus est inæqualis, cum se habeat probabilius ad lucrum, quàm ad damnum, & hoc procedit ex solo tempore, quod conceditur ad restituendam pecuniam; contractus est de mutuo, & ideo est vsurarius, Card. de Turrecrem. Medin. & Fabian. in locis supra proximè citatis.

3 Infero primo, explicando hanc limitationem, quòd illicitum esset cambium, si Titius daret mihi cambio scutos 1000. pro foro Placentiæ cum pacto, quòd ego ex illo foro eosdem scutos marcharum, quos illic debeo, tenear meis expensis remittere ad eundem locum, in quo accepi cambio, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 14. sub num. 10. vers. sequitur secundo. tom. 2. fol. 599.

4 Infero secundo, explicando eandem limitationem, quòd si tu hic Romæ dares cambio pro proximo foro Placentiæ, cum pacto, quòd in eo foro soluatur tibi valor cambij, ac si dedisses cambio pro Indijs, vbi vnus scutus, datus hìc Romæ, pluris valet, quàm Placentiæ, cambium esset illicitum.

Confirmatur primo extensiue eadem limitatio, & hæc illatio, quia si nummularius det in ciuitate Genuæ cẽtum aureos ea conditione, vt is, cui dat, teneatur totidem restituere, vbi certo, vel probabili ratione sunt plus valituri, cambium est siccum, Medin. d. q. 9. vers. est aliud tertium. col. 6. fol. 375. & Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 10. vers. quinto cum. col. 887.

Confirmatur secũdo, quia illud augmentum vltra sortem, quod facit, mutuum esse vsurarium, illud idem augmentum vltra iustum pretium cambij facit, cambium esse illicitum, cum mutuum, & cambium multum simbolizent, ideoq; cambium sit valdè suspectum de vsura; vt patet ex his, quæ scripsi supra hac ead. q. par. 1. num. 22. & seqq. sicq; ex regula mutui cognosci potest, an cambium sit vsurarium.

5 Sed mutuum ita est vsurarium, quando mutuator obligat mutuatarium ad restituẽdum in tempore, quo res mutuata pluris valet, vt secutus sum ead. par. 1. num. 31. in fine, & num. 32. sicut quando obligat ad restituendum in loco, in quo pluris valet, vt puta, si tu mutuas frumentum in Apulia, vt tibi eadem quantitas restituatur Lucæ, vbi frumentum est carius, per eã, quæ scribunt Medin. quem secutus sum infra num. 8. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 310. vers. quod attinet ad quartum. col. 259. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 33. vers. tertio dicimus in mutuo. col. 324. dicens ex Nauar. iniustum esse mutuum, in quo mutuatarius obligatur mutuum restituere in loco, in quo sibi est damnosum, & contra æqualitatem iustitiæ, & consequenter contractus non est ex vtraque parte æqualis. Ergo.

6 Comprobatur hæc minor propositio, quia valet argumentum de tempore ad locum, l. vlt. ff. de condict. tritic. & latè Euct. de locis,

cis, argum.in loc. à temp. ad loc. quod in materia intereſſe copioſè ſecuti ſumus ſup. hac ead.q.par.1. ſub num.76. verſ. ſed in mercatoribus. & ratio huius minoris propoſitionis eſt, quia obligatio reſtituẽdi in certo tempore, vel certo loco ęquè acceſſionem, & augmẽtum poteſt veriſimiliter parere; quod profectò pecunia æſtimari poteſt; quare ſi tu, cui ego mutuo, eſſes reſtituturus in loco diſtanti, ita vt ad reducendum mutuatum ad domum meam, requirerentur impenſæ, poſſem ſine vſuræ labe ratione illarum impenſarum vltra ſortem accipere, vt ſecutus ſum ſum ſup.q.1.num.423.

Ergo idem dicendum eſt in cambio, cuius iuſtum pretium ratione temporis, vel loci alteraretur.

7 Nec obſtat, quòd Ioan. Azor. d.cap. 33. verſ. hinc conſequitur. col. 324. loquendo de mutuo, dixerit, quòd, ſi Titius in India mille aureos mutuo dederit Caio hac conditione, vt poſſit eos exigere ab eodem Caio in India, vel vbicunque Caius poſtea extiterit, tunc, ſi Caius Romæ fuerit, poſſit Titius eos integros mille aureos Romæ à Caio exigere; nec, inquit, tenetur Titius ſoluere cambia, vel expenſas, quibus Caius pecuniam ex India in Vrbem deportauit, quia initio contractus fuit talis conditio adhibita, inquitque, nihil referre, quòd Romæ pluris æſtimentur aurei, cum potuerit euenire, quòd Caius ſolueret alibi, vbi minoris æſtimarentur, & ſic conuentio appoſita, quia potuit cedere in bonum, & in damnum ex æquo vtrique, ideo eſt ſeruanda.

8 Quia reſpondeo, Azorium videri deceptum in duobus. Primo, quia Nauar. in man.confeſs.cap.17. ſub num.43. verſ.quæſtionis, quem allegat pro ſua opinione, tenet contrarium, videlicet, quòd mutuarius videatur liberandus, ſoluendo illa integra mille in India, aut etiam in Vrbe, deductis cambijs: Secundo videtur deceptus, dum approbat illam conditionem appoſitam in mutuo; nam illa conditio, prout obligat mutuatarium etiam pro locis, vbi veriſimiliter pluris valituri sũt, quàm in India, eſt obligatio inęqualis, cum non obliget etiã pro locis, in quibus veriſimiliter minoris valituri sũt, ideoq; eſt iniuſta, & vſuraria: vnde Medin. in ſuis tract.tom.2.tit.de reb.per vſur.acquiſ.q. 9.verſ.eſt aliud tertium.fol.375. benè diſtinguit; an hoc pactum de reſtituendo mutuum alio in loco apponatur à mutuante, vt iſto caſu mutuatio non ſit gratuita, ſed cum onere, mutuatario iniuncto, ad quod cum ratione mutui minimè teneatur, contractus, inquit, eſt vſurarius; an verò hoc pactum ſit appoſitum per mutuatarium, & tunc, inquit, mutuatarius imponit mutuanti onus mittendi famulum in illum alium locum, vbi ſolutionem recipiat, & hac ratione, inquit, mutuator poteſt pro iſto intereſſe aliquid proportionatum exigere vltra ſortem.

Minus obſtat, quod ſcribit Molin. d.diſp. 310.verſ.quod attinet ad quartum.col.259. dicens, quòd ſi mutuatarius indigeret tritico in alio loco, quod poſtea facilè hic perſolueret, neque eſſet incrementum in maiori valore inter vnum, & alterum locum, tunc nõ eſſet vſura mutuare in illo alio loco, cum pacto, vt ſolueretur poſtea hic, quamuis contractus cederet in commodum mutuatoris, quoniam re vera iſte contractus eſſet potius permutatio, quàm mutuum, & licet, inquit, cederet in commodum mutuatoris, tamen non redundaret in damnum, & grauamen mutuatarij, & hoc ſufficit ad iuſtitiam contractus, & ad excludendam vſuram.

Quia reſpondeo, quæſtionem pendere ex facto, non ex iure: nam, excluſo grauamine mutuatarij, & data permutatione æquali, nulli dubium eſſe debet contractum eſſe licitum; & è conuerſo, ſuppoſito aliquo mutuatarij onere ſibi damnoſo, mutuum eſſet vſurarium; attendendæ propterea ſunt facti circumſtantiæ.

LIMITATIO V.

SVMMARIVM.

Cambium ſine litteris cum pacto, quòd ſoluatur lucrum cambij veri, & realis, eſt vſurarium, num. 1. 2. 5. & 6. Recta conſideratione contraria, de qua num. 3. & 4.

Declaratur hac limitatio, quomodo litteræ ſint neceſſariæ, ſub num. 6.

Intentio contrahentium non tollit iuſtitiam contractus, in qua ſeruata ſit æqualitas iuſtitiæ commutatiuæ, num. 7.

1 LIMITA V. in cambio ſine litteris, inito pacto, quòd accipiens cambio teneatur ſoluere lucrum veri cambij, prout ſoluitur Placentiæ, aut alio in loco, vbi cambiorum nundinæ haberentur,

eundo, & redeundo, quia eiusmodi cambium est fictum, siccum, & ideo vsurarium, Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. ma quanto poi. & in latinè reddito, sub num. 2. vers. quo verò. num. 3. 4. & seqq. Rot. diuers. decis. 775. dubitatum fuit. num. 1. in fine, in Mediolanen. pecuniaria, mercurij 27. martij 1602. coram R. P. D. Litta in impressis Lugduni anno 1612. & esse cambium siccum, quando nullæ ex loco ad locum mittuntur litteræ, sed nummularius fingit, se litteras misisse, scribit Ioan. Azor. de instit. mor. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 10. vers. primo quando. col. 886. & quòd conuentio, quòd debitor, non soluens intra terminum conuentum, teneatur ad cambium, & nomine cambij veri, & realis super nundinis Benzezoni, Lugduni, & Mediolani, & teneatur stare circa dicta cambia, & recambia, ac expensas ad simplex dictum ipsius creditoris, sit cambium siccum, quia non apparet, quòd litteræ fuerint missæ ad dictas nundinas, nec quòd ibi cambia, & recambia fuerint decursa, nec quòd aliquæ expensæ ob id factæ fuerint, licet in libro ipsius creditoris fuerit descriptus cursus cambiorum, & recambiorum dictorum locorum, & expensæ solitæ fieri in dictis nūdinis, & ideo, cum non fuerit reale cambium, & expensæ verè factæ non fuerint, non possit peti interesse, & cambium, nec expensæ, quia cambia, & expensas reciperet absque aliquo periculo, & dum staret ad mensam, & in lecto, & in domo sua, & esset contra naturam conuentionis, in qua cautum est, vt ipse debitor soluat pecunias cum cambijs, recambijs, damnis, expensis, & prouisionibus superinde cursuris, & sic erant transmittendæ litteræ ad loca nundinarum, & ibi per receptorem, vel agentes eius soluenda erat pecunia, alias dicitur cambium siccum, & iniustum, scribit Borgn. decis. 2. supra in proxima. sub num. 23. vers. & circa. par. 2. &, quòd cambia, pro quibus non transmittuntur litteræ, sint illicita tàm de iure communi, quàm ex constitutionibus Pontificijs, scribit Butsat. cons. 399. breuiter dicam. sub num. 27. vers. secundo non apparet. & num. 29. in fine, lib. 4. & quòd cambia simulata sint reprobata per constitutionem Pij V. quando scilicet datur alicui pecunia Barchinoni, litteris acceptis à recipiente, vt ei soluantur tot marchæ Lugduni, quæ litteræ vel non mittuntur, vel inanes redeunt, pecuniasque, transacto tempore nundinarum, eadem persona, quæ eas accepit, soluit cum lucro illarum nundinarum in eadem ciuitate Barchinonensi, scribit Hier. Gabr. cons. 158. constitutio. num. 1. lib. 2. & ratio est, quia re vera est mutuum, & ideo, qui talia lucra accipit, tenetur ad restitutionem, Fabian. Genuen. tract. de camb. initio, num. 22. tom. 6. par. 1. fol. 412. Et demum eiusmodi cambium sine litteris esse siccum, dicit, & damnat Pij V. constitutio, de cambijs.

2 Imò non solum sunt necessariæ litteræ, & earum transmissio, sed requiritur, vt is, qui dat cambio, opinetur, seu speret, illas non reuersuras inanes, alias si litteræ ita mittantur, vt eo, vnde processerunt, inanes referantur, contrahentes essent in mala fide, & ideo haberent conscientiam maculatam, & consequenter contrauenirent menti constitutionis Pij V. vt aduertit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. vers. primum igitur. col. 880. & faciunt quæ retuli supra ampl. 17. nu. 7. & seqq. & quando ita mittantur, vt inanes redire debeant, dixi etiam infra §. 6. gl. 1. sub num. 20.

Ratio videtur manifesta, quia litteris mādatur, vt solutio fiat alio in loco, quàm vbi campsor dat pecunias cambio: ergo, si litteræ non mittantur, euidens est, quòd intendunt, solutionem, seu restitutionem pecuniarum faciendam esse eodem in loco, vbi pecuniæ datæ sunt, & consequenter est mutuum, vt ex Caiet. & Sot. secutus sum infra limit. 7. num. 1.

3 Contra hanc limitationem oppono, quòd illa litterarum missio ad Placentiam, Lugdunum, Bezenzonum, & similia nundinarum loca nullum bonum operetur effectum, imò causet damnum expensarum pro prouisionibus, & gabellis, & quandoque etiam pro provenetis, & quo ad contractus iustitiam, & iniustitiam, quæ principaliter attendi debet, est missio inanis, & inutilis, prout dicunt, & seruant campsores, & referunt, sed damnant Boninf. tract. de camb. cap. 5. vers. dipoi questa. fol. 11. & in latinè reddito, sub num. 3. vers. præterea. & num. 4. Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. præter iniustitiam. lib. 5. de vsur. Fabian. Genuen. sub d. num. 22. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 29. vers. sequetur. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139.

4 Neque huic oppositioni satisfacere videtur Boninf. eod. tract. de camb. cap. 7. vers. ma

ma quanto poi. fol. 19. & in latinè restituto sub num. 3. & 4. dum ad ostendendum, litterarum missionē esse omnino necessariam, & respondendo huic oppositioni, hanc dat instantiam: idem effectus lucri potest procedere à negotiatione licita, & à negotiatione vsuraria, & tamen non tenet consequentia, quòd vtrumque lucrum sit licitum: item, inquit, in cambio per litteras cum diuersis, qui dat cambio, non vnius, sed plurium decoctioni, & fallimento se exponit, & vbi versatur maius periculum, ibi lucrum est magis licitum, & ex cambio cum diuersis personis resultat certior vtilitas mercaturæ.

5 Non discedo à limitatione, quia etsi Boninsignij responsio non videatur satisfactoria, siquidem, ostendendo, non tenere consequentiam hanc (ex contractu licito potest accipi hoc lucrum, ergo potest accipi etiam ex contractu illicito) non destruit oppositionem, quæ ostendit, litterarum missionem esse damnosam debitori, & vtilem creditori; tamen limitatio est verissima, & oppositioni respondeo ego, quòd etsi ex cambio vero, & reali ad rationem sex pro cẽtenario, plus, minusvè, prout erit cursus cambiorum, campsuarius maius sustineat onus, quàm mutuatarius, qui solueret ad rationem duorum pro centenario, nihilominus cambium est licitum, & mutuum est illicitum.

6 Retenta limitatione.

Declara eam, vt litteræ non sint præcisè, & simpliciter necessariæ, sed solum requirantur, prout patefaciunt, cambium fieri non pro eodem loco, sed pro alio distanti, & ad ostendendum, solutionē verè faciendam esse tempore nũdinarum proximarum, ita vt, cũ, litteris non confectis, hæc non appareant, ideo cãbium sine litteris dicatur siccum, & ita procedit limitatio: cęterũ si, litteris etiam non confectis, appareret, cambium verè, & realiter fieri pro alio distanti loco, & cum sincera cambientium intentione, vt sequatur solutio in proximis nundinis, tunc nihil referret, an fieret cum litteris, vel sine litteris, quod scripsi etiam supra q. 5. num. 10. & 13. & præsertim in foro interiori, quia litteræ non sunt de iustitia cambij, sed solum sunt ad ostendendam iustitiam cambij, quæ si aliter, quàm per litteras, appareat, superfluæ sunt litteræ.

7 Subdeclara obiter hanc declarationem, vt sinceritas intentionis cambientium circa speratam solutionem in proximis nundinis, non sit necessaria ad iustitiam cambij; quare licet campsor, & campsuarius vnanimiter sperarent, & desiderarent protendi solutionem, saluo interesse campsoris, & postea fieri debere eodem in loco, tamen remanet iustitia cambij, quia iustum, & iniustum non consistit in bonitate, aut prauitate animorum, & intentionum, sed consistit in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate, vt ex Arist. & S. Thom. sequitur Nauar. in cap. si fœneraueris. not. 16. num. 53. vers. nam vt supra. 14. q. 3. quare, seruata æqualitate iustitiæ commutatiuæ, intentio deprauata contrahentis non tollit iustitiam contractus, sed poterit esse contra charitatem, & ideo eatenus peccaminosa.

LIMITATIO VI.

SVMMARIVM.

Cambium est illicitum cum obligatione ad restituendum, si campsor plus iusto pretio exigat, eò quia campsuarius sit in necessitate accipiendi cambio, num. 1. & seqq. Secus si plus iusto pretio exigat, quia se exponit periculo perdendi etiam capitale, num. 2. 4. & 5.

Vendere carius, / Emere vilius — propter necessitatem emptoris, & seu venditoris est illicitum, num. 3.

Periculum est pretio æstimabile, & nemo tenetur se illi exponere, num. 4.

Assecuratio est contractus emptionis, & venditionis, num. 5.

1 LIMITA VI. vt non procedat quãdo campsor emit marchas minori pretio eo, quod est impositum, seu quod currit, quod potest contingere duplici casu: Primo, quando campsuarius, imminente negotio, seu casu, cui illicò occurrendum sit, vrgetur accipere ad cambium eo pretio, quo potest. Secundò, quando campsuarius non est, vt loquuntur, *bona littera*, ideoque qui daret ei cambio, staret in periculo, vnde vt inueniat campsorem cogitur marchas vendere viliori pretio.

2 Declara istam limitationem, vt in primo casu, quando campsor, qui dat cambio, emit marcham minori pretio propter vrgentem necessitatem venditoris, cambium sit illicitum in foro conscientiæ, Fab. Genuen. tract. de camb. initio, sub num. 38. vers. septima.

prima, tom.6.par.1.fol. 414. ideoq; tenebitur campsor ad restitutionem, & forsan ad eam cogi posset etiam in foro exteriori, quasi cambium sit etiam nullum, quia necessitas habet vim cogendi, & consequenter excludendi consensum, iuxta ea, quæ de contractu infirmi, & clientis cum medico, & aduocato scripsi par. præced. ampl. 19. sub n. 124.

Secus in secundo casu, quando emit minori pretio propter modicum creditum venditoris, quia isto casu videtur cōcludendum, quòd non teneatur in foro exteriori, neque in foro conscientiæ, quia res, quò magis est periculosa, eò minoris valet, vt dixi supra q. 1. nu. 431. sed periculosius exigitur creditum à paupere impotenti, quàm à diuite, per ea, quæ retuli ead. q. 1. num. 494. & hac ead. q. sup. par. 1. num. 79. ergo minoris valet.

3 Confirmatur primo hæc declaratio in primo casu, quia in opposito si quis vendat alicui, qui propter magnam necessitatem, vel propter vitandum magnum scandalū carius emat, tenetur venditor ad restitutionem, & illicitè facit; & idem è contra, si aliquis vendit rem suam vilius, vt redimat se, vel suos ex captiuitate; aut vt sustentet se, & familiam in magna penuria, tunc is, qui ab eo vilius emit, tenetur in foro conscientiæ, quia vendens carius, & emens vilius in casibus prædictis, non consentit simpliciter, sed quodammodo extorquetur sibi propter necessitatem; vnde non videtur illud plus quasi donare, Anch. in cap. peccatum. sub num. 21. vers. & primo. col. 18. de reg. iur. in 6. quem sequitur Franc. de Aret. in cap. 42. cum causa. sub num. 27. in 2. conclus. de testib.

4 Confirmatur secundo eadem declaratio in secundo casu, quia si pauper propter suam paupertatem non inueniat; qui velit ei dare ad cambium pro nundinis, sicq; non extet, qui velit acceptare suas litteras, & ideo coactus recurrat ad aliquem mercatorem, cuius litteræ acceptentur, eumq; roget, vt subscribat ipsius pauperis litteras, potest ipse mercator, subscribendo litteras, licitè ab isto paupere accipere tertiam partem vnius scuti pro centenario, quia ipse se exponit periculo soluendi pecunias, casu quo ipse pauper ex quouis euentu non solueret; & nemo tenetur se exponere periculo pro alterius beneficio, & vbi se exponat, illa expositio est æstimabilis, & digna mercede, quam periti arbitrati sunt vsque ad tertiam partem vnius scuti, Romoald. Coli tract. de camb. cap. 19. intorno. quem latius retuli infra §. 3. gl. 3. sub num. 12. vers. subextende. &, quòd fideiussor, eo, quòd se periculo exponit, possit aliquid accipere, secutus sum ead. gl. 3. num. 6. & seqq.

5 Augetur hæc confirmatio, quia pericula nauis, mercium, vitæ hominis, & similium passim venduntur, & emuntur; qui enim in prædictis timet casum sinistrum, & de eo vult se assecurare, emit periculum ab eo, qui ipsum assecurat, soluendo illi, assecuranti, quinque, sex, decem, plus, minusvè pro centenario; nam assecuratio est contractus emptionis, & venditionis, in quo assecuratus emit periculū, & assecurans illud vendit, vt patet ex his, quæ scribunt Santer. tract. de assecur. par. 5. sub num. 3. & seqq. & magis in specie sub num. 7. tom. 6. par. 1. fol. 357. & Stracch. eod. tract. gl. 27. sub nu. 4. vers. secunda facti. eod. tom. 6. par. 1. fol. 377. & probatur ex l. 5. periculi pretium. ff. de naut. fœn. seu est similis emptioni, & venditioni, vt dixi supra q. 1. num. 129. & quòd assecurans aliquem possit ob illam assecurationem aliquid accipere, scribit Nauar. in man. confes. cap. 17. sub nu. 285. & assecurationis contractum esse Reip. non infimè necessarium, seu has assecurationes fieri in magnam Reip. vtilitatem, scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 7. art. vnico, in secunda ratione. col. 2. fol. 601. & Nauar. eod. cap. 17. sub num. 284. vers. summa igitur. ibi, cuius statuendi ratio.

Modera tamen conclusionē huius secundi casus ex his, quę scripsi par. præced. ampl. 10. num. 73. & 75. vbi omnino videas.

LIMITATIO VII.

SVMMARIVM.

Cambium pro ficto loco est siccum, & vsurarium, num. 1. & 2. Declaratur hæc limitatio, vt hoc cambium possit sustineri pro mutuo cum interesse lucri cessantis, num. 3. & seqq. Subdeclaratur, num. 15. & seqq.

Simulatum minus valet, quàm verè gestū, nu. 4.

Simulatio in contractibus quando sit licita, sub num. 4.

Actus, qui, vt geritur, non valet, an valeat, vt valere posset, num. 5. & seqq. & nu. 11. & seqq.

Procurator, habens sufficiens, & insufficiens mandatum, & agens ex insufficienti, nulliter agit, num. 6. & 7.

Maritus

Maritus agens vti procurator ex insufficienti mandato, nulliter agit, licet potuisset validè agere tanquam maritus sine mandato, nu. 7.

Forma non seruata, actus non valet, etiam si agens dixerit, quòd volebat, illum valere, prout valere potuisset, num. 9.

Obligatio nec ciuilis, nec naturalis oritur ex actu, cui lex resistit, num. 10.

Matrimonij contractus, celebratus per verba de præsenti inter ætate inhabiles, valet vti contractus sponsalium, sub num. 11.

Processus, nulliter factus, habet vim interpellationis extraiudicialis, sub num. 12.

Confessio, quæ vno modo non valet, valet alio, sub eodem num. 12.

Mutuum, contractum sub cambio ficto, non habet executionem paratam litterarum cambij, num. 18.

1 LIMITA VII. in cambio pro ficto loco, vt puta, cum campsor Petro, egenti Mediolani, dat certam summam pecuniæ sub nomine cambij de Lugduno, vel Londres, & tamen secundum veritatem ibidem restitutio facienda vtrinque scitur, siue fiant litteræ cambij & non præsententur, siue non fiant litteræ; interuenit siquidem hic manifestè solo nomine cambium, & secundum rem mutuum cum lucro, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. nu. 4. vers. iniusta. tom. 6. par. 1. fol. 405. & Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 13. art. 1. concl. 3. col. 3. initio, fol 629. & quòd nummularij sint vsurarij, quando dant pecunias cambio pro aliquo vicino loco, quem ficto nomine vocant Lugdunum, seu Placentiam, vbi fiunt nundinæ cambiorum, & deinde, adueniēte tempore nundinarum in ciuitate Lugduni, seu Placentiæ, vbi tunc fiunt solutiones, ipsi se conferunt ad illum fictum locum, repræsentantem verum locum nundinarum, & in illo ficto loco solutionem recipiunt, prout si eam reciperent in foro Placentiæ, scribit Fabian. tract. de camb. initio, sub num. 44. vers. octa-

2 ua. tom. 6. par. 1. fol. 415. † imò si Titius det Caio in ciuitate Genuæ centum aureos, vt in alio loco, vbi nullæ celebrantur nundinæ, totidem aureos cum tanto lucro soluat ad tres menses, cum quanto lucro totidem aurei soluerentur ad primas nundinas in loco consueto, adhuc cambium vel est manifestè vsurarium, vel saltem redolet vsuram, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. quæst. 3. vbi adducit ratio nes

3 Declara hanc limitationem, vt quamuis hoc cambium sit siccum, ideoq; damnatum, vt dictum est; tamen si campsor, rogatus, vt faciat hoc cambium siccum, desistat à vero cambio, vel ab alio frugifero negotio, quod erat paratus facere, & non fecit, quia mutuauit sub nomine cambij, poterit à mutuatario licitè recipere sortem, & lucrum, à quo cessauit, Card. Caiet. Nauar. Fab. Genuen. & Io. Azor. quos secutus sum par. præced. ampl 8. sub num. 1. & 22. sub ampl. 1. & scripsi supra ampl. 20. num. 1. & seqq. & hac ead. par. limit. 1. num. 5.

4 Non obstat huic declarationi, quòd simulauerint cambium in fraudem constitutionis; quia respondeo, plus valere, quod verè agitur, quàm quod simulatè concipitur, C. plus valere, &c. & simulatio de contractu licito ad contractum licitum est permissa, vt secutus sum par. præced. ampliat 10. sub num. 29. dummodo enim ex simulatione non emergat iniquitas contractus, idest, læsio alterius contrahentis, simulatio toleratur: sic in proposito, licet isti re vera mutuum contraxerint cum interesse lucri cessantis; tamen cum contractus mutui cum dicto interesse sit æquè licitus, sicut contractus cambij, potuit verus simulari sub alio, præsertim, quia simulatio processit ex iusta causa, æstimantes, quòd interesse ad rationem cambij non aliter posset deberi, quàm si mutui contractus fieret sub simulato cōtractu cambij: & certè iniquum videretur isto casu, vt vterque sit simulator, & nihilominus vnus ex eis esset in lucro; & alter in damno.

5 Minusvè obstat, si huic responsioni replices, quòd regula illa (plus valere, quod verè agitur, quàm quod simulatè concipitur) potest forsan procedere, quando contractus simulatus habet suam formam, secus si eam non habeat, vt in casu nostro; quia tunc intrabit conclusio aduersa, quòd, vbi agitur de obligatione contrahenda, si non valet, quod ago, vt ago, nō valet etiam, vt valere potest, Bar. in l. 1. §. si quis ita. num. 2. Ias. in 6. not. num. 6. & alij communiter, ff de verb. oblig. Io. Guter. tract. de contract. iur. cap. 51. num. 31. tom 6. par. 2. fol. 98. M. Ant Cucch. de instit. maior. lib. 5. tit. 10. de sponsal. sub nu. 14. & hanc esse communem opinionem, testatur, & sequitur Couar. in epit. libri 4 decretal. tit. de sponsal. cap. 3. sub num. 2. fol. mihi 138. tom. 1. & var. resolut. lib. 2. cap. 16. sub

ſub nu.5.verſ.deinde. fol. 199. tom.2.quem ſecutus ſum in meo tract.de iudic. cauſ. lib. 2.cap.11. ſub num. 1123.& eſſe tritum, & vulgo percelebratum axioma, ſcribit Ant. Guber. Coſtan. tract. de ſponſ.& matr. &c. tit.quibus mod.ſponſ. contrah. ſub num. 3. 6 verſ.atque. tom. 9. fol. 48. † Quare ex iſta concluſione dicimus,quòd ſi procurator gerat actum ex mandato inſufficienti,& potuiſſet illum gerere ex mandato ſufficienti,quod etiam habebat, ille actus non ſuſtinetur, Rot.diuerſ.deciſ.397. die 23.num.2. par.1. ſeu geſta procuratorio nomine à non habente mandatum, non valent, etiam ſi ille erat coniuncta perſona,ſicq; non ſuſtinentur coniunctorio nomine, Rip. in l. 1. §. ſi quis ita, num.31. verſ.hinc eſt quòd geſta. ff. de 7 verb.oblig. † ſimiliter ſi maritus egerit, tanquam procurator vxoris, & in rei veritate non fuit procurator, proceſſus eſt nullus,dato quòd potuiſſet validè agere, tanquam maritus, & legitimus adminiſtrator, nec ſaluatur proceſſus illa via, quia ſit maritus; imputatur enim ſibi, quòd elegerit aliã viã, Maran.in ſuo ſpec. par.4. diſt. 16. num. 29. fol.213.& quamuis maritus admittatur cum cautione de rato ad agendum pro vxore, imò poſſit conſtituere procuratorem,Gail.in pract. obſeruat. lib.1. obſeru.133. tamen, ſi egerit ipſe vti procurator,proceſſus adhuc 8 erit nullus, vt dixi. † & demum ſi donatio, ſeu alius actus non valeat, vti talis, eo quia in eo non ſint ſeruatæ ſolemnitates legis,vel ſtatuti, tunc talis actus non poteſt valere alio modo propter reſiſtentiam legis, Rot. diuerſ.deciſ.366. quamuis. num.31. par.1, 9 † Imò vbi exigitur certa forma, ſi ea non ſeruatur, non valet, etiam ſi dicat, quòd vult, vt valeat, prout melius valere poteſt, & ſic ſi non valet, quod ago,vt ago,non valet vt valere poteſt, quando defectus eſt in forma, Gemin.in cap.1.num.3.de poſtulat. prælat.in 6. quem ſequitur Felyn.in cap.23. cum ſuper. verſus finem, num. 14. verſ. ter-10 tio vbi.de off.deleg.† & vbi lex reſiſtit actui, tunc ex illo actu nulla oritur obligatio ciuilis, nec naturalis, Caſſad.deciſ.5. erat à patrono. num.2.de iurepatron.vel forma aliter concluſionem: vbi offenderetur mens agentium, ſi actus valeret eo modo, quo poteſt, voluntate,& poteſtate ſibi mutuo aduerſantibus, tunc ille actus nullatenus valet, & in iſtis terminis procedit illa regula (quod potui, nolui, quod volui, adimplere nequiui)

Rip. d. §. ſi quis ita. num.30.fall.5. vbi videas, cum inferat ad multa.

11 Quia huic replicationi ruſus reſpondeo, quòd licet cõmunis cõcluſio ſit, vt actus non valẽs eo modo,quo eſt factus,non valeat eo, quo potuiſſet fieri, ſi agatur de obligatione cõtrahenda;tamen iſta communis concluſio, tanquam ſuper re brochardica,habet tot declarationes, & diſtinctiones, vt non ſolum non ſit ſemper vera, ſed imò extet & alia concluſio communis in contrarium, quòd actus valeat eo modo, quo valere potuiſſet; & ideo neutra concluſio, ſimpliciter conſiderata, videtur allegabilis ad deciſionem cauſarum: quòd enim valeat eo modo, quo potuiſſet fieri, probatur ex cap. vnico, §. 1. de ſponſ.impub.in 6.cum ſimilibus,allegatis à Couar. & alijs, infra citatis; in illo enim §. licet matrimonij contractus, celebratus verbis ſolemnibus de præſenti, requiſitis ad ſubſtantiam contractus matrimonialis, non valeat ob defectum ætatis contrahentium, tamen valet, vt contractus ſponſalium, qui inter eos fieri potuiſſet, Ant. Gubert. d. tit. quib.mod.ſponſ.contrah.nu.2. & 3. Couar. d.cap.3.ſub num.2.& 3.Io. Gut.d. cap. 51. num.28.fol.98. & num.35. fol. 99. Iaſ. in d. §. ſi quis ita. ſub num. 19. verſ. quarto principaliter. ibi, adde in primis. & ita concordi conſenſu omnes Doctores tradidiſſe, teſtatur M.Ant. Cucch. de inſtit. maior. lib. 5.tit.10.de ſponſal.nu.14. Imò Iaſ.in d.§. ſi quis ita. num.23. verſ.expedita doctrina. & poſt eum Rip.num.17. verſ.ego autem ſubijcio regulam. firmant concluſionem affirmatiuam generalem, quòd ſi non valet, quod ago, vt ago, ſemper valet, vt valere poteſt; hæcq; regula ſecundũ Iaſ.procedit ſemper & in omni materia, vno caſu excepto: licet ipſi varias, & multas poſtea colligant limitationes, quæ materiam magis brochardicam reddunt, & confuſionem inexplicabilem pariunt: & cum hac concluſione affirmatiua tranſit in caſu ſuo Stracch. quem ſecutus ſum §. ſeq.gl.7. num. 35. in fine: redea-12 mus ad ſolutionem replicationis, † & omiſſa illa diſputatione; an iſta ſecunda concluſio, contraria præcedenti, procedat ſolum quando defectus eſt in cauſa efficienti, vt in caſu dicti contractus matrimonij, & prima concluſio procedat quando defectus eſt in cauſa formali, vt in caſu, de quo agimus,&, ſequendo nos veras reſtrictiones ad illam primam concluſionem,adductam in replicatione;

tione, respondeo, quòd, admissa illa communi conclusione pro vera, tamen declaratur, vt non procedat duobus casibus: Primus est, quando sub contractu, nulliter facto, potuit virtualiter comprehendi contractus non gestus, quia tunc si non valuit eo modo, quo fuit factus, valebit, vt fieri potuisset, l. 13. si tam angusti. & ibi Alber. Ang. Flor. & communiter, ff. de seruit. Couar. in d. cap. 3. versus finem, & Gut. d. nu. 28. Ant. de Rosel. tract. de indulg. num. 408. & 409. tom. 14. fol. 156. & M. Ant. Cucch. vbi sup. quare cum sponsalia de futuro includantur sub contractu matrimoniali, Io. Gut. d. cap. 51. num. 28. & sub nu. 35. vers. secundo modo. Couar. d. cap. 3. sub num 3. versus finem, in tertio intellectu, Ant. Gubert. d. tit. quib. mod. sponſ. num. 3. meritò remanet contractus sponsalium.

13 † Hac etiam ratione iuuari forsan potest illa opinio, quòd processus nulliter factus habeat vim interpellationis extraiudicialis, & similiter confessio, quæ coram notario actorum non valeat vti iudicialis, valeat vti extraiudicialis: & idem in confessione facta coram iudice incompetenti, de quibus opin. M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 1. sub num. 21. ibi, subde tamen vnum. & sub num. 22. ibi, cogitandum tamen. tom. 6. par. 2. fol. 407. huiusq; primi casus doctrina videtur etiam de mente Rotæ diuers. decis. 336. honorius. sub num. 4. vers. quod verò. coram Illustrissimo Cardin. Millino in Rom. societatum, lunæ 29. Ianuarij, 1601. inter impressas Lugduni, anno 1612. dum societatis contractum, de quo agebatur, impugnat, ostendendo, quòd non poterat sustineri in vim cõtractus census vitalitij, neque contractus sponsionis, quasi sentiat, quòd esset sustinenda in alia forma contractus, in qua sustineri posset; hancque decisionem, loquendo de contractu sponsionis, retuli supra q. 1. num. 280. & 281.

14 † Secundus casus est, quando materia est fauorabilis, Ant. Guber. & Couar. in locis supra proximè citatis, & Gemin. quem citat Iaſ. in d. §. si quis ita. sub num. 19. vt puta, quia agatur de validitate contractus matrimonij, vt per Doct. supra citatos, vel quia agatur de dissoluenda obligatione peccatorũ, Ant. de Rosel. vbi supra, sed vterque casus benè applicatur casui nostro, siquidem mutuũ, & cambium æquè continetur sub credito; imò magna est inter Doctores contentio, an cambium sit mutuum; & de mutuo, & cambio promiscuè loquuntur, vt patet ex his, quæ scripsi supra q. 1. num. 422. in tertio casu, & hac ead. q. par. 1. sub num. 22. & similiter est materia fauorabilis, tum quia euitatur suspicio vsuræ, quæ est odiosa, tum quia conseruatur iustitia naturalis, seu commutatiua, vt vnus non locupletetur cum detrimento alterius, in qua iustitia commutatiua debet iudex omni conatu insistere, vt dixi par. præceden. ampl. 20. sub num. 1. vers. ratio. ergo iste contractus debet valere, vt valere potuisset, & sic in forma simplicis mutui, ex quo possit licitè percipi interesse.

Confirmatur hæc responsio ex his, quæ scripsi par. præcedenti, ampl. 8, num. 59.

15 Retenta declaratione.

Subdeclara pro clariori explicatione, distinguendo duos casus.

Primus casus est; quando, qui dedit cambio ficto, dedisset indubitanter cambio vero, vel aliter verisimiliter ex alio negotio lucratus esset, quia habebat certam, & paratam occasionem, & cotrahentes de hoc lucro cessante intendebant pacisci, sed credentes, sibi consultius esse, finxerunt cambium: Et isto casu concludo, quòd procedit declaratio.

16 Extende hãc conclusionẽ, vt in foro conscientiæ debeatur etiam si hoc interesse non concludenter, seu nullatenus probari posset, dummodo debitor sciret, quòd creditor illud verè passus est; & est ratio, quia in tribunali Dei attenditur non quod probatur, seu potest probari, sed attenditur veritas, & nullitate ob non seruatam formam, seu ob inordinatum processum reiecta, fertur sententia, per ea, quæ secutus sum supra q. 1. num. 529. & latè hac ead. q. par. præced. ampl. 19. à num. 33. vsque ad num. 38. exclusiuè, & num. 83.

17 Explica vlterius eandem conclusionem, vt in foro exteriori istud interesse non debeatur vigore contractus cambij, quia nullum est cambium, iuxta ea, quæ scripsi supra limit. 1. num. 4. in primo casu; sed debeatur vigore contractus mutui, cum illud cambium resoluatur in mutuum, vt dixi d. limit. 1. num. 5. & in alium contractum magis præiudicialem resolui non possit.

18 Infero notabiliter ex hac explicatione, quòd, stante statuto, quòd contractus cambij habeat executionem paratam, hic contractus mutui, vestitus cambio ficto, eam non poterit habere, quia litteræ fictæ cambij non

non habent executionem, Ioan. de Anan. & Nauar. quos secutus sum infra §. 7. glos. 5. num.8. vers. restringe.

Secus esset quando contractus esset mutui, & mutuatarius se obligasset restituere in forma litterarum cambij, quia forsan posset pati executionem paratam.

19 Secundus casus est oppositus; quando is, qui dedit cambio ficto, nolebat negotiari pecuniam alio contractu, quàm cambij, & non inueniebat, qui vellet accipere, seu verius non inueniebat idoneum accipiētem, ideoq; abstinebat, vnde cambio ficto dedit idoneo debitori, qui non indigebat cambio, sed mutuo, & se obligauit ad interesse veri cambij: & isto casu concludo, hoc cambium esse illicitum, & cum obligatione restituendi totam accessionem; quia re vera non est passus interesse, & ita procedit limitatio tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori, quod idem scripsi supra limit. 1. num. 1.

LIMITATIO VIII.

SVMMARIVM.

Cambium ad rationem certi annui lucri est vsurarium, num. 1. & seqq. Extenditur primo hæc limitatio ad quemlibet contractum, qui certum lucrum aliter parere non possit, quam per viam vsuræ, & qui sint hi contractus, num. 3. Extenditur secundo, etiam si is, à quo hoc lucrum exigeretur, esset diues, & Princeps, num. 4.

Lucrum, seu Interesse } *non potest taxari à partibus, &c. num. 2.*

1 LIMITA VIII. in cambio, cum pacto, quòd campsuarius, qui accipit cambio, sit obligatus quolibet anno soluere ad rationem sex, vel septem pro centenario, & capitale sit saluum, quia iste est contractus vsurarius, Fabian. tract. de camb. initio, num. 36. il 1. in fine, tom. 6. par. 1. fol 414.

2 Ratio huius limitationis est euidens, quia cambientes non possunt taxare lucra futura cambij, neque interesse in casu non solutionis; siquidem taxatio ab initio pro tempore futuro posset aperire viam fraudibus vsurarum, vt secutus sum infra limitat. 13. num. 1. & 2. hæcque ratio fortius procedit, si diceremus, quòd hoc cambium resoluitur in mutuum, quia taxatio in mutuo est magis suspecta.

3 Extende primo hanc limitationem, vt sit vera in quouis contractu, & quouis nomine nuncupetur, qui certum lucrum, seu interesse parere non possit, nisi per viam vsuræ, vt puta, si sit depositum, quod, cum regulariter fiat gratia deponentis, iniquum, & vsurarium esset, si depositario restituendum esset vna cum lucro, Fab. Genuen. d. num. 36. il 2. idem dico, si esset contractus ex illis, quos vocant censum firmum, partitum, negotium, traficum, commodum, seruitium, cambium de Basilea, conuentionem, fidantiam, pignus, & similes, Fabian. vbi supra num. 37. fol. 414.

4 Extende secundo, vt sit vera, etiam si campsuarius, qui se obligaret ad ista certa, taxataq; lucra, & interesse, esset diues, & princeps magnus, qui, verbi gratia, promitteret, quòd, elapsis sex, vel octo mensibus, restituet alibi sortem, vna cum quindecim, seu duodecim pro centenario, vsque ad tale tempus, &, adueniente tempore solutionis, si non soluerit, ab eo tempore vltra vsque ad integram satisfactionem singulis annis dabit decem supra sortem; nam iste contractus est vndique vsurarius, Fabian. vbi sup. num. 38. vers. septima. ibi, hoc idem dicendum, & num. seqq. fol. 414. cum vsura, vt vsura ita committatur, si accipiatur à paupere, sicut si accipiatur à diuite, à Principe, & à quouis, per ea, quę dixi inf. limit. 20. n. 3.

LIMITATIO IX.

SVMMARIVM.

Cambium pro pretio currente cum pacto, quòd pretium possit augeri, & non minui, est vsurarium, num. 1.

Vendens granum cum prædicto pacto, est vsurarius, num. 2.

1 LIMITA IX. vt non procedat in cambio, inito pretio currenti pro proximis nundinis, cum pacto, quòd si interim cambij pretium augeatur, teneatur campsuarius illud plus soluere campsori, si verò minuatur, non teneatur campsor minuere campsuario, sed stetur pretio iam conuento, quia iste est contractus vsurarius, cum claudicet, sitq; inæqualis.

Ratio,

2 Ratio, qua moueor, est patens, quia si quis vendat granum pro pretio, quod in instanti currit, sed si plus valebit ad Pascha, vult, quòd illud plus sibi detur; si verò minus, non vult, quòd pretium minuatur, vsurarius iudicandus est secundum Hostien. & Archid. quos citat, & sequitur Laur. de Rodulph. in cap. consuluit. par. 2. q. 30. num. 12. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 22.

LIMITATIO X.

SVMMARIVM.

Cambium, factum cum fraude, seu monopolio, est illicitum, num. 1. & 2. Exemplificatur hæc limitatio multipliciter, num. 5. & seqq. Extenditur eadem limitatio, num. 10. & seqq. Sublimitatur eadem limitatio, num. 15. & seqq.

Monopolium quid sit, remissiuè, num. 3. Vnde dicatur, ibidem. De eius pœnis, num. 14. Et committitur in quauis merce, & exercitio, num. 12.

Negotiatio qualibet, tendens in communitatis detrimentum, est illicita, num. 2.

Campsores vt lucrentur, supponunt campsuarios, & deinde campsores, sicq; accipiunt pecunias cambio pro paruo fœnore, quas postea dant ipsi pro magno, num. 5. Et quandoque accipiunt cambio paruam summam sub magno fœnore, vt sub eodem dent ipsi copiosam, num. 9.

Campsores quomodo conueniant de monopolio, num. 6. & seqq.

Monopolium ita est damnabile in cambio, quod faciunt ij, qui monopolium committunt, sicut in cambio, quod faciunt alij, qui scienter contrahunt sub eodem pretio, per monopolium inducto, num. 10.

Monopolium habet non solum inualiditatem cambij, sed etiam punitur, num. 11.

Monopolium committunt venditores, & quandoque emptores, num. 13.

Monopolium, quod fit auctoritate Principis, est licitum, quia tendit ad vtilitatem publicam, num. 15. & seqq.

Monopolium contra monopolium non est illicitum, sub num. 13.

Librorum impressoribus iustè conceditur priuilegium, ne alius possit eos vendere, &c. num. 16.

Fructus si eorum magna sit copia, possunt emi, vt reuendantur, &c. num. 18.

Aestimatio facta ab artificibus, est suspecta de monopolio, sub num. 12. vers. infero.

1 LIMITA X. vt non procedat in cambijs, factis cum collusione, fraude, seu monopolio, quia eiusmodi cambia sunt iniusta, illicita, & tanquam diabolica extirpanda, Boninf. tractat. de camb. cap. 7. vers. che li mercanti. Fabian. tract. de camb. initio, num. 20. & 21. vers. quarta. tom. 6. pat. 1. fol. 412. Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. in fine, q. 13. & habes infra §. 9. num 9. & sunt expressè damnata in constitutione Pij V. † nam

2 quælibet negotiatio, quæ tendit in communitatis detrimentum, est illicita; vt puta, cum aliqui ex frumento, aut vino, vel oleo, & similibus ad communitatis vsum necessarijs emunt ad conseruandum, vt alio tempore vendant, quia hæc emptio causat inopiam, & pretij augmentum in damnum pauperum, qui non inueniunt vnde emant ad sui sustentationem; ideoq; talis negotiatio est Reip. perniciosissima, Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 8. cap. 53. de negotiatione. vers. sexto est illicita.

3 Pro huius limitationis intelligentia vide quid sit monopolium, in l. vnica, C. de monop. & dicitur monopolium, quasi singularis, ac penes vnum venditio, Iodoc. in pract. crim. cap. 132. initio, siue, & melius, dicitur monopolium quasi singularis negotiatio in ciuitate à voce græca (monos) quæ significat vnum, & (pola) quod est venditor, vel (polium) quod est venditio, Gl. vnica, in rubr. C. vbi supra, seu dicitur à verbo græco (poleome) idest vendo, quasi monopolium sit vnica venditio, & monopola, vnicus venditor, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. tit. de his qui monop. exerc. num. 1. fol. 699. tom. 2.

4 De monopolijs in genere, & quòt modis committantur, vide Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 30. in 6. modo. vers. deinde ex monopolio. col. 2. fol. 229. initio, Mich. Sal. d. tit. de his, qui monop. exerc. sub num. 1. vers. est autem. fol. 699. tom. 2. Iodoc. d. cap. 132. per totum, & Decian. tract. crim. tom. 2. lib. 7. cap. 21.

5 Exemplifica primo istam limitationem: sunt duo, vel tres ditissimi mercatores, qui cum ministris Catholicæ Maiestatis numerosum pecuniarum partitum tractat, & quia hi mercatores non habent tam numerosam summam pecuniarum, accipiunt cambio ab alijs, vt postea ipsi dent Regi, sicq; loquen-

do campsorio more, vendunt ipsi prius proprias marchas, vt postea emant marchas Regis; vtque lucrentur, hac vterentur machinatione: ipsi nanque supponerent fictos campsuarios, quibus sub paruo fœnore darent cambio, vt, cambij valore hac arte extenuato, ipsi deinde vili acciperent cābio ab alijs: postea sub modico fœnore conflata pecunia, quam Regis ministri essent ab ipsis cābio accepturi, facerent totum oppositū, supponendo fictos campsores, à quibus ipsi magno fœnore acciperent cābio, vt & Rex eodē fœnore accepturus esset ab ipsis, siquidē partitum faciendum regulam sumeret à cambijs, quæ hi mercatores hisce artibus minuerent, & augerent, vendendo prius proprias marchas magno pretio, simulata earum penuria, & postea emendo vili pretio eas, quæ Regis sunt, simulata copia; vnde non mirum, si magnas, sed iniustas augerent diuitias.

6 Exemplifica secundo: aliqui mercatores conueniunt totam fori pecuniam accipere cambio, vt, foro ita restricto, pretium cambiorum augeant, eoq; aucto, dent ipsi ad cambium eandem pecuniam cum maximo lucro: idem est, si mercatores diuites, pecunijs abundantes, accipiendo ad cambium, & per viam aliarum negotiationum, procurarent restringere in eorum facultatibus cæteras pecunias, quæ sunt in Prouincia; vt alij, pecunia indigentes, cogantur ab ipsis cambio accipere; nam cum ipsi omnem pecuniam hinc inde corraderent, & penes se congererent, magna proinde consequeretur nummorum penuria; qua inducta, indigentes pecunia, cogerētur ab ipsis cambio accipere, sicq; facto monopolio, omnes pecuniæ exirent, & redirent cum augmento in crumenam istorum mercatorum, sicut omnis aqua fluit, & refluit ad mare.

7 Exemplifica tertio, quando mercatores diuites scientes, extare Principes, qui pro aliqua vrgenti necessitate quærunt pecunias ad cambium, conueniunt de non dando illas, nisi pro tanto pretio, quod esset iniustum, & excessiuum.

8 Exemplifica quarto, quando mercatores, ad quos ex decreto superiorum spectat appretiare scutos marcharum, illos minus iustè appretiant propter proprium interesse, quia vel dederunt cambio, sicq; scutos marcharū emerunt, vel acceperunt cambio, sicq; vendiderunt, quia eiusmodi cambia essent illicita, & iniusta, Fabian. tract. de camb. initio, num. 21. vers. quinta. tom. 6. par. 1. fol. 412. & de iustitia huius pretij, & de pœna contra imponentes iniustum pretium, vide §. seq. gl. 4. sub num. 13.

9 Exemplifica demum, quando mercator vult dare cambio scutos 12. mille, & vt cambij pretium augeat ad suam vtilitatem, ipse prius accipit cambio scutos mille sub magno fœnore, vt sub eodē alij accipiant ab ipso scutos 12. mille, sicq; damnum patitur in vno, vt vtilitatem cōsequatur in duodecim; nam huiusmodi negotiatio dicitur cum fraude, ideoq; est illicita, vt habes infra §. 9. num. 9. & est similis fraudi, de qua supra num. 5.

10 Extende primo istam limitationem, vt habeat locum non solum aduersus illosmet mercatores, quorum dolo, fraude, & monopolio fiunt ista cambia illicita, sed etiam aduersus eos, qui sciunt, vel probabiliter credunt istas fraudes, dolos, & monopolia, quia si isti contrahant cambia sub illis pretijs, sunt in pari causa, vt cambia, quæ contrahunt, sint illicita, & iniusta, Fabian. d. tract. de camb. sub num. 20. vers. hoc idem. fol. 412. sunt tamen illi in maiori culpa, & tenentur ad maiorem satisfactionem, quia damnum inferunt vniuersæ negotiationi.

11 Extende secundo, vt non solum contractus cambij sit nullus, sed & ipsi contrahentes sint iuris pœnis, contra exercentes monopolia impositis, puniendi, vt in dicta Pij V. constitutione.

12 Extende tertio eandem limitationem, loquentem in monopolio cambiorum, vt procedat in monopolio cuiuslibet alterius mercis, imò etiam exercitij, vt explicar Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. rest. q. 30. in 6. modo, vers. deinde ex monopolio, fol. 229. quem sequitur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. tit. de his qui monop. exercent. sub num. 1. vers. est autem. fol. 699. tom. 2. quare monopolium est, cum quis emit à Principe priuilegium, vt solus ipse vendat, vel duo, aut tres, reliquam mercatorum multitudinem anteuertentes, mercium aceruum coemunt, vt vniuersi ad ipsos confluere cogantur, vel iurata fide constituunt, vt nullus eorum, nisi tanti, vendat; hinc enim raritate venditorum pretium crescit, & oritur monopoliorum iniquitas, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 5. fol. 569.

Infero obiter hinc valdè iniustā esse æstimationem, quam hic in Vrbe, orta differentia super pretio mercedis, & rei fabrefactæ faciunt

faciunt eius artis artifices; hi namque, vt experientia compertũ est, super pretio rerum, quas fabrefaciunt, quasi monopoliũ contrahunt; quia quod fit hodie mihi, fiet cras tibi.

13 Extende quarto, vt quemadmodum venditores mercium monopolijs augēt pretium mercium, ita è conuerso (licet non tam crebrò accidere consueſcat) emptores pretia mercium minuunt, & est monopolium etiam iniquum, vt puta, si in portu, cui pretiosissima nauis applicuit, illi, qui emere possent, sibi mutuo promitterent, non emere, nisi tanti, aut si in subhastatione alios ego, ne licitarentur, auerterem, vt minoris ego emerem, peccatum profectò est, quod ante restitutionem non remitteretur, & hoc est, quod ait Cic. lib. de offic. non licitatorem venditor, nec qui contra se licitetur, emptor apponat: Quando verò venditores monopolium facerent, tunc iustè emptores, quasi vim vi repellentes, possent conuenire inter se, vt nullus, nisi certo pretio emeret, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. col. 5. in fine, fol. 569.

14 Quæ pœnæ sint impositæ à iure contra exercentes monopolium, vide in l. vnica, C. de monopol. & Iodoc. in pract. crimin. cap. 131. num. 3. & 14. & quòd illi negotiatores, ementes frumentum, & similia, de quibus supra num. 2. essent relegandi, scribit Card. Tolet. ibi citatus.

15 Sublimita primo eandem limitationem, extensam supra num. 12. vt non procedat in monopolio, auctoritate Principis, siue Reip. contracto, quia sicut monopolia, de quibus in limitatione, & extensionibus, priuata auctoritate contracta, Reip. perniciosa sunt; ita hæc, quæ legis auctoritate ex iusta contrahuntur causa, Reip. valdè vtilia sunt, Medin. d. q. 30. in 6. modo. vers. procedunt. & seqq. fol. 229. col. 1. in fine.

16 Exemplifica primo (& nobiliter) in his, qui suis faciunt impensis libros imprimi, & Principes in eorum priuilegium decernunt, ne alij eosdem infra certum tempus imprimere valeant; quia ex hoc priuilegio animantur docti ad imprimendum libros, vt sic eorum doctrina multis communicetur; quod in publicam redundat vtilitatem, Medin. d. q. 30. in 6. modo. vers. de vtilitate. fol. 229. col. 2.

17 Exemplifica secundo cum eodem Medin. in eod. 6. modo, vers. de publica, fol. 229. col. 2. & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. tit. de his, qui monop. exercent. num. 2. 3. & 4. fol. 699. & 700.

18 Sublimita secundo, vt non procedat in fructuum monopolio, priuata etiam auctoritate contracto, quando tanta illorum fructuum esset abundantia, vt etiam post cuiusque satisfactionem magna adhuc illorum fructuum superesset copia, quia tunc posset vnus, vel duo simul conuenire, & emere illos fructus superabundantes, Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 8. cap. 53. de negotiatione, vers. sexto est illicita. qua ratione totius Aegypti inopiæ, & fami, quæ post lapsos septem vbertatis annos superuenit, laudabiliter, vtiliterq; occurrit Ioseph, aperiendo tunc horrea, quæ fertilitatis annis repleuerat, vt habetur Genes. 41. num. 47. & seqq.

LIMITATIO XI.

SVMMARIVM.

Cambium, cuius solutio fieri debeat eodem in loco, est illicitum, num. 1. & 3. Reiecta oppositione, de qua num. 2. Extenditur, num. 4. & seq. Declaratur, num. 13.

Cambium inter loca, existentia intra idem Regnum, seu intra eandem Prouinciam, est licitum, sub num. 7. & seqq. Reiecta contraria doctrina, de qua num. 6.

Cambium, cuius solutio fiat eodem in loco per viam recambij, est iustum, num. 13.

1 LIMITA XI. vt non habeat locum in cambio, quod non fit pro diuerso loco, sed pro eodem, ita vt vbi pecunia datur, ibi reddenda sit vna cum collybo, seu interesse cambij, & recambij, vt puta, cum Petrus acciperet ad cambium Venetijs mille aureos, eosdemq; soluturus ibidem post annum vna cum interesse quatuor nundinarum, quæ interim fierent, iuxta fori æstimationem: nam cambia, quorum solutiones fiunt eodem in loco, damnantur in Pij V. constitutione, vt admonet etiam Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. omnia cambia. lib. 5. de vsur. & in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub nu. 290. vers. quare. & in cap. nauiganti. num. 76. vers. concludimus. ibi, prima ne cambium. de vsur. & nos sæpè in diuersis diximus locis, hicq; repetimus, vt explicemus, quæ distantia requiratur.

2 Contra hanc limitationem oppono, quia cambium eſt emptio, & venditio, vt ſecutus ſum ſupra q.4.num.21.& pecunia connumeratur inter merces, vt retuli eadem q.4. nu. 29.& 30. ſed licitum eſt emere frumentum, & alias merces anticipata ſolutione, tradendas eodem in loco, iuxta futuram fori æſtimationem, vt ſecutus ſum ſupra par. 1.num. 56. ergo licebit etiam emere ſcutos marcharum, ſoluendos eodem in loco, iuxta cambiorum æſtimationem.

3 Retenta limitatione, tum quia habemus conſtitutionem claram, tum quia hæc emptio eſt eius naturæ, vt iuſtitia pretij conſiſtat ex diſtantia locorum ratione laborum, impenſarum, periculorum, & ſimilium, vt diximus in pluribus locis.

Infero ex hac limitatione, quòd ſi tu Lugduni dares Petro centum aureos in nundinis Apparitionis, vt eoſdē tibi reſtituat ibidem in ſequētibus nundinis Paſchatis cum lucro cambij, iuxta fori æſtimationem, eſſet cambium vſurarium, quia non fit de loco ad locum,& conſequenter lucrum non poteſt prouenire aliunde, quàm ratione temporis, Romoald. Coli tract.de camb. cap. 27.

4 Extende primo hanc limitationem, vt cambium ſit ſiccum, & iniquum, præcipuè quando non ſolum fit pro eodem loco, ſed additur, quòd reſtituatur cum lucro, ſeu ad rationem cambij Lugdunenſis,Bezenzonenſis, vel alterius loci, vbi probabiliter creditur, lucrum fore maius, Io.Bapt.Lup.in cap. nauiganti. §.2.num.24. in fine, verſ. ex quo ſequitur. de vſur.inter tractat.diuerſ.tom.7. fol. 139.

5 Extende ſecundo, vt procedat etiam ſi nulla adſit conuentio de reſtituendo in eodem loco, dummodo is, qui dat cambio, ſciat, vel credat, ibidem, & non alibi eſſe ſibi ſoluendum,Io.Azor.de inſtit.moral.par. 3.lib.10. tit. de camb. cap. 10. verſ. quarto cum. & adde quæ ſcripſi par. præcedenti, ampl.17.num.7.

Contra hanc extenſionem vide quæ ſcripſi d.ampl.17.nu.1.& ſeqq.ex quibus colligi poteſt etiam inaduertentia Ioannis Azor. vltra quòd Nauar. quem citat, nullum verbum in libro meo.

6 Extende tertio,vt procedat etiam ſi cambium fieret pro diuerſo loco, ſed intra idem Regnum, quia adhuc eſſet illicitum, cum requiratur tanta locorum diſtantia, vt intra idem Regnum fieri non poſſit, Sot.de iuſt. & iur. lib.6.q.10. art. 1. ad finem, fol. 610. & apertius q.13.art.1. concl. 2. &, quòd cambium, factum per loca eiuſdem Prouinciæ,& Regni, ſi ſimuletur fieri per loca diuerſarum Prouinciarum ad augendum lucrum, ſit ſiccum, & vſurarium, ſequitur Io. Bapt. Lup. in cap.nauiganti. §.2.num.28.verſ.ſimiliter. de vſur.inter tract.diuerſ.tom. 7. fol.139.& quòd cambium verum conſtet ex duobus locis diuerſarum Prouinciarum, vt Italiæ, & Galliæ,& intra duo loca eiuſdem Prouinciæ, & Regni, vt puta, inter Florentiam, & Romam, Neapolim, Venetias, Genuam, Mediolanum, & ſimilia, à mercatoribus non frequentetur,neque vſu receptum ſit,& ideo ſit illicitum, & apud viros probos reputetur vſurarium, ſcribit in eodem §. 2. num. 30. verſ.infertur. fol. 140. &, quòd neceſſarium ſit, vt locus, in quo eſt ſoluenda pecunia, longè diſtet à loco, in quo dantur litteræ, alioquì eſſet cambium de tempore ad tempus, quod non licet, & non de loco ad locum, quod licet, ſcribit Nauar.in man.confeſs.cap.17.ſub num.289. verſ. quare. in fine, ibi,addo nunc quarto.

7 Quicquid pro hac extenſione ſcripſerint Sot. Nauar. & Io. Bapt. Lup. qui inconſtanter, ac quaſi confusè locuti ſunt, vt videbis ex infra dicendis; tu firma regulam in contrarium, nempè, cambium licitè fieri poſſe etiam intra loca eiuſdem Prouinciæ, ſeu Regni, & etiam per litteras ad nundinas, vt mox declarabimus: & pro clara explicatione ſunt diſtinguendi duo caſus.

Primus caſus eſt, quando cambium eſt verum,& reale, & pretium eſt iuſtum, quia eſt proportionatum loci diſtantiæ, & ſic habet iuſtitiam commutatiuam: & iſto caſu concludo indiſtinctè, cambium eſſe licitum, ſiue ſit inter loca diuerſarum Prouinciarum, ſeu diuerſorum Regnorum;vt in hoc concordant Sot.Nauar.Io.Bapt.Lup.&omnes: ſiue ſit inter loca eiuſdem Regni, ſeu Prouinciæ, Nauar.d.cap.17.num.290. verſ.& quod attento. & in cap. nauiganti. num. 28. de vſur. quem ſequitur ibidem Io. Bapt. Lup. §.2.ſub num.30.verſ.ſed aduertendum. fol. 140. & quòd ità ſentiant prædicti Doct. teſtatur, & ſequitur, loquendo de cambio per litteras, in quo nummularius prius recipit, Io.Azor.de inſtit.moral. par.3.lib.10. tit.de camb.cap.5.q.6.&,loquendo in cambio oppoſito, quando nummularius prius dat,ſcribit cap.6. q.4.

Con-

8 Confirmatur hæc conclusio; tum quia in cambio minuto nulla est locorum distantia, cum fiat in eodem loco, vt scripsi supra q. 5. sub num. 2. vers. primum. & latè explicaui ibidem nu. 19. & seqq. & tamen iustè datur in eo pretium cambij, vt secutus sum S. seq. gl. 3. num. 97. & seqq. vers. infero. tum quia nummularius præstat obsequium, transportando pecunias; tum quia facit officium vtile Reip. in conquirendis, parandisq; pecunijs; & omnis labor optat premium: ergo difficultas remanet in tanto, & quanto pretio, sed non in pretio.

9 Extende primo hanc conclusionem, vt procedat in cambio per litteras non nundinarias, quando nummularius prius recipit, & postea dat, de quo cambio scripsi supra q. 5. sub num. 1. & 5. vers. vtrunque. & sub num. 34. quia in isto cambio vix vsuræ fraus exerceri potest, Ioan. Bapt. Lup. in d. S. 2. sub num. 30. vers. infertur. in fine, & vers. & licet. & ante eum Nauar. citatus num. seq. & in isto cambio loquitur Ioan. Azor. citatus supra num. 7. vt patet ex titulo illius cap. 5. quare hoc cambium exercetur vbique, & passim in Italia ex vna ciuitate ad aliam, & inter loca eiusdem Regni sine vllo scrupulo, imò sic necessitate, & vtilitate Republicæ exigente.

10 Subextende hanc extensionem, vt procedat etiam si lex in aliquo Regno prohiberet, pretiũ accipi ex cambijs intra loca eiusdẽ Regni, seu Prouinciæ, quia hæc lex comprehenderet cambium, in quo nummularius, seu campsor prius dat, & postea recipit, quia in eiusmodi cambio frequenter vsura solet palliari, Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 290. vers. & quod. non autem comprehenderet cambium, in quo nummularius prius recipit, & postea dat, cum in eo cesset omnis vsuræ suspicio, Nauar. in d. cap. 17. num. 290. & Ioann. Bapt. Lup. d. S. 2. sub num. 30. vers. infertur tertio. in fine, & vers. & licet.

11 Extende secundo, vt habeat locum etiam in cambio per litteras nundinarias, quia & illud publicè exercent Genuenses ex ciuitate Genuæ ad ciuitatem Placentiæ, & alij mercatores ex alijs locis, nempè ex Florentia, Mediolano, & similibus ad eandem ciuitatem Placentiæ, & nulla habita differentia, an nummularius prius accipiat, vel prius det.

12 Secundus casus est, quando pretium cambij est iniustum, quia non est proportionatum loci distantiæ, & multò magis quando simulatur loci distantia ad augendum pretium; quia isto casu cambium est illicitum, etiam si fieret inter loca diuersorum Regnorum, seu Prouinciarum, tum quia militat ratio opposita, quæ militat in primo casu, posito supra sub num. 7. & oppositorum opposita esse debet determinatio, cum tantum operetur propositum in proposito, quãtum oppositum in opposito; tum quia habendam esse rationem distantiæ locorum expressit Pij V. constitutio in verbis, quæ retuli supra hac eadem q. par. 1. sub num. 28. & in cambio, in quo simulatur distantia, scribit Ioan. Bapt. Lup. quem retuli sup. sub num. 6. ibi, & quod cambium.

Pro intelligentia iustitiæ pretij cambij nundinarij vide quæ scripsi par. præcedenti, ampl. 10. num. 67. & seqq.

13 Declara nunc, restringendo eandem limitationem, vt non procedat, quando solutio venit facienda per viam iusti, & realis recambij in eodem loco, & hic est casus, pro quo consuluit, sed non benè se explicauit Hier. Gabr. consf. 158. constitutio. num. 5. & seqq. lib. 2. vt puta; Titius mercator dat verè pecuniam ad cambium Sempronio mercatori Barchinonensi, qui Sempronius propterea scribit litteras solitas cambij, & ordinat in eis, vt personæ, nominatæ ab ipso Titio, soluantur Lugduni in nundinis tot marchæ, easq; litteras de more consignat eidem Titio, qui Titius, rogatus postea à Caio mercatore etiam in ciuitate Barchinonensi, ordinat eidem personæ, quam nominauerat in litteris Sempronij, vt easdem marchas soluat Lugduni dicto Caio, vel personæ, ab eo nominatæ, in eisdem nundinis; & Caius promittit eidem Titio soluere in ciuitate Barchinonensi pretium illarum marcharum, iuxta communem æstimationem faciendam ex nundinis pro ciuitate Barchinonensi nam hoc cambium est licitum, quia realiter fit, & solutio in ciuitate Barchinonensi procedir ex recambio reali; & sic cessant difficultates, quibus se torquet Hier. Gabr. sup. cit.

LIMITATIO XII.

SVMMARIVM.

Cambij pretium non potest alterari, eò, quia dicatur factum gratia, & commoditate alterius,

num. 1. & 2. Et quomodo à mercatoribus vocetur hoc cambium, num. 1.

Cambij pretium quando propter lucrum cessans, seu damnum emergens possit alterari, num. 2.

1 LIMITA XII. in cambio, quod mercatores, vt à religioso viro audiui, vocant, *dell'agio*, seu alio simili nomine, quod cambium ab alijs cambijs, vt ab eodem audiui, differt solum in hoc, quòd alia cambia fiunt vtilitate, & voluntate reciproca vtriusque cambientis, nempè, campsoris, & campsuarij; ideoq; pretium non alteratur; hoc verò, etsi fiat vtriusque vtilitate, tamē fiat gratia, & commoditate vnius tantum ex cambientibus; & propterea alteretur pretium, quasi commoditas illa sit pretio æstimabilis, illudq; pretium vltra iustum cambij pretium debeatur illi, qui in gratiam, & commoditatem alterius cambit, cum alias non esset cambiturus: ab alio tamen religioso viro aliam accepi differentiam, sed hæc, quam retuli, verisimilior mihi visa est, ideo illam aliam non refero: & licet de eiusmodi cambio nihil vnquam à mercatoribus audiuerim, nec apud alios, qui scripserunt de cambijs, legerim; religioso tamen viro credidi, tum quia est fide dignus, tum quia eiusmodi cambium non videtur carere ratione; nam quemadmodum campsoribus, fungentibus etiam officio fideiussoris, licitum est fideiussionis, seu verius periculi pretium exigere, vt dixi inf. §.3. gl.3. n.7. vers. sed fideiussor. ita etiam arbitrantur forsan, sibi licere commoditatis pretium exigere, cum & in aliarum mercium, & rerum venditione hæc gratia vendendi contra voluntatem venditoris videatur habere vim augendi pretium rei vendendæ, per ea, quæ dixi par. præced. ampl. 10. num. 62. similiter Bancherotti ex cambio minuto aliquod exiguum lucrum faciunt, & iam non multis ab hinc annis ille collybus, seu illud modicum lucrum, quod accipiebant, vocabatur hic in Vrbe, *l'agio*, quod significat apud nos illam commoditatem permutandi monetas.

2 Verum, quicquid dixerint mercatores, iniustum est hoc cambium, si ex hac prætexta gratia alteretur pretium à lege impositum, & de alio non doceatur interesse: cæterum, dato casu, quòd campsor, importunè rogatus, cogatur dare cambio, & inde maius interesse lucri cessantis, seu damni emergentis pateretur, quàm esset lucrum cambij, crederem, iustè illud interesse exigi, si de eo cum campsuario conuenerit, quia posset isto casu non cambire, sed mutuare, & formidatum interesse mutuatario notificare, & de eo pacisci, iuxta ea, quæ scripsi par. præced. ampl. 8. num. 1. & seqq.

Aduerte, quòd etsi excessus pretij sit iniustus, & non tolerandus, tamen, illo resecato, remaneret cambium pro pretio iusto.

LIMITATIO XIII.

SVMMARIVM.

Cambij interesse non potest determinari ex conuentione cambientium, num. 1. & 2.

Declaratur remissiuè, num. 3.

1 LIMITA XIII. in cambio, cuius interesse determinaretur certum simpliciter à principio, seu in casu non solutionis, quia esset cambium vsurarium, Nauar. in man. confess. cap. 17. nu. 292. & in cap. nauiganti. num. 77. de vsur. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 10. vers. sexto cum pecuniæ. & satis habetur in Pij V. constitutione.

2 Ratio huius limitationis est, quia taxatio ab initio pro tempore futuro posset aperire viam fraudibus vsurarum, vt scripsi par. præced. ampl. 8. num. 27. & seqq.

3 Declara hanc limitationem ex his, quæ scripsi eadem ampliat. 8. num. 294. & 296. & hac eadem par. limit. 1. sub num. 5. illat. 1.

LIMITATIO XIV.

SVMMARIVM.

Cambium, nundinis intercalatis, est illicitum, num. 1. Restringitur dupliciter, num. 3. & 4.

Intercalares nundinæ quæ dicantur, num. 2.

Cambium intelligeretur pro secundis nundinis, quando litteræ essent datæ adeo prope nundinas præsentes, vt tempore acceptationum ferri non possent, num. 4.

1 LIMITA XIV. in cambio pro nundinis intercalaribus, seu intercalantibus, idest, non pro primis, sed pro secundis, & vlterioribus nundinis, seu terminis, quia in isto cambio pretium augetur

ratione

ratione temporis, & ideo est cambium vsurarium, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 5. in fine initij, & in concl. responsiua, col. 3. fol. 624. & 625. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 10. vers. septimo cum. & Romoald. Coli tract. de camb. cap. 26. & est declaratum in constitutione Pij V. & mercatores vocant, *caualcar le fiere*.

2 Declara, nundinas intercalares dici secundas, seu vlteriores nundinas, vt puta, nos sumus initio Ianuarij, ideo prima proxima feria erit feria apparitionis, quæ fit initio sequentis mensis Februarij, vt declaraui § seq. glos. 4. num. 3. si ergo tu dares cambio pro feria Paschatis, seu pro feria Augusti, diceris dedisse pro ferijs intercalaribus, quia inter has ferias, idest, ante istas est feria apparitionis.

3 Restringe primo hanc limitationem, vt non sit vera, quando hæc intercalatio esset gratuita; quare est prohibita, quando ratione ipsius intercalationis augeretur pretium, Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 301. not. 5.

4 Restringe secundo, vt si quis daret pecuniam cambio adeo propè nundinas præsentes, vt litteræ cambij tempore acceptationum, seu solutionum ferri non possent, tunc cambium intelligeretur contractum pro alijs sequentibus immediatè nundinis, & non diceretur feria intercalaris, Romoald. Coli tractat. de camb. cap. 26. in fine, vers. nota.

LIMITATIO XV.

SVMMARIVM.

Cambium, quo campsuarius obligatur, vt solutionem trahat in campsorem, seu eius agentem, est illicitum, num. 1. & 2. Extenditur, num. 3. 4. & 5.

Cambium, quo campsuarius obligatur remittere cambium campsori ad eundem locum, est illicitum, num. 4.

Cambium, quo dans obligatur committere procuratori nummulario accipientis, vt solutionem recipiat, an sit illicitum, num. 6.

Cambium, in quo accipitur vltra iustum pretium, an & quando sit vsurarium, vel illicitum, num. 7.

1 LIMITA XV. in cambio, quo campsor obligat campsuarium, vt litterarum solutionem committat ipsi campsori, seu eius agenti, vel alteri ex voluntate ipsius campsoris, hoc est, campsuarius trahat debitum in aliquem ad voluntatem campsoris, quia sic vult in effectu lucrari, seu nominare personam, quæ lucretur prouisionem; nam hoc cambium, aucupans lucrum prouisionis, addensque propterea præfatam obligationem, esse impudens, & illicitum, scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 13. art. 1. concl. 3. col. 3. fol. 629. Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. deinde ipsum. & vers. ad septimum, vbi declarat, lib. 5. de vsur. Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. sub num. 62. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 5. Romoald. Coli tract. de camb. cap. 21. versus finem, & habes infra §. 9. num. 10.

2 Ratio est, quia sicut in mutuo non additur onus, quod sit pecuniæ æstimabile, quia esset vsura, cap. vlt. de vsur. Nauar. vbi sup. & diximus in pluribus locis; & præsertim supra q. 1. num. 498. ita etiam non debet addi in cambio, quia est valdè suspectum de vsura propter multam familiaritatem, quam habet cum mutuo, vt patet ex his, quæ scripsi supra hac ead. q. par. 1. num. 22. & 23. vnde nisi pretium huius cambij minuatur, iniquum est cambium, quia vltra iustum pretium aliquid accipitur, Io. Azor. d. q. 5. vers. quæritur itaque.

3 Extende primo hanc limitationem, vt eadem ratione procedat, si campsor obligaret campsuarium ad recambiendum pro aliquo foro, vt habes infra §. 9. num. 10.

4 Extende secundo, vt procedat quando campsor obligaret campsuarium, vt scriberet ad suum procuratorem, seu correspondentem, qui suis litteris remitteret ex nundinis cambium vna cum lucro ad ipsum campsorem in loco, vbi dedit cambio, quia hoc cambium esset illicitum, tum propter onus superadditum, tum propter qualitatem oneris, vt remittat ad eundem locum, quasi solutio sit facienda in eodem loco, quod sapit mutuum cum vsura; hocq; obscurè expressit Io. Azor. d. q. 5. vers. quæres an tirius.

5 Extende tertio, vt procedat etiam si campsor ob hanc obligationem, de qua supra in limitatione, remitteret campsuario octauam

uam partem pretij cambij, quia adhuc potest esse iniustum.

Quicquid in cõtrarium scripserit Nauar. d. cons. 31. vers. ad septimum. & quicquid sentiat Io. Azor. d. cap. 9. q. 5. vers. quæritur itaque. nam si tantum minuunt, quantum sumunt ex prouisione, bene loquerentur, sed ad quid perditio hæc? si verò plus sumunt, vt arbitror, remanet iniustitia.

6 Extende quarto, vt idem iuris sit, quando nummularius, qui accipit cambio pro loco, vbi ipse, & non is, qui ei dat cambio, habet ministrum, seu procuratorem; vnde, sumpta hac occasione, obligat eum, qui sibi dat, vt committat ipsius nummularij procuratori, vt exigat, & solutionem recipiat; quia hoc cambium est iniquum, Io. Azor. ead. q. 5. vers. pari etiam.

Sed; quicquid dicat Azor. qui intricatè loquitur, & se non clarè explicat; dico, quòd si lucrum cambij sit eius, qui dat nummulario, cambium est æquum, & licitum, quia is, qui ex cambio sumit questum, æquiparatur mutuatori, & propterea sicut mutuum, in quo mutuator obligatur ad aliquod onus, non est vsurarium, ita etiam non est cambium iniquum, si onus passiuè sit ex parte eius, qui lucratur ex cambio, per ea, quæ scripsi par. præceden. ampl. 10. sub num. 68. & 70. secus si lucrum adhuc esset nummularij, qui accipit cambio, quia tunc procederet extensio.

7 Sublimita, declarando limitationem, & extensiones, vt præfata onera addita, quæ habent vim augendi pretium cambij, non faciant, cambium esse vsurarium, sed faciant, esse iniustum, aut nullum, si in cambio non insit mutuum implicitum, per ea, quæ scripsi par. præceden. ampl. 10. num. 37. iuncto nu. 35. & hac ead. par. supra limit. 1. sub num. 4. vers. dubitatio. sicq; sentiunt ij, quos citauimus sup. num. 1. & speciatim Io. Azor. d. q. 5. vers. deinde videtur.

Secus, si in cambio inesset mutuum implicitum; & diceretur inesse, quoties pretium cambij augeretur ratione solius temporis, quia tunc esset vsurarium; quare in dubio, quando de hoc non constaret, benè loqueretur, qui alternatiuè diceret, esse iniustum, aut vsurarium, vt habes infra §. 9. num. 10.

LIMITATIO XVI.

SVMMARIVM.

Cambium ad rationem lucri, quod campsor facere potuisset in mercatura, quam prius sua sponte dimiserit, est illicitum, num. 1.

1 LIMITA XVI. quando quis, relicta motu proprio mercatura, & negotiatione, quas exercebat, extrahit ab eis omnem pecuniam, quam in eis habebat implicitam, eamq; exponit negotiationi campsoriæ, dando eam cambio ab vnis nundinis in alias, cum pacto, vt ij, quibus dat, soluant ei tantum, quantum lucrantur, seu verisimiliter lucrari possunt ij, qui versantur in mercatura, & negotiatione, quas ipse exercebat, quia eiusmodi cambia sunt illicita, & mortiferum habent peccatum, cum obligatione restituendi; nam, cum iste nullum deinceps lucrum consequi potuisset ex mercatura, quam iam prius sua sponte dimiserit, iniquum est, vt illud interesse velit consequi, siquidem illud minimè patitur, Nauar. in cap. nauiganti. num. 35. vers. in hoc cambio. de vsur.

LIMITATIO XVII.

SVMMARIVM.

Cambium, contractum à persona inhabili, est nullum, num. 1. Exemplificatur, extenditur, & declaratur, num. 2. & seqq.

Furiosus non potest contrahere cambium, num. 3.

Minor habens, seu non habens curatorem, an possit contrahere cambium, num. 4. & seqq. & an possit exercere mercaturam, ibidem.

Minor 14. annis an possit contrahere cambium, num. 6. & seqq.

Administratione rerum suarum alicui interdicta, is mercaturam exercere non potest, num. 2. & 4.

Mulier an possit contrahere cambium, num. 7. & seqq.

Fideiussor in contractu cambij tenetur in ciuitate Genuæ, licet non teneatur principalis, num. 8.

Inhabilis ad contractum ob ætatis defectum, seu iudicij imbecillitatem, est inhabilis, si contractus sit ei damnosus, secus si ei sit vtilis, num. 9. & seqq. & num. 14. Non obstante statuto, de quo num. 11.

Mulier

Mulier inhabilis ad contrahendum, an sit habilis ad contrahendum curatorio nomine, remissiuè, num. 10.

Statutum, quod debeat intelligi ad litteram, prout iacet, exclusa quacunque extrinseca interpretatione, adhuc admittit eam, sine qua statutum contineret absurdum, & quando contineret hoc absurdum, num. 11. *& seqq.*

Statutum, puniens extrahentem sanguinem in Palatio, non habet locum in Chirurgo, qui, medendo, & ad salutem extrahit, num. 12.

Statutum iniquum non est statutum, & eo minus est statutum, si prohibeat, dici de eius iniquitate, sub num. 13.

Inhabilis ad contrahendum, quia sit incapax, non potest contrahere cambium, nu. 15. *Exemplificatur, num.* 16. 23. *& 24.*

Ius dicens & Officialis téporalis } *prohibentur negotiari, &c. n.* 16. *Declaratur, n.* 17. *& seqq.*

Contractus initus cum eo, cui prohibitum est contrahere ratione iustitiæ, & decoris. tenet in eius damnum, sed non in eius vtilitatem, num. 18.

Nobilibus interdicta est mercatura, & quare, num. 20. *Declaratur, num.* 21. *&* 22.

Religiosis prohibetur mercatura, & negotiatio, num. 23.

Negotiatio cum Saracenis, & hostibus populi Romani, est probitita, num. 24.

Mulieribus, & Minoribus } *in ciuitate Genuæ an sit prohibitum contrahere indistinctè, etiam si vtiliter contraherent, num.* 25.

1 LIMITA XVII. vt non habeat locum, si campsor, vel campsuarius sit inhabilis ad cõtrahendum, quia cambium non tenet, per ea, quæ in his terminis scribit Fabian. tract. de camb. initio, sub num. 49. vers. hoc idem. tom. 6. par. 1. fol. 415. sed hæc limitatio, licet sit vera, tamen non est necessaria, quia nihil maioris inhabilitatis inest in contractu cãbij, quàm in contractu mutui, cæterisq; contractibus: est enim inhabilis ad contrahendum cambium, quia est inhabilis generatim ad contrahendum, & à quo remouetur genus, in-
2 telligitur remota species: † hincq; est, quòd persona, quæ suarum rerum administrationem non habet, mercaturam exercere non potest, Stracch. tract. de mercat. par. 3. nu. 17. in fine, vers. sunt & personæ. tom. 6. par. 1. fol. 295.

3 Exemplifica primo istam limitationem in furioso, & insano, in quibus loquitur Fabian. in loco supra proximè citato, & loquendo de mercatura, Stracch. d. par. 3. num. 18.

4 Exemplifica secundo in minore, curatorem habente, & in quolibet, cui interdicta est administratio bonorum, prout, loquendo in eisdem terminis mercaturæ, scribit Stracch. d. pat. 3. num. 19. & seqq. nam minori, habenti curatorem, est prohibita administratio etiam rerum mobilium, vt ex Ant. de Butr. Simoncel. & Paul. de Castr. secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. num. 311. quia censetur ei interdicta administratio rerum suarum, vt ex eodem Simoncel. ibidem sum secutus.

5 Extende primo hanc exemplificationem, vt habeat locum etiam in minore, non habente curatorem, quando per istum contractum cambij obligasset bona stabilia, ita vt creditor vellet ea vendere, & distrahere, vel capere in solutum, quia eiusmodi obligatio, & hypotheca non teneret, neque ad vllam speciem alienationis posset deueniri, per ea, quæ, generaliter loquendo de alienatione, citatis Io. Andr. Ant. de Butr. Ias. & alijs, secutus sum d. cap. 2. num. 276. 286 vbi, quòd requireretur decretum Iudicis, etiam si haberet curatorem: Et idem credo quoad obligationem personæ, vt scilicet non possit detineri personaliter, testibus his, quos citaui in d. tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 46. n. 16. sed solum possint capi mobilia, quæ seruando seruari non possunt, per ea, quæ dixi d. cap. 2. sub num. 264. & seqq.

6 Extende secundo, vt multò magis procedat in minore quatuordecim annis, quia is non potest contrahere sine tutore, & æquiparatur furioso, vt secutus sum d. cap. 2. nu. 319. & 334. siue habeat tutorem, siue non, & siue sequatur alienatio rei immobilis, siue mobilis, per ea, quæ, loquendo de compromisso, scripsi eod. cap. 2. nu. 333. & faciunt quæ scripsi par. præcedenti, ampl. 19. num. 68. & 70.

7 Extende tertio, vt procedat in muliere, & in quauis alia persona, quæ vel de iure communi, vel de iure municipali esset vel in totum, vel sine certa solemnitate inhabilis ad contrahendum, quia si istæ acciperent cambio, contractus cambij non teneret, per ea, quæ, loquendo de compromisso, secutus sum eod. cap. 2. num. 493. & seqq.

8 Declara primo, sublimitando hanc limitationem in Rep. Genuensi, vt hæc personæ inhabi-

inhabilitas, quæ inficit cambium, contractum ab ipsa persona inhabili, non se extendet ad fideiussorem, seu mandatorem habilem, quia is intelligitur obligatus, vti principalis, & in solidum; quare si quis supra se pro alio, seu computo alterius tractam aliquam fecerit, vel quid solui, aut credi mandauerit, vel debitū alicui pro alio dati mandauerit, vel ordinem aliquem obseruari ordinauerit, aut litteras aliquas subscripserit, exceptionem aliquam, vel defensionem ex persona ipsius principalis allegare non poterit, vt puta, quòd principalis esset minor, vel fœmina, aut alias quoquomodo inhabilis, sic disponentibus statut. Genuæ lib. 4. cap. 12. §. vlt.

9 Declara secundo, sublimitando eandem limitationem, eiusdemque extensiones, vt procedant in cambio damnoso, &, istis personis, quæ inhabiles sunt, volentibus cambium esse nullum; secus in cambio vtili, & ideo ipsis volentibus, vt valeat; quia isto casu cambium teneret, vt, loquendo generaliter de contractu, citatis pluribus, secutus sum d. cap. 2. num. 320. & seqq. & 382. vers. confirmatur. & num. 514. & de contractu mulierum, Mysing. in sing. obseru. cent. 2. obseru. 34. statutum. & latè Flam. Cart. decis. 46. fuit facta. sub num. 12. & probatur ex his, quæ scripsi eod. cap. 2. nu. 384. & seqq.

10 Et quid si mulier contrahat curatorio nomine, vide quæ scripsi eod. cap. 2. num. 502. & 504.

11 Extende hanc declarationem, vt procedat etiam si in statutis præciperetur, quòd ipsa, & singula statuta essent intelligenda ad litteram, reiecta omni, & quacunque interpretatione, quia nihilominus statutum, quod in eodem volumine statutorum annullaret ipso iure contractum, factum à minore, seu muliere sine solemnitatibus statutarijs, intelligendum esset de contractu damnoso, & non de contractu vtili; quia licet statutum, mandando seruari suā dispositionem ad litteram, excludat quantumuis omnem, & quamcumque interpretationem, tamen nunquam excludit interpretationem, sine qua statutum induceret absurdum, Tes. Fossan. decis. 269. fossanum. num. 5. & in terminis huius extensionis procedit decisio apud Flam. Cart. supra citata, quia is loquitur de statuto Genuæ, quod prohibet extrinsecum intellectum, vt in libro 1. statut. cap. 16. & pro hac extensione faciunt, quæ, disputando super eiusmodi statutis, scribit Alber. Brun. tractat. de statut. art. 5. q. 29. sub num. 108. & seqq. & num. 115. tom. 2. fol. 173. & seqq.

Sed si hoc statutum intelligeretur etiam de contractu qui esset vtilis ipsis minori, & mulieri, induceret absurdum, quia si mulier ob non solutum canonem incidisset in commissum, & ipsa à domino directo impetraret nouam inuestituram, seu remissionem caducitatis: item si minor posset ex contractu hæreditario solum infra annum redimere aliquam rem, ipsi minori valde vtilem, &, elapso anno, vlterius non posset, & ipse redimeret, vel aliter à possessore longiorem dilationem impetraret, vel quid aliud ad sui vtilitatem contraheret ad euitandam fluxionem temporis, & istæ impetrationes, redemptio, seu contractus non tenerent, magnum vtique paterentur damnum, quod est absurdissimum; quia sicut natura, vti mater prudentissima, occurrit, & subuenit parti debiliori, ita etiam facere debet lex, quæ est ipsius naturæ imitatrix; at hic faceret totum oppositum, quia non solum non subueniret parti debili, sed illam, si se subleuaret, opprimeret, & sic statutum, tendens ad subleuandam ætatis, & sexus imbecillitatem, & infirmum iudicium, ea opprimeret.

12 Confirmatur hæc extensio, quia, supposito, quòd statutum disponat, quòd quicumque extraxerit sanguinem in palatio, capite puniatur; barberius, qui phlebotomauit officialem, seu eius ministrum in palatio, non erit puniendus, Bar. in l. 9. omnes populi. q. 6. principali, num. 55. versus finem, ff. de iust. & iure. & hoc est verum, etiam supposito alio statuto, quòd verba statutorum intelligantur præcisè, & ad litteram sine alia interpretatione, Eucrar. de loc. argum. in loco à rat. leg. strict. seu limit. &c. sub num. 6. vers. hinc dicit. nam adhuc interpretari debemus statutum, vt loquatur de eo, qui extrahit ad iniuriam, & non de eo, qui extrahit, medendo ad salutem, alias statutum, volens obuiare iniurijs, obuiaret tunc saluti; quare isto casu rectè dicemus cū Apost. 2. ad Corinth. 3. num. 6. *littera enim occidit, spiritus autem viuificat*. nec crederem, quòd Genuenses, si haberent hoc statutum contra extrahentem sanguinē in palatio, essent aliter iudicaturi, quamuis ipsi statutum, quod habent, vt dixi, de extrinseco intellectu, diligenter seruent, & ad illud semper recurrant, qui enim eiusmodi

modi interpretationem non admitteret, esset nimis crudelis, & quasi sine verecundia, quare Bal. in auth. præsente. sub num. 4. vers. quæro dicit statutum. C. de fideiuss. quem sequuntur Dec. cons. 27. pro virili. num. 1. cons. 104. num. 3. Bened. de Barz. tract. de guarintig. par. 3. q. 8. & Bertaz. de clausul. claus. 40. gl. 4. sub nu. 8. & alij communiter, diabolos appellat eos, qui statutum, disponens, quòd contra executionem instrumenti non admittatur aliqua defensio, interpretantur, vt fideiussor conuentus non possit se defendere, petendo, sibi fieri cessionē iurium.

Ratio huius confirmationis est, quia, non admissa hac interpretatione, statutum redderetur iniquum.

13 Subextende hanc extensionem, & præsertim confirmationem, vt procedat etiam si extaret aliud statutum, quod prohiberet, dici, seu allegari statutum esse iniquum, prout prohibet idem statutum Genuen. d. cap. 16. §. nullus.

Ratio huius subextensionis est, quia si statutum redditur iniquum, non est statutum, per ea, quæ dixi par. præced. ampl. 19. num. 16. & 51. & eò minus est statutum illud, quod prohibet dici, seu allegari esse iniquū; quod enim de iure non tenet, nequit pœnæ vinculo alligari, per ea, quæ dixi in meo tractat. de iudic. caus. lib. 1. cap. 57. sub num. 6.

14 Infero, magis extendendo eandem declarationem, quòd, volente persona inhabili, contractus cambij remanet validus, tàm si ipsa acceperit, quàm si dederit cambio.

15 Restringe eandem declarationem, vt procedat, quando inhabilitas procedit ex imbecillitate intellectus, seu prudentiæ, & sic contractus annullatur fauore ætatis, vel sexus, vt in personis, de quibus supra in limitatione, exemplificationibus, & extensionibus; secus quando inhabilitas non procedit ex imbecillitate iudicij, sed ex eo, quia persona est facta penitus incapax, vel quia sit indecens personæ, vt contrahat; quia isto casu contractus indistinctè censetur prohibitus, siue sit damnosus, siue vtilis, vt in exemplis, de quibus num. seqq.

16 Exemplifica primo hanc restrictionem in Iusdicentibus, & Officialibus temporalibus iustitiæ, quibus quia est prohibita negotiatio in loco, vbi ius dicunt, l. 33. principalibus. ff. si cert. pet. Stracch. tract. de mercat. par. 3. num. 17. tom. 6. par. 1. fol. 295. & in Lusitan. & in Regno Castellæ extant leges, quibus assistentibus, gubernatoribus, correctoribus, atque eorum ministris, in quibus *Alcades maiores*, quos vocant, & cæteri inferiores ministri comprehenduntur, interdictum est, ne, durante eorum officio, negotiationem in loco suæ iurisdictionis exerceant, Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 343. initio, & in Rep. Genuensi ex eius statut. lib. 1. cap. 14. §. nequeant potestates. & in Regno Franciæ ex illius Regni constitutionibus prohibetur iudicibus mercatura sub duplici pœna; prima est amissionis mercaturæ, secunda est, vt puniantur arbitrio Regis, Rebuff. ad illas constitut. tract. de mercator. art. 1. gl. 16. iuncta gl. 14. tom. 2. fol. 205. & 206. ideo etiam erit prohibitum accipere cambio per modum negotiationis.

Imò Prouincias moderantes non debent emere, seu vendere alia, quæ excedunt victum, & vestitum pro illo tempore, quo durat eorum officium, quare iudices, eorumq; officiales, ac ministri, quin & domestici, de iure communi, nec per se, nec per interpositam personam ædificare possunt domos de nouo, neque conficere naues, neque quicquam emere in loco, in quo iurisdictionem exercent, præter necessaria ad victum, & vestitum, vsumvè quotidianum, neque permutare, aut mutuo à subditis, vel donationes vllas accipere possunt; & si quid emerint, vel alium similem contractum, eis prohibitum, fecerint, contractus erit nullus, etiam si post finitam administrationem accedat consensus eorum, qui vendiderunt, vel donarunt, l. vnica, C. de contract. iud. & l. 62. qui offici. ff. de contrahen. empt. & pro illo contractu puniuntur in quadruplo, l. 46. non licet. ff. eod. & scribit Lud. Molin. d. disput. 343. initio.

Secus est, si non sint officiales temporales, sed sint perpetui, quia ij, qui perpetui sunt, possunt emere, vendere, & alios contractus facere, l. 34. præsidis. ff. si cert. pet. & Lud. Molin. in loco supra proxime citato, & nos locuti sumus in officialibus temporalibus.

17 Declara primo hanc exemplificationem; vt procedat in Rectoribus, & Officialibus iudicantibus in patria aliena; secus si in propria, quia in propria possunt contrahere, Stracch. d. num. 17. in fine, & ideo prædicta exemplificatio; prout loquitur, & comprehendit contractus citra nomen mercaturæ, & nego-

negotiationis, non seruatur Romæ, vbi, quia est patria communis, iudices possunt emere, vendere, & contrahere, dummodo tamen emant, & vendant, tanquam patresfamilias sine negotiatione, quia mercatura, seu negotiatio dehonestaret eorum maiestatem, ipsosq; redderet suspectos, & scandalizaret Principem, & populum, quare si Aud. Cam. Clerici Cam. Audit. Rotæ, Gubernator, Senator, & similes mercaturam exercerent, iustè auctoritate Summi Pont. monerentur, ac coercerentur, vt abstinerent à mercatura, & nisi parerent, posset Princeps illos amouere ab officio; dicò hoc per modum loquendi ad magis ostendendam veritatem huius declarationis, cum alias exploratum omnibus sit, & ego bene sciam, quòd casus hic in istis Sedis Apostolicę ministris nuquam datur, cum omnimodam semper in qualibet actione maiestatem, & decorem seruent.

Subdeclara eandem declarationem, vt procedat, quando is, cum quo iudex contrahit, non litigat coram illo iudice; secus si litigaret coram eo, quia tunc & Romæ, & vbique contractus esset inualidus, per ea, quæ de contractu inter Aduocatum, & clientem, & inter medicum, & infirmum, secutus sum supra q. 1. sub num. 557. & hac ead. q. par. præced. ampl. 19. sub num. 124.

18 Declara secundo eandem exemplificationem, vt ista inhabilitas, seu prohibitio non dirimat contractum, quem fecissent, quando esset ei damnosus, & ipsi vellent illum rescindere; secus si eis foret vtilis, quia tunc deberet rescindi, per ea, quæ de nullitate contractus initi inter Aduocatum & clientem, & inter medicum, & infirmum scripsi supra; vel saltem propter illum contractum debent aliqua pœna puniri, vel, & melius, vt arbitror, officio priuari, per ea, quæ de nobili, exercente mercaturam, scripsi infra num. 21.

19 Declara tertio eandem exemplificationem, quatenus loquitur de negotiatione, seu mercatura prohibita iudicibus, vt negotiari, seu mercari dicatur is, qui comparat rem, vt illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, sed is, qui rem comparat, non vt ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed vt materia sibi sit inde aliquid operandi, non dicitur negotiari, vt puta, cum quis emit ferrum, & vendit claues, emit lignum, & vendit scamna, cap. eijciens. dist. 88. Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 8. cap. 53. de negotiatione. & scripsi sup. q. 1. num. 12. 13. & 77.

Negotiationis prohibitio, seu restrictio quem non comprehendat, vide Crauet. cons. 6. num. 115. & 116.

20 Extende eandem exemplificationem cum eius declarationibus, vt magna ex parte habeant locum in nobilibus, quibus est prohibita mercatura, & consequenter negotiatio cambiendi, vt ostendit Stracch. tract. de mercat. par. 2. sub num. 17. ibi, ego verò puto. tom. 6. par. 1. fol. 290.

Ratio quare nobilibus mercatura, & negotiatio non conueniant, ideoq; eis prohibitæ sint, non est illa, quæ est in clericis, & & iusdicentibus: in clericis enim ratio est, quia clericus debet habere vitam exemplarem, sed exemplarem non haberet, si se in his, quæ annexam habent peccandi occasionem, immisceret, prout occasionem hanc inseparabilem habent mercatura, & negotiatio, vt scripsi etiam par. præced. ampl. 11. sub num. 7. & in iusdicentibus ratio est, quia, si mercaturam, & negotiationem exercerent, vltra quod in populi scandalum publicam læderent maiestatem, eorum iudicium suspectum redderetur: at in nobilibus ratio est, quia negotiatio, & mercatura habent magnam propinquitatem cum arte, & artificio, à qua arte, & artificio deriuantur artifices, & plebei, vt scripsi sup. q. 1. n. 12. & 13. Ergo sicut nobiles volũt distare à plebeis in honore, & dignitate, ita etiam distare debent ab exercitio, quod quem facit plebeum.

21 Verum hæc extensio recipit easdem duas declarationes: Primam, vt possint contrahere, tãquam patresfamilias sine nomine mercaturæ, & negotiationis, vt in officialibus Romanæ Curiæ dixi supra num. 17. in prima declaratione. Secundam, vt prohibitio non dirimat contractus, quos faciunt occasione mercaturæ, sed operetur, vt, negotiando, & mercando, priuentur, idest, amittant nobilitatem, & amplius inter nobiles reputari non possint, vt ex Bal. referunt, & sequuntur Stracch. vbi supra, & Garzon. in plat. vniuers. disc. 61.

22 Tempera istam extensionem, vt non sit vera in ciuitate Genuæ, Venetiarum, Lucæ, Anconæ, & Florentiæ, quia in istis etiam nobiles possunt exercere, & exercent mercaturam, & negotiationem cambiendi sine vllo detrimento nobilitatis, vt secutus sum supra q. 1. num. 76.

Exem-

23 Exemplifica secundo in viris religiosis, qui vitam communem, seu paupertatem professi sunt, quia istis sunt omninò actiuè, & passiuè prohibitæ negotiationes mundanæ, & consequenter non possunt accipere, neque dare cambio, quamuis contractum facerent cambij veri, & realis, Fabian. tract. de camb. initio, num. 45. vers. nona. tom. 6. par. 1. fol. 415. & in materia indifferenti, Io. à Capistr. tract. de vsur. num. 147. tom. 7. fol. 111. & adde quæ scripsi supra q. 1. num. 42. & 43. sed in clericis, qui non profitentur paupertatem, vide quæ scripsi par. præced. ampl. 11. num. 6. & 7. illat. 2.

24 Exemplifica tertio in Sarracenis, & hostibus Populi Romani, quia cum istis est prohibitum commercium, & in eorum odium Christianus, qui cum eis negotiaretur, transportando ad illos merces, esset excommunicatus, & eius bona publicarentur, & efficeretur seruus illius, qui eum caperet, cap. 6. ita quorundam. & ibi latè Nauar. not. 1. & 4. de iud. & sarrac. Conrad. de contract. q. 51. concl. 1. ibi, primum vt si christianus. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 2. col. 4. fol. 565. in fine, & Stracch. tract. de mercat. par. 2. num. 40. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 291. imò qui Turcis, & fidei inimicis venderet arma, ferrum, puluerem, ligna, & alia eiusmodi, quæ ad bellum necessaria sunt, peccaret mortaliter, & esset excommunicatus in bulla Cœnæ Domini, Conrad. d. q. 51. vbi supra, latè Nauar. in d. cap. ita quorundam. not. 1. num. 5. vers. octauus est processus. & Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib. 8. cap. 53. de negotiatione. vers. tertio ratione. & consequenter cauere deberet Christianus, ne illis daret cambio.

Pro absoluta intelligentia, & explicatione materiæ huius exemplificationis multa, nedum vtilia, sed necessaria essent dicenda, circa dictum cap. ita quorundam. & alia iura, & dictam bullam in Cœna domini; sed quia ea tetigit Conrad. d. q. 51. concl. 1. & latè explicauit Nauar. in d. cap. ita quorundam. per totum, & hunc non existimo locum idoneum, cum nimis diuerterer, pluribus non insisto.

25 Exemplifica quarto in minoribus, & mulieribus Genuensibus, quorum contractus est ipso iure nullus, quasi sint incapaces contractuum, eò quia sit indecens, vt eiusmodi personæ possint contrahere, & sic prohibitio contractus respicit non imbecillitatem, sed indecentiam, & alia inconuenientia, iuxta ea, quæ scripsi supra sub num. 15.

Contrariam opinionem censeo veram, nam istæ personæ non sunt incapaces contractuum; imò sunt capaces, sicut aliæ, dummodo adhibeant solemnitates, ergo prohibitio non est fundata in eorum incapacitate, sed in eorum imbecillitate.

26 Retenta tamen, si placeret, exemplificatione, quam ego non tenerem.

Declara eam, vt quãuis ex contractu, inito cum minore, vel muliere, denegetur hinc inde actio, tendens ad obseruãtiam cõtractus, tamen datur hinc inde facultas dicendi, & excipiendi de nullitate contractus, & consequenter repetendi hinc inde datum, & acceptum, quia hæc veniunt in necessariam consequentiam nullitatis contractus; & ne vnus locupletetur cum alterius iactura, deficiẽtibus proprijs actionibus, daretur remediũ ex l. si me & titiũ. ff. si cert. pet. de quo remedio scripsi in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 6. memb. 6. num. 15. vel officium iudicis, de quo etiam scripsi eod. tract. q. 16. limit. 1. num. 48. & 49. vel daretur actio præscriptis verbis, l. 3. ff. de præscript. verb. Rot. diuers. decis. 88. num. 4. par. 2.

LIMITATIO XVIII.

SVMMARIVM.

Cambium, quo campsor dat pecunias Principi, quem scit ijs pecunijs vsurum pro bello iniusto, est illicitum, num. 1. & seqq. Similiter si dat prodigo, &c. num. 3.

Arma non venduntur sine peccato ei, quem venditor scit emere ad nocendum, num. 2.

Restitutio fieri non debet, si ex restitutione sequi debeat damnum corporis, vel animæ, num. 4.

Deposita pecunia restitui non debet, si is, qui deposuit, ea pro actu illicito vsurus sit, sub nu. 4.

Depositus ensis furioso restitui non debet sub n. 4.

1 LIMITA XVIII. quando daretur ad cambium Principi, seu alteri, quem dans scit, vel probabiliter credit, pecunijs, datis pro cambio, vsurum esse pro aliquo iniusto bello, quia hoc cambium esset inhonestum, & illicitum, Fabian. Genuen. tractat. de camb. initio, num. 50. vers. duodecima. tom. 6. par. 1. fol. 415. imò quocunque nomine contractus illi darentur pecuniæ ad istum iniustum vsum, contractus

semper esset illicitus, & quò magis gratis, & liberali mutuo darentur, eò magis illicitè darentur; & sic ista limitatio non est propria contractus cābij, sed est communis omnium contractuū, qui huic improbo fini inseruirēt.

Confirmatur primo hæc limitatio, quia mortaliter peccat, qui vendit arma ei, quem scit emere ad nocendum iniustè, aut ad bellum, quod scit esse iniustum, vt sequitur Nauar. in man. confess. cap. 23. num. 90. vers. quinto peccat. ergo peccat etiam qui dat pecunias cambio in casu huius limitationis.

3 Confirmatur secūdo, quia nummularius, dans suas pecunias ad cambium ei, quem scit esse prodigum, ideoque pecunijs abusurum in ludis, lasciuijs, alijsq; enormibus, malè agit, Fab. Genuen. tract. de camb. num. 49.

4 Confirmatur tertio, & fortius, quia etsi quis, non restituendo, quod indebitè tenet, peccet, tamen non peccat, & non debet restituere, quando ex restitutione, quæ fieret, statim resultaret damnum corporis, aut animæ eius, cui restitutio fieri deberet; quare, pecunia deposita domino reddi non debet, vt emat Cardinalatum, Sot. de iust. & iur. lib. 4. q. 7. art. 1. in respons. ad primum argumentum. fol. 368. col. 2. similiter volenti bellum facere, aut iniustè litigare, pecunia, qua id faciat, restitui non debet; sicut & furioso, vel irato ensis depositus, quo creditur, se, vel alium percussurum, restitui non debet, cap. 14. ne quis. in fine, 22. q. 2. Io. Andr. in cap. 2. possessor. num. 13. ibi, videmus enim, de reg. iur. in 6. Ant. de Butr. in cap. vlt. num. 9. vers. nam hoc æquum. de consuet. Coras. de iure ciuil. &c. par. 4. cap. 17. tom. 1. fol. 79. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. in respons. ad 4. dubium, vers. exemplum. fol. 19. Sot. d. q. 7. art. 1. col. 4. in fine, vers. ad primum. fol. 368. & Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 272. vers. D. Thom. col. 82. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 1. cap. 3. q. 1. col. 34. initio, & Nauar. in man. confessar. cap. 17. de restitutione quando restituendum, num. 63. vbi declarat.

Ergo, si restituendo peccaret, multò magis peccaret, dando.

LIMITATIO XIX.

SVMMARIVM.

Cambium, datis campsuario mercibus pro pecunia numerata; non est licitum, num. 1.

1 LIMITATIO XIX. vt campsor non possit dare campsuario merces, & accipere ab eo literas cambij de pecunia numerata, & moueor pro hac limitatione ex pluribus.

Primo, quia cambium vel est emptio, & venditio, vt dixi supra q. 4. num. 21. vel est permutatio pecuniæ cum pecunia, vt dixi ibidem num. 18. & quiduis ex his sit, requiritur pecunia numerata; nam si est emptio, pretium debet esse in pecunia numerata, vt, loquendo de emptione census, scripsi supra q. 1. num. 209. & si est permutatio pecuniæ cum pecunia, non potest fieri cum mercibus, quia non esset pecuniæ cum pecunia.

Secundo, quia cambium habet magnam familiaritatem cum mutuo, per ea, quæ scripsi sup. hac eadem q. par. 1. nu. 21. 22. & 23. & ideo lucrum eius est suspectum de vsura; & consequenter, sicut in mutuo reijcitur onus, quod adderetur mutuatario, ita etiam ex cambio reijci debet onus accipiendi merces pro pecunia numerata, alias cambium redoleret iniquitatem, de qua in alijs contractibus scripsi supra q. 1. num. 570. vers. ratio quare.

Tertio, quia si in censu, & societate officij non possunt dari merces loco pecuniæ numeratæ, per ea, quæ scripsi ead. q. 1. num. 229. vers. sed in contractu. à fortiori non possunt dari in cambio, cum sit commercium magis suspectum, magisq; exorbitans à commercijs naturalibus.

LIMITATIO XX.

SVMMARIVM.

Cambia exerceri non possunt in ecclesia, neque in tempore feriato in honorem Dei, num. 1.

Cambij lucrum si non debetur, quia cambium sit illicitum, an debeantur impensæ, &c. num. 2.

Vsura ita committitur, exigendo eam à diuite, sicut, exigendo à paupere, num. 3. Et etiam à Iudæo, num. 4.

Vsura committitur etiam si is, qui eum promisit, dixerit, se eam soluere sponte, & mera liberalitate, num. 5.

Restitui debet in foro conscientiæ quicquid illicitè est acceptum, num. 6.

LIMI-

1 LIMITA XX. vt non procedat in negotiatione cambiorum, quæ fieret in Ecclesia, vel loco simili, quia est prohibita, & hos negotiatores Deus eiecit de templo, vt scripsi supra par. 1. num 60. Idem dico, si fieret tempore feriato In honorem Dei, vt scripsi sup. q. 1. nu. 558. limit. 3. & adde quæ scripsi in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 5. num. 108. & seqq.

EXTENSIONES GENERALES.

2 Extende primo nunc singulas præcedentes limitationes, in quibus dixi, cambia esse illicita, & vsuraria, vt sicut propterea talium cambiorum lucra non deberentur, ita etiam non deberentur sumptus, mercedes laborum, & expensæ, quas mercator fecisset pro eiusmodi cambio illicito, quia, dato actu illicito, accessoria etiam erunt illicita, Ant. de Rosel. tract. de vsur. nu. 57. vers. quidam. tom. 7. fol. 68. Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 26. de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 139. etenim vt labores, & sumptus, in aliquam functionē impensi, mercede digni æstimentur, perspiciendum prius est, an functio ipsa, & negotium genere suo & obiecto iustitiæ munus sit; nam alias neque labores, neque sumptus vlla digni sunt retributione; imò supplicio; alioqui latrones ipsi publici, qui improbas latrocinijs exercendis operas nauant, digni essent mercede, & vniuersos vsurarios haberemus excusatos; quare cum mutuum sit indispensabiliter prohibitum, si ex eo ratione temporis aliquid vltra sortem percipiatur, minus merces aliqua ratione laborum accipi potest, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 10. art. 2. in conclus. responsiua. col. 2. fol. 611.

Pro declaratione huius extensionis considera, quæ scripsi par. præced. ampl. 20. per totam, sed præsertim num. 6. & seqq.

3 Extende secundo, vt vsura, quæ committitur in cambio, vniformiter committatur, tàm cum paupere, quàm cum diuite, & Rege; & ideo mercator, qui dat cambio vsurario pecunias Regi, non excusatur, Fabian. tract. de camb. initio, sub num. 28. vers. similiter. & nu. 29. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 413. & facit ad hoc, quæ ex Bal. secutus sum sup. q. 1. sub num. 464. & hac eadem quæst. par. præced. ampl. 19. num. 65. & sub num. 67. vers. ex hac.

4 Subextende hanc extensionem, vt neque contra Iudæum possit exerceri cambium vsurarium, quia Iudæi tolerantur ab Ecclesia, vt videmus, imò tolerantur eorum ritus, vt testantur Eymer. in direct. inquisit. par. 2. q. 46. num. 13. vers. hi autem. & ibi Pegn. commen. 71. vers. & ideo. littera g. quinimò Papa prohibet, quòd in eorum celebritatibus, & festiuitatibus à Christianis nullatenus perturbentur, cap. sicut iudæi. de iud. & sarrac. & Eym. vbi sup. & tolerantiæ rationem reddit D. Aug. quem sequitur Io. Andr. post cap. possessor. in cap. peccatum. num. 5. de reg. iur. in 6. quare, cum tolerentur ab Ecclesia, non possunt contra eos arma iustè moueri, cum non reputentur hostes Imperij Romani; & vsura exigi non potest, nisi ab hoste, contra quem, vti occupatorem iniustum rerum nostrarum, arma licitè moueri possunt, cap. vlt. ab illo. & ibi Archid. 14. q. 4. Laur. de Rodolph. in cap. consuluit. par. 2. q. 55. num. 40. & seqq. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 26. & ideo etiam vsura exigi potest, vt secutus sum infra §. 3. gl. 3. sub nu. 46. in 3. opinione, & hac ratione in hac subextensione residet Archid. vbi sup. loquens simpliciter de vsura.

5 Extende tertio, vt cambium non excusetur ab vsura, eò, quia accipiens cambio sit diues, seu Rex, qui asserant, se illa lucra dare spontè, & mera liberalitate, quia adhuc erit cambium vsurarium, Fabian. d. tract. de camb. num. 43. fol. 414. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 7. vers. quæres an possit. nam supposito, quòd in cambio insit mutuum explicitum, vel implicitum, quia non alia ratione potest dici vsurarium, per ea, quæ dixi supra par. 1. q. 7. num. 25. dans cambio non ex donatione, seu liberalitate accipientis cambio dicitur illud plus recipere, sed per vsurpationem, & coacto consensu debitoris, vt latè explicaui par. præced. ampl. 19. num. 64. & seqq.

6 Extende quarto declarando, vt quicquid in cambij, seu alterius negotij contractu illicitè fuerit, inspecto foro conscientiæ, perceptum, sit omnino in eodem foro, & etiam in foro exteriori, veritate comperta, restituendum, & hoc caret difficultate.

Ratio huius extensionis est, quia damnum est resarciendum de iure naturali, diuino, gentium, & positiuo, vt secutus sum eadem par. præceden. ampl. 8. num. 96.

Sed mala lucra sunt æqualia damnis, vt ex Hisiodo refert Math. Coler. tract. de processex. execut. par. 1. cap. 10. n. 35. in fine. Ergo,

§. 2. Glos. 1.

Hoc est cambium nundinariū sed liberum ad differentiam cābij nundinarij, quod vocant, con la ricorsa.

✠ 1614. 21. Ottobre, In Genoua, scudi 101. 9. & 9. de marche.

A pagamenti di fiera prossima de Santi pagate per questa prima di cambio à Francesco scudi cento, & vno, & 9. & 9. de marche per la valuta di contanti da lui, ponete à nostro conto. A Dio.

Pietro

A Titio

Piacenza.

✠ 1614. 21. Ottobre.

SVMMARIVM.

Crucis signum quare apponatur initio litterarum cambij, num. 1. Eo non apposito, remanet nihilominus validitas litterarum, num. 2.

Nominis Domini nostri inuocatio an sit necessaria in instrumentis, num. 1.

Annus Domini nostri an de necessitate sit apponendus in scripturis, &c. num. 3. & 4.

Annus Domini nostri vnde sumat initium, & vnde sumeret antea, num. 5.

Annus ex quot mensibus, & diebus constet, num. 6. & 30.

Annus naturalis, visualis, &c. qui dicantur, num. 7.

Dies an de necessitate sit apponendus in scriptura, &c. num. 8. & seqq. num. 19. & seqq. & num. 22. Quotuplex sit, num. 23. Quomodo sumatur, num. 24. Eius partes, num. 25. Cæptus an habeatur pro completo, num. 26. semper remissiuè.

Litteræ cambij sunt soluendæ, quamuis careant tempore, num. 10. & 11.

Error in tempore commissus in litteris cambij, an & quando vitiet, num. 12. 33. & seqq. Vitiat minus, quàm omissio, num. 16.

Error in tempore licet vitiaret scripturam, tamen actus gestus remanet, num. 35.

Error probatur per euidentiam rei, num. 37.

Errore ostenso, attenditur veritas, num. 37.

Veritas semper prævalet errori, sub num. 37.

Actus benè, an malè fiat, nihil refert, vbi actus non est necessarius, sub num. 12.

Libellus ineptus non reijcitur, si non est necessarius, num. 13.

Citatio, si solemnis non requiratur, nihil refert, quòd non sit legitima, num. 14.

Conclusio petitionis admittitur etiam inepta, si non est necessaria, num. 15.

Indictionis error an possit corrigi à notario, num. 17. Vnde dicatur indictio, & quomodo computetur, num. 18.

Testes an probent, si non deponant de tempore, &c. num. 19. & seqq. & num. 28.

Temporis probatio quando sit omnino necessaria, num. 21. Et qualis requiratur, num. 28.

Mensis an requiratur de necessitate in scriptura, num. 27. Ex quot diebus, & horis constet, nu. 29. Mensis emergens qui dicatur, num. 31.

October quare ita vocetur, num. 32.

1 QVAERO primo ad quid apponatur, & initio signum sanctæ Crucis, & an eius appositio sit necessaria. Resp. Ego credo, eam apponi loco inuocationis Domini nostri Iesu Christi, cuius nominis inuocationem esse in publico instrumento, & initio ponendam, scribunt Gl. Spec. Io. de Grass. Io. Fab. & Aret. quos citaui in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. sub num. 1175. vers. quantum. & hanc opinionem, loquendo de consuetudine, firmaui ibidem, sub num. 1179. vers. si loquimur. & rationes adduxi num. 1176. & 1177. secus, loquendo de iure, quia non esse necessariam, tenuerunt Paul. de Castr. Abb. Alex. & Felyn. quos secutus sum eod. cap. 11. num. 1178. sed, quicquid sit de iure, prævalet consuetudo, in tantum vt omissio inuocationis vitiaret instrumētum, Abb. Felyn. Marq. de Suss. Aret. & Bal. quos secutus sum eod. cap. 11. num. 1181. & seqq. in quibus declaraui nonnulla pertinentia ad hunc articulum, & appositionem signi sanctæ Crucis fuisse vsu receptam arbitror, ad maiorem breuitatem, cum in apodixis, præsertim mercatorum, paucissimis agatur verbis.

2 Quicquid sit de necessitate apponendi inuocationem nominis Domini nostri in publico instrumento; & licet signum sanctæ Crucis loco illius credamus apponi, & ideo deberet sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur, in tantum quòd sicut omissio inuocationis nominis vitiaret instrumentum, ita etiam deberet vitiare omissio signi sanctæ Crucis; tamen dico, quòd ista appositio signi sanctæ Crucis non est de substantia,

ftantia, & ideo nunquam vidi, nec audiui, fuisse de validitate apodixarum, & litterarum cambij dubitatum, eò, quia esset omissa appositio signi sanctæ Crucis: est tamen laudabilis mos, & stilus, vt apponatur, tùm vt inde appareat, contrahentes esse Christianos, tùm vt bono initientur principio.

2 QVAERO secundo, an annus currens Domini nostri Iesu Christi, sit de necessitate apponendus, ita vt, eo non apposito, scriptura reddatur nulla?

Respondeo cum distinctione.

3 Aut loquimur de instrumentis publicis, manu notarij confectis; & tunc apponendum esse, scribunt, Spec. Glos. Ant. de Butr. Abb. Felyn. & Io. de Grass. & de consuetudine, & in Italia esse initio apponendum, testantur ijdem, & Mandos. quamuis de iure non esse necessariò apponendum, scribant alij, quos singulos citaui in meo tract. de iud. caus. &c. lib. 2. cap. 11. nu. 1186. & 1187. in secundo requisito: & demum, quicquid sit de iure, adeo necessariò apponi debere de consuetudine, vt eius omissio vitiaret instrumentum, secutus sum ibidem num. 1189.

4 Aut loquimur in scriptura priuata; & tunc firmo regulam negatiuam, quòd non sit de necessitate apponendus, & moueor, quia vel tempus non est de substantia contractus, de quo fit scriptura, & tunc hoc ipso non est necessarium, quòd apponatur annus ad designandum tempus, vt patet ex his, quæ scripsi infra num. 9. vel est de substantia; & tunc sufficit, quòd aliter etiam possit apparere de tempore; puta, anno tali ab Vrbe condita, vel anno tali à creatione talis Papæ; vel ab anno, quo fuit captū imperium Turcharum.

5 Annus Domini nostri an sumat initium ab incarnatione, an à natiuitate; an vero à circumcisione, vide quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 1190. 1191. & 1192. & quando ante aduentum Christi inciperet annus, dixi ibidem, num. 1193. & quando apud Astrologos, dixi num. 1194. & qui ex Christianis numerent annum initiantem, & qui annum finitum, dixi ibidem num. 1195.

6 Annus ex quot mensibus, diebus, & horis constet secundum Christianam consuetudinem, dixi eod. lib. 2. cap. 3. num. 296. & ex quot mensibus constaret antea, & diuersimodè apud diuersos, dixi ibidem, num. 297. & seqq.

7 Annus naturalis, vsualis, legitimus, certi- monialis, & emergens, qui dicantur, & consequenter quod initium habeant, dixi eod. cap. 3. num. 361.

8 QVAERO tertio, an dies sit de necessitate apponendus in scriptura priuata, & sic in litteris cambij?

Respondeo distinguendo.

Aut loquimur de scriptura, facta manu contrahentis; & tunc videtur dicendum, quòd sic, vt, loquendo de libro rationum, post Io. And. Bal. Abb. Alex. Crauet. Rolan. à Vall. & Stracch. secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. num. 281. quibus addo Rebuff. tract. de chirogr. & sched. recogn. in præfat. fall. 2. num. 5. 90. & 93. tom. 1. fol. 194. & hæc sit regula.

9 Declara primo, restringendo hanc regulam, vt sit vera, si scriptura, seu litteræ deberent probare pro scribente, quia tunc inter alia debet continere diem contractus, & sic tempus; secus si deberet probare contra scribentem; quia tunc dies, idest, tempus non est necessarium, Abb. Ias. Crauet. Ant. de Butr. Io. Andr. & Alex. quos secutus sum d. cap. 11. nu. 282. & 284. quibus addo Mars. sing. 429. liber rationum. & Rebuff. d. tract. de chirogr. & sched. in præfat. num. 88. & 95. tom. 1. fol. 193. & 195. vbi, loquendo de prima parte huius declarationis, dicit, non esse necessariam appositionem diei, & anni, neque loci, quia, quantum ad diem, imputet sibi scribens, qui diem non apposuit, si vellet ostendere præscriptionem ex tempore ipsius scripturæ, & non potest, quia tempus non fuit appositum.

10 Infero ex hac declaratione, quòd is, qui accipit cambio, & scribit litteras sine die, & anno, non potest, cum sibi postea præsentantur illæ litteræ, vel cum redeunt cum protestatione, & petitur in iudicio earum executio, recusare solutionem, eo, quia careant tempore: similiter ille, cui est mandata dictarum litterarum solutio in nundinis, non potest hoc prætextu, quòd carent tempore, allegare, non esse soluendas; vnde si eas non acceptet, possunt redire cum protestatione, non aliter, ac si in eis tempus omni ex parte esset expressum: item notarius, coram quo dictæ litteræ protestantur, debet protestationem recipere, quamuis careant tempore.

11 Extende hanc illationem, vt procedat in quouis cambio per litteras, siue sit nundinarium, siue non nundinarium, quia quoad hoc nulla consideratur differentia.

12 Declara secundo, vt quemadmodum omissio temporis vitiat contra scribentem, ne in eius fauorem probet, & non vitiat pro scribente, quia contra eum adhuc probat, vt dixi in præcedenti declaratione, ita etiam error, qui committeretur in tempore, posset vitiare contra ipsum scribentem, ne in eius fauorem probaret, sed non pro ipso scribente, quia adhuc contra eum probaret; & moueor ex duobus fundamentis: Primo, quia est regula generalis, quòd vbi actus non est necessarius, nihil refert, an benè, vel malè sit factus, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 50. num. 16. in fine, & licet Ias. in l. 1. num. 46. vers. quarto & fortius. ff. de eden. impugnet hoc fundamentum; tamen fatetur, quòd omnes ab æuo condito vsque in præsens ita tenuerint; hocq; fundamentum aduersus Ias. probatur multis

13 modis. † primo, quia libellus obscurus, seu ineptus non reijcitur, quando libellus nō est necessarius, Abb. in cap. 23. bonæ memoriæ. nu. 9. & ibi Addit. de elect. Bal. sing. 33. vol. 2. Maran. in suo spec. par. 4. dist. 9. num. 208. Gail. in pract. obseruat. lib. 1. obseru. 66. num. 15. & Rot. diuers. decis. 257. num. 6. par. 1. & secutus sum d. cap. 50. num. 16.

14 † secundo, quia vbi non requiritur solemnis citatio, nihil refert, si non legitimè interuenerit, Rom. cons. 497. num. 5. & hanc esse communem opinionem, testatur, & sequitur Nicell. tract. de concord. gloss. sub nu. 377. vers. quarto de vna. concord. 52. fall. 155.

15 tom. 18. fol. 213. † tertio, quia vbi non requiritur conclusio petitionis, nihil refert, an malè, vel benè facta sit, Bar. in extrau. ad reprimendum. in verbo, & figura. sub num. 8. alios modos, quibus probatur prædicta regula, ponit Aret. in cap. 15. examinata. num. 28. & seqq. de iudic. Cæterum modos, & argumenta, quibus impugnatur hæc regula, ponunt Ias. in d. l. 1. num. 47. & seqq. ff. de eden. & Nicel. sub d. num. 377. ibi, sed

16 vt dixit. fol. 213. † Secundo moueor, quia maius vitium videtur, omittere tempus, quàm errare in tempore; nā videmus in indictione, quòd cum de necessitate sit apponenda in instrumento, vt ex Glos. Spec. Io. Andr. Io. de Grass. & ex opinione communi secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 1196. eius omissio vitiat instrumentum, vt ex Dyn. Bar. Bal. Rom. & alijs, & ex communi opinione secutus sum eod. cap. num. 1197. nisi extaret consuetudo eam non apponendi, vt dixi eod. cap. 11. nu. 1199. & tamen erroneo numero apposita non vitiat, quia maior defectus est, nullo modo apponere, quam apponere erroneè, vt ex eisdem Dyn. Bar. & alijs, & ex communi secutus sum d. cap. 11. num. 1200. & 1201. & ratio in indictione est, quia eius error corrigitur præsumptione legis, vt dixi eod. cap. 11. num. 1219. & latius sub num. 1204. & 1216. vers. nam hæc.

17 An notarius possit corrigere errorem indictionis, dixi & declaraui eod. cap. 11. num. 1202. & seqq.

18 Indictio vnde dicatur, & quomodo computetur, dixi eod. cap. 11. num 1230. & seq.

Et hæc de primo membro distinctionis, posito supra num. 8.

19 Aut loquimur de scriptura, facta manu tertij: & tunc firmo regulam negatiuam; quòd sine die, & anno non probat; & moueor, quia non plus creditur voci mortuæ, quàm viuæ, restibus his, quos secutus sum d. cap. 11. num. 90. & 1072. & ideo valet argumentum de teste ad scripturam; sed vox viua illius tertij, & aliorum testium non probaret, nisi deponerent de tempore, præsertim quando de eo interrogarentur; quare possunt testes interrogari de tempore, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 8. num. 905. & interrogati deberent de eo deponere, Bal. in l. 14. testium. num. 13. vers. circa secundas. C. de testibus; tum quia, si testes non concordent in tempore, remanent singulares, & consequenter repelluntur, & sic deficit probatio, vt latè secutus sum d. lib. 2. cap. 9. nu. 523. & seqq. & si diceremus aliter, tolleretur aduersario defensio, per ea, quæ de tempore, exprimendo in querela ad instantiam querelati, secutus sum eod. tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 51. num. 35. & 36. qua ratione & copiam instrumenti edendam esse cum tempore, si pars dicat, velle redarguere instrumentum de falso, & alias non esse edendum diē contractus, ne detur materia fabricandi falsum, secutus sum eod. tract. lib. 2. cap. 11. nu. 385. hacque eadem ratione positioni de mutuo sine tempore quis, tanquam impertinenti, non cogitur respondere, &, non respondendo, non potest haberi pro confesso, Bal. & Franc. Cremen. quos secutus sum d. lib. 2.

20 cap. 7. num. 18. vbi videas; † tùm quia alias testes possent malitiosè præmeditato sermone deponere, se non recordari de tempore,

vt

vt postea reprobari non possent, ad quod iudicem cauere debere ex Host. refert, & sequitur Abb.in cap.10.cum ioannes. sub nu. 15. vers. oppono videtur. de fide instrum. imò, si testes sint suspecti, possunt interrogari etiam de qualitate temporis, an esset nebulosum, vel clarum, vt secutus sum eod.lib. 2.cap.8.num.894.† & licet testis non interrogatus de tempore, non teneatur de eo deponere, tamen de eo interrogatus debet deponere, & vbi asserat, se de eo non recordari, & sit notæ fidei, adhuc ei esset credẽdum, cum facilius perdatur memoria temporis, quàm substantiæ negotij,& loci;secus si non sit notæ fidei, quia tunc ei fides adhibenda non est, vt benè declarat Cyn.in d.l.testium. versus finem, q.6.num.10.C. de testib. & iuxta hanc Cyni doctrinam intelligas, quæ scribunt Canonistæ in d. cap. cum ioannes. & Legistæ in d.l.testium. & præsertim Paul. de Castr.num.13.vers.item quæro. quia tota ista doctrina practicatur: ergo sicut in testibus, qui deponerent voce viua, requiritur, vt deponant de tempore, ita etiam requiritur in testibus, qui deponunt voce mortua, nempe per scripturam.

21

Confirmatur hoc requisitum temporis, diei & horæ, quia ratione solius diei, seu horæ potest nasci dubitatio, Vital. de claus. vers. testat videndum an notarius. num. 11. tom.18.fol.409.

22 Casus tamen, in quo temporis probatio est omnino necessaria est, quando quis fundat suam intentionem in tempore certo, & præciso, per ea, quæ citat, & sequitur Surd. decis.75.pater.num.9.in fine, & 10.

23 Dies quotuplex sit,seu quot modis sumatur, & esse duplicem; naturalem scilicet, & artificialem, scripsi & declaraui d.lib.2.cap. 3. num.294.& seqq. & num.308.& seqq.& quot horis expleatur dies naturalis,& quando incipiat, & finiat, scripsi ibidem nu. 295. & 303.& seqq.& quòd quartus dies à die acceptatarum litterarum cambij, intra quos datur facultas soluendi in pecunia numerata in nundinis Italicis, finiat in media nocte, disponunt capitula feriarum Genuensium, num.11.& quando incipiat, & quantum duret dies artificialis, dixi eod.cap.3.nu 308. & 309. Et qui dicatur dies vniformis,& qui emergens, dixi ibidem num.312.& seqq.Et quibus nominibus vocentur singuli dies, dixi ibidem num.315.& seqq.

24 Dies quomodo sit sumendus tàm in lege, seu statuto, loquente de die, quàm in exercitio iurisdictionis contentiosæ, & in contractibus, explicaui eod.cap.3. num.318. & seqq.& num.345.& seqq.& num.357.

25 Dies naturalis quas habeat partes, dixi eodem cap.3.num.156.

26 Dies cœptus an,& quando habeatur pro completo, vide Rot.diuers.decis.75. stephanus. num.17.& seqq.par.2.

27 QVAERO quarto, an mensis sit apponendus in scripturis, tam publicis, quàm priuatis?

Respondeo distinguendo, prout distinxi supra num. 8. & seqq. in præcedenti tertio quæsito; quia vbi requiritur certa scientia temporis, requiritur scientia diei, mensis,& anni, sicut vbi requiritur certa scientia loci, vbi quid fuerit factum, non sufficit scire fuisse factum in mundo,in Italia, Gallia,Romæ, vel in simili loco, sed requiritur scientia loci loci,alias tolleretur defensio, vt de loco loci scripsi glos.seq. num.1. quare in instrumentis nõ solum apponitur locus Ciuitatis, Terræ, Castri, sed locus contradæ, & domus, & aliqui apponunt locum, seu cameram domus; & sic valet regulariter argumentum de tempore ad locum, prout in alijs diuersis terminis ostendit Euer. tract. de loc.argum. in loco à temp.ad loc.& ego in alio non dissimili proposito scripsi in meo tract. de iud. cauf.&c. lib.1.cap.51. sub num.5. vers.contraria tamen. & quòd requiratur mensis, scribit Io.de Grass. tract.de substant.procut. in verbo,die 21. in 4. requis. num.1. tom.3. par.1.fol.367.

28 Declata omnia prædicta, dum dixi, quòd tam in scriptura, quàm in depositione testium requiritur expressio tẽporis per diem, mensem, & annum, vt relinquatur adhuc arbitrio iudicis, præsertim in testibus, qualis, quantaq; requiratur expressio, consideratis qualitate personarum, testium, & negotij, alijsq; circumstantijs, habito semper intuitu, ne ob insufficientem temporis expressionem tollatur defensio, iuxta ea, quæ de expressione diei in libello scribit Rot. quam retuli, & secutus sum in meo tract. de iud.cauf.&c.lib.1.cap.51. sub num. 5. vers. contraria. & vers.quinimo.omnes enim probationes tandem relinquuntur prudenti, ac discreto iudicis arbitrio, vt secutus sum in meo tract.de iudic.cauf.&c.lib.2. cap.9. nu. 530.& 531.

29 Mensis ex quot diebus, & horis constet, dixi

dixi in meo tract. de iudic.caus.&c.lib.2.cap. 3. num.302. & 360.

30 Ex quot mensibus apud diuersos olim constitueretur annus, dixi eod. cap. 3. num. 297. & seqq. & à quo fuerit diuisus in duodecim menses, dixi infra sub num. 32.

31 Mensis emergens qui dicatur, declaraui eod.cap.3.num.359.& seq.

32 QVAERO quinto, quare mensis, qui in ordine aliorum est decimus, vocetur October; primum enim anni mensem numeramus à Ianuario, qui ideo sic vocatur, quia est veluti ianua anni, vt scripsi in meo tract. de iudic.caus.lib.2.cap.3.num.361.& cap.11. num.1192.& 1193.

Respondeo, quia secundum Romuli constitutionem, annus explebatur spatio decem mēsium, quorum primus erat Martius, & vltimus December, vt retuli d.cap.3. nu. 297. menses autem Ianuarius,& Februarius fuerunt additi à Numa Pompilio, vt retuli eodem cap. 3. num. 301.& astrologi, respicientes constitutionem decem mensium, adhuc initiant annum à mense Martij, vt retuli d.num.297.& d.cap. 11. sub num. 1194.&, ita initiato, dicitur October, quia in ordine erat octauus, vnde mensis Augusti dicebatur sextilis, vt scripsi eod. num.1194.

33 QVAERO sexto: Dixi supra num.12. quòd error, commissus in tempore, non vitiat litteras cambij (finge modo casum, quòd hodie die 23.Septembris 1617. ex Ciuitate Placentiæ scribam litteras Petro ad Vrbem, eiq; mandem, vt, visis his litteris, soluat tibi scutos 300.pro valore, à me Placētiæ habito *de contāti*: finge etiam, quòd ex scriptura legatur, litteras esse scriptas nō sub die 23.Septēbris, sed sub die 23.Octobris, sicq; errauerim in mense; finge demū, quòd tu, acceptis his litteris, statim discedas à Ciuitate Placētiæ, & die decima Octobris præsentes litteras Petro in Vrbe, qui, viso litterarum dato sub die 23.Octobris, subsistat, nesciens, an, stante errore litterarum, possit tutò soluere, & soluendo, quomodo possit scribere in libris ante ordinem; & dubitet, quòd mensis Octobris, non per errorem, sed artificiosè sit appositus, ne scilicet soluantur litteræ, ante lapsos dies 23. Octobris, & decursis etiā deinde tot diebus, qui sunt necessarij ad conficiendum iter ex Placentia ad Vrbem; & ex alia parte torqueatur, quia habeat metum contractum de soluendo quamcumque tractam, à me in ipsum faciendam, visis litteris vsque ad summam scutorum 1000. sub certa pœna) quæro quid isto casu debeat facere Petrus?

Respondeo. Ego crederem, quòd Petrus possit non solum tutò soluere, sed teneatur soluere ad euadendam pœnam; & moueor

34 duplici ratione, † Prima, quia error, quem non possem ego allegare, minus potest allegari à Petro, qui in hoc repræsentat meam personam: sed ego non possem euadere solutionem, etiam si mensis esset erroneè appositus, quia, quoad me scribentem, tempus non est de substantia, seu de solemnitate actus, neque de solemnitate scripturæ, per ea, quæ dixi supra num. 9. & 12. & consequenter iste error non vitiaret, per ea, quæ scribit Vital.tract.de claus.in verbo, de errore notarij, num.9. tom.18. fol.408.† Secun-

35 da, quia dato etiam, quòd iste esset error circa solemnitatem scripturæ per ea, quæ scripsi infra sub num. 37. tamen, constito de errore, vitiaretur sola scriptura, sed actus remaneret validus, vt, distinguendo, decla-

36 rat Vital.in loco supra proximè citato.† Error autem satis euidens est isto casu, quia impossibile est, quòd litteræ dentur alicui ad Vrbem die 23. Octobris, & deferantur die 10. eiusdem, & sic per 13. dies antequam sint datæ: contingitq; eiusmodi error, dum scribendo, intensam aliquam habemus cogi-

37 tationem; † & quòd euidentia rei ostendatur error, scribit Paris.cons.89.rationes. nu.38. lib.1. & probatur etiam eo ipso, quòd ostenditur quouis alio modo, rem aliter se habere, Paris. vbi supra, num.37. &, ostenso errore, debet attendi veritas, quia veritas non debet gestorum erroribus vitiari, l. illicitas. §.veritas. ff.de offic.præsid. Innocen.in cap. cum venerabilis. vers. item licet. de except. & Bal.cons.307. proponitur.sub num.1.lib. 5. quos secutus sum in meo tract. de iudic. caus.lib. 2. cap.11. num. 436. veritas enim, quandocunque appareat, semper virescit, Rot. Auinion. decis.1.posita. sub num. 6.& error eam non immutat, Corn.cons.33.visa copia. sub num.15. lib. 2.prætertim quando error versatur non in solemnitate cōtractus, sed in solemnitate scripturæ, cuius solemnitas sunt dies, Consul, indictio, & similia, quæ requiruntur, & apponuntur, non vt res gesta, & contracta, dicatur ritè,& rectè gesta, sed vt probetur veritas rei gestæ, vt scripsi d.cap.11.nu.418. quare, cum ab impossibile constet, litteras esse scriptas ante diem

decimam

decimã Octobris, consequenter constat fuisse per errorem scriptũ (datum die 23. Octobris, & cũ iste temporis error in casu isto nihil possit importare, tenetur omnino soluere.

38 Infero ex tota hac respõsione, quòd si hodie, qui est vigesimus dies mensis Nouẽbris, ego accipio cambio à te scutos 200. & facio tibi litteras, tempore datarum litterarum per errorem omisso, scribo tamen pro proximis nundinis Sanctorum, & tu præsentas litteras in nundinis Apparitionis, præsumetur error in scriptura, vt pro nundinis Apparitionis fuerit scriptum (pro nundinis Sanctorum) vel præsumetur tarda præsentatio litterarum, & hoc in dubio est verisimilius, sed vtcunque sit, siuè præsumatur error in scriptura, siue præsumatur tarda earum præsentatio; nihilominus ego teneor illas soluere in illis nundinis, in quibus tu eas mihi præsentas.

---

§. 2. Glos. 2.

In Genoua.

SVMMARIVM.

Locus, & locus loci an, & quando exprimi debeat in scriptura, num. 1. & seqq. Et quid in scriptura manu eius, qui se obligat, confecta, num. 5.

Locus loci exprimi debet ad obuiandum falsitati, num. 1. & seqq.

Loci expressio qualis, quantavè sit necessaria, relinquitur arbitrio iudicis, num. 4.

Susanna iudicio Danielis, deprehensis testibus in falsitate, liberatur, num. 3.

Testes quomodo conuincantur de falso, &c. nu. 3.

Genua ciuitas insignis, &c. num. 6.

Cambiorum negotiatio in quibus ciuitatibus exerceatur, num. 7.

1 QVAERO primo an locus sit exprimendus de necessitate.

Respondeo distinguendo.

Aut loquimur de instrumento publico, seu alia scriptura, facta manu tertij: & tunc firmo regulam affirmatiuam, & dico, locum exprimendum esse in instrumento, vt ex Petr. sequitur Cyn. in l. 14. testium. num. 10. q. 6. C. de testib. imò dico, exprimendum esse non solum locum; sed etiam locum loci, hoc modo: *Actum Viterbij in domo Ioannis quondam Gerardi Sanichanioni sartoris in Camera superiori eiusdem domus in Parochia S. Siluestri*, vel; *sub porticu talis domus*, Spec. tit. de instrum. edit. §. breuiter. num. 9. vers. post nomen lib. 2. fol. 109. & Io. de Graff. tractat. de substant. procur. in verbo, actum, &c. in 5. requis. num. 1. tom. 3. par. 1. fol. 367. quos secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. sub num. 231. vers. quantum. quia per hanc loci specialem expressionem obuiatur, ne committatur falsitas, cum ex hac loci expressione facilè deprehenderetur, & præsertim requiritur hęc expressio in rebus arduis, & periculosis, vbi agitur de magno præiudicio, vt sunt vltimæ voluntates; veruntamen pauci seruant istam exactam specificationem, Io. de Grafs. vbi supra.

2 Confirmatur hæc regula, quia valet argumentum de tempore ad locum, vt scripsi in gl. præced. num. 27. cum in vtroque militet eadem ratio: sed tempus est specificè exprimendum, ita vt non sufficiat exprimere annum, vel annum, & mensem, sed debeat exprimi etiam dies, & aliquando hora, vt scripsi gl. præced. num. 19. 20. & 21. in fine, quia alias posset committi falsitas, hæcque ratio militat etiam pro expressione loci, vt

3 patet ad sensum; † Vnde ex expressione loci fuerunt Danielis iudicio deprehensi in falsitate duo testes, qui de adulterio deposuerãt contra Susannam, deponebant enim de vno, eodemq; adulterio in indiuiduo, sed vnus dicebat, quòd adulterium commiserat sub schino, & alter sub pino, vt ex totius facti historia latè habetur in Daniel. 13. & licet in ea historia nihil expresim legatur de vnitate adulterij, tamen ista vnitas est supponenda, prout, loquendo de his testibus, scripsi d. lib. 2. cap. 9. num. 542. & ratio quare ista vnitas, seu identitas sit supponenda, est, quia in actibus hominum non præsumitur pluralitas, nisi probetur, Bal. in l. neque natales. num. 3. vers. circa hoc. versus finem, C. de probat. & non præsumi pluralitatem, scribit in l. 2. sub num. 5. C. de error. aduoc.

& rerum

& rerum pluralitatem non præsumi, scribit Alex.cons.53.in causa.num.2.versus finem, vers.nec ad hoc. lib.1. & hæc est regula; & licet hæc regula videatur limitanda, quando agitur de delicto, quia tunc ad illud excludendum non præsumitur singularitas, sed potius pluralitas, per ea, quæ scribunt Abb. in cap.10. cum ioannes. num.16. de fid.instrum. Corn.cons.233.constat. in fine, lib.3. Crauet.cons.244. in causa. num.2. & communiter omnes, ideoq; ad euitandum falsitatem testium videretur præsumenda pluralitas adulteriorum, tamen obstant isto casu duo, ne admittatur limitatio; primum, quòd pluralitas in casu prædictorum testium excludebatur, quia deponebant de eadem hora, vt scripsi d.cap. 9. sub num. 542. secundum, quòd non habet locũ limitatio, quando ad excludendam falsitatem testium includeretur probatio delicti contra inquisitum, sic suadente eadem limitatione; quare concludendum est, quòd eadem ratione, qua requiritur expresio temporis, requiritur etiam expresio loci, & ideo Bal. in d.l. testium. num. 13. vers. circa secundas. C. de testib. dicit, testem interrogari de tempore, & loco, & ita ego locutus sum d. lib.2. cap. 8.num.905.& hoc est notum omnibus.

4 Declara hanc regulã, vt relinquatur arbitrio iudicis, qualis, quantaq; expresio loci requiratur in scriptura, & in teste; nam prudens iudex debet aduertere, ne locus adeò obscurè, & generaliter sit expressus, vt parti sit angustata via defensionis; & è conuerso, ne adeo exactam, & angularem requirat expresionem, vt sit superflua, inutilis, ac onerosa partibus, prout in alio proposito sentiunt Simanc.de cathol.instit.tit.4. num. 9.& 10. & Ror.diuers.decis.431.par.1.quos ego in illis terminis, in quibus loquuntur, secutus sum in d.meo tractat. de iudic.caus. lib.1.cap.51. sub num. 5. vers.contraria. & vers.quinimo.

5 Aut loquimur de scriptura, facta manu contrahentis, qui se obligauit in ea: & tunc illa omnia, quæ in glos. præceden. num.8.& seqq. dixi de tempore, videlicet de die, dico de loco; videas ergo illa, ne inutili replicatione membranas occupem: & ideo concludo, quòd sicut expresio loci non est necessaria ad effectum, vt litteræ probent, & habeant executionem contra scribentem, itá multò minus est necessaria expresio loci loci, & locum Genuæ dico exprimi ex laudabili stylo, & ad maiorem cautelam.

6 QVAERO secundo, quæ, & vbi sit ciuitas Genuæ, & quare ea magis, quàm alia, sit à nobis posita in hac litterarum cambij formula?

Respondeo, Genuam esse caput Liguriæ, & esse Ciuitatem insignem in Italia, & licet eius mare, & territorium sint sterilia; tamen aliunde rerum omnium, quæ victui necessariæ sunt, magnam habet copiam; quia est pecuniosa, & pecuniæ omnia obediunt, vt dixi §.præced.q.7.par.2.ampl.11. sub nu.8. & multas, præsertim tempore hyemali, habet in proprio territorio delicias, quæ etiam primarijs deficiunt ciuitatibus; est insuper locus sanus, ac mare, & montibus tutissimus, à Iano Italiæ Rege constructus, si credimus inscriptioni, quæ his verbis sculpta legitur intus Ecclesiam sancti Laurentij, cathedralem dictæ ciuitatis, *Ianus, Princeps Troianus, astrologia peritus, nauigando, ad habitandum locum quærens sanum, dominabilem, & securum, Ianuam, iam fundatam a Iano, Rege Italiæ, pronepote Noe, venit, & eam cernens mare, & montibus tutissimam, ampliauit nomine, & posse.* Sed; quicquid sit de origine, situ, alijsq; huius ciuitatis qualitatibus; satisfaciendo secundæ parti nostri quæsiti, dico in litterarum formula ideo positam esse ciuitatem Genuæ, quia cum abundet, vt dixi, pecunijs, illic, magis quàm alibi in tota Italia, cambiorum negotiatio exercetur, iuxta ea, quæ scripsi infra gl.4.sub num. 3. & 7.

7 QVAERO tertio ex quibus alijs locis scribantur litteræ cambiorum pro nundinis ad ciuitatem Placentiæ.

Respondeo, quòd in omnibus ciuitatibus, & locis, in quibus fit negotiatio cambiorum, ex illis omnibus scribi possunt litteræ cambij pro nundinis, & ex nundinis Placentię: Ciuitates autem, in quibus fit hodie negotiatio cambiorum, sunt istæ, Genua, Mediolanum, Bergomum, Florentia, Roma, Venetię, Luca, Bononia, Neapolis, Valentia, Barcellona, Saragosa, Anuersa, Colonia, Leccia, Bari, Panormum, Messana, Arcala, Sibilia, Lisbona, Metina Campi, Lugdunum, & Francofurt, vt habetur in capitulis nundinarum, num.2. conditis à Serenißimis Collegijs, & impressis Genuæ anno 1612.

§. 2. Glos. 3.

scut. 101. 9. & 9. de marche.

S V M M A R I V M.

Auri bonitas cognoscitur ex numero caracterum, & quilatum, num. 57. & seqq.

Argenti bonitas cognoscitur ex numero denariorum, idest ligæ, &c. num. 61. & seqq.

Aurum, & Argentum quam habeant differentiam in valore, num. 52.

Auri, & Argenti mixtura cognoscitur ex vsu lydij, num. 57. & 60.

Alchimia an detur, num. 66. Data, aurum, seu argentum per eam confectum, si sit verum, æstimatur sicut illud, quod est sine alchimia, num. 65.

Cambia qua moneta contrahantur, num. 79.

Campsor cambij minuti quid possit accipere pro cambio, num. 97. & seqq. 123. & seqq.

Stipendium militis quantum esset, num. 23.

Principes dicuntur publici status tutores, nu. 103.

Pretium rerum venalium imponitur à Principe, num. 104.

Pretium scuti marcharum debet imponi à Principe, præsertim ecclesiastico, nu. 107. & seqq.

Pretium monetæ aureæ variatur à communi vsu propter iustam causam, num. 110. & seqq.

Valor, impositus à Principe, si sit alteratus ab vsu, qualis attendatur in solutione, sub num. 111. & seqq. vers. infero.

Solutio an fieri possit in moneta æquiualenti illi, quam debitor teneretur soluere, n. 112. & seqq.

1 QVAERO primo quare in scripturis, & ratiocinijs ad significandum scutum nummorum vtamur pyramidato hierogliphyco inuerso?

Respondeo, quia eiusmodi hierogliphycum continet figuram parmæ, seu breuis scuti, quo pedites vtebantur; erat enim iste scutus quasi triangularis, vt videmus adhuc in multis familiarum antiquis insignibus, licet hodie, vt plurimum, fiat ouatus, in hocq; scuto familiæ insignia imprimuntur; quare cum sine litterarum characteribus breuius scutum nummorum exprimere volumus, congruè vtimur figura hierogliphyca, quæ scutum significat.

2 QVAERO secundo qua ratione nos Itali hanc numismatis speciem vocemus scutum, & quomodo dicatur latinè, & quanti valeat?

Respondeo, vocari scutum, quia sicut scutum, seu clypeus militaris tegit, defenditq; militem à vulneribus; ita scutus nummorum protegit, & defendit à necessitatibus humanis, cum nummus sit fideiussor futuræ necessitatis, vt ex Arist. refert Hier. de Luc. tract. de camb. in princ. num. 7. tom. 6. par. 1. fol. 408. 3 † etenim sicut solidus, de quo dicemus infra num. 13. & seqq. fuit sic vocatus, eò, quòd erat integer, & nil illi deerat, Lancell. Gall. tract. de stat. in verbo, vltra q. 5. num. 10. tom. 2. fol. 330. & Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. num. 4. vers. solidus autem. tom. 1. fol. 677. & in alio proposito Rot. diuers. decis. 132. licet agentes. num. 24. par. 2. seu ob causas, de quibus Eguin. Baron. tractat. de diuid. & indiuid. oblig. lib. 1. num. 3. tom. 6. par. 2. fol. 366. sic potuit vocari scutus, eò, quòd, tanquam scutum militare, tegat, & defendat: 4 † omnia enim nomina debent, quantum fieri potest, conuenire rebus, §. est & aliud. Instit. de donat. 5 † hinc denarij nomen à numero decem, vt secutus sum infra sub num. 20. 6 † hinc est etiam, quòd florenus, & ducatus habent proprias rationes, & causas, cur ita vocentur, de quibus Sarnen. de regul. cancell. in reg. de val. exprim. &c. q. 9. vers. consequenter. & vers. sequitur in text. 7 † hincq; & monetam sic vocari, eò, quòd signi impressione, & auctoris, & valoris nos moneat, scribit Io. Ferrar. in vsib. feud. lib. 5. cap. 7. inter regalia, &c. vers. monetam dicimus. tom. 10. par. 2. fol. 116. col. 1. in fine, seu monetam dicimus, eò quòd moneat, in eo metallo signato nullam esse fraudem, Tess. Iun. tractat. de augm. & variat. mon. par. 1. sub nu. 8. & ideo scutatum vocare possemus hominem pecuniosum.

8 Istum scutum latinè vocabimus nummum aureum; nam, omissis multis, quæ de varijs numismatum speciebus, tam argenteorum, quàm aureorum, & æneorum, scribit Couar. d. tractat. de veter. collat. numism. cum nostro instituto aut nihil, aut parum inseruiant, &, omissis ambagibus, id euidenti ratione ostendo; nam nummi aurei 65. & tertia alterius nummi pars in Regnis Hispaniarum, seu nummi aurei 64. constituunt vnum marchum, vt refert Couar. d. cap. 3. num. 2. fol. 676. & scuti 65. aurei constituunt similiter vnum marchum, vt scribunt Hier. de Luc. tractat. de camb. in verbo, marcha, num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 408. & Alex. Rauden. in exposit. banch. S. Ambr. num. 52. & sciunt omnes campsores, & mercatores: ergo nummus aureus, & scutus idem sunt, & quòd

9 † & quòd appellatione solidorum lex intelligat de aureis, notat Henr. Bott. tract. de synod.episc.par.3. num.81. tom. 13. par. 2.
10 fol.386. † & quòd aureum, seu solidum nos hodie vocemus ducatum, scribit Brun. tract. de monet.augm.in princ. sub nu.8. tom.12. fol.207. & quòd ius ducatos aureos, seu florenos aureos, appellet solidos, scribit ante prædictam partem in secunda præsupposit. sub num.18. fol.210.& quòd solidus sit aureus, scribit Feder.Schen.tract. de testib.nu. 62.tom.4.fol.78. & benè Lancell.Gall. tractat.de stat.in verbo, solidos. in princ. num. 2.& seqq.tom.2.fol.330.quem videas,Ant. de Canar.tract.de insinuat. versus finem, q. 31.num.60. tom.6. par. 2. fol.280. Thom. Act. tractat. de lud. scacch. q. 11. princip. num.45.tom.7.fol.190.& Caccialup. tract. de lud.q.6. sub num.28. d.tom.7.fol.157.

11 Scutus ergo, de quo loquimur, vt apparet ex prædictis, est sexagesimaquinta pars vnius marchæ, seu bessis aureæ, vt declarando, quid sit marcha, & quid sit scutus marcharum, & scutus aureus, explicaui infra num.67.& seqq.

12 QVAERO tertio, quid significent illi duo numeri 9.& 9. positi in litteris cambiorum?

Respondeo, quòd primus numerus significat nouem solidos aureos, & secundus significat nouem denarios aureos; & sunt aurei, quia sicut valor scuti marcharū æstimatur scuto aureo, per ea, quæ dixi infra num. 67.ita etiam hi sol.9.& den.9.cum sint partes ipsius scuti marcharum, debent esse aurei; sed qua ratione sint nouem, cum in ratione solidorum 68.quibus conficitur scutus aureus Genuensis ad emēdum scutum marcharum supersint solidi 33. vt dixi S.præced. q.5.num.57.vide infra S.5.gl.2.

13 QVAERO quarto successiuè, quot solidi aurei faciant vnum scutum marcharum, & quot denarij solidum aureum?

Respondeo declarando, & distinguendo. Aut loquimur de solidō antiquo, quo vtebantur Romani, & tunc dico, quæstionem reddi ferè ineptam, quia & si inter Doctores sit controuersia, an solidus, & aureus fuerint eiusdem ponderis, & valoris, vt recenset Couar.tract.de veter.collat.numism.cap. 3.nu.3.vers.olim. tom.1.fol.676. cuius controuersiæ argumenta pro vtraque parte adducit eod.cap.3.S.1. num.1. & seqq. & postea S.2.num.1.& seqq.fol.677.& seqq.concludit vtramque partem, habita ratione temporum, posse defendi, quæ argumenta referre omitto, quia (sit doctissimi Couar. pace dictum) rem quantò maiori diligentia voluit extricare, inextricabiliorem reddidisse videtur, prout aduertit etiam Ioan. Arz. tract.de nobilit. hispan. &c. par. 2. princip. cap.4.sub num. 13. vers. tandem difficultatem. tom.16. fol.221. col. 1. nos tamen, omissis, quantum possumus, superfluis controuersijs, quæ nostris temporibus non inseruiunt, & sequentes opiniones, vsu receptas, dicimus, nummum aureum, & solidum aureum non differre, testibus his, quos secutus sum supra num.9.& 10.& scribit Rol.à Vall. qui alios citat, tract. de dot.q.53.nu.7.tom. 9. fol. 372. & hanc esse communem opinionem arbitratur, & sequitur Io.Arz. d.cap.4. sub num.13.vers.illud.& vers.seqq.tom.16. fol.221.col.1. saltem inspectis posterioribus temporibus, iuxta conciliationem, quam adhibet Couar. supra citatus, hancq; opi-
14 nionem hoc vnico probo argumento, † quia solidus aureus est sexta pars vnciæ, vt sine controuersia testatur Couar. d. cap. 3. sub
15 num.3.vers.primum. † & sic vna libra, quæ habet 12. vncias, facit 72. solidos aureos, quia quælibet vncia reddit sex solidos aureos, ergo 12. vnciæ, facto calculo, faciunt 72. solidos, & hoc idem dicimus de nummo aureo, seu scuto, qui idem est, vt dixi supra num. 8. in fine; nam quælibet vncia continet sex aureos, vt ostendi, & secutus sum in meo tract.de indic. caus.&c. lib.1.cap.99. sub num.2. ibi, & scias quod, & ideo tam 72.solidi, quàm 72. nummi aurei faciunt vnam libram Romanam 12. vnciarum, vt, promiscuè loquendo, scribunt Felyn.in cap.16.conquerente. sub num. 3. & ibi Addit.de offic.iudic.ordin.& Couar.tract. de veter. collat. numism.cap.4. num.2. tom.1.fol. 687.&, loquendo de aureis, secutus sum d.cap.99. sub num. 2. &, quòd solidus, & aureus sint idem, scribit Brun. tract. de monet. augm. in princ. sub num. 8. tom. 12.fol.207.

16 Aut loquimur de solido aureo, quo hodie vtimur pro calculo, & diuisione scuti marcharum; & tunc dico, hunc solidum non esse idem, quod aureus, seu nummus aureus, & scutus; sed dico, hunc solidum non reperiri, nisi imaginariè, & esse vigesimam partem vnius scuti aurei, quia vnus scutus aureus in ratione calculi est idem, quod libra auri viginti solidorum, qua negotiatores vtuntur in calculis, vt dixi etiam infra n.25. Vnde satisfaciendo quęsito, dico, quòd solidi aurei 20. faciunt vnum scutū marcharum,

rum, seu vnam libram auri, & denarij duodecim faciunt vnum solidum aureum; † sed, ne confundamur ex his, quæ scripsimus §. præcedenti, quæst. 5. num. 55. & 57. & alijs in locis, vbi diximus, scutum aureum æstimari in solidis 68. aureis, sicque in tribus libris aureis, & sol. 8. etiam aureis, admonendi sumus, quòd illa valutatio, seu demensio scuti aurei in sol. 68. fit à negotiatoribus in Ciuitate Genuæ, vbi fingunt vnum scutum solidorum 68. & cum isto emunt, & vendunt scutum fictum marcharum, cui imponunt pretium solidorum 66. paulò plus, vel paulò minus, ita vt nunquam ascendat ad sol. 68. at valutatio, seu demensio scuti in sol. 20. seu in libra auri est valutatio, & demensio communis omnibus, vt latius declaraui infra §. 5. gl. 2. vbi videas.

18 Aut loquimur de solidis non aureis, quibus vtimur, emendo, & vendendo quasuis merces, & victualia in Italia, & dico, quòd Genuæ sol. 90. faciunt vnum scutum quinque stamparum, vt habes infra num. 75. & hi solidi non habent forsan vniformem æstimationem; nam Bononiæ, Ferrariæ, & Mutinæ, in quibus libra constat etiam ex 20. solidis bononenorum, quilibet bononenus valet Ferrariæ. sex quatrenos, Bertaz. de claus. claus. 30. glos. 5. sub num. 1. & Genuæ, vbi etiam libra conficitur ex 20. solidis, vt dixi inf. n. 54. solidus vsualis valet 12. denarios, vt refert, & sequitur Lancell. Gall. tract. de statlat. sub num. 7. & 9. & nu. 1. tom. 2. fol. 330. vbi vna cum Io. Andr. quem citat, irridet iudicem Montis politiani, qui donationem, non insinuatam, declarauerat nullam in ea quantitate, quæ excedebat lib. 25. credens, quòd de istis solidis loqueretur l. si quis, in fine. C. de donat. de qua vide quæ scripsi infra num. 47.

19 Illud obiter admoneo, quòd solidorum moneta fuit antiqua, quia secundum Gig. tractat. de crim. læs. maiest. rub. qualiter & à quib. crim. læs. maiest. committ. q. 62. num. 71 tom. 11. par. 1. fol. 47. de ea fit mentio in Genes. c. 23. num. 16. in fine; sed malè Gig. refert verba Genesis, quia non de solidis, sed de siclis loquitur, *quadraginta siclos argenti probatæ monetæ publicæ*. hicq; siclus habet viginti obolos, cap. 23. iudices. 1. q. 1. & notat Gl. in cap. 87. quis aliquando. in verbo, nisi siclo. de pœnit. dist. 1. quæ ponit versus, quos retuli inf. sub nu. 37. quam Gl. & versus impugnat Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 2. num. 10. fol. 675. tom. 1.

20 QVÆRO quinto, quid sit denarius, & quot denarij faciant vnum scutum aureum?

Respondeo distinguendo.

Aut loquimur more antiquo Romano de denario, qui fuit semper argenteus; & tunc dico, quòd denarius valebat decem asses, vt scribit Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 1. num. 3. vers. octauo ex hac. & cap. 2. sub num. 7. versus finem, vers. latinus. tom. 1. fol. 673. Pett. Bellin. tract. de re milit. tit. 2. num. 1. & 6. tom. 16. fol. 353. & alij passim, & videtur satis probari ethymologia, seu potius allusione, & deriuatione; dicitur enim denarius, quia valebat decem asses, vt ex Georg. Agric. refert, & sequitur Bellin. d. tit. 2. num. 7. seu decem nummos vsuales, vt ex Hier. super Matth. 22. refert Io. Hug. tract. de offic. quat. prælat. tit. de quarto prælato. par. 4. rubr. tributi imperialis, &c. num. 2. in fine. tom. 13. pat. 2. fol. 296.

21 Erat autem as numisma, valens quatuor quadrantes, vt scribit Couar. d. cap. 1. num. 3. & sic quadrans est quarta pars assis, vt scribit Io. Garf. tract. de expens. & meliorat. cap. 21. sub num. 12. vers. vides. tom. 17. fol. 329. & sentiunt communiter omnes infra citati, dum scribunt, quòd denarius valebat 40. quadrantes, seu vnum regalem, seu decem asses, vel vnum iulium, & quòd decem denarij faciunt vnum coronatum, seu scutum; nam, istis singulis calculatis, inuenies, quòd as erat, vt loquimur Romæ, *vn baiocco*, qui constabat ex quatuor quadrantibus, seu nummis æreis, licet hodie constet ex quinque quadrantibus, & sic denarius argenteus hodie valet quinquaginta quadrantes;

22 † quare Couar. d. cap. 2. sub num. 7. vers. primum omnium, fol. 672. scribit, in Hispanijs denarium Romanum, attento pondere, & valore, esse ferè similem nummo argenteo Castellano, qui dicitur regalis, quia denarius apud Romanos valebat quadraginta quadrantes, idest, decem asses, & apud Hispanos æstimatur 34. marauedinis, & paulò pluris, & sic æreus marauedinus in Hispanijs, inquit, æstimatur pluris, quàm quadrans Romæ, sed Io. Garf. vbi sup. sub nu. 13. vers. quarenta marauedis, re forsan non ita diligenter examinata, vt per Couar. scribit simpliciter, denarium confici ex quadraginta marauedinis, vt dicunt Hispani:

23 † & Bellin. d. tit. 2. sub nu. 1. ex Tacito refert, quòd stipendium militis Romani erant decem asses diurni, eandemq; summam, inquit ipse, accipiunt in præsentiarum pedites Germani, tres videlicet coronatos singulis mensibus, cum, vt refert, & sequitur, decem denarij valeant vno coronato,

coronato, quem, inquit, nos scutum appellamus, & postea num.6. ex Leonar.Port.Iurisconf. Vicent.refert, decem asses esse vnum denarium, & triginta denarios esse triginta iulios, seu triginta sex marcellos.

Ex quibus liquidò constat, quòd quatuor quadrantes Romani, seu marauedini Hispani faciunt vnum as, qui Romæ vocatur vulgariter, *baiocchò*, & decem asses faciebant quadraginta, & hodie quinquaginta quadrantes, qui faciunt vnum regalem in Hispanijs, & Romæ vnum iulium, qui dicebatur denarius.

Vidimus quid sit, seu quanti valeret denarius; nunc, satisfaciendo secundæ parti huius quęsiti, dico, quòd valor scuti aurei est variabilis, & semper æstimatur denarijs argenteis, quare aliquando valet duodecim iulijs Romæ, & duodecim regalibus in Hispanijs, aliquando vndecim, & quandoque pluris, & quandoque minoris, semper tamen vltra decem iulios, seu regales: nam decem iulij, seu regales faciunt vnum scutum argenteum Romanum, seu coronatum in Germania, & vna pars auri semper valet vltra decem partes argenti, iuxta ea, quæ scripsi infra num.52.

24 Aut loquimur de denario æreo minuto, quem habēt hodie in vsu aliquæ Prouinciæ; & concludo, denarium esse duodecimam partem vnius solidi ærei, qui similiter est in vsu expendibili apud easdem Prouincias, nam duodecim denarij faciunt vnum solidum, vt refert, & sequitur Lancel.Gal.tract. de statut.in verbo, solidos. in princ. num. 9. tom.2.fol.330.& ita seruari in communi testatur Ant.de Canar. tract.de insinuat. versus finem, q.31. sub num.60. tom. 6. par.2. fol.280. & sic in Gallia testatur Rebuff.de litter. obligat.art.5.gl.1.nu.3. versus finem, tom. 1. fol. 125. & hæc conclusio est nota etiam cuilibet ignaro; vbi tamē solidus constaret ex sex denarijs, vt in Rep.Lucensi, tūc illic est sexta pars solidi; huiusque denarij ærei valor introductus videtur à similitudine denarij argentei, quia verisimile est, quòd duodecim denarij argentei facerent solidum aureum, & ita etiam duodecim denarij ærei faciant vnum solidum æneum; & satisfaciendo eidem quæsito, dico, facilè esse scire ex quot denarijs constituatur scutus aureus, dummodo prius firmemus ex quot solidis: nam si scutus aureus valeret sol.68. tunc denarij 816. constituerent scutum; si verò valeret sol. 90. prout in crida Reip. Genuensis super valore monetarum, tunc denarij 1080. constituerent scutum aureum.

25 Aut loquimur de denarijs aureis, quibus negotiatores vtuntur pro calculo, & partitione scuti aurei, & dico, denarium aureum esse ducentesimam quadragesimam partem scuti aurei, quia scutus aureus est idem, quod libra solidorum 20. sed denarius est, vt dixi, duodecima pars solidi: ergo denarius, facto calculo solidorum 20. erit, vt dixi, ducentesima quadragesima pars scuti aurei; sicque 240. denarij aurei faciunt vnum scutum aureum, seu vnam libram; sed sicut hæc libra est imaginaria, & non reperitur, ita etiam non reperiuntur hi denarij, nisi imaginarij.

Et hæc sufficiant, reliqua habes infra §. 5. glos. 2.

26 QVAERO sexto, qua monetæ specie ematur scutus marcharum, idest, eius valor?

Respondeo, quòd emitur scutis aureis, vel alia moneta, de qua contrahentes conuenerint, & vt plurimum moneta argentea, quæ sit in vsu eo in loco, vbi emitur, vt explicaui infra num. 79. & §. præcedenti quæst. 5. num. 61. & seqq. & similiter, quando scuti marcharum venduntur in nundinis, & eorum pretium solui debet in Ciuitatibus, & locis ex reditu nundinarum, solutio fit in monetis illius loci currentibus: Sed in nundinis solutio actualis scutorum marcharum non potest fieri, nisi in scutis aureis; In ciuitate tamen Genuæ dispensatum est, vt in cambijs possint solui scuti argentei illius Reip. vt dixi infra §.5.gl.3.initio.

27 De alijs numismatum, & monetarum speciebus, nempè, de quadrante, & asse, vide quod scripsi supra num.21.& seqq. deq; dupondio, assario, semi, triente, sextula, semiuncia, vide Couar.tract. de veter. collat. numism.cap.1. sub num.2. vers.primum. & num.3.in fine, vers.dupondius. & nu.4. tom. 1.fol.669.& 670. de quinario, qui & victoriatus dictus est, & valet quinque assibus, & nos Romæ vocamus, grossum; de sestertio, libella, obolo, siclo, libra, & talento, vide Couar.qui alios citat, d.tract. de vet. collat. numism.cap.2.nu.7. in fine, vers.quinarius. & vers.sestertius.& sub n.8.vers.erat.& vers. obolus.& nu.9. vers.apud. & seqq.& cap.4. num.3.vers.quandoque.& num.4.& 5.tom. 1. fol. 673. & seqq. nos enim, si de his plura, quàm fecimus, faceremus verba, ni-

mis extra materiam vagaremur.

QVAERO septimo quid est marcha? Respondeo, præmittendo prius, hoc nomen marchæ apud peritos linguæ latinæ non inueniri, sed esse recens, & vulgare nomen, quo vtitur text. in cap. 12. constitutus. ibi, vnam marcham sterlingorum. de procut.& in cap.2.de arbitr.in cap.4. cum pridem. de pact.in cap. 16. quanto. de censib. & in regul.cancel. de val.exprim. in impetr.benef. vt admonet Sarnen.in d. reg. q. 9.initio, quare marcum, seu marcha est nomen Germanicum, vt sequitur Couar. tract. de veter.collat.numism. cap. 2. sub num. 4. vers.nostri verò.tom.1.fol.671. & marcha apud Germanos significat e limen,scribit Io. Garf.tract.de expens. & meliorat.cap.11.nu. 37.tom.17.fol.301. vel dicitur marcha, eo quòd esset instrumentum mercandi, vt dicit Hier.de Luc. tract. de camb. in verbo, marcha. num.1.tom.6,par.1. fol.408.

29 Sed; quicquid sit de origine nominis;accedendo ad quæstionem,dico,marcham esse partē assis,idest,libræ,quæ pars constat pondere octo vnciarum auri, hasq; octo vncias nostræ leges vocant bessem, cum bes sit bis triens assis, idest, libræ, quæ constat duodecim vncijs; sicq; libra diuiditur in triplicem trientem,idest,in triplicatas quatuor vncias, vt sint ter quatuor vnciæ, quarum bis quatuor proprio nomine dicuntur bes: quare marcha sunt octo vnciæ auri vnius libræ Romanæ,Ias.in §.omnes autem.nu.7. Instit. de action.& in l.2.§.ex his.num.16. ff.de verb. oblig. Albert.in rubr. de hæret. quæst.5.sub num.6,Sarnen.d.q.9.vers.solutio. Couar.d. cap.2.nu.3.& 4.& Hier.deLuc.in d.verbo, marcha, num. 1. quem sequitur Romoald. Coli tract. de camb. cap. 11. sed decipitur, dum dicit,marcham esse idem, quod selibra, nam si marcha sunt octo vnciæ, vt ipsemet testatur, & selibra sunt sex vnciæ, non video quomodo dicat, marcham esse selibram.

30 Marcharum vsus non fuit introductus,nisi vt marchæ venderentur,sicut aliæ merces; nam cum nundinæ primum celebrarentur Geneuæ, seu alio in loco, (in hoc enim non insisto, nec reperio quid certum apud scriptores) veniebant illuc mercatores ex omnibus mundi partibus, & plerique ex Germania, qui vendebant aurum in massa ad pondus octo vnciarum, quam massam vocabant marcham; & multi mercatores Itali, qui ad easdem nundinas deferebant varias merces, venditis illis, ex eorum pretio emebant illas marchas, quibus delatis in Italiam ad eorum ciuitates, ex illo auro cōficiebantur pecuniæ sculptæ, & sic aliquid lucri faciebant, Hier.de Luc.in d. verbo,marcha. n.3. Alex.Rauden.in expos.banch.S.Ambr. num.50.& 51.& Io.Bapt. Cauat. tract. de camb. in præslud. vers. pro intelligentia. fol. 213. sed postea, destitutis illis nundinis in ciuitate Geneuæ, cœperunt nundinæ fieri Lugduni, quæ est ciuitas in Gallia,& postea Bezenzoni; & demum hodie in ciuitate Placentiæ, vt latius recensui gl.seq.num.3.& 4. & in istis non amplius fuit continuatus vsus ille vendendi, & emendi dictas marchas, quia Germani illas forsan non deferebant,& dato,quòd illas deferrent; tamen,auctis negotijs, cognitum fuit, quòd pro vsu mercaturæ, & negotiationis expediebat, vt in illis nundinis deferrentur scuti sculpti, & fieret negotiatio cambiorum, vt latius explicaui §.præced.q.6. num.7.& 8. quare fuit introductus vsus, vt loco vnius marchæ auri venderentur, & emerentur sine statera scuti 65. sculpti, excussi, & impressi, qui retinerent nomen scutorum marcharum, postquam in illarum locum fuerant subrogati, Hier. de Luc. in d. verbo, matcha, sub num. 4. & Alex.Raud. vbi supra num.52.& sic 65.scuti aurei valent vnam marcham, Romoald. Coli tractat.de camb. cap.11. & ita dicunt omnes mercatores; nam cambium est emptio, & venditio pecuniæ, vt explicaui d. §. præcedenti. q.4.num.21.

31 Habemus eadem ratione marchā argenti,constantē similiter ex octo vncijs,sed sicut argentum est longè inferioris valoris auro, ita vt vna drachma auri valeat vndecim drachmas circiter argenti,vt scripsi infra sub num. 52. ita etiam marcha argenti puri valebit sex ducatos aureos; & in Anglia ducatos quatuor, secundum Sarnen. in reg. de val. exprim,&c. q.9. vers.solutio. in fine.

32 Præmissa hac cognitione, quòd marcha constet ex octo vncijs vnius libræ,vt dixi supra num. 29. successiuè explicaturi sumus, quid & cuius valoris sit scutus marcharum, sed expedit,vt pro absoluta intelligentia explicemus prius ipsam libram, eiusq; partes, tàm in pondere, quàm in valore, postquàm & marcha, & scutus sunt portiones libræ; & à libra in pondere inchoabimus.

QVAERO octauo ex quot vncijs constet libra; & quæ partes constituantur ex vncijs;

cijs; Item vncia ex quot drachmis,drachma ex quot fcrupulis, fcrupulus ex quot filiquis, & filiqua ex quot granis.

Refpondeo, omnes fciunt, quòd libra Romana,de qua agimus,cõftat ex duodecim vncijs, Afflict. in conftit. neap. lib. 1. rubr. 97. in conftit.pœnam.num.2.Lancell.Gall. tract.de ftatut.in verbo, folidos.q.1. nu.17. tom.2.fol.330. Couar.tract.de veter.collat. numifm.cap.2. nu.3. verf.romanorum. tom. 1.fol.671. & Bertaz.de clauf. clauf. 30. gl.

33 5.fub num.4.& hoc fciunt omnes; † quarum duodecim vnciarum vncia dicitur ab vno, duæ vnciæ dicuntur fextans, quafi fexta pars affis; nam, factis fex partibus 12.vnciarum, duæ vnciæ funt fexta pars, quæ dicitur fextans, tres vnciæ dicuntur quadrans,quatuor vnciæ dicuntur triens, quinque vnciæ dicuntur quincunx, fex vnciæ dicuntur femis, ideft, dimidia affis, feptem vnciæ dicuntur feptunx, octo vnciæ dicuntur bes, quem etiam marcham diximus fupra num. 29. nouem vnciæ dicuntur dodrans, decem vnciæ dicuntur dextans, vndecim vnciæ dicuntur deunx, & duodecim conftituunt libram; & hifce ijfdem libræ partibus Doctores conftituunt, & vocant vfuras, de quibus dixi S.præcedenti q.7.par.2.ampl.8.fub num.53.verf.hæc nautica.

34 Vncia conftat ex octo drachmis, Couar. in loco fupra proximè citato, Vulp.tract.de treg.& pac. q. 51. num. 9. tom. 11. par. 1. fol. 411. Romoald. Coli tractat. de camb. cap.11. & fic libra conftat drachmis 96. cumulatis duodecim per octo vices, Couar. d. tract. cap.3.fub num.2. verf.reges. fol.676.

35 Drachma diuiditur in diuerfas partes; eius autem minutiores partes funt feptuaginta duo grana, Romoald. Coli tract.de camb.cap.11. & diftinctè Couar. infra cita-

36 tus;†nam drachma conficitur ex tribus fcrupulis; fcrupulus ex fex filiquis; filiqua ex quatuor granis, & fic 24. grana faciunt vnum fcrupulum, quia ter 24. faciunt 72. quare tres fcrupuli faciunt drachmam,ideft, 72.grana, Couar.tract. de veter. collat. numifm. cap. 2. num. 3. verf. romanorum. & verf.hinc denique. vbi notat, vfum granorum in pondere fcutorum non effe tutum pondus, cum ex granis alia fint robufta, alia recentia, ideoq; hæc maioris ponderis, alia verò inania, & vetufta, ideoq; leuiora: quare,inquit, regia pragmatica ftatutum effe, vt grana frumenti prorfus ab vfu ponderum abijciantur, atque grani pondus æquale, iuxta rationem vnciæ ex orichalco conficiatur, vt legitima, certaq; fit iufti ponderis

37 ratio. † Datur etiam obolus, qui eft ponderis genus, continens fex filiquas, & eft medietas fcrupuli, & fic quadragefimaoctaua pars vnciæ, Cott.in memor. in verbo, obolus. fed Cott. attentis prædictis, effet fibi contrarius, quia nos diximus, quòd fcrupulus conftat ex fex filiquis, & totidem fecundum Cott. continet obolus, & poftea dicit, quòd obolus eft medietas fcrupuli: vnde obolus contineret non fex filiquas, fed tres filiquas. Gl. in cap. 87. quis. in verbo, nifi ficlo.de pœnit.dift.1.ponit hos verfus.

Tres ficlos obolus, obolos tres drachma, fed octo

Vncia fert drachmas, duodena dat vncia libram,

Siclus habet feptem drachmas obolo minus vno.

Et hæc de libra in pondere, fi plura defideras,vide Couar.d.cap.2. fub num. 3. verf. duella. & feqq.

38 QVAERO nono de libra in valore ad vfum pecuniarium, feu nummarium, & tàm de libra aurea, quàm argentea, & ærea.

Refpondeo, quòd libra auri monetata, quæ fimiliter conftat duodecim vncijs,vt dixi fupra fub num. 32. conficit feptuaginta duos fcutos, nummos, feu folidos aureos, l.quoties. C.de fufcept. præpof. & arch. lib. 11.Socc.conf.48.in præfenti confultatione. num.8. lib.1. Alex. conf. 35. vifo themate. fub num.5.lib.2. Iaf.in l.puniri. num.2. C.fi contr. ius. vel vril. publ. Felyn. in cap. 16. conquerente.fub num.2.licet corruptè legatur.aliàs erraffet,& ibi Addit.de offic.ordin. Affl.in conftit.neap. lib. 1. rubr. 97. in conftit.pœnam.n.2. Vulpel.tract.de treg.& pac. q.51.n.9.tom.11.par.1.fol.411.Brun.tract. de monet. augm.num.8. tom. 12. fol. 207. Henr.Bott.tract.de fynod.epifc.par.3. num. 82.tom.13. par.2. fol.386. Feder. Schenc. tract.de teftib.nu.61.tom.4. fol.78. Lancel. Gall. tract. de ftatut. in verbo, folidos. in princ. num.5. tom.2. fol. 330. Fabian. de Mont.tract.de empt. & vendit.q.5. princip. fub num.3.tom.6. par. 1. fol.51. Sarnen. ad reg.cancel.in reg.de val.exprim.q.9.verf.ab iftis. Couar. tract. de veter. collat. numifm. cap.4.num.2.verf. ex his etiam. tom. 1. fol. 687.Bertaz.de clauf.clauf.30.gl.5.fub num. 5.Tefs.Iun.tract.de monet.augm.par.1. fub num.18.& dixi in meo tract.de iud.cauf.&c. lib.1.cap.99.fub num.2. q. 2.& hoc tranfit

ſine controuerſia, inſpecto tempore antiquo, & ſic pernecesse quælibet vncia conficiebat ſex aureos, Alex. vbi ſupra, quem ſecutus ſum d.cap.99. ſub num.2.quia, cumulatis 12. per ſex vices, ſeu ſex per duodecim, conflatur ſumma ſeptuaginta duorum, hincq; arbitror, Rebuffum, ſeu potius typographum ad conſtit. Franciæ, tract.de litter. oblig.art.5.gl.1.num.3. in fine, tom.1. fol. 125. erraſſe, dum ſcribit, quòd libra valet 70. aureos.

39 Sed hodie libra auri conficit 96. ducatos Venetos, ſeu Florentinos, prout teſtantur Iaſ.Fab.de Mont.& Sarnen.in locis ſup. proximè citatis, & dixi d. cap. 99. ſub num. 2.

40 † quia hodie vncia non ſex aureos tantum, vt antea, ſed octo conficit aureos, ſeu ducatos,Sarnen.d. reg.de val. exprim. q. 9. verſ. ſolutio. ibi, & quælibet vncia. & aduertit etiam Fab.de Mont.d.q.5.num.3. in vltimis verbis; & hac ratione ex libra conficiuntur 96. aurei,quia,calculatis octo aureis per duodecim vices, conſtituuntur 96. aurei;

41 † vndè & illud ſequitur, quòd quilibet ducatus eſt drachmalis, ideſt,pēdet drachmam vnam,vt ſcribit etiā Sarnenſ.d.q.9. verſ.aurum etiam.verſus finem;quare cum quęlibet drachma conficiat vnum ducatum aureū, vt notat etiā Romoal.Coli tract.de camb. cap. 11.ſeu vnum aureum; & libra conſtet ex 96. drachmis, vt dixi ſupra nu. 34. dicetur conſtare ex 96. ducatis: & conficitur libra hoc numero 96. ducatorum, non ſolum ſi ſint ducati Vngarici, vt ſcribit Sarnen. in loco ſupra proximè citato, ſeu Veneti, ſeu Florentini, vt loquuntur idem Sarnen. Iaſ. & alij, ſed etiam ſi ſint ducati Senenſes,vt ſcribit Socc.d.conſ.48.ſub num.8. quem ſequitur Addit. ad Felyn. in loco ſupra proximè citato, & etiam ſi ſint alij noſtrates aurei, vt loquuntur Vulp.tract.de treg. & pac. q. 51. num.9. tom.11. par.1. fol. 411. & Lancell. Gall. tract. de ſtatut. in verbo, ſolidos. in princ.nu.6.tom.2.fol.330.& hoc tranſit ſine dubio, quia ſunt & aliæ ciuitates, in quibus cuduntur ſcuti aurei eiuſdem valoris, cuius ſunt ducati Veneti, & Florentini,& præſertim illi, quos vulgo dicimus, *delle cinque*

42 *ſtampe:* † ſed quicquid iſti ſcripſerint de ducatis 96. qui forſan conficiebantur eo tempore, quo ipſi ſcripſerunt, hodie Genuæ, Florentiæ, & Venetiarum ex vna libra auri conficiuntur ſolum aurei 94. & vna quarta pars alterius ſcuti aurei.

Ratio autem cur hodie ex libra conficiantur plures aurei, quàm antea, eſt, quia ducatus hodiernus non eſt tanti pōderis,quanti erat ille Romanus; ſiquidem vncia faciebat ſex tantum, & hodie facit octo, vt dixi, & ſic ducatus erat ſexta pars vnciæ, & hodie eſt octaua pars, & hanc rationem reddit Iaſ.in loco ſupra proximè citato.

43 Sunt alij, qui dicunt, libram auri hodie valere centum aureis, vt Theſ.Iun. tract. de monet. augm.par. 1. ſub num. 18. ibi, & hodie.

44 Alij verò dicunt, valere 86. ducatos, Felyn.& Henr.Bott. in locis ſupra proximè citatis, quorum tamen impreſſionem arbitror facilè corruptam, prout & corruptè lego in libro meo,Sarnen.in reg.de valor.exprim.q. 9.verſ.aurum etiam. dum ait,libram conſtare ex 66.ducatis,quod oſtendit, ratiocinando, quia libra continet 96. drachmas, quæ, inquit, conſtituunt totidem ducatos.

45 Et demum marchus vnius Prouinciæ, ſeu Regni differt à marcho alterius, ita vt plures ducati fiant ex vno, quàm ex alio, vt videre poteris ex his, quæ ſcribit Brun. tract. de monet.augm. in princ. ſub num. 7. tom. 12.fol.207.& notat Sarnen. in d.q.9. verſ. ſolutio. ibi, nam æſtimatio marchæ legalis eſt informis. & hæc difformitas marchæ ſecundum varia loca reperitur etiam in marcha argenti, vt ſcribit Sarnen.d.verſ. ſolutio. in fine.

46 Hinc eſt,quòd ſi dicamus, marcham æſtimari 65.aureis, vt dixi ſupra num.30.verſus finem, falſa videtur communis ſententia, quæ tenet, libram auri confici 96. aureis; quia ſi marcha, quæ conſtat ex octo vncijs, vt dixi ſupra num.92. æſtimatur 65. aureis, vt dixi: ergo libra,quæ conſtat 12.vncijs,vt dixi ſup.ſub num.32.conficitur aureis 97.& dimidio alterius ſcuti;quia ſi octo vnciæ faciunt ſcutos 65. & quatuor vnciæ faciunt ſcutos 32.& dimidium; ſummatis ſcutis 32. cum dimidio per tres vices, oritur ſumma ſcutorum 97. cum dimidio; vnde Couar. tract.de veter.collat.numiſm.cap.3. ſub nu. 2.tom.1.fol.676. ratiocinatur, libram confici aureis 98.ſtāte regia iuſſione, vt ex qualibet marcha percuterentur aurei 65. & tertia alterius nummi pars, ſed dum ratiocinatur, marcham confici 62. drachmis, tunc ait, libram confici 96.

47 Infero ex his omnibus, quòd l. penult. ſi quis. in fine, C. de donat. quæ donationem non inſinuatam annullat in ea ſola quantitate, quæ excedit ſummam quingentorum ſoli-

solidorum, hodie non annullat eam, nisi in ea summa, quæ excederet solidos, idest, scutos aureos 668. & ratio est, quia hodie tantum inest auri in scutis 668. quantum inerat olim in scutis 500. cũ hodie scuti sint minoris pōderis, quàm essent olim, vt dixi sup. sub n. 42. quare, cum olim libra auri cōstaret ex scutis aureis 72. septē libræ auri cōficiebant scutos aureos 504. & sic donatio valebat vsque ad septē libras auri, demptis scutis quatuor ex tota summa omniũ septem librarum: at cum hodie libra auri constet ex scutis 96. quia hodie scuti sunt minoris ponderis, sequitur, quòd donatio non insinuata valebit, vt dixi, vsque ad scut. 668. quia hodie septem libræ faciunt scutos 672. ex quibus, demptis scutis quatuor, remanent prædicti scuti 668. vnde non video quomodo Socc. d. cons. 48. sub num. 8. Ias. in l. 2. §. ex his. sub nu. 16. ff. de verb. obl. & Felyn. in d. cap. 16. conquerente. sub num. 2. de offic. ordin. ratiocinentur libram auri pro scutis 96. seu 86. & postea dicant, quòd hodie donatio non insinuata valet vsque ad summam scutorum aureorum octingentorum, cum attenta ratiocinatione aureorum 96. non resultet maior summa, quàm aureorum 668. vt dixi, & non summa 800.

Corroboratur hæc illatio, eiusq; ratio, tum quia attenditur tempus legis conditæ, vt scribit Alber. Brun. tract. de monet. &c. partic. 12. num. 7. tom. 12. fol. 215. tum quia non donatur amplius.

48 Nota ex ista illatione, quòd licet vsus mutet valorem, constitutum à lege, tamen, veniente casu illius legis, loquentis de valore, est attendendus valor, impositus à lege, & non valor, impositus ab vsu, Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. &c. q. 9. vers. solutio. hæcq; omnia, quæ dixi in hac illatione, benè confirmantur ex his, quæ dixi infra gl. 5. num. 178. & seqq.

Declara obiter hoc notandum, vt sit verum, quando est mutata bonitas intrinseca, vt in casu illationis, in quo est diminuta quantitas auri in scuto, & quando est mutata bonitas intrinseca, loquitur Oldr. cons. 252. factum. num. 2. quem Sarnen. citat, secus si esset mutata bonitas extrinseca, vt latius declaraui inf. d. gl. 5. num. 178. & seqq.

49 Hæc maior summa scutorum aureorum, quã dicimus hodie confici ex libra auri, forsan non procedit in Regno Siciliæ, si verum dicit Addit. ad Felyn. in d. cap. conquerente. sub num. 2. in littera b. scribens, quòd in Sicilia vncia auri intelligitur de sex aureis, & sic libra auri erit ibi, prout fuit libra legalis scutorum septuaginta duorum, vt ostendi supra num. 38.

50 Et est aduertendum, quòd isti aurei 96. quibus, vt dixi supra nu. 39. constituitur libra auri, sunt 24. caractorũ, idest, sunt ex auro puro sine vlla mixtura argumento textus in l. 1. ff. de contrah. empt. in illis verbis, *electa materia*, & l. 1. ibi, *speciei proba*, & in l. fin. ibi, *obriziatorum omnium solidorum*. C. de vet. numis. potest. lib. 12. & de hoc non est dubitandum.

51 Libra argenti monetati constat etiam ipsa duodecim vncijs, & sicut illa auri constituitur ex 96. nummis aureis, ita ista constituitur ex 96. nummis argenteis iusti ponderis, nempè vnius drachmæ pro quolibet nummo argenteo, quia denarius, qui idem est, quod nummus argenteus, est octaua pars vnciæ, & sic quælibet vncia facit octo denarios, seu nummos argenteos, & libra habet, vt dixi, 12. vncias, Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 2. num. 7. tom. 1. fol. 672. & in loco infra citato, & quælibet vncia habet octo drachmas, vt dixi supra num. 34. & consequenter sicut in libra insunt 96. drachmæ, vt dixi eod. nu. 34. ita ex ea conficiuntur 96. nummi argentei: & sicut illos 96. auri dixi supra num. 50. esse ex purissimo auro, ita etiam isti argentei debent esse ex purissimo argento, Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 4. num. 1. tom. 1. fol. 686. & 687. & quòd Imperatores post Claudium Cæsarem ex libra signauerint 96. denarios, quorum quilibet erat æqualis drachmæ, refert ex alijs idem Couar. vbi supra cap. 2. sub num. 7. vers. sed & illud. fol. 673.

52 Libra tamen auri, & libra argenti longè inter se differunt in valore, & æstimatione, siquidem; si credimus Plinio, quem citat Couar. in tract. de vet. collat. numism. cap. 3. §. 1. sub num. 3. vers. quarto ad hanc. tom. 1. fol. 678. Romæ olim, cum esset auri penuria, ea fuit proportio auri ad argentum, quæ est quindecim ad vnum; drachma enim vnum auri æstimabatur quindecim drachmis argenti, & sic auri ad argentum erat quindecuplex analogia, seu æstimationis proportio, sed postea, vt testis est Liuius lib. 38. quem similiter refert Couar. sub d. num. 3. vers. deinde. vna pars auri fuit decem partibus argenti æstimata, & demum variè varijs

tijs temporibus, ita tamen, vt vna pars auri nunquam fuerit æstimata pluris, quàm quindecim argenti, neque minoris, quàm decem argenti, & hodie æstimatur vndecim, aut duodecim partibus argenteis, paulò pluris, vel minoris, Couar. d. cap. 3. §. 1. sub num. 3. versus finem, vers. quod si. ibi, nostra verò ætate. tom. 1. fol. 679. vna enim vncia auri puri valet duodecim, & sic libram argenti puri, vel paulò minus, Tess. Iun. tract. de augm. monet. par. 1. num. 18. versus finem, & quòd etiam olim decem aurei valerent libram argenti, scribunt Brun. tract. de monet. augmen. in princ. sub nu. 8. tom. 12. fol. 207. & Sarn. ad reg. Cancell. in reg. de val. expr. &c. q. 9. vers. ab istis.

53 Libra æris constat & ipsa ex duodecim vncijs, & ista satis longius distat in valore à libra auri, siquidem text. in l. vnica, C. de collat. æris. lib. 10. scribit, quòd pro 20. libris æris potest solui vnus solidus auri, sed hæc libra æris ex quot assibus, seu quadrantibus, aut æreis denarijs conficeretur, & ex quot conficiatur hodie, nondum legi; dico tamen, quòd hodie, attenta varietate quadrantum, & denariolorum, quibus vtuntur status Ecclesiasticus, Regnum vtriusque Siciliæ, Genua, Etruria, & aliæ innumeræ ciuitates, non potest dari resolutio vniformis, verum facile est cuique experimentum facere.

54 Libra tamen qua significamus non pondus, sed certum pretium, quod non reperitur in certa moneta excussa, quæ vocetur libra, sed reperitur in valore aliarum monetarum, ideoq; potest dici ficta, & imaginaria, constat ex 20. solidis, qui 20. solidi sunt 240. denarij, quia quilibet solidus conficitur ex 12. denarijs, vt dixi supra num. 18. vnde paria sunt, dicere librã, 20. solidos, seu 240. denarios, Lancell. Gal. tract. de statut. in verbo, solidos. in princ. sub num. 7. & 9. tom. 2. fol. 330. & ita seruatur Genuæ, vbi habent solidos, & denarios, qui conficiunt libram, sed libram monetatam de per se non habent, testibus Alber. Brun. tractat. de monet. &c. partic. 6. sub num. 1. tom. 12. fol. 212. & Tess. Iun. tract. de augment. monet. sub num. 80. par. 1. & quòd ista libra 20. solidorum sit immaginaria, tàm Mediolani, quàm alibi, scribit sub num. 24. ead. par. 1. & quòd libra Ferrariensis, Bononiensis, & Mutinensis constet ex 20. solidis monetæ, seu solidis bononenorum, scribit Bertaz. tract. de clausul. claus. 30. gl. 5. sub num. 1.

55 Minus etiam reperitur libra Turronensis, quæ sit de per se monetata, sed constituitur duodecim turronensibus, qui constituunt vnum ducatum de Camera, de qua te vide, quæ latè scribit Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. quæst. 9. vers. libra turronensium.

56 De multis alijs libris diuersorum locorum vide Sarnen. ibidem.

57 Cognita libra in pondere, & valore, si tàm aurum, quàm argentum esset purum, nihil dicendum superesset; sed quia tàm aurum, quàm argentum quãdoque habet æris mixturam; & tunc pretium rei aureæ, & pretium rei argenteæ, non ex pondere, & valore cognosci potest, ideo aurifices, fabriq; argentarij tàm in demensione marchæ auri, de qua locutus sum sup. num. 28. 30. & seqq. & vnciæ auri, de qua etiam locutus sum supra num. 34. & 40. quàm in demensione libræ argenti, de qua etiam locutus sum supra num. 51. ad agnoscendam auri, argentique quantitatem non recurrunt simpliciter ad prædicta pondera, de quibus locuti sumus, sed recurrunt etiam ad caracta, & quilates in auro, & ad denarios in argento, quæ caracta, quilates, & denarios non pondere cognoscere valẽt, sed solum visu lydij lapidis, quo mixtura metallorum, discernitur: † aurifices ergo auri marchum, quod constat octo vncijs, vt dixi supra num. 29. diuidunt in 24. caracta, quæ vulgo quilates vocamus, vnde quælibet vncia constat ex tribus caractis; hocq; aurum 24. caractorum Græci vocant aurum purum, & obryzum, vt scribit Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. q. 9. vers. aurum etiam. nullam enim habet mixturam alterius metalli, nec argenti, nec æris, & sic Imp. in l. fin. C. de vet. numis. potest. solidos de optimo auro vocat, obryziatos, & proinde, quando dicimus, *oro de 24. caratti*, intelligimus de auro, quo melius non reperitur, quia est purissimum sine vlla mixtura; † Quòd si marchæ auri admixta sit vigesimaquarta pars æris, vel argenti, tunc istud aurum dicetur vigintitrium caractorum, quia ei deficit vnum caracta, si verò auri marchæ sit mixta argenti, vel æris duodecima pars marchæ, dicetur aurum vigintiduorum caractorũ, cum deficiant duo caracta, quot enim remanent caracta auri in marcha, tot caractorum dicitur illud aurum: & in summa omnis res aurea, puta, scutus, anulus, cathena, & similia

58

59

milia aurea constant ex certo, & non fallaci pondere, sed tota illa massa, seu res, quæ apparet aurea, vel est ex auro puro, & dicitur esse de auro 24. caractorum, vel non est ex auro puro, sed habet admixtum aliud metallum, & tunc non dicitur 24. caractorum, ideoq; est inferioris valoris, iuxta numerum caractorum, Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. §. 1. sub num. 4. vers. hæc autem. tom. 1. fol. 679. & quòd aurum distinguamus in 24. gradus, quos caracteres, seu caractos appellamus, ita quòd aurum pretiosius dicamus in liga 24. caracterum, prout sunt communiter floreni, seu ducati aurei, scribit Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 11. tom. 12. fol. 207. & quòd aurum & argentum distinguantur vt supra, scribit etiam Tess. Iun. tract. de monet. augm. par. 1. num. 16. in fine.

60 Hancq; auri bonitatem, idest, puritatem, & mixturam aurifices, auro ipso in lydio lapide perfricato, rectè discernunt, etiam vsque ad vnum scrupulum, nulla ratione decepti, si credimus Plinio, dum lib. 33. nat. hist. cap. 8. sic inquit: *sed eadem fraus, quæ in omni vita parte ingeniosissima est, viliorem excogitauit materiam, vt docuimus. Auri, argentiq; mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inueniri, nisi in flumine Imolo, vt auctor est Theophrastus; nunc verò passim, quem alij heraclium, alij lydium vocant: sunt autem modici, quaternas vncias longitudinis, binasq; latitudinis non excedentes: quod à sole fuit in his, melius, quàm quod à terra. His coticulis periti, cum è vena vt lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel æris, scrupulari differentia mirabili ratione non fallente*, prout ex eodem Plinio refert, Couar. sub d. num. 4.

61 At argentum non per caracta, sed per denarios demetiuntur, ita vt puritatem, quam in auro numerant per caracta, & constituunt ex 24. caractis, in argento numerent per denarios, eamvè constituant duodecim denarijs, vt scribunt Couar. infra citatus, & Tess. Iun. tract. de augm. monet. par. 1. num. 16. in

62 vltimis verbis. † Quòd si argentum, seu marchus argenti habuerit duodecimam partem mixtam æris, tunc eiusmodi argentum dicetur vndecim denariorum, & sic deinceps, ita vt quot remanent denarij argenti, totidem denariorum dicetur illud argentum, nulla in hoc remanente differentia inter modum æstimandi puritatem argenti, & puritatem auri, nisi in hoc, quòd summam puritatem auri, quam Latini, obrussam, vocant, & inde de re summæ perfectionis extat prouerbium (ad obrussam) constituunt per numerum 24. caractorum, & summam puritatem argenti per numerum 12. denariorum, prout hæc omnia docet Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. §. 1. num. 6. vers. argenti. & sub num. 5. circa medium, tom. 1.

63 fol. 680. † seu, vt alij loquuntur, argentum pretiosum distinguitur per duodecim gradus, quos vocant 12. ligas, ita vt argentum, magis pretiosum, seu copulatum, dicatur esse ligæ 12. denariorum, &, si ex vna libra talis argenti adimamus dimidiam vnciam argenti, & eius loco ponamus dimidiam vnciam æris, dicetur esse in liga 11. denariorum cum dimidio: si verò loco vnius vnciæ argenti subrogemus vnciam æris, dicetur esse ligæ 11. denariorum; si adimamus duas vncias argenti ex libra, & submittamus duas æris, dicetur esse decem denariorum, vt latius explicat Brun. tract. de monet. augm. in

64 princ. num. 9. tom. 12. fol. 207. † sed vulgus, argentum purum, quod est ligæ 12. denariorum, vocat argentum de copella, seu copellatum, & Latini pusillatum, seu pustulatum, vt scribit Sarnen. in reg. de val. exprim. q. 9. vers. ab istis.

65 Extende hæc omnia, quæ dixi de auro puro 24. caractorum, & de argento 12. denariorum, ex quibus confici debet moneta, vt eiusmodi aurum, & argentum possit reperiri etiam in alchimia, ideoq; poterit cudi moneta etiam ex alchimia, dummodo in ea conficeretur verum aurum, & verum argentum, & consequenter alchimia est scientia vera, & permissa, secundum ea, quæ notant Oldr. Io. And. & alij, quos sequuntur Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. princ. nu. 8. tom. 6. par. 1. fol. 52. & Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 13. tom. 12. fol. 208.

66 Sed an verum argentum, & aurum confici possit, & ideo vera sit ista scientia, ego hic non audeo aliquid affirmare; nam licet Eymer. in direct. inquis. num. 115. non videatur improbare alchimiam, dum solum exercentes eam iudicat posse haberi pro suspectis, vt retuli §. præcedenti, q. 2. num. 24. Tamen Pegn. in comment. ad eundem Eymer. comment. 26. vers. sententia. in fine,

fol. 477.

fol. 477. dicit, tutiorem, & veriorem esse sententiam eorum, qui scribunt, alchimiam esse inutilē, & perniciosam Reip. & certè ita censeo, quia hucusque ista alchimiæ scientia non fuit tot seculis reperta, & semper fuit illusoria; nam magister Arnaldus de Villa noua, quem dicunt fuisse summum Medicum, & Theologum, & magnum Alchimistam, composuit vnum librum de alchimia facienda, qui liber mille homines depauperauit, vt scribit Brun. vbi sup. & ego non credo, quòd ipse Arnaldus, neque vllus alius habuerit istam scientiam, & censeo, omnia esse somnia, & illusiones; quare & Brun. vbi supra refert, se in disciplina legali habuisse quendam socium, qui multum insudauerat in alchimiæ professione, & habuisse secum antiquum Alchimistam, pauperrimum tamen, qui, ipso Bruno, & socio præsentibus, reduxit vnam vnciam argenti pretiosissimi ad instar auri in pondere, fusione, & malleatione, saluo colore, qui non erat croceus, sed mutatus ad instar quasi plūbei coloris. & ait, dictum suum socium habuisse modū dandi colorem croceum, & subdit, quòd admixta illa vncia, redacta ad instar auri, cum vncia auri, videbatur aurum 20. caractorum, & plus, & minus, prout illa materia erat melius disposita, & quòd quidam magnus Prælatus, ac multi antiqui Alchimistæ mirati fuerunt de illo experimento, & quòd vnus antiquus Alchimista putabat, se reductum illam materiam ad veram speciē auri, & non potuit, putauitq; propterea tūc ipse Brun. illā artem esse illusoriam, maximè ex quò tot viri in 40. & 50. annis non viderant tàm mirabile experimentum, quod, inquit, erat nihilominus sophisticum, & ideo aliud experimentum ipse amplius videre noluit.

67 QVAERO decimo, quid est scutus marcharum?

Respondeo, scutum marcharum esse scutum fictum, & imaginarium, Alex. Rauden, in exposit. sup. ban. S. Ambr. num. 53. & dixi §. præced. q. 2. num. 23. q. 7. par. 1. sub nu. 23. & habes infra §. 9. num. 1. & 25. & hæc est vera conclusio, quæ apud versatos in facto non habet difficultatem.

Quicquid dixerit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. tertio sciendum, fol. 213.

68 Confirmatur hæc conclusio, quia sunt & aliæ monetæ imaginariæ, & fictæ, quæ non sunt monetatæ, sed habent valorem ex alijs monetis; huiusmodi monetæ sunt in Vrbe baioccus, carolenus, libra, ducatus, & scutus argenteus: baioccus enim conflatur hodie ex quinque quadrantibus, & olim ex quatuor; carolenus ex baiocchis septem cum dimidio alterius baiocchi, libra ex duobus carolenis, sicq; ex quindecim baiocchis, ducatus ex iulijs septem cum dimidio alterius iulij, & scutus argenteus ex iulijs decem; sed vnica massa monetata, quæ habeat prædictos valores, non reperitur: Genuæ, & alibi eiusmodi monetæ sunt libra, quæ est in frequenti vsu ad emendum, & vendendum quasuis merces, & non reperitur, nisi virtualiter in 20. solidis, in quauis moneta calculatis: item scutus aureus solidorum 68. & libræ aureæ solidorum 20. aureorum, quæ sunt fictæ, & imaginariæ, inuentæ à Genuensibus pro particulari negotiatione cambiorum in Republica Genuensi, vbi valutant scutum aureum in solidis 68. ex quo etiam conficiunt imaginarias libras tres, & solidos octo aureas, vt latius scripsi infra §. 5. glos. 2.

69 Declara primo eandem conclusionem, vt iste scutus marcharum, dum emitur, & venditur, & sic in contractu, habeat pretium variabile, quia in quolibet foro illud imponitur à magistratu mercatorū, habita ratione copiæ, & inopiæ pecuniarum; hoc tamen pretium, quod imponitur, est semper inferius pretio scuti aurei, vt patet ex his, quæ scripsi §. præced. q. 5. n. 55. & 56. † sed postea in

70 distractu, dum soluitur, habet semper certum & inuariabile pretium, sed etiam inferius pretio scuti aurei, quia tantum valent scuti 101. marcharum, quantum valent scut. 100. aurei, sicq; Genuenses, qui Genuæ æstimant scutum aureum in solidis 68. scutum marcharum, qui actualiter de contanti soluatur in nundinis, æstimant sol. 67. & den. 4. & sic 8. den. minus pro singulo scuto, qui 8. denarij centies coniuncti constituunt sol. 68. qui faciunt vnum scutum in ciuitate Genuæ.

71 Declara secundo, † vt solutio scutorum marcharum, qui non reperiuntur, vt dixi, fieri debeat secundum valorem scuti auri in auro, ligæ, & ponderis scutorum quinque stamparum, quæ sunt Hispania, Genua, Venetiæ, Florentia, & Neapolis, & pro solutione in nundini[s] additus est hodie scutus aureus Placen[tiæ], vt habetur in capitulis nundinarum [G]enuensium, num. 10.

72 Dec[l]ara tertio, vt etiam pretium scuti aurei,

aurei, veri, & realis; quem habemus in diuersis Regnis, & Prouincijs excussum, sæpè alteretur, & varietur, hæcq; variatio à duabus procedere solet causis: prima est propter auri copiam, & inopiam; secunda propter auri bonitatem, idest, puritatem maiorem, & minorem, vt aduertit Couar. tractat. de veter. collat. nomism. cap. 3. §. 1. num. 3. in fine, vers. quod si. & num. 4. tom. 1. fol. 679. hancq; mixturæ causam (damnando propterea mixturam ipsam) dicens, quòd, sublata ista mixtura, remouerentur illæ augmenti, & diminutionis controuersiæ, nec tàm facilis via falsificandi monetas introduceretur, considerat Tess. Iun. tract. de monet. augm. par. 1. sub num. 10. & sub num. 16. in 2. conclus. alias plures causas cumulauit Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 2. in fine, & num. 3. tom. 12. fol. 207. hæcq; auri inopia, & copia, de qua dixi, cognoscitur ex plateis, in quibus pecunia negotiatur, adde omnino quæ scripsi infra num. 110. restrict. 1.

73 In Hispanijs scutus, seu nummus aureus ex Regis Hispaniarum constitutione reddit in æstimatione decem regales argenteos nummos, & decem æreos marauedinos, vt refert Couar. d. cap. 3. sub num. 2. versus finem. vers. demum. tom. 1. fol. 676. seu, loquendo de ducatis, quos lex Regia vocat excellentes, nummus aureus reddit vndecim regales argenteos, & vltra vnum marauedinum aureum, idem Couar. sub eod. num. 2. vers. reges. in fine.

74 Romæ scutus aureus non reddit in æstimatione pauciores iulios vndecim, & eò amplius aliquot obolos vsque ad vndecim cum dimidio, prout aduertit etiam Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. sub num. 295. dicens, quòd pretium scuti aurei, statutum expressè à Principe, sunt vndecim iulij, & tacitè per consuetudinem ascendit ad vndecim cum dimidio.

75 Genuæ ex illius Reip. crida, seu publico monetarum edicto scutus aureus Hispaniarum, Reip. Genuensis, Venetiarum, Neapolis, & Florentiæ, solet æqualiter æstimari, quia sunt scuti de quinque stampis, & vidi æstimatos lib. 4. & sol. 6. & quòd scuti Genuenses, quia fabricantur ex dupla Hispana æstimentur eodem fere pretio, scribit Tess. Iun. infra citatus, scutos verò aureos aliorum locorum, nempè Mediolani, Sabaudiæ, Parmæ, Mantuæ, & Placentiæ, qui dicuntur ponderis veteris, & non sunt de quinque stampis, vidi in eodem edicto Reip. Genuensis æstimatos inferiori pretio, videlicet lib. 4. sol. 7. d. 6. monetæ Genuensis, & vocantur scuti auri in auro Italiæ, Item scutus argenti æstimatur Genuæ, sicut scutus quinque stamparum, videlicet lib. 4. sol. 10. vt in eodem Reip. edicto, sed hæc pretia in currenti cursu, & valore non seruantur, & Romæ etiam in dies augetur pretium scuti auri, & quandoque minuitur.

76 Item in Hispania nummus aureus ex illis, de quibus Couar. sup. citatus conficit 350. seu 375. marauidinos æreos, vt per eundem Couar. vbi supra. Sunt & alia genera nummorum aureorum Hispanorum, quorum valor est 485. marauedinorum, Couar. eodem cap. 3. sub num. 2. vers. expendebatur.

77 Romæ scutus aureus, si valeat iul. 11. reddit in æstimatione 550. quadrantes.

78 Demum scutorum aureorum aliqui sunt ducati Veneti, quos vulgo vocant, *zecchini*, aliqui Vngarici, Itali, & Sabaudi, qui sunt in pretio, & valore æquales, vt etiam Turcici; sunt & aurei Franciæ, qui dicuntur, *del Sole*, scuti Hispani, qui dicuntur, pistoletti: Duplarum etiam quædam duorū scutorum, quædam quatuor, & pluris, vsque ad decem & octo, & vsque ad viginti, & inter istas duplæ antiquæ aragonenses, quę vulgò dicuntur duorum capitum, æstimantur maiori valore, & post istas est dupla Angliæ, quæ nobilerosa dicitur, tertia est Hispana, vltima est Itala, vt has omnes species recenset Tess. Iun. tract. de augmen. monet. sub num. 22. par. 1.

79 Vlterius est aduertendum, quòd cambia contrahuntur diuersis monetis, iuxta diuersitatem locorum: nam Romæ cambia contrahuntur ducatis de Camera, quorum centum, valent centum & duos cum dimidio de auro, in aurum monetæ Florentinæ: In ciuitate Neapoli contrahuntur ducatis de carolenis, quorum centum viginti valent centum scutos Florentinos: In Hispanis contrahuntur marauedinis æreia, quorum 500. valent vnum scutum: In Gallia, Belgica, seu Flandria contrahuntur grossis, quorum octuaginta valent scutum; In Britannia contrahuntur stallinis, quorum septuaginta valent scutum: In Gallia contrahuntur marchis, quarum vna valet scutos sexaginta quinque illius monetæ, si credimus Io. Bapt. Lupo in cap. nauiganti. §. 2. num. 17. vers. aliqua modo. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol.

7.fol.138. & quòd cambia contrahũtur monetis currentibus in loco, in quo initur cambium, hoc est, quòd scutus marcharum soluatur ea moneta, quæ currit in loco, vbi fit emptio, & venditio, habes infra §.9.nu.25. & dixi sup.nu.27.& adde quæ scripsi §.præced.q.5. num. 61.& seqq.

80 De omnium ferè monetarum nominibus vide Garzon. in plat. vniuers. discurs. 142. versus finem. De moneta sterlingorum, eorumq; nomine, & origine vide Sarnens. ad reg.cancell.in reg. de val. exprim. &c. q. 9. vers.solutio. in fine, & vers.vt scias. De moneta floreni, de eius nomine, & origine videeundem Sarnen.ead.q.9.vers.consequenter. & de multiplici librarum specie vide eundem eadem q. 9. vers. libra turronensium.

81 Monetæ vsus quando inceperit; quis fuerit primus, cuius nomen fuerit in moneta descriptum; quòd moneta fuerit etiam tempore antiquæ legis; & quòd prima moneta mundi fuerit fabricata à Thare patre Abrahæ ad requisitionem Regis Nini, scribit Gig.tract. de crim. læsæ maiest. rubr. qualiter & à quib.crim.læs.maiest.commit. q.62. num.6.7.& 8.tom.11.par.1.fol.47.&,quòd primum numisma æreum fuerit à Iano percussum: quòd Lydij omnium primi nummum aureum, & argenteum percusserint: & aureus nummus Romæ fuerit percussus anno Vrbis 642.& dictus fuerit ducatus à Ducatu Romano, & argentum numisma omnium primus signari docuerit Phedon, & Romæ argenteus nummus fuerit signatus circiter annum 483. breuiter refert,& sequitur Gig. d.q.62.num.9.& seqq. & quòd multa secula absque nummorum vsu transierint, citato Arist.scribit Sot.de iust.& iur. lib.6.q.2. art. 1.initio,& quòd Seruius, Romanorum Rex, primus signauerit æs nota pecudum, vnde pecunia dicta est, & postea fuisse signatum argentum anno Vrbis 585. citato Plin. scribit ibidem; sed in his non insisto, hac breui, & concisa relatione contentus, quia nostro instituto non seruirent.

82 QVAERO vndecimo, an Princeps, cudens monetam, teneatur in foro conscientiæ cudere de materia perfecta, in iusto pondere, & sub propria, non aliena effigie?

Respondeo, quòd tenetur in foro conscientiæ, ex cap. 18. quanto. & ibi not. de iureiur. nam moneta pro sui essentia requirit tria; primum, quòd consistat in materia electa, & proba. l.1.ff.de contrahen.empt. & l.1.C.de vet. numism. pot. lib. 11. ibi, *probæ speciei*. secundum, quòd habeat iustum pondus, d.l.1.C. ibi *debiti ponderis*; tertium, quòd habeat formam, vt scribunt Abbb. in d.cap.18. quanto. num.9. ibi, sicut enim. Fab.de Mont.tract.de empt. & vendit. q. 5. principali sub num.2. & 3.tom.6. par. 1.fol. 51. Martin.Lauden.tract. de monet.sub nu. 9.q.10. & sub num. 11. q. 14. tom. 12. fol. 203.Alber. Brun.tract.de monet.augm. in prima præsupp.num.13.vers.iuxta prædicta. tom. 12. fol. 208. Tess. Iun. eodem tractat. par. 1.sub num.5. & hæc est conclusio communis.

83 Declara primo hanc communem conclusionem, vt materia perfecta, & proba dicatur, quando moneta aurea cuditur de auro, argentea de argento, & ærea de ære, secus si cuderetur de alchimia, vel alio metallo, quia tũc Princeps damnificaret subditos, & alios, ad quos talis moneta perueniret, Alber. Brun.d.num.13. & diceretur eam fraudare, per ea, quæ post alios in fortioribus terminis scribit Abb.in d.cap.quanto. num.11. ibi,& primo quæro. de iureiur. & hoc non potest recipere controuersiam.

84 Subdeclara primo hanc declarationem, vt sit vera, quando Princeps monetam non auream, sed alterius metalli, quod sit minoris, inferiorisq; pretij, & æstimationis, vellet expendi pro moneta aurea, seu monetam auream, mixtam argento, vel alio ære, vellet expendi tanquam monetam auream putam, quia tunc peccaret, & teneretur in foro conscientiæ, per ea, quæ post alios notat Abb. in loco supra proximè citato; secus quando vellet eam expendi pro tanto, quanti iustè valeret; & sic tantum pro tanto, quia hoc posset fieri, vt, loquendo de alchimia, scribit Fabian.de Mont. tractat. de empt. & vendit. q.5.princip.num.8.tom.6.par.1.fol. 52. &, quòd nummi ex corio, ex carta, similiq; vili materia possint fabricari,& publico caractere insigniti reijci non possint, refert,& sequitur Tess.Iun. tract.de augm.monet.num.13.par. [illegible]

85 Subdeclara secundo, vt non sit vera quando Princeps ex aliqua iusta, & vrgenti causa cuderet monetam æream pro moneta argentea, vt puta, occasione belli, & dummodo Princeps extinguat illam monetam sine damno populi, quia iste diceretur casus necessitatis, quæ non habet legem, & ideo in

in Insula Meliuetana tempore obsessionis,& belli cum inimicissimo hoste, fuit percussa moneta ærea, quæ expenderetur, non tanquam ærea, sed tanquam argentea, signato in ea valore, & cum istis verbis: *non æs, sed fides*.

86 Declara secundo, vt iustum pondus in moneta dicatur, quando aurum, seu argentum monetatum non pluris valet in moneta, quàm in massa, sed tantum valet in massa, quantum in moneta, quia expensa monetationis debet fieri de publico, vt referunt, & sequuntur Fab.de Mont. d. q. 5. sub num. 2. ibi, secundo in pondere. tom. 6. par. 1. fol. 51. & Tess. Iun. tract. de augm. mon. nu. 20. par. 1. & hanc esse communem opinionem Legistarum, scribunt Martin Laud. n. tract. de monet. num. 6. tom. 12. fol. 203. & Curt. Iun. quem refert Moder. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 10.

87 Contra istam declarationem; quòd enim expensa non sit soluenda de publico; & ideo moneta non debeat esse tanta in pondere monetæ, quanta in pondere massæ non monetatæ, sed debeant detrahi expensæ, tenent cōmuniter Canonistæ in cap 18. quanto, vbi Abb. sub num. 11. de iureiur. eorumq; opinionem seruari de consuetudine, scribit Martin. Laud. vbi sup. & hanc esse communem opinionem Canonistarum, & declarationem contrariam malè seruari, scribit Alber. Brun. tract. de monet. augment. in prima præsuppposit. sub num. 1. tom. 12. fol. 207. & hanc opinionem videtur secutus Curt. Sen. tractat. de monet. num. 2. tom. 12. fol. 205. hancq; expensam, quæ pro fabricatione monetæ requiritur, Principes deducunt, miscendo certam paruam quantitatem inferioris metalli, tàm in moneta aurea, quàm argentea, & sic imponunt ligam, idque iusta conscientia fieri posse, tradunt Canonistæ, vbi supra, eorumq; opinionem esse communem, refert Tess. Iun. d. par. 1. num. 10. & demum hanc contrariam opinionem, re plenè discussa, & multorum iurium interpretatione adhibita, benè tuetur Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 5. ibi, nihilominus. iunctis num. 1. & seqq. tom. 1. fol. 705. 703. & 704. quem sequitur idem Moder. d. cap. 10. sub num. 10. & ab hac contraria opinione non discedit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 5. vers. at enim dubitandum. & hodie in hoc nulla extat controuersia, quia nemo ex officio debet habere damnum, Abb. vbi sup. & in alio proposito scripsi §. præcedenti, q. 1. num. 73.

88 Declara tertio, vt ista communis conclusio posita supra sub num. 82. & duæ declarationes positæ post eam, num. 83. & 86. sint veræ ex tribus causis: Prima propter vniuersale commerciū expēdendi, & emendi etiam cum exteris, & inter exteros, & exteros sub diuersis Principibus; Secunda, vt tollatur occasio falsificandi monetam, quæ occasio tollitur, si moneta cudatur de proba materia, & in pondere iusto, alias si moneta cuderetur de pelle, ligno, stanno, seu ære, & in valore longè vltra massam, multis daretur occasio cudendi monetam sub imagine Principis: Tertia propter variationem monetarum in earum augmento, & diminutione, quæ variatio procedit à pondere, & qualitate auri, & argenti; sed, circumscriptis istis causis, quia scilicet supponamus, commercium cum exteris non forè necessarium, ideoque monetam vnius Principis non esse necessariam in territorio alterius Principis, etiam vicini; remota etiam suspicione falsificandi monetam; & supposita inuariabilitate monetarum, cessarent omnia, quæ diximus in cōclusione, & declarationibus, & ideo posset moneta cudi in materia, & pondere pro valore, & pretio ad beneplacitum Principis, quia esset idem, ac si cuderetur cum omnibus requisitis, & qualitatibus, de quibus supra sub num. 82. nam licet vsus monetarum sit de iure gentium, tamen valor, & materia monetæ est de iure merè positiuo, vt in effectu scribit Couar. tractat. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 1. vers. cæterum. tom. 1. fol. 703. vnde quisquis valor constitueretur à Principe, remotis prædictis, & similibus causis, quæ excogitari possunt, esset iustus.

Nota, ex hac declaratione posse conciliari contrarietatem, quam sentit Couar. dicto cap. 7. sub num. 1. vers. cæterum. iunctis vers. præceden.

89 Declara quarto, vt forma monetæ dicatur impressio effigiei Principis, seu insigniorum Principis cum solita inscriptione nominis, quia tunc illa forma in primis declarat cuius Principis sit illa moneta, vnde CHRISTVS, vt retuli §. præced. q. 1. sub nu. 195. interrogatus de illa superscriptione monetæ, respondit, *reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*, &c. Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 9. de iureiur. & de hac forma loquitur etiam

Alber.Brun.tract.de monet. augm. in princ. num.15.tom.12.fol.208. & ista forma monetam authenticat, & publicam facit fidem, quòd est probæ materiæ, & iusti ponderis, & tunc sub ista publica fide sine alia experientia recipitur, & expenditur, & ideo si quis illam falsificaret in materia, pondere, vel forma, incideret in crimen læsæ maiestatis, si esset subditus illius Principis, & non subditus committeret falsum, & furtum graue; sed vlterius officinæ nummariæ aliorum Principum faciunt experimentum illorum nummorum, tàm aureorum, quàm argenteorum, & postea in eorum edictis illos appretiant in eorum dominio, iuxta quantitatem, & qualitatem auri, & argenti.

90 QVAERO duodecimo, ad quem spectet imponere pretium monetis?

Respondeo, distinguēdo duplicem vsum, seu functionem pecuniæ. Primus vsus est emptio actiua, quando pecunia emimus alias res, & iste dicitur vsus proprius. Secundus est emptio passiua, quando pecunia ipsa emitur alia specie pecuniæ, & iste dicitur vsus improprius.

In primo vsu, nempè in moneta actiua emente, concludo sine controuersia, eius pretium, & valorem imponendum esse à lege, seu Principe, cuius iussu, & auctoritate moneta cuditur, vt apertè sentiunt Card. Caiet.tract.de camb. cap.6.sub num. 3. ibi, nec obstat. tom.6.par.1.fol.406.Couar.tract. de veter.collat. numism. cap.7. sub nu. 3.concl.2.& sub num.4.& 5.ibi, idcirco poterit. tom.1. fol. 704. & 705. Mich. Sal.ad D.Thom.2.2.post q.78.in disput. de camb. q.3.art.1.sub num.3.& 4.tom.2.fol.534.Io. Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit. de camb.cap.3. in vltimis verbis, & scribit clarè Tess.Iun.tract.de monet.par.1. sub num. 16.concl.2.& sub num.68.& apertius par.2. num. 13. & communiter omnes, & ab his non discrepat Romoal. Coli tract. de camb. cap.17.vers.per intendere. quem retuli infra sub num.94. & satis patet, quia eius auctoritate promulgantur vbique cridæ, & edicta de monetis.

91 Declara primo hanc conclusionem, vt Princeps, volens imponere iustum pretium, debeat ex generali consuetudine, & ex his, quæ dixi supra sub num.82. & seqq.æstimare monetam iuxta copiam metalli, in quo cuditur moneta, ita vt, dempta etiam Principis æstimatione, idest, dempto publico signo, Principis auctoritate impresso, adhuc illa moneta in massa esset eiusdem valoris, detracto aliquo modico pro impensa, quæ ad cudendā monetam requiritur, iuxta ea, quæ scripsi sup.sub n.87. vers.contra. quare tempore, quo scripsit Sot.infra citatus, ducatus in Hispanijs valebat vndecim regalibus argenteis, quia, considerata copia vtriusque metalli, quæ illic erat, hæc fuit legitima æstimatio: at in Italia æstimabatur duodecim carolenis, Sot.de iust.& iur. lib.6. q.9. art. vnico, col. 2. initio, fol. 607. quòd si Princeps, hac ratione non seruata, monetæ imponeret valorem, excedentem pretium metalli, tunc eius moneta, quia non esset iusti ponderis, vel non esset probæ materiæ iuxta ea, quæ scripsi supra nu.82.careret commercio, per ea, quæ dixi supra num. 88.

92 Declara secundo, vt Principis edictum, seu lex, imponens pretium monetæ, quæ eiusdem Principis iussu cuditur, liget subditos ipsius Principis, aliosq; in suo dominio monetam illam contractantes; non autem eos, qui in alterius Principis dominio monetam illam negotiantur, quia illi ligantur lege condita ab illo Principe, in cuius dominio monetam soluunt, vel recipiunt; quare videmus, quòd Princeps, & Resp. imponit pretium non tantum monetæ propriæ, sed etiam monetis alienis, sicq; cuiusque Principis iussio vires non extendit vltra Principis iubentis statum.

93 Declara tertio, vt populus aliquando ex vsu mutet monetæ valorem, à Principe impositum, hancq; mutationem sæpe faciunt Genuenses in scutis argenteis: & vbi populus, sciente, & tolerante Principe, mutat, attenditur valor mutatus; alias attenditur valor impositus à Principe, vt dixi sup.n.48.

Et hæc de primo vsu, de quo sup.sub n.90.

94 In secundo vsu, nempe in moneta passiua, idest, moneta emenda, Doctores communiter concludunt, quòd Princeps, imponendo valorem monetæ, non se intromittit de valore in hoc secūdo vsu; aut enim præsenti moneta emitur moneta absens per viā cābij de vno ad alium locum per litteras, præsertim nūdinarias, de quo cambio, & litteris nundinarijs satis egi §.præced.q. 5. nu.45.& seqq. & q.7.par.1, num.6.& seqq. ferè per totam; & tunc eiusmodi cambij, seu commutationis pretium videtur spectare ad arbitrium sapientum, qui considerent qualitatem, & abundantiam numismatum, vt scribit Card. Caiet.

Caier.tract.de camb.cap.6 num.3.in fine, tom.6.par.1. fol.406.& latius explicaui gl. seq.num.13.& 14. quasi valor pecuniæ absentis quantus sit propter expensas, & pericula committatur arbitrio sapientum,idest, bonorum virorum, qui omnia rectè considerent: aut emitur moneta præsens, tanquam merx,cum moneta præsenti,& tunc numisma poterit vendi,& emi vltra,& citrà pretiũ taxatum à lege,dũmodo id, in quo receditur à pretio per legẽ,seu per Principẽ imposito,sit exiguum, Couar.tract.de vet.collat. numis. cap.7.sub n.3.in 2.concl. quia numisma habet taxatũ pretium in sui primo vsu, de quo scripsi §. præcedenti, q.7.par.1.num.61. & quoad hunc vsum nulli licet transgredi eius æstimationem, à lege taxatam, sed in hoc altero eius vsu improprio, de quo etiam dixi eod.num.61.& 62. non habet taxatum certum valorem, Couar.eod.cap.7.num.4.in 3. conclus. tom.1. fol.704. &, quòd aliud sit valor nummi,& aliud æstimatio accidentalis nummi; siquidem valor nummi datur à lege Principis, qui taxat pretium monetarum; sed æstimatio accidentalis, quæ oritur ab occasionibus, & accidentibus temporis, est illa, quæ iudicatur à prudentibus, & peritis in arte negotiandi, hancq; accidentalem æstimationem obseruent negotiatores cambiorum, scribit Romoal. Coli tract. de camb. cap. 17. vers. per intendere. &, quòd habens nummos auri obryzi,possit eos vendere, aut permutare, veluti nummos, & fragmenta auri, & plus aliquid, quàm valeant, accipere ab eo, qui eis indiget ad inaurandum, curandum,& similia,si illud plus ex materiæ suæ bonitate reuera valeant, aut eò, quia venditor, vendendo,amittit aliquam commoditatem, scribit, loquendo de lege, quæ prohibeat mutationem pretij pecuniæ, Nauar. in cap. nauiganti. num. 20. vers.credimus. post vers.decimoquarto.de vsur.& idem in effectu,si illud plus iusto pretio sit exiguum, scribit Sot. de iust.& iur.lib. 6.q.9.art.vnico,concl.1. col.2. fol.607. reprobans argumentum Ioannis Metinensis de non excedendo pretio, quo taxatum est frumentum, & scribit etiam Couar.d.cap.7. sub num.3. in secunda conclus.& adde,quæ, loquendo de cambio minuto, scripsi infra num.124. vers.declara. Et,quòd negotiator cambiorum possit commutare aureum cum quatuordecim, seu tredecim iulijs Italis, vel regalibus Hispanicis,quamuis Principis,seu Reip. auctoritate valeat solum duodecim iulijs, seu regalibus, quia lex Principis, vel communis æstimatio,taxando pecuniæ æstimationem, taxat illam, vt est pretium rerum venalium,non autem vt ipsa est res quædam per se vtilis, & commoda ad multa, scribit, soluendo hac distinctione quasdam obiectiones, Io.Azor.de instit.moral. par.3. lib. 10. tit.de camb.cap.4.q.4. in secunda opinione, Et quòd nemo cogi possit ad dandum maius pretium, quàm sit taxatum à Republica pro moneta;loquẽdo de moneta in suo vsu principali; & tamen propter alium secundarium vsum, & singulare interesse iustè possit aliquid amplius accipi, scribit idem Nauar. in man.confess.cap.17. nu.288. versus finem, & quòd aurei eo respectu,quo sunt merx, & campsibiles, seu commutabiles,& quoad effectum vendendi volenti eos emere, præsertim data eorum penuria,possint vendi maiori pretio, quàm sit à Republica statutum, & quòd in Vrbe, quamuis pretium scuti aurei, à Principe expressè statutum, sint vndecim iulij, & tacitè per consuetudinem ascenderit ad vndecim cum dimidio. tamen propter penuriam soleat cum quærẽte scutos aureos in auro commutari, additis vno, duobus,vel tribus obolis, siue baiocchis,licet nemo cogatur illo pretio accipere, scribit idem Nauar.eod.cap.17.num.295. vers. in num. 63. & in d.cap.nauiganti. num.58.vers.quare noui.& sic impositio pretij,facta à Principe, esset forsan etiã quoad hunc secũdum vsum obseruanda post factam commutationem, seu emptionem, nullo inter contrahentes conuento pretio, &, ipsis contrahentibus discordantibus, ita, quòd emens nolit monetam emere maiori pretio, quàm sit à Principe taxata; secus,ipsis contrahentibus concordibus; sicq; pretium monetæ in isto secundo vsu videtur, sicut aliarum rerum, & mercium, spectare ad ipsos contrahentes; & in hoc videntur Doctores communiter conuenire;vnde nos in simili videmus,quòd etsi pretium scuti marcharum imponatur à Magistratu, ad id deputato, vt dixi gl seq.num. 13.& 14. & illud pretium dicitur, *al conto*, & illi pretio stare debent, qui, nullo inter se pretio conuento, cambirent, seu cambiorum interesse prætenderent; tamen possunt contrahentes de certo pretio vltra, & citra impositum conuenire, vt dixi §.præced.q.5. num.70.& q.7.par.2. ampliat.10. num.60. & seqq.

95 Ego, aliquantulum discedendo ab hac communi traditione, distinguo duos casus.

Primus casus est, an Princeps, imponendo valorem, & pretium monetæ, censeatur illum imposuisse tàm monetæ actiuæ, idest, in primo vsu, prout est ordinata ad emendum res, & merces; quàm monetæ passiuæ in secundo vsu, prout, vti merx, potest emi, & vendi.

Secundus casus est, an Princeps possit, si velit, imponere pretium monetæ etiam passiuæ, idest, in eius secundo vsu, prout est merx, & pretium impositum excedi non possit.

In primo casu concludo cum communi opinione Doctorum supra citatorum, quòd Princeps, imponendo simpliciter pretium monetæ, censetur illud imponere solum quoad primum vsum, prout moneta illa est ordinata ad emendum actiuè; & non quoad secundum vsum, prout ipsa tanquam merx emi potest, ideoq; prohibitio, quam Princeps faceret, ne illa monera possit expendi vltra taxationem, neque possit recusari pro illa taxatione, non habet locum in moneta, considerata in secundo vsu.

96 Amplia hanc conclusionem, vt procedat etiam si Principis lex, seu edictum post valutationem monetarum vteretur eiusmodi generalibus verbis prohibitiuis, vt in edicto Genuensi, *ordinando, & commandando, che ogni persona, di che stato, grado, qualità, & conditione si sia, debbia osseruare le valutationi delle monete, di sopra dichiarate, ne eccedere in qualsiuoglia modo il prezzo, ad esse come sopra statuito, sotto pena della perdita della moneta, che si fusse data, ò spesa, presa, ò riceuuta, contrattata, ò negotiata, ò della valuta di essa moneta*; quia moneta adhuc

96 posset emi, & vendi pro maiori pretio; ideoquè licet hoc edictum nummarium videatur prohibere, ne scutus auri in auro Italiæ possit contractari, & negotiari pro alio valore, quàm pro lib.4.sol.7.d.6.monetæ Genuensis; tamen poterit vendi, & emi maiori pretio; quia etsi illa verba: *contrattata, ò negotiata*: sint generalia, & comprehendant monetam etiam quoad secundum vsum, prout est merx; tamen dicta verba non sunt posita inter verba dispositiua, sed inter executiua, ideoq; non operantur, & sic non alterant dispositionem, quæ est circa monetam in primo vsu, videlicet, monetam ementē, in qua loquitur dispositio illius edicti, & verba dispositiua debēt attēdi, per ea, quæ in alijs terminis scribūt Natt.consf.372.in quæstione.n.14.& 16 & latius consf.582. verba. n.1.& seqq.Bec.consf.24.cum magnificus.n.21.& consf.111.etsi perlectis nu.25.& consequenter toleranda est potius superfluitas dictorum verborum, quàm dispositio in supposito, Surd. decis.195. admisso sub num. 9. vers.& non obstat. & dixi in meo tract. de iudic.caus.&c. lib 2.cap.2. sub nu.632.quare dum illud edictum mandat, quòd monetæ non possint expendi alio pretio, quàm statuto in edicto, tunc disponit, & postea, dum contrafacienti imponit pœnam, tunc respicit executionem; sed prædicta verba: *contrattata, ò negotiata*, sunt inter verba pœnalia; ergo non operantur in supposito.

97 Infero ex hac conclusione, sic ampliata, quòd campsor cambij minuti vendendo pecuniam campsuario, potest illam pluris æstimare, quàm sit æstimata à Principe, hoc est, potest pro suo obsequio, & opera, quam campsuarijs in illo ministerio locat, aliquam mercedem iustam, & honestam, seu lucrum accipere, vt, loquendo in campsore publico, seu Reip. ministro, scribunt Conrad. tract. de contract.q.99.concl. 12.in 2. probatione, Siluest.in verbo, vsura.4.§.7. Medin. in suis tract.tom.2.tit.de reb. per vsur. acquis. q. 6. vers.si dicas. col.3.ibi. confirmatur hoc. fol. 363.&q.9. initio, fol. 373. Nauar. in man. confess.cap.17 sub num.288. vers. in 19. & 20. Couar.tract.de vet.collat.numism. cap. 7.sub nu.4. vers.præsertim. fol.704. tom.1. & in hoc nemo dissentit, &, loquendo in campsore priuato, idest, nō deputato à Rep. scribunt idem Conrad.ead.concl.12.& conclus.5.Medin. vbi sup.Sot.de iust.& iur.lib. 6.q.9.art.vnico, concl.2. versus finem, fol. 608. Nauar. & Couar. in locis supra proximè citatis, idem Nauar. in cap. nauiganti. sub num 19.vers.decimoquarto. de vsur. & in isto cāpsore intelligo, vt loquantur etiam Card.Caiet.tract.de camb. cap. 1. sub nu.1. tom.6.par.2.fol.405. Card.de Turrecr. in cap.nec hoc.num.3.& 4.14.q.4.& Io.Azor. de instit. moral. par.3. lib.10. tit. de camb. cap.4.q.2. dum Caiet. loquitur in campsore ad differentiam singularium hominum non campsorum, Card. de Turrecr. dum loquitur simpliciter de campsore, & Ioan. Azor. simpliciter in negotiatore cābiorum; quicquid dixerint Sot.& Couar. vbi supra, scribentes, quòd Caietanus tenet, licere solum

solum illis, qui à Rep. ad id munus sunt electi; nam Caiet. non se restringit ad campsorem, electum à Rep. sed loquitur simpliciter in campsore, qui exercet artem campsoriam, Reip. ministrando, cuius campsoris duplicem nos constituimus speciem; & in hoc stat fallacia Soti, & Couarruuias, qui campsoris nomine intelligunt solum illum, qui constituitur à Rep. & quod dicunt Sot. & Couar. procedit in terminis extensionis, de qua infra sub num. 101. vers. extende.

Rationes, quare liceat campsoribus plus vendere, seu accipere, sunt illæ, quas adduxi, & secutus sum §. præcedenti, q. 1. num. 424. & seqq. & q. 7. par. 1. num. 44. & seqq. & in nostris terminis Caiet. Conrad. Sot. & Azor. supra proximè citati.

98 Quantò pluris campsores vendere possint monetam, vide infra num. 123. & seqq.

99 Restringe primo hanc illationem, vt non procedat in campsore, salariato à Rep. Romoald. Coli tract. de camb. cap. 4. vers. nota secundo. & expedire Reip. vt ex publicis redditibus soluatur aliqua merces ei, qui tale munus exercet, & in Regnis Hispaniæ sancitum esse, quid pro permutatione pecuniarum accipi possit, scribit Nauar. in cap. nauiganti. num. 19. vers. decimoquarto. de vsur.

100 Restringe secundo, vt non procedat in persona priuata, quæ non sit campsor, seu negotiator cum taberna, sed faciat aliud exercitium, quia si contingat, vt is aliquando commutet, vtique, cum pro illa commutatione nullam faciat impensam, nullumvè suscipiat laborem, iustè aliquid exigere non potest, Card. Caiet. vbi supra, quem sequitur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 3. art. vnico, sub num. 11. vers. hæc perspicua. & vers. seq. fol. 539. to. 2.

Ratio huius restrictionis est, quia in campsore sunt labor, & industria, pro quibus debetur ei merces; at in priuato remanet solum actus numerandi, qui non est mercennarius, sed gratuitus, & ideo non consideratur, quia contingit sępè, minus numerare campsorem, quàm accipientem; vnde potius accipienti, quàm campsori deberetur merces, si attenderetur iste actus numerandi, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. sub num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 405.

101 Contra hanc restrictionem tenent Conrad. & alij, quos citaui supra num. 97. vers. infero. & citat etiam Io. Azor. d. cap. 4. q. 6. vers. secunda sententia. sed ipse fœdere distinctionis nititur conciliare hanc contrarietatem, vt restrictio procedat quoad illam mercedem, seu lucrum, quod debetur ratione publici officij, sicquè non possit priuatus capere tantum, quantum potest publicus; rationibus ab eo adductis: contraria verò opinio procedat respectu pretiosioris, commodioris, & vtilioris pecuniæ, quam priuatus daret, & respectu alicuius laboris, quem in hoc susciperet; quod idem repetit in priuato, qui cambit per litteras, cap. 5. q. 7. & cap. 6. in fine, q. 5. hocq; idem in effectu ante eum dixerunt Conrad. de contract. q. 99. in 5. conclus. & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 6. in fine, corolI. 3. vers. sequitur etiam. fol. 365.

Adde quæ scripsi infra num. 106. vers. infero. & §. seq. gl. 3. num. 3.

Retenta, si placet, restrictione.

Extende eam, vt, attentis Ciuitatum ordinibus, qui solent mandare etiam sub pœna, ne artes, & alia quædam exercitia fiant in Ciuitate, nisi ab ijs, quos superior, seu Consulatus artis admiserit ad illam artem, seu exercitium, inter quas artes, seu exercitia connumeratur ars campsoria, etiam ad minutum, & proinde Romæ, vbi sunt eiusmodi ordines, soli Bancherotti, qui sunt admissi, possunt exercere artem cambiendi ad minutum, & alij non admissi, si eam quoquomodo exercerent, non solum non deberent aliquid accipere, sed vlterius inciderent in pœnas statutas à Ciuitate, seu Superiore.

Circumscripta autem hac extensione.

Subrestringe primo eãdem restrictionem, vt non procedat, quando commutãs numismata, minus dat, eò, quia numismata, quæ ipse dat, sibi commodiora erant; sicut licet rem ex eo, quòd vendenti commodior est, carius vendere, quàm absolutè valeat; vnde habens ducatum aureum, si à volente commutare paruam monetam, pro illo solidum vnum exigat, quia ille sibi commodior, non peccat, Caiet. tract. de camb. cap. 6. sub num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 406. & facit, quod de re vendenda secutus sum §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 62.

Secus si hæc commutatio sit vtilis quidem quærenti commutationem, sed commutanti sit indifferens, quia tũc non ex eo, quòd quærenti est vtilis, potest commutans minus dare; nam sicut ementis commoditas non auget pretium; ita neque vtilitas quærentis

commutationem habet rationem augendi pretium rei commutandæ, Mich.Sal. d.q.3. art.vnico, sub num.11.vers.sed hac occasione. fol. 540. & facit, quod de re vendenda scripsi ead.ampl.10.sub num. 60. & 61. vbi videas.

Subrestringe secundo, vt non procedat, si cum moneta vilis metalli cõmutaret monetam pretiosi metalli, puta, purissimi auri, quod valet ad multa alia præter legalem valorem, quia si in hac commutatione exigeretur aliquid exiguum vltra valorem legalem pro illa moneta pretiosa ratione metalli, & prout res est, non esset damnandum etiam in priuato, per ea, quæ scripsi supra sub num.94.& infra gl.5. sub num. 117.

102 In secundo casu concludo affirmatiuè, quòd Princeps potest imponere pretium monetæ etiam passiuæ, idest, in secundo vsu, prout est merx; & moueor, quia Princeps omnia potest, & nemo auderet ei dicere, cur ita facis? vt in alio proposito dixi §. præcedenti, q.7.par.2.ampl.19. num. 39.& certè potest, quando, quod agit, iustè agit, maximè si publicam respicit vtilitatem, 103 † quia Princeps, alijq; Reges dicuntur tutores publici status, Senec. de clemen. lib. 1. cap. 4. sed, imponendo pretium iustum monetæ, etiam vti merx est, iustè agit, & respicit publicam vtilitatem: ergo. imò ex quò moneta est merx, & res venalis, vt scribunt Doct. quos citaui §.præcedenti, q.4. nu.29. & 30. & sentiunt ij, quos citaui hic supra num.94.

104 † & Princeps non solum potest rebus venalibus imponere pretium, delegando hanc curam alicui, vt in l.1.§.vlt. cura. ff.de offic. præfect.vrb. cum ad Remp.eiusq; Gubernatores (pensatis necessitate mercis; copia, & inopia; eiusdem negotiationis labore, cura, industria, periculis; venditorum, atque emptorum frequentia) spectet, sua singulis mercibus pretia statuere, Sot.de iust.& iur.lib.6. q.2.art.3. vers.ad hanc.col.2. fol. 567. sed imò, si sit Princeps ecclesiasticus, qualis est Pontifex respectu totius orbis, & quilibet Episcopus respectu suæ diœcesis, debet hanc curam habere, per ea, quæ notant Canonistæ in cap. 1.de empt.& vendit.& scripsi §. præcedenti, q.7.par.1.num.54.& quòd ad Principem spectaret imponere pretium cambijs, scripsi gl.seq. nu.16. & nulla in hoc sumenda est disputatio; 105 † quare iuxta hanc conclusionem constitutio Regis Hispaniarum in Regno Castellæ, taxãdo pretia pecuniarum, & præcipiendo, ne illa vllo titulo augeri possint, his vtitur verbis: *que no passen, ni se vendan, ni commuten per mas en manera alguna, so las penas, &c.* vt refert Mich. Sal. ad D.Thom. 2.2. post q. 78. in disput. de camb.q.3.art.1.num.13.concl.5.& vers.probatur. & lex Caroli V. præscripsit pretium moderatum, quo campsores suorum Regnorum cambirent, quamuis vsu recepta non fuerit, Nauar. in man.confess.cap.17. num. 290. vers.& quòd attento. in fine.

106 Infero ex huius secundi casus conclusione, Remp. & Principem posse interdicere cãbia minuta inter personas priuatas, prout lege cautum iamdudum esse in Hispania, hancq; legem, si recipiatur, obligare in conscientia sub reatu peccati mortalis, & eum, qui cambiret vnam monetam pro alia supra legalem æstimationem, fieri restitutioni obnoxium, scribit Sot.de iust.& iur.lib.6.q.9. art.vnico, in fine. concl.3.fol. 608.

107 Extende primo hanc conclusionem, vt procedat etiam in scutis marcharum, quæ emuntur, & venduntur in nundinis, seu pro nundinis per viam cambiorum, & recambiorum, iuxta ea, quæ scripsimus §. præced. q.5.sub num.53.& seqq. & sæpè alijs in locis, quia etsi illi scuti sint ficti, & imaginarij, & consequẽter alicui Principi damnum non inferatur, cum eiusmodi moneta nullius sit Principis, tamen omnes Principes de iniusto pretio conqueri possunt, quia ex hoc pretio multi & in magna quantitate possunt lædi; imò, si circa aliarum rerum, & mercium pretium cura Principis esset voluntaria, circa pretium istorum scutorum deberet esse necessaria. Sed difficilis est res, quia in emporijs pretia mercium variantur ex copia, & inopia ipsarum mercium, quam copiam, & inopiam noscunt solum ij, qui in illis mercibus negotiantur: vnde cum Princeps à peritis informationem sumere debeat, res redit ad eosdem.

108 Subextende hanc extensionem, vt ad Principem ecclesiasticum, qui est summus Pontifex, spectet non solum imponere pretium cambij, magis quàm pretium aliarum mercium, vt dixi, sed ad eundem spectet decernere de modis, & qualitatibus, quibus contrahi debeat cambium, præsertim nundinarium, tum quia iste contractus cambij præ cæteris omnibus alijs impotentis debitoris substantiam crudeliter deuorat, concurrendo circulari superfœtatione interesse

in capitale, vt scripsi infra §.6.gl.1.num.17. & §.7.gl.2. nu.39. & 40. tum quia iste contractus cambij est valdè suspectus de mutuo vsurario, vt ostendi §.præcedenti,q.7.par.1. num. 21. & seqq. & alijs in locis; & mutui vsurarij prohibitio procedit à lege naturali, & diuina, & præsertim à lege CHRISTI, vt ostendi §. præced. q.1.num.401.& seqq. & ad Papam, vti Christi Vicarium, spectat cognoscere,an & quando contractus cambij contineat mutuum vsurarium, quia ad ipsum spectat interpretatio iuris diuini,vt in alio proposito scribit Albert.tract.at. de agnosc.assert.cathol.q.21. num.37. & seqq. tom.11.pat.2.fol.72. & scripsi in meo tract. de iudic.caus.&c. lib.2. cap.9. num. 382.& seqq. Et licet Pij IV. & V. legem propterea huic contractui præscripserint, tamen, succrescente hominum malitia,hodie plura forsan insurgunt dubia,quàm forsan insurrexerint tunc temporis; vnde, si summus Pontifex clarius declararet, multum Christianorum conscientijs, animarumq; saluti consuleret, sic etiam ipsis negotiatoribus desiderantibus.

Extende secũdo, vt vbi Princeps pretium imposuerit, campsor illud in campsuarij damnum alterare non posit; quia etsi ipsi pecuniam, vti mercẽ, negotientur,tamen,& vti merx, est à Principe æstimata, vnde sicut frumentum,lege ęstimatum,pluris vendi,vel permutari non potest, ita neque pecunia; & certè de hac extensione non potest dubitari, quia alias vana redderetur conclusio, quam posui supra num.102.& seqq.

110 Restringe primo hanc extensionem, vt quandoque procedere non posit in pretio, imposito monetæ aureæ,nẽpè quãdo magna summa monetæ aureæ soluenda sit, & aureæ monetæ sit inopia, & eorum, quibus solui debet, multi interesse posit, si in alia solueretur moneta; cum moneta aurea sit minus grauis, minori includatur spatio, facilius transportetur, citius, & securius numeretur, vt scripsi etiam infra glos.5. sub num. 117. eiusq; materia sit semper pretiosa, & ad plurima alia vltra commoditatem expendendi sit vtilis, vt dixi §.præcedenti, q.4 num.28. & tandem propter eiusmodi commodiores, & vtiliores vsus, ij, qui merces vendunt, sæpe cariori vendant pretio, si eis soluatur moneta argentea, aut ærea, quàm si aurea, vt dixi infra sub nu. 116. quia isto casu possumus, soluendo aureæ monetæ valorem, recedere à pretio, per Principem monetæ aureæ imposito, per ea, quæ scripsi d.q. 4. nu. 28 † Nec in isto recessu considerandam

111 censeo,vt Doct.malè videntur arbitrari, copiam, vel inopiam auri, sed solum interesse creditoris, vt dixi; nam copia, & inopia rerum, seu mercium æstimandarum est consideranda, quando illis mercibus pretium imponitur, sed postquàm est impositum, & creditori ex non traditione mercium, sibi debitarum, interesse emergit, non est consideranda copia, vel inopia mercium, sed interesse, quod verè emergit, & quamuis hoc interesse sit difforme, ita vt pluris intersit vnius, quàm alterius; nam maius patitur interesse, seu damnum, qui sub pœna,quàm qui sine pœna auream monetam soluere tenetur; tamen mercatores, & negotiatores monetæ aureæ emendæ pretium ad vnam vniformitatem reducunt pro omnibus, & illud sub hoc copiæ, & inopiæ auri prætextu augent, & minuunt ad eorum arbitrium, illudq; esse Plateæ pretium constituunt; vnde ij, qui plurium, & in magna summa monetæ aureæ sunt creditores; conficta auri penuria, maiorem satis consequerentur solutionem,quàm eis sit debita: quod si ita esset, occurrendum esset huic fraudi.

Infero notabiliter ex hac restrictione, dum dixi, in moneta aurea emenda vix aliquando stari posse pretio, à Principe imposito, infero inquam, ex hoc, quòd si obligatus soluere in ciuitate Genuæ scutos 5000. auri in auro Italiæ, offerat soluere illorum valorem in scutis argenteis Genuensibus, quorum valorem Resp.ęquauerit valori scutorum auri in auro Italiæ, & hos scutos argenteos offerat, eò quia scutos aureos non habeat,neque qui eos sibi vendat, inueniat, & ad cogendum,vt quis eos sibi vendat, officium iudicis non competat;& creditor illos accipere recuset, cum scutus argenteus Genuensis in valore currenti expẽdatur minori pretiõ,quàm scutus aureus; & consequenter creditor pateretur dãnũ; poterit iudex, super hac discordia aditus, debitorem alternatiuè condemnare ad soluendum scutos 5000.auri in auro Italiæ iuxta obligationem, vel illorum valorem currentem, quamuis sit maior illo, qui est à Republica impositus; & ita condemnando, non dicetur contrauenisse, seu iniuriam fecisse pretio, imposito à Republica; & dico amplius, quòd quoquo modo aliter ferret sententiam, seu debitorem con-

condemnaret, iniustitiam faceret, vt modò, adducendo casus condemnationis, ostendam.

112 Aut enim condemnat debitorem ad soluendum in alia specie monetæ, puta, in scutis argenteis, seu simpliciter ad soluendum valorem scutorum auteorum, à Principe in eius edicto taxatum; & isto casu iudex infert grauamen, facitq; iniustitiam creditori; quia omnes, attenta etiam consuetudine, concordant in hoc, quòd debitor in certa specie pecuniæ non possit soluere in alia specie, etiam æquiualenti, inuito creditore, qui in illa alia specie damnum pateretur, l. 99. paulus. & ibi Bar. num. 3. & alij communiter, ff. de solut. Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 15. ibi, aut fuit simpliciter de iureiur. Papien. in pract. in form. libell. in act. hypoth. in glos. relaxandum. num. 2. versus finem, fol. mihi 772. Mart. Lauden. tract. de monet. sub nu. 5. & num. 24. Curt. Sen. eod. tract. num. 23. Alber. Brun. tract. de mon. augm. in 2. præsuppos. sub num. 1. 2. 3. & seqq. & præsertim sub num. 5. ibi, & prædicta. tom. 12. fol. 203. & seqq. Couar. tract. de vet. collar. numism. cap. 7. §. vnico, num. 1. Boss. tract. crim. tit. de monet. num. 2. Neuiz. cons. 49. ex sententia. num. 14. ibi, facit quia. Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de solut. conclus. 2. in fine, limit. 8. num. 28. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 13; &, quòd debitor non possit soluere in alia forma, quàm in pecunia mutuata, si intersit creditoris, scribit Thom. Parpal. in l. cum quid. nu. 26. vers. & in quantum. in fine, ff. si cert. pet. inter Repeten. tom. 2. fol. 52. &, quòd debitor debeat speciem pecuniæ, quam debet, emere omni pretio, & creditor possit reperire amicum, habentem illam speciem pecuniæ, & dicere debitori; emas istam pecuniam, & satisfacias mihi, scribit Tess. Iun. tract. de monet. augm. sub num. 80. & 81. par. 1. Imò Rebuff. ad constit. Franc. tract. de litter. obligat. art. 5. gl. 1. sub nu. 5. vers. si verò. tom. 1. fol. 125. sentit, solutionem esse faciendam in moneta promissa, non aliter considerato, an creditor sit, vel non sit damnum passurus, licet prius sub num. 3. vers. quid si debitor. consideret, an creditor sit damnum passurus, quod æquius videtur, & pro plena huius propositionis explicatione adde quæ scripsi infra gl. 5. num. 102. & seqq.

113 Sed creditor, cui soluerentur scuti argentei, pateretur damnum, tum quia scutus aureus secundum valorem currentem est pretiosior, vt dixi supra sub num. 111. vers. in fero. & infra sub num. 116. vers. quia: tum quia eius valor latius se extendit, quàm valor scuti argentei, siquidem scutus aureus expenditur in tota Italia, & extra, non autem scutus argenteus: Ergo eiusmodi sententia, seu condemnatio grauaret creditorem, ideoque esset iniusta.

114 Aut condemnat debitorem ad soluẽdum præcisè scutos aureos, quos si nõ soluat, mãdat eum carcerari; & isto casu grauat, facitq; iniustitiam debitori dupliciter: primo, quia si eos non habeat, neque possit habere, condemnaret eum ad impossibile, ad quod nemo tenetur, l. 145. impossibilium. ff. de reg. iur. ideoque ad id condemnari non potest; hincq; est, quòd licet obligatus præcisè ad aliquod factum, à qua obligatione propterea se per præstationem interesse eximere non possit, vt puta, quia ita disponat lex, prout disponi lege regia Hispanica, scribit Io. Guter. tract. de contract. iurat. cap. 39. de obligatis ad factum, num. 5. vers. iure tamen. tom. 6. pat. 2. fol. 85. vel quia sit obligatus cum iuramento, per ea, quæ sequitur idem Guter. eod. cap. 39. num. 6. cogatur præcisè adimplere, si id facere possit, vt loquitur idem Guter. sub d. nu. 5. in pluribus locis, & præsertim vers. quarto pro hac. & vers. quãuis vtrobique in fine, tamen secus est, si non possit, quia tunc is, qui iurauit facere, & non facit, non est periurus, & excusatur, cap. 10. quetelam. & ibi Gl. in verbo, necessitate. & cap. 17. breui. & ibi Gl. in verbo, difficultas. de iureiur. Corset. tract. de iuram. &c. q. 8. priuil. 15. sub num. 40. tom. 4. fol. 362. & Io. de Selu. tract. de iureiur. par. 3. q. 1. fallen. 21. num. 62. eod. tom. fol. 353. & adde quæ scripsi infra glos. 5. num. 130. Quòd autem in casu nostro debitor non habeat, est supponendum in facto, & quòd non possit habere, patet, quia qui sibi eos vendat, non inuenitur; nam vel vult eos emere pretio edicti; & tunc venditor non inuenitur propter modicitatem pretij, attento maiori valore currenti; vel vult eos emere pretio currenti, & minus inuenitur propter timorem pœnæ, impositæ ab edicto: & hæc quoad primam iniustitiam: † Secundo grauat, & facit iniustitiam, quia omnis iustitia, omnisq; æquitas postulat, vt debitor, qui non potest soluere in forma præcisa, in qua est obligatus, valeat, se liberare, soluendo in æquiualenti, & suf-

& sufficere debet, quòd ipse alleget, sibi difficile esse, adimplere in forma præcisa, & ideo offerat satisfacere de eo, quod interest ob nō adimplementum, & creditor, qui tunc aliud peteret, esset in malitia, Io. Guter. d. cap. 39. num. 5. versus finem, vers. quamuis. fol. 85. ergo iudex, qui condemnaret præcisè, dupliciter grauaret.

116 Non obstat, quòd hæc sententia videatur contra Principis legem, quæ quantumuis rigorosa est seruanda, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 48. num. 11. & §. præcedenti, q. 1. num. 507. in fine.

Quia respondeo, quòd etsi illa Principis lex, seu edictum taxet pretium tam monetæ emptura, quàm monetæ emendæ, & creditor videretur scutos aureos, sibi debitos, quasi breui manu habuisse à debitore, & postea ei eosdem vendidisse, tamen illud edictum non comprehendit casum firmatæ illationis, quia cum lex debeat interpretari, ne alterum lædat, §. iuris præcepta. Instit. de iust. & iur. hoc edictum, mandando, seruari pretia, in eo taxata, supponit ex necessitate, quòd nemo ex illo pretio iniustè lædatur: sed in casu firmatæ illationis creditor valdè læderetur, quia si vellet, vt potest, emere, seu negotiari extra statum Genuensem, non expenderet scutum argenteum pro sol. 96. vt expenderet scutum aureum; imò etiam in dominio Genuensi non inueniret, qui ei tantam mercem daret pro scuto argenteo, quantam daret pro scuto aureo: ergo illud edictum non potest comprehendere hunc casum, quia læderet ius, & iustitiam creditoris, cogendo eum ad recipiendum solutionem in alia specie, in qua damnum pateretur, nisi eam reciperet in valore currenti: quare loquitur, & procedit illud edictum in cæteris casibus, in quibus non includitur hoc euidens damnum, & iniustitia; & nos omnem interpretationem adhibere debemus, vt lex iniquitatem, & iniustitiam non contineat: hincq; dicimus, quòd summum ius, summa iniuria, vt dixi §. præced. q. 1. num. 18.

117 Confirmatur hæc responsio, dum ad excludendum damnum creditoris dicimus, eum non teneri ad recipiendam monetam in valore, imposito à Principe, quia in similibus creditor non tenetur recipere à debitore monetam, de proximo reptobandam in aliqua parte, quia, si vellet ea moneta aliquid à mercatore emere, mercator, sciens imminere illius diminutionem, vel negabit habere merces, quas petit, vel carius vendet, vt sequitur Neuiz. cons. 49. ex ducali. sub num. 16.

118 Declara primo eandem illationem, dum dixi, quòd creditor scutorum aureorum non cogitur accipere scutos argenteos, vt procedat, etiam si debitum esset annuum, & debitor pro primo, secundo, & tertio anno soluisset scutos argenteos, quia adhuc creditor in sequētibus solutionibus posset debitorem cogere ad soluēdum in scutis aureis, per ea, quæ de citato, qui nō opposuerit de ferijs in alijs citationibus, secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 5. num. 168. & de citato, qui semel passus est, se per rescriptum apostolicum trahi vltra duas dietas, secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 7. sub nu. 86. vers. confirmatur.

119 Nec obstat, quòd in materia valoris monetæ talis præsumatur facta promissio, qualis ostenditur facta solutio, cum nulla possit esse melior declaratio, quàm ea, quæ sumitur ex his, quæ postea re ipsa, & longo vsu seruata sunt, vt sequitur Rot. diuers. decis. 60. seu versus 760. cum alias. num. 1. & 2. in Rom. prætensi census, ven. 11. Decembris 1598. coram R.P. D. Orano inter impressas Lugduni anno 1612.

Quia respondeo, præsumptiones, & declarationes habere locum in re dubia, vt loquitur Rota, at nos supponimus casum clarissimum, in quo cessant præsumptiones; & ita videtur dixisse ead. Rot. diuers. decis. 688. cum sixtus. versus finem, sub num. 6. ibi, nec huic sententiæ. in Aretina pens. ven. 20. Februar. 1598. coram R.P. D. Litta inter easdem impressas Lugduni.

120 Declara secundo (dum dixi, debitorem esse cogendum ad soluendum præcisè in moneta debita, si illam possit habere, alioqui in æquiualenti) vt si sit debitor scutorum auri in auro Italiæ, & velit soluere in duplis auri in auro Italiæ, dicatur soluere in scutis auri in auro, & creditor illam solutionem recusare non potest: & è conuerso, si, deficientibus simplicibus scutis auri in auro, possit habere duplas, debet soluere duplas, & non admitti ad soluendum in alia specie monetæ æquiualentis; quare, si quis debeat scutos 500. auri in auro, & soluat, seu soluere possit duplas 250. dicetur solutio in specie præcisa, quia dupla in pondere, valore, bonitate intrinseca, & extrinseca sunt duo scuti auri in auro.

Declara

121 Declara tertio (dum dixi, debitorem admitti ad ſoluendum in moneta æquiualenti, quando non poteſt habere monetam, in qua eſt præcisè obligatus) vt dicatur eam non poſſe habere, quando eam habere non poteſt in loco, in quo debet eam ſoluere; quare ſi debeat in Ciuitate Aretij ſoluere duplas Hiſpanicas, & in Ciuitate Aretij non reperiantur, ſed reperiantur Genuæ, vel in Hiſpanijs, dico, quòd quoad hunc caſum diceremus, debitorem non poſſe eas ſoluere, quia non reperiuntur: paria enim ſunt iſto caſu impoſſibilitas, vel difficultas; hancq; declarationem habes etiam de mente Rotæ diuerſ.d. deciſ.688. cum ſixtus. num. 5. verſ. quouerò ad ſecundam partem. iuncto initio deciſionis, in Aret.penſ. ven. 20. Febr.anno 1598.coram R.P.D. Litta in impreſſis Lugduni anno 1612.

122 Declara quarto, vt in omnem caſum, in quem debitor non poſſit ſoluere monetam, quam debet præcisè, & ideo eſt admittendus ad ſoluendum æquiualentem, vt tunc teneatur ſoluere æquiualentem, in qua minus diſcedat ab ea, quæ eſt in obligatione: vnde ſi debet ſoluere monetam aureã vnius formæ, & ipſe habeat ſolũ in alia forma, debet potius eam ſoluere in alia forma, quàm admitti ad ſoluendum in alia ſpecie metalli; quòd ſi nullatenus habeat monetã auream, ideoq; ſit admittendus ad ſoluendum in alia ſpecie metalli, debet ſoluere æquiualentem potius in argentea, quàm ærea; tum quia argentum eſt magis proximum auro, quàm ſit aliud metallum, & in habentibus aliquem ſymbolum facilior eſt trãſitus, tum quia contractus eſt lex inter partes, ſed ea, quæ ſunt contra legem, interpretamur, quominus à lege recedamus; ergo ſic etiam interpretari debemus ea, quæ ſunt contra contractum; & pro hac declaratione facit, quod ex Teſſ.Iun.retuli infra gl.5.num.127. ampliat.2.

123 Reſtringe ſecundo eandem ſecundam extenſionem poſitam ſupra num.109. (dum dixi, quòd Princeps poteſt imponere pretium monetæ etiam paſſiuæ in ſecundo vſu cum prohibitione, ne quis illud pretium alteret) vt illa pretij impoſitio, & prohibitio non habeant locum in campſore cambij minuti, publica auctoritate, & ſine ſalario deputato, quia is poterit aliquod exiguum, & licitum accipere à campſuario, qui cambium quærit; nam cum Princeps hoc officium illi conceſſerit ſine ſalario, non eſt veriſimile, quòd voluerit prohibitionem ad illum extendere, vt non poſſit monetæ collybum accipere prò ſuæ indemnitatis conſeruatione; alias illud officiũ eſſet illi damnoſum, quod non eſt dicendum, quia eſſet lex irrationalis: ſecus ſi habeat à publico ſalarium, quia tunc nihil vltra poſſet accipere, etiam ſi pretium eſſet impoſitum pecuniæ ſolum in primo vſu, & non in ſecundo, teſtibus his, quos ſecutus ſum ſupra num.99. reſtrict.1.

124 Declara hanc reſtrictionem, vt, ſuppoſito caſu, in quo campſor poſſit pluris vendere (vt puta, quia pretium ſit impoſitum monetæ in primo vſu tantum, vel quia, ſi ſit impoſitum etiã in ſecundo, campſor ſit à Principe, ſeu Republica deputatus ſine ſalario, & ſic ſuppoſitis terminis habilibus) illud plus, quod campſor pro commutatione, ſeu cambitione numiſmatum poteſt accipere, non debeat excedere id, quod publica auctoritate, ſeu lege, aut communi hominum æſtimatione eſt taxatum, Io.Azor.de inſtit.moral. par.3.lib.10.tit.de camb.cap.4.q.3.& debet eſſe tenue, ne fraudibus locus aperiatur, vt dicunt Sot.de iuſt.& iur.lib.6. q.9.art. vnico, in 2.concl.col.3.fol.608. & Couar.tract. de veter.collat. numiſm. cap.7. ſub num. 4. verſ. tertia concluſio. in fine, fol.704.tom.1. &, quòd illud augmentum debeat eſſe exiguum, ſcribit etiam ſub num.3. verſ.ſecunda concluſio. & de aliquo exiguo loquitur etiam Nauar.in man.confeſs.cap.17. ſub nu. 288. verſ. in 19. & 20. &, quòd nummularius, cum dat monetam auream, & recipit æream, exigat duos, aut tres nummos æreos, cum verò dat æream pecuniam, & recipit auream, accipiat ſibi vnum, aut duos nummos æreos, ſequitur idem Azor. d. cap. 4. q. 8. in fine.

125 Subdeclara hanc declarationem, vt in taxando lucro campſoris pro cambio minuto debeat haberi non ſolum ratio impenſarum in quærendis, parandis, & aſſeruandis pecunijs, iuxta ea, quæ, generaliter loquendo de campſore, retuli, & ſecutus ſum S.præced.q. 7.par.1.num.42. in fine, 44. & 45. & in terminis de campſore cambij minuti ſcribit Io. Azor.de inſtit.moral. par.3. lib. 10. tit.de camb. cap.4. q. 3. ſed etiam alicuius lucri; quare debet ſe nõ ſolum conſeruare indemnem ab impenſis, & laboribus, ſed vlterius debet aliquid lucrari, Io.Azor.in loco ſupra proximè citato, quia quotquot aliquod exer-

exercitium faciunt, intendunt in eo aliquid lucrari; quod lucrum eis debetur, tum vt homines ad exercitia, quæ Reip. vtilia sunt inuitentur, tum vt aliquid pro suis futuris necessitatibus, pro consanguineis, & pro amicis acquirant.

126 Extende eadem declarationẽ, eiusdemq; subdeclarationem, loquentes in campsore cambij minuti, vt habeant locum in cæteris campsoribus,& negotiatoribus cambiorum, quia etiam isti propter eandem rationem impensarum,laborum,& periculi possunt aliquid plus exigere, quàm valeat pecunia commutata, iuxta ea, quæ ex Archiepisc. Floren.Io.de Anan.Io.Bapt.Lup.Laut. de Rodulph.Io.à Capistr.& Nauar.secutus sum S.præced.q.7.par.1.num.42.in fine, 44.45. & q.1.num.424.& illud plus non solum debet correspondere, & æquipollere impensis, & laboribus campsoris, sed etiam debet in aliquo exiguo excedere ratione lucri, quod etiã huic campsori est permittendum, vt dixi num. præced. & ita in specie firmat Io.Azor.d cap.4.q.4. vers. secunda opinio. & quòd isti campsores possint propterea recipere 100. in vno loco, & facere campsuario solui in alio loco solum 95. si ita sit consuetudo generalis mercatorum,& non excedat nimis modum, scribunt Bal.Io.de Anan. & Petr. de Vbal. quos secutus sum d. q.7. par. 1.num.43.

127 QVAERO decimotertio,ad quid teneatur campsor, seu quisquis sit, qui fabricauerit, vel expenderit monetam falsam.

Respondeo,distinguendo aliquot casus,in quibus me breuiter expediam, quia non est materia huius tractatus.

Primus casus est: qua pœna puniatur,qui monetam raserit, tinxerit, finxerit, adulterinam conflauerit, falsamvè fabricauerit: & isto casu, & loquendo de iure communi,dico.pœnas esse varias;nam l.8.quicumque.& l.seq.ff.ad l.corn.de fals.imponunt pœnam falsi, &, si liber est, mandant eum damnari ad bestias; si verò seruus, affici vltimo supplicio; quod aduertit etiam Io. Azor. de instit.moral.par.3.lib.10. tit. de camb. cap. 4.q.10.sed l. 1. C.de fals. mon. imponit pœnam capitis,& l.2.C.eod. declarando, esse crimen læsæ maiestatis, imponit pœnam ignis cum confiscatione bonorum, aliasq; pœnas; verum an hæ ll. C.corrigant citatas ll. ff. & quomodo concordentur, vide Gl. & clarius Salyc. in d.l. 2. sub num.2. oppos.2. C.de fals.mon. & quòd falsificans Regis,vel Principis monetam, incidat in crimen læsæ maiestatis, sequitur Gig. tractat.de crim.læs. maiest.rubr. qualiter & à quib.crim.læs.maiest.committ.q.62. num.1. tom. 11. par. 1. fol.42. Loquendo autem de iure municipali diuersarum Ciuitatum, dico, pœnas esse magis distinctas, & claras, vt videre est in statut. Vrbis lib.2.cap.44.& 45.& in statut. crim.Genuæ lib.2.cap.31.& in statut. Lucæ lib.4.cap.86.& 87. quæ statuta volui adduxisse, quia sunt quasi interpretatiua iuris communis, & ideo cum eorum dispositione multum concordat consuetudo, & praxis, quam iudices maleficiorum in hoc crimine seruant.

128 Et aduerte,quòd falsam monetam dicitur fabricare etiam qui fabricat monetam probam, & iusti ponderis, si is cudendi monetam ius non habeat, ideoq; per legem punitur, Io. Ferrar.in vsib.feud.lib.5.cap.7. vers. monetam. tom. 10.par.2.fol. 116. col. 1. in vltimis verbis. & col.2.

129 Hæc pœna læsæ maiestatis non habet locum contra non subditum, Bal.in d.l.2.in fine, C.de fals.mon.

130 Sed tamen à quouis, & vbiuis locorum hoc delictum committatur, semper est grauissimum, & acrem de eo Principes sumunt vltionem; quare qui hoc delictum committit, is in primis non est tutus in dominio sui Principis,si ibi illud commiserit,quia incidit in crimen læsæ maiestatis, vt dixi: secundo non est tutus, si illud in alterius dominio commiserit, quia delinquens sortitur forum iudicis, in cuius territorio delinquit, quamuis nulla ratione sit eius subditus, per ea, quæ secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 1.cap.40. sub num. 6. & seqq.

131 † imò quia fabricans monetam falsam, dicitur committere plura furta, dicitur committere furtum non solum in loco,vbi monetam illam cudit, sed etiam in dominio Principis, cuius monetam falsificat, quia facile est, vt illam libentius,quàm ceteri,accipiant,qui illius Principis sunt subditi,& sic illud furtum se extendit etiam ad dominium illius Principis, siquidem delinquens dicitur delinquere non solum in loco, vbi committit delictum, sed etiam in loco, ad quem extendit effectum delicti, & non solum vbi initiat,sed etiam vbi perficit, ad notata in varijs quæstionibus per Bat. in l. 3. libellorum.num.7. ff. de accus. & copiosè per Abb. in cap. vlt. num.25.

num. 25. & seqq. de for. compet. & Clar. recept. sent. §. fin. q. 38. vers. vidi. & vers. seqq. quare Dominos Venetos mulctasse, & maximis taleis supposuisse eos, qui eorum monetam falsò fabricabant extra eorum dominium, & in eorum dominium introducebant, refert Tess. Iun. tract. de augmen. mon. par. 1. sub num. 13.

132 Secundus casus est: an & qua pœna puniantur receptatores, participes, & non prohibentes, si prohibere valeant: & in hoc constituo regulam, vt puniantur eadem pœna, qua auctores ipsi puniuntur, vt in eo, qui potuit prohibere, & non prohibuit, dicit text. in l. 9. lege cornelia. ff. ad l. corn. de fals.

133 Tertius casus est: an expendens, seu retinens monetam falsam, & non incidens eam, sit puniendus, & qua pœna: & isto casu dico, mitiori pœna puniri, quàm si fabricasset; quare statutum Vrbis lib. 2. cap. 45. & stat. Genuæ lib. 2. cap. 31. §. adulterinæ, considerata varia monetæ expensæ quantitate, varias minores imponunt pœnas, de quibus hic nobis agendum non est: Tria tamen circa hæc stauta obiter aduertam: Primum, quòd cum hæc statuta non prouideant in casu, quo expenditur minor summa, quàm expressa in ipsis statutis, casus iste remanebit sub dispositione iuris communis, & consequenter, si constabit plenè, vel plusquam semiplenè, illam summam fuisse scienter expensam, erit adhuc puniendus: Secundum, quòd licet de iure communi inter multiplices considerationes, adhibendas ad coniecturandum dolum, seu scientiam expendentis, sit etiam consideranda quantitas monetæ expensæ, hæcq; quantitas cuius numeri esse debeat relinquatur arbitrio iudicis, qui in hoc consideret qualitatem monetæ, an eius falsitas facilè, vel difficilè posset cognosci, & qualitatem personæ, an esset sagax, vel grossolanus; tamen statutum Genuæ, reiectis istis considerationibus, determinat cuius numeri sit quantitas, punienda: Tertium, quòd etsi statuta prædicta puniant expendentem certas summas monetæ falsæ, tamen si daremus casum, vt probaretur, vel præsumeretur expendentis ignorantia, non posset puniri; imò statuta Vrbis loquuntur apertè contra expendentem scienter; & ita censeo, posse interpretari statutum Genuæ; quamuis dici posset, quòd statutum Genuæ vel præsumit præsumptione iuris, & de iure scientiam, vel punit negligentiam, si pœna sit pecuniaria, & tolerabilis.

134 Quartus casus est: an campsor, seu alius, qui dederit monetam reprobam, teneatur restituere, seu supplere iustum pretium illi, cui dedit: & isto casu dico resolutè, quòd sic, etiam si ipse illam monetam ab alio habuisset, Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 167. & sub num. 8. vers. secundo facit, &, nemine citato, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 10. in fine, vers. quid si titius. & etiam si ignoranter dedisset, tum quia ignorantia sua non debet nocere alteri, tum quia damnum, cuius causa est facienda restitutio, ita est damnum, si sit illatum scienter, sicut si sit illatum ignoranter: differentia tamen inter dantem scienter, & ignoranter remanet in hoc, quòd dans scienter, quamuis sit impotens ad restituendum, tamen cum dedit, peccauit mortaliter, cuius pœnitentiam agere debet: sed dans ignoranter, non peccauit, ideoq; si non potest restituere, est absolutus tam à restitutione, quàm à peccato; & hac absolutione absoluimus hanc tertiam glossam.

§. 2. Glos. 4.

A pagamenti di fiera prossima de Santi.

SVMMARIVM.

Tempus exprimitur tàm ex anno, &c. quàm ex alijs qualitatibus, sed debet clarè exprimi, num. 1.

Solutio nundinaria quid sit, num. 2.

Nundinæ nummorum quid significent, quoties fiant in anno, & vbi, num. 3. 4. & 7. Qua fiant auctoritate, num. 5. & 7. Qua de causa fuerint institutæ, num. 6. Quo ordine, num. 7. & seqq. Et de earum vtilitate, ibidem.

Solutiones, quæ fiunt in nundinis, fiunt chirographis, & raro actuali pecunia, num. 6.

Genuenses faciunt nundinas pecuniarum in Ciuitate Placentiæ, num. 7. Habentque magistratum, qui illic præest cambiorum negotiationi, & qui mercatores interueniant, & negotiari possint

possint in prædictis nundinis, num. 8. Quanto tempore duret iurisdictio huius magistratus, & circa quæ versetur, num. 9. & seqq. Ab eorum sententia ad quem appelletur. sub num. 8.

Mercatorum votum in nundinis quo ordine proferatur, sub num. 8.

Scartafacium est liber mercatorum, & quid in eo scribatur, num. 10. Scripta in eo non inducunt obligationem, imò denotant imperfectionem, num. 12.

Acceptationes litterarum cambij in nundinis, quando, & quomodo fiant, num. 10. & 11.

Bilancium in foro nundinarum quid sit, seu quomodo fiat, num. 11.

Pretium cambij pro reditu ex nundinis imponunt mercatores, num. 13. Quid obseruent, vt iustum imponant, num. 14. & seqq. Sed esset imponendum à Principe, &c. præsertim Ecclesiastico, num. 16.

Nundinarum tempore, quæ negotia in eis expediantur, num. 9. & seqq. & num. 17.

1 QVAERO primo, quid significêt illa verba, *à pagamenti di fiera?*

Respondeo, illa verba exprimũt tempus; potest enim tempus exprimi non solum per annum, mensem, diem, & horam, iuxta ea, quæ scripsi supra gl. 1. num. 2. & seqq sed etiam per alias qualitates, vt per bellum, per pacem, & similia, vt in proem. Initit. Verum illud etiam tempus, per istas qualitates expressum, subiacet expressioni per annum, vt dixi ead. gl. 1. sub num. 4. quare illa verba, *à pagamenti di fiera*, signant tempus solutionum: sed quia tempus solutionum, sic simpliciter prolatum, esset nimis generale, tũ quia hoc tempus solutionũ est quadruplex, cum quatuor fiant in anno nundinæ, tum quia eædem nundinæ fiunt quolibet anno, vt dixi infra num. 3. ideo adduntur illa verba sequentia, *prossima de Santi*. & prius in eisdem litteris exprimitur annus, dies, & mensis, vt habes supra in glos. 1. adeo quòd designatur tempus omnino certum, in quo mandatarius soluere debeat.

2 QVAERO secundo, quæ sint istæ solutiones nundinariæ, quibus diximus designari tempus certum?

Vt huic quæsito sine confusione satisfaciam; est in primis videndum, quid sit solutio simplex, & de hoc remitto me ad ea, quæ latè scripsi gl. seq. num. 17. 19. & seqq. &, illis suppositis, dico, solutionem nundinariam, breuiter agendo, esse illam, quæ est destinata in foro nundinarum, & ideo fit in illis nundinis, idest, vulgariter loquendo, *in fiera*, vigore litterarum cambiorum, de quibus nundinis in seq. q. sum acturus.

Quotuplex sit solutio vide in gl. seq. num. 19. & seqq.

3 QVAERO tertio vlterius, quid sit hoc, quod vulgo dicimus, *fiera*?

Respondeo, feria sunt nundinæ, quæ significant locum, vbi fiunt ipsæ nundinæ, & mercimonialis conuentus publicus ad merces emendas, vel vendendas, vnde nundino nundinas, idem est, quod mercor mercaris, Calder. in cap. nauiganti. num. 3. de vsur. & hæ feriæ dicuntur cambiorum, quia in eis campsantur nummi, easvè diuersæ nationes, seu mercatores laudabiliter, & non contra bonos mores diuersis in locis instituunt; nempè hodie Placentiæ in Italia, Lugduni in Gallia, Metinæ in Hispanijs, & Francofurti in Germania; sed diuersis temporibus: Placentiæ enim quater celebrantur in anno, initio ferè cuiuslibet trimestris: Primum trimestre nundinarum cõstituamus illud Apparitionis, quod ita dicitur ab apparitione stellæ, quæ apparuit Magis, licet Rot. Genuen. decis. 23. antonius carcassola. initio, vocet feriam apparitionis trium Regum, cuius apparitionis festum vocamus Epiphaniam, quæ est die sexta Ianuarij, sed tamen hoc trimestre, seu inquam istæ nundinæ non incipiunt in dicto festo apparitionis, sed incipiunt paulò ante sacrum diem Purificationis, quæ est die secunda Februarij; & placuit mercatoribus istam feriam vocare feriam apparitionis, quamuis magis distet ab apparitione, quàm ab alio festo, vel quia forsan initio hæc feria celebrabatur paulò post Epiphaniam, vel quia apparitio est magnum festum, cum tunc apparuerit Dominus; & cum isto ordine loquuntur capitula feriarum Placentiæ num. 1. condita à Genuensibus, & impressa Genuæ anno 1612. incipit ergo hoc primum trimestre die prima, seu initio mensis Februarij: Secundum trimestre dicitur Paschatis, quod est post dies Paschatis, & sic initio, seu die prima Maij: Tertium initio Augusti; Quartum initio Nouembris, quod dicimus Sanctorum, quia est festum Sanctorum, vt habetur

in dictis capitulis num. 1. & de eisdem quatuor nundinis eodem ordine loquuntur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. initio, & habes infra §. 9. num. 37. & de illis nundinis loquitur Fabian. tract. de camb. par. 2. cap. 2. sub nu. 51. tom. 6. par. 1. fol. 416. & singulæ nundinæ durant octo dies; sed Lugduni primæ nundinæ inchoantur die octaua post Pentecostes, secundæ secundo nonas Augusti, tertiæ tertio nonas Nouembris, quartæ idibus Ianuarij, & singulæ durant per quindecim dies vtiles, si credimus Io. Bapt. Lupo in cap. nauiganti. §. 2. num. 18 de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. & Romoal. Col. tract. de camb. cap. 8. vbi ait, in Italia & extra celebrari nundinas quater in anno, & primas celebrari post diem octauam Resurrectionis: secundas initio Augusti: tertias post diem octauam omnium Sanctorum: quartas post octauam Epiphaniæ; Et quòd in Hispania sint institutę similiter quatuor nundinæ in anno, quibus sub eodem numero aliæ respondeant in Flandria, & quibus mensibus celebrentur, & respondeant nundinæ in Flandria, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 2. vers. peruentum. fol. 616. de eisdem nundinis vide Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, num. 296. vbi scribit in principalibus emporijs Hispaniæ, Galliæ, & Belgij haberi tres, vel quatuor nundinas: vide etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. in diuersis locis, & præsertim q. 4. art. 2. controuer. 6. sub nu. 1. vers. in hispania. & vers. seqq. tom. 2. fol. 569. &, quòd aliqui graues auctores dicant, in Hispania celebrari ter in anno nundinas, scribit Romoald. Coli in præcitato cap. 8. &, quòd Francofurti binæ quotannis agantur nundinæ: alteræ circa Pascha, & alteræ in mense Septembris, in quibus fiant etiam solutiones cambiorum, scribit Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. num. 53. & in vnoquoque istorum locorum cambitur, & recambitur pro alio ipsorum locorum, & fuerunt distinctę inter se hoc spatio trium mensium, vt detur commodum tempus solutionibus faciendis, vt scribit Sot. in loco supra proximè citato, quod tempus, seu dilationem ipsi mercatores vocant (*recapitar le lettere*).

4 Olim tamē istæ nundinę originem habuerūt non in scutis sculptis, sed in marchis ad pondus, & deinde, scutis sculptis, cœperunt fieri in Ciuitate Gebbenensi, seu, vt alij dicunt, in Ciuitate, quæ vulgo dicitur, *Cambri*, quæ est in Sabaudia; inde translatæ fuerunt ad Lugdunum in Gallia, & inde ad Bezenzonum in Burgundia, & hodie, quæ fiebant Bezenzoni, fiunt Placentiæ in Italia, & quæ fiebant Lugduni in Gallia, ibidem renouatæ sunt, vt multa ex his retuli in gloss. præced. num. 30. & infra gl. 10. num. 10. non tamen fiunt amplius Bezenzoni.

5 QVAERO quarto, qua auctoritate, qua de causa, quovè ordine fiant istæ nundinæ?

Respondeo, satisfaciendo huic multiplici quæsito multiplicibus conclusionibus.

Primo concludo quoad primam quæsiti partem, institutionem nundinarum esse de genere permissorum, & ideo Pij V. constitutio non prohibet earum creationem, seruata tamen iustitia, vt ex congregationis Sanctiss. D. N. responso, retuli infra §. 6. gl. vnica, sub num. 43. vers. secundæ.

6 Secundo concludo quoad secundam partem quæsiti, quòd nundinarum origo, seu causa fuit, tum quia proceres mercatores, qui amplo ære negotiantur, maximè postquam patefactæ sunt Indiæ, quæ Hispaniam inaurarunt, argentoq; obruerunt, vt scribit Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 51. vers. vigesimo dicimus. de vsur. non poterant pecuniam in arca habere præsentem, & fuisset onus, & impedimentum maximum, eam ad tam diuersa, distantiaq; loca euehere, ideoq; omnia chirographis cœperunt transigere, & horum chirographorum solutiones non poterant commodè alibi fieri, quàm in nundinis, vt innuit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. vers. postquam. col. 1. in fine, & 2. fol. 612. tum quia, auctis mirum in modum mercaturijs, & negotijs, necessitas has docuit nundinas, & experientia earum vtilitatem patefecit, per ea, quæ scripsi §. præced. q. 6. sub num. 8. vers. prima.

Comprobatur primo hæc vtilitas, quæ procedit à nundinis, quia campsores, qui olim erant in aliquibus ciuitatibus, non poterant tantæ negotiorum moli satisfacere, neque negotiatores, mercatoresvè, qui inuicem cambirent, extabant, & quando extitissent, vnus occasionem cambiendi, quam habuisset alius, facilè ignorasset, & quando etiam sciuisset, occasio sæpè erat inæqualis; quare sicut ob rerum permutandarum inæqualitatem, cum non semper, nec facile oc-

cur-

curreret, vt eum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, introducta est moneta, vt dicit Iureconsin l. 1. ff. de contrah empt. ita etiam ob eandem inæqualitatem institutæ vtiliter sunt nundinæ nummorum.

Comprobatur secundo, quia nisi extarent nũdinæ, ex quibus campsores per viam cambiorum, & recambiorum transueherent nummos ad ciuitates, & loca etiam remotissima, vtique cambiorum interesse esset grauius, quia pro actuali transportatione grauiores requirerentur impensæ, & labores, & maiora occurrerent pericula, vt dixi S. præcedenti q. 1. num. 423. & q. 7. par. 1. num. 74.

Comprobatur tertio, quia sicut aliarum rerum, victui necessariarum, institutæ vtiliter sunt pluribus in locis nundinæ, ita etiam expediens fuit, vt ordinarentur nummorum emporia, in quibus nummi non secus ac aliæ merces emi, & vendi possent per viam cambij, vt quisque suis posset prouidere indigentijs, & ibidem fiant solutiones, & dati, & accepti reddantur rationes, Io. Azor. de instit. moral. par. 3 lib 10. tit. de camb. cap. 8. initio, col. 879.

7 Tertio concludo quoad tertiam partem quæsiti de ordine istarum nundinarum, quòd fiunt Placentiæ cum consensu Serenis. Ducis illius ciuitatis, & fiũt à natione Genuensi, quæ habet copiam nummorum, & hominum pro eiusmodi negotiatione satis idoneorum; & postquam destitutæ fuerunt Bezenzoni, cœperunt fieri Placentiæ, quia est locus satis commodus omnibus negotiatoribus: & quia fiunt à natione Genuensi, idcirco Resp. Genuensis condit leges, & ordines pertinentes ad hanc negotiationem, quæ leges, & ordines ligant omnes, qui in illis negotiantur nundinis, quamuis alias Reip. Genuensi nullatenus subijciantur.

8 Vnde Resp. Genuensis habet magistratum, qui præest huic negotiationi, & residet in Ciuitate Placentiæ tempore nundinarum, & constat hic magistratus ex Consule, qui est tanquam caput, & ex duobus Consiliarijs, quorum trium duo faciunt sententiam, à qua potest appellari ad Serenis. Senatum Genuensem, vt habetur in capitulis feriarum Genuensium nu. 18. impressis Genuæ anno 1612. habet etiam iste magistratus suum Cancellarium, seu notarium: & vlterius in cambiorum negotijs, quæ respiciũt vniuersitatem, & publicum interesse cambiorum, interueniunt, & habent votum omnes mercatores, qui sunt admisi à contractatione, & vbi tractatur de negotio Mediolani, Mediolanenses habent primum votum, vbi de negotio Florentiæ, Florentini, & sic de alijs, Alex. Rauden. in exposit. sup. banc. S. Ambr. num. 123. Et iste mercatorum numerus non est determinatus, & ideo quilibet potest esse, dummodo, præstita fideiussione, fit admissus, sed cum hac distinctione: aut enim vult admitti, vt possit interuenire in imponendis pretijs cambiorum, & iste debet præstare fideiussionem scutorũ 4000. in Camera Illustrissimorum Procuratorum Cameræ Genuensis, aut vult admitti solum ad negotiandum in dictis nundinis, dando, vt aiunt, bilancium, & iste debet præstare fideiussionem scutorum 2000. vt habetur in dictis capitulis num. 6. & quæ requirantur pro hac admissione ad negotiandum vltra dictam fideiussionem habetur in eisdem capitulis eod. num. 6. & licet ex dispositione dictorum capitulorum num. 18. Consul, & vnus Consiliarius deberent esse Genuenses, & alius Consiliarius esset transmittendus à congregatione mercatorum Mediolani, tamen hodie, vt audio, Consul, & vterque Consiliarius, & Notarius sunt Genuenses: cæteri autem mercatores possunt esse cuiusuis loci, & accedunt voluntarij, non inuiti; & hi mercatores admisi à contractatione, qui interueniunt pretij cambiorum impositioni, debent habere domum, quæ dicitur, *de conto*; quia isti imponunt *il conto*, idest, pretium, vt dixi supra, & infra nu. 13. & ad has nundinas accedunt multi capserij pecuniosi, qui dant cãbio mercatoribus, & accedunt etiam multi Bancherij depositarij, qui depositio habent pecunias mercatorum, & capseriorum, vt easdem de eorumdem ordine, & mandato soluant, vt retuli S. præcedenti, q. 7. par. 2. ampl. 3. num. 10.

9 Iurisdictio huius magistratus durat tempore nundinarum, quod vt dixi supra sub num. 3. est octo dierum, & ex causa (vrgenti tamen) potest illud prorogari, concurrentibus tribus ex quatuor partibus mercatorum contractationis, & cum auctoritate Serenissimi Senatus Genuensis, vt habetur in dictis capitulis num. 1. Hoc tempore coram isto magistratu in prima, & secunda die negotiorum expediuntur ea, quæ concernunt vniuersitatem, & publicum interesse

10 negotiationis cambiorum; † nam in prima die coram Consule fiunt inter omnes mercatores acceptationes in proprijs scartafaccijs, & ab hora, qua incipiunt fieri, debet quilibet mercator infra horas 24. currentes acceptare, vel non acceptare, ad effectum, vt creditor possit, elapsis dictis 24. horis, exigere, vel facere protestum; & istæ acceptationes fiunt in proprijs scartafaccijs, tàm creditoris, quàm debitoris, lineante vtroque per transuersum partitam, quam creditor acceptat, vt habetur in eisdem capitulis feriarum num. 4. vbi qualis liber debeat esse istud scartafaccium, & num. 5. vbi de prædicto

11 tempore præfixo acceptationibus: † ex his acceptationibus procedunt hinc inde multæ solutiones satisfactoriæ, quia per istas mutuas acceptationes intelligitur facta solutio, & compensatio inter eos, vt habetur in eisdem capitulis num. 36. Ex eisdem acceptationibus oritur bilancium, vt aiunt, *di fiera*; nam, factis hinc inde acceptationibus, quilibet mercator ex admissis à contractatione debet diligenter inspicere suum scartafacciũ, in quo à manu sinistra sunt notata nomina debitorum, & à manu dextra nomina creditorum, & vbi reperiat se debitorem, debet inuenire modum, quo satisfaciat suis creditoribus intra octó dies, quia intra eosdem octo dies debet quilibet mercator dare in manibus Consulis bilancium adęquatum; etenim, si remaneret debitor, & sic bilãcium non foret adæquatum, posset tunc creditor illum adstringere ad faciendum sibi litteras cambij; & casu, quo debitor non posset satisfacere de litteris cambij, tunc contra eum seruaretur dispositio dictorum capitulorum

12 feriarum num. 13. vbi videas: † Cæterum hic liber, quem vocant, scartafaccium, quovè ostenditur bilancium, continet memorialia negotiorum agendorum in illis nundinis, vt dicitur in dictis capit. sub num. 4. & ideo scriptura illius non inducit aliquam obligationem, neque nouationem, nec promissionem, cum ea, quæ in eo sunt notata, possint variari, & contrascribi, & denotent rem imperfectam, Rot. Genuen. decis. 1. num. 17. 19. & 20. quam sequitur Menoch. cons. 296. cum

13 interrogatus. num. 28. † quare in istis nundinis fiunt pecuniarum solutiones, & traditiones, ita vt alij debita soluant, alij verò debita contrahant; redduntur itidem dati, & accepti rationes, & denuo pecuniæ creduntur, & accipiuntur, & totum huiusmodi negotium sine vllis ferè pecunijs conficitur, datis, & acceptis solum chirographis, aut symgraphis, vt scribit Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. initio, & ante eum, sed breuius Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. col. 2. & adde quæ scripsi gl. seq. sub num. 55. secunda verò die Consul, & mercatores imponunt pretium cambijs, (quod vocant, *il prezzo de ritorno di fiera*) pro omnibus ciuitatibus, & locis; in quibus exercetur negotiatio cambiorum nundinariorũ, nempè pro Roma, pro Neapoli, & alijs locis, à me numeratis sup. gl. 2. sub num. 7. & Alex. Raud. in exposit. super banc. S. Ambr. num. 121. & 122. & quòd ipsimet mercatores, & nummularij suo arbitratu cambiorum pretia constituant, scribit Ioan. Azor. d. cap. 8. vers. accedit quod. hæcq; impositio, & taxatio pretij est necessaria non solum, ne debitores cambiorum, pro quibus mercatores soluunt sibi ipsis, & postea trahunt, conquererentur de ipsis mercatoribus, quòd magno pretio traherent, vt dicit Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. che li mercanti. seu ne ex mercatorum agentibus, qui solutiones pro ipsis mercatoribus recipiunt, vnus postea remitteret pro maiori pretio, & alius pro minori ad eandem ciuitatem, & proinde mercator, cui remitteretur pro minori pretio, conquereretur de suo agente, quòd non tractauerit diligenter suum negotium, vt aduertit Romoal. Coli tractat. de camb. cap. 16. vers. dalle città. Sed etiam, quia principaliter interest Reip. quòd pretia sint iusta, & taxata: & præsumitur iusta pretij impositio, quia etsi pretium imponatur à mercatoribus, qui sunt interessati, tamen cum eorum interesse sit inuicem contrarium, concordantur in medio, quod est iustum, vt secutus sum §. præcedenti, q. 7. par. 1. num. 93. sed qua nominatim die fieri debeant istæ acceptationes, & impositio pretij in quolibet foro, habetur in dictis capitulis sub num. 1. & quot votis, quavè forma intelligatur impositum pretium, disponitur in eisdem capitulis num. 8. & qua pœna, & à quibus condemnari possint ij mercatores, qui calumniosè votarent, habetur num. 23.

14 † Horum mercatorum munus in taxatione, seu impositione pretij versatur principaliter circa duo: Primum circa copiam, & inopiam pecuniæ, quia, si adest copia pecuniæ, & inopia accipientium cambio, pretium marcharum erit altum, idest, magnum; secus si adsit

sit

sit inopia pecuniæ,& copia marcharum,iuxta ea; quæ scrurus sum S. præcedenti, q. 7. par. 1. nu. 48. & hæc regula seruatur in quauis re vendibili, & emibili, vt admonent Couar. & Nauar. quos secutus sum S. præced. q. 5. sub num. 65. facit, quod scripsi eod. S. præced. q. 7. par. 2. ampl. 6. sub nu. 8. Ex quibus autem casibus, & accidentibus possit oriri copia, & inopia pecuniæ, vide d. q. 7. par. 1. sub num. 76. versus finem, confirm. 2. † Secundum versatur circa distantiam,& vicinitatem locorum, pro quibus fiunt cambia, seu permutationes pecuniarum, quia distantia auget pretium in pecunia, & vicinitas minuet; nam quò longius distat pecunia, eò minoris valet propter pericula itineris, & propter impensas, & labores, qui in eiusmodi distanti fiunt commutatione, per ea, quæ scripsi S. præced. q. 1. num. 422. & seqq. & ab his non discrepant, quæ latius scribit Romoal. Col. d. cap. 16. vers. dalle città. vbi, loquendo de pretio, imponendo ex ciuitatibus pro nundinis, ait, quòd mercatores bonæ conscientiæ faciunt congregationem, quam vocant, consulatum mercatorum, & in illa congregatione ex interesse, seu lucro, quod processit ex proximis præteritis nundinis (quod lucrum, inquit, cognoscunt ex reditu litterarum cambiorum, ex relatione amicorum, proxenetarum, & aliorum redeuntium ex nundinis) & ex pretio, pro quo aliqui dedissent cambio pro proximis sequentibus nundinis; & ex his, & alijs obseruationibus cognoscunt copiam, & inopiam pecuniarum; & habita ratione copiæ, & inopię pecuniarum, imponunt pretium ex ciuitatibus ad nundinas; & nihilominus, inquit, si tractu temporis crescat, aut decrescat copia, seu inopia pecuniarum, aut numerus accipientium, seu dantium cambio, negotiatores ipsi augent, & minuunt pretium impositum; &, loquendo de pretio imponendo ex nundinis pro ciuitatibus (quod pretium dicitur, *de ritorno*) inquit, quòd mercatores, qui accedunt ad nundinas, perscrutantur, quænam in illis nundinis fuerit copia, vel inopia pecuniarum, & à proxenetis, alijsq; qui ex locis accedunt ad nundinas, perscrutantur etiam quæ copia, vel inopia pecuniarum sit in illis locis, ad quæ pecuniæ remitti, trahiuè debent, ijsq; diligenter consideratis, pretium pro qualibet ciuitate imponunt, vt enarrat Romoal. in loco supra proximè citato. † Et licet huius pretij impositio spectaret ad Principes, siue eius Magistratus, qui tamen priusquam illud imponerent, & taxarent, se informarent à peritis, vt dicit Romoald. Col. d. cap. 16. initio, & magis spectaret ad Principem, seu iudicem ecclesiasticum, per ea, quæ scripsi S. præcedenti, quæst. 7. par. 1. num. 54. & glos. præcedenti sub num. 104. 107. & 108. tamen cum res rediret ad peritos, vt dixi d. nu. 107. in fine, Ecclesiasticis annuentibus, imponitur, vt dixi, à mercatoribus; † Cæteris diebus, durante toto tempore feriarum, possunt multa alia inter ipsos mercatores, creditores, & debitores confici: nam, vt dixi in gl. seq. num. 205. illat. 2. potest creditor per proclama perquirere suum debitorem, & quemcumque alium, qui pro eo vellet soluere, &, nemine soluente, potest protestari litteras sub forma, de qua infra S. 7. gl. 2. sub num. 16. & tunc dicentur litteræ redire cum protestatione, quarum ex tunc poterit contra suum debitorem celerem executionem obtinere coram Iudice ordinario, vt scripsi infra S. 7. gl. 2. num. 3. & seqq. Potest etiam è contra debitor in nundinis perquirere creditorem, seu alium, qui pro eo habeat sufficiens mãdatum ad recipiendam solutionem, &, non reperto, poterit protestari, &, facta ista protestatione, nullum aliud potest currere interesse, neque tenetur vlterius accedere ad nundinas, prout declaraui gl. seq. nu. 204. Item possunt fieri aliæ protestationes, ne aliquis soluat litteras talis supra protestum, vt scripsi eadem glos. seq. q. 12. num. 390. declar. 4. Possunt aliquando reuocari mandata; fiunt cambia, & alia similia: & demum, ne super iurisdictione istius magistratus, & eorum, quæ coram eo possunt tractari, & fieri, longiorem trahamus moram, vide capitula feriarum Genuensium, in quibus habes hæc eadem, & alia plura; vide etiam nonnulla pauca apud Boninf. tract. de camb. cap. 5. vers. in vltimo, fol. 13.

§. 2. Glos. 5.

Pagate.

SVMMARIVM.

Soluite, *est verbum imperatiuum præsentis temporis,&c.num.*1. *Declaratur,num.*2.*& seqq.*
*Dilatio modica non dicitur dilatio, & quando dicatur modica, num.*4.*& sub num.* 5.
Solutio facienda, à lettera vista, *licet debeat fieri statim, tamen per aliquot dies potest differri, nu.* 5.*& seqq. Quid si solutio fieri debeat*, ad vso, &c.*num.* 8.
Statim, & incontinenti, *dictiones, accipiuntur diuersimodè secundum subiectam materiam, num.* 7.
*Creditor non debet venire cum sacco parato, num.*9.
Dilatio pro cambijs,contractis in nundinis ad Ciuitates, & loca, quanta sit, num. 12. *Quantavè pro cambijs ex locis ad nundinas, num.* 14. *Et ex nundinis ad nundinas,n.*15.*&* 16.

1 VERBVM, *soluite*, est imperatiuum, & temporis præsentis,& operatur duos effectus:Primus est,vt litteræ sint dispositiuæ, ideoq; reuocari non possint; secus si non essent dispositiuæ, vt quia diceretur, *soluere placeat*, quia tunc, an possint reuocari, vide, quæ scripsi inf. nu.450.vers.limita primo. & gl.9.nu.6.Secundus effectus est,vt tollat omnem moram, & dilationem,vt sciunt omnes; quare,mãdatur,vt solutio fiat sine dilatione.

2 Declara primo ad vsum praxis, vt in primis litteræ debeant acceptari, priusquàm tractari possit de earum solutione,aliàs,litteris non acceptatis, non est tractandum de solutione, iuxta ea, quæ scripsi infra §.7.sub num.3.in 2. inspectione; hæcq; acceptatio, vel non acceptatio (si solutio fieri debeat in nundinis Placentiæ) debet fieri prima die,vt dixi in gl.præced. num.10.vbi videas.

3 Declara secundo, vt quamuis litteræ sint acceptatæ, iuxta ea, quæ dixi d.gl. præced. num.10. & solutio mandetur sine dilatione, & sic fieri debeat incontinenti, seu statim; tamen admittitur aliqua dilatio, quæ non habetur pro dilatione: sed vt clarius explicemus, adhibe duas inspectiones.

Prima inspectio est in cambijs non nundinarijs, cuiusmodi sunt cambia, quorum solutio non destinatur ad nundinas, seu ex nundinis;& sic nec finem, nec initium sumunt in nundinis; sed destinatur ex vno loco ad alium locum sine nundinis; & in hac inspectione cõsiderandi sunt quatuor casus.

Primus casus est,quando dicitur simpliciter (*pagate*) & isto casu concludo, solutionem esse faciendam sine dilatione, vt dixi.

4 Tempera tamen hanc conclusionem, vt modica, & breuis dilatio, quæ non habetur in consideratione, non dicatur dilatio, ideoquè nunquam censetur exclusa, considerata quantitate pecuniarum soluendarum,& adhibita discretione,quę est sal omnium rerum agendarum, per ea, quæ scripsi §. præceden. q.1. num.371. quare admittetur saltem dilatio, quæ admittitur in sequenti secundo casu, nam & in litteris cambij,quarum solutio destinatur in ferijs, mandatur quidem solutio per hoc simplex verbum (*pagate*) & tamen debitori datur dilatio octo dierum à die acceptationis inclusiuè, vt dixi infra num. 14. vers. secundus casus. ergo cur non idem quando solutio est destinata ad alium locum; & sic in cambio non nundinario?

5 Secundus casus est, quando dicitur, *pagate à lettera vista*; quo casu videtur celerior, quàm in præcedenti, iniuncta solutio, vel saltem celeritas stat expressa: & concludo, solutionem esse faciendam statim, atque litteræ sunt ostensæ, Vinc. de Franch. decis. 303. benedictus. initio, Mich. Sal. ad D. Thom.2.2.post q.78. in disput. de camb. q. 4.art.2.controu.18.num.2.vers.obseruemus secundo. tom.2.fol.609. Ioan.Bapt. Cauar. tract.de camb. in prælud. vers. septimo. fol. 214. & Romoal.Coli tract.de camb. cap. 9.

Verum interpretatiuo vsu receptum est, vt adhuc solutio possit, & soleat differri in sequentem, vel alteram diem, & etiam in plures, vsque in sex, octo, vel decem dies, Mich.Sal.& Romoal.in locis supra proximè citatis; & quòd isto casu solutio sit facienda intra tertium,vel quartum diem, ex quo litteræ sunt datæ illi, qui est soluturus, & eas ratas, & acceptas habuit, scribit Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de camb.cap. 5.q.4.in fine; hæc enim modica dilatio non dicitur dilatio, sicut neque leuis febricula dicitur febris, & vulnusculum non dicitur vulnus, & similia, de quibus scripsi in meo

tract.

tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 42. sub nu. 5. † pendebit ergo quantitas huius modicæ dilationis ab opibus, diuitijs, ab inopia, & inidoneitate mandatarij, & ab æstimatione, & inæstimatione, quam is faciet sui nominis, & crediti: interest enim etiam suæ æstimationis, vt solutionem non differat; & creditor etiam inuitus cogitur quodammodo, ex quò non habet opportunius remedium, acquiescere huic aliquali mandatarij commoditati; & conuenit discretioni.

7 Confirmantur ista, quia mandare solutionem, visis litteris, est idem, quod mandare solutionem statim, & incontinenti, vt patet ex se, sed dictio, *statim*, seu, *incontinenti*, accipitur diuersimodè secundum subiectam materiam, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 7. sub num. 674. in futura impressione; & ideo solutionem dici factam statim, etiã si fiat quatuor dies post, dixit Rot. diuers. decis. 285. dixerunt. sub nu. 8. & 9. 29. Martij 1595. in Beneuentana census coram bo. mem. Card. Pamphilio in impressis Lugduni anno 1612.

8 Tertius casus est, quando dicitur, *ad uso*, seu, *à suo tempo*, & isto casu, dico, solutionem faciendam esse infra decem dies, & plures, & pauciores secundum vsum, & placitum platearum, in quibus fiunt cambia, Rot. Genuen. decis. 32. cum alias. num. 5. in fine, & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 5. q. 4. seu erit facienda infra octo dies, à die acceptationis, Ioan. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. septimo. fol. 214. &, quòd isti dies computentur à die, quo litteræ recipiuntur, & ratæ, & acceptæ habentur, scribit Io. Azor. in loco supra proximè citato; & iste casus videtur idem cum primo; quare Romoald. Coli tract. de camb. cap. 9. hunc casum non enumerat, dicens, tres esse modos solutionis: primus, inquit, dicitur, *à lettera vista*. secundus, *in fiera*. tertius, *à termine di tanto tempo*.

9 Ratio est, quia iste terminus non est incongruus, cum sit etiam de iure, quòd creditor non debeat venire cum sacco paratus, Rot. Genuen. d. decis. 32. num. 6. & hoc satis comprobatur ex his, quæ scripsi sup. sub n. 5. in præced. casu, & §. præced. q. 1. n. 371.

10 Prædicta verba non benè accommodantur in litteris cambiorum nundinariorum, ideoq; in eis non apponuntur; si tamẽ perperam apponerentur, dico, quòd significarent vsum, de quo scripsi num. præcedentibus.

11 Quartus casus est, quando in litteris est assignata aliqua dilatio de cõsensu partium; & iste casus est clarus, quia erit facienda solutio in tempore conuento, vt dixi §. præcedenti, q 5. sub num. 43.

12 Secunda inspectio est in cambijs nundinarijs: & in ista sunt considerandi tres casus.

Primus casus est, quando cambium contrahitur ex nundinis ad locum, puta, contrahitur Placentiæ in nundinis pro aliqua Ciuitate, seu loco; quæ cambia vocant de reditu feriarum: & isto casu dilationes pro singulis Ciuitatibus, & locis, in quibus fit negotiatio cambiorum, sunt distinctè ordinatæ in capitulis feriarum Genuensium, nu. 2. & sunt istæ: pro cambijs soluendis Genuæ, Mediolani, & Pergami, dies 20. Florentiæ, Romæ, Venetiarum, Lucæ, Bononiæ, dies 25. Neapoli, Valentiæ, Barcinoni, siue Barcellonæ, Cæsaraugustæ, siue Saragosæ, dies 30. Antuerpiæ, siue Anuersæ, Coloniæ, Lupiarum, siue Lecchiæ, Barij, siue Bari, dies 35. Panormi, Messanæ, Arcalæ, siue Madriti, dies 45. Hispali, siue Sibiliæ, Olysippi, siue Lisbonæ assignãtur mẽses duo, & isti dies, & tempora incipiunt à die contracti cambij inclusiuè; quare in litteris cãbij, contracti Placentiæ ex nundinis pro Genua, quarum litterarum formulam posuimus §. præced. q. 5. sub num. 80. vers. 1614. & num. 91. obseruando ista tempora, pro cambio, contracto die 5. Nouembris, & pro alio, contracto die 5. Februarij, scripsimus in litteris, vt solutio fieret in vnis die 24. & in alijs die 26. & sic in vtraque adest dilatio 20. dierum iuxta dispositionem dictorum capitulorum, † ex quibus collige duo: primũ, quòd dilationes ponũtur in litteris: secundum, quòd is, cui sunt soluendæ illæ litteræ, & vult earum solutionem in die præfixa, debet illas præsentare antea ad effectum, vt prius acceptentur: 13 Aduerte etiam, quòd istæ dilationes, assignatæ in capitulis nundinarum, possunt protrahi, & breuiari de consensu partium, & protractæ, seu breuiatæ exprimi in litteris, dummodo ex longiori dilatione non augeatur cambium ratione solius temporis.

14 Secundus casus est, quando cambium contrahitur ex aliqua Ciuitate, seu loco pro nundinis Placentiæ, seu alterius loci nundinarij: & isto casu distinguo: Aut is, qui debet soluere, non est Bancherius, & tunc debet

soluere

soluere infra octo dies, currentes à die acceptationum inclusiuè: Aut debitor est Bancherius; & tunc distingue latius, prout plenè ordinant capitula feriarum, condita à Genuensibus num. 13. quæ in casu occurrenti videas; & ita intelligas litteras feriales, dum dicunt, *pagate*.

15 Tertius casus est, quando cambium contrahitur ex nundinis vnius loci, vt soluatur in nundinis alterius loci; puta, contrahitur Lugduni in feria Sanctorum, vt soluatur Placentiæ in feria Apparitionis: & isto casu dico idem, quod dixi in præceden. quia in effectu eius solutio est destinata ad nundinas, & nihil interest, vbi cambium sit inchoatum.

16 Declara tamen hunc casum, vt possit procedere, supposito, quòd in istis nundinis diuersorum locorum pecunia recipiat diuersam æstimationem; alias, si non reciperet diuersam, posset considerari solum interesse, quod dari solet inter monetam præsentem, & absentem, Romoald. Coli tract. de camb. cap. 27. vers. se poi. & vers. la seconda.

His præmissis, procedam per quæstiones iuxta nostrum ordinem.

SVMMARIVM.

Soluere dicitur, qui facit quod promisit, num. 17.
Solutio, & Liberatio } idem sunt, num. 17. Quomodo, num. 18.
Solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, num. 18.

17 QVAERO I. igitur, quid sit soluere, seu solutio.

Respondeo, solutio est liberatio ab obligatione, l. 54. solutionis verbum. ff. de solut. l. 174. solutionis verbo. ff. de verb. signific. nam soluere dicimus eum, qui facit id, quod facere promisit, d. l. solutionis verbo. sicque solutionis verbum magis ad substantiam obligationis refertur, quàm ad nummorum solutionem, d. l. 54. solutionis verbum. cum verbum, *solutio*, iunctum verbo obligationis, vel simplex sine adiuncto, ponatur pro omni liberatione ab obligatione, Paul. de Castr. in l. 49. solutam. num. 2. ff. de solut. & quòd istud verbum, *solutio*, comprehendat omnem actum, per quem quis liberatur, cum liberatio sit solutio ab obligatione, scribit rursus idem Paul. de Castr. in rubr. in princ. ff. de solut. & sic solutio, & liberatio sunt idem, seu nomen solutionis, & liberationis idem significant, Mandos. tract. de monit. q. 51. num. 2. tom. 3. par. 2. fol. 69. &, quòd, volente creditore, solutio, & satisfactio à pari procedant, scribit Paris. cons. 69. si iuris. num. 16. lib. 4. & de definitione solutionis potes videre quæ scribit Sebast. Medic. tract. de definit. par. 2. definit. 63. num. 6. & 7. tom. 18. fol. 308.

18 Hæc definitio, seu descriptio, sumpta ex iuribus supra citatis, videtur data ab effectu, quia liberatio est effectus solutionis, vt aduertit Paul. de Castr. in loco supra proximè citato, & probatur ex eo, quia solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, Inst. quib. mod. toll. oblig. in princ. Paris. cons. 121. primo. num. 15. vers. etsi vera. lib. 1. cons. 52. in hac consultatione. nu. 38. vers. tertio tollitur. lib. 2. Sebast. Med. tract. de compens. in præfat. num. 1. tom. 6. par. 2. fol. 258. Rot. Genuen. decis. 104. solutione. & Surd. decis. 266. quæstio. num. 3. in fine, 4. & 5. & solutio est quid facti, & de iure corporali; sed liberatio est iuris incorporalis, prout hæc post Gl. ad euitandam superfluitatem rubricæ, ff. de solut. & liber. considerat Castren. vbi supra. At ego dicam, quòd liberatio in definitione solutionis rectè ponitur, quia latius patet liberatio, quàm solutio, & ideo non est verum, quòd solutio, & liberatio sint vnum, & idem, siquidem liberatio ita dicitur de solutione propria, & vera, sicut de eo, quod non est propriè solutio, sed habet vim solutionis, vt pluribus ostendi infra num. 41. & seqq.

SVMMARIVM.

Solutio duplex, propria, & impropria, quæuè dicatur propria, num. 19. Quotuè modis fiat, num. 20. Qua dicatur impropria, num. 41. 50. & seqq.
Solutio tam propria, quàm impropria quando pariat omnes effectus solutionis, nu. 21. & seqq. num. 41. 47. & 48.
Solutio liberat debitorem, quando is, cui soluitur, habet legitimam personam ad solutionem recipiendam, num. 23. Secus si non habeat, num. 24.
Solutio quando fieri possit procuratori, num. 26. & 27.
Solutio rectè fit illi, cum quo celebratus est contractus debiti, etiam si actio illius contractus ad alium pertineat, num. 31.

19 QVAERO II. quotuplex sit solutio, seu quot modis possit debitor soluere creditori? & quibus soluendo, rectè soluat.

Respondeo, solutionem esse duplicem, Propriam scilicet, & Impropriam.

Propria solutio dicitur illa, quæ, cum fiat in præcisa specie, & forma obligationis, liberat omnino debitorem, quia debitor, seu obligatus, faciendo id, quod facere tenetur, dicitur propriè soluere, vt ex Paul. de Castr. secutus sum supra sub num. 17. quare si quis est obligatus soluere pecuniam auream, & eam soluit, dicitur propriè soluere; si est obligatus tradere claues domus, & eas tradit, dicitur propriè soluere, & sic de singulis, quia solutionis verbum magis ad substantiam obligationis refertur, quàm ad solutionem nummorum, vt secutus sum sub d. num. 17. licet in communi vsu loquendi verbo solutionis vtamur in solutione tantum pecuniaria.

20 Declara primo hâc propriam solutionem fieri quatuor modis. Primus modus est, quando ipsemet debitor soluit. Secundus est, quando alius soluit de mandato, & nomine ipsius debitoris. Tertius, quando alius sine mandato, aut ordine debitoris liberè soluit. Quartus (& iste respicit solutionem litterarum cambij nundinarij) quando alius soluit litteras cambij super protextu honore litterarum, Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. octauo loco. fol. 214. quam solutionem super protextu honore litterarum latè explicaui infra num. 356. & seqq. pro qua solutione faciunt quæ scripsi infra sub num. 74. & seqq.

21 Subdeclara extendendo, vt quamuis solutio

lutio in primo modo sit magis propria; tamen etiam solutiones in secundo, tertio, & quarto modo producunt eundem effectum, Mantic.tract.de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit.17.n.34.etiam si solutio sit conditio, quæ regulariter debet impleri in propria significatione, Mantic.d.lib.11. tit.16.nu.8.†cum conditio importet non solum formam, Affl. decis.355. si præstiturus. nu.5. cum alijs allegatis per Tiraq. de retr.lig. §.1.gl.21. sub num.13.vers.hincque.fol.190.& de retract. conuent.§.2.gl.1.& vnica, num.3.in fine, fol.458.sed contineat semper non leuem solemnitatem, vt, cumulatis auctoritatibus, sequitur Tiraq. supra proximè citatus; & forma regulariter non potest adimpleri per æquipollens, Tiraq. d. gl. 21. sub num. 11. fol.190. Iacob. Nouel. tract.de iur. prothomis.§.3.num.21.tom.17 fol.35. quare solutio conditionalis, apposita à testatore per hæc verba, *si Titius dederit hæredi meo decem*, ita verificatur, si Titius met decem soluerit, seu dederit, sicut si alius pro Titio dederit; imò hæc solutio conditionalis verificatur etiam in alijs speciebus solutionum, quas improprias esse diximus infra num.41. & seqq. vers. impropria. quare idem est, quòd Titius soluat hæredi, vel hæres acceptum ferat, seu compenset, vt ex Mantic. secutus sum infra sub num.48.

23 Declara secundo, vt solutio, seu alius actus liberationis tunc liberet debitorem, soluentem, quando is, qui solutionem recipit, seu actum liberationis facit, habet idoneam personam ad recipiẽdum solutionem, seu ad liberandum, l.12.vero procuratori.ff. de solution.qualis est administrator, seu procurator omnium bonorum, tutor, curator, & verus procurator, Flam.Cart.decis.30. in causa. num.2. seqq. & 6.

24 Secus si non habeat idoneam personam; quare si ego debitor soluam alteri, quàm vero creditori, non liberor, Surd.decis.229. verum. num.1. seu non liberor si soluam alteri, quàm vero domino, seu procuratori, Franc.Bec.consi.19.prima facie. num. 1. & seqq. in quibus loquitur ampliãdo, & Flam. Cart.d.decis.30. num.7.& seqq. sicque non liberor, si soluero falso procuratori, l. falsus procurator. C.de furt. Rot.diuers.decis.76. christophorus. sub num. 1. coram R. P. D. Orano, in Romana pecuniaria, ven.25.Octobris 1593. in impressis Romæ 1615.

25 Subdeclara primo extendendo secundam partem huius declarationis, vt paria sint, soluere illi, cui soluens scit non rectè solui, vel scire tenetur; qua ratione cum Cõmunitas Rauennæ cẽsum scutorũ 400. pretio scutorum 5000. vendidisset Philippo, pro persona nominanda in actis Cataloni notarij A.C.& idem Philippus die 40.post celebratum dicti censis contractum in eisdem actis nominasset Io.Baptistam Fliscum, & dictum censum ad illum pertinere declarasset, & idem Fliscus eodem anno dictum censum approbasset,& præfata Communitas deinde dictos scutos 5000. restituisset eidem Philippo,& demum post aliquod tempus Communitas præfata conueniretur à dicto Flisco pro solutione fructuum,& Cõmunitas ostenderet extinctionem, & solutionem factam d. Philippo, Rota, habita pro nulla illa extinctione, & solutione, eam condemnauit ad soluendos fructus d. Flisco, non obstante, quòd illa nominatio facta non fuisset intimata, seu aliter notificata Communitati Rauennæ, & mota fuit Rota, quia ex quò nominatio fuerat facta in actis notarij, & prout erat conuentum in instrumento census, non requirebatur alia notificatio, sed Communitas debebat prius indagare apud illa acta hanc nominationem, Rot. coram R. P. D. de Caualeriјs, in Rauennaten. census, mercur.13. Iunij, 1607.

Extende hanc subdeclarationem, vt procedat non solum, quando nominatio fuisset facta in margine, siue penes idem instrumẽtum, vt moris esse debet, ita vt Communitas Rauennæ ex inspectione instrumenti census sine alia diligentia potuisset videre nominationẽ personæ; quo casu Communitas, soluẽdo Philippo, videretur fuisse in latissima negligẽtia, seu culpa; sed procedat etiam si nominatio fuisset facta seorsum, & separatim, quia etsi tunc Communitas ex hac sola inspectione non potuisset scire nominationem personæ, nec teneretur inquirere omnia instrumenta celebrata in illo officio, & illa ita perquirere, vt non posset, errando, aliquod omittere, tamen adhuc fuisset in negligentia inexcusabili, quia cum sciret, censum spectare ad personam nominandam, debuisset, volens eum extinguere, citare Philippum ad ostendendam nominationem, &, ea non extensa, debuisset, accedente etiam iudicis decreto, deponere pretium census pro persona nominanda.

26 Subdeclara secundo eandem declarationem,

nem, vt procurator, cui rectè soluitur, dicatur is, qui habet mandatum speciale, per ea, quæ scripsi infra §.7.gl.4.num.5.

27 Explica vlterius hanc subdeclarationem, vt is dicatur habere mandatum speciale, qui habet illud tempore solutionis, quia si illius mandatum esset reuocatum, ei non rectè solueretur, hæcq; mandati reuocatio fit non solum ab homine, sed etiam à lege, vt declaraui infra num.299.limit.2.& clarius, & plenius sub num.401. & seqq.vers. aut illa.& hoc dummodo reuocatio mandati fuerit nota ipsi soluenti, vt secutus sum infra num.406. vers. confirmatur. reliqua vide infra d.num.401.& seqq.

28 Subdeclara tertio, vt solutio, per inquilinum facta bonæ fidei possessori, liberet ipsum inquilinum soluentem, quamuis ille possessor non esset dominus, Abb.in cap.11. grauis. num.5. de restit. spol.

29 Extende hanc subdeclarationem, vt procedat etiã si solutio sit facta malæ fidei possessori, cum quo tamen contraxerit, Abb.in d.cap.grauis. num.8.& ideo inquilinus, seu colonus, soluens pensionem prædoni, à quo conduxit, liberatur, l.55.si vrbana.& ibi Gl. & Bar.ff.de condict.indeb.& soluens Abbati intruso, à quo conduxerit, liberatur, Bar. in ead.l.55. si vrbana.sub num.4.& Alex.cons. 103. visis scriptis num. 17.col. 5. lib.2. & cons. 120. ponderatis. num. 7. col.3. lib.5. imò liberatur etiam si conduxisset à vero Abbate, seu alio vero monacho illius monasterij, dummodo habuerit iustam causam credendi intrusum, cui soluit, esse verum Abbatem, Bar. sub d.num.4.& Abb. d.cap.grauis. num. 8. in fine, & Alex. in locis supra proximè citatis; adde, quæ copiosius scribit Dec.cons.407.visis, num.1.

30 Confirmatur primo hæc subdeclaratio, eiusq; extensio, quia cõductor tenetur soluere mercedem locatori, etiam si contractus sit nullus; quare licet locatarius, idest, conductor dicat, contractum esse inualidum; tamen non excusatur, nisi offerat mercedem locatori, & deponat, Caputaq. decis. 118. seu 2.iudicium nullum. num.4.par.2. quem sequitur Caroc.tract.de loc. & conduct. par.3. concl.52.fol.271.

Confirmatur secundo in casu magis dubio, quia, si res subtracta sit ei, qui illius rei dominus non sit, sed tamen illius rei administrationem habeat, vt puta, quia sit tutor, curator, dispensator, procurator, thesaurarius, vel alius officialis, cui illa res sit commissa, ideoq; illius rationem reddere teneatur, illius rei restitutio non domino rei, sed huic, qui rei administrationem habet, erit facienda, in tantum, vt si quis eam vero domino restitueret, & ex illa restitutione ei, qui rei administrationem habet, aliquod euenerit damnum, teneatur ad illud damnum, nisi ipsum excusaret bona fides, quam restituendo habuisset, Medin.in suis tract.tom.2. tit.de reb.restit.q.2. col. 8. vers. inde sequitur. fol.15.& Nauar.in man.confess.cap.17. sub num.28. tit. cui restituendum.

31 Subdeclara quarto, vt solutio rectè fiat illi, cum quo est celebratus contractus crediti, etiã si actio illius crediti sit alteri quæsita; quare, licet, filio mutuante pecuniam patris, actio quæratur patri, tamen filio, qui mutuauit, rectè soluitur, l. 23. filius. & ibi Doct. inter quos Dec. sub num. 6. limit. 2. C. de pact. & alij, quos sequitur Franc. Bec. cons. 19. prima facie. sub nu.4. vers.sed præ-

32 missis. vbi de opin. communi. † licet etiam, monacho mutuante, actio quæratur monasterio, & mutuante seruo, quæratur domino, tamen & monacho, & seruo rectè soluitur,

33 Becc.in loco supra proximè citato; † Et furi, qui rem, quam furto subtraxit, deposuit, vel commodauit, tenetur depositarius, seu commodatarius restituere, & restituendo liberatur, Bec.d.cons.19.num.7.& quòd pecuniæ depositæ sint restituendæ deponenti, vel cui deponens mandauerit, quamuis pecuniæ ipsius deponentis non sint, sed alterius, dummodo absit mala fides, & scientia, quòd pecuniæ essent alienæ, quia generale est, vt ei rectè fiat solutio, cum quo contractum est, etiam quòd ius alteri sit acquisitum, sequitur Rot.coram R. P. D. meo Caualerio, in Leodien. pecuniaria, lunæ 30. Martij 1615. & scribit Nauar. in man. confess.cap.17.sub nu.28. tit. cui restituendum. sub num 28.

34 Confirmatur hæc subdeclaratio, quia si monachus, seruus, filiusfam. aut alius huiusmodi aliquid apud alium deposuerit, debet, & potest ei tuto reddi sine auctoritate abbatis, prælati, domini, patris, vel alterius administratoris; & idem si aliquis deposuerit aliquid tanquam tutor, & tamen non sit tutor, Tiraq. de retr.conuent.§.4.gl.9. in fine, num.5. vers. vnum autem.

35 Sed hæc subdeclaratio recipit duas restrictiones, secundum eundem Bec.eod.cons.19. sub num. 5. & in fine consilij, videlicet, nisi subsit iusta causa credendi, eum, ad quem per-

pertinet, non permissurum; & quando scit, ad alium pertinere: quas ego hic non discutio, quia nimis diuerteret à nostro itinere; tu tamen vide quæ scripsi §. præcedenti, q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 28. & seqq. & par. 3. limit. 18. num. 4.

36 Subdeclara quinto, vt solutio rectè fiat etiam illi, cuius contractus sine certa solemnitate non valet, quia ille tenetur necessariò solutionem accipere, & facere quitantiam, & quando actus fit ex necessitate legis, tunc non sunt necessariæ solemnitates, quia lex ipsa, necessitans ad actum, auctorizat illum actum, vt scribunt Doct. quos citaui in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. nu. 533. & necessitas est supra legem, seu ipsamet est sibi lex.

Hanc tamen subdeclarationem hic non firmo, & qui tenuerint contra eam, retuli d. cap. 2. sub num. 538.

37 Retenta subdeclaratione, tu pro vberiori intelligentia, & firmiori resolutione distingue adhuc duos casus.

Primus casus est, quando solemnitas respicit non solum vtilitatem contractus, sed respicit etiam futuram administrationem rei contractæ, adeo quòd per illam solemnitatem non solum consulitur imbecillitati contrahentis, dum contrahit, sed etiam post contractum; eiusmodi solemnitas est auctoritas tutoris, seu curatoris, qui non solum auctorizant contractum, sed postea custodiunt, quod ex contractu acquiritur, &, non custodiendo, tenentur, & ideo sunt obligati ad reddendam rationem; vnde illis, quorum contractus auctorizant, dicitur interdicta administratio: & isto casu dico, subdeclarationem non esse veram, sed esse veram opinionem contrariam, quare solutio est facienda tutori, seu curatori, vel minori cum istorum auctoritate, alias soluens minori sine auctoritate curatoris non liberatur, §. fin. Instit. quib alien. &c. Gl. & Bar. in l. air prætor. §. permittitur. ff. de minor.

Verum licet non liberet, tamen si is, qui soluit, probet, pupillum factum esse locupletem, & durare adhuc locupletem ex illa solutione; non debet pupillus in eo, quo manet locuples, locupletari cum aliena iactura.

Sed tamen si debitor sit executiuè obligatus, hæc probatio facienda non retardat executionem, Foller. tract. de contract. censuar. in verbo, vt vides. num. 69. in fine, tom. 6. par. 2. fol. 161.

38 Secundus casus est, quando solemnitas respicit solum vtilitatem contractus; eiusmodi solemnitas est consensus cõsanguineorum in contractu mulieris, seu minoris, qui consanguinei non habent administrationem, & propterea ad reddendam rationem non tenentur, & consequenter nec mulieri, nec minori per hanc solemnitatem consensus censetur interdicta administratio: & isto casu concludo, subdeclarationem esse veram, quia isto casu sufficit, quòd constet, pecunias peruenisse verè, & realiter sine simulatione ad manus mulieris, seu minoris, & eò ipso, quòd peruenerunt, dicuntur tunc facti locupletiores, & non est necessarium, quòd perseuerauerint locupletes; & cum hac duorum casuum distinctione benè cõciliabis opiniones.

Subdeclara sexto, vt soluens creditori sui creditoris, dicatur rectè soluere, etiam suo creditore inuito, si iste creditor sui creditoris sit creditor ex eadem causa, ex qua suus creditor est creditor ipsius soluentis, vt puta, si ego conduxi domum à Petro, qui eandem conduxerat à Ioanne, vel ego accipio decem mutuo à Petro, qui eadem mutuo acceperat à Ioanne: & ego quod debeo Petro, soluo Ioanni, cui debet Petrus, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 3. in 5. caus. initio, fol. 39. in fine, & 40.

Hæc subdeclaratio, quam Medina non aliter probat, nisi aliter explicetur, non est iuridica.

39 Subdeclara septimo, vt adiecto solutioni rectè soluatur, vt latè explicaui infra glos. 7. q. 2. num. 2. & seqq. & num. 36. & seqq. vers. secundus articulus. in quibus quia est proprius locus adiecti, totam eius ferè materiam prosecuti sumus.

40 Quid dicendum in negotiorum gestore: nunquid solutio, ei facta, liberet debitorem? nam text. in l. 25. si ego. ff. de neg. gest. videtur determinare, quòd non: Contrarium tamen, quòd liberet, quia in generali mandato ad negotia venit, vt possit exigere debita, scribit Paul. de Castr. in l. 6. si procurator. num. 8. ff. de condict. indeb. & quòd præpositus ad contrahendum, videatur præpositus ad solutionem recipiendam, sequitur Bec. consf. 19. prima facie. num. 6. tu cogitabis.

Eueniet forsan, vt creditor, cui debitor tenetur soluere, sit excommunicatus; nunquid debitor in foro conscientiæ, adhuc ei teneatur soluere, vide Couar. in cap. peccatum. in fine initij, num. 8. vers. illud verò. de reg. iur. in 6. tom. 1. fol. 608. & Medin. in suis

tract. ac.

tractat. tom. 2. tit. de reb.restit. q.3.caus.9. vers.his non obstantibus. & seqq.fol.49. vbi loquitur distinguendo.

Et hæc sufficiant de solutione propria.

41 Impropria,seu ficta solutio per oppositum dicitur illa, quæ etsi non fiat in præcisa specie, & forma obligationis, tamen per omnia habet vim, & effectum solutionis, Mantic. tract.de coniect.vlt.volunt.lib.11.tit.17.sub num. 34. vers. illud quoque. & ideo liberat debitorem, & hæc est conclusio non solum vera, sed non recipit difficultatem.

42 Declara primo hanc conclusionem, colligendo differentiam inter solutionem propriam, & solutionem impropriam, vt creditor non cogatur recipere impropriam solutionem, prout cogitur recipere propriam.

Infero ex hac declaratione, quòd si tu die prima Ianuarij promisisti cum iuramento soluere mihi scutos centum die prima Martij proximè futuri; & quia non soluisti, ago contra te, vt soluas; non poteris opponere, faciendam esse compensationem cum tuo credito, orto ante dictam primam diem Ianuarij, secundum communem distinctionem, de qua Tynd.tract.de compens.art.7.sub nu. 14.tom.6. par.2.fol.256. Capic. decis.167. sub n.4.& seqq.& alij,quos citat, & sequitur Sebast.Medic.tract.de compens.par.1.q.25. sub num.21.& seqq. tom.6.par.2. fol. 264.

43 †quia compensatio non est vera solutio, sed est imaginaria, Tynd. d.tractat. de compens. art.1.num.1.art.3.sub num.3.& d.art.7. nu. 16.versus finem,& num.17.20.21.& sub nu. 23.vers. plus vbi videtur.Capic.d.decis.167. num.6.Sebast.Medic.eod.tractat.par.2.q.1. num. 2.fol.267.Mantic.tract.de coniect.vlt. volunt.lib.11. tit. 17. sub num. 34. & communiter omnes in diuersis locis.

44 Ratio meo iudicio est, non propter iuramentum,quod considerant Doct.sed quia,si ipsi voluissent illud compensare,alter eorum non se constituisset debitorem, quę ratio non potest considerari in credito, postea acquisito ab ipso debitore,& ideo ijdem Tynd. d. art.7.sub nu.14 Capic.d.decis.167.nu.4. & seqq.& alij,quos sequitur Sebast.Medic.d.q. 25.sub num.21. & seqq. contrarium firmant in credito, orto post debitum iuratum.

45 Extende hanc illationem,vt procedat non solum in casu, quo debitor opponeret de compensatione sui crediti illiquidi, quia tunc compensatio, siue esset de credito antea, siue postea contracto,reijceretur ex regula generali, quòd de liquido ad illiquidum non fiat compensatio: sed procedat etiam si creditum sit liquidum: & in his terminis loquitur illatio, quia alias esset superflua, cum sufficeret regula trita prædicta, quòd de liquido ad illiquidum non fit compensatio.

46 Restringe in Ciuitate Genuę eandem illationem,vt non procedat in statuto, de causis executiuis,cap.3.lib.2.§.non possit.quia in eo expressè cauetur, vt debitor possit opponere exceptionem solutionis per viam compensationis, dummodo tamen eam probet per scripturam publicam, vt in eodem §. & sit liquida.

47 Declara secundo, vt solutio impropria liberet debitorem, quando est facta vero domino, seu alteri, habenti ab eo mandatum speciale ad recipiendum solutionem illam impropriam; quia tūc per omnia habet vim, & effectum solutionis, vt secutus sum supra num.41. vers. impropria. & num. seq. secus si sit facta procuratori, seu ei,qui habet simplicem facultatem exigendi debitum,seu recipiendi solutionem; quia istis non rectè fieret solutio impropria, & facta non liberaret debitorem; quare adiectus solutioni non potest nouare obligationem, nec acceptum ferre, neque cessionem recipere, neque alium quemuis actum liberationis facere, sed potest solum naturalem solutionem recipere,vt latius scribit Stracch.tract.de adiect. par.1.num.49.& seqq.tom.6.par.1.fol.385. & idem dico de procuratore, constituto ad exigendum.

48 Extende primo eandem declarationem, in prima parte, dum dixi, quòd solutio impropria facta vero domino liberat debitorem, vt procedat quoad omnes effectus veræ, & propriæ solutionis; quare licet acceptilatio non sit solutio, tamen adeò obtinet vim veræ, & propriæ solutionis, vt, stante statuto, quòd contra guarintigiam non possit opponi, nisi exceptio solutionis, & falsitatis, posset debitor opponere acceptilationem, Guid.de Suz.tract. de instr. guarint.in fine, num.54.in fine,& num.55. tom.6.par. 2.fol.339. & conditio, si Titius soluerit hæredi meo decem, dicetur adimpleta, si hæres meus illa decem Titio accepta fecerit, Mantic.tract. de coniect.vlt. volunt. lib. 11. tit.17. sub num.34. vers.illud quoque.quod dixi etiam supra sub num. 21.& 22. & hinc est, quòd qui scribunt liberatum per accepila-

ptilationem non dici liberatum per solutionem, non controuertunt, an dicatur liberatus, sed hoc supponunt, loquendo cum ista qualitate, vt inter alios loquuntur Paul.de Castr.in l.49. solutam, num. 2. in fine, ff. de solut. & Sebast. Medic. tract. de acceptil. q. 12.num.32.tom.6.par.2.fol.403.& demum vbi creditor compensauerit, vel acceptauerit delegationem debitoris sui debitoris, & postea ageret, posset debitor eum repellere, ac si verè, & propriè in pecunia numerata soluisset, seu id fecisset, quod facere erat obligatus, & hoc sciunt omnes.

49 Extende secundo, quod dixi, solutionem impropriam, factam adiecto, non liberare debitorem, vt procedat etiam in solutione propria, quæ fit facta adiecto alibi, quàm in loco destinatæ solutionis, quia respectu interesse illa solutio non liberat, l. 3. non vtique. §.item iulianus. vbi Bar. & alij ff. de eo quod cer.loc. & dixi §.præced. q. 7. par. 2.ampl.8.num.307.

50 Exemplifica primo nunc eandem conclusionem de impropria solutione in compensatione,vt dixi supra sub num.42.vers.infero.

51 Exemplifica secundo in acceptilatione, quam similiter non esse propriam solutionem, dixi supra num.48.vers.extende.

52 Declara, restringendo hanc exemplificationem, vt non procedat in acceptilatione, qua creditor, aliqua debiti parte à debitore decocto accepta, reliquum ei remittit, quia, si debitor ad pinguiorem postea deuenerit fortunam, tenebitur etiam residuum, sibi remissum, soluere, & creditor potest illud conditione ob turpem causam petere, vt sequitur Stracch.tract.de decoctor.par.6. num. 1. & seqq.tom.6.par.1.fol.321.

53 Extende hanc declarationem,vt maximè procedat, quando debitor simulauit se decoctum, seu non soluendo,quia tunc etsi,Iudicis sententia accedente, minoris summæ solutioni acquieuerit, tamen debitor tenebitur reliquum soluere, cum sententia per fraudem extorta sibi non prosit, etiamsi creditor reliquum remiserit, & syngrapham, qua fateatur, se gratis, & liberaliter remisisse, dederit, quia adhuc non dicetur gratis, & liberaliter remisisse, sed fraude, & dolo deceptus, & confessio prædicta non iuuaret, quia creditor eam fecisset ex causa, ratus, debitorem non esse soluendo, Ioann. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 13. qui etsi loquatur in debitore, qui ad pinguiorem fortunam peruenerit, tamen videtur inconsideratè ita loquutus, quia, si simulat paupertatem, non est pauper, si non est pauper, est soluendo, non aliter expectata pinguiori fortuna; &, quòd debitor, qui, fingendo se non habere, hac fraude remissionem debiti à creditore obtinet, non sit liber à restitutione,scribit Card. Tolet. de instruct. sacerd. lib.5.cap.26. num. 2.vers.tertia. & facit,quod scripsi infra num. 56.& seqq. & sub num 60.vers.confirmatur. & quod scripsi §.præced.q.7.par.3.limit.20. num.5.extens.3.

Subdeclara ex his, quæ scripsi infra num. 62. vers. hæc. & reliqua vide apud Stracch. ibi citatum.

54 Exemplifica tertio in cessione, & delegatione,quę non sunt propriæ solutiones,ideoque in eis insurgunt multæ controuersiæ, de quibus scripsi infra num.249. & seqq. & nu. 280.& seqq.

55 Exemplifica quarto apud mercatores in solutione,quam faciunt per accommodationem scripturarum in eorum libris, quia illa scriptura obtinet vim solutionis, Rot. Genuen.decis.2.erant,num.4.in fine, & num. 5. & Io. Bapt.Cauat. tract.de camb.in prælud. vers.octauo loco. versus finem, fol. 214. &, quòd per solam scripturam in libro rationum fiat solutio sine pecunia numerata,supponit absque difficultate Mich. Sal. ad D. Thom.2.2. post q.78. in disput. de camb. q. 4.art.2. controu. 12. sub num.4. vers. colligunt.tom.2.fol.589. & quòd vsu discamus, apud magni nominis mercatores litteras rarò numerari pecunias, sed adscribi litteras crediti,vel debiti,scribit Nauar.conf.31.reuerendis.vers.ad primum iam. lib. 5. de vsur. &, quòd solutio dicatur fieri in loco,vbi accommodantur scripturæ, scribit in eod. cons.31. vers. postremo auctoritate. in fine, &, quòd apud campsorem depositarium duobus modis fiat depositio pecuniæ; videlicet per numerationem, & per traditionem chirographorum, acceptorum ab eo pro pecunia numerata, & ijsdem duobus modis fiat ab eo redditio, scilicet numerando, & tradendo chirographos, quibus rogat alium campsorem, vt pro eo numeret, scribunt Nauar. in man.confess.cap.17.de vsura circa cambia, sub num.293. & in cap. nauiganti.num. 37. vers.huius tamen. de vsur.& Romoald. Coli tract.de camb.cap.34. quos duos postremos secutus sum §.pręcedenti q.7.par.2.ampl.3. num.9.

num. 9. & in nundinis fieri eiusmodi solutiones per acceptationem litterarum retuli, & secutus sum ex Sot.& Io.Azor.in gl.praeced. sub num. 10. & 11. & haec species solutionis non exorbitat à dispositione iuris communis, quia in eiusmodi accommodatione scripturarum inest virtualiter satisfactio, per ea, quae scribit Rot.Genuen.decis.1.sub num.8. vers.secundo quod.& larius decis.4.dum iudicauit.num.13.quicquid scribat in contrarium Io.Bapt.Cauat.d.tract.de camb. tit. de fine cambiorum, vers. quaero an modus. fol.224.

56 Declara hanc exemplificationem,dū dixi, quòd accōmodatio scripturae habet vim verę solutionis, vt procedat, quando scriptura est ita clara, vt necessariò denotet satisfactionē, vel per viam remissionis, vel donationis debiti, secus si scriptura non clarè inferat extinctionem debiti; quia remittere,relaxare, seu donare, est renunciare, & renunciatio est strictissimae naturae, adeo vt in ea non veniant, nisi expressa, & quae sunt dubia interpretantur in eam partem, quae renuncianti magis prodesset, & minus noceret, vt latè secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib.2.cap.5. sub num. 163. vers. comprobatur. & vers.seqq.

57 Infero ex hac declaratione,quòd summa, idest, partita, scripta inter partitas solutionum à manu sinistra libri ratiocinorum pro debitore contra partitas, scriptas à manu dextra eiusdem libri pro creditore, si sit sequentibus verbis concepta,*1606. à 23. di Decembre. Et per lib.* 4851. 5. 9. *che per estintione di questo conto, per ordine, dato hoggi dal Signor N. si passano alle auarie lib.* ——————— 4851. 5.9. non liberat debitorem, quia non habetur loco solutionis, seu remissionis.

58 Ratio huius illationis est, quia auaria secundum dispositionem statutorum Genuensium lib.4. cap.17.de securitatibus. §. assecuratores, il 1. est omne damnum, quod casu fortuito sequitur,seu contingit in nauigio cum inuentario, seu rebus assecuratis vltra expensas,quae contingere possunt, etiā si non sequatur taliter, quòd possit dici,casum sinistrum super toto secentum esse,& haec pro rata, siue iactus, siue auariae, spectantis rei assecuratae, & lib.2.cap.4.de causis breuioribus. §.sed in causis. in illis verbis, *vel occasione emendationis auaria, vel damni, qua,&c.* & lib.1.cap.11.de calculatoribus. in illis verbis: *petierit fieri calculum de iactu, seu auaria contra mercatores, &c.* & sic damnum, quod statuentes in re assecurata auariā dicunt, mercatores in dati, & accepti calculo, quasi desperatā crediti exactionem inter auarias, idest, damna, & iacturas ponunt. Auariam etiam vocant lucrum, quod percipiunt ex aliquo negotio separato, de quo nolunt calculum tenere ordinarium.

59 Solent mercatores in ratiocinorum libris omnia data,& accepta referre,&, cum calculum, seu computum adaequatum reperiunt, vocant, *tranquillum*.

60 Sed pati auariam, non est donare, remittere, vel renunciare, sed est coactè damnum pati: ergo creditor, indicando in eius libris auariam, non liberat debitorem; & ita de stylo seruari saepè à mercatoribus audiui.

Confirmatur haec illatio, quia sicut remissio, quam creditor, aliqua crediti parte habita, facit debitori decocto, non liberat debitorem, si ad pinguiorem fortunam deuenerit, Stracch. & Io. Azor. quos secutus sum supra num.52.& 53. vers. declara. ita etiam haec descriptio debitoris in calculo auariarum non liberat debitorem, quia creditor coactè, & inuitus tunc non habet eum pro debitore.

61 Contra hanc illationem, & stylum allegabatur, quòd sicut creditor, tradendo debitori cautionis scripturam, videtur ei remittere debitum, l.2.ff.de pact. Negus.tract. de pign.memb.3.6.par.princ.num.19. tom. 6.par.1.fol.247. ita etiam creditor,notando in eius libro extinctionem computi, videtur remittere illud debitum,aut saltem illius debiti interesse.

In hac difficultate (vt facilis moris est apud Genuenses) dabantur in Rota hinc inde fides, subscriptae à pluribus mercatoribus Genuensibus,& quidem primarijs, quarum tenores,& subscriptiones erant,vt infra;cum suppositione huius casus.

Pietro nel suo libro tiene debitore Giouanni di scudi 1000. *gli dà credito all'incontro di scudi* 700.*hauuti nel Cartulario di S.Giorgio, & gli restanti scudi* 300.*gli passa all'auarie in tutto come sotto*. à manu dextra libri.

1603. *à* 4.*di Nouembre*.

Giouanni mi deue scudi 1000.*come per vna tale scrittura.*—*sc.*1000.& à manu sinistra

1603. *à* 4.*di Nouembre*.

Hauere sc. 700.*che mi hà pagato nel Cartulario di S.Gorgio.* ——————*sc.* 700.

Vu 2 *E più*

E più à 7. di Febraro 1610. in scudi 300. che per estintione di questo conto si passano all'auarie ——————— *sc.* 300.

Pietro dopò dell'idetta scrittura, fatta nel suo libro in tutto, come sopra, vuol riscuotere da Giouanni li scudi 300. della seconda partita à credito, si domanda hora, se in vso mercantile si sia Pietro pregiudicato, per hauer passato detti scudi 300. all'auarie. & se, per detta scrittura, fatta nel modo di sopra, viene estinto il debito di Giouanni, in modo che venghi liberato dal detto debito di detti scudi 300. passati all'auarie, come sopra, ò pure se, non ostante detta scrittura, possa detto Pietro riscuotere da Giouanni li detti scudi 300. che per altro non gli hà mai pagati. Tenor fidei.

Io N. sono di parere, che Pietro, per hauer passato la sudetta scrittura nel suo libro a debito dell'auarie, con estinguere il conto di Giouanni, non si sia pregiudicato di non poter scoder la detta partita, quando gli piace, non prouando la sudetta scrittura pagamento, ne estintione del debito, ne renuntiatione delle ragioni, & attioni del detto Pietro; anzi può in ogni tempo contrascriuere la detta partita dal conto dell'auarie, & tirarla in debito di Giouanni, che resta tuttauia vero debitore, & sarà fino à tanto realmente paghi il suo debito, remettendomi à cui, &c. huicq; attestationi se subscripserunt alij octo.

Tenor alterius fidei. 1615. *à 4. Maggio In Genoua. Noi infrascritti facciamo fede, che quando nelli libri de mercadanti si manda vna partita all'auarie senza altra risalua, della quale era debitore vn debitor buono, & dal quale, se si volesse scodere, egli haurebbe larga commodità di pagarla, che communemente se intende, che il Padrone del libro, cioè il creditore non vuole più tenere debitore quel tale, che la doueua, & per consequenza glie la rimette, condona, ò rilassa.*

Io N. sono di parere, che quelli, che nelli lor libri estinguono vn debitore nelle auarie senza caosa alcuna, habbino allhora intentione di non volerlo scuoder, perche altrimente per stile vsato fra scrittuali non andrebbe vn debitore buono, & che se intendesse di voler scuoder, estinto in dette auarie, rimettendomi però a chi hauesse differente, & miglior parere.

Io N. sono dell'istesso parere del sudetto Signor N. soggiongendo che quando si estingue nelle auarie vn debito, che chi lo deue, è buono debitore, senza riserua alcuna di poterlo scuodere, non ostante la estintione, che allhora se intende esso debito estinto, in modo che non possa più esser douuto, & hauere il debitore estinto giusta presentione di difendersi di non esser più debitore. & huic attestationi se subscripserunt alij vigintitres.

62 Hæc posterior fides videbatur continere distinctionem iuris communis in casu, quo creditor debitori decocto, seu aliter non soluendo, remittit debitum, quia remissio non intelligitur facta liberè, ideoquè creditor, quandocunque debitor ad pinguiorem peruenerit fortunam, poterit ab eo solidum exigere, vt scripsi supra num. 52 & 53. secus si remissio fiat ei, quando iam ad pinguiorem peruenisset fortunam, seu esset soluendo, quia tunc censeretur omnino liberatus, vt ex Rom. cons. 404. sequitur Stracch. tract. de decoct. par. 4. num. 9. vers. consultus. & clarius, ac correctè par. 6. sub num. 1. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 321. vbi videas.

Rota illa, sequendo primã fidem, tum quia erat iuri consona, tum quia erat probata in actis; & non secundam, quia licet ea, attenta hac distinctione, potuisset forsan præualere, tamen qualitas idoneitatis debitoris nõ erat probata, protulit sententiam ad fauorem actoris; sed ex iustissimis de causis, non pro toto prætenso interesse.

63 Exemplifica quinto in promissione mercatoris, facta creditori ad instantiam debitoris, quia de stylo mercatorum illa promissio cedit loco solutionis pecuniæ, & ideo liberat debitorem, Bar. in l. 15. singularia. num. 19. ff. si cert. pet. & quòd de consuetudine postquam campsor, vel mercator promisit creditori, & creditor acceptauit, debitor liberetur ipso iure, sequitur Affl. decis. 353. dubia, num. 5. Stracch. tract. de decoctor. par. 5. sub num. 5. vers. incurrit. tom. 6. par. 1. fol. 320. Et quòd promissio mercatorum habeat vim solutionis ex generali, & inueterata consuetudine totius Italiæ, scribit Rot. Genuen. decis. 4. dum iudicauit, num. 9. quam sequuta est Rot. diuers. decis. 285. dixerunt. sub num. 7. coram bo. mem. Card. Pamphilio, in Beneuent. census, 29. Maij 1595. seu 1598. in impressis Lugduni 1612. quæ est superfluè rursus impressa Romæ anno 1615. in numero decis. 124. & quòd cedula bancaria, seu cedula mercatoris dicatur continere veram solutionem, & consignationem, dixit Put. decis. 163. die 2. iunij. lib. 1. & Rot. Rom. in Ianuen. pecuniaria, vers. vnde cessat. die veneris 15. aprilis, coram Illustrissimo Cardinali

dinali Lancellotto, quæ allegat cõsimiles,& non est inter impressas,quas allegaui S. præced.q.7.par.2.ampl.8. n.4.&, quòd propterea notarius,attestãs in instrumento de solutione, possit intelligi de solutione per consignationem cedulæ, scribit ead. Rot.d.decis. coram Illustriss.Card. Lancellotto; Et quòd sit inueterata consuetudo, quòd quælibet promissio, facta in banco mercantili, cedat loco solutionis, scribit Alex. Raudens. in exposit.super banc.S.Ambr.num.124.&,quòd vbi viget hæc consuetudo, sit illi adhærendum, scribit Ang. in l.58. qui vsumfructum. num. 2. ff. de verb.oblig. imò, si negotiator emat merces, earumvè pretiũ chirographo suo apud campsorem consignat proximis nundinis soluendum, non existimatur credito emere, sed præsenti pecunia, Sot. de iust. & iur.lib.6. q. 11. art.1. col. 2. ibi, quamobrem mercator, fol.612.

64 Extende hãc exemplificationem, vt procedat etiam in solutione pretij census, quia etsi ex dispositione constitutionis Pij V. solutio fieri debeat verè in pecunia numerata coram notario, & testibus, & aliter facta, census sit nullus, vt secutus sum S. præced. q. 1. num. 232. tamen si emptor census coram notario, & testibus tradat venditori cedulam bancariam, cuius vigore effectualis sequatur solutio, census est validus, Rot.diuers.decis.286.de anno. num.5. vers. imò & post. & num. 6. coram R. P. D. Litta, 10. Februarij, 1597. in Eugubina census, inter impressas Lugduni anno 1612. & ex alia Rotæ decis.scripsi supra hac ead.gl.num.7.

Pro absoluta tamen intelligentia materiæ huius exemplificationis vide omnia ea, quæ scripsi infra num.244.& seqq.

65 Exemplifica sexto in præscriptione, quæ non est vera solutio, sed tamen inducit effectum solutionis, cum liberet debitorem; de qua præscriptione, & liberatione pluribus hic non ago, vide aliqua,quæ scripsi S præced.q.7.par.2.ampl. 19. num. 127. & seqq. & præsertim num.135.illat.4.& seqq.

Exemplifica septimo in deposito, quod etsi non sit vera solutio, & proinde dicamus, quòd qui deponit, non soluit, Bar. in l.6.item liberatur. sub num. 3. ibi, & eadem ratione. ff.quib.mod.pign. vel hypoth. solu. & Tiraq.de retr.lignag.S.9. glos.3. sub num. 3. tamen exemplificatio est vera in multis casibus.

Primus casus est de stylo Aud. Cam. quia de eius stylo, qui est probatus etiam in Rota, depositum habetur loco solutionis, Mohed.decis.6.alias 285. licet.initio,de excep. dicens,quòd etsi exceptio non numeratæ pecuniæ non retardet executionem obligationis Cameralis, ideoq; debitor debeat soluere, & postea repetere, tamen, inquit, fuisse per omnes tentum,quòd debitor poterat facere depositum, quod habetur loco solutionis, & postea probare exceptionem non numeratæ pecuniæ, ac si verè soluisset.

Secundus casus est, quando creditor recusasset accipere solutionẽ, quia tunc debitor posset facere depositũ,quod haberet vim solutionis,vt latè declaraui inf. num.161.& seqq. iunctis præcedentibus eundẽ numerũ.

Tertius casus est, quando debitum non est liquidum, quia tunc debitor excusatur à mora,& consequenter ante liquidationem non tenetur soluere, & ad summum posset teneri ad faciendum depositum.

66 Exemplifica octauo in cessione bonorum, quia communis est conclusio, quòd liberat debitorem ac si soluisset,vt,discutiendo multa pertinentia ad materiam huius exemplificationis,scripsi infra S.7.gl.5.num.122.

Declara primò hanc conclusionem, vt liberet debitorem, donec manet impotens ad satisfaciendum, secus cum potuerit satisfacere, Medin.in suis tractat.tom.2. tit.de reb, restit.q.3.in 3.caus.in fine, vers.facta autem. in fine, fol.32.

Extende hanc declarationem, vt procedat etiam si creditor reliquum debitori, cedenti, remitteret, per ea, quæ scripsi supra num.52.& 53.

Declara secundo,distinguendo duplex debitum: Aut enim debitum procedit ex delicto, puta,ex furto, rapina, seu violentia, & tunc tàm in foro interiori, quàm in foro exteriori tenetur soluere, & restituere integrũ, nihilo sibi retento, Medin. d. caus.3. in fine initij, fol. 31. imò ad cessionẽ bonorum non admittitur,sed venit puniendus, vt dixi infra S.7.gl.5.num.144. in fine: Aut procedit ex contractu, & tunc rursus distinguo inter forum,& forum: In foro enim exteriori admittitur non solum ad cessionem bonorum, & cedendo liberatur, sed potest etiam sibi retinere aliquid, ne indigeat, Medin. d. q. 3. caus.3.in fine initij, & q. 5. vers.respondetur quòd istæ. fol.70. In foro autem interiori tenetur soluere, & restituere integrum,etiam quòd remaneat indigens, & inops, nulla in

 hoc

hoc conſtituta differentia, an debitum procedat ex delicto, vel ex contractu, Medin.d. q.3.cauſ.3. verſ.præueniendo. fol. 31. & d. q.5.verſ.reſpondetur quod iſtæ. fol.70.

Confirmatur hoc de foro interiori, tum quia leges humanæ neminem excuſant in conſcientia contra legem diuinam, & naturalem; at lex diuina, & naturalis eſt, vt quicquid homo alteri debet, reſtituat, Apoſt. ad Rom. 13. num. 7. *reddite ergo omnibus debita, &c.* & num.8. *nemini quicquam debeatis.* tum quia præceptum eſt, *non facies furtum*; in quo non minus prohibetur rei alienæ detentio, quàm acceptio; cum ergo pro ſuſtentanda natura, aut ſtatu non liceat aliena, inuito domino, auferre, vbi homo poſſet aliter ſuæ indigentiæ prouidere, ſequitur, quòd nec ob eandem cauſam poſſit aliena retinere, Medin. in loco ſupra proximè citato.

Reliqua, pertinentia ad hanc ceſsionis bonorum materiam, habes infra §.7.gl.5.num. 122.& ſeqq.

67 Exemplifica nono in quauis alia ſatisfactione, quia ſtabit loco ſolutionis, l. 52. ſatisfactio pro ſolutione eſt. ff. de ſolut.

68 Contrarium innuit Gl. ibidem, dum ſub ſatisfactione intelligit dationem fideiuſsionis, vel pignoris, & tamen nec fideiuſsio, nec pignus liberat debitorem.

Confirmatur hæc opinio contraria, quia confeſsio in dubio debet intelligi quominus præiudicet confitenti, & potius contra eum, qui eam producit, vt ſecutus ſum in meo tract.de iudic. cauſ.&c. lib.2. cap.11. num. 439. & 440.

69 Sed ſatisfactio poteſt intelligi, etiam remanente actione, vt puta, quia tu debitor ſatisfacias mihi de idoneo fideiuſſore, ſeu de pignore, vel de inſtrumento, ſeu alia ſcriptura, quæ me nunc cautum reddat, cum antea deficeret mihi probatio; & conſequenter dico tunc, mihi datam eſſe ſatisfactionem, ſeu te mihi ſatisfeciſſe, & ideo militant quæ ſcripſi ſupra num. 56. verſ.declara.

70 Ego diſtinguo: Aut creditor exprimit modum, quo ſibi fuit ſatisfactum: & tunc ſumus in re clara, quòd illa ſatisfactio non extenditur vltra: Aut creditor non exprimit modum, ſed vocat ſe ſimpliciter ſatisfactum; & iſto caſu, quicquid dici poſsit in puncto iuris, intelligitur de plena ſatisfactione, & ſic de totali extinctione debiti, quia oratio indefinita æquipollet vniuerſali, & illa indefinita eſt clara, & ſine dubio, & ſic ceſſat difficultas confirmationis, & declarationis, de qua d. num.56.

Reſtringe, ſeu potius ſubdeclara ſecundam partem declarationis, poſitæ ſup. num. 47. dum dixi, impropriam ſolutionem, factam procuratori ad exigendum, non liberare debitorem, vt non procedat, ſi ille ſit factus procurator in rem propriam, quia iſte poteſt facere ea omnia, quæ poſſet dominus; quare licet ſimplex procurator non poſsit compenſare, tamen poteſt compenſare, ſi ſit procurator in rem propriam, vt ſecutus ſum in meo tract.de iudic.cauſ.lib.2. cap.2. num.736.

71 Limita nunc extenſionem, quam poſui ſupra num. 48. & ſeqq. & eius exemplificationes (dum dixi, quòd ſolutio impropria, facta vero domino, liberat quoad omnes effectus veræ, & propriæ ſolutionis) vt non procedat in ſolutione pecuniæ, qua emitur cenſus, quia iſtæ impropriæ ſolutiones non habent eff. ctum conſtituendi cenſum, qui conſtitui poteſt ſolum pecunia præſenti, & verè numerata, vt ſecutus ſum §.præced. q. 1.num. 209. & ſeqq.

Sublimita hanc limitationem in caſu, de quo ſupra num.64. verſ.extende.

SVMMARIVM.

Soluere quilibet poteſt debitum, num. 72.

Ampliatur hæc concluſio, vt poſſit ſoluere etiam tertius, ad ſoluendum nullatenus obligatus, num.73. Subampliatur primo, etiam ſi ſoluat, inuito, & ignorante debitore, num.74.& 76.

Declaratur hæc ſubampliatio, vt ſoluens, debitore præſente, & contradicente, non poſſit contra eum acquirere actionem negotiorum geſtorum, ſecus ſi debitor ſit præſens, & non contradicat, vel ſit abſens, & ignorans, num. 75. Subampliatur ſecundo, vt poſſit ſoluere, etiam creditori inuito, num.77. & ſeqq. Subampliatur tertio, vt poſſit non ſolum ſoluere, & offerre, ſed poſſit etiam facere depoſitum, & iura creditoris conſequi contra debitorem, num.81.& ſeqq.

Solutio ſi oblata ſit à tertio creditori, agenti in iudicio contra debitorem, & creditor eam recuſet, debitor poteſt creditorem repellere, nu.78. Declaratur dupliciter, num.79. & 80.

Poſſidens rem, ſi in ea moleſtatur à creditore hypothecario illius, qui erat, vel eſt dominus illius rei, poteſt eidem creditori offerre ſolutionem, & inde conſequi iura creditoris, num.81. & ſub

& sub num. 89. cas. 2. & memb. 2. Et quid si possideat iniustè, an possit creditorem cogere ad cedendum iura, num. 82.

Solutionem creditori hypothecario si offerat tertius, qui habeat interesse in liberatione hypothecæ, & multò magis si soluat, acquirit actiones, & iura contra debitorem, num. 83. & seqq. Et quando non possit offerre, num. 86. Oblatio, & solutio quomodo sibi prosit, nu. 87.

Fideiussor soluens potest cogere creditorem ad cedendum iura, num. 85. & sub num. 89. cas. 3. Sine qua cessione non haberet hypothecariam, sub eodem num. 89. extens. 1. Et quando creditor possit eum cogere sine cessione, eod nu. 89 in fine, vers. restringe.

Soluens creditori hypothecario, & nullum habens interesse ratione hypothecæ, acquirit actionem negotiorum gestorum, non tamen potest cogere creditorem ad cedendum sibi iura, num. 88. Etiam si iste soluens sit creditor, sed chirographarius eiusdem debitoris, num. 88. vers. extende.

Soluenti proprium debitum non debetur cessio iurium, num. 89.

Soluenti alienum debitum motu proprio absque vlla obligatione, & nullum habenti interesse, creditor non cogitur cedere iura, sub num. 89. vers. secunda.

Cedere tenetur creditor actiones, sub nu. 89. vers. membrum secundum. Etiamsi contra ipsum possent retorqueri, sub nu. 89. extens. 8. Quòd si creditor nullas, quas cedat, habeat actiones, excluditur à petitione, sub eodem num. 89. extens. 6.

Cedere quas actiones teneatur creditor, sub num. 89. extens. 2. & seqq.

Cedendarum actionum exceptio impedit executionem, sub num. 89. extens. 5.

Cessio actionum est quodammodo venditio nominis debitoris, sub num. 89. declar. 2.

Cessio actionum, & iurium fieri potest ab omnibus, & quæ personæ cedere non possint, sub num. 89. declar. 3.

Cessio iurium quibus fieri non possit, remissiue, sub num. 89. declar. 4.

Cedi potest regulariter omnis actio præter directam, num. 89. declar. 5.

72 QVAERO III. quis possit soluere debitum creditori, & soluendo, liberare debitorem.

Respondeo, quòd potest soluere ipsemet debitor, & quilibet pro eo, l. 41. soluendo. ff. de neg. gest. cum alijs allegatis infra num. 74. subampliat. 1. hæcq; est conclusio, quæ non patitur controuersiam.

73 Amplia hanc conclusionem vt possit soluere etiam tertius, & extraneus, ad soluendum nullatenus obligatus, d. l. soluendo. cum alijs allegatis num. seq.

74 Subamplia primo, vt procedat, etiam debitore inuito, & ignorante, quia naturalis, & ciuilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem etiam ignorantis, & inuiti nos facere posse, d. l. 41. soluendo. ff. de neg. gest. l. 23. solutionē. l. 54. soluere. ff. de solut. cum alijs allegatis per Glos. in d. l. soluendo. in verbo, cum. Ias. in l. 41. tale pactum. §. post diuisionem. num. 2. ff. de pact. Neguf. tract. de pign. in 3. memb. 5. part. princip. num. 39. vers. quinto principaliter. tom. 6. par. 1. fol. 234. Menoch. cons. 296. cum interrogatus. num. 23. vers. secundo obijcitur. Flam. Cart. decis. 61. mulier. sub num. 3. & scripsi infra sub num. 365. &, quòd creditori volenti possit quis pro debitore etiam inuito soluere, & eum liberare, & hoc sit clarum, scribit Paul. de Castr. in d. §. post diuisionem. in fine, num. 3.

75 Restringe hanc subampliationem, distinguendo duas inspectiones principales.

Prima inspectio est, quando iste tertius, soluens, inuito, & ignorante debitore, intendit, soluendo, acquirere actionē negociorum gestorum cōtra debitorē, iuxta ea, quæ secutus sum infra num. 364. & 365. vers. his præmissis. & in hac inspectione rursus distinguo: Aut debitor est præsens, & contradicit, ac prohibet, ne pro ipso soluat: & isto casu concludo, subampliationem non esse veram, quia non potest quis, me inuito, gerere meum negotium, vt contra me acquirat actionem negociorum gestorum, etiam si vtile velit negocium gerere, vt in his terminis ex Menoch. & stat. Genuen. secutus sum infra num. 390. declar. 4. quia non est mera charitas, seu merum beneficium soluentis, quod in inuitum conferri possit; Aut debitor est præsens, & solutioni non contradicit, seu est absens, & ignorans: & istis casibus concludo, veram esse subampliationem, & hunc soluentem negociorum gestorū actionem sibi acquirere, etiam si debitor nolit postea ratam habere solutionem, diceretq; soluentem sibi rem gratam non fecisse, quia nihilominus, ipso debitore inuito, esset soluenti acquisita actio negociorum gestorum; nam

nam non ex hoc, quòd debitor solutionem ratam non haberet, posset is, qui soluit, cogere creditorem ad restituendum; & sic iniquum esset, vt is, qui soluit, priuaretur actione, quam acquisiuit, & debitor cum iactura soluentis locupletaretur: & quia vice versa posset ille tertius, soluendo, negocium potius damnosum, quàm vtile gessisse, tenebitur ipse docere, se vtile negocium gessisse; quapropter ista solutio pro debitore absente, & ignorante non solet fieri, nisi in casu, quo euidenter vtilitas appareret, & controuerti non posset, vt quando quis soluit litteras cambij pro honore litterarum, ne redeāt cum protestu; alias, si vtilitas non sit ita euidens, fatuus esset, qui solueret: poneret enim quod haberet certum, & securum pro tantundem incerto; quare dato isto casu, vt debitor negaret, solutionem fuisse sibi vtilem, cautela fuisset, si à creditore actionum, & iurium cessionem habuisset, & tanquam cessionarius contra debitorem ageret, vt hinc detegeretur solutionis vtilitas.

76 Secunda inspectio est: quādo soluens non intendit actionem aliquam acquirere contra debitorem, neque eum habere obligatum; sed intendit eum solum liberare: & in hac inspectione concludo, subampliationem, quòd tertius possit, inuito debitore, soluere, esse indistinctè veram, quia quantumuis debitor non acceptet illam solutionem; tamen est liberatus à creditore, qui illam recepit, & ideo ab eo molestari non potest, cum solutione eius, quod debebatur, sublata sit omnis actio: si tamen creditor solutionem, etiam ab eodem debitore sponte soluente deinde reciperet, teneretur omnino restituere illi tertio, quod ab eo accepisset.

77 Subamplia secundo, vt iste tertius, & extraneus possit soluere etiam creditori inuito, qui est casus magis dubius, Paul. de Castr. in l. 41. tale pactum. § post diuisionem. num. 2. & Ias. num. 3. ff. de pact. Neguf. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princip. num. 39. tom. 6. par. 1. fol. 234. & Flam. Cart. decis. 61. mulier. num. 5.

78 Extende hanc subampliationem, vt in tantum extraneus possit soluere, vt si creditori solutionem offerat, & is eam recuset, dicendo, quòd vult eam à suo debitore, contra quem agit, debitor, probata solutionis oblatæ recusatione, poterit creditorem repellere; quod esse perpetuò menti tenendum, scribit Paul. de Castr. quem sequuntur Ias. Neguf. & Flam. Cart. in locis supra proximè citatis.

79 Declara primo hanc extensionem, vt procedat, quando oblatio fit à tertio in eodem iudicio, quo creditor agit contra debitorem, quia tunc in illo iudicio potest debitor eum repellere; secus in alio iudicio, quo creditor denuo ageret contra debitorem, quia illa oblatio, facta in alio iudicio, & recusata non extinguit obligationem, & ideo creditor poterit iterum petere, cum illa recusatio solutionis oblatæ constituat solum creditorem in mora, Neguf. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princip. num. 40. tom. 6. par. 1. fol. 234.

80 Declara secundo, vt illa oblatio solutionis recusatæ constituat creditorem in mora, vt dixi, etiam quòd non fuerit realis oblatio, iuxta ea, quæ secutus sum infra num. 157. vers. restringe. & consequenter illa mora erit apta ad nocendum ipsi creditori in illis casibus, de quibus egi infra num. 160. & infra num. 194.

81 Subamplia tertio, vt tertius possit non solum soluere, & offerre creditori, vt dixi, sed possit facere etiam depositum, eoq; facto, aut solutione à creditore acceptata, possit eiusdem creditoris iura, & actiones consequi contra debitorem, pro quo soluit, & quem liberauit; sed cum distinctione trium principalium casuum.

Primus casus est, quando tertius possidet rem, creditori pignoratam; & quia in ea molestatur ab ipso creditore hypothecario, offert illi solutionem, ad effectum eam liberandi ab illa hypotheca, & liberatam retinendi: & isto casu concludo, quòd potest solutionem offerre; hancq; oblationem potest facere, etiam postquam esset condemnatus in hypothecaria, antequam rem tradat, Paul. de Castr. in l. 60. si res obligata, sub num. 4. ff. de leg. 1.

82 Extende, declarando hanc cōclusionem, vt ad prædictum effectum procedat, etiam si sit possessor iniustus, secus ad effectum cogendi creditorem ad cedendum iura sua, tàm personalia, quàm hypothecaria per viam exceptionis, quia non posset hoc facere, nisi esset possessor iustus, Paul. de Castr. sub d. num. 4. in fine.

Pro & contra hanc extensionem, dum facit differentiam inter possessorem iustum, & possessorem iniustum quoad impetrandam cessionem iurium, multa adducit Neguf. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princ. num. 26. & 27. tom. 6. par. 1. fol. 232. & residet in opinio-

opinione contra Paul. de Castr. & sic contra hanc extensionem; & firmat, quòd tàm possessor iustus quàm iniustus consequatur cessionem iurium, & ita ex communi opinione contra eundem Paul. de Castr. videtur residere Afflict. decis. 259. fuit decisum. in fine; tu poteris melius cogitare, quia in isto passu pro nunc ero merus relator.

83 Secundus casus est, quando iste tertius rem, creditori hypothecatam, non possidet, habet tamen magnum interesse in solutione, & liberatione debitoris: & isto etiam casu concludo, quòd potest offerre, & offerendo, seu soluendo, acquirere iura, & actiones contra debitorem; quod ostendo, considerando in hoc secundo casu tria membra.

Primum membrum est, quando iste tertius, offerens solutionem, habet ius in ea re, quia est dominus illius rei: & tunc potest ipse per modum agendi offerre solutionem, & facere sibi tradi illud pignus, & actiones sibi cedi, Paul. de Castr. in d. l. si res obligata. nu. 5. in secundo casu.

84 Secundum membrum est, quando non est dominus illius rei pignoratæ, habet tamen in ea etiam ipse ius hypothecæ, sed posterius: & in isto membro concludo, quòd potest similiter offerre primo creditori, & liberare rem ab eo, & facere sibi cedi iura, Paul. de Castr. vbi supra, Affl. decis. 259. fuit decisum. num. 1. Negusan. tractat. de pign. in 3. memb. 5. par. princ. sub num. 6. fallen. 2. & num. 10. & seqq. in quibus multipliciter ampliat, & Flam. Cart. decis. 61. mulier. nu. 11. & 12.

85 Tertium est, quādo nullū ius habet in re, tamē ipse est fideiussor debitoris: & cōcludo similiter, quòd soluēdo potest cogere creditorem ad cedendum sibi iura, vt secutus sum inf. sub nu. 89. vers. tertius casus. vbi videas.

86 Restringe primo declarando cōclusionem huius secundi casus, vt procedat in oblatione, facta loco, & tempore congruis, secus in oblatione, quæ fieret incongruis loco, & tempore; & proinde mulieri, quæ, viro vergente ad inopiam, ageret pro collocatione dotis in tuto, non posset secundus creditor mariti, quamuis hypothecarius, offerre dotis solutionem, Olasch. decis. 135. quæstio difficilis. num. 9. & seqq. vers. contraria. vbi, quòd hæc videtur verior, & magis communis opinio.

Confirmatur hæc restrictio, quia oblatio debet fieri congruis loco, & tempore, alias non operatur, testibus his, quos citaui infra num. 168. & 169. illat. 2. quod tamen huic secundo posteriori creditori competat remedium, dixi infra §. 7. gl. 5. num. 91.

87 Restringe secundo, vt iste secundus creditor hypothecarius, soluendo primo creditori, præferatur alijs creditoribus, quoad creditum primi creditoris, & pro illa quantitate, in quam succedit, sed non quoad creditum ipsius secundi, quia pro eo non præfertur alteri, qui sit prior se, licet posterior primo, Negus. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princ. sub num. 10. ibi, intellige tamen. fol. 231. tom. 6. par. 1.

88 Tertius casus est, quando iste tertius nullum habet interesse, sicq; nullum habet ius in re, neque est aliquo modo obligatus pro illo debito: & isto casu concludo, quòd potest offerre, & soluere, quoad effectum liberandi debitorem, & acquirendi contra eum actionem negociorum gestorum, sed non quoad effectum consequendi cessionem iurium, quia isto casu creditor non cogitur inuitus actiones cedere, l. 5. nulla. & ibi Doct. C. de solut. & liber. Cyn. in l. vnica. q. 16. quæ est vltima, num. 18. C. etiam ob chirograph. pecun &c. tit. 27. lib. 8. & latius, ac clarius Paul. de Castr. in d. l. si res obligata. num. 6. Negus. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princip. fall. 2. num. 6. fol. 231. & nu. 42. fol. 234. & Flam. Cart. decis. 61. mulier. nu. 8. & 14. & concordant, quæ scripsi supra sub num. 75. in prima inspectione in secundo membro distinctionis.

Extende hanc conclusionem, vt procedat, etiam si iste, qui offert creditori solutionem, sit creditor eiusdem debitoris, quia si ipse offerens sit creditor chirographarius sine hypotheca, ideoq; nullum habeat ius in pignore, quod habet alius creditor, illa oblatio, seu solutio liberat quidem tam pignus, quam debitorem, sed tamen ipse soluens non acquirit iura illius creditoris contra debitorem, neque ius pignoris, neque illum creditorem potest cogere ad cedendum sibi iura, & proinde secundus creditor hypothecarius erit tunc primus in dicta hypotheca, Negusan. tract. de pign. in 3. memb. 5. par. princ. num. 6. fall. 2. & clarius num. 42. fol. 231. & 234. tom. 6. par. 1. & Flam. Cart. decis. 61. mulier. num. 9. 10. & 14.

Pro maiori huius extensionis intelligentia vide casum notabilem, quo restringitur hæc extensio infra num. 416.

Firmata

89 Firmata conclusione, quòd quilibet possit soluere pro alio, &, soluendo, illum liberare, prout, ampliando, subampliando, & distinguendo casus, & membra, scripsi supra num. 72. & seqq. vsque ad num. præcedentem inclusiuè.

Declara primo, an & quando creditor teneatur soluenti cedere iura, & actiones; adhibendo duplicem inspectionem.

Prima inspectio est; quādo quis soluit debitum proprium; nempè, vti debitor principalis: & in hac inspectione concludo, agendum non esse de iurium cessione, tum quia, soluente principali, habet locum regula (solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio) sicq; sublata obligatione, à qua oritur actio, vt effectus oritur à causa, necesse est, vt tollatur etiam actio; tum quia illa cessio iurium, & actionum militaret contra ipsummet debitorem, quod est absurdum; quia nemo potest esse debitor sui ipsius, sicut etiam nulli seruit res sua, l. 25. in re communi. ff. de seruit. vrban. præd. & l. 5. vti frui. ff. si vsusfr. pet. &c. & iustitia debet esse ad alterum, vt secutus sum infra §. 6. gl. 1. num. 12. & quòd debitori, soluenti proprium debitum, nulla fiat cessio, scribit pro regula clara Franch. decis. 55. vera est. num. 7. vers. secundo dicebatur. par. 1.

Secunda inspectio est; quando soluens non soluit debitum proprium, vti principalis debitor, sed soluit alio nomine debitum principaliter alterius: & in hac inspectione considero duo membra principalia.

Membrum primum est, quando soluens soluit non molestatus, sed sponte: & in hoc membro considero tres casus.

Primus casus est; quando is, qui soluit, non est aliquo modo obligatus ad soluendum; neque ostendit se habere aliquod ius, seu interesse in solutione, & liberatione debitoris; & ideo, soluendo, soluit sponte, & motu proprio, nulla necessitate futuri damni vrgente: & isto casu concludo, quòd creditor non cogitur soluenti cedere iura, & actiones, per ea, quæ scripsi supra num. 88. si tamen cesserit, vtilis erit cessio.

Secundus casus est; quando licet non sit obligatus, tamen possidet rem creditori pignoratam, vel aliter habet ius in re, seu interesse in solutione, & liberatione debitoris: & isto casu concludo, quòd creditor, cui soluit, debet cedere iura, & actiones, vt secutus sum supra sub num. 81. & seqq. vsque ad nu. 85. exclusiuè, vbi videas, & ex dictis d. num. 81. collige ampliationem, vt multo magis procedat, si molestatus solueret.

Tertius casus est; quando soluens est obligatus soluere pro principali debitore, vti fideiussor: & isto casu concludo, creditorem teneri ad cedendum iura, & actiones, auth. præsente. in fine, C. de fideiuss. Paul. de Castr. in l. 60. si res obligata. num. 5. in 2. cas. ff. de leg. 1. & Genuenses hanc cessionem habent ipso iure à stat. lib. 6. cap. 9. §. item intelligatur.

Amplia primo hanc conclusionem, vt creditor teneatur cedere, etiam si fideiussor in instrumento fideiussionis renūciasset omni iuris, & legum auxilio, quia hæc renunciatio non comprehendit auxilium cedendarum actionum, Dec. cons. 99. in causa. nu. 3. & Virgin. de Boccat. tract. de societ. offic. nu. 49. vers. nota etiam.

Secus quando renunciasset in specie cessioni actionum, vt dixi infra hoc eod. num. vers. restringe.

Amplia secundo, vt hæc cessio iurium debeatur ei etiam ex interuallo, quia fideiussor soluendo extinguit propriam obligationem, non autem aliorum, & consequenter cessio iurium etiam ex interuallo est vtilis, Gabr. cons. 63. paulus. num. 3. & 10. lib. 2. & Virgin. de Boccat. de societ. offic. nu. 116. vers. cessio.

Membrum secundum est, quando quis non spontè, sed coactus, seu molestatus soluit creditori, cogenti, & molestanti: & in isto mēbro firmo cōclusionem generalem, quòd, cum iste soluat coactus, creditor, cui soluit, tenetur cedere iura, & actiones, nullo adhibito discrimine, quo nomine soluat, an vti fideiussor, seu mandatarius; an vti tertius possessor, vel quouis alio nomine, quod excogitari posset, dummodo soluat inuitus; & in terminis huius membri intelligo Dec. in cons. 104. sub num. 2. in 3. & 5. argumento, & Bertaz. de clauf. clauf. 40. gl. 4. sub nu. 6. vers. nunc de secundo. dum dicit, cessionis actionum beneficium, per creditorem faciendæ, competere tàm fideiussoribus, & mandatoribus, quàm correis, & tertijs possessoribus, necnon & negociorum gestoribus, procuratoribus, & alijs soluentibus pro alio.

Extende primo easdem conclusiones, in quibus dixi, quòd creditor tenetur cedere iura, & actiones, vt teneatur cedere nedum actionem personalem, sibi competentem, sed etiam

etiam hypothecariam, Bar. in l. 76. modestinus. n. 12. q. 5. ff. de solut. Neguſ. tract. de pign. in 3. mẽb. 5. par. n. 35. tom. 6. pat. 1. fol. 233. & Bertaz. d. gl. 4. sub n. 7. nam fideiussori, soluenti competit actio mandati, sed non hypothecaria, nisi ei cedatur. l. 14. mandati. C. de fideiuss. imò confideiussori, soluẽti integrũ debitũ, est necessaria cessio. alias non posset agere pro rata cõtra cõfideiussorẽ, Neguſ. vbi sup. & probatur ex l. 11. cũ alter. C. de fideiuſ.

Extende secundo, vt teneatur cedere etiam naturalem obligationem, & officium iudicis contra principalem, & contra fideiussorem, Bar. & Bertaz. in locis, supra proximè citatis.

Extende tertio, vt vltra cessionem iurium teneatur fideiussori soluenti restituere pignora, quæ haberet debitoris, l. 2. C. de fideiuss. Bertaz. d. clauſ. 40. gl. 4. num 8.

Tẽpera hanc extensionẽ, vt nõ procedat quãdo creditor habet eadẽ pignora, vel hypothecas pro alio credito, quia non cogitur ea dimittere, quin prius omne debitũ sibi soluatur, d. l. 2. C. de fideiuss. Virg. de Boccat. tract. de societ. offic. nu. 51. vers. quam cessionem. Vide infra extenſ. 8.

Extende quarto, vt teneatur etiam exhibere instrumentum obligationis principalis, secundum vnam opinionem, quam non videtur sequi Bertaz. d. gl. 4. sub num 8.

Extende quinto, vt creditori denegetur executio instrumenti, nisi faciat petitã cessionem, etiam si statutũ mandet, contra executionẽ instrumenti nullam audiri defensionem, seu nullã admitti exceptionẽ, Bal. & alij, quos secutus sum §. præced. q. 7. par. 3. limit. 17. sub n. 12. quare creditor non potest obtinere executionem, quin faciat cessionem iurium, etiam si ista exceptio opponeretur post sentẽtiam, Bertaz. d. gl. 4. sub n. 8. imò etiã in executione sentẽtię, Vinc. de Frãc. deciſ. 476. n. 2.

Extende sexto, vt hæc obligatio faciendi cessionem operetur, vt creditor, non habens iura cedenda, nequeat cogere fideiussorem ad soluendum, Neguſ. d. 3. memb. 5. par. num. 36. fol. 233. & Bertaz. in loco, supra proxime citato.

Exemplifica, & explica hanc extensionẽ; quando creditor, quia liberauit debitorẽ per pactũ de non petendo, fideiussori, contra quẽ agit, nõ potest cedere iura, Afft. deciſ. 343. quidam. n. 3. in fine, & 4. Neguſ. d. mẽb. 3. par. 5. n. 29. & seqq. q. 3. fol. 233. & Vinc. de Franc. d. deciſ. 476. n. 8. & 9. & deciſ. 477. fuit alias. n. 17. & 19. Et hoc, nisi in liberatione reseruasset sibi ius contra fideiussorem, Afft. deciſ. 182. quia. sub num. 10. & 14. & Vinc. de Franch. d. deciſ. 477. sub num. 12. & 15.

Secus, si re vna ex multis, sibi obligatis, liberata, tertio possessori, contra quem agat, iura contra illam rem vnam cedere non possit, quia adhuc poterit agere, Afft. d. deciſ. 343. sub nu. 3. & seqq. & Vinc. de Franch. d. deciſ. 477. sub n. 18. & seqq. Et hoc, nisi dolosè liberasset, Afft. vbi supra.

Locupletẽ tamen eiusdem extẽsionis explicationem habes ex distinctione, quam facit Bar. in l. 16. si stipulatus. §. si ex duobus. nu. 3. ff. de fideiuss. & ex quinque limitationibus, quas colligit Neguſ. d. par. 5. num. 36. & 37. vide eos.

Infero, declarando magis hanc extensionem, quòd si tertius creditori, iura sibi cedẽti, soluerit debitum, & deinde creditor ex iudicis sententia pecunias, sibi solutas, eidẽ tertio, iurium retrocessione non petita, restituerit, & postea idem creditor redeat ad agendũ contra fideiussorem sui debitoris, & fideiussor opponat exceptionẽ cedendarum, vtique creditor hac exceptione videtur submoueri, quia cũ tertio, qui soluit, cessent iura, nõ potest alteri cedere, minusve potest illa cedere hic tertius, quia solutione eius, quod sibi debebatur, fuit extincta omnis actio, omnisq; obligatio, vt dixi sup. sub nu. 18. quare iurium cessio debet fieri ante solutionem, vel statim, aut post, facta tamen prius conuentione de cessione facienda, Iacob. de Aren. tract. de cess. iur. num. 70. versus finem; quod latè declarat Bar. in l. 76. modestinus. num. 2. & seqq. ff. de solut.

Intellige hanc illationem, vt procedat, quãdo solutio, & cessio, facta inter tertiũ, & creditorem, fuerunt validæ; quo casu iura dicuntur extincta, & ideo amplius non reuiuiscunt ad tradita per Surd. quẽ secutus sum inf. nu. 289. quia de priuatione ad habitũ non datur regressus, l. 98. qui res. §. aream. ff. de solut. etiã si priuatio non habuerit vltimum plenariũ effectũ, Staph. de grat. expect. §. dicendum est. nu. 16. tom. 15. pat. 1. fol. 285. & Gonzal. ad 8. reg. Cancell. gl. 15. §. 2. n. 46. & seq. sicut in simili dicimus, quod licet res creditori addicta vigore rei iudicatæ, postea euincatur, tamen creditor non potest amplius agere via executiua, quia iam est extincta, Bar. Iaſ. & plenius Alex. in l. à diuo pio. §. si post addictũ. ff. de re iu.

Secus si solutio, & cessio fuerint ipso iure nullę, quia tũc iura remãsissent adhuc penes creditorẽ.

Subinfero ex eadem illatione, quòd cessio, facta post solutionem contra correum pariter obligatum, non valet, nisi præcesserit pactio de cedendo, d. l. 76. modestinus. & ibi Bar. initiò, & Bertaz. de clauſ. clauſ. 40. gl. 4. sub num. 8.

Difficultas consistit, an qui fideiubet pro alio, vti principalis &c. posteaq; coactè soluit, habeatur indistinctè pro correo, vel sumi possit etiã pro fideiussore. Et licet Surd. deciſ. 308. plures. sub n. 15. concludendo, cessionem, factam post solutionem, non valere, in necessariã teneat consequentiam, sumi absolutè pro correo. Licet etiã Vrsill. in annot. ad Afft. deciſ. 319. circa. in fine, & Surd. d. deciſ. 308. sub n. 19. & 20. distinguãt, vt qui fideiu-

deiubet ex mera libetalitate, ideoq; non participat de commodo contractus, habeatur indistinctè pro correo, ita vt nō possit petere cessionem, seu creditor illi cedere nō teneatur, Surd. & Vrsill. in locis citatis, & tacitè sentiāt contrarium, si participet, quia tunc reperit etiā à correo ratā suam, Affl. d. decis. 319. in fine, iuxta ea, quæ distinguendo, scribit Bar. in l. 11. reos. nu. 3. ff. de duob. reis. Ego tamen, sentiens, haberi indistinctè pro principali quoad creditorem, & indistinctè pro fideiussore, quoad debitorem, eorum dictis non possum acquiescere, quia, cū illa obligatio (vti principalis) ex contrahentium intentione debeat operari fauore solius creditoris ad excludendas exceptiones, quibus, vti fideiussor, posset retardare executionem creditoris, non debet vltra eorū intentionem tollere etiā iura, quæ ei, vti fideiussori, cōpetunt cōtra debitorem; & proinde cessio, facta post solutionem, non erit inualida, & cessionē petere poterit, siue participet, siue nō de cōmodo cōtractus. Huicq; nostræ sententiæ, si rectè aduertas, non resistit l. 62. in lege. ff. ad l. falc.

Extende septimo, vt cuiuis, qui accessoriè solum obligatus soluat pro alio, teneatur creditor cedere actiones etiam ex interuallo, vt secutus sum supra hoc eodem num. ampl. 2.

Extende octauo, vt creditor teneatur cedere actiones, & iura, etiā si cōtra ipsum possint retorqueri, vt, latè, articulo discusso, cōsuluit Dec. cōs. 104. per tot. præsertim sub n. 4. vers. quarto quia.

Verum & hæc extensio non modica indigeret explicatione; nam Negus. d. memb. 3. par. 5. sub n. 31. & 32. q. 4. fol. 233. nescit adaptare Decij consilium, & Addit. ad illud consilium, & Vinc. de Franch. decis. 260. in capitulis. n. 1. & seqq. in ea videntur residere distinctione, vt extensio procedat, quando bona debitoris sunt apud ipsum debitorem, vel alium, secus si sint apud creditorem cedentem: At Socc. cons. 206. in præsenti. per totum, septem considerat casus.

Declara secundo eandem conclusionē, vt hæc iurium cessio sit quodammodo vendere nomen debitoris, Bertaz. d. gl. 4. num. 7. versus finem.

Declara tertio, vt hæc actionum cessio fieri possit ab omnibus, qui eas habent, & transferre possunt, si tamen se obligare possint, Io. de Grass. tract. de cess. iur. §. 2. num. 1. tom. 3. par. 2. fol. 73. & Iac. de Aren. eod. tract. num. 23. fol. 75.

Subdeclara, personas, quæ cedere ex se non possunt, esse infantes, pupillos, & alios, de quibus Io. de Grass. d. §. 2. num. 1. & seqq. per totum, & Iac. de Aren. num. 25. & seqq.

Declara quarto, qui sint, quibus cessio iurium fieri non potest, prout declarant Io. de Grass. d. tract. de cess. iur. §. 3. num. 3. & §. 4. num. 1. 3. 4. & 5. & Bertaz. de clausu. claus. 40. gl. 4. num. 13.

Declara quinto, vt ex regula omnis actio cedi possit, præter actionē directam, quæ remanet affixa ossibus, & præter eas, de quibus Iac. de Aren. & Io. de Gras. d. tract. de cess. iur. §. 3. num. 1. & 2.

Restringe easdē conclusiones, in quibus diximus, fideiussori, seu alteri obligato cōpetere exceptionem cedendarum, vt in 1. & 5. extensione, vt non procedant, quādo renunciassent huic exceptioni, seu beneficio cedēdarum actionū, cum possit illi renunciari, Dec. cons. 27. n. 7. Virgin. de Boccar. tract. de societ. offic. n. 49. vers. nota etiā. & Bertaz. de claus. claus. 40. gl. 4. nu. 8. in vltimis verbis. & n. 9. & ideo inuentā esse cautelā, vt expressè fiat renūciatio, scribit in ead. gl. 4. sub n. 7.

De actionum cessione, quam venditor tenetur facere emptori contra eum, à quo ipse venditor emerat, vide casum infra §. 7. gl. 2. nu. 79. & 80.

SVMMARIVM.

Debitor diuersarum partitarum eiusdem quantitatis, soluendo vnam partitam, explicatur, quam dicatur soluisse, num. 90. & seqq.

Solutionem si debitor faciat, & non exprimat in qua causa, potest creditor, recipiendo, eligere, dūmodo eligat, prout verisimiliter eligeret, si solueret ipse, n. 93.

Solutione facta, & discordantibus debitore & creditore, in qua causa sit facta, tenetur creditor eam restituere, num. 94.

Solutio quando dicatur facta in duriorem causam, nu. 95. Declaratur dupliciter, num. 96. & seqq.

Soluti præsumūtur fructus, seu vsura, & nō sors, n. 99.

Soluens sibi ex pretio pignoris venditi, potest soluere debitum, pro quo habebat pignus, & retinere debitum, pro quo habet fideiussorem, num. 100.

90 QVAERO IV. Debitor ex pluribus causis, seu partiris eiusdem quantitatis, si soluat creditori vnicam partitam, & non exprimat, quam soluat: nunquid erit postea in eius facultate, vel in facultate creditoris declarare, quam soluerit: vel potius standum erit iuris præsumptioni?

Respondeo, constituendo quatuor casus.

Primus casus est; quando debitor, soluēdo, exprimit partitam, quam soluit, & creditor, tacēdo, solutionem recipit: & isto casu concludo simpliciter, & sine aliqua difficultate, solutam dici eam, quā debitor expressit, siue sit durior, siue leuior, l. 1. & ibi Gl. Bar. sub n. 1. ibi, nam quando debitor elegit. & n. 2. & Paul. de Castr. n. 1. ff. de solut.

91 Extende hāc conclusionē, vt procedat etiam si ex eiusmodi declaratione remaneret debitū cum fideiussione, & remaneret extinctū debitū minus durū sine fideiussione, quia fideiussor adhuc non posset conqueri de hac declaratione, cū sicut debitor

bitor potuisset tunc istas pecunias etiam in mare proijcere; ita etiam tantò magis potuit tunc eas soluere in eam causam, in qua voluit; & hæc extensio probatur ex l. 1. ff. de solut.

92 Subextende hanc extensionem, vt procedat etiam si fideiussor pactus esset cum creditore, quòd contra se fideiussorem agere non posset, nisi excusso prius principali debitore, quia istud pactum intelligitur, vt creditor, volens consequi debitum cum fideiussione, excutiat prius principalem debitorem; sed dico, quòd in excussione non potest venire id, quod debitor iam soluit, quia illud solutum non est amplius in bonis debitoris, neque fideiussor potest dicere, fuisse in sui fraudem solutum, cum supponamus, fuisse solutionem non fictam, sed ex causa vera: & procedit hæc subextensio etiam si in bonis debitoris nihil reperiatur.

Secus tamen esset, si non ipse debitor soluisset, sed ipsimet creditores, agendo contra nomina debitoris; vel, procedendo ad subhastationem pignorum actione personali, sibi ipsis soluissent; quia isto casu non possent ipsi eligere solutionem pro ea summa, in qua non habent fideiussorem; tum quia ipsi debent eligere non tanquam creditores, sed debent eligere, prout eligerent, si ipsi essent debitores, & sic verisimiliter pro ea summa, quæ est cum fideiussione, ex quò dicitur causa durior, vt scripsi infra num. 95. & 98. tum quia ipsorummet creditorum facto, & non facto debitoris inops fit excussio.

93 Secundus casus est; quando, debitore non eligente, eligit creditor, recipiendo solutionem, & debitor tacet: & isto casu statur creditoris electioni, dummodo elegerit, prout verisimiliter elegisset, si ipse fuisset debitor, l. 1. & ibi Gl. Bar. & Paul. de Castr. ff. de solut. quia quod tibi non vis, alteri ne feceris, Paul. de Castr. ibidem num. 3. & sic electio creditoris videtur de vento; cum debeat ita fieri, ac si fieret à debitore.

94 Tertius casus est; quando alter eligit in continenti, vt in primo, & secundo casu, sed alter electioni statim contradicit: & isto casu concludo, quòd creditor tenetur solutum non accipere, & acceptum restituere debitori, &, non reddendo, videretur eum spoliare, Bar. in d. l. 1. num. 8. q. 3. & Paul. de Castr. sub num. 1. & 4. ff. de solut.

95 Quartus casus est; quando neuter elegit; vel vult eligere ex interuallo, quod non potest: & isto casu concludo, quòd solutio cedit in duriorem causam, & vbi vtraque causa esset æquè durior, cedet in antiquiorem, l. 1. 2. 3. 4. & 5. & 7. ff. quid. ff. de solut. & Rot. diuers. decis. 113. licet. sub num. 3. par. 1. &, quòd censeatur solutum in duriorem causam, scribunt Corn. cons. 91. visa facti. sub num. 7. lib. 1. Surd. decis. 186. agebatur. num. 4. & communiter omnes.

Ratio huius conclusionis est, quia causa durior censetur magis necessaria, & magis vrgere; sed actus debet interpretari, vt trahatur ad casum magis necessarium, per ea, quæ in diuersis terminis sequitur Crauet. cons. 22. magnificus. num. 5. cons. 25. num. 29. cons. 158. sub nu. 13. & cons. 304. nu. 5.

Hincq; est, quòd in dubio præsumitur quis prius soluere debitum proprium, quàm fideiussorium, Maran. in suo spec. in proem. n. 20.

96 Declara primo hanc conclusionē, vt duriores causæ dicantur illæ, de quibus in l. 1. & seqq. ff. de solu. Corn. cōs. 295. prima facie. n. 1. & 2. lib. 3. Maran. in d. suo spec. in proem. nu. 20. & Surd. d. decis. 186. sub n. 4. & seqq.

97 Declara secundo, vt istam grauiorem causam, pro qua lex præsumit factam esse solutionem, creditor, & debitor etiam de communi consensu nō possint variare, quando variatio esset in præiudicium tertij, vt puta; ego debeo tibi 500. sine fideiussione, & alia 500. cū fideiussione Petri, seu debeo tibi ex vna eademq; causa 1000. & pro 500. ex his do fideiussorē Petrum: soluo tibi deinde 500. non expressa causa, pro qua soluo; postea, vt tibi forsan rem gratam faciam, declaramus ex interuallo de cōmuni consensu, fuisse illa 500. soluta in causa leuiori, idest, pro 500. debitis sine fideiussione: certè hæc declaratio in præiudicium Petri non tenet, quia per solutionem, & iuris præsumptionem fuit iam liberatus, sicq; fuit ei ius iam quæsitum.

Secus si non oriretur præiudicium tertij; quia tunc nulli dubium, quòd de communi consensu possent declarare.

98 Confirmatur hæc declaratio in prima parte, quia solutio in dubio præsumitur facta pro summa, debita cum fideiussione, ex quò est durior causa, quàm summa debita sine fideiussione, Hier. Gabr. cons. 48. qui est debitor. num. 2. lib. 2. Rot. diuers. decis. 113. licet. sub num. 3. par. 1. & coram R.P. D. Caualerio, in bononien. fideiussionis, ven. Maij 1610. & ideo fideiussor remanet

liberatus, quia solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, etiam accessoria, Rot. d. decis. 113. num. 4. & coram R.P.D. Caual. vbi supra, & consequenter non extinguitur debitum pro rata, quando esset vnica summa, cuius aliqua pars esset cum fideiussione, Hier. Gabr. d. cons. 48. num. 2. in fine.

99 Restringe primo eandem conclusionē, vt non procedat in debito, producente vsuras, quia si debitor soluat simpliciter, & non declaret pro qua causa soluit, intelligitur soluisse vsuras, & non sortem, l. 1. C. de solut. Bar. in l. 1. num. 9. vers. item oppono. & Paul. de Castr. sub num. 6. ff. eod. vbi reddunt rationem, quare, cum debitum sortis sit grauius, quia producit vsuras, & debitum vsurarum sit leuius, quia vsuræ non producunt vsuras, præsumatur solutum debitum vsurarum, & non debitum sortis.

Ratio huius restrictionis, omissis ijs, quas adducunt Doct. est, quia naturaliter colliguntur fructus, & non euellitur arbor, & substantia potest stare sine accessorio, sed accessorium non sine substantia: at lex imitatur naturam, §. minorem. Instit. de adopt. igitur consequens est, vt censeantur solutæ vsuræ, & accessiones, quæ sunt fructus.

Nec obstat, quòd debitum sortis sit grauius; quia est aduertendum, quòd regula, quòd præsumatur solutum debitum grauius, & antiquius, procedit quando debitor teneretur soluere duplex debitum eiusdem quantitatis, puta bis centum, quorum 100. esset debitum cum vsuris, & centum sine vsuris, vtique hoc casu, soluendo centum, præsumitur soluere centum, quæ sunt cum vsuris.

100 Restringe secundo, vt nō procedat quando creditor vnius summę habet pro vna parte illius summæ fideiussorem, & pro alia parte habet pignus, quia, vendendo pignus, potest ex illius pretio sibi soluere eam partem, pro qua habebat pignus, quamuis durior sit pars, pro quā habet fideiussorem, l. 73. ob triginta, & ibi Paul. de Castr. ff. de solut. & Hier. Gabr. cons. 48. qui est debitor. sub nu. 2. & num. 4. versus finem, lib. 2. præsertim, quia tunc non soluit debitor, sed soluit sibimetipsi creditor.

101 Inferebam alias ex hac restrictione, quòd si mulier dederit marito lib. 1000. in dotem, pro quibus maritus obligauerit, & hypothecauerit omnia sua bona in forma, & vlterius dederit fideiussorem pro summa librarum 400. & deinde, soluto matrimonio per mortē mariti, sibi ex bonis mariti, dotis hypothecæ subiectis, soluerit lib. 700. fideiussor conētus pro alijs lib. 300. nō iure exciperet, in illis lib. 700. quas mulier sibi ipsi soluit, comprehendi lib. 400. pro quibus fideiussit.

Restringe tertio, vt non procedat, quando extant coniecturæ, & circumstantiæ facti, vt solutio non sit facta in duriorem causam, Rot. diuers. decis. 92. tota difficultas. num. 2. & 3. par. 1. quia tunc, stantibus coniecturis, & circumstantijs, non videmur esse in dubio, & vna præsumptio tollit aliam.

SVMMARIVM.

Solutio monetæ debet fieri in specie, & forma promissa, & non in alia, quando, si fieret in alia, creditor damnum sentiret; secus si non sentiret damnum, & moneta esset eiusdem liga, licet esset diuersæ formæ, num. 102. Sed si esset diuersæ liga, creditor eam recipere non teneretur, etiam si non sentiret damnum, num. 103.

Ampliatur primo hæc conclusio, dum diximus, creditorem debere recipere solutionem etiam in alia moneta, quando non sentit damnum, vt de consuetudine procedat, etiamsi solutio fiat in moneta diuersæ ligæ, puta, quia soluatur argentea, & debeatur aurea, num. 104. Quamuis aliud sit de iure, num. 105. Subampliatur primo, etiam si moneta, quæ debetur, reperiretur, nu. 106. Subampliatur secundo, etiam si debitor promisisset soluere scutos aureos in auro, quia adhuc poterit solui moneta argentea, nu. 113. Subampliatur tertio, etiā si deberetur moneta aurea, seu argentea in magna quantitate, quia debitor posset soluere in minuta ærea, num. 114. & 115. Contrarium, num. 116. & seqq. Subampliatur quarto, vt debitor non teneatur probare hanc consuetudinem, num. 125. Subampliatur quinto, etiamsi debitor, & creditor conuenissent de solutione facienda in certa specie nummorum, num. 126.

Ampliatur secundo, vt procedat etiam de iure, quando moneta promissa amplius non reperitur, num. 127. Subampliatur primo etiamsi debitor, & creditor expressè conuenissent, quòd solutio fieri non possit in alia moneta, &c. num. 128. & 129. Subampliatur secundo, etiam si moneta certæ speciei esset promissa cum iuramento, num. 130. & seqq.

Ampliatur tertio, vt in fisco procedat etiam de iure, num. 134.

Ampliatur quarto, etiam si debitor, & creditor conuenisset per pactum expressum de solutione

in

in certa specie, num. 135. Subampliatur primo etiamsi conuentio esset iurata, num. 136. Contrarium, ibidē. Subampliatur secundo, etiamsi qualitatem monetæ expressissent ad substantiandam obligationem, num. 137. & 142. Reiecta cōtraria opinione, de qua n. 138. & seqq.

Limitatur eadem cōclusio, vt non procedat, quando inter debitorem, & creditorem facta est litis contestatio super qualitate monetæ promissæ, num. 143. Declaratur, num. 144.

Solutio promissa in moneta imaginaria, quæ non reperitur, & ideo perficitur solutione monetarum, quæ reperiuntur, potest fieri in quauis moneta, dummodo sit vsualis, & proba, nu. 145.

Solutio quando inferat damnum creditori, si fiat in alia specie monetæ, quàm in ea, quæ est promissa, num. 108. & sub num. 117. & num. 133.

Monetæ valor, quem seruat vsus, si sit diuersus à valore, quem imposuit Princeps, quis ex his debeat attendi, num. 108. & 109.

Pensio debet solui, attenta moneta currenti in loco, vbi pensio imponitur, & non in loco, vbi est soluenda, num. 110.

Valor beneficij consideratur non in moneta currenti in loco beneficij, sed secundum cursum monetæ reductæ ad monetam currentem in Curia, vbi impetratur beneficium, num. 111.

Pensio solui debet in loco domicilij debitoris, num. 112.

Solui vnum pro alio in debito quantitatis, an & quando possit, sub num. 102. & seqq. nu. 117. & 118.

Solutio potest fieri in quauis specie monetæ probæ, & vsualis, quando est promissa moneta, quæ actu non reperitur, num. 118. Sed vbi appareat quæ moneta fuerit exbursata, debet in ea restitui, vel in non dissimili, num. 120.

Mutuans centum libras in tot cauallottis tenetur eas recipere in quauis moneta proba, sub num. 118. Et quando non teneatur recipere in moneta minuta, num. 119. 122. & 123.

Solutio si fieri deberet de moneta antiqua, & quia non est in vsu fiat de moneta noua vsuali, cuius valor sit auctus ex bonitate extrinseca, & non ex bonitate intrinseca, debet tanti æstimari, quanti valebat antiqua, non habita consideratione, quòd valor sit auctus, nu. 133.

QVAERO V. an debitor possit soluere, seu restituere in alia moneta, quàm in ea, ad quam se obligauit.

Respondeo, distinguendo duos casus principales; quorum secundum habes infra num. 145.

Primus est, quando promissio, seu obligatio solutionis est de certa specie pecuniæ, quæ est reperibilis, & vsualis; vt puta, de tot scutis argenteis Genuensibus, de tot regalibus Hispaniæ, de tot iulijs, paulis, & testonibus status Ecclesiastici, seu de tot scutis aureis quinque stamparum, & similibus: & in isto casu facio conclusionem negatiuā, conditione tamen vinctā, nempè, debitorem non posse soluere aliam monetam, quàm eam, ad quā se obligauit, quare non potest se eximere, soluendo monetam æquiualentem; & hæc cōclusio procedit, si ex illa æquiualenti solutione creditor pateretur damnū, vt ex l. 99. paulus. ff. de solu. Abb. Papien. Mart. Landen. Curt. Sen. Alber. Brun. Couar. & alijs secutus sum supra gl. 3. num. 112. secus si non pateretur damnum, quia tunc tenetur recipere vnam monetam pro alia, quæ sit eiusdem ligæ, & æstimationis, & sic sint æquiualentes, Boss. tract. crim. tit. de monet. num. 2. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. num. 4. & sub num. 7. vers. deinde etiam, quia in debito quantitatis potest vnum pro alio solui, Gl. in l. 2. §. mutui. in verbo, non potest. in fine, ff. si cert. pet. Alber. Brun. tract. de mon. in 2. præsuppoşit. sub num. 1. vers. aliqui. tom. 12. fol. 208. & ita tenent communiter omnes, loquentes in mutuo pecuniarum certæ speciei, de qua communi, quando solutio fit in moneta eiusdem materiæ, sed diuersæ stampæ, & formæ; vt puta, debeo Florentinos, & soluo Senenses, vide Abb. in cap. 18. quanto. in fine, sub num. 15. ibi, aut vult restituere. de iureiur. & alios, quos citat Matth. Coler. d. cap. 10. sub nu. 6. seu non dicitur aliud pro alio inuito creditore solui, imò fictione legis dicitur idem solui, Bar. in d. l. paulus. q. 2. nu. 3. in fine, quia, cum solutio fiat in moneta eiusdem materiæ, & ligæ, potest illa moneta conuerti in monetam debitam, & sic non dicitur solui aliud pro alio, cum censeatur eadem moneta, Boss. d. tit. de monet. sub nu. 2. & cum hac distinctione, quando damnum non patitur, intelligas Couar. tract. de veter. coll. numism. cap. 7. § vnico, sub num. 1. in 2. conclus. fol. 706. dum scribit simpliciter, quòd etiam vbi obligatio concepta fuit sub certa specie monetæ, creditor cogitur monetam diuersæ formæ, & characteris recipere, modo eiusdem materiæ sit, & ad eandem

dem æstimationem, quæ debetur, solutio fiat.

103 Declara istam conclusionem, vt tunc creditor cogatur accipere vnam monetam pro alia eiusdem ligæ, quando ex illa acceptione non pateretur damnum, vt dixi, sed quando moneta non est eiusdem ligæ, & materiæ, tunc non tenetur accipere, etiam si ex acceptione nullum pateretur damnum, Boss. d. tit. de monet. sub num. 2. & præsertim in mutuo; quia mutuum debet restitui in eodem genere; & ideo, si mutuaui monetam auream, non cogor recipere argenteam, quamuis nullum patiar damnum, Abb. in cap. 18. quanto. versus finem, sub num. 15. ibi, aut nullum. de iureiuran.

104 Amplia primo nunc istam conclusionem, dum dicimus, posse fieri solutionem in alia moneta, quando creditor ex ista alia solutione damnum non patitur, vt de consuetudine procedat, etiam si solutio fieret in moneta argentea, & obligatio esset de moneta aurea, & sic etiam si solutio fieret in moneta diuersæ materiæ, seu diuersæ ligæ, quia poterit fieri, si creditor damnum non patiatur, Paul. de Castr. in d. l. paulus. sub num. 1. ff. de solut. & hanc esse vnam maximam in iure nostro, vt circa pecuniæ numerationem, seu solutionem attendi debeat consuetudo patriæ; & generalem esse consuetudinem totius mundi, vt vna pecunia soluatur pro alia, si creditor ex receptione alterius pecuniæ non sentiat damnum, puta, est debitor centum aureorum Venetorum, vel ducalium, potest soluere pecuniam in argento, & è contra, si creditor aliquod damnum non patiatur, scribit Martin. Lauden. tract. de monet. num. 5. ibi, nam est vna. & sub num. 23. & 24. tom. 12. fol. 203. & 204. & de hac generali consuetudine totius mundi testantur Curt. Sen. eod. tract. de monet, sub num. 23. ibi, attamen. de consuetudine. eod. tom. 12. fol. 206. Benint. decis. 39. dubitabatur. nu. 2. Menoch. cons. 49. perdifficilis. num. 18. & 19. Sola tract. de monet. cas. 24. num. 13. & 14. & Rener. Bud. tract. de monet. cap. 15. num. 14. & de hac consuetudine testantur vnanimi consensu, quos citat Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 7. §. vnico, sub nu. 1. & de eadem consuetudine in multis partibus testatur Abb. in cap. 18. quanto. versus finem, sub num. 15. ibi, consuetudo tamen. de iureiuran. & istam consuetudinem esse seruandam in locis, in quibus viget cum eadem interpretatione, quam habet ius commune; videlicet, dummodo creditor damnum non patiatur, & hanc esse communem opinionem testatur, & sequitur Alber. Brun. tract. de monet. &c. in 2. præsuppos. sub num. 4. vers. circa secundum, & num. 5. eod. tom. 12. fol. 208. & sub num. 7. fol. 209. & esse istam consuetudinem intelligendam cum eadem distinctione, dummodo creditor damnum non patiatur, sequitur Sola d. cas. 24. num. 17. in secunda responsione, & cum isto grano salis intelligas Rot. diuers. decis. 682. fœlicis. sub num. 1. in Cremonen. pensionis, lunæ 15. Iunij 1598. coram R. P. D. Orano, inter impressas Lugduni anno 1612. dum scribit, ex generali cõsuetudine quamlibet pecuniam, in commercium receptam, censeri positam in facultate soluendi, & decis. 686. reseruata. num. 2. in Cæsaraugustana pensionis, lunæ 11. Martij 1591. coram R. P. D. Gypsio inter easdem Lugduni impressas, dum scribit, ex quadam generali consuetudine posse solui æstimationem monetæ, quæ est in obligatione, &, ista creditoris indemnitate supposita, intelligemus eandem Rotam decis. 683. anno 1524. sub n. 1. vers. quatenus. dum in casu, quo solutio ex contractu partium erat facienda in ducatis auri in auro de camera, dixit, solutionem esse faciendam vel in aureis ducatis de camera, vel in eorum mero valore, & decis. 688. cum sixtus. in princ. & num. 5. & sub nu. 6. dum dicit, quòd pensio scutorum mille auri in auro, quæ fuerat reseruata super fructibus Episcopatus Aretini ad fauorẽ Cardinalis N. poterat solui in moneta argentea, ibi currente, iuxta tamen valorem scuti aurei in auro, currentis in Curia; quod idem tenuit alias Rot. quam citat, & sequitur Sarnen. in cancel. reg. de valor. exprimen. &c. q. 8. versus finem.

105 Quamuis de iure contrarium esset dicendum, vt moneta vnius materiæ non possit, inuito creditore, solui pro moneta alterius materiæ, Paul. de Castr. Abb. & Couar. in locis supra citatis, Curt. Sen. in d. tract. de monet. sub num. 23. fol. 206. & Alber. Brun. eod. tract. in secunda præsupposit. sub num. 3. & seqq. & num. 4. fol. 208.

106 Subamplia primo hanc ampliationem, vt procedat etiam si moneta, ad quam debitor est obligatus, reperiretur, quia debitor adhuc illam emere non tenetur, & poterit soluere in alia æquiualenti, stante præfata consuetudine; & huius subampliationis veritas duplici

duplici ratione ostenditur: Prima, quia quando illa moneta non reperitur, tūc etiam de iure potest solui in alia moneta, vt dixi infra num. 127. ampl. 2. quia lex non obligat ad impossibile, cap. 2. erit. dist. 4. *erit autem lex honesta, iusta, possibilis, &c.* non enim haberet obseruantiam, & ideo redderetur elusoria: Secunda, quia Doct. firmantes ampliationem, non distinguunt, an reperiatur, vel non reperiatur; sed solum considerant, quòd sicut de iure potest pro moneta vnius materiæ solui alia moneta eiusdem materiæ, dummodo creditor non sentiat damnum; ita etiam de consuetudine potest solui alia moneta, etiam alterius materiæ, cum, attenta ista consuetudine, hæc alia moneta dicatur recipere in genere suo eandem functionem, Martin. Laud. d. tract. de monet. sub num. 23. tom. 12. fol. 204. Curt. Sen. eod. tract. sub num. 23. & 24. fol. 206. & Albert. Brun. eod. num. 1. fol. 208.

107 Hæc cū ita sint, videri forsan potuisset alicui, quòd Rot. diuers. d. decis. 688. cum sixtus. in princ. & num. 5. & 6. & decis. 682. foelicis. num. 1. in fine, & 2. citatis supra sub nu. 104. (salua semper tanti tribunalis reuerētia) facultatem soluendi in alia moneta superfluè fundasset in difficultate reperiendi monetam debitam; nam (sit eius pace dictum) videretur recessisse à conclusione, in contrarium firmata de generali consuetudine, de qua testatur etiam ipsa Rot. quam citaui sup. sub d. num. 104. sed dicendum est, quòd Rota benè loquitur, quia considerabat in mente, hāc consuetudinem reddi ferè elusoriam, cum creditor semper damnum sentiat ex solutione in alia moneta, quàm in moneta debita, vt dixi num. seq. in fine, vers. infero. quo damno supposito, neque de consuetudine tolerari debet solutio in alia moneta, nisi quādo moneta debita non reperiretur; hacq; adhibita consideratione, tollitur eadem superfluitas, qua notari potuisset Samen. d. q. 8. in fine, dum distinguit, an solutio sit facienda in Curia, vel in partibus.

108 Declara nunc pro intelligentia tàm ampliationis, quàm subampliationis, vt creditor dicatur damnum pati, non ex eo, quia illa moneta sibi non placet, & ideo in illius solutione dissentit, vt quidam existimabant, sed ex eo, quòd in illa solutione patitur diminutionem patrimonij, Bar. in l. 99. paulus. sub num. 3. ff. de solut. dicitur ergo in proposito damnum pati, quando pro moneta breui cogeretur recipere longam, idest, ponderosam, & esset iturus in longinquas partes; nam difficilius portatur longa, quàm breuis, Martin. Lauden. tract. de monet. sub num. 4. ibi, limita hoc verū esse. tom. 12. fol. 203. vnde si quis mutuauit ducatos Venetos, & mutuatarius vult restituere testonos Mediolanenses; & mutuator est ituruus ad partes maritimas, & longinquas, vbi ducatus Venetus magis est congruus, mutuator non cogitur illos recipere, Curt. Sen. eod. tract. sub num. 3. & sub num. 24. fol. 205. & 206. Item si creditor scutorum solis est iturus in Galliam, & debitor vult dare ducatos, qui in Gallia expenduntur pro minori valore, & non est tantum interesse pro delatione scutorum solis: Idem si debitor ducatorum Venetorum, aut Genuensium creditori, ituro ad partes orientales, vbi tales ducati magis cognoscuntur, & fortè sunt maioris pretij, vellet dare scuta, aut aliud genus ducatorum: Item si creditori, obligato sub pœna ad dandum, & soluendum alicui ducatos Venetos; debitor obligatus similiter ad soluendos ducatos Venetos, vellet dare aliam monetam; quia isto casu creditor non teneretur eam recipere, cum ipse sit sub pœna obligatus soluere ducatos Venetos; & demum hoc damnum potest considerari in delatione, prout hæc omnia considerat Alber. Brun. tract. de monet. &c. in 2. præsuppposit. sub nu. 2. vers. posset. & num. 3. tom. 12. fol. 208. hæcq; eadem damna, & incommoda, excepto damno pœnæ, quod non enumerauit, aduertit Sola tract. de monet. cas. 26. Item diceretur damnum pati, quando valor monetæ, quam creditor offert, esset æquiualens, attento valore, taxato à Principe in publicis edictis, seu cridis; sed esset inferior, attento valore currenti, vt puta, si debitor esset obligatus soluere scutos auri in auro Italiæ, cuius scuti valor in publico edicto esset taxatus lib. 4. fol. 7. d. 6. & in currenti cursu valeret lib. 4. sol. 17. quia isto casu debet attendi valor currens secundum vsum, & consuetudinem, & nō valor, impositus ab edicto, quem, sciente, & patiente Principe, Populus non seruat, quia tunc dicitur Princeps illi valori vsuali, seu consuetudinario acquieuisse, & consequenter vsus, & consuetudo præualet, vt scribunt Franc. de Aret. cons. 11. procedendum. col. 3. Colleg. Papien. in cons. vnico; in materia augmenti monetæ, sub num. 23. vers. nec nos mouet. inter tract. diuers.

de monet. Rener. Bud. tract. de monet. cap. 20. num. 7. & seqq. & num. 10. Et an hæc inobseruantia edicti debeat esse longa, & præscripta per decem annos, aut sufficiat simplex inobseruantia, vide Aret. vbi sup. quem sequuntur Colleg. Papien. & Rener. Bud. in locis, supra proximè citatis, & ad quem se remittit Brun. tractat. de monet. limit. 3. sub nu. 2. & ob eandem rationem diceretur creditor damnum pati in ciuitate Genuæ, si debitor esset obligatus soluere scutos argenteos, seu monetam de cartulario, & vellet soluere monetam in soldinis, seu in alijs minutioribus nummis æreis, aut in alia moneta, quæ non sit de cartulario, quia, cum moneta de cartulario sit magis expendibilis, & recipiatur in S. Georgio Reip. Genuensis, & moneta minuta, seu alia, quæ non sit de cartulario, non recipiatur, vtique creditor damnum pateretur, cum ex illa non posset facere solutionem in S. Georgio; quare creditor satis dicitur damnum pati, quādo moneta debita melius expenditur, Martin. Lauden. tract. de monet. num. 5. versus finem, fol. 203. & facit, quod scripsi infra sub nu. 117. Et demum difficile est reperire casum, in quo creditor aliquod damnum non patiatur, alias creditores frustra sibi in contractu prouiderent de qualitate monetarum soluendarum; si vna sibi non esset vtilior, altera accedat, quòd pecunia habet vnum proprium vsum, & multos alios impropriοs, seu secundarios, vt secutus sum §. præcedenti q. 4. num. 28. & q. 7. par. 1. sub num. 61.

Infero ex hac declaratione, consuetudinem hanc soluendi in alia speciæ monetæ, & illam considerationem, cui innititur tàm hæc consuetudo, quàm etiam iuris dispositio, videlicet, si creditor ex solutione in alia specie damnum non patiatur, reddi inutilem, & inanem, quia non est dare casum, in quo non possit considerari aliquod creditoris damnum, vt patet ex deductis in hac declaratione: & proinde, supposito, quòd moneta debita possit reperiri in loco, vbi fieri debet solutio praxis indistinctè debitorem condemnat ad eam soluendam; quòd si non reperiatur in loco, sed reperiatur alibi, erit debitor saltem condemnandus ad id, quod creditoris interest, non solui in pecunia debita.

109 Subdeclara primo hanc declarationem, dum dixi, attendendum esse valorem currentem, & vsualem, seu consuetudinarium potius, quàm valorem, impositum à Principe in edicto, vt hoc sit verum, quando Princeps, seu Magistratus tolerauit illum vsum, & consuetudinem; quia tunc ille vsus est licitus; & in his terminis loquuntur Doct. citati nu. præced. secus quando Princeps non tolerat illum vsum, sed punit eos, qui expendunt, vel recipiunt monetam pro maiori pretio contra suum edictum, quia tunc omnino standum est pretio, imposito à Principe, nec sufficit allegare, quòd aliquæ monetæ communiter inter omnes mercatores, negociatores, artifices, nobiles, ignobiles, & ipsius iustitiæ ministros expendantur pro maiori pretio; quia istorum omnium vsus habetur pro abusu, dum concedimus, & sumus certi, quòd Magistratus monetarum puniet quemcunque, quem deprehenderet in ista contrauentione; est tamen verum, quòd iste communis vsus, seu abusus, qui esset illicitus, & puniretur in foro exteriori, non puniretur in foro interiori quoad eos, qui hunc abusum non introduxerunt, & illum sequuntur ad euitandum damnum; quædam enim sunt, quæ puniuntur in foro fori, & non in foro conscientiæ, iuxta ea, quæ scripsi §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 2. & latius ampl. 10. num. 41. & seqq.

110 Subdeclara secundo occasione huius primæ, vt quando moneta habet diuersum valorem in loco, quo contrahitur debitum, à loco, in quo creditor debet recipere solutionem, loquendo de reseruatione pensionis, vt puta, quia in Curia Sanctiss. D. N. Papæ sit reseruata pensio ducatorum mille auri in auro, & ducatus auri in Hispania, vbi fit solutio, valeat 11. regales, & in Curia valeat 12. tunc vtique attendatur valor Curiæ, vbi pensio fuit imposita, vt ex Abb. sequitur Rot. diuers. decis. 686. reseruata. num. 5. vers. non obstat quod. in Cæsaraugustana pensionis, lunæ 11. Martij 1591. coram R. P. D. Gypsio, & clarius decis. 688. cum sixtus. in princ. vers. & DD. & sub num. 6. in Aretina pensionis, veneris 20. Februarij 1598. coram R. P. D. Litta, inter impressas Lugduni 1612. & facit, quod scripsi infra sub num. 176. in 6. requisito, vbi dixi, attendendam esse qualitatem monetæ loci contractus.

111 Confirmatur hæc subdeclaratio ex his, quæ scribit Samen. in reg. cancel. de valor. exprim. &c. q. 8. vers. tandè considerandum. dicens, æstimationem valoris beneficij in eius impetratione esse faciendam, non secundum

cundum cursum monetæ in loco beneficij, sed secundum cursum monetæ, reductæ ad monetam, currentem in Curia, vbi fit impetratio benefici.

112 Nota obiter, quòd in dubio solutio pensionis debet fieri in loco domicilij debentis pensionem, & non in loco domicilij pensionarij propter rationes, quas adducit Rot.d. decis.688. num.1.& seqq.

113 Subamplia secundo, vt procedat etiam si debitor promisisset soluere scutos auri, & in auro, quia adhuc solutio poterit fieri in moneta argentea, & moueor ex his, quæ scripsi infra num.135.

Quamuis Alber.Brun.tract.de monet.&c. in 2.præsupposit.num.8. quem sequitur Sola tract.de monet. cal.37.nu.1. contrarium teneant, & testentur de communi, & loquitur Brun. apertè in consuetudine.

114 Subamplia tertio, vt procedat etiam si obligatio esset de moneta aurea, seu argentea, & in notabili quantitate, & debitor vellet soluere in moneta minuta ænea, seu argentea, ære contaminata, quia adhuc creditor teneretur eam recipere; semoto tamen ipsius creditoris damno, per ea, quæ scribunt omnes, quos citaui supra sub num.104. in ampliat. & præsertim Alber. Brun. qui loquitur ex communi opinione, & Rot. diuers. quæ loquitur de qualibet moneta, recepta in commercium, licet non loquantur ita explicitè in moneta minuta, & ænea.

115 Confirmatur primo hæc subampliatio, quia facultas, data à consuetudine debitori, vt possit soluere in alia moneta, non dependet magis ab vna qualitate monetæ, quàm ab alia, sed dependet ab hoc, quòd, soluendo in alia moneta, creditor adhuc habeat integrum valorem, & sine aliquo suo damno: sed ista integri valoris consecutio, & sine damno potest ita stare in moneta vnius speciei, & materiæ, sicut in moneta alterius speciei, & materiæ: ergo.

Confirmatur secundo; quia secundum opinionem, quam adduxi infra num.119. in fine, vers.quamuis. debitor ita potest soluere in moneta minuta, sicut in magna.

116 Contra istam subampliationem de diametro pugnant, quæ firmat Matth. Coler. tract.de processf. execut.par.1.cap.10. num. 7.& seqq. vsque ad num. 14. exclusiuè, & quæ contra eandem sentit Gasp. Ant. Tess. tract.de augm.monet.par.1. num.30.& 31. & sub num.33.& sub num. 81. ibi, & quando soluitur. quorum dicta in sequenti comprobatione refero.

117 Comprobatur hæc contraria opinio, quia certa est iuris conclusio, quòd debitor non potest aliud pro alio, inuito creditore, soluere, etiam si sit debitor quantitatis, quando creditor ex hac diuersa solutione damnum pateretur, vt ex communi omnium sententia secutus sum supra gl. 3. num. 112. & supra hac ead. gl.sub num.102.

Sed creditor monetæ grossæ, idest, aureæ, seu argenteæ non contaminatæ, si cogeretur accipere monetam minutam æneam, multipliciter pateretur damnum: primo, quia in ista moneta minuta ænea deficit bonitas intrinseca, & extrinseca: secundo, quia in eius minutatim dinumeratione multum consumitur temporis, & facilius fallitur: tertio, quia est ponderosior, & plus loci occupat, & difficilius, maiorique cum periculo transportatur: quarto, quia monetæ minutæ valor angustioribus finibus terminatur, Matth. Coler. d.cap.10. sub num. 7. & 8. & Tess.d. par.1. sub num.30. accedit etiam, quòd pecunia duplici ratione habetur in pretio, nempè tanquam res, & tanquam numisma signatum; quare cum aurum valeat ad deaurandum, ad ornamentum, & medicamen conficiendum, & ad alios vsus, ad quos natiuum habet iuuamentum, ducatus aureus hac ratione potest in ratione cambij æstimari aliquid parum supra valorem legalem, idest, signati numismatis, dummodo illud supra non sit nisi exiguum, vt ex Couar. Nauar. & Sot. infra citato latius secutus sum supra gl.3. sub num.94. quia Princeps, quando taxat valorem monetæ aureæ, non taxat eam quoad omnes vtilitates, quæ ex ea sumi possunt, vt contra Medin. scribit Sot. de iust. & iur. lib.6. q.9. art.vnico, col.1. vers. ad intelligentiam. & col.2. fol.607. & multiplicem pecuniæ vsum in alio proposito consideraui S. præced. q.4. sub num.28. hincque est, vt mercatores, aliique negociatores, & similes, vt bonas auri, & argenti monetas habeant, illas maiori pretio comparant, tradendo ærosas pro puris, idem Tess. sub num.33.

118 Retenta hac contraria opinione, non quia subampliatio non sit in puncto iuris vera, sed quia in facto nunquam semouetur damnum creditoris.

Extende notabiliter eam, vt procedat etiam si moneta, quæ debetur, sit imaginaria, & reperiatur solum in alijs monetis, ex quibus

quibus resultat illa moneta imaginaria, vt puta si debeantur mille libræ, seu mille scuti, qui numerantur solum in alijs monetis, cum alias sint ex se imaginarij, vt dixi supra gl. 3. num. 68.

Quare licet in casu, quo ego mutuarem tibi centū libras currentes monetæ Genuensis, tu esses obligatus in genere ad dictarum centum librarum valorem restituendum in quibusuis monetis Genuensibus, etiam si dictum esset, quòd muruo tibi centum libras in tot cauallottis, quia videor omnes illos cauallottos æstimasse, & vendidisse centū libris, prout dicimus in dote data æstimata, & ideo tu in quauis moneta Genuensi soluas centum libras, es liberatus, Bar. in l. 99. paulus. versus finem, sub num. 10. ff. de solut. Boss. tract. crim. tit. de monet. num. 3. Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 15. ibi, dic concludendo. de ireiuran. quem sequitur, dicendo, hanc esse veritatem, Alber. Brun. tract. de monet, &c. in 2. præsupposit. sub num. 8. vers. aliquando verò. & num. 9. tom. 12. fol. 209. & in 1. par. num. 6. vers. item prædicta. fol. 210. & esse veram, & communem sententiam, scribit, & sequitur postea limit. 8. num. 4. vers. contrarium. fol. 218. & cum hac sententia apertè concordant Martin. Laud. tract. de monet. in fine, num. 33. vers. si promitto. eod. tom. 12. fol. 205. & Rebuff. ad constit. Franc. tract. de litter. obligat. art. 5. gl. 1. sub num. 5. tom. 1. fol. 125. est enim in electione debitoris, Brun. in d. 2. præsupposit. sub n. 10. vers. aliquādo. & n. 11. fol. 209.

119 Tamen, si supponamus mutuum in notabili quantitate, & non appareat factum in moneta minuta ærea, dico, restitutionem fieri non debere in moneta minuta, & moueor triplici ratione: Prima, quia moneta minuta cuditur pro emendis rebus parui valoris, pro cibarijs, minutatim vendendis, & pro supplemento grossioris monetæ, & non pro solutione debiti numerosi in magna quantitate, Gasp. Ant. Tess. tract. de augm. monet. par. 1. num. 31. & sub num. 84. & 85. Secunda, quia moneta minuta ærea est cæteris deterior, vt patet ex his, quæ dixi sup. sub num. 117. vers. sed creditor. at ex pluribus, non quod deterius est, dari debet, sed mediocre, l. 37. legato ff. de leg. 1. Paul. de Castr. in l. 99. paulus. sub num. 3. q. 2. ff. de solut. & Alber. Brun. tract. de monet. &c. in 2. præsupposit. num. 11. versus finem, & num. 12. fol. 209. media enim via eligi debet, Tess. d. par. 1. sub num. 85. & Sola tract. de monet. cas. 34. num. 1. ergo non sola moneta minuta ærosa, sed partim minuta ærosa, & partim argentea, seu aurea solui debet; & ita quandoque vidi obseruatum Romæ, cum adesset magna copia quadrantuum, & aliqua non modica summa esset soluenda; duæ enim partes de moneta argentea, & vna de ærea soluebantur; & in Senatu Pedemontano fuisse adhibitum hoc temperamentum, vt vna tertia pars solueretur in auro, alia in argento, & alia in moneta minuta, refert Tess. d. par. 1. num. 86. in fine: Tertia ratio est, quia in contractibus semper attenditur verisimilis mens contrahentium, sed non est verisimile, quòd contrahens, faciendo se creditorem de magna summa, voluerit pecuniam minutam ærosam, Brun. d. num. 12. Ergo, &c.

120 Quamuis Rebuff. in comment. ad constit. Franc. tract. de litter. oblig. art. 5. glos. 1. sub num. 3. & 4. vers. quid si debitor. tom. 1. fol. 125. loquendo tamen de decem libris, aut alia summa, scribat, articulo disputato in Palatio, fuisse iudicatum, creditorem teneri recipere etiam in moneta minuta, dicens, quòd recusans monetā minutam puniretur.

Item, si supponamus ex diuersis monetarum speciebus vnam esse currentem, seu magis currentem, & vsitatam, dico intelligi actum, vt solutio debeat fieri in moneta currenti, seu quæ magis vsitata est, vt, loquendo de pretio rei venditæ, scripsi infra sub nu. 176. in 6. requisito.

121 Declara primo hanc extensionem, vt sit vera, quando non constat quam monetæ speciem creditor exbursauerit; & cum hoc salis grano locutus sum; secus si constaret, quia tunc esset facienda in eadem moneta, vel in non dissimili, Paul. de Castr. in d. l. 99. paulus. sub num. 3. q. 2. de solut. & Alber. Brun. d. tract. de monet. augm. in 2. præsupposit. sub num. 11. fol. 209.

122 Declara secundo, prout declarant Brun. in d. 2. præsupposit. num. 13. vers. est tamen. fol. 209. & Gasp. Ant. Tess. tract. de augmen. monet. par. 1. sub num. 85. in fine, in 3. casu, & num. 86. in casu, quo moneta imaginaria debita, seu promissa confici soleret ex nummis minutis æreis, & vide eos, qui loquuntur in puncto iuris, & de consuetudine, sed diuersimodè, & ego non aliter refero, quia eorum dicta indigerent altiori explicatione.

Subextende primo eandem extensionem, dum num. 119. diximus, monetam minutam

æream

æream non posse solui in magna quantitate, vt hoc in terris Imperatoris procedat etiam ex constitutione Ferdinandi Imperatoris, promulgata Augustæ 1559. qua constitutione sancitum est, quòd nemò in solutionem qualemcunque alicuius notabilis summæ cogatur recipere de minuta pecunia vltra 25 florenos; reliqua verò summæ pars, etiam si nihil de monetæ qualitate specialiter conuentum sit, in grossiori, & vsitata solui debeat, Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. num. 11. & Genuæ habent quoddam decretum, quo mandatur, debitorem non esse cogendum ad recipiendam monetam minutam vltra summam quinque librarum; sed an sit vsu receptum, vidi controuersum.

123 Intellige hanc subextensionem, vt procedat, retenta prima declaratione, de qua supra num. 120.

Romæ tempore Pontificatus Clem. VIII. fuit huic difficultati seipsa prouisum, cudendo quadrantes æreos, pôderosos, ac magnos, & consequenter in parua quantitate, vnde cû quadrinus ex tâta æris materia constet, omnes exteræ monetæ æreæ ex se ipsis sine alio edicto exularunt; quare quatrini Romani reperiuntur in tanto paruo numero, vt magis æstimetur vnus scutus nummorum æreorum, quàm nummorum argenteorum, cum antea esset totum oppositum.

124 Subextende secundo hæc omnia, quæ dixi supra sub num. 118. & 119. in extensione, vt procedant tàm in mutuo, quàm in deposito, Bar. in l. 99. paulus. versus finem, ff. de solut. Abb. in cap. 18. quanto. versus finem, sub num. 15. de iureiuran. Alber. Brun. tract. de monet. &c. limit. 8. sub num. 4. vers. contrarium. tom. 12. fol. 218. Sola eod. tract. cas. 13. & hoc verum, quando depositario data est facultas vtendi deposito, alias restituenda est eadem moneta deposita, ex quò deponens remansit dominus pecuniæ depositæ, sicq; illa pecunia deposita, & non alia est in obligatione, & solutione, Alber. Brun. d. tractat. de monet. &c. in 2. præsupposit. num. 1. tom. 12. fol. 208.

125 Subamplia quarto eâdem ampliationem, positam supra num. 104. vt procedat absque necessitate probandi dictam consuetudinem, Sola tract. de monet. cas. 24. num. 21. vers. quòd verum. quia de ea testantur omnes Doct. quos citaui sup. sub num. 104.

126 Subamplia quinto, vt procedat, etiam si partes expresse conuenissent de solutione facienda in certa nummorum specie, vt scripsi infra num. 135. ampl. 4. vbi videas.

127 Amplia secundo eandem conclusionem, positam supra sub nu. 102. vt procedat etiam de iure, quando moneta debita non amplius reperiretur, quia tunc debitor, soluendo in moneta vsuali, & æquiualenti illi, quæ est debita, liberatur, Bar. in l. 99. paulus. num. 6. ff. de solut. Boss. tract. crim. tit. de monet. sub num. 2. Alber. Brun. tract. de monet. &c. in 2. partic. num. 3. tom. 12. fol. 211. & in 4. partic. num. 1. fol. 219. Curt. Sen. tract. de monet. num. 3. & sub nu. 4. vers. quærit. tom. 12. fol. 205. dicens, posse solui de moneta noua, habita semper relatione ad æstimationem pecuniæ, debitæ, seu mutuatæ, & Gasp. Ant. Tess. tract. de augm. monet. par. 1. num. 82. dicens, quòd ipse relinqueret in iudicis arbitrio, in qua moneta veniat facienda solutio, ita vt si partes conuenerant de grossa, soluatur de grossa currenti, si de minuta, soluatur etiam de minuta currenti, & num. 66. iunctis num. 61. & seqq. & de hac ampl. non videtur posse dubitari, cum necessitas sit sibimet ipsi lex.

128 Subamplia primo hanc ampliationem, vt procedat, etiam si esset inter partes pactum expressum, quòd solutio in nulla alia moneta posset fieri, quia vbi necessitatis lex imperat, pacta, & cæteræ leges silent, & obediunt; sed hæc est lex necessitatis, vt impossibilium nulla sit obligatio.

Contra tamen istam subampliationem scribit Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 11. vers. accedit quòd in terminis. num. 12. & 13. vbi recenset, quòd quidam magni nominis Princeps, cum à quadam Imperij Ciuitate libera vellet reluere præfecturam, quondam pro aliquot millenis florenis, eo pacto oppigneratam, quòd reluitio in alia fieri non posset moneta, quàm in grossis Bohemicis, & hi grossi iam ab vsu recessissent, ideoq; reperiri non possent, fuit coactus precibus impetrare à Ferdinando Imperatore, vt totam illam florenorum quantitatem cudi faceret in Bohemia in tot grossis Bohemicis, vt satisfacere posset creditoris voluntati, & tenoris obligationi.

129 Non recedas à subampliatione, per ea, quæ dixi in seq. secunda subampliatione.

130 Subamplia secundo, etiamsi promissio de soluendo, seu restituendo eandem speciem monetæ,

monetæ, & non aliam, esset iurata, quia nihilominus, si illa moneta non reperiatur, poterit fieri solutio in æquiualenti; &, omissis multis, quæ confusè, & cum vaccillatione à nostris Doctoribus traduntur, moueor hac vnica ratione, quia quælibet promissio, & contractus intelligitur, rebus sic stantibus, vt in materia indifferenti scribit Tiraq. in l. si vnquam. in præfatione, sub num. 111. vers. quarto declara. & latè cumulat sub nu. 166. & seqq. vers. præterea. C. de reuoc. donat. & in materia mutationis monetę Rot. diuers. decis. 686. reseruata. num. 4. in Cæsaraugust. pensionis, lunæ 11. Martij. 1591. coram R.P.D. Gypsio, inter impressas Lugduni anno 1612. & iuramentum regulatur secundum naturam actus, super quo interponitur, vt secutus sum in meo tract. de iud. caus. &c. lib. 2. cap. 2. num. 141. 423. & 424. & regulatur secundum naturam primordialem, vt secutus sum num. 123. & non se extendit ad incogitata, per ea, quæ secutus sum nu. 139. & 140. quia non se extendit, nisi vsque quò est consensum, vt secutus sum d. num. 139. & 424. & ideo non obligat, si iurantis deficiat consensus, eodem num. 139. adde quæ scripsi supra gl. 3. num. 114.

Sed is, qui cum iuramento promittit reddere, seu dare nummos certæ speciei, supponit, illos extituros, & forè reperibiles, & non cogitat, eos non forè reperibiles, sed extinctos, & abolitos; ergo.

131 An nihilominus sit necessaria absolutio à iuramento, hìc non tracto, vide quæ scripsi eod. cap. 2. num 368. vers. aduerte. & num. 136. adhibita adhuc distinctione, an sit actor, vel reus, iuxta ea, quæ latè scripsi eod. cap. 2. num. 114. & seqq.

132 Declara restringendo eandem secundam ampliationem, vt procedat quando illa moneta antiqua omnino recessit ab vsu, & sic nullatenus reperitur in vsu expendibili, secus si non omnino recesserit, sed solum, ex quò non est in frequenti vsu, cum difficultate potest haberi, quia tunc solutio debet fieri in illa moneta antiqua, secundum Rot. diuers. decis. 683. anno 1524. sub num. 3. vers. ad text. in Rom. pecuniaria, lunæ 23. Ianuarij 1589. coram R.P. D. Penia, inter impressas Lugduni anno 1612.

133 Subdeclara hanc declarationem, vt si monetæ modernæ, & vsualis valor sit ex bonitate non intrinseca, sed extrinseca auctus, & ideo sit maior valore monetæ antiquæ, & obligatus soluere monetam antiquam; soluat modernam, quia antiqua non reperiatur, debeat illam soluere non in valore currenti, qui est auctus, sed in valore, quo valebat antiqua; quare si Genuæ idem scutus argenteus modernus esset idem in materia, & pondere cum argenteo antiquo, sed hodie iste modernus expenderetur pro sol. 90. & ille antiquus expenderetur pro sol. 80. debitor debet illum soluere pro sol. 80. & non pro 90. alias debitor pro singulis octo scutis argenteis lucraretur vnum scutum argenteum; & sic, soluendo octo, liberaret se à nouem, & solueret aliud pro alio, cum euidenti damno creditoris, quod nec iura, nec consuetudo admittit, per ea, quæ scripsi supra sub num. 102. & 103. dixi damnum esse euidens, quia creditor, si habebit illam monetam antiquam argenteam, poterit ex ea conficere vel vasa argentea, vel alios scutos argenteos modernos expendibiles.

Secus si valor monetæ vsualis esset auctus solùm propter bonitatem intrinsecā, quia tunc debitor potest soluere monetā modernam vsualem, quamuis antiqua reperiretur in frequenti vsu, & soluendo, attendi debet valor monetæ modernæ, & non monetæ antiquæ, cum nullum, hoc valore attento, creditori damnum emergat, & ideo intrant conclusiones firmatæ supra dictis num. 102. & 103. quòd vna moneta possit solui pro alia.

134 Amplia tertio, vt in fisco creditore procedat etiam de iure, quia is tenetur etiam prò auro accipere argentum, Alber. Brun. tract. de monet. &c. in 2. præsuppósit. num. 4. in fine, & num. 5. vbi dupliciter declarat hanc ampliationem, quarum neutram hic comprobo, tom. 12. fol. 208.

135 Amplia quarto, vt procedat etiam si partes expresse conuenissent de solutione facienda in certa nummorum specie, quia nihilominus debitor posset soluere in alia æquiualenti, attenta consuetudine, Alber. Brun. tract. de monet. in 2. præsuppósit. num. 6. vers. circa tertium. tom. 12. fol. 209. & Sola tract. de monet. cas. 35. & hæc ampliatio videtur superflua, cum satis colligatur ex his, quæ dixi supra num. 102. & 104. in conclus. & prima eius ampliatione, quasi illa certæ speciei qualitas sit potius demonstratiua valoris, quàm præcisæ obligationis, Brun. d. vers. circa tertium. in fine, & Sola vbi supra.

Quicquid in contrarium sentire videantur

tur Guid. Pap. decis. 493. si fiat. paulò post medium, Gasp. Ant. Tess. tract. de augm. monet. par. 1. nu. 81. quem retuli supra gl. 3. sub nu. 112. Bar. & sibi quasi parum constantes Brun. & Sola, quos citaui inf. n. 138. & 139.

Operabitur tamen illa promissio de certa specie respectu lucri, & damni, vt declaraui infra num. 147. & seqq.

136 Subamplia primo hanc ampliationem, etiam si promissio esset iurata, Sola tract. de monet. cas. 30. num. 2.

Contra hanc subampliationem tenent Guid. Pap. & Tess. in locis supra proximè citatis, & est de mente Alexandri cons. 37. viso & opportunè. n. 27. ibi, vnde statutum laicorum. lib. 2. dum dicit, quòd statutum, habilitans debitorem pecuniæ ad soluendum aliam rem mobilem, non intelligitur in casu, quo quis esset cum iuramento obligatus soluere in pecunia, & ad Alex. videtur se remittere Boss. tract. crim. tit. de monet. num. 14. vers. & quando.

137 Subamplia secundo, vt procedat etiam si appareret, quòd qualitatem monetæ expressissent, non ad demonstrandum valorem, sed ad substantiandum obligationem in illa præcisa specie monetæ; & moueor, quia non dicetur solui aliud pro alio, inuito creditore, sed idem fictione iuris, cessante creditoris interesse, vt dixi sup. sub nu. 102. & 103. & inf. n. 141. & illa vis præcisæ obligationis erit sublata à consuetudine, de qua supra nu. 104.

138 Contra istam subampliationem adduco in fortioribus terminis Bar. in l. 57. si quis stipulatus. sub num. 3. ibi, sed pone quod dixi. ff. de solut. quem sequuntur Alber. Brun. tract. de mon. &c. in 2. præsuppos. sub num. 6. vers. aliquando. & num. 7. tom. 12. fol. 209. & Sola tract. de monet. cas. 36. num. 2. dum scribit, quòd, si promitto tibi dare centum in pecunia minuta, non admittor, te inuito, ad soluendum in pecunia grossa, non obstante, quòd de consuetudine liceat vnam pecuniam soluere pro alia, quia cum ista facultas soluendi in pecunia minuta inesset sine expressione promissionis, dicendum est, quòd illa expressio in pecunia minuta, ne stet otiosa, operatur, vt solutio fieri non possit in pecunia grossa.

139 Confirmatur primo hæc opinio contra subampliationem, quia si quis promittat soluere scutos solis, vel ducatos largos boni auri, & iusti ponderis, cogitur soluere præcisè in moneta aurea, & non admittitur ad soluendum monetam argenteam, quia consuetudo, quæ admitteret solutionem in moneta argentea, cessat propter pactum, resultans ex illis verbis (boni auri, & iusti ponderis) nam cum ista verba (boni auri, & iusti ponderis) inspecto iure communi, quod debitorem istum non admittit ad soluendum in alia moneta, quàm in moneta aurea, quæ sit bona, nõ vitiosa, & sit iusti ponderis, stent superfluè, & otiosa; &, inspecta consuetudine, quæ admittit hunc debitorem, vt possit soluere etiam in moneta argentea, non stent otiosa, & superflua, quia possunt operari exclusionem huius consuetudinis, debent intelligi, vt non stent otiosa, sed operentur, ita quòd virtute illorum verborum teneatur soluere in moneta aurea, ne alias, vt dixi, illa verba sint superflua, Alber. Brun. in d. 2. præsuppos. sub num. 6. vers. aliquando. quem sequitur Sola d. cas. 36. num. 1. & maximè procedit hæc confirmatio, si promissio esset de soluendo scutos auri in auro, vt aduertit Bertaz. tract. de claus. claus. 30. gl. 8. sub num. 1. & 2. dicens, quòd promittens soluere tot scutos auri, satisfacit, soluendo eorum valorem, secus si promiserit soluere tot scutos aureos in auro, quia tunc, inquit, debet soluere scutos aureos, & non eorum valorem.

140 Hincq; aliquando obseruaui, quòd campsor, cui quis dabat scutos quinque stamparum, non faciebat ei litteras pro scutis de quinque stampis, sed pro scutis auri in auro de stampis, quia forsan nolebat, mandatarium cogi ad soluendum de quinque stampis, cum Romæ, & forsan aliquo alio in loco scuti stamparum intelligantur non solum de quinque stampis, sed de octo, qui æquali æstimantur valore, & ideo satis erat dicere (de stampis) dicendo enim de stampis, comprehenduntur octo tantum, & non omnes, quia si comprehenderentur omnes, frustra diceretur de stampis, cum omnes scuti habeant stampas.

141 Confirmatur secundo (& quidem in fortioribus terminis (quia si quis sit obligatus soluere scutos centum auri in auro Italiæ, boni, & iusti ponderis, constituentes 500. libras monetæ Genuensis, iste obligatus nõ se liberat soluendo dictas libras 500. quia moneta aurea est in obligatione, & ideo in moneta aurea, & non in alia specie fieri debet solutio, cum illa verba (scutos auri in auro boni, & iusti ponderis) vt aliquid operentur,

rentur, auferant facultatem, quæ ex conſuetudine competebat, ſoluendi in moneta alterius materiæ,& iſta verba, conſtituentes lib. 500. ſtant demonſtratiuè, & non vt poſitæ in obligatione, Rot. diuerſ. deciſ. 682. fœlicis. initio, & num. 1. in Cremonen. penſionis, lunæ 15. Iunij 1598. coram R. P.D. Orano, inter impreſſas Lugduni anno 1612. & hanc confirmationem in caſu, quo ſolutio dotis erat promiſſa in ſcutis 1500. boni auri, recti ponderis, cugni, & legis dominij Regis Franciæ, cum tribus floribus lilij, vno quolibet ſcuto auri computato, & exiſtente in valore vigintiſeptem ſolidorum,(ex denariorum monetæ currentis, latè ſequitur Boer. deciſ. 327. hæc quæſtio. nu. 3. verſ. hoc habito. & tenet Crauet. conſ. 47. magnificus. num. 1. verſ. quibus tamen.

Contra hanc confirmationem latè inſiſtit Bertaz. tract. de clauſ. clauſ. 30. gl. 9. num. 6. & ſeqq.

142 His,& ſimilibus non obſtantibus,& quicquid dixerint Bar. Brun. Rot. Boer. & Crauet. ego non diſcedo à ſubampliatione, & moueor duobus fundamentis, quæ poterunt etiam ſeruire pro reſponſione ad contraria: Primum fundamentum eſt, quia ratio, in qua fundantur l. 99. paulus. ff. de ſolut. & conſuetudo, de quibus dixi ſupra ſub num. 102. & 104. extenditur ad omnes caſus, de quibus in iſtis ampliationibus,& ſubampliationibus. Secundum fundamentum eſt, quia ſicut conſuetudo legem, obligantem debitorem ad ſoluendum monetam in ſpecie promiſſa, ſeu aliter debita, interpretatur, vt habeat locum, quando ex ſolutione in alia ſpecie emergeret creditoris intereſſe; ſecus, quando non emergeret, ita etiam interpretabitur quodcumque pactum appoſitum de ſoluendo in certa ſpecie monetæ, & non in alia, quia tàm lex, quàm pactum ſine hac interpretatione viderentur iniuſta, & iniqua; ſi enim creditoris nō intereſt, quòd ſolutio fiat in hac, vel in illa ſpecie monetæ, non debet eius contradictio audiri; tum quia exceptio (tua non intereſt) repellit agentem, vt ſecutus ſum in meo tractat. de appellat. q. 5. ſub num. 95. & repellit etiam excipientem, Surd. deciſ. 149. decedens. in fine, num. 24. & dicitur exceptio litis finitæ, Surd. deciſ. 52. fruſtratorios. num. 2. tum quia quod tibi non nocet, & mihi prodeſt, debet admitti, alias eſſet perfidia,& inuidia; quare, ſublato damno creditoris, ſolutiones ſunt indiſtinctè admittendæ ſine tanta conſiderationum confuſione.

Eſt tamen verum, vt dixi etiam ſupra ſub num. 109. verſ. infero. quòd ſi agatur de ſolutione magnæ ſummæ, difficile eſt dare caſum, vt ſolutio fiat in diuerſa ſpecie ſine intereſſe creditoris, & conſequenter tunc rarò in praxi poterunt habere locum conſuetudo, & ſubampliatio; hacq; damni ratione creditores ſibi cauere ſolent de ſolutione facienda in certa ſpecie, & qualitate monetæ, & non in alia, quia, remoto damno, & intereſſe, fruſtratoria eſſet iſta cautio.

143 Limita nunc notabiliter eandem concluſionem, poſitam ſupra ſub nu. 102. & ſeqq. dum diximus, & ampliauimus, vnam monetæ ſpeciem ſolui poſſe pro alia, vt non procedat, quando debitor litem conteſtatus eſt ſuper ſpecie monetæ, quæ eſt in obligatione, quia tunc tenetur præciſè illam ſoluere, & ita limitatur diſpoſitio dictæ l. 99. paulus. ff. de ſolut. & moueor ad hanc limitationem ex tex. in l. 57. ſi quis ſtipulatus. ff. eod. vbi ſi ex ſtipulatione ſint decem in obligatione, & in ſolutione ſit mel, vſque ad valorem decem; ſeu quis ſit debitor alternatiuè in decem, aut in tanto melle, & debitor conuentus ad ſoluendum decem, litem conteſtetur ſuper decem petitis, non poteſt poſtea ſoluere in melle, licet ante conteſtatam litem potuiſſet ſoluere in melle, quia illa litis conteſtatio tollit debitori facultatem ſoluendi circa rem, adiectam ſolutioni,& circa perſonam, vt ſcribunt Bar.& Paul. de Caſtr. in illa l. exclamantes, eſſe legem ſingularem, quæ non reperitur alibi, tu poteris videre, quæ in ea ſcripſerunt; & ita illam l. clarè etiam explicat Ant. Burg. in cap. cum dilecti. ſub num. 33. verſ. aduertatis tamen. de empt. & vendit.

144 Declara (& hæc declaratio videtur deſtruere iſtam limitationem) vt procedat, quando facultas ſoluendi in adiecto, competit ex diſpoſitione hominis, vt in caſu d. l. ſi quis ſtipulatus. quia tunc, ſecuta litis conteſtatione, non durat illa facultas; ſecus, quando illa facultas procedit ex diſpoſitione legis, vt quòd ſeruus poſſit dari pro noxa, quia tunc facultas durat etiam poſt litem conteſtatam, & ratio eſt, quia mitius agitur cum lege, quàm cum homine, Bar. & Paul. de Caſtr. in d. l. ſi quis ſtipulatus. & durat etiam poſt ſententiam, donec victus fuerit conuentus ſuper actione iudicati, Ant. Burg. in

in loco supra proximè citato, & dixi, quòd hæc declaratio videtur destruere limitationem, quia facultas soluendi vnam monetam pro alia, remoto creditoris interesse, procedit à lege, & licet multa circa hanc limitationem, & declarationem dicenda superesse videam; tamen, ijs omissis, ita à primo casu posito supra sub num. 102. me expedio.

145 Secundus casus est, quando obligatio, seu promissio solutionis est in moneta imaginaria, quæ existentiam non habet, nisi in alijs monetæ speciebus: & isto casu cõcludo cum minori controuersia, posse debitorem soluere in quauis moneta proba, prout dixi supra num. 118. in extensione; & demum firmo ea omnia, quæ, extendendo, declarando, & subextendendo scripsi sub d. num. 118. & seqq. vsque ad num. 124. inclusiuè.

SVMMARIVM.

Monetæ valor si crescat, vel minuatur, cuius sit augmentum, & diminutio, debitoris ne, an creditoris? num. 146. & seqq. nnm. 184. & seqq.

Monetæ diminutio cedit damno debitoris morosi, sub num. 147. Sed augmentum cedit lucro creditoris, eod. num. in fine.

Monetæ diminutio, & augmentum, circumscripta omni mora, pertinet ad creditorem, num. 148. Quare si contingat, vt moneta in totum reprobetur, debitor liberatur, præstando solnm materiam illius monetæ, num. 152. in fine, vers. extende. Et hæc, si mutatio procedat à bonitate extrinseca, num. 177. Secus si procedat à bonitate intrinseca, num. 178. & seqq. in quibus declaratur.

Petere quis non debet id, cuius contrarium postulaturus non esset, num. 149. & seqq. Hoc procedit in omnibus casibus, qui à futuro pendent euentu, num. 151. in fine.

Monetæ augmentum, si creditor fuerit morosus in non recipiendo eam, pertinet ad debitorem, num. 153. Declaratur multipliciter hæc conclusio, num. 154. & seqq.

Oblatio pecuniæ debitæ, vt creditor constituatur in mora, debet esse realis, num. 154. iuncto num. 153. Et ideo debet esse cum sacculo, & numeratione, num. 155. & 156. Sufficit oblatio verbalis, quando debitori, verbaliter offerenti, creditor responderet, se nolle solutionem recipere, num. 157. Secus si non expressè recusauerit, sed solum tacuerit, num. 158.

Oblatio verbalis, seu realis quid operetur contra morosum creditorem, & quid non operetur, num. 160. & seqq.

Oblatio facta in loco incongruo non releuat, num. 168. Qui dicatur locus congruus, num. 170. Idem si fiat tempore incongruo, num. 169.

Monetæ interitus vt pertineat ad creditorem morosum, quæ requirantur, num. 161.

Depositum pecuniæ debitæ quot operetur ad vtilitatem deponentis, num. 161. & seqq.

Depositum, vt iuuet debitorem, & noceat creditori, quale esse, & quomodo fieri debeat, num. 165. & seqq.

Depositum quando dicatur continere conditionem extrinsecam, num. 173.

Depositum cuius iudicis mandato fieri debeat; nu. 174. Et in quo loco, sub n. 176. in 6. requis.

Depositum in qua moneta fieri debeat, sub num. 176. in 6. requis.

Solutio in qua moneta fieri debeat, &c. sub num. 176. vers. declara. & vers. restringe. Et quo in loco, num. 175.

Creditores decoctoris, recipiendo solutiones, debent præstare fideiussionem de restituendo, &c. sub num. 173. vers. contrarium.

Monetæ valore mutato ex bonitate extrinseca, & circumscripta omni mora, soluitur moneta, non secundum valorem, quem habebat tempore contractus, sed secundum valorem, quem habet tempore solutionis, num. 177. Secus si sit mutatus ex bonitate intrinseca, nu. 178. Ampliatur, & limitatur remissiuè, num. 182.

Bonitas extrinseca, & bonitas intrinseca considerantur in quauis merce, num. 181.

Bonitas intrinseca monetæ dupliciter mntatur, num. 180.

Moneta debita in genere, idest imaginaria, valor semper est idem, si tamen mutetur valor monetarum, in quibus numeratur, & constituitur, ad quem spectet illa mutatio, nu. 184. & seqq.

Moneta certa species quando dicatur in obligatione, & quando in facultate soluendi, nu. 185.

Monetæ valor si mutetur post contractum debitum illius monetæ, an solutio debeat fieri in valore tempore contractus, vel tempore solutionis, nu. 184. Et in qualibet specie debiti, remissiuè, num. 193.

146 QVAERO VI. cuius damno, & lucro cedant augmentum, & diminutio monetæ?

Respondeo, præmittendo tria. Primo, hanc quæstionem pendere

multum à distinctione duorum casuum, de quibus in præcedenti quæstione num. 102. & 145. Secundo, quæstionem istam fuisse inter alios latè examinatam à Brun. tract. de monet.&c. par.1.& seqq. tom. 12. fol.210. & seqq.& a Gasp.Ant.Tess. tract. de augm. mon. Tertio, materiam istam esse à Doctoribus malè tractaram, & peius intellectam, vt testatur Brun.d. tract.de mon.&c.limit.8. num.1.in fine,vers.& quia.tom.12. fol.217. nam Bar. Abb. & alij non sine terminorum confusione videntur distinxisse,à qua vt nos, quantum possumus, caueamus, breuem formo distinctionem. † His præmissis, reassumo eandem duorum casuum distinctionem, agendo de primo nunc, & de secundo infra num.184.

147

Primus casus est; quando obligatio, seu promissio est de certa specie pecuniæ veræ, & vsualis, vt puta, debet quis prima die sequentis anni 1619. soluere creditori Romæ centum scutos aureos quinque stamparum, & isto casu distinguo tripliciter.

Aut agimus de mora debitoris, vt puta, quia debitor non soluit, nisi de mense Martij; & isto casu concludo, quòd damnum, seu diminutio valoris spectat ad debitorem, qui fuit in mora, & ideo, si scutus aureus toto mense Ianuarij valebat iulios tresdecim, & de mense Martij iulios duodecim,debitor tenetur soluere creditori dictos scutos centum, & vlterius centum iulios, Bar. in l. 99. paulus. num.8.versus finem,ibi,sed si tu poneres. & Castrens.sub num.4. ibi,nunc ergo ad propositum.ff.de solut. Alber.Brun.tract. de monet.&c.limit. 1.nu.1.tom.12.fol.215. Boss.tract.crim. tit. de monet. sub num. 11. & ibi Mandos.in addit.littera b. habenda est enim ratio quanti plurimi à tempore, quo debitor cœpit esse morosus, Rener.Bud. tractat.de monet.cap.26.num.5. quare, cum de anno 1591. sedente Gregorio XIV. baiocchus, qui erat quatrinorum quatuor,fuerit auctus ad quatrinos quinque, debitores, qui iam fuerant morosi ante hanc auctionem,tenebantur soluere baiocchum,non in quatrinis quatuor, vt potuissent soluere ante moram, sed in quatrinis quinque,& sic eorū dãno cedebat ille quatrinus pro quolibet baioccho, Vinc.Caroc. tract.de depos. par.2.q.131. &, quòd regula sit, quòd,stante mora debitoris, diminutio monetæ cedat damno, & præiudicio ipsius debitoris, scribit Gabr.in conclus.lib.3.tit.de solut.concl. 3.num.1.& cum hac conclusione concordat in effectu Hier.Buttigel.in l.cum quid.num. 22.ff.si cer.pet.inter Repeten.tom.2. fol.49. dicens, quòd debitor ex causa mutui non tenetur ad bonitatem extrinsecam, nisi post moram, & cum hac conclusione testatur transire omnes indifferenter, & esse verissimam: &, quòd debitor morosus teneatur ad interesse, vide,quæ, loquendo indifferenter, scripsi §.præced.q.7.par.2.ampl.8.num.100. lucrum verò pertinebit ad creditorem, vt puta, si valor interim esset auctus,vt secutus sum §.præced.q.1. nu.409. & seqq. & num. 415.cas.1.& 2. ne alias debitor ex propria mora lucrum reportaret:Adde limitationes, quas in hoc primo membro ponit Gabr. in d.conclus.3.num.2.& seqq.

148

Aut agimus de solutione sine alicuius mora, vt puta, quia debitor soluit in tempore; & tunc concludo, quòd tàm lucrum, quàm damnum pertineret ad creditorem,vt ex pluribus, quos citat, sequitur Ant. Sola tract.de monet.cas.24.num.1. & seqq. & in his terminis intelligas eandē conclusionem, quam in diminutione monetæ ponit Gabr. in conclus.lib.3.tit.de solut.concl.2.num.1. & seqq. eandemq; conclusionem, quando quis mutuat pecuniam auream, vel argenteam, & alterius generis moneta sibi redditur, quia valor monetæ mutuatæ attenditur non secundum tempus mutui,sed secundum tempus restitutionis, vti communem sequitur Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.10.tit. de camb. cap. 7. q.2. vers.duæ sunt. & vers. hæc quæstio.col.875. quare si scutus aureus mutuo datus valebat tempore mutui iulios vndecim, & tempore solutionis valeat iulios 12. essent restituendi iulij 12. Azor. d. vers. hæc quæstio.in fine.sic etiā intelligas Rot.diuers.decis.61. seu verius 761.dominus.corā bon.mem. Card.Seraphino,17.Aprilis 1587. inter impressas Lugduni anno 1612. dum ex communi Doctorum sententia firmat,dotem, solutam in ducatis de camera tempore antiquo, quando ducatus de camera valebat decem iulios, esse restituendam ad rationem valoris hodierni; quia vbi certæ monetæ species est promissa,ea solui debet,quæ tempore solutionis faciendæ extat, sicque ex mente Rotæ, & per ea, quæ dixi, si ducatus de camera valeret tempore solutionis iulios nouem, ita solui deberet: nam mutatio cursus monetæ in obligato ex contractu, non imputatur debitori, nisi post moram, Brun. d.tract.

d.tract. de monet.par.6.num.4.tom.12. fol. 213. & hoc est, quod implicitè, & explicitè scribit Bar.in d.l.paulus. sub num.6. ibi, secundo modo.seu dic,quòd hoc augmentum, vel diminutio monetæ, superueniens post contractum, non attenditur, Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 12. ibi, secundo casu. de iureiuran. seu non curamus, nisi à tempore moræ, idem Brun.eod.tract.par.3. sub num.1. & seqq. fol.211. & Castrens. in d. l. paulus. num.4. q.3.valor enim monetæ crescit, & decrescit mutuanti, vt secutus sum §.præced. q.1. num.409.& 410. & hoc procedit etiam in alia re mutuata, vt dixi ibidem num.415.cas.2.

149 Ratio est,quia nemo debet admitti ad petendũ id,cuius contrarium postulaturus non esset,ideoq; meliorationẽ rei non iustè petit, qui deteriorationem non esset postulaturus, l.24.cum pro pecunia. quæ est penult. C.de solur. Stracch.tract.de assecur.gl.10.sub nu. 6.& sub num.17.vers.vltima. tom.6. par. 1. fol.367.& 368.& in nostris terminis Alber. Brun.tractat.de monet.&c. partic.3.num.3.

150 tom. 12. fol. 211. † & proinde si Abbas, & Conuentus S.Dionysij vendiderunt Archiepiscopo Eboracen. annam pensionem, seu redditum quadringentarum librarum, percipiendarum annuatim ex dicto monasterio, quamdiu vixerit, pro pretio duorũ millium, & quadringentarum librarum, & iste Archiepiscopus superuixerit annis viginti, & vltra, & ideo perceperit libras quatuor mille; Conuentus non potest amodo recusare annuam solutionem, & allegare contractum vsurarium, seu illicitum; nam potuisset Archiepiscopus mori citò, & sic monasterium fuisset lucratum totam quantitatem: ergo licet diutius vixerit,monasterium de hoc conqueri non debet, quia si contigisset contrarium, non fuisset conquestum, Oldr. Petr. de Anch.& Io. de Anan. quos secutus sum §. præced. q. 1. num. 294. hic enim est census vitalitius,de quo scripsi d.num.294. & seqq. quare si tu mutuas vnum scutum argẽteum, valentem, quando mutuas, solidos 94. & quando tibi restituitur, valeat sol.90.tu non potes vltra scutum petere illos solid. 4. qui tempore restitutionis deficiunt in valore scuti, quia si ille scutus tempore restitutionis non valuisset solidos 94.sed valuisset solidos 98. tu vtique velles scutum simpliciter, & nolles restituere illos solidos 4. qui supersunt: ergo tu non potes petere, vt mutuatarius vltra scutum reddat tibi solidos 4. siquidem tu non postulares contrarium, nempè, vt mutuatarius ex scuto valente solidos 98. retineret solidos 4. & hoc est, quod sub alijs verbis scribit Abb. in d.cap.quanto. sub nu. 12. ibi, secundo casu. de iureiur. seu dicas, quòd debitor non debet in creditorem vti eo iure, cuius contrarium non esset pro se ipso admissurus, vt, loquendo in nostris terminis, scribit Ant. Sol. tract. de monet. cas. 24. num.8.

151 † & huic doctrinæ benè associari potest morale illud,& catholicũ præceptum, quòd nõ debeat quis ab alio requirere,quod ipse nollet per alium à se requiri, quia quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, l.1. & ibi Paul.de Castr. nu.3. ff.de solur.ius enim naturale continet duo præcepta, his duobus versibus conclusa:

Quod tibi vis fieri,mihi fac,quod non tibi, noli:

Sic potes in terris viuere iure poli.

Gl.1.in verbo, ordinatissimam. §. hæc sancta trinitas.cap.1.de sum.trin.& habetur Matth. 7.num.12.& retuli §.præced.q.7.ampliat.10. sub num.41. vnde sicut mutuator lucrum, quod procedit ab augmento scuti mutuati, nollet sibi auferri, ita etiam ipse auferre non debet lucrum ,quod propter diminutionem videtur habuisse mutuatarius;quare concludo, quòd debitor non debet sentire commodum lucri,quia nollet sentire incommodum damni, & è conuerso creditor non debet fugere damnum, quia nollet perdere lucrum; hoc enim debet procedere in omnibus casibus, qui pendent à futuro fortunæ euentu, & sic ad creditorem debet, vt dixi, spectare vtrumque.

152 Non obstat huic conclusioni, quod scribunt Sot.de iust.& iur.lib.6.q.1.art.2.col.10. ibi, contra hanc autem. fol.537. & q.12. art. 1.concl.2.col.2.in fine, fol.614. & Card. Tolet. de instruct. sacerd.lib.5.cap.34. de alijs causis exigendi,&c.sub num.2.vers.alterum est,dicens,quòd si quis mutuaret alicui centum aureos, valentes tempore mutui scutos centum & decem argenteos ad rationem iuliorum vndecim pro scuto aureo, & deinde Princeps augeret valorem scuti aurei ad 14. iulios argenteos, mutuatarius teneretur restituere non scutos 100. aureos,qui tempore restitutionis constituunt scutos 140. argenteos, sed teneretur solum restituere tot scutos aureos, qui constituant summam scutorum 110.argenteorum,puta scut.79.aureos,

& iulios 6. quia hæc sit differentia inter pecuniam,& alias res,vt,aucto pretio pecuniæ, dicatur mutata pecunia, sed, aucto pretio rei, non dicatur mutata res: & hoc (inquit) procedit, quando mutuator non petit, sibi dari in eadem materia, in qua mutuat, siue minus, siue plus valeat, quia si peteret dari in eadem materia, tunc esset danda, siue auctus,siue minutus esset valor pecuniæ.

Quia quicquid Sot.& Card.Tolet.in hoc confusè potius, quàm accuratè scripserint, non considerantes mutationem in bonitate extrinseca, vel in bonitate intrinseca, neque exprimentes, an illi 100.aurei sint in obligatione, vel sit in obligatione eorum valor, dico,eorum sententiam non esse veram, nisi in casu, quo mutuator mutuat scutos 110.monetæ in scutis aureis; secus si mutuat scutos 100. aureos, per ea, quæ scripsi infra num. 184. vers.secundus casus.& num.185. vers. infero. vbi videas; vel nisi esset facta mutatio in bonitate intrinseca, & nominatim contra Sot.supra citatum,reprobando differentiam, quam assignant inter mutuum pecuniæ,& mutuum aliarum rerum, firmat Io. Azor. de instit.moral.par.3.lib.10.tit. de camb. cap.7. quæst.2. & vers. hæc quæstio. col.875.

Minus obstat, quòd idem Azor. d. par.3. lib.4.tit.de rest. cap.35.q.3.& vers.seq.col. 328. dicat, constituẽdo differentiã inter pecuniam depositam,translato dominio in depositarium,vt tunc augmentum, & diminutio spectet ad depositarium debitorem,& pecuniam debitam ex alio contractu, vt tunc augmentum, & diminutio spectet ad creditorem.

Quia respondeo, quòd se ipsum conquassat, cum eiusmodi depositum suscipiat naturam mutui, & ipse in mutuo dicat contrarium; prout eum retuli supra sub num.148. & hic contra Sotum; & vlterius nullam assignet, neque assignare possit rationem diuersitatis inter pecuniam debitam ex deposito cum translatione dominij, & pecuniam debitam ex contractu mutui, seu alio contractu.

Minusvè obstat, quod scribit Thom.Parpal.in l.cum quid. sub num.27.concl.4. ff. si cert.pet.inter Repet.tom.2.fol.52.dicens ex sententia Canonistarum,quòd vbi pecunia minuta est mutata in æstimatione,puta,quia tempore contractus cauallottus valebat tribus grossis, & hodie tempore solutionis valet minus vno quarto, & debitor non est in mora, diminutio valoris adhuc cedit damno ipsius debitoris, testans etiam ita seruari de consuetudine.

Quia respondeo, quòd, supposita mutatione valoris ex bonitate extrinseca, ipse decipitur, & malè allegat Abbatem, cum teneat contrarium, vt patet ex his, quæ secutus sum supra sub num. 148. iunctis quæ scripsi infra num.177.

Præterea videtur in effectu sibi parum constans, dum postea sub eod.nu.27. concl. 6.scribit, quòd aucto pretio monetæ grossæ, idest, pretiosæ, puta, scuti aurei absque vitio pecuniæ minutæ, debitor etiam post moram non tenetur ad illud interesse.

Extende conclusionem hanc positam supra num. 148. vt damnum etiam in tantum pertineat ad creditorem, vt si ego debeam tibi decem libras grossorum Perusinorum,& contingat, quòd per statutum Perusinum hæc moneta reprobetur, ita vt expendi non possit,ego ero liberatus; quamuis remaneam obligatus ad præstandum illam pecuniam in materia, Bar.in l.5.quod te. num.6. ibi, ponamus casum, ff. si cer.pet.

Ratio est, quia ego sum debitor speciei, seu generis subalterni, & quando perit species,vel perit totum genus subalternum sine mora debitoris, debitor liberatur, Bar. in d. l.quod te.num.8.in fine.

Intellige, & declara hanc conclusionem, prout declaraui infra num.177.& seqq.

153 Aut agimus de mora creditoris, vt puta, quia creditor, requisitus noluit accipere pecuniam sibi realiter cõgruis loco, & tempore oblatam; & tunc concludo eadem ratione, moram fore nociuam creditori moroso, quia contra contumaces omnia iura clamant, & idcirco, si valor, seu pretium scutorum aureorum quinque stamparum creuerit post oblationem à debitore factam, illud augmentum erit debitoris, ita vt si illud totum augmentum ascenderet ad duos scutos aureos stamparum, debitor non dabit creditori centum scutos aureos stamparum, prout erat obligatus, quia solueret plus debito, & sic plures scutos, quàm centum, sed dabit nonaginta octo, & dicetur dare centum, cum valeant centum, considerato valore temporis,quo erant soluendi, & fuerant realiter oblati, Paul.de Castr.in d.l.paulus, sub nu.4.ibi,& è conuerso.ff.de solut. Brun. tract.de monet.limit.1.n.2.in fine, & n.3.& Rener.Bud.d.cap.26.num.6.& seqq. vers.& idem,

Idem.& communiter omnes; imò si creditor oblatam pecuniã noluerit accipere,& postea debitorem reperiat, eumq; non valentem tunc soluere,interpellet, non eum constituit in mora,tanquam,id agendo,in dolo censeatur versari,Tiraq.de retr.lign.§.3.gl.2.num. 2.vers.& alias. fol.201.

154 Declara primo hanc conclusionem, vt procedat, quando debitor realiter obtulerit solutionem, quia verbalis oblatio non releuaret, Anch. cons. 86. pro faciliori. num. 3. Neguf.tract.de pign.in 2.par.tertij memb.5. par.princip.num.1.& seqq.tom.6.par.1.fol. 235. & Gabr. in conclus. lib.3. tit. de solut. concl. 8. num.1.& hæc declaratio transit sine controuersia.

155 Subdeclara, extendendo, vt oblatio realis debeat esse cum sacculo, & numeratione, vel saltem cum sacculo, alias non diceretur realis, Io.Bapt.Lup.in l.2.comment.2. §.3. num.3.& seqq. C.de pact.int.empt. & vendit.inter tract.diuers.tom.7.fol.131.& quòd pecunia debeat primo numerari coram testibus, & offerri creditori, & si creditor non vult recipere, tunc debeat in bursa consignari, & deponi, scribit Bal. in l. 19. acceptam. num.1. vers.ibi consignari.C.de vsur. & quòd oblatio realis,facta in marsupio,non valeat,nisi pecunia extrahatur de marsupio, & numeretur coram testibus,& postea reponatur in marsupio, & offeratur, quia alias non constaret, quid offerretur, cum posset dubitari quid esset in marsupio, sequitur Rol.à Val.cons.53. viso ac diligenter. num. 36. lib.1.

156 Aduerte circa istam subdeclarationem, quòd numeratio non est necessaria simpliciter, & de per se,sed solum,vt ex ea appareat depositum esse reale, & integrum; quare, si daretur casus, vt constaret de realitate, & sufficienti numero pecuniarum contentarum in bursa, & oblatarum creditori, oblatio etiam sine numeratione teneret, Bal. in d.l. acceptam.q.11.num.21.in fine.

157 Restringe eandem declarationem,vt non procedat, quando creditor, cui solo verbo offertur solutio, diceret, se nolle recipere solutionem, quia tunc sufficeret illa oblatio verbalis, Neguf.d.2.par.tertij memb.5.par. princip.num.7.fol.235.& Tiraq. de retract. conuent.§.4.gl.6.num.21.vers.verum.& esse magis commonem refert, & sequitur Gabr. in loco supra proximè citato,& ab hac communi opinione non esse recedendum in iudicando, scribit Rol. à Vall. cons. 53. viso ac diligenter. sub num.26. lib.1.

158 Subrestringe primo hanc restrictionem, vt procedat solum, quando creditor expressè dixit, quòd nolebat accipere; quia tunc satis esset illa oblatio verbalis, secus si tacuit, Tiraq.d.gl.6.num.21.versus finem, & Rol.à Vall.d.cons.53.num.37. Gabr.d.conclus.8. num. 2. limit.1. nam sicut contumax non dicitur renunciare ferijs, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iud.caus. lib.2. cap.5.num.165.in 2. cas. & sicut contumacia citati, vti hæres, non releuat actorem à probatione, quòd ipse citatus sit hæres, per ea, quæ scripsi infra §.7.gl.5.num.28.& 29. in prima, & secunda subextens. ita etiam contumacia creditoris non liberat debitorem à reali oblatione, quam facere tenetur, imò Tiraq.d.gl.6.nu.22. vers.ego verò. existimat, pecuniam esse omnibus modis non solum offerendam in sacculo, seu folle, sed esse numerandam.

159 Subrestringe secundo in alijs casibus, de quibus Rol. à Vall. d. cons.53. num. 38. & seqq. & Gabr. dicta conclus. 8. num. 3. & seqq.

160 Declara secundo, vt oblatio realis, seu verbalis,de quibus supra,possint nocere creditori, quoad augmentum,& diminutionem valoris monetæ, seu alterius rei debitæ, vt dixi supra in concl. num. 153. & possint iuuare debitorem, ne ipse debitor sit in mora, ne incurrat pœnam, & ne teneatur ad vsuras, nondum incœptas, & istis casibus sufficit oblatio verbalis, si est, cui offeratur, sed si non extet, cui offeratur, tunc non potest fieri oblatio, & debitor est securus absque oblatione, Alex.cõs.92.perspectis.sub n.10. vers.nec obstat.lib.1. & quid de consilio facere debeat vide infra sub num.163.& 164.

161 Secus quoad interitum pecuniæ, seu rei debitæ;quia ad hunc effectum vltra oblationem requiritur depositum legitimè factum, & tunc debitor erit liberatus etiam ab interitu rei depositæ, l.19. acceptam. C. de vsur. & loquendo de deposito facto ab eo, qui vigore pacti redimit, scribit Tiraq. de retract. conuent.§.4.gl.6.num.34. vers. sed & hoc. quem sequitur Io.Bapt.Lup.in l.2.commen. 2.§.3.num.1.C.de pact. int.empt.& vendit. inter tract.diuers. tom.7. fol.131. &,quòd, perempta specie, idest, perempta re,quæ debetur in indiuiduo,debitor,qui non fuerit in mora, sit liberatus; secus si fuerit in mora,

patet ex l.5. quod te. & ibi Bar. & alij communiter, ff. si cer. pet.

162 Secus etiam quoad consequendam restitutionem fructuum rei redimendæ, quia is, qui potest rem venditam retrahere vigore pacti, ex sola oblatione etiam reali consequi non potest restitutionem fructuum, postea per emptorem perceptorum, nisi fecerit actuale depositum, Tiraq.d.gl.6. num.4. & 5. & Lup.d.§.3. sub num.5.in fine, vers.sed quantum.sed quoad facultatem agendi, sufficit oblatio verbalis, vt virtualiter, conciliando Doctores discordes, sentit Tiraq. vbi sup.& apertè Lup. sub d.n.5. vers.tu autem.

163 Secus etiam ad impediendum cursum vsurarum, iam incœptarum, quia requiritur depositio, & consignatio, d.l. acceptam. C. de vsur. & sentit Alex. cons. 92. perspectis. num.10.vers.nec obstat. lib.1. Vinc. Caroc. tract.de deposit. par.2.q.5. sub num.1. vers. primum.fol.98.

Non obstat, quòd contra primã huius declarationis partem sup.nu.160. Bar.in l.73.si reus.in fine, nu.5.ff.de procur. dicat, ad euadendam pœnam fieri debere depositum, si non adest, cui offerri possit solutio.

Quia resp.quòd debemus intelligere Bar. vt loquatur de consilio, alias contradiceret sibiipsi, per ea, quæ scripsi inf.n.223. & contra eundem tenerent Alex. quem citaui nu. seq. & Put.decis.8. vertebatur.num.2.lib.1.

164 Extende hanc declarationem, seu verius hos tres casus, in quibus dixi, esse omnino faciendum depositum, vt procedant etiam si creditor non reperiretur, quia quando debitor ad impediendum cursum vsurarum teneretur deponere, & consignare, teneretur omnino deponere, & consignare, etiam si creditor non reperiretur, quia depositio, & consignatio, ad quas tenetur, possunt fieri etiam sine creditore, & ideo, si non reperiat creditorẽ, cui soluere possit, debet auctoritate iudicis facere consignari, & coram iudice offerre, & ad hoc vt sciatur vtrum ille creditor reperiatur, vt puta, quia fortè esset forensis, debet fieri præconium, Alex.d.cons. 92.num.10. vers.nec obstat.

165 Subdeclara eandem declarationem in casibus, in quibus diximus, depositum esse faciendum, vt illud minimè releuet, nisi legitimè fiat, quia paria sunt non legitimè facere, & nullatenus facere, vt patet ex infrascriptis requisitis.

Primo ergo requiritur, vt priusquam deueniatur ad depositum, præcesserit oblatio realis, Gl.vlt.in verbo, pecunias.in l.19. acceptam. C.de vsur. & Io.Bapt. Lup. d. §.3, num. 3. & seqq. nam tunc demum oblatio, & depositio fieri debet, quando ille, cui facienda est solutio, dolosè recusat accipere, Tiraq.de retract.lign.§.9.gl.3.& vlt.num.3. vers. quin cum solutio. & num. 5. vers. quid plura. vel quando is, cui oblatio esset facienda, non extaret, d.Gl.vlt.& Tiraq. d.num.5. vers.quid plura. & quando recusat accipere, tunc debitor debet coram testibus obtestari, vt scribit Anch.cons.86. pro faciliori. nu. 3.

166 Restringe hoc requisitum de oblatione facienda ante depositum, vt non procedat, quando is, cui fieri deberet oblatio, non adesset, Gl. & Tiraq. in locis supra proximè citatis; & quòd si quis non est obligatus deponere, & consignare, teneatur facere oblationem debiti, si extat, cui possit facere, scribit Alex. d. cons. 92. sub num.10. vers. nec obstat.lib.1.& quòd debitor non teneatur se conferre ad aliam prouinciam, ad quam creditor se contulit, scribit Alex. d.cons.92. nu. 9. vers.nam præsupponitur.

167 Secundo requiritur, vt antequam deueniat ad prædictam oblationem apud acta, eat ad domum creditoris, & ibi illi offerat, quod debet, quare si quis emerit fundum cum pacto retrouendendi infra certum tempus, & venditor intra illud tempus offerat pretium venditionis, & illius consignationem apud acta, vel alibi iussu iudicis, eumq; citari fecerit, non dicetur satisfecisse pacto, si prius non accesserit ad domum emptoris, ibique illi pretium obtulerit, Anch.cons.86. pro faciliori.sub n.3.& Tiraq.de retr.lignag. §.9. gl.3.& vlt.nu.6. vers.ideoque. fol.246.

Infero primo, quòd debitor tenetur accedere ad domum creditoris, & ibi soluere, per ea, quæ latè scripsi infra num. 236. & seqq. num.197. & seqq. num.225.& seqq.

168 Infero secundo, quòd oblatio, facta in loco incongruo, non releuat, Afflict. decis. 150.rex.num.11. Rol.à Vall.cons.53. viso, ac diligenter. num.39.& 40. lib.1. & Vinc. Caroc. tract.de depos. par.2. q.5. nu.1.& 2.

169 Extende hanc illationem, vt idem dicendum sit, si esset facta tempore incongruo, vt per eosdem Affl. Rol.à Vall.& Caroc. in locis supra proximè citatis; & ad hanc extensionem vide etiam quæ scripsi supra nu. 86. & in meo tractat.de iudic.caus. lib.2. cap.3, num.322.& seqq.

Decla-

170 Declara eandem illationem, vt congruus locus solutionis dicatur ille, de quo infra sub nu. 194. & seqq. & ille, qui est locus congruus solutionis, est congruus oblationis.

171 Tertio requiritur, quòd depositum fiat integrum, alias non iuuaret, Io. Bapt. Lup. in l. 2. comment. 2. §. 3. num. 2. C. de pact. int. empt. & vend. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 131. Rot. diuers. decis. 366. sententia. num. 2. in Aprutina census, 4. Iunij 1601. inter impressas Lugduni 1612. & Tiraq. de retract. conuent. §. 4. gl. 6. num. 24. & seqq. in quibus latè declarat.

172 Quarto non debet continere conditionem extrinsecam, alias, si contineat, non dicetur legitimè factum, & consequenter non releuat, Alex. cons. 78. viso & diligēter. num. 29. vers. quinto quia lib. 5. Neguf. tract. de pign. 2. par. 3. memb. 5. par. princip. num. 11. & 12. tom. 6. par. 1. fol. 235. Foller. tract. de censib. in verbo, vt vides. num. 52. tom. 6. par. 2. fol. 152. Vinc. Caroc. tract. de depos. par. 2. q. 5. sub num. 4. vers. & depositum. & Rot. diuers. decis. 71. dubium. num. 9. par. 2. & ead. Rot. diuers. decis. 913. plures. quæ est penult. nu. 2. in Romana bonorum de Ceulis, coram R. P. D. Orano, 11. Decembris 1585. inter impressas Lugduni anno 1612. &, quòd si venditor interpellatus ad mensurandum rem, quam vendidit, offerat, se mensuraturum, dum tamen, si reperiatur plus; emptor pretium suppleat, dicatur oblatio sub conditione, & ideo non sufficiat, quia debet esse pura, & emptor tali oblationi consentire non teneatur, scribit Neuiz. cons. 38. prima consideratione. num. 14.

173 Et dicitur continere conditionem extrinsecam, quando habet qualitatem, cum qua is, cuius fauore fit depositum, non tenetur illud recipere, Alex. vbi supra, num. 30. & clarius Neguf. d. num. 12. & Foller. d. num. 52. & generalius dicitur continere conditionem, seu qualitatem extrinsecam, quoties illa qualitas non est de natura depositi, Neguf. vbi supra.

Contingit in hoc quarto requisito, dubitari de infrascripto deposito. Debitor, ære alieno grauatus, fuit ad aliquorum creditorum instantiam carceratus, &, reperto eo non soluendo solidum, fuit, accedente Visitæ decreto, inter ipsos debitorem, & quamplures creditores inita concordia, quòd aliqui creditores, prætendentes suum creditum anterius, ideoq; impedientes bonorum distractionem, declararent in quibus bonis solutionem consequi vellent, & quoad reliqua renunciarent; & consentirent tàm ipsi, quàm debitor subhastationi domus ipsius debitoris, vt ex illius pretio soluerentur in primis census impositi super dicta domo; & quidam alij ex creditoribus certam partem de debito debitori dimitterent; inita hac concordia, præfata domus fuit in subhastatione deliberata offerenti maius pretiū, cum hac conditione, quòd creditores, recepturi illud pretium, promitterent restituere anterioribus, & potioribus, &c. factaq; hac deliberatione, emptor pretium deposuit in sacro monte pietatis, non soluendum, nisi facta prædicta promissione: deinde fuit citatus creditor census ad recipiendum partem pretij depositi pro extinctione dicti census; facta prius promissione de restituendo anterioribus, & potioribus; creditor citatus opponit se esse paratum recipere, & cedere iura, sed sine aliqua promissione de restituendo; quia ipse non interuenit in præfata concordia, neque debitorem fecerat carcerari; dubium propterea oritur.

Nunquid illa conditio, quòd creditor census teneatur promittere de restituendo, &c. sit conditio extrinseca, & consequenter depositum, vti non legitimè factum, non releuet.

Videtur prima facie dicendum contra depositum, quòd sit conditio extrinseca ex duobus.

Primo, quia non est de natura census, vt in eius retrouenditione is, qui pretium recipit, promittat restituere, &c. sed solum de eius natura est, vt si illud recipiat ab eo, qui censum vendidit, simpliciter consentiat rescissioni, & retrouendat; si verò recipiat ab alio, cedat simpliciter iura, & hoc est notum omnibus, & quotidie practicatur; imò addo, quòd, dato decoctore, cuius debita non censeantur contracta ratione negociationis, & mercaturæ, ita vt creditores videntur magis merci, quàm personæ credidisse, sed censeantur contracta alia ratione, & creditor petat sibi solui, vtique solutio fieri debet sine cautione de restituendo anterioribus creditoribus, Stracch. tract. de decoct. par. vlt. sub num. 34. tom. 6. par. 1. fol. 329.

Secundo, quia non debet esse in potestate ementis rem, censu oneratam, facere deteriorem conditionem eius, qui in illa re censum habet, debet enim illa res transire

in

in emptorem cum onere suo, & proinde sicut vendens illam rem, non potest vinculare pretium, quod restitueret domino census; ita nec debet posse emptor rei, qui dicitur successor singularis.

Contrarium in specie, de qua agimus, videtur concludendum hac vnica ratione, quia in discussione bonorum credita sunt soluenda, recepta idonea cautione de restituendo habentibus priora, & potiora, & contribuendo habentibus æqualia iura, vt in Pij IV. constitutione, edita anno 1562. Kal. Ianuarij super reformatione Sign. iustit. vers. & interim iudices.

Sed in hac facti specie supponimus discussionem bonorum non sufficientium, ideoque debitorem decoctorem: is enim dicitur decoctor, qui substantiam consumit, sicut ignis, paulatim coquendo, diminuit; & decoquere est creditum non reddere, & ære credito fraudare, etiam si fortunæ vitio, & non suo decoqueret, Stracch. d. tract. de decoct. par. 1. & par. 2. vtrobique sub num. 2. tom. 6. par. 1. fol. 316. vel dicitur decoctor, qui ob inopiam non soluit, & mole creditorum cessat, fugit, vel latitat, Stracch. d. pat. 2. num. 1. & is dicitur soluendo, qui solidum soluere potest, Stracch. d. par. 2. num. 4. Ergo, cum nos supponamus debitorem, qui non est soluendo, & cui propterea creditores partem debiti remiserint, dicitur decoctor: solent enim creditores plerunque decoctoribus partem debiti remittere, vt reliquum habeant, Stracch. d. tract. de decoctor. par. 6. num. 1. fol. 321.

Ad adducta in contrarium respondeo, quòd procedunt, circumscripta decoctione, & circumscripta bulla supra citata.

Nec obstat, quòd capitale census non videatur propriè debitum, cum is, qui censum emit, non possit capitale ab inuito debitore, qui censum vendidit, exigere: & constitutio allegata loquatur de debitis, & sit intelligenda strictè, & propriè.

Quia respondeo tripliciter.

Primo, quòd illa constitutio voluit prospicere indemnitati soluentis, ne iterum soluere cogatur, & simul consulere voluit anterioritati, & potioritati creditorum, qui essent absentes, vel ex alio quouis impedimento non comparerent; ne via ordinaria cogerentur postea repetere à creditoribus posterioribus: non autem voluit prospicere commoditati, & voluntati creditoris, cui soluitur: sed hæc omnia, quibus mouetur illa constitutio, æquè militant in solutione debitorum, quæ ab inuito debitore exigi possunt, sicut in solutione sortis census.

Secundo respondeo, quòd creditor census potest à debitore inuito exigere fructus census, quorũ continua exactio contra eum, qui non est idoneus ad negotiandum pecunias, seu alia commercia contrahendũ, grauior est, quàm vnica totius sortis solutio.

Tertio respondeo, quòd census solet emi cum pacto, quòd venditor in casu absentiæ, vel mortis alicuius ex fideiussoribus census, teneatur dare nouos fideiussores ad satisfactionem ipsius emptoris, & vlterius quandocumque appareret, rem, super qua impositus est census, esse alicui fideicommisso subiectam; vel aliter non liberam, teneretur satisfacere emptori; & quando in aliquo ex prædictis casibus deficeret facere, id ad quod tenetur, tunc emptor loco damnorum & interesse posset à debitore inuito exigere capitale, & hi casus denotant conditionem, quia possunt euenire, & non euenire, sicq; venditor remanet debitor capitalis sub conditione: sed debitor sub conditione comprehenditur in statuto, loquente de debitore suspecto, l. 41. in omnibus. ff. de iudic. & scribit Caccialup. tract. de debit. suspect. q. 3. princip. num. 1. tom. 3. par. 2. fol. 149. ergo debitor census hac ratione comprehendi potest in constitutione, quæ loquatur de debitore.

174 Quinto requiritur, quòd debitor, si velit deponere mandato iudicis, adeat iudicem suum, coram quo ipse conueniri deberet, sicq; in hoc deposito faciendo debet sequi forum suum, & non forum creditoris, quia adit iudicem, non vt agens, sed vt reus, Bal. in l. 19. acceptam. q. 13. num. 24. C. de vsur.

175 Ratio etiam esse posset, quia solutio fieri debet in loco, in quo peti potest, l. vlt. ff. de condict. tritic. & l. 38. quod legatur. ff. de iudic. quia in dubio videtur actum, vt soluatur in loco, vbi de iure peti potest, Bar. in l. 18. item illa. sub num. 13. ff. de constit. pecun. & Alex. in l. vinum. not. 6. num. 7. ff. si cert. pet. & esse communem sequitur Rot. Genuen. decis. 175. iustis. num. 17. in fine, & 18. Ergo eodem in loco fieri debet depositum, quod succedit in locum solutionis.

176 Hoc requisitum opinor, non esse necessarium, ideoque si depositum fieret mandato iudicis

Iudicis creditoris, qui esset actor, non ex hoc rueret, quia reus potest renunciare exceptioni incompetentiæ fori, hæcque mea opinio magnæ innititur æquitati, quando de loco solutionis posset esse controuersia, iuxta ea, quæ latè scripsi infra sub num. 194. & seqq.

Sexto requiritur, quòd depositum fiat monetæ currentis in loco cõtractus, & quando in loco contractus currerent plures monetæ, debet deponi, quæ est magis vsitata, & moueor, quia contrahentes de certo pretio, censentur contraxisse de illa moneta, quæ in loco contractus expendi solet, & vsitata est, & quando diuersæ monetæ illic expendi solent, censentur intellexisse de ea, quæ magis est in vsu; & quando pretium in vna monetæ specie esset maius, quàm in alia, tunc recurrendum esset ad iustitiam contractus, ita vt valor, seu pretium sit iustum, & correspondeat datum & acceptum, vt, loquendo in retractu rei venditæ centum libris, non expressa librarum qualitate, sequitur Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glos. 18. nu. 73. & 74. & loquendo de pretio rei venditæ hæc omnia latius deducit Bertaz. tract. de claus. claus. 30. gl. 5. num. 1. 2. & 3. & hoc, nisi contrahentes expressement qualitatem monetæ, vel constaret de eorum consuetudine, quæ est anteponenda consuetudini loci, Bertaz. d. num. 2. & quòd in stipulationibus, & cæteris contractibus semper sequamur id, quod actum est, & eo non apparente, quod in regione, in qua id actum est, frequentatur, dicit text. in l. 35. semper in stipulationibus. ff. de reg. iur. & quòd vbi non appareat de qua moneta contrahentes senserint, & dubitetur an senserint de moneta loci contractus, an verò de moneta loci solutionis, præsumantur sensisse de moneta loci contractus, sequitur Surd. decis. 227. valorem, num. 1. & 2.

Alias si deponatur moneta inferior, depositum non diceretur integrè factum.

Declara dicta in hoc requisito, vt quando deficerent expressio qualitatis monetæ, & deficerent etiam omnes prædictæ coniecturæ, & qualitates, tunc ad id, quod minimum est, redigenda sit summa, vt in d. l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iur. Surd. decis. 298. aureorum. num. 1. 2. & 3.

Restringe hanc declarationem, vt non procedat in moneta legata causa dotis, quia fauore dotis, non quod minus, sed quod maius est, attenditur, vt in legato aureorum, quorum plures sunt differentes species in valore, articulo discusso in Senatu Mantuano, fuisse decisum refert, & rationes adducit Surd. d. decis. 298. num. 4. & seqq.

Et hæc sufficiant circa oblationem, & depositum, redeamus nunc ad mutationem monetæ, cuius damno illa mutatio cedat.

177 Intellige magistraliter omnia, quæ de damno, & lucro, causato à sola mutatione valoris monetæ, circumscripta omni mora, scripsi in hoc primo casu supra num. 148. & seqq. vt procedant, quando mutatio oritur ex bonitate extrinseca, quia isto casu moneta soluitur, non secundum valorem, quem habebat tempore contractus, idest, quando ortum est debitum, sed secundum valorem, quem habet tempore solutionis; in hac enim mutatione loquuntur virtualiter omnes Doct. ibidem citati, & apertè Bar. in d. l. paulus. num. 6. ff. de solut. dum considerat duplicem mutationem, licet loquatur sub diuersis verbis, & de ista mutatione propter bonitatem extrinsecam loquitur sub d. nu. 6. ibi, secundo modo. & in istis verbis loquitur Brun. tract. de monet. &c. partic. 3. num. 1. & seqq. & partic. 6. sub num. 3. vers. vbi autem. & num. 4. & seqq. tom. 12. fol. 211. Hieron. Gabr. cons. 164. ciuitas. sub num. 4. ibi, sed si non sit bonitas intrinseca mutata sed eius valor. lib. 1. & ita pluries dixit Rota, vt testatur Rot. diuers. decis. 686. reseruata. sub num. 2. in Cæsaraugustana pensionis, lunæ 11. Martij 1591. coram R. P. D. Gypsio, inter impressas Lugduni anno 1612. hancq; esse communem opinionem, vt attendatur æstimatio tempore solutionis faciendæ, quando est promissa certa monetæ species, testatur, & sequitur ead. Rot. decis. 683. anno 1524. sub num. 1. vers. quatenus. in Rom. pecuniaria coram R. P. D. Penia, lunæ 23. Ianuarij 1589. quare si moneta, quæ debetur, non reperiatur, ideoq; soluenda esset in alia moneta, quæ reperitur, dandum esset tantum de ista alia moneta, quanti valeret illa moneta tempore solutionis, si reperiretur, Hier. Gabr. d. cons. 164. sub num. 4. & in terminis huius extrinsecæ mutationis intelligo, vt possint procedere, quæ, consulendo, attendendum esse tempus solutionis monetæ Turronen. scribit Rom. cons. 123. circa primum. sub num. 1.

178 Secus esset in mutatione, quæ oriretur ex bonitate intrinseca, vt puta, quia moneta aurea, seu argentea esset contaminata, vel dimi-

diminuta in pondere, quia tunc attenderetur valor, quem habebat tempore contractus, seu orti debiti, vt per Brun. supracitatum, Rot.d.decis.686. num.2. in fine, vers. quæ verò. & alios in diuersis locis, quare, si reperiretur de illa moneta antiqua, in qua fuit contractum debitum, deberet in ea fieri solutio; quòd si de ea non reperiatur, vel eius cursus sit totaliter reprobatus, & prohibitus; tunc erit soluenda æstimatio illius monetæ antiquæ, Bar. in d.l.99. paulus. sub num. 6. ibi, primo modo.ff.de solut. Abb. in cap.18. quanto. sub num. 12. vers. vlterius quæro. in primo casu, de iureiuran. licet ipse vtatur diuerso genere distinguendi, seu loquendi, sed clarè postea, vtendo proprijs terminis, in vers. venio ad secundum casum. & quòd, reprobata pecunia antiqua, vel si ea amplius non reperiatur, debitor debeat soluere illius æstimationem, scribit ex omnium sententia Thom. Parpal. in l. cum quid. sub num. 27. concl.3.& in l.quod te.num.11.ff.si cer.pet. inter Repeten.tom.2. fol.52.& 72. quare si moneta antiqua debita non reperitur, & vsualis est deterior in pondere, vel materia, soluendum est id, quod debetur, de moneta currenti, considerato valore antiquæ, ita vt tantum monetæ currentis detur, vt valeat, quanti valeret antiqua, si reperiretur, Hier. Gabr.cons.164. ciuitas. in fine principij, nu. 1.& 4. lib.1.quem sequitur Flam. Cart. decis.vlt.134. consideratis.sub n.5.& 6.& hoc sentit etiam Rot.diuers. decis.59. seu verius 759.anno 1597.n.2.coram Illustris. Card. Lācellotto anno 1597. inter impressas Lugduni anno 1612. firmans ex communi conclusione, solutionem faciendam esse in moneta currenti tempore contractus, si ea tempore solutionis reperiatur, nec ea sit mutata in bonitate intrinseca; vel si sit mutata, aut non reperiatur, in eius æstimatione secundum valorem de tempore cōtractus, & obligationis, quasi dicat Rota, & bene, si moneta, de qua loquitur contractus, reperitur, & non est mutata in bonitate intrinseca, eam soluat debitor, siue pluris, siue minoris valeat, per ea, quæ dixi supra num.148. si verò non reperitur, seu est mutata in bonitate intrinseca, quod idem est, ac si non reperiretur, tunc quia non potest solui in valore currenti tempore solutionis, cum tunc nullum habeat valorem, quia non entis nullæ sunt qualitates, debet necessariò recurri ad valorem, quem habebat tempore contractus, & de opinione communi Hier.Gabr. d.cons. 164. ciuitas. in fine principij, & num. 1. & 4.lib.1.& hoc procedit etiam si debitor non sit morosus, quia adhuc tenetur soluere iuxta valorem temporis contractus, Abb. sub d. num. 12. vers. venio ad secundum casum. &, quòd in mutuo intelligatur actum, vt reddatur æquè bonum, scilicet bonitate intrinseca, etiam intra tempus moræ, idest, ante moram, scribit Hier. Buttigel. in l. cum quid. sub num. 22. ff.si cert. pet. inter Repet.tom. 2.fol.49. &, quòd mutata materia pecuniæ, vel mutato illius pondere, mutatio cedat damno debitoris etiam ante moram, qui propterea tenetur soluere in eadem bonitate intrinseca, scribit ibidem Thom. Parpal. nu. 27. concl. 2. fol. 52. & in huius mutationis specie intelligas totam numerosam Doctorum classem, quam citat, & sequitur Gabr. in suis concl.lib.3.tit.de solut.concl.1.nu.1. & seqq. & pro hac distinctione bene facit, quod scripsi supra gl.3.num.47.& 48.

179 Declara primo notabiliter eandem intelligentiam in hac secunda parte, vt non solum sit soluenda æstimatio illius monetæ antiquæ, quæ vel non reperitur, vel non est in frequenti vsu, sed sit etiam soluenda æstimatio alterius monetæ antiquæ, qua illa antiqua æstimabatur; quare, si tu deberes centum ducatos aureos in auro de camera, & quilibet ducatus æstimabatur vndecim iulijs, & hodie illi ducati non sunt in vsu, & ideo non reperiuntur, & similiter illi iulij non reperiuntur in illa bonitate intrinseca, adeo quòd iulius est diminutus ferè in duobus baiocchis, & consequenter vndecim iulijs modernis non posset emi ille ducatus antiquus, sed requirerentur saltem iulij 12. quia 12. ex modernis sunt in tanta bonitate, & non vltra, in quanta erant 11. iulij antiqui, vtique ducatus deberet æstimari non iulijs vndecim, sed duodecim, Rot. diuers. decis.683. anno 1524. sub num.2. vers. ratio, in Rom. pecuniaria, coram R.P.D. Penia, lunæ 23. Ianuarij 1589. inter impressas Lugduni anno 1612.

Confirmatur hæc declaratio ex his, quæ scripsi infra sub num.190. ampl.4.

180 Declara secundo eandem intelligentiam in secunda parte, explicando clarius hanc primam declarationem, vt bonitas intrinseca monetæ dicatur mutari dupliciter. Primo, quando mutatur ipsa moneta speciei debitæ, vt puta, debetur scutus aureus Genuæ, & iste

& iste mutatur: & in ista mutatione iam dixi esse attendendum tempus contractus. Secundo, quando non mutatur moneta, quæ debetur, sed mutatur moneta inferior, qua emitur moneta debita, vt puta, debeo tibi vnum scutum aureum, qui tempore contractus valet sol. 90. & tempore solutionis valet sol. 94. non quia sit auctus in bonitate intrinseca, sed quia moneta argentea, qua hodie emitur ille scutus aureus, non est ita bona, prout erat tempore contractus; & quia est iniustum, quòd ego illum scutum aureum emam, soluendo tantam quantitatem argenti contaminati, quantam soluissem argenti puri tempore contractus, Ideo debeo, soluendo tibi illum scutum aureum, dare non eandem quantitatem argenti, quam dedissem tempore cõtractus, quia illud erat argentum purius, sed dabo maiorem quantitatem, quia est argentum minoris pretij, & sic debeo soluere vel de pecunia æquè bona, vel de noua, ad æstimationem antiquæ, vt ex communi Doctorum sententia sequitur Crauet. cons. 47. magnificus. nu. 6. & ex eo, & alijs Rot. diuers. decis. 687. emerat. versus finem, vers. considerauit. in Cæsenaten. pecuniaria, coram R. P. D. Penia, veneris 24. Martij 1597. inter impressas Lugduni anno 1612. dicens in casu suo, quòd solutio scuti aurei erat facienda, æstimando scutum ad rationem vndecim iuliorum, cum alterius dimidio, prout scutus aureus valebat tempore contractus, cum moneta inferior, de qua solutio poterat fieri, esset valdè diminuta, & ideo iniustum esset, quòd daretur massa monetata minor ea, quæ dabatur tempore contractus; quare in ista secunda mutatione procedit etiam casus, de quo locutus sum in prima declaratione.

181 Ratio totius istius intelligentiæ, positæ supra num. 177. est euidens, quia in alijs etiam mercibus considerantur omnia prædicta, videlicet bonitas extrinseca, & bonitas intrinseca, & omnes prædictæ conclusiones; si tu enim mihi ex mutuo, vel ex alio contractu deberes certam speciem vini; puta, maluasiæ, & eam soluis tempore debito, non attenditur, an valor sit auctus, vel diminutus, quia tàm augmentum, quàm diminutio spectat ad me creditorem, per ea, quæ dixi §. præcedenti q. 1. num. 415. & 416. & hoc, dempta mora; supposita autem mora, intrarent eædem conclusiones, quas in moroso debitore, & creditore monetæ firmaui hic supra; & hæc, considerata bonitate extrinseca: considerata autem bonitate intrinseca, attendi debet non tempus solutionis, sed tempus contractus; vnde si tu mihi deberes dare decem maluasiæ amphoras in genere, quæ tempore contractus fuisset optima; & tempore, quo vis eam mihi dare, esset non bona, & amphoræ mensura esset diminuta, quia esset à Principe mutata, tunc esset recurrendum ad tempus contractus; & proinde, si tanta maluasiæ bonæ quantitas, & in mensura non diminuta, valebat 25. & ista, quæ non est bona, & in mensura diminuta, valet decem, tu debes supplere ad rationem illius pretij, & mensuræ.

182 Ampliationes, & limitationes ad hanc secundam intelligentiæ partem, positam supra num. 178. quando mutatio consistit in bonitate intrinseca, quia est deteriorata materia, vel forma, vide Gabr. in concl. lib. 3. tit. de solut. concl. 1. nu. 3. & seqq. vsque ad finem; & inter alias limitationes limita primo, quãdo non constat de bonitate intrinseca, & de valore antiquæ monetæ currentis tempore contractus, quia tunc solutio debet fieri de moneta currenti tempore solutionis secundum valorem eiusdem temporis solutionis, Hier. Gabr. cons. 164. ciuitas. num. 1. in fine, & 2. lib. 1. † Limita secundo, quando creditor fuisset causa, vel particeps reprobationis, seu deteriorationis pecuniæ, quia tunc ipsi solui posset de illa pecunia reprobata, seu deteriorata, Gabr. d. concl. 1. in fine, nu. 41. limit. 10. ideoq; Principibus, qui ferè semper causa sunt mutationis monetę, potest solui in illa moneta currenti, quamuis sit deteriorata, Hier. Gabr. d. cons. 164. sub num. 5.

183

Et hæc de primo casu, posito supra num. 147.

184 Secundus casus est, quando obligatio, seu promissio est de pecunia imaginaria, quę functionem recipit in alijs pecuniæ speciebus, vt puta, si mutuo dentur mille libræ in tot cauallottis, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 118. & isto casu priusquam ad eius explicationem procedam, præmitto breuiter tria. Primo, quòd monetæ imaginariæ sunt plures secundum placitum Regionum, & locorum, & aliquas numeraui supra gl. 3. nu. 68. Secundo præmitto, quòd isto casu non agam distinctè de mora debitoris, & creditoris, quia sufficiunt quæ de ea scripsimus in præcedenti casu, si applicentur cum habilitate terminorum. Tertio præmitto, quòd etsi

etsi valor monetæ imaginariæ sit inuariabilis, vt testatur etiam Alber. Brun. tract. de monet. par. 1. partic. 6. num. 1. tom. 12. fol. 212. & monetæ ipsæ imaginariæ inuentæ sint solum pro vsu commodioris, breuiorisq; calculi, & non ad alium vsum, tamen in eis consideranda venit mutatio, quæ fieret in monetis veris propter bonitatem intrinsecam, vt dixi infra num. 190.

His præmissis, & loquendo de solutione sine mora, concludo, quòd mutuatarius, seu quiuis alius debitor tenetur restituere mille libras in quacunque moneta, vt dixi sub d. num. 118. & ideo ad mutuatarium debitorem spectat omne damnum, & lucrum cauallottorum, in quibus libras mutuo accepit, quia ipse erit obligatus tradere libras; quasi videatur pro pretio illorum cauallottorum vendidisse illas mille libras, Bar. in l. 99. paulus. versus finem, sub num. 10. vers. sed quæro quid si ego mutuaui. ff. de solut. Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 15. ibi, dic concludendo. de iureiuran. Crauet. consl. 47. magnificus. initio, & num. 1. quod est impressum etiam inter tract. diuers. de monet. Alber. Brun. & Sola in locis à me citatis sup. nu. 124. in secunda subextensione, & Gabr. in concl. lib. 3. tit. de solut. concl. 2. num. 13. vers. & demum si. & num. 16. & In his terminis posset procedere, quod scribunt Sot. & Card. Tolet. quos retuli sup. num. 152. vers. non obstat.

185 Infero ex hac conclusione ad maiorem intelligentiam terminorum, quibus nostri Doctores vtuntur, infero inquam, quòd cauallotti, in quibus sunt mutuatæ d. lib. 1000. non sunt in obligatione, sed sunt in facultate soluendi, & solum libræ sunt in obligatione; sicq; illa verba (in tot cauallottis) nihil penitus operantur, Brun. tract. de monet. &c. limit. 8. sub num. 4. vers. contrarium, tom. 12. fol. 218. & pro ista illatione vide quæ scripsi supra num. 143.

186 Extende eandem conclusionem, vt æquè procedat, si sit debitor ex alio contractu, puta ex deposito, Bar. & Abb. in locis supra proximè citatis, Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de solut. concl. 2. num. 17. Ant. Sol. tract. de monet. cas. 13. num. 1. & 2.

187 Restringe primo eandem conclusionem, vt non procedat, quando in mutuo, seu deposito essent adiecta verba, quòd mutuatarius, seu depositarius teneatur restituere illas mille libras in eadem specie monetæ cauallottorum, & sub eadem æstimatione; quia isto casu propter pactum expressum deberentur mille libræ ad rationem æstimationis, & valoris cauallottorum tempore mutui, seu depositi, Bar. in d. l. paulus. in fine, & clarius Crauet. consl. 47. magnificus. Alber. Brun. d. limit. 8. sub nu. 5. vers. secundo quæritur. tom. 12. fol. 218. & ita procedit, quod scribit Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de solut. concl. 2. limit. 1. num. 8. & seqq. qui alios citat, & procedit ampliatiuè.

188 Sed si non sint addita illa verba, (*& sub eadem æstimatione*) tunc restitutio dictarum librarum erit facienda in cauallottis, secundum valorem, currentem tempore restitutionis, Bar. vbi supra in vltimis verbis, quem sequitur, reprehendendo Alex. quòd malè eum intellexerit, Alber. Brun. d. limit. 8. nu. 5. vers. & per prædicta. nam isto casu cauallotti sunt quidem in obligatione, sed tamen consideratur æstimatio, & valor eorum, currens tempore solutionis, idem Brun. vbi sup. & sic periculum, & commodum diminutionis, vel augmenti pertinet ad debitorem, qui est mutuatarius, seu depositarius, Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 15. ibi, aut fuit dictum mutuo. de iureiur.

189 Subrestringe istam restrictionem in eo, quod dixi, libras esse restituendas in cauallottis, idest, in eadem specie, stante pacto, vt non procedat de consuetudine, quæ admittit solutionem etiam in alia specie, dummodo creditor damnum non patiatur, per ea, quæ dixi supra num. 104. ampl. 1. erit tamen seruandum pactum, & iuris dispositio quo ad æstimationem faciendam.

190 Restringe secundo, vt nõ procedat quando fieret restitutio in moneta, cuius bonitas intrinseca esset diminuta, eo quòd per inferioris metalli mixturã esset contaminata, seu aliter esset diminuta in põdere; quia isto casu, quamuis mutuatarius debitor restitueret libras mille mutuatas, & in cauallottis, in quibus sibi mutuatæ essent dictæ libræ mille; tamen non liberatur, nisi faciat restitutionem ad æstimationem bonitatis, cuius erant cauallotti tempore mutui, Alber. Brun. tract. de monet. &c. partic. 6. num. 1. & seqq. & limit. 8. sub num. 5. vers. sunt tamen.

Amplia primo hanc restrictionem, vt procedat etiam si debitor soluat sine mora, per ea, quæ dixi supra sub num. 178.

Amplia secundo, vt procedat etiam si valor monetæ non ex hoc sit diminutus, quia debi-

debitor adhuc tenetur restituere in eadem bonitate intrinseca.

Amplia tertio, vt procedat etam si ex hac mutatione bonitatis intrinsecæ non sit alteratus valor monetæ grossæ, idest, monetæ pretiosæ, puta, aureæ, vel valor rerum, & mercium.

Amplia quarto, vt multò magis procedat, quando ob vitium monetæ minutæ, cuius bonitas intrinseca sit diminuta, est auctum pretium pecuniæ grossę, idest, pretiosæ, vt puta, quia tu debebas mihi decem florenos, quibus ego potuissem emere tres aureos, & hodie non sufficiunt; quamuis dictorum florenorum valor sit idem, & non sit mutatus; quia tu adhuc isto casu non liberaris, soluendo illos decem florenos, sed teneris supplere totum illud, quod deest ad emendos tres aureos, idq; est verum non solum saltem post moram, vt loquitur Thom. Parpal. in l.cum quid. sub num.27. concl.5. ff.si cer.pet.inter Repet.tom.2.sed etiam indubitanter ante moram, per ea, quæ dixi in simplicioribus terminis supra in loco, citato hoc. eod.num.in prima ampliatione, & adde quæ scripsi supra num.179.& 180.

191 Restringe tertio, vt facultas soluendi in alia specie, seu materia, iuxta tex. in l. 57. si quis stipulatus. ff.de solut.auferatur per litis contestationem, factam super moneta promissa, vt in d.l.si quis stipulatus.& scripsi supra num.143. in limitatione.

192 Restringe quarto, vt non procedat, quando debitor fuisset morosus, quia tunc tenebitur ad interesse, caussatum creditori propter ipsius debitoris moram; sed de hac restrictione satis locutus sum supra in pluribus locis, & in similibus restrictionibus, quæ in hac materia possent occurrere, pluribus non insisto; volui tamen hæc, & quæ scripsi supra gl.3. nu.82.& seqq.n.90.& seqq.de monetis dixisse, quia ipsæ præcipuum habēt locum in solutionibus, de quibus hic nobis agendum fuit; si quæ tamen vltra hæc, quæ diximus, tibi de monetis vidēda occurrerint, poteris tu videre, quæ in proprijs tract.scripserūt Gabr. Biel.Io.Aquila, Martin.Lauden.Franc.Curt. Io.Regnaud. Alber. Brun. Collegiū Papien. Aym. Crauet.Incert. Auth.Rener.Bud. Ant. Sol.Gasp.Belet.Gasp.Ant.Tess.& Ant.Fab.

193 Et vbi velis videre, cuius temporis attendatur valor monetæ in ordinatione, seu constitutione Pontificis, in vltima voluntate, in statutis, in sententia, in gratia Principis, vide Rom.cons.123.circa primum.sub num.1.vers.præmissis tamen. & Gabr. in conclus. lib.3.tit. de solut. conclus.4.5.6. & 7.& loquendo de debito ex statuto, vel ex consuetudine, Hier.Gabr.cons.164.ciuitas. num.4. versus finem, ibi, secundo puto.& n.5.lib.1.

SVMMARIVM.

Loco apposito solutioni, in eo solutio fieri debet, num.194.in fine.

Ampliatur primo hæc conclusio etiam si locus sit tacitè appositus, num. 195. Quando dicatur tacitè appositus, eod.num.195.& 196.

Ampliatur secundo etiam si species, vel quid generis subalterni solui debeat, num. 197. Subampliatur etiam si pro solutione fieri debeat transportatio ex loco distanti, num.198.

Declaratur primo eadem conclusio, vt sit vera, siue locus sit appositus gratia creditoris, siue vtriusque, secus si gratia solius debitoris, num.199.

Declaratur secundo, vt debitor possit soluere etiam alibi, &c. num.200.

Declaratur tertio, vt si in loco, solutioni apposito pro certa die, vterque sit forensis, creditor teneatur probare, se illa die fuisse eo in loco, nu. 201. Infertur primo, quòd, si creditor hoc non probat, requiritur in posterum interpellatio hominis, num.203. Subinfertur ad protestationem, quam facit in nundinis debitor cambij, n.204. Infertur secundo ad diligentiam, & protestationes, quas creditores faciunt, n.205. Extenditur eadem declaratio ad fori competentiam, num.206. Subextenditur, num.207. & seqq. Ampliatur vltima subextensio, num. 215.& seqq. Subdeclaratur eadem tertia declaratio, num.219.

Mutuatarius, & Commodatarius } tenentur restituere in loco mutui, & commodati, nu. 195.& 196. Mutuum, & commodatum accipere debent in domo mutuatoris, & commodatoris, num.230.

Solutio fieri debet in loco destinata solutionis, etiam si requirantur impensæ, num. 197. & 198. Quia species soluenda portanda sit ex loco distanti, ibidem.

Solutio quando fieri possit alibi, quàm in loco apposito, num.199.& 200.

Mora debitoris, si solutio fieri debeat certa die in loco, solutioni apposito, vbi creditor est forensis, non dicitur probata, nisi creditor probet, se ea die fuisse in illo loco, num.201.

Locus destinatæ solutionis dicitur forus competens

194 QVAERO VII. quo in loco solutio fieri debeat, præsertim quando creditor, & debitor sunt diuersi fori?

Vtilitas huius quæstionis est, quia si debitor requisitus, vel non requisitus voluit soluere creditori in loco, in quo soluere tenebatur, & creditor noluit eo in loco solutionem recipere, debitor erit liber ab interesse, seu poterit facere depositum, iuxta ea, quæ scripsi supra num.153. & seqq. & è conuerso, si debitor non offerat soluere in loco, in quo soluere tenetur, non potest, nisi inutiliter, facere depositum, &, vbi sit in mora, poterit teneri ad interesse; fingamus enim, quòd creditor interpellet debitorem ad soluendum; & debitor dicat: sum paratus soluere, venias ad domum meam, seu ad meum domicilium, quando sunt diuersi fori, & creditor replicet; venias tu ad domum meam, vel ad domicilium meum, & ibi solutionem recipiam: vel finge, quòd solutioni sit appositus dies, qui interpellat, vt secutus sum §. præceden. q.7.par.2.ampl.8.num.106. & debitor, adueniente illo die, intimet creditori, vt eat ad recipiendam solutionem; vel, si sint diuersi fori, protestetur coram testibus, se soluturum, si esset cui posset legitimè soluere, iuxta praxim, quam ex Bar. retuli infra nu. 223. vers. quicquid in contrarium. quis horum iustiora induat arma, est videndum.

Respondendo nunc quæstioni, considero duos casus principales.

Primus casus est; quando solutioni faciendæ est appositus certus locus: & isto casu concludo, solutionem faciendam esse in illo loco apposito; quare creditor non cogitur recipere alibi, quàm in loco destinatæ solutionis, l.10.is qui certo.ff.de eo quod cer. loc. & ibi Doct. communiter, & Io.Azor.de instit.moral.par.3.lib.4.tit.de restit.cap.32. vers.tertia regula. col.320.

195 Amplia primo hanc conclusionē, vt procedat non solum, quando locus est à partibus verbis expressis appositus, vt loquuntur Doct. sed etiam quando intelligitur tacitè appositus ex natura contractus sine ministerio contrahentium, vt in mutuo; quare si ego mutuo centum hic Romæ, mutuatarius tenetur mihi hic Romæ restituere, & soluere duplici ratione: Prima, quia mutuum debet reddi in eodem genere, & in eodem loco, vt dixi §.præced.q.4.num.14. in 6.differentia; alias

alias si ego obligarem mutuatarium ad restituendum mihi in alio loco, in quo pecunia pluris valeret, esset vsura, vt dixi eod. §. præced. q.7.par.3.limit.4. num.5. vers. sed mutuum. secus tamen si obligarem ad restituendum in loco, in quo minoris valeret, & mutuatario esset commodior;quia mutuator committit vsuram; recipiendo plus; non autem, recipiendo minus. Secunda ratio est; quia non conuenit rationi naturali, vt mutuatarius, qui naturaliter, & antidoraliter obligatur mutuatori, vt scripsi §.præced. q. 7.par.2.ampl.10.num.94.vers.secundus casus. velit vti ingratitudine ista, vt mutuator accedat ad domum mutuatarij: is enim, qui est beneficiatus, debet accedere ad domum beneficiatoris, per ea, quæ scripsi infra sub num. 220.& 228.in 1.& 2.inspect.

196 Subamplia primo hanc ampliationem, vt procedat etiam si mutuator, & mutuatarius sint diuersi, & distantis fori, per ea, quæ dixi infra num. 231. vers. extende primo vtramque.

Subamplia secundo, vt eadem ratione commodatarius debeat commodatori rem commodatam restituere in eodem loco, in quo fuit sibi cõmodata; quare si tibi equum commodaui Romæ, Romæ debes restituere; Io.Azor. de instit. moral. par.3.lib.4.tit. de restit.cap.33.vers.ex quo sequitur.col.323.

Declara vberius hanc ampliationem, & subampliationes; supponendo casum, vt mercator mutuauerit mihi hic Romæ scutos mille, & postea recesserit ad Galliam; & dubium oriatur, an ego tenear illuc mutuatos scutos mille meis expensis mittere, an suis, an nec meis, nec suis, sed ipse mittere debeat huc aliquem, cui ego soluã, & is afferat: quo casu in primis præmittendum est, quòd mutuator debet conseruari indemnis: hoc supposito, & præmisso, pro dubij resolutione distinguo: Aut mercator erat in Galliam suis expensis portaturus illos 1000. quos mihi mutuauit; & tunc ego teneor expensis mutuatoris remittere in Galliam dictos mille: Aut mutuator non erat illos mille portaturus in Galliam, & tunc certum est, quòd ego non teneor mittere, & satisfacio soluendo, vel deponendo hic Romæ, vbi mutuum accepi, Medin.in suis tract.tom.2. tit. de reb.restit.q.2.in respons. ad 3.q. vers. similis dubitatio, fol.17. quem in hoc vltimo membro, nulla facta mentione de primo, sequitur Io.Azor.de instit.moral. par.3. lib.4. tit.de restit.cap.33.vers.ex quo sequitur. in fine. col.323.

197 Amplia secundo, vt debitor teneatur soluere in loco destinatæ solutionis, non solum si debeat pecuniam, aut aliud simile, quod sine periculo, sine labore, & sumptibus potest ad illum locum portari; sed etiam si debeat aliquam speciem, vel aliquid generis subalterni, puta, decem salmas vini, vel centum modios tritici, quæ non sine periculo, & impensis exportari possunt, quia debitor debet adhuc suis sumptibus portare.

198 Subamplia hanc ampliationem, vt procedat etiam si quis promisisset soluere Bononiæ centum amphoras vini Vicentini, quia adhuc deberet suis sumptibus Bononiam portare, licet, non destinato loco solutionis, satis esset dare Vicentiæ; vt dixi infra num. 235.declar.2.num.241.& 243.

199 Declara primo nunc eandem conclusionem, vt procedat, quando locus est appositus gratia creditoris, quia tunc non cogitur alibi recipere, & idem, si est appositus gratia vtriusque, & hoc constat: secus si esset appositus gratia debitoris, quia tunc debitor posset, renunciando suæ gratiæ, alibi soluere, Gl.vnica, in fine, in l.is qui certo. & ibi Bar. & clarius Paul. de Castr. ff. de eo quod cer. loc. & quid, si sint apposita plura loca, vide eosdem, & Paul.de Castr. in l.3. non vtique. §. si quis ita. ff. eod.

200 Declara secundo, vt debitor possit adhuc alibi soluere, dummodo vltra sortem soluat id, quod creditoris interest, sibi non solui in loco destinatæ solutionis, quia tunc creditor cogitur alibi recipere, Bar.& Paul. de Castr. in d. l. is qui certo. ff. de eo quod cer. loc. idem Paul.de Castr.in l.1.num.5. vers. in gl.seq.ff.eod.

201 Declara tertio, vt si in loco destinatæ solutionis nec creditor, nec debitor habeat domicilium, ideoq; vterque sit in eo forensis, & solutioni illic faciendę sit præstituta certa dies, creditor debeat probare, se illa die, fuisse in illo loco, recepturum solutionem; alias, si hoc non probat, non dicitur probata mora debitoris, Bar. in l. 18. item illa. num.11. vers.quæro pone. ff. de constit. pecun. Alex. cons. 172. visis. num.4. lib.2. & cons.210.ponderatis. sub nu.2.lib.6. Tiraq. de retr.lign. §.15. glos.2. num.10. vers.cui concinit. & Rol.à Vall.cons.57. viso processu. sub num.35. vers. secundo respondetur. & num.36.& seqq. lib.1. † quia, data etiam

isto casu mora debitoris, tamen illa creditori non nocuit, cum etiam si debitor accessisset, non habuisset cui soluisset, ideoq; vna mora compensatur cum altera, Paul. de Castr. in l. 2. sub n. 7. ff. de eo quod cert. loc.

203 Infero primo ex hac declaratione, quòd creditor, non probans, vt supra, videtur debitori remisisse illam diei interpellationem, & instantiam, & consequenter debitum remanet sine dici interpellatione, quia illa est circunducta, & ideo, vt debitor exinde constituatur in mora, requiritur noua hominis, idest, creditoris interpellatio, Bar. vbi sup.

204 Subinfero ex hac illatione, quòd licet debitor cambij in nundinis, non reperto creditore, prudenter protestetur, quòd ipse est paratus soluere, si haberet cui legitimè soluere, vt, facta hac protestatione, vlterius non teneatur ad interesse, nec redire ad nũdinas; tamen hęc protestatio nõ est necessaria, quia interesse non currit, quoties non constat, illic fuisse creditorem, cum debitor remaneat sine mora, hincq; est, quòd creditores faciunt apparere contrarium, vt dixi num. seq.

205 Infero secundo, quòd licet cambiorũ negociator, cui solui debent litteræ cambij in nundinis, debeat solum probare, vt supra, se fuisse in illis nundinis, & debitor teneatur facere diligẽtiam, vt illi soluat, quia cum vterque sit in nundinis, dicuntur esse in eadẽ Ciuitate, & eiusdẽ fori, quo casu debitor tenetur ire ad domum creditoris; tamen creditores ad maiorem cautelam solent facere diligentiam reperiendi eum, à quo litteræ solui debent; imò per proclama inquirere, an aliquis velit illas litteras soluere, quibus nõ solutis, tunc solent protestari, sed hæc protestatio meo iudicio, vt dixi, potius ex laudabili stylo, quàm ex necessitate est introducta, quod scripsi etiam S. præced. quæst. 7. par. 2. ampliat. 8. sub num. 263. vers. non obstat. quare sufficeret, quòd litteræ redirent inanes cum publica attestatione, quòd non fuerunt acceptatæ.

206 Extende hanc tertiam declarationem, vt debitor teneatur non solum soluere in loco destinatæ solutionis, sed possit etiã ibi conueniri, quamuis eo in loco vterque sit forensis, quia etsi ille forus neq; ratione originis, neq; ratione domicilij sit forus cõpetens; tamẽ ratione destinatæ solutionis sortiũtur illũ forũ, quia vbi quis celebrat contractũ, ibi forum sortitur, & cõtractus fingitur celebratus, vbi collata est solutio, Paul. de Castr. in l. 1. n. 3. ff. de eo quod cer. loc. & ideo dicimus, quòd solutio fieri debet in loco, in quo de iure peti potest, vt secutus sum supra nu. 175. vers. ratio. hancq; extensionem nemo controuertit; quare Bar. Paul. de Castr. Ias. & alij in d. l. 1. ff. de eo quod cert. loc. nulla in hoc extitata difficultate, tractant solum, an possit conueniri, si ibi non fuerit repertus, per ea, quæ dixi nu. seqq. & hunc esse casum, in quo quis potest ratione destinatæ solutionis se submittere iurisdictioni alterius iudicis, scripsi in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 101. sub num. 30. vers. si secundo.

207 Subextende primo hanc extensionem, vt procedat etiam si debitor non reperiatur in loco destinatæ solutionis, quia nihilominus illic citari potest, cum etiam in contractibus sit locus remissioni, Bal. in l. 4. cum archimedoram. num. 6. vers. vnde dico. & num. 7. C. vt in poss. legat. quẽ & alios citat, & sequitur Rot. Genuen. decis. 161. petijt. sub nu. 6. & 7.

208 Contrariam sententiam tenuit Bar. in l. 1. in fine, num. 5. vers. vltimo hic. ff. de eo quod cert. loc. dicens, non esse locum remissioni, quia, si esset locus remissioni, non esset necessaria æquitas illius legis, qua prouisum est, &c. & cum hac contraria sententia concordat apertè Ias. ibidem num. 2. not. 4. dicens, non esse locum remissioni, ideoq; debitorem non posse in loco destinatæ solutionis conueniri, nisi ibi fuerit repertus, & ita post Thom. Triuis. secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 101. sub num. 30. vers. si secundo. imò neque in causis criminalibus, attenta consuetudine, fieri remissionem, scripsi eodem lib. 1. cap. 12. sub nu. 79. vers. sed frustra. in futura impressione.

Aliter ab his loquitur Paul. de Castr. in ead. l. 1. sub num. 3. vbi scribit modum procedendi, quem poteris videre, & postea subdit, quòd intelligit istam materiam, in qua diu nutauit, secundum illum modum, quem ipse ibi tradit, licet in libro meo corruptè legatur, *musauit*.

209 Retenta hac contraria sententia, Ias. vbi supra dat multas limitationes.

210 Subextende secundo, vt potius attendatur locus destinatæ solutionis, quàm locus celebrati contractus; quia, simul concurrentibus, contractus non vtique eo loco intelligitur, quo negotium gestum est, sed quo soluenda est pecunia, l. 3. ff. de bon. auth. iud. possid. & l. 20. contraxisse. ff. de act. & oblig. Abb. in cap. vlt. sub num. 30. de for. compet. & Paul.

& Paul.de Castr. in l. 1. nu.4. vers. sed quaero. ff. de eo quod cert. loc. quare si debitor denunciaret creditori, se soluturum in loco celebrati contractus, creditor non tenetur illic recipere, l. 122. qui Romae. ff. de verb. oblig. sed benè tenetur accedere ad locum destinatae solutionis, per ea, quae dixi supra num. 201. in hac tertia declarat. & tenetur ad illum accedere, etiam post diem praestitutam, si debitor, volens purgare moram, denunciet illi, se tali die in loco destinatae solutionis soluturum, & offerat etiam expensas itineris, quas creditor necesse habet facere, redeundo ad eundem locum, Paul. de Castr. in l. 18. item illa. num. 3. & 9. in fine, ff. de constit. pecun. & isto casu si creditor recusaret redire ad locum, nō haberetur ratio eius interesse ratione loci, si debitor alibi solueret, sed posset haberi ratio interesse quod ratione tardę solutionis passus esset.

211 Intellige hanc subextensionem, vt procedat cum hac distinctione: Aut loquimur respectu competentiae fori, & tunc dico, forum competentem dici locum destinatae solutionis, vt declarat Abb. supra citatus, & ita procedit subextensio: Aut loquimur respectu ordinis procedendi, & respectu decisionis causae, & in hoc me remitto ad ea, quae scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 101. sub num. 30. in futura impressione.

212 Explica, vt locus celebrati contractus non dicatur ille, ex quo transmittuntur litterae, seu nuncius, sed dicatur ille, in quo consensus coniunguntur, & litterae mittuntur executioni, quare licet Ciuis Genuensis, agendo contra Albinganensem, teneatur sequi forum Albinganensis in vim conuentionum cum Serenissima Republica; tamen, si agat ex eo, quòd soluerit centum Titio, existenti Genuae, seu quid aliud Genuae egerit vigore litterarum, sibi ab Albinganensi ex Albingano transmissarum; poterit isto casu ex Albingano citare Albinganensem mandatorem coram iudicibus Genuę, quia contractus mandati intelligitur celebratus Genuae, & conuentiones Albinganensium cum Serenissima Republica excipiunt casum, quando contractus est celebratus Genuae, Rot. Genuen. decis. 161. petijt. num. 3. in fine, & num. 4. ex doctrina Baldi in l. 6. multum interest. num. 11. in fine, vers. quid ergo. C. si quis alt. vel sib.

213 Subextende tertio, vt quamuis creditor possit conuenire debitorem in loco destinatae solutionis, vt dixi supra nu. 206. & seqq. tamen non propterea denegatur ei, quòd possit illum conuenire etiam in loco domicilij ipsius debitoris, l. 19. haeres absens. ff. de iudic. &, quod creditor possit debitorem conuenire etiam in loco originis, si illic illum repetiat, quia, si est illic, non est in loco destinatae solutionis, scribit Rot. Genuen. decis. 104. solutione. sub num. 7. vers. contrarium.

214 Intellige hanc subextensionem, vt procedat, dummodo creditor non agat ante diem, quia malè ageret, & diceretur agere ante diem, etiam quando ageret post diē, non expectato tāto tempore, quo debitor commodè posset accedere ad locum, quando ante diem fuisset in mora excusabili, vt in casu, de quo infra sub nu. 216. Paul. de Castr. in l. 1. sub num. 2. ff. de eo quod cert. loc.

215 Amplia primo hanc subextensionem, sic intellectam, vt procedat etiam si creditor non doceat, quòd in loco destinatae solutionis summam debitam consequi non potuit, quia adhuc poterit debitorē alibi conuenire, Cresc. decis. 2. alias 34. lib. 2. tit. de solut.

216 Amplia secundo, vt procedat etiam si constet, debitorem non fuisse in mora accedendi ad illum locum, quia adhuc creditor potest illum alibi conuenire, Paul. de Castr. in l. 1. num. 2. ff. de eo quod cer. loc. quare licet debitor doceret, se ob necessarium impedimentum non potuisse accedere, & offerret se accessurum, dato sibi termino congruo ad commodè accedendum, & sic ob illud iustum impedimentum non diceretur in mora; tamen adhuc posset creditor eum alibi conuenire, Paul. de Castr. vbi supra.

217 Tempera has duas ampliationes, vt in prima ampliatione creditor, ex quò non docet de mora debitoris, & illum cogit ad soluendum alibi, debeat ex tota summa, sibi debita, deducere id, quod interest debitoris, soluere alibi, quàm in loco destinatae solutionis, Crescent. d. decis. 2. solutione. de solut. & similiter in secunda ampliatione, ex quò debitor fuit impeditus; & ideo excusatur à mora, & offert soluere in loco solutionis, nulla habetur ratio interesse creditoris, sed benè habetur ratio interesse debitoris, Paul. de Castr. in d. l. 1. sub num. 2.

Ratio est, quia sicut debitor potest soluere alibi, dummodo vltra sortem soluat id, quod interest creditoris, sibi non solui in loco destinatae solutionis, vt secutus sum supra num. 200. decl. 2. & facit quod scripsi §. prae-

cedenti, q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 307. vers. tempera primo. ita etiam creditor in casu contrario, cogens debitorem ad soluendum alibi, tenetur debitori ad interesse.

218 Infero ex hac tertia subextensione, & dictis circa eam, quòd licet creditor cambij fuerit in mora accedendi ad nundinas, seu alium locum destinatæ solutionis; tamen poterit debitorem alibi conuenire, deducto eo, quod debitoris interesset soluere alibi, quàm in nundinis: & è conuerso debitor morosus in non accedendo ad soluendum in nundinis, potest creditorem cogere ad recipiendam solutionem alibi, dummodo soluat illi interesse tàm ratione loci, quàm temporis; & posset ipsum interpellare ad redeundum ad nundinas seqq. vt illic solutionem recipiat, oblata tamen illi solutione expensarum pro itinere, & labore, quo casu si creditor nollet redire, non teneretur ad interesse ratione loci, sed solum ad interesse ratione temporis, vt scripsi supra num. 210. in fine.

219 Subdeclara, restringendo eandem tertiam declarationem, positam supra num. 201. vt etiam debitor possit cogere creditorem ad recipiendam solutionem alio in loco, & tàm post diem, quàm ante diem, dummodo vltra sortem soluat; quod interest ratione loci, & temporis, vt secutus sum supra num. 200. declar. 2. si tempus, & locus sit adiectus gratia creditoris.

Et hæc sufficiant quo ad primum casum, positum supra sub num. 194.

220 Secundus casus est, quando solutioni non est destinatus locus: & isto casu Doct. sunt ita variè, confusè, & broccardicè, aut ieiunè locuti, vt nulla ex eorum dictis certa elici possit resolutio, in tantum, vt Bar. in l. 18. item illa. num. 13. vers. quæro quia. ff. de constit. pecun. post multa dicat, quòd totus iste tractatus, an, & quando creditor debeat accedere ad soluendum ad domum debitoris, vel è conuerso, pendet ex bono, & æquo: sed ego, non acquiescens, quia arbitrio iudicis paucissima committenda sunt, vt secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 9. num. 1153. & cap. 11. num. 297. 379. & 380. adhibeo quinque inspectiones.

Prima inspectio est, quando debitum est reciprocum, quasi compensatiuum, sed stat in electione vnius ex ipsis an velit dare, vel accipiat: & in hac inspectione concludo, quòd is, qui eligit soluere, seu dare vnum, vt acquirat aliud, debet accedere ad domum alterius, cui vult dare, & ibi soluere, l. vlt. cum quidam. C. de condit. insert. vbi seruus, cui relicta est libertas, si hæredi certum solidorum numerum soluerit, accedit ad domum hæredis, vt soluat, l. 20. quod nisi. ff. de oper. libert. vbi seruus, cui datur libertas, vt patrono præstet operas, debet eas præstare in domo patroni; & hanc conclusionem tenent Bar. in l. 18. item illa. sub num. 9. ibi, aut respicit commodum bursale. & Paul. de Castr. num. 13. in 2. casu, ff. de constit. pecun. & Tiraq. de retr. lign. §. 9. gl. 3. & vlt. num. 6. vers. ideoque. fol. 246. moti ex d. l. cum quidam.

221 Confirmatur primo hæc conclusio in casu, quo quis, eligendo, fit debitor rei modicæ, & creditor rei magnæ, quia conuenit rationi naturali, & æquitati, vt hæres, seu alius, qui ex modico, quod sibi datur, magnum retribuit, non grauetur in eo, vt ad illud modicum recipiendum, & magnum retribuendum habeat incommoditatem accedendi.

222 Confirmatur secundo, quia si tu, qui es Florentinus, debes propter emphyteosim decem florenos Abbati sancti Proculi de Bononia, teneris tu accedere ad Abbatem in ciuitate Bononiæ, & illic soluere, & non è contra, quia esset Abbati plus incommoditatis, quàm vtilitatis; idem esset, si annuatim debeatur alicui vnus nummus, Bal. in l. 19. acceptã. n. 23. vers. sed nũquid. hincq; videmus, quòd Orator pro Rege Catholico, nomine Regis, singulis annis solutarè equum Pontifici in eius palatio ad Diuum Petrum præsentat pro recognitione feudi, vt retuli in meo tract. de appell. q. 8. sub num. 110.

223 † Præterea repugnat prudentiæ, & rationi naturali, vt quis faciat id, in quo plus expenditur, quàm de commodo percipiatur, l. mediterraneæ. C. de annon. & tribut. lib. 10. vbi prohibetur sub pœna vltimi supplicij, ne Ciuitates onerentur illatione tributi, in qua plus haberet dispendij translatio, quàm deuotionis illatio; facit, quod scripsi in alio proposito in meo tractat. de appell. q. 17. limit. 40. num. 2.

Quicquid in contrarium non benè scripserit Bar. in d. l. 18. item illa. sub num. 9. ibi, tu distingue. dicens, quòd si dominus directus, & emphyteota sunt diuersi fori, sufficit, quòd emphyteota in die, qua debet soluere canonem, dicat in domo sua, ego sum paratus soluere canonem, si esset qui reciperet, & hoc faciat scribi, quia creditor debet

ire

ire ad eum, non ipse ad creditorem alterius fori.

224 Confirmatur tertio, quia omnia bona, quæ habemus, sunt à Deo nobis data, (& hoc sciunt omnes) qui in eis sibi decimam reseruauit, Rebuff. tract. de decim. q. 1. num. 6. & seqq. quare decimæ soluuntur Ecclesijs non intuitu personarum Ecclesiasticarum, sed intuitu Dei, Rebuff. eod. tract. q. 7. num. 14. & 15. & ideo decima dicitur pars Dei, Rebuff. q. 9. num. 9. quam Deus voluit sibi dari, vt ipsius datione, ac alijs christianis operibus mediantibus, possimus patriam cœlestem acquirere; ergo decima debet solui Ecclesiæ in horreo ipsius Ecclesiæ, Gepol. tract. de seruit. vrban. præd. cap. 72. num. 4. tom. 6. par. 2. fol. 207. & probatur Exod. 23. num. 19. *primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui*, & Malach. 3. num. 10. *inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea*.

225 Confirmatur quarto, quia volens retrahere fundum, & soluere pretium, debet accedere ad domum emptoris, & illic soluere, vt secutus sum supra num. 167.

226 Confirmatur quinto, quia si quis commiserit moram, & velit eam, soluendo, purgare, debet hic debitor accedere ad domum creditoris, & illic soluere, quia, soluendo, vult acquirere remissionem moræ, puta, caducitatis, Bar. in d. l. item illa, num. 10. vers. iuxta prædicta, ibi, ego dico, & Paul. de Castr. versus finem, sub num. 13.

227 Confirmatur sexto, quia si quis promittat alicui facere cessionē iuriū, vt ab ipso cessionario acquirat solutionem, vel quid aliud, debet promissor accedere ad cessionarium, Innoc. in cap. 7. significante. quem ibidem sequuntur Ant. de Butr. q. 3. num. 12. de pign. & Bald. in l. 19. acceptam. sub num. 23. vers. sed nunquid. C. de vsur.

228 Secunda inspectio est, quando debitum est merè gratiosum ex liberalitate: & in hac inspectione concludo, quòd creditor, idest, is, cui debetur, debet accedere ad domum debitoris, l. 38. quod legatur. ff. de iudic. vbi legatum, consistens in pondere, aut numero, aut mensura, soluitur vbi petitur.

Ratio huius conclusionis est, quia hæc inspectio comprehenditur in præcedenti; nam si is, qui non habet omnimodam causam lucratiuam, tenetur accedere ad domum eius, à quo lucrum vult accipere, multò magis hoc procedet in eo, qui habet causam gratiosam, liberalem, & omnimodo lucratiuam.

229 Confirmatur primo hæc conclusio, quia si Cardinali, existenti in Curia Romana, sit reseruata pensio scutorum mille in Episcopatu Aretij, Episcopus Aretinus non tenetur soluere in Vrbe, sed in Ciuitate Aretij, vt, sublatis motiuis, quæ adducebantur in contrarium, tenuit Rot. diuers. decis. 678. cum sixtus. nu. 3. & 4. in Aretina pensionis, ver. 20. Februarij 1598. coram R. P. D. Litta in impressis Lugduni 1612.

230 Confirmatur secundo, quia si ego promitto mutuare tibi centum, seu quid aliud commodare, tu teneris venire ad domum meam, vt tibi ea mutuem, seu commodem, & non ego ad domum tuā, vt tu ea recipias.

Confirmatur tertiò, quia vbicunque ex contractu, vel quasi contractu, qui sit solum in gratiam, & vtilitatem creditoris factus, restitutio fieri debeat, facienda est in loco, vbi reperitur debitor, vel in loco, vbi res accepta fuit, sed expensis creditoris, dummodo absentia debitoris à loco, in quo res accepta fuit, non sit dolosa; & propterea depositum est restituendum in eo loco, vbi est depositarius, & similiter legatum est soluendum eo in loco, vbi est res legata, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 33. vers. tertio dicimus quandocunque, & vers. seq. col. 303.

Confirmatur quarto, non multum discedendo à terminis huius tertiæ præcedentis, quia si quis rem alienam inueniat, puta, iumentum, vestem, crumenam, & similia, hæcq; bona fide teneat, vt reperto domino; quamprimū restituat, nō debet ea suis expēsis ad dominum mittere, sed debet dominus ad eū accedere, vel mittere suis expensis; & similiter, si quis quouis iusto titulo, & bona fide rem alienam possideat, is non debet suis sumptibus eam ad dominum mittere, sed debet dominus accedere, vel mittere suis sumptibus, vt declarant Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. in respons. ad 3. dubium, col. 12. vers. ad id quod. fol. 17. & Ioan. Azor. d. cap. 33. vers. tertia opinio, col. 323. & quòd si dominus, cui restitutio fieri debet, sit in longinquis partibus, ita vt ad eum mitti non possit, aut non sine magno periculo, aut scandalo, tunc restituendum sit, IESV CHRISTO Domino nostro tanquam incertorum omnium hæredi vniuersali, scribit Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 29. vers. quarto quando.

Extende

231 Extende primo vtramque conclusionem, tàm primæ, quàm secundæ inspectionis, vt procedant etiam si sint diuersi fori, vt patet ex l. vlt. cum quidam. C. de condit. insert. & l. 20. ff. de oper. libert. & patet ex decis. citata supra num. 229. confirm. 1.

232 Quicquid scripserit simpliciter, ideoque non benè Bar. in l. 18. item illa. num. 13. vers. quarto quia. ff. de constit. pecun. vbi, declarando, quòd creditor, & debitor possunt dupliciter esse diuersi fori, primò nempè in eadem Ciuitate, in qua vterque habitare, secundo in eadem Prouincia sub eodem Præside, scribit, quòd debitor non tenetur ire ad domum creditoris, qui est diuersi fori in Prouincia, sed solùm ad creditorem, qui est diuersi fori in eadem Ciuitate.

233 Extende secundò, vt procedant etiam si labores, & impensæ requirantur; quare debitor, qui ad lucrum acquirendum tenetur aliquid soluere, vt in prima inspectione, posita supra sub n. 220. & 221. & qui, quod sibi ex mera liberalitate debetur, vult consequi, vt in secunda inspectione, posita supra num. 228. tenentur suis sumptibus, & impensis portare, & consequi.

234 Declara primo eandem conclusionem huius secundæ inspectionis, vt procedat, si agatur actione personali; secus si agatur actione reali, qua agi possit; quia tunc vbi res est, ibi peti debet, &, si sit mobilis, agi poterit ad exhibendum; vt in d. l. 38. quod legatur. ff. de iudic.

235 Declara secundo, vt non procedat in debito, seu legato certæ speciei, designatæ; vt puta, centum modiorum ex illo horreo, aut vini amphoras ex illo dolio; quia tunc vbi sunt, ibi solui debent, d. l. quod legatur. & ibi Gl. & Alex. in l. vinum. not. 6. num. 7. ff. si cert. pet. dicens, quòd si promitto dare tibi decem amphoras vini de Vicentia, teneor illud tibi dare Vicentiæ, item si Romæ fuerit venditum vinum de Brundusio, debet dari Brundusij, quia non in genere simpliciter vinum promisi; & ex Alex. contra Decium sequitur latius Io. Ant. Rub. in ead. l. vinum. num. 140. 142. & seqq. inter Repet. tom. 2. fol. 90.

Extende hanc declarationem, vt procedat etiam in terminis sequentis tertiæ inspectionis, nempè, quando debitum procedit non à causa gratiosa, & ex liberalitate, sed à causa onerosa, quare quod dicimus in legatario, habet locum etiam in emptore, & Io. Ant. Rub. sub d. num. 142. ideoque & in ipsa declaratione locuti sumus promiscuè de debito, & legato.

236 Tertia inspectio est, quando debitum procedit à causa merè onerosa, hincinde obligatoria, sine vlla liberalitate: & in hac inspectione distinguo duo membra.

Primum membrum est, quando creditor, & debitor sunt eiusdem fori: & in isto membro concludo ex regula, quòd debitor debet accedere ad domum creditoris, & illic soluere, & ita possumus intelligere dictum Innocentij in cap. 7. significante. quē sequuntur ibi Ant. de Butr. q. 3. num. 12. de pign. & Bal. in l. 19. acceptam. sub num. 23. vers. sed nunquid. C. de vsur. dum scribit, quòd quicunque aliquid alicui debet, nō debet expectare, quòd is, cui debetur, illud petat, sed debitor debet ire ad locum, vbi creditor habet domicilium, & ibi illi offerre, &, si non est ibi, coram iudice loci protestetur; & dictam Glossa in l. 18. item illa. in verbo, non venit. Bartoli num. 9. 12. vers. quarto creditor. & sub num. 13. & Pauli de Castr. sub nu. 12. ff. de constit. pecun. dum clarè loquuntur, quòd si sunt eiusdem fori, debitor debet accedere ad domum creditoris; & facit ad hoc, quod scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 3. num. 324. & 325. & hæc videtur communis opinio; sic etiam intelligo, quod scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de censib. cap. 9. q. 1. vers. quæres an debitor. col. 830. dicens, quòd debitor census debet adire domum creditoris, vt soluat.

237 Confirmatur primo hæc conclusio, quia promittens soluere Titio, promittit virtualiter, & tacitè certo, & designato Titio, nempè, qui est filius talis, & habitat tempore promissionis in tali loco, in tali domo: ergo, vt satisfaciat suæ promissioni, debet soluere illi Titio in illa domo; nam & qui promittit, seu legat vinum ex tali dolio, vel frumentum ex tali horreo, ibi solutio fieri debet, vt secutus sum supra num. 235. decl. 2.

238 Confirmatur secundo; quia nos supponimus, debitorem teneri ex causa, hinc inde acquisitoria, & sibi satisfactum esse: ergo nulla ratio suadere potest, vt ipse possit non soluere in domicilio creditoris, maximè cum non agatur de magna incommoditate.

239 Nec placent in puncto iuris limitationes, quæ contra hanc conclusionem colligi possunt ex considerationibus, quas circa personarum qualitatem, aliaq; facit Bar. in d. l.

item

item illa. sub nu. 13. quia personæ egregiæ, & magnæ auctoritatis, quas ipse considerat, non vadunt, sed mittunt, & pauperes subleuari debent, ne ab operis, quibus victum quærunt, euocentur, & l. 26. si cum dies. §. si arbiter, vers. quid ergo. ff. de recept. arbitr. quam citat, non benè applicatur.

240 Cæterum de facto hæc conclusio non seruatur, quia fit totum oppositum; nam creditor accedit ad domum debitoris, & vtinam post multas accessiones, debitor solueret, præsertim quando debitor est dignior, vt sunt isti domini, qui sunt debitores pauperum artificum.

241 Retenta conclusione in puncto iuris.

Declara eam, vt procedat in debito pecuniæ, seu alterius rei, quam debitor sine sumptibus, & impensis possit portare; quia tunc debitor tenetur accedere ad domum creditoris, & ibi soluere; secus si sit debitum alicuius speciei, vel alicuius generis subalterni, in cuius transportatione requirantur labores, & impensæ, quia tunc creditor suis expensis, & periculo faciet sibi portari; quare, si ego emo vinum, debeo accedere ad domum venditoris, & meis expensis illud portare, Bar. & Paul. de Castr. in l. 18. item illa. vterque versus finem, sub nu. 13. ff. de constit. pecun. & Alex. in l. vinum. num. 14. & Io. Ant. Rub. sub num. 142. vers. aliquando petitur. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 3. fol. 90. &, quòd vbi inter partes conuentum non est, vt res certo loco tradatur, tunc debeat tradi in loco, in quo iure communi debet peti, ideoq; in dubio videatur actum, quòd res tradatur, vbi peti potest, sequuntur Alex. in d. l. vinum. num. 7. not. 6. & Io. Ant. Rub. num. 139. not. vlt. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 90.

Quicquid in contrarium senserit Bal. in l. 19. acceptam. q. 12. sub num. 22. C. de vsur. dicens, quòd colonus debet portare fructus ad domum domini, si ambo sint eiusdem territorij; nam contra Bal. facit, quòd fructus debentur in genere subalterno, nempè ex illo prædio, & ideo debent portari expensis creditoris, vt ex Bar. & alijs secutus sum supra in declaratione.

Subdeclara restringendo hanc declarationem, vt procedat in debito speciei, seu alicuius generis subalterni, vt puta, si tu deberes mihi decem salmas vini de tali vegete, seu vinea, vt loquitur Bar. in d. l. item illa. num. 13. in fine, & num. 14. seu tu deberes mihi vinum ex tali vite, seu ex tali apotheca, vt loquitur Rub. in d. l. vinum. nu. 142. vers. aliquando venditur, quia tunc tale vinum, in genere subalterno debitum, debet portari expensis creditoris, vt dixi in declaratione.

Secus si ego emo à te vinum, vel frumentum in genere, puta decem dolia vini, quia tunc frumentum, siue vinum debet portari expensis debitoris, Bar. in d. l. item illa. num. 14. & Rub. in d. l. vinum. num. 141.

242 Secundum membrum est; quando debitor, & creditor sunt diuersi fori: & in hoc membro Doct. variè loquuntur; nam Bal. in l. 19. acceptam. q. 12. sub num. 22. C. de vsur. & M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 2. sub num. 3. vers. secundo tempera. tom. 6. par. 2. fol. 408. dicunt simpliciter, quòd si sunt diuersi fori, creditor debet accedere ad domicilium, idest, ad domum debitoris: sed Bar. in l. 18. item illa. ff. de constit. pecun. se multum inuoluit; nam sub num. 9. ibi, si verò solutio quæ est fienda. iunctis verbis præcedentibus, ibi, si verò non esset eiusdem fori. & sub num. 10. ibi, ego dico. quem sequuntur Tiraq. de retr. lignag. §. 9. gl. 3. & vlt. num. 6. vers. ideoque. fol. 246. & Rot. Genuen. decis. 144. quod spinuli. sub num. 3. scribit, quòd debitor tenetur accedere ad domum creditoris, etiam si sint diuersi fori, & postea sub num. 13. declarat, hoc esse verum, si sint diuersi fori in eadem Ciuitate; secus si sint diuersi fori in eadem prouincia sub eodem Præside, vt eundem retuli supra num. 232. vers. quicquid scripserit. & eodem num. 15. adhuc inuolutior scribit, hunc tractatum pendere ex bono, & æquo.

In hac angustia considero eandem duplicem fori diuersitatem, quam cõsiderat Bar.

Prima ergo diuersitas fori est in eadem Ciuitate: &, loquendo de ista, concludo eadem omnia, quæ, loquendo quando sunt eiusdem fori, firmaui supra num. 236.

243 Secunda diuersitas fori est, quando non est in eadem Ciuitate, sed est in eadem prouincia: & in ista concludo simpliciter, quòd siue debeatur pecunia, siue species, creditor debet accedere, seu mittere ad illã portandã, & ita intelligo Bar. Paul. de Castr. & alios, citatos sup. n. 241. & Bal. in l. 19. acceptam. q. 22. sub n. 22. versus finem. C. de vsur. vbi ait, quòd colonus, quem habet Asisij, non debet sibi portare ad ciuitatem Perusij.

Ratio huius conclusionis est, quia iste accessus, & portatio habet separatum contractum,

231 Extende primo vtramque conclusionem, tàm primæ, quàm secundæ inspectionis, vt procedant etiam si sint diuersi fori, vt patet ex l.vlt.cum quidam. C. de condit. insert. & l.20.ff. de oper.libert.& patet ex decis.citata supra num.229. confirm. 1.

232 Quicquid scripserit simpliciter, ideoque non benè Bar.in l.18.item illa.num.13.vers. quæro quia. ff.de constit.pecun. vbi, declarando, quòd creditor, & debitor possunt dupliciter esse diuersi fori; primo nempè in eadem Ciuitate, in qua vterque habitaret; secundo in eadem Prouincia sub eodem Præside; scribit, quòd debitor non tenetur ire ad domum creditoris, qui est diuersi fori in Prouincia, sed solùm ad creditorem, qui est diuersi fori in eadem Ciuitate.

233 Extende secundo, vt procedant, etiam si labores, & impensæ requirantur; quare debitor, qui ad lucrum acquirendum tenetur aliquid soluere, vt in prima inspectione, posita supra sub n.220.& 221. & qui, quod sibi ex mera liberalitate debetur, vult consequi, vt in secunda inspectione, posita supra num. 228. tenentur suis sumptibus, & impensis portare, & consequi.

234 Declara primo eandem conclusionem huius secundæ inspectionis, vt procedat, si agatur actione personali; secus si agatur actione reali, qua agi possit; quia tunc vbi res est, ibi peti debet, &, si sit mobilis, agi poterit ad exhibendum, vt in d. l. 38. quod legatur.ff.de iudic.

235 Declara secundo, vt non procedat in debito, seu legato certæ speciei, designatæ; vt puta, centum modiorum ex illo horreo, aut vini amphoras ex illo dolio; quia tunc vbi sunt, ibi solui debent, d.l.quod legatur. & ibi Gl.& Alex.in l.vinum.not.6.num.7. ff.si cert. pet. dicens, quòd si promitto dare tibi decem amphoras vini de Vicentia, teneor illud tibi dare Vicentiæ, item si Romæ fuerit venditum vinum de Brundusio, debet dari Brundusij, quia non in genere simpliciter vinum promisi; & ex Alex. contra Decium sequitur latius Io.Ant.Rub. in ead.l.vinum. num. 140. 142. & seqq.inter Repet.tom.2. fol. 90.

Extende hanc declarationem, vt procedat etiam in terminis sequentis tertiæ inspectionis, nempè, quando debitum procedit non à causa gratiosa, & ex liberalitate, sed à causa onerosa, quare quod dicimus in legatario, habet locum etiam in emptore; Io.Ant.Rub.sub d.num. 142.ideoque & in ipsa declaratione locuti sumus promiscuè de debito, & legato.

236 Tertia inspectio est, quando debitum procedit à causa merè onerosa, hincinde obligatoria, sine vlla liberalitate: & in hac inspectione distinguo duo membra.

Primum membrum est, quando creditor, & debitor sunt eiusdem fori: & in isto membro concludo ex regula, quòd debitor debet accedere ad domum creditoris, & illic soluere, & ita possumus intelligere dictum Innocentij in cap.7.significante. quē sequuntur ibi Ant.de Butr.q.3.num.12.de pign. & Bal.in l.19.acceptam. sub num. 23.vers.sed nunquid. C.de vsur.dum scribit, quòd quicunque aliquid alicui debet, nō debet expectare, quòd is, cui debetur, illud petat, sed debitor debet ire ad locum, vbi creditor habet domicilium, & ibi illi offerre, &, si non est ibi, coram iudice loci protestetur; & dictum Glossæ in l.18.item illa. in verbo, non venit. Bartoli.num.9.14. vers. quæro creditor. & sub num.13. & Pauli de Castr.sub nu. 12. ff. de constit.pecun. dum clarè loquuntur, quòd si sunt eiusdem fori, debitor debet accedere ad domum creditoris; & facit ad hoc, quod scripsi in meo tract.de iudic.caus. lib.2.cap.3.num.324.& 325.& hæc videtur communis opinio; sic etiam intelligo, quod scribit Io.Azor.de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de censib.cap.9.q.1.vers.quæres an debitor. col. 830. dicens, quòd debitor census debet adire domum creditoris, vt soluat.

237 Confirmatur primo hæc conclusio, quia promittens soluere Titio, promittit virtualiter, & tacitè certo, & designato Titio, nempè, qui est filius talis, & habitat tempore promissionis in tali loco, in tali domo: ergo, vt satisfaciat suæ promissioni, debet soluere illi Titio in illa domo; nam & qui promittit, seu legat vinum ex tali dolio, vel frumentum ex tali horreo, ibi solutio fieri debet, vt secutus sum supra num.235.decl.2.

238 Confirmatur secundo; quia nos supponimus, debitorem teneri ex causa, hinc inde acquisitoria, & sibi satisfactum esse: ergo nulla ratio suadere potest, vt ipse possit non soluere in domicilio creditoris, maximè cum non agatur de magna incommoditate.

239 Nec placent in puncto iuris limitationes, quæ contra hanc conclusionem colligi possunt ex considerationibus, quas circa personarum qualitatem, aliaq; facit Bar.in d.l.

item

item illa. sub nu. 13. quia personæ egregiæ, & magnæ authoritatis, quas ipse considerat, non vadunt, sed mittunt, & pauperes sublevari debent, ne ab operis, quibus victum quærunt, euocentur, & l. 26. si cum dies. §. si arbiter, vers. quid ergo. ff. de recept. arbitr. quam citat, non benè applicatur.

240 Cæterum de facto hæc conclusio non seruatur, quia fit totum oppositum; nam creditor accedit ad domum debitoris, & vtinam post multas accessiones, debitor solueret, præsertim quando debitor est dignior, vt sunt isti domini, qui sunt debitores pauperum artificum.

241 Retenta conclusione in puncto iuris.

Declara eam, vt procedat in debito pecuniæ, seu alterius rei, quam debitor sine sumptibus, & impensis possit portare; quia tunc debitor tenetur accedere ad domum creditoris, & ibi soluere; secus si sit debitum alicuius speciei, vel alicuius generis subalterni, in cuius transportatione requirantur labores, & impensæ, quia tunc creditor suis expensis, & periculo faciet sibi portari; quare, si ego emo vinum, debeo accedere ad domum venditoris, & meis expensis illud portare, Bar. & Paul. de Castr. in l. 18. item illa. vterque versus finem, sub nu. 13. ff. de constit. pecun. & Alex. in l. vinum. num. 14. & Io. Ant. Rub. sub num. 142. vers. aliquando petitur. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 3. fol. 90. &, quòd vbi inter partes conuentum non est, vt res certo loco tradatur, tunc debeat tradi in loco, in quo iure communi debet peti, ideoq; in dubio videatur actum, quòd res tradatur, vbi peti potest, sequuntur Alex. in d. l. vinum. num. 7. not. 6. & Io. Ant. Rub. num. 139. not. vlt. ff. si cert. pet. inter Repet. tom. 2. fol. 90.

Quicquid in contrarium senserit Bal. in l. 19. acceptam. q. 12. sub num. 22. C. de vsur. dicens, quòd colonus debet portare fructus ad domum domini, si ambo sint eiusdem territorij; nam contra Bal. facit, quòd fructus debentur in genere subalterno, nempè ex illo prædio, & ideo debent portari expensis creditoris, vt ex Bar. & alijs secutus sum supra in declaratione.

Subdeclara restringendo hanc declarationem, vt procedat in debito speciei, seu alicuius generis subalterni, vt puta, si tu deberes mihi decem salmas vini de tali vegete, seu vinea, vt loquitur Bar. in d. l. item illa. num. 13. in fine, & num. 14. seu tu deberes mihi vinum ex tali vite, seu ex tali apotheca, vt loquitur Rub. in d. l. vinum. nu. 142. vers. aliquando venditur. quia tunc tale vinum, in genere subalterno debitum, debet portari expensis creditoris, vt dixi in declaratione.

Secus si ego emo à te vinum, vel frumentum in genere, puta decem dolia vini, quia tunc frumentum, siue vinum debet portari expensis debitoris, Bar. in d. l. item illa. num. 14. & Rub. in d. l. vinum. nnm. 141.

242 Secundum membrum est; quando debitor, & creditor sunt diuersi fori: & in hoc membro Doct. variè loquuntur; nam Bal. in l. 19. acceptam. q. 12. sub num. 22. C. de vsur. & M. Ant. Bauer. tract. de mora, par. 2. sub num. 3. vers. secundo tempera. tom. 6. par. 2. fol. 408. dicunt simpliciter, quòd si sunt diuersi fori, creditor debet accedere ad domicilium, idest, ad domum debitoris: sed Bar. in l. 18. item illa. ff. de constit. pecun. se multum inuoluit; nam sub num. 9. ibi, si verò solutio quæ est fienda. iunctis verbis præcedentibus, ibi, si verò non esset eiusdem fori. & sub num. 10. ibi, ego dico. quem sequuntur Tiraq. de retr. lignag. §. 9. gl. 3. & vlt. num. 6. vers. ideoque. fol. 246. & Rot. Genuen. decis. 144. quod spinuli. sub num. 3. scribit, quòd debitor tenetur accedere ad domum creditoris, etiam si sint diuersi fori, & postea sub num. 13. declarat, hoc esse verum, si sint diuersi fori in eadem Ciuitate; secus si sint diuersi fori in eadem prouincia sub eodem Præside, vt eundem retuli supra num. 232. vers. quicquid scripserit. & eodem num. 15. adhuc inuolutior scribit, hunc tractatum pendere ex bono, & æquo.

In hac angustia considero eandem duplicem fori diuersitatem, quam cõsiderat Bar.

Prima ergo diuersitas fori est in eadem Ciuitate: &, loquendo de ista, concludo eadem omnia, quæ, loquendo quando sunt eiusdem fori, firmaui supra num. 236.

243 Secunda diuersitas fori est, quando non est in eadem Ciuitate, sed est in eadem prouincia: & in ista concludo simpliciter, quòd siue debeatur pecunia, siue species, creditor debet accedere, seu mittere ad illã portandã, & ita intelligo Bar. Paul. de Castr. & alios, citatos sup. n. 241. & Bal. in l. 19. acceptam. q. 12. sub n. 22. versus finem. C. de vsur. vbi ait, quòd colonus, quem habet Asisij, non debet sibi portare ad ciuitatem Perusij.

Ratio huius conclusionis est, quia iste accessus, & portatio habet separatum contractum,

tractum, nempè locationis, & conductionis, pro quo requiritur nouum pretium.

Declara hanc conclusionem, vt quando debetur pretium rei emptæ, permutatæ, aut locatæ, vel annui census, super re impositi; tunc eiusmodi pretium in dubio solui debeat eo in loco, vbi extat res empta, permutata, locata, seu censuata, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 33. vers. ex quo sequitur. col. 323.

Quarta inspectio est, quando debitum procedit ex delicto, seu quasi delicto illius, qui debet restituere: & in hac inspectione distinguo tria membra principalia.

Primum membrum est, quando tàm is, qui debet restituere, quàm is, cui debet restitui, sunt in eodem loco, in quo res fuit ablata, seu accepta: & in hoc membro concludo, restitutionem faciendam esse eodem in loco, Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. restit. q. 2. in respons. ad tertium dubium, col. 12. vers. ad id quod. fol. 17.

Extenderem hanc conclusionem, vt procedat etiam si locus, in quo vterque reperitur, non esset locus, in quo res esset accepta, & sic vterque abesset ab illo loco.

Secundum membrum est, quando is, qui tenetur restituere, est alio in loco, quia discessit: & in isto membro considero duos casus.

Primus casus est; quando debitor est bonæ fidei possessor, putans rem esse suam, & nemini eam deberi; & isto casu concludo, eum satisfacere, si, cum sciuerit se debere rem illam restituere, restituat in loco, vbi ipse debitor est; nec tenetur suis expensis ad creditorem eam mittere; quare sufficit, vt illi significet, se esse paratum restituere, vel seruaturum, vel sufficit, vt eam in loco tuto deponat, Medin. in loco supra proximè citato; sed iste casus videtur vagare extra terminos inspectionis, in qua, cum supponamus rem deberi ex delicto, seu quasi delicto, videtur semper abesse bona fides.

Secundus casus est; quando debitor est in mala fide, vt puta, quia fit vsurarius; & in hoc casu, qui est proprius casus inspectionis, militant opiniones.

Prima opinio sit, quòd debitor tenetur restituere eo in loco, vbi est is, cui restitutio fieri debet, licet res restituenda extet alibi, & tenetur restitutionem facere suis proprijs expensis, etiam si æquales, vel maiores sint debito, & quamuis is, cui restitutio fieri debet, discesserit ex illo loco, vbi res fuit accepta, quia dominus rei non debet pati damnum in recuperanda re sua, quando damnum prouenit ex culpa debitoris, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 4. tit. de restit. cap. 32. vers. secunda regula. col. 320. & vers. opinio tertia. & vers. quare tertio. col. 321.

Confirmatur hæc opinio multipliciter. Primo, quia obligatus aliquid facere, tenetur proprijs sumptibus facere. Secundo: quia obligatus soluere pecuniam ex suo delicto, tenetur eam suis sumptibus transmittere. Tertio, quia debitor ex delicto, sicq; in mala fide, semper est in mora; at debitor morosus, volens purgare moram, tenetur debitum mittere ad creditorem, siue sit in eodem territorio, siue in diuerso, vt, argumentando contra vsurarium, refert, sed non sequitur Crot. in cap. 5. cum tu. sub num. 23. & 24. de vsur. inter Repet. tom. 4. fol. 364.

Secunda opinio est, quòd si creditor, idest, is, cui restitutio fieri debet, recesserit ab eo loco, in quo res debet restitui, restitutio adhuc fieri debeat eo in loco, vbi est creditor, cui debet fieri restitutio, sed expensis ipsius creditoris, Glos. in d. cap. cum tu. in verbo, non superstitibus. Abb. num. 9. & Io. de Anan. sub num. 3. vers. in gl. non superstitibus. de vsur. qui loquuntur de vsurario, qui debet restituere vsuras; hancq; opinionem vti communem videtur secutus Crot. num. 23. & seqq.

Retenta hac opinione, Ioan. de Anan. vbi sup. ex Bal. quem citat, limitat, vt non habeat locum, quando vsurarius relinquit aliquid certis personis pro restitutione vsurarum, quia tunc hæres debet mittere suis proprijs impensis solutionem legati ad illos legatarios.

Tertia opinio distinguit: Aut hic creditor erat rem ablatam, seu debitam secum portaturus; & tunc rursus videndum est, an esset expensas in illius rei portatione facturus; quia si erat facturus, debitor tenetur eam ad creditorem mittere, sed expensis ipsius creditoris; sed cum hoc temperamento, quatenus ipse debitor speret expensas recuperare ab ipso creditore, alioqui nisi speret eas ab eo recuperare, satis est, si in loco, vbi rem iniustè accepit, eandem restituat, creditore de hoc certiore facto: Aut creditor erat rem portaturus sine expensis, & alibi distracturus, & tunc debitor tenetur rem debitam proprijs expensis ad creditorem mitte-

re,

re, Medin.d.q.2.in responsione ad tertium argumentum, vers.si autem creditor.& vers. si rem.col.12.fol.17.

Tertium membrum est; quando is, qui tenetur restituere, discessit à loco, vbi facienda est restitutio: & rursus, distinguendo eosdem duos casus; dico, quòd si erat bonæ fidei possessor, satisfacit soluendo, seu restituendo in loco, vbi ipse debitor reperitur, nec tenetur eam restituere suis expēsis, Medin.d.q.2. vers.ad id quod. in fine, col. 12. fol.17. si verò erat malæ fidei possessor, tunc tenetur suis proprijs expensis soluere, seu remittere ad creditorem, & non expensis ipsius creditoris, Medin.d.q.2.in respoosione ad tertium dubium, vers. verum aliter. col. 12.fol.17.& ita, loquendo de vsurario, qui tenetur restituere vsuras, scribunt Abb.in d. cap.5.cum tu. num.9.& Io.de Anan.sub nu. 3.vers.in gl. non superstitibus. de vsur.

Quinta inspectio est, quando debitum non procedit ex aliquo contractu, seu quasi contractu, neque ex delicto, seu quasi delicto, sed solum ex eo, quòd res est aliena: & in hac inspectione vide, quæ scripsi supra nu. 230. in 4. confirmat.& facit quod scripsi hic supra vers.primus casus. & hic vers. tertium membrum.

Reliqua, quæ pertinent ad fori competentiam, & ad submissionem in foro alieno, vide in nostro tract.de iudic.caus.lib. 1. cap.101. num.30.quæst.6.& cap.22. num.9.& seqq. & num.12.

Absoluta hac septima quæstione de loco solutionis, congruè quæreretur de tempore solutionis, quando tempus non est appositum, & præsertim si debitum sit annuum, nunquid solui debeat initio, vel in fine anni, sed, vt festinemus ad difficultates solutionum cambiorum, hanc prætermittimus, resoluendam à te ex his, quæ scribunt Bar. Ias. & alij in l.42.qui hoc anno.ff.de verb.oblig. & præsertim ex l.12.nec semel. ff.quan. dies leg.ced.& ex §.at si ita stipuler. & ibi Gl. in verbo, annuos. Instit. de verb. oblig. vbi habetur, soluendum esse initio anni, & Gl.allegat hos versus:

Annua si debes, tunc respicies caput anni,
Anno si debes, in fine teneberis anni.

& breuiter hanc difficultatem explicat Nauar.in man. confess. cap. 17. sub num. 198. vers.septuagesimo octauo. vide eum.

S V M M A R I V M.

Creditor litterarum cambij, si, liberando suum debitorem, acceptet alias litteras cambij à debitore sui debitoris, tunc debitor est liberatus, etiam si is, cui litteræ soluendæ sunt directæ, eas nolit postea acceptare, quia is, qui eas fecit, interim decoxerit, num.244.& seq. 248. 284. iunctis 280. & seqq. & 315. Reiecta opinione contraria, num.246.& 247. Limitatur primo hæc conclusio, vt non sit vera, quando debitor delegans promittit creditori, quòd curabit, vt is, cuius nomen delegatur, soluat, nu.298. Limitatur secundo, quando delegans erat conscius imminentis fugæ debitoris, cuius nomen delegauit, num.299.

Debitor, cuius nomine mercator promittit creditori soluere, est liberatus, num.245.

Cessio nominis debitoris absentis, facta creditori, non est delegatio, ideoque nec nouatio, sub nu. 249. vers.primus casus. Nec continet solutionem, neque liberationem, sub num. 250. Vnde remanent obligatio, & actio primæua, nu. 251. Habetq; tacitam conditionem, vt si cessionarius solutionem à debitore cesso consequi nō potuerit, habeat regressum contra cedentem, cum is teneatur præstare, debitorem, cuius nomen cessit, fuisse locupletem, & soluendo, num. 252.& 262. Ideoq; periculum nominis debitoris cessi remanet cedenti, num. 253. Dummodo periculum processerit sine culpa, & negligentia cessionarij, num. 254. Et proinde cessionarius, vt habeat regressum contra cedentem, debet docere de diligentia, &c.num.255. & seqq.in quibus latè declaratur, & nu.263.

Cessio nominis debitoris potest fieri, etiam ipso debitore præsente, & inuito, & hæc dicitur cessio hominis, num.279.

Cedens nomen sui debitoris ad quid teneatur, nu. 252. & seqq.

Cessionis periculum quando spectet ad cedentem, & quando ad cessionarium, nu.253. & seqq. 263.& 266. in fine.

Cessionarius dicitur procurator in rem propriam, num.256. Et irreuocabilis, num.264.

Procurator tenetur consumare mandatum susceptum, num. 257.

Procurator ad iudicia tenetur etiam de leuissima culpa, num.258.

Excussio nominis debitoris, & etiam fideiussorum est necessaria, priusquam cessionarius habeat regressum contra cedentem, num. 259. Hæcq; excussio extēditur etiam ad personam, n.260. Et quando non sit necessaria, nu.268.

Cedens

244 QVAERO VIII. ego vigore litterarum cãbij eram tuus debitor de scutis 100. soluendis in proximo foro Placentiæ, & Ceulus in eodem foro erat debitor meus in totidem alijs: hic Ceulus ad mei instantiam fecit tibi litteras cambij dictorum scutorum 100. soluendorum Romæ à Banco de Olgiatis, & ideo tu, habitis illis litteris, me liberasti in cauta forma: euenit, quòd antequam banchum de Olgiatis acceptet litteras, Ceulus decoxit, & ideo banchum de Olgiatis non acceptat litteras: dubitatur, an ego sim liberatus, seu potius tu possis habere regressum contra me, ex quò litteræ Ceuli non habuerunt effectum.

Prima opinio est affirmatiua, quòd sim liberatus, & solus Ceulus remanserit debitor, sine vlla spe habendi aduersus me regressum, quia ego, dũ tibi dedi litteras Ceuli, dicor soluisse debitum, & maximè, quòd tu, illis habitis, me liberasti in cauta forma; & inueteratam esse consuetudinem, quòd quælibet promissio, facta in bancho mercantili, cedat loco solutionis, secutus sum supra num.

num. 63. & 64. hancq; consuetudinem Genuenses statutis lib. 4. cap. 7. §. penult. confirmarunt; & quòd de stylo, si is, cul præsentantur litteræ cambij, vt eas soluat præsentanti, scribat in suo libro ipsum præsentantem, sic volentem, pro creditore ipsius scribentis, illa promissio stet loco solutionis, quoad eum, qui fecit litteras cambij; secus autem si litteræ sint solum acceptatæ, & retentæ ab eo, ad quem missæ sunt, quia hæc acceptatio, & retentio habent quidem vim promissionis, vt acceptans reputetur sponsor, sed non habent vim solutionis, ita vt debitor, qui litteras fecit, sit liberatus, quia ex illa sola acceptatione, & retentione litterarum nō colligitur animus creditoris, quòd voluerit illam retentionem habere pro solutione, scribit Hier. Gabr. cons. 155. iacobus. num. 23. & 24. lib. 1. &, quòd si ego contraxi cambium cum mercatore in Ciuitate Pisarum, hoc modo, quòd ipse faceret mihi litteras cambij ad quemdam alium mercatorem in ciuitate Venetiarum, in quibus continebatur, quòd ille deberet mihi soluere, & super se recipere istud cambium, & ille mercator Venetiarum acceptauit litteras, sibi à me delatas, & antequam mihi solueret aufugit, periculum sit mei creditoris, vel quia breui manu videtur mihi numerasse, & ego penes eum demum in depositum posuisse, vel quia videtur mihi satisfactum, ex quo acceptaui illum mercatorem Venetiarum, & est tacitè facta nouatio, cum sit facta permutatio debitoris, referunt, & sequuntur Petr. de Vbal. tract. de duob. fratr. par. 8. princ. q. 32. nu. 33. tom. 6. par. 1. fol. 159. Alex. cons. 94. visc, puncto. num. 3. ibi, contraxi cambium. lib. 3. Maran. in suo spec. par. 6. act. 6. num. 50. vers. sed ecce. fol. 386. Sebast. Medic. tract. de fortuit. casib. q. 10 num. 79. tom. 7. fol. 221. Surd. cons. 145. scipio. sub num. 9. & 10. lib. 1. & Io. Bapt. Cauat. tract. de cambio. tit. de dante. vers. quæro campsor. fol. 234. &, quòd, si campsor dedit suo creditori litteras cambij ad mercatorem aliquem, liberetur, si creditor illum mercatorem acceptet pro debitore, quia, acceptando nummularium, videtur sibi satisfactum esse, sequitur Surd. d. cons. 145. num. 19. vers. tertio facit. & (accedendo propinquius ad terminos nostræ quæstionis) quòd si ego, qui sum tuus debitor ex causa venditionis, facio, quòd banchum de Spannocchis faciat tibi litteras cambij, & tu me liberas per publicum instrumentum in cauta forma, & deinde antequam debitum dictarum litterarum cambij soluatur, banchum de Spannochis decoxit, ego remaneam liberatus, votauit, præsertim attenta consuetudine, alijs tamen Consilij sapientibus aliter sentientibus, Affl. decis. 353. dubia. quem retuli supra nu. 63. & sequitur Maran. d. act. 6. num. 49. vers. sed perpulchrum, eod. fol. 386. & vbi extat talis consuetudo, illi adhærendum esse, scribit Ang. quem similiter retuli sup. d. num. 63.

245 Confirmatur primo hæc opinio, quia si campsor absque delegatione promittat per hæc verba: *promitto tibi loco Titij*, Titius erit liberatus, quia qui eligit vnum debitorem pro alio, nouare videtur, Alex. in l. 58. qui vsumfructum. num. 6. vers. idem etiam esset. ff. de verb. oblig. & ex eo, & alijs sequitur Paris. cons. 107. quæritur. sub num. 18. & 19. lib. 3. & tenet Mantic. tract. de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 17. in fine, sub num. 35. vers. sed hoc. idem, si ego dixero mercatori, quòd soluat Titio centum, quæ dicto Titio debeo, & mercator promisit Titio, quia ego tunc sum liberatus, vt retuli supra num. 63. quod est vtile scire, quia quotidie de facto contingit, vt scribit Paul. de Castr. in d. l. 58. qui vsumfructum. num. 3. q. vlt. & quòd ista sit consuetudo non solum in ciuitate Genuę, sed in tota Italia, vt promissio facta per campsorem, seu bancherium pro alieno debito, habeat vim solutionis, maximè quando in libris illius, qui erat creditor, facta est mentio de tali promissione bancherij, scribendo illum in debitorem in loco debitoris, & talem promissionem scribendo loco solutionis receptæ à creditore, & factæ à debitore, scribit Rot. Genun. decis. 4. dum iudicauit. sub num. 9. & 10. & ideo secundum Bal. quem sequitur Mantic. d. tit. 17. in fine, videndus est liber rationum, quomodo loquatur; hæcque omnia, quæ dixi in ista confirmatione, tenet explicitè Franc. de Aret. cons. 5. in causa & puncto ad me transmisso. & ex eo refert Affl. d. decis. 353. num. 3. in fine, dum scribit, dici delegationē, etiam si delegetur is, qui non est debitor delegantis, dummodo is promittat, & creditor acceptet; & benè Stracch. tract. de decoct. par. 5. num. 5. vers. incurrit. tom. 6. par. 1. fol. 320. admonens duo: primum, quòd inter mercatores pactum habetur loco stipulationis: secundum, quòd à consuetudine receptum est, vt postquam campsor, seu mercator promisit

creditori, & creditor approbauit, debitor censetur ipso iure liberatus: sed extra mercatores, & dempta consuetudine, ipse ex communiori sententia arbitratur esse necessariam stipulationem, & quòd campsor, promittens soluere, fit debitor debitoris, qui mandat, vt soluat: & sic ex his omnibus apparet, quòd debitor liberatur eo ipso, quòd creditor acceptat litteras cambij alicuius mercatoris, etiam si non sit debitor debitoris, quia, acceptando, videtur sibi satisfactum, & ex satisfactione sequitur liberatio debitoris, & quasi per nouationem contrahitur creditum cum noua persona.

Quamuis contra hanc confirmationem tenuerint Ang. Bar. & nonnulli alij, vt retuli infra num. 294. quamuis etiam Alex. supra citatus in d.l. qui vsumfructum. num. 7. in fine, ibi, vbi autem mandasses. faciat in effectu differentiam; an ego debitor mandem campsori, seu meo debitori, vt tibi promittat, & tu acceptas illius promissionem; quia isto casu ego sum liberatus; an verò mandem, vt soluat, & ille non soluat, sed promittat, & tu acceptas, quia isto casu non sum liberatus; quamuis etiam Hier. Gabr. cons. 155. iacobus, num. 20. lib. 1. faciat differentiam, an promittat soluere pro debitore, vt isto casu debitor non sit liberatus, quia non est facta nouatio; an verò promittat pro debitore, suscipiens in se onus illius, seu promittat loco debitoris, vel per similia verba, quæ ostendant voluntatem nouandi, & quamuis alios casus, qui confundunt, ponat num. 25. & seqq.

Confirmatur secundo, quia in cambijs primum extinguitur per secundum, & secundum per tertium, siue fiat inter diuersas personas, siue inter easdem, vt secutus sum §. præced. q. 5. num. 93. vers. aut petrus. ergo sic etiam dicendum est in casu, quo ex vno debito fiat cambium cum noua persona, vt per cambium extinguatur prius debitum.

Confirmatur tertio, quia in casu nostro debitor meus de mandato meo promisit soluere tibi creditori meo, & sic sumus in delegatione, qua debitor penitus liberatur, vt scripsi infra in 2. casu num. 280.

246 Secunda opinio contraria præcedenti, nempè, quòd ego non sim liberatus, duplici suadetur fundamento.

Primo, quia si ego do tibi scutos centum cambio, & tu facis litteras cambij, soluendas mihi à Petro, & Petrus interim fallit, & propterea vana redderetur litterarum acceptatio, quam is faceret, ego potero te cogere ad soluendum mihi dictos scutos centum, dummodo statim tibi scripserim cum protestatione, quòd non potui illos à Petro exigere, & tamen hic est casus, in quo ego acceptaui tuas litteras, & dictum Petrum pro meo debitore, Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 20. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. ratio est, quia in effectu inter me, & te est actum, quòd tu tenearis mihi facere litteras mandati, quæ cum effectu acceptentur, & earum vigore soluatur mihi, vel alteri in litteris nominato, Bal. cons. 349. factæ fuerunt. sub num. 2. ibi, or modo. lib. 1. & iste est casus sine controuersia, præsertim in ciuitate Genuæ, per ea, quæ secutus sum infra sub num. 322. ergo idem videretur dicendum in casu nostro, quando creditor acceptat à debitore sui debitoris litteras cambij, soluendas ab alio mercatore, qui, secuta interim scribentis litteras decoctione, litteras non acceptat.

247 Secundo (& fortius) quia si debitor accipiat cambio, & faciat litteras directas alicui mercatori in foro, vt eas soluat creditori, & ille mercator acceptet litteras, sed eas non soluat, creditor habet regressum contra suum debitorem, cui dedit cambio, & sic non est liberatus, per ea, quæ secutus sum infra sub num. 322.

248 Non recedo à prima opinione, quæ est vera, communis, & seruatur in praxi; & adductis pro hac secunda opinione satisfeci infra num. 315.

249 Verum, quia doctrinæ, adductæ pro prima opinione, quam sequimur, indigent multiplici distinctione, & materia est frequens, & ideo vtilis, statui, sumpta hac occasione, eam per quinque casus explicare, quorum primus erit sequens, & de secundo agemus infra num. 280. de tertio num. 293. de quarto num. 300. & de quinto num. 303.

PRIMVS casus est, quando ego debitor tuus, & creditor Ceuli cedo tibi hoc nomen Ceuli mei debitoris absentis, mandando ei in hac cessione, quòd soluat tibi: & iste est casus simplicis cessionis, quia debitor, cuius nomen tibi cedo, est absens, & ideo non potest dici, quòd consentiat, Io. Andr. in addit. ad Spec. tit. de cession. act. §. 1. in fine, in verbo, desunt. littera B, lib. 2. fol. 15. & clarius Montic. tract. de inuent. cap. 9. num. 79. & 80. tom. 8. par. 2. fol. 220. &, quòd cessio debi-

debitoris absentis, cuius propterea promissio non interuenit in cessione, non inducat delegationem, & consequenter deficiat nouatio, scribit Surd. cons. 145. scipio. sub nu. 4. vers. tertium quod. versus finem, lib. 1.

350 Huius cessionis plures sunt effectus.

Effectus primus est, quòd ista cessio non continet solutionem, vel satisfactionem, & ideo non liberat debitorem cedentem, Surd. d. cons. 145. sub num. 5. vers. secundo contra. & sub num. 6. & sub nu. 28. vers. non etiam. & satis probatur ex infra dicendis.

351 Effectus secundus, illatus ex hoc primo, est, quòd obligatio, & actio primæua remanent in suo robore, Surd. eod. cons. 145. sub num. 6.

352 Effectus tertius, qui etiam infertur ex his duobus præcedentibus, est, quòd cedens, qui cessit nomen debitoris, tenetur præstare, debitorem, cuius nomen cessit, fuisse locupletem, & soluendo, quia cessio habet hanc tacitam conditionem, vt creditor cessionarius, cui fuit facta cessio, habeat regressum contra cedentem, si à debitore cesso non potuerit consequi, Dec. cons. 99. in causa. sub nu. 4. Franc. Bec. cons. 105. ioannes. num. 1. & num. 34. in fine, vers. superest. & num. 35. Surd. d. cons. 145. scipio. sub num. 6. vers. secundo contra. & sub num. 28. in fine, lib. 1. & quòd cedens remaneat adhuc obligatus cessionario, scribit Montic. tract. de inuent. cap. 9. num. 80. in fine, tom. 8. par. 2. fol. 220. quia cedens per istam simplicem cessionem non dicitur soluere, vel satisfacere, Dec. d. cons. 99. sub num. 4. & Surd. d. cons. 145. sub num. 5. vers. secundo contra: quare tenetur facere debitorem cessum non solum bonum de iure, sed etiam de facto, ad differentiam delegantis, vt scripsi infra sub num. 283.

353 Effectus quartus, similiter illatiuus, est, quòd periculum nominis debitoris cessi remanet cedenti, Dec. sub d. num. 4. quem sequitur Bec. d. cons. 105. sub num. 35. ibi, secundo autem casu, & non creditori, cui facta fuit cessio, Surd. d. cons. 145. sub num. 6.

354 Declara istum effectum, vt sit verus, dummodo periculum, seu deterioratio nominis debitoris cessi processerit sine culpa, seu negligentia cessionarij, vt puta, quia cessionarius statim excusserit nomen debitoris cessi, & is fuerit repertus non soluendo, isto enim casu cessionarius habet regressum, quia periculum debitoris cessi spectat, vt dixi, ad ipsum cedentem.

Secus si periculum, & deterioratio processerit propter culpam, seu negligentiam cessionarij, vt puta, quia debitor cessus initio erat soluendo, sed propter negligentiam cessionarij euasit postea non soluendo, seu non idoneus; quia isto casu imputaretur cessionario, vt sequitur Franc. Bec. d. cons. 105. sub num. 25. ibi, hoc idem clarè.

355 Quare cessionarius, vt habeat regressum contra principalem debitorem, tenetur ad duo: primum, vt vtatur solicita diligentia in agendo contra debitorem, cuius nomen est sibi cessum, per ea, quæ dixi: secundum, vt diligentiam perducat ad finem, consequendo solutionem, aut declaratoriam iudicis, debitorem fuisse excussum, & repertum non soluendo; quia non sufficit diligentia vsque ad sententiam condemnatoriam, seu mandatum, & licentiam inclusiuè; imò neque vsque ad excussionem inclusiuè, nisi feratur interlocutoria super excussione, vt in alijs terminis dixi in meo tractat. de iudic.

356 caus. &c. lib. 1. cap. 76. sub num. 12. † & hoc tum quia cessionarius dicitur procurator in rem propriam, Iacob. de Aren. tract. de cess. act. num. 75. tom. 3. par. 2. fol. 77. (si ipse sit, qui illum tractatum composuit, postquam Bar. in l. 22. per diuersas. sub num. 12. negat esse Iacobi de Aren. sed cuiusdam Lombardi) Ioan. de Grass. tract. de cess. iur. §. 2. sub

357 num. 11. eod. tom. 3. par. 2. fol. 73. † & procurator debet consumare mandatũ susceptum, aliàs, non consumando, & non perficiendo, esset in dolo, l. 44. dolus. ff. mandat. Rot. Genuen. decis. 93. nomine. num. 9. & mandanti daretur actio mandati contra mandatarium, l. 22. si mandauero. §. vlt. ff. mand. & §. man-

358 datum. Instit. de mand. † & tenetur procurator ad iudicia etiam de leuissima culpa,

359 Aret. ibidem, num. 3. † tum quia cessionarius debet excutere nomen debitoris, vt dixi, & hoc est regulare, quando datur regressus; vt prius sit facta excusio; non tantum debitoris principalis, sed etiam fideiussoris dati ab ipso debitore principali, Bal. & Salye. in auth. sed hodie. num. 1. C. de act. & oblig. Petr. de Bellaper. in auth. hoc ita. vers. sed ponamus. C. de pign. & quo ordine procedendum sit ad excussionem, scripsi in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 76. sub num. 12. in futura impressione.

360 Imò vltra excusionẽ in bonis requiritur etiam excusio in personam, nẽpè vt cessionarius faciat carcerari debitorem, cuius no-

men eſt ſibi ceſſum, aut ſaltem conſtet, ipſum fugam arripuiſſe, ſeu aliter capi, ſeu inueniri non poſſe, & hoc per relationem birruariorum, ſeu nuntiorum.

261 Et vlterius, quia ceſſionarius eſt procurator, vt dixi ſupra num. 256. 257. & 258. ideo tenetur etiam defendere cedentem ſecundum communem, & veram opinionem, quam poſt Gul. quem citat, firmat Bal. in l. ſi quis. num. 2. verſ. quarto. ff. de procurat.

262 Et demum, facta excuſſione, ceſſionarius, ſi nihil conſequi potuit in bonis debitoris ceſſi, habet pro toto debito regreſſum contra cedentem, ſed ſi aliquid in bonis debitoris ceſſi conſequi potuit, habebit ſolum regreſſum pro ea parte, quam conſequi non potuit, quia non propterea ceſſio reſoluitur in totum, Rot. Genuen. deciſ. 156. cum paulus. num. 6. in fine, & num. 7.

263 Ratio autem quare ceſſionarius debeat vti diligentia ſtatim, aliàs periculum ſpectet ad eum, eſt; quia cedens tranſtulit poſſeſſionem nominis debitoris ceſſi in ipſum ceſſionariũ, cum ceſſio actionis in incorporalibus habeat vim traditionis, quæ fit in corporalibus, Gl. in l. vlt. ad eum. in verbo, portionibus. ff. de donat. Io. de Graſs. tract. de ceſs. iur. num. 8. tom. 3. par. 2. fol. 74. Rol. à Val. tract. de dot. q. 11. num. 11. tom. 9. fol. 355. Oſaſch. deciſ. 51. georgius. num. 5. Tiraq. de retr. lign. §. 1. gl. 7. num. 12. verſ. hinc quoque. & Gl. prædictam communiter teneri, ſentit Bar. in d. l. ad eum. ſub num. 1. Et quòd ceſsio nominis debitoris operetur idem, quod traditio in corporalibus, ſcribunt Io. Dilect. tract. de art. teſtan. tit. 6. caut. 27. nu. 3. tom. 8. par. 1. fol. 131. & Surd. conſ. 145. ſcipio. num. 37. in fine, & num. 38. lib. 1. & quod ceſsio habeatur pro traditione, ſi cedens velit transferre ius totale, ſcribit Bar. in d. l. ad eum. nu. 3. † & quòd ceſsio transferat dominium,

264 & habeat vim traditionis, ſcribit Cauenſ. ſuper rit. 286. num. 7. & vltra iſtam tranſlationem poſſeſsionis transfert etiam in ipſum ceſsionarium omnes actiones, & facit eum procuratorem in rem propriam, ſeu irreuocabilem, in tantum, quòd ſi ceſsio ſit facta ad commodum ceſsionarij, & eius periculo, cedens agere non poſsit, quia obſtat ei exceptio ceſsionis, alteri factæ, Oſaſch. deciſ. 62. mulier. num. 1. & Teſs. Foſſan. deciſ. 201.

265 donator. num. 2. † ſi verò ſit facta ad commodum cedentis, ſeu inquam cedentis principaliter, & ſecundario ceſsionarij; tunc licet apud ipſum cedentem remaneat actio directa, & efficax, ideoq; debitor ceſſus poſſit adhuc ei rectè ſoluere, tamen ei ſoluere non poteſt ſi ceſsionarius cum debitore ceſſo litem ſit conteſtatus, vel ab eo partem debiti receperit, vel ei denunciauerit, ne in poſterum cedenti ſoluat, l. 3. & ibi Doct. C. de nouat. Spec. tit. de ceſs. act. §. conſequenter. in fine, num. 10. lib. 2. fol. 16. Oſaſch. d. deciſ. 62. ſub num. 1. verſ. ſi verò. & ſub

266 num. 9. & Teſs. d. deciſ. 201. ſub num. 5. † & quia ceſſionarius præfertur cedenti, poteſt, agendo, præuenire cedentem, cum cedens ceſſerit ei ius actionum, Franc. Becc. d. conſ. 105. num. 17. Ergo ſi ceſsionarius negligenter verſatus eſt in re, ſibi tradita, & negligenter vſus eſt mandato, quod ſuſcepit, & ex ſua negligentia cauſatum eſt damnum, ipſe ad illud teneri debet.

267 Ex prædictis vides, quomodo debitor, cuius nomen ceditur, remaneat obligatus cedenti, & ceſsionario, vt ſcribit Montic. d. tract. de inuent. cap. 9. ſub num. 80. & quòd cedens non liberatur à ceſsionario, ſed remanet eius liberatio in ſuſpenſo.

268 Subdeclara eandem declarationem, poſitam ſupra num. 254. & ſeqq. de excutiendis bonis debitoris, cuius nomen eſt ceſſum, antequam ceſſionario detur regreſſus contra cedentem; vt non procedat, quando bona debitoris ceſſi ſunt talia, vt commodè vendi non poſſint, ſeu ſunt valdè intricata, vt extricari non poſſint ſine longa mora, & ſine impenſa non leui, & ceſſionario debetur pecunia, quia iſto caſu ceſſionarius poſſet, omiſſa excuſsione, tanquam ſi nulla bona extarent, habere regreſſum contra cedentem, cum paria ſint, bona non extare, vel extare inutiliter propter difficultatem in eorum venditione, neque ceſsionarius tenetur capere illa bona in ſolutum, cum aliud pro alio, inuito creditore, ſolui non poſsit, Rot. Genuen. deciſ. 156. cum paulus. num. 7. & ſeqq. & in ſimili creditor poteſt conuenire fideiuſſorem, omiſſo principali, & etiam pignore, ſi nec pignus, nec bona debitoris principalis commodè vendi poſsint, quia eſt, ac ſi non extarent, Paul. de Caſtr. in l. 51. inter eos. §. creditor. ff. de fideiuſs. & mand. quod dicit, eſſe menti perpetuò tenendum, quia neſcit alibi iſtud dictum, & facit aliqualiter limitatio, quam ſcripſi in meo tract. de indic. cauſ. lib. 1. cap. 62. ſub num. 24. limit. 4.

Infere-

269 Inferebam alias ex hac declaratione, & subdeclaratione ad aliquas difficultates super cessione iurium, facta à Philippo ad fauorem Nicolai, & deinde ab eodem Nicolao ad fauorem Iulij, sub diuersa tamen forma; nam Philippus cesserat Nicolao certum marauedinorum numerum, risico, periculo, & commodo ipsius Nicolai, hoc est, siue illi marauedini, quos cedebat, essent plures, siue pauciores, quia tunc non erant liquidati, sicq; videbatur ipsum Nicolaum facere cessionarium participem pro rata illius numeri marauedinorum; at Nicolaus cessit deinde Iulio simpliciter eundem certum numerum marauedinorum sub istis verbis: *& mi obligo, che per quanto tocca al mio fatto, & caso proprio, & del predetto Filippo, li saranno certi, & sicuri, donde nò, li pagarò de miei beni; parimente in reali di Spagna.* & Iulius eo modo, quo sibi erāt cessi à Nicolao, cessit Ambrosio, qui; cum illos non posset in totum exigere, quia, prout fuerunt postea liquidati, &, stante participatione Nicolai, non ascendebāt ad totum numerum, sibi cessum, agebat contra hæredem præfati Nicolai, eo, quia ipse Nicolaus se obligauerat pro dato, & facto Philippi, cuius facto Ambrosius dicebat, se non posse exigere, quia Philippus cesserat numerum incertum, pēdentem à futura liquidatione, & tamen potuisset cedere certum, & sufficiētem, si non fecisset participem Nicolaum; nā pro plena huius cessionis cognitione sciendū est, quod cum Hispaniarum Rex anno 1596. esset debitor quatuor, seu quinque Genuensium in certis computis, seu millionibus scutorum, decreuit hæc computa soluere ex aliquibus annuis reditibus Regijs, quos propterea eisdem creditoribus assignauit: & vlterius, vt rei militari, statui, & exercitibus Flandriæ prouideret, cum eisdem creditoribus nouum contraxit debitum computorum septem cum dimidio scutorum, soluendorum infra menses decem & octo, tàm ex alijs reditibus, quàm ex pecunijs, classe maritima, seu, vt vocant, flotta, transuehendis ex Indijs pro

270 Regnis Hispaniarum. † Sed cum reditus, & pecuniæ destinatæ pro solutione præfati debiti non omnino satisfecissent, & cōsequenter Rex remaneret adhuc debitor tàm capitalis, quàm interusuriorum, ijdem creditores, qui habebant alios participes, fecerunt inter se calculum, seu, vt dicunt Hispani, *tanteum*, & calcularunt eorum creditum ad 160. computa marauedinorum, & iuxta hunc calculum ea ad ratam inter se diuiserunt: deinde quisque eorum fecit de suo credito debitas cessiones suis participibus; & inter alias fuerunt cessa Philippo computa tria marauedinorum, 224. V. 618. ex quibus Philippus prædicto Nicolao per modum participationis cessit marauedinos 722. V. 249. & Nicolaus eosdem cessit simpliciter Iulio, & Iulius Ambrosio, vt dixi su-

271 pra num. 269. † His calculo, & cessionibus inter se factis, Regij ministri, quibus postea fuit iniunctum onus calculandi præfatum debitum, retulerunt, deputatos, vt aiunt, medij generalis, remanere creditores, non in computis 160. vt ipsi calcularunt, sed solum in computis 106. & ideo tam calculum à deputatis factum, quàm cessiones inde secutas declararunt nullas: Postea alij computistæ Regij retulerunt, in prædicto calculo fuisse adhuc erratum ad præiudicium Regis; quare Consilium Azendæ, siue redituum Maiestatis Catholicæ per modum prouisionis die 4. Maij 1604. decreuit, quòd ex dictis computis 106. detraherentur computa 20. & reliqua computa 86. soluerentur vsque quò

272 finalis calculus absolueretur, † Et proinde cū Philippus ex hoc alio repartimento cōputorū 86. iuxta prouisionē Consilij remanserit cessionarius solum in computis duobus, & 116. V. 853. & consequēter Nicolaus cessionarius, siue verius Ambrosius non potuerit consequi marauedinos 722. V. 249. sibi cessos, sed solum maraued. 474. V. 130. quia si Nicolaus in rata triū computorū participat 722. V. marauedinos, non potest totidē par-

273 ticipare in rata computorum duorū; † diminuto enim numero quotæ maioris, quæ erat Philippi, necessariò minuitur proportionabiliter numerus quotæ minoris, quæ est Nicolai; sicq. Ambrosius, cum remaneret creditor Nicolai in marauedinis 248. V. 119. vnà cum interesse, agebat, vt dixi, contra hæredem, quasi ex facto Philippi, pro cuius facto promisit Nicolaus, non potuerit consequi integrū numerum marauedinorū sibi cessorum.

Difficultates, quas Ambrosius actor adducebat contra reum conuentum, erant tres.

274 Prima, quòd, cum Philippus, admisso etiam calculo 86. computorum, remaneret adhuc creditor in computis duobus, vtique, nisi per modum participationis fecisset cessionem Nicolao, sed fecisset eam simpliciter, Nicolaus, & consequenter Iulius, siue

Ambrosius consequi potuissent integrum numerum marauedinorum sibi cessorum, sed Nicolaus, cedédo Iulio, siue velimus dicere, Ambrosio, obligauit se pro dato, & facto Philippi, & constat, quòd ex facto Philippi non possunt solutionem consequi, quia in cessione, quæ ad ipsos peruenit, Philippus addiderat qualitatem participationis, quæ ipsam cessionem minuit, vt dixi num. præcedenti. & hoc erat præcipuum fundamentum.

Secunda, quia quãdo bona debitoris cessi sunt talia, vt commodè vendi non possint, seu sunt ita intricata, vt sine longa dilatione, & impensa non leui extricari non possint, & cessionario debetur pecunia, tunc cessionarius potest, omissa excussione, habere regressum contra cedentem, tanquam si nulla extarent bona, quia paria sunt, bona non extare, vel extare inutiliter, vt secutus sum supra num. 268.

Ergo cum ius, cessum Ambrosio, sit ita perplexum, vt videatur inextricabile, debet posse habere regressum contra cedentem.

Tertia, quia, admisso etiam calculo computorum 106. adhuc non remaneret numerus marauedinorum cessorum: ergo cedens omnino tenetur.

Contra Ambrosium actorem adducebantur quatuor difficultates.

275 Prima, quia venditor, promittens de euictione pro dato, & facto suo, imò promittens generaliter iuxta formulas, positas à Caball. in tract. de euict. in §. fin. non tenetur de euictione, nisi ea sit secuta, Caball. vbi sup. §. 3. num. 160. & ideo, pendente controuersia, non tenetur, Caball. vbi sup. §. 5. num. 86. quamuis immineat periculũ euictionis, idem eod. §. 5. num. 48. quare licet emptori in vno capite intẽtato deficiat defensio propter factum ipsius venditoris, tamen sufficit, quòd superfit in alio; Ergo; cum cessionarius non possit adhuc dicere, cessionem esse inutilem, sed solum esse eius solutionem redditam dubiam, & dilatam; non potest agere contra cedentem.

276 Secunda, quia cessio in his, quæ disputationem admittunt, intelligitur contra cessionarium, Franc. Bec. cons. 105. in fine. Sed hæc cessio redditur disputabilis, & non secura, tàm ex facto Philippi, qui eam fecit per modum participationis, quàm ex facto eorum, qui differunt solidare calculum, ergo debemus respondere contra cessionarium.

277 Tertia, quia cessionarius, & emptor videntur in substantialibus à pari procedere; nam venditor cedit emptori iura, & facit eum procuratorem in rem propriam, & hoc idem facit cedens; & ideo sicut emptor tenetur defendere rem emptam, ita etiam cessionarius tenetur defendere rem cessam, vt secutus sum supra num. 261. & ideo non potest habere regressum contra cedentem, nisi ad finem perduxerit mandatum susceptum vsque ad sententiam diffinitiuam, & excussionem; aliàs, non consumando, & non perficiendo onus mandati suscepti, esset in dolo, & mandanti, qui est cedens, daretur actio mandati, vt secutus sum supra num. 255. & seqq. vel saltem ex hoc repelleret cessionarium agentem contra ipsum cedentem.

278 Quarta, quia, supposito etiam, quòd in computis 106. Ambrosius cessionarius non possit consequi marauedinos 248. V. 119. tamen hæres Nicolai replicabat, debitum Regis ascendere vltra summam dictorum computorum 106. cum ministri Regij retulerint, illud debitum esse vltra alias partitas, quas de consensu notarunt, in illis verbis. *de mas de otras partidas, que appontaron.*

Volui in hac materia has difficultates referre, quamuis Rota illa non determinauerit, quæ magis stringerent, & quis eorum iustiora indueret arma; redeo ad cessionis materiam.

279 Amplia omnia, quæ de cessione nominis debitoris dixi supra sub num. 249. & seqq. vt procedant etiam quando ceditur nomen debitoris inuiti, cum hæc cessio possit fieri, etiam debitore inuito, Io. Andr. in addit. ad Spec. tit. de cess. act. §. 1. in verbo, desunt. in fine, lib. 2. fol. 15. hæcq; cessio dicitur cessio hominis ad differentiam cessionis, quæ dicitur legis, vt per Montic. tract. de inuent. cap. 9. num. 79. tom. 8. par. 2. fol. 220.

Et huius ampliationis termini sunt diuersi à terminis nostræ quæstionis, de qua supra nu. 244. quia in illa quæstione debitor, cuius nomen ceditur, non solum consentit, sed etiam promittit creditori cessionario, & consequenter potest dici delegatio, vt dixi in casu seq. at in terminis huius ampliationis debitor, cuius nomen ceditur, non consentit.

Et hæc de primo casu, posito supra sub num. 249.

280 SECVNDVS casus est, quando ego debitor tuus, & creditor Ceuli, cedo tibi hoc nomen Ceuli præsentis, & mando ei, vt tibi soluat,

soluat,& ipse,acceptando mādatum meum, tunc, vel postea tibi præsenti promittit soluere; tuq; recipis illam promissionem:& iste est casus delegationis, quia fit cessio cum consensu debitoris, cuius nomen ceditur,Io. Andr.in addit.ad Spec.tit.de cess.act.§.1.in fine, in verbo,desunt. lib.2. fol.15. Paul. de Castr.in l.58.qui vsumfructū. versus finem, sub num.3.ibi.aut habebat.ff.de verb.oblig. dicens, quòd si campsor, qui iussu meo promittit soluere meo creditori, habebat meam pecuniam,& sic erat debitor meus,oritur delegatio, per quam tàm olim, quàm hodie fit nouatio,& strictius ibidem Alex.sub num.5. dicens, quòd debitor liberatur per delegationem, quæ fit, si interueniat stipulatio, & delegatus sit debitor delegantis, & promittat tanquam debitor delegantis,& tanquam eius debitor delegetur, alias, inquit, non est

281 delegatio,†Dec.in l.15.singularia.sub num. 26. ibi, secundo principaliter. & num.27.ff. si cert.petat. cuius doctrinam,eo non citato, sequitur in effectu Rot. Genuen. decis.19. nos auditores. num.7.&, eo citato, decis.2. erant. sub num.22.23.& 24.& eo,aliisq; citatis, sequitur Surd.decis.23.creditores. sub num.5.& 6.& cons.145. scipio. sub num. 2. & 3.lib.1. inquit Dec. quòd opinio Bartoli, (quam retuli supra nu.63.)procedit,si commissio facta sit mercatori per viam delegationis, quia per delegationem inducitur nouatio,& qui delegat, soluit,quia dat nomen debitoris in solutum,& delegatio secundum communem opinionem fit, inquit, tribus concurrentibus; Primo, quòd delegatus sit debitor delegantis, (& ego dico,hoc requitum in cessione semper ex substantia cessionis inesse, quia non potest fieri cessio,nisi is, cuius nomen ceditur, sit debitor cedentis,) Secundo, quòd delegatus promittat per stipulationem de mandato ipsius delegantis. Tertio, quòd promittat tanquam debitor, Montic.tract.de inuent.cap.9.num.79.tom. 8. par. 2. fol. 220. Rot. in Romana litterarum cambij, ven.3.& 12.martij 1595.num. 3.& 4.coram R. P. D. Sacrato, in impressis apud Marches. de commiss. par. 1. §. 2. fol. 873.& quòd ad inducendam delegationem requiratur,quòd mandans solutionē,sit creditor illius,cui mādat, & mandet illi,vt tanquam suus debitor se obliget suo creditori, & quòd ista obligatio acceptetur à creditore, cui est soluendum, dixit Rot. decis. 51. quia dominus. nu.4.in Roman.cambiorum, lunæ 9. Iunij 1605. coram Illustris. Card. Ludouisio, in recollectis per Statil. Pacif. Surd.cons.145.scipio: num.4.lib.1.vbi de communi opinione; & in casu huius cessionis; quæ est propriè delegatio, cedens, seu delegans dicitur soluere; quia delegatio fit

282 per nouationem, vt dixi, † & nouatio æquiparatur solutioni, Glos.in rubr.ff.de solut. & delegans dicitur soluere, vt ex Dec.dixi hic supra;& quòd delegatio fit similis solutioni, & cedat eius loco, dicit Surd. d. decis. 23. creditores. num.1.& ideo delegans amplius non possit molestari, etiam si contingat,delegatum deficere facultatibus,quia, facta delegatione, fuit statim liberatus ipso iure,dicit Surd.d.decis.23.num.3.4. & 8. quare si creditor acceptat delegationem, debitor, qui delegauit, liberatur,Rot. Genuen decis. 60. in causa stephani. num.10. in fine,& nu. 11.ac si soluisset, Montic. d.cap. 9. num.79. in fine, & num. 80. & Dec.cons.99.in causa sub nu.4.quoniam dicitur fieri delegationē, quando debitor promittit pro creditore de voluntate creditoris, & sic promittit, tanquam debitor delegantis, Paris. cons. 107. quæritur. num.20. & 21. lib.3. † & ideo is,

283 qui, cedendo, delegauit, non tenetur ad aliud, quàm ad ostendendum, debitorem delegatum fuisse verè, & efficaciter debitorem delegantis,iuxta ea,quæ scribunt Ioan. Andr.in addit. ad Spec. tit. de cess. act. §.1. num.22.in verbo, tutores. versus finem, littera B. & latius Franc. Bec.cons.105. ioannes.num.13.18.19.& sub num.35. lib.1.dicens,quòd vendens, dans insolutum,seu delegans nomen debitoris,non tenetur præstare debitorem locupletem,sed solum,eum esse verum debitorem, & efficaciter obligatum, & sic debere præstare, se esse creditorem cum effectu, & sine exceptione; non autem facere eum bonum, idest,esse soluendo, quia tenetur facere bonū de iure, idest,obligatum esse, non autem de facto, idest, soluendo esse, Surd.cons.penult.452. visis.nu. 14.in fine, & num.15. lib.3. dicens, quòd si creditor acceptat à suo debitore nomen debitoris in solutum, sibi præiudicat, etiam si non esset soluendo, quia in ipsum transfuit omne periculum, & dicitur ipsi satisfactum, & sufficit, quòd cedens nomen debitoris, præstet, illum esse verum debitorem, & efficaciter obligatum, non autem tenetur præstare, illum esse locupletem, & soluendo, & imputet sibi, qui acceptauit in solutum, &

se

ſe prius non informauit, an eſſet ſoluendo.

284 Et iſte videtur caſus, de quo in noſtra quæſtione, poſita ſupra num. 244. quia interuenit conſenſus debitoris ceſſi, ſeu delegati, & conſenſus creditoris, cui fit ceſſio, & promiſſio per eundem debitorem delegatum, & ſic omni ex parte eſt abſoluta delegatio, per quam eſt inducta nouatio, & conſequenter liberatio debitoris cedentis, ſeu delegantis, dummodo, vt dixi, oſtendat, debitorem ceſſum fuiſſe verè eius debitorem; & proinde in terminis noſtræ quæſtionis vera eſt prima opinio affirmatiua, poſita ſupra ſub eodem num. 244. & quòd ſi mercatori debitori meo mandem, vt ſoluat, quod mihi debet, Lucio, mercatorq; acceptet, & in libro Lucium faciat creditorem, idq; ſignificet Lucio, & ille acceptet, ſit facta nouatio, & ego ea promiſſione ſim liberatus, quamuis non ſit delegatio, quia ſine ſtipulatione non fit delegatio, ſequitur Hier. Gabr. conſ. 155. iacobus. num. 18. & 19. lib. 1.

285 Declara, quod etſi delegatio fiat illis tribus requiſitis, quæ in iſto ſecundo caſu ex Dec. & alijs ſecutus ſum ſupra ſub num. 281. & tunc delegatio liberet ipſo iure delegantem, vt dixi ſupra num. 282. etiam ſi debitor doloſè delegaſſet, quia remaneret creditori actio de dolo. Surd. d. deciſ. 23. ereditores. num. 4. & 11.

286 Tamen ſi in delegatione ſint appoſita pacta contraria, non dicetur delegatio; vt puta, ſi eſſet appoſitum pactum, quòd debitor delegans teneatur, bonum facere nomen debitoris delegati, vel, quòd debitor delegans non intelligatur, nec ſit liberatus, niſi, facta actuali ſolutione à delegato, vel ſit appoſitum pactum, inter partes conuentum, quòd ſalua ſint iura hypothecæ contra ipſum debitorem delegantem, quia eiuſmodi pacta inficiunt naturam delegationis, Surd. d. deciſ. 23. num. 6. in fine, ſub num. 7. verſ. fuit. & ſub num. 9. ibi, eodem quoque. & ſic non eſt delegatio, ſed potius ceſſio, cui conueniunt eiuſmodi pacta, quibus qualitatem contractus, & non verbis ſignificari, latè ſcripſi in meo tract. de iud. cauſ. lib. 2. cap. 9. nu. 1347. 1352. & ſeqq.

287 Huius ſecundi caſus, nempè, delegationis, effectus ſunt numero, & qualitate de diametro oppoſiti effectibus primi caſus præcedentis.

Effectus primus eſt, quòd delegatio, per quam nomen debitoris datur in ſolutum, continet ſolutionem, & ideo liberat debitorem delegantem, vt ex Dec. & alijs ſecutus ſum ſupra num. 280. & ſeqq.

288 Effectus ſecundus eſt, quòd obligatio, & actio primæua regulariter per delegationẽ, ſeu nouationem extinguuntur, & non reuiuiſcunt, etiam ſi debitoris nomen ſit euictum, Surd. conſ. 145. ſciplo. ſub num. 13. verſ. his verò. num. 20. verſ. quarto extant. & verſ. quinto hoc. ſub num. 21. & 23. lib. 1.

289 Ratio huius effectus eſt, quia ſolutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, vt ſcripſi ſupra ſub num. 18. & nomen debitoris ſolui poteſt pro quantitate, & quando nomen debitoris datur in ſolutum pro aliquo debito, perinde eſt, ac ſi res ipſa debita ſolueretur, ideoq; ſicut, ſoluendo id, quod debetur, tollitur obligatio, ita etiam quando aliud ſoluitur loco eius, quod debetur, quia aliud pro alio ſolui poteſt, conſentiente creditore, actio autem ſemel extincta per ſolutionem, vel alio modo, nunquam reuiuiſcit, & quod ſemel legitimè factum eſt, retractari non poteſt ex caſu ſuperuenienti, Surd. d. conſ. 145. num. 14. 15. 16. & 17. & deciſ. 266. quæſtio. num. 5. & ſeqq. & ſcripſi ſupra ſub num. 89. verſ. intellige hanc.

290 Declara hanc rationem, vt procedat indiſtinctè, & indubitanter, quatenus traditum, ſeu ſolutum pro diſſolutione obligationis manet ſine auocatione, aut euictione; quia eatenus neceſſariò ſublata intelligitur omnis obligatio, cum alias implicaret contradictionem, quòd quid ſolueretur, & ſtaret ligatum, vt in alio propoſito ſcripſi ſupra ſub num. 89. verſ. infero. in fine.

Secus quando traditum, ſeu ſolutum non permanſit irreuocabiliter; ſed fuit auocatum, ſeu euictum, quia tunc, an iſte effectus, eiuſq; ratio ſint veri, magna eſt inter Doct. controuerſia, pro cuius compoſitione ego, diſtinguendo breuiter aliquot caſus, diuerſos ab iis, quos collegit Surd. d. conſ. 145. num. 34. firmabo in eis concluſiones, ex quibus, vt arbitror, omiſſo vagæ, & nimis ancipitis diſputationis anfractu, controuerſiam conciliabimus.

Primus caſus eſt, quando auocatio, ſeu euictio ſecuta deſtruit obligationem, ita vt illi non poſſit propriè, directè, & in indiuiduo ſatisfieri, & conſequenter lex ſuccurrit alio remedio, vt cuique ius ſuum reddatur; & iſto caſu concludo, non dari primæuam actionem, quia eſt extincta ſine reuiuiſcẽtia.

Exem-

Exemplifica, & ostende veritatem huius conclusionis, quando vendens domum, recepto pretio, eam tradit emptori, seu promittit infra certum tempus tradere, & tradit, quæ postea ab alio, siue ex defectu dominij, siue per hypothecariam euincitur, quia tunc is, qui eam emit, potest aduersus venditorem agere de euictione tacita, si de ea sibi expresse non cauerit in emptione, & de expressa, si expressè de ea sibi cauerit, Caball.tract.de euict.§.2.n.3.1.& 2.tom.6. pat.1. fol.83.hacq; actione cogitur venditor soluere interesse, Caball.d.§.2.n.5.eod.fol. 83. dummodo præcesserit denunciatio litis in casu, quo denunciatio sit necessaria, iuxta ea, quæ scripsi in meo tract.de iud.caus.&c. lib.1.cap.30.sub num.7.& seqq.sed non potest redire ad primæuam actionem, vt domum tradat, quia, si ex iustitia pertinet ad alium, impossibile est, vt obligationi tradendi eam possit satisfieri,& impossibilium nulla remanet obligatio.

Infero primo notabiliter, quòd si venditor pro sola obligatione tradendi domū emptori dedisset fideiussores, & obligasset bona, fideiussores, & pignora obligata essent omnino exonerata, licet si venditor promisisset tradere domum liberam, & huic promissioni accessissent fideiussores, & pignora, remanerent adhuc obligati ad interesse, & sic de euictione.

Infero secundo, quòd si domus euicta rediret in potestatem,& dominium venditoris, posset forsan emptor agere ex primæua actione, re tamen integra; quia posset satisfieri obligationi in indiuiduo, & esse locus primææ actioni; quod ego infero præter omnes.

Secundus casus est, quando est initus nouus contractus, cum recessione à primo, & isto casu concludo idem, quod in præcedenti, nempè, non posse agi ex primæua actione, quæ competebat ex primo contractu, sed agendum esse actione secundi contractus, cum à prima sit recessum.

Exemplifica primo, & ostende veritatem huius conclusionis, quando creditor cum pignore impetrauit à Cæsare, seu à Magistratu, sibi pignus adiudicari, dariq; in solutum, quia tunc creditor recedit à contractu pignoris, & celebrat contractum adiudicationis, vnde si pignus euincatur, creditor non potest contra debitorem agere actione pignoratitia, sed aget actione vtili ex empto de euictione, quia per dationem in solutum fuit recessum à pignore, eiusq; actione, l.24. eleganter. ff.de pign. act. & ita in adiudicatione in solutum fuisse iudicatum per Senatum Mantuanum scribit Surd. decis. 266. quæstio. sub num. 3. vers. credidit. & num. seqq.& dixi infra sub num.291.

Extende hanc exemplificationem, vt procedat, siue ista datio in solutum fiat auctoritate iudicis per viam subhastationis, vt in exemplificatione, siue fiat ab ipso debitore, Bal.in l.8.libera.num.5.vers.sed nunquid. in fine. C.de sent.& interl.omn.iud. quia æquè dicitur nouus contractus.

Restringe primo eandem exemplificationem de datione in solutum, vt non procedat in dote, quia fauore dotis durat actio primæua, Bal.in d.l.libera.sub nu.4. vers. sed contra.& Salyc.sub num.2. C.de sent. & interl. omn. iudic.

Restringe secundo generaliter, vt non procedat quando creditor, cui debitor dat aliquid in solutum, accipit cum protestatione, quòd non vult recedere à primæua actione, nisi res data efficiatur sua irreuocabiliter, vt dixi sub num. seq.

Exemplifica secundo in delegatione, quia semper celebratur nouus contractus, & ideo ex primæua actione agi non potest, sed ex noua, vt in delegatione loquitur Surd. citatus supra num. 288. & 289.

Tertius casus est oppositus primo, quando auocatio, seu euictio non destruit obligationem, quin possit illi adhuc directè, & propriè satisfieri, ita ac si obligationi nullatenus esset satisfactum; & isto casu concludo posse agi ex primæua actione, & consequenter non esse alio remedio succurrendum.

Exemplifica primo, & ostende veritatem huius conclusionis, quando quis debet pecuniam, & pecuniam soluit, quæ postea creditori auocatur, seu euincitur, quia creditor potest ex primæua actione agere contra debitorem ad soluendum, l. 18. deferre. §. fin. cum l.seq.ff.de iur.fisc. Bal.in l.8.libera. nu. 6. vers.quæro quid si pecunia. C. de sent. & interloc.omn.iud.& Surd.d.cons.145. num. 34.in primo casu, lib.1.

Infero ex hac exemplificatione, quòd creditor poterit agere ex primæua actione contra debitorem, fideiussores, & pignora, d.§. fin.& Bal.in loco supra proximè citato.

Ratio huius exemplificationis est, quia pecunia recipit semper eandem functionem, & nulla

& nulla conſideratur diuerſitas, ideoq; nulla poteſt adeſſe læſio, vel inæqualitas; & proinde reputatur idem; quod non eſt in alijs mercibus, & rebus, inter quas ſicut eſt diuerſitas, ita etiam poteſt eſſe diſparitas, & inæqualitas, ita vt qui daret vnum pro alio, non diceretur dare id, quod tenetur dare; ſecus eſt in pecunia, quia non dicitur vnum pro alio, & conſequenter, ſi aliam faciat ſolutionem, ſatisfacit propriè, & directè primæ obligationi.

Infero ex hac ratione, bonam non eſſe rationem, quam adducit Bal. vbi ſupra, dicens, quòd ſic ſoluendo non eſt initus nouus contractus, ex quo agi poſſit de euictione, & quam adducit Surd.d.conſ.145. ſub num. 35. verſ.præterea vbi. dicens, quòd vbi pecunia ſoluitur pro pecunia, non celebratur aliquis nouus contractus, & conſequenter, niſi remaneret primæua actio, creditor remaneret in damno, cum ei de alio remedio prouiſum non ſit: nam tuit hæc ratio, quia etiam in contractu emptionis, & venditionis non celebratur alius nouus contractus, & tamen non remanet primæua actio, per ea, quæ dixi ſupra in primo caſu. 291

Exemplifica ſecundo, quando datur ſpecies pro ſpecie, ſeu genus pro genere, quia ſpecie, ſeu genere euicto, poteſt agi ex actione primæua, Gl. vlt. in d.l. libera. & ibi Cyn. num. 1. Bal. num. 2. verſ. ex hoc ſequitur, & Saly.c. verſus finem, & Surd.d.conſ.145. ſub num. 34. in ſecundo caſu.

Ratio huius exemplificationis eſt eadem, de qua in præcedenti exemplificatione, cum in ſpecie, ſeu genere reperiatur tanta conformitas, vt vnum non dicatur diuerſum ab alio, ſed reputetur idem.

Quicquid ſcripſerint Bal. in d.l.1. ſub nu. 1. & 3. dicens, quòd quando datur ſpecies pro ſpecie, vel genus pro genere, puta, pro vino frumentum, tunc iſte, inquit ipſe, eſt contractus ſimilis permutationi, vel contractui innominato, do vt des, cum contractus accipiant naturam à ſuo ſimili, & ex rebus, quæ deducuntur in contractu, oriatur differentia contractuum, ſentiens Bal. vbi ſupra, in permutatione agi ex primæua actione; quod mihi videtur negandum, quia permutatio adeo in hoc eſt ſimilis venditioni, vt nulla poſſit dari ratio diuerſitatis; quare ſicut in emptione agitur de euictione, vt dixi ſupra in primo caſu, ita etiam de euictione agi debet in permutatione. 292

Alios duos caſus, quos ponit Surd. d. conſ. 145. ſub num. 34. in tertio, & quarto caſu, & colligi poſſunt ex traditis à Cyn. in l.8. libera. ſub nu. 1. C. de ſent. & interl. omn. iud. nempè, quando datur ſpecies pro genere, vel genus pro ſpecie, omitto, quia non ſatisfaciunt.

Subdeclara hanc declarationem in prima parte, dum diximus, agi non poſſe ex primæua actione, quando res manet illius, cui eſt data, vt hoc non ſit verum, quando id, quod datur, ſeu ſoluitur, eſt reprobum, vt puta, quia debitor ſoluit reprobos nummos, quia tunc, re reproba datori reſtituta, poteſt agi ex actione primæua, cum non dicatur ſolutum, l. 24. eleganter. §. qui reprobos. ff. de pign. act.

Et hic erit quartus caſus, in quo poteſt agi ex primæua actione, ſed eſt extra terminos ſecundæ partis declarationis, quia iſto caſu res data, ſeu ſoluta non eſt euicta.

Effectus tertius, qui infertur ex ratione, de qua ſupra num. 289. eſt, quòd debitor, qui delegauit, non tenetur præſtare, debitorem delegatum eſſe locupletem, & ſoluendo; vndelicet iſte debitor delegatus ſtatim decoxerit, tamen delegans eſt liberatus, Surd. d. conſ. 145. ſcipio. ſub n. 21. lib. 1. nam imputet ſibi creditor, qui loco ſolutionis acceptauit illud nomen in ſolutum, Surd. vbi ſup. ſub n. 18. verſ. ſecundo quia. & facit ad hoc, quod de mercatore acceptato pro debitore, & fugiente, ſeu rumpente, ſecutus ſum ſupra ſub num. 244. & facit quod ſcripſi in ſeq. quarto effectu; tenetur ergo delegans præſtare ſolum, debitorem delegatum eſſe verum debitorem delegantis, vt ſecutus ſum ſupra num. 283. Et quòd, ſi debitor cum fideiuſſore det creditori rem aliquam in ſolutum, quæ poſtea euincatur, non poſſit creditor, ſecuta euictione, moleſtare fideiuſſorem, quia actio primæua fuit extincta, & propterea quòd, ſi debitor non eſſet ſoluendo, nullum remedium competeret creditori contra fideiuſſores, & ideo cautela creditoris ſit, vt recipiens aliquid in ſolutum, recipiat cum reſeruatione, & proteſtatione, quòd per dationem non intendit recedere à principali obligatione, & hypotheca, ſcribunt Gloſ. vlt. in l. 8. libera. & ibi Cyn. initio, Bal. ſub num. 2. ibi, primo hic, Saly. c. ſub num. 1. C. de ſent. & interl. &c. & Surd. eod. conſ. 145. ſub n. 23. verſ. poſtremo.

Effectus quartus eſt, quòd periculum no-

minis

minis debitoris delegati, idest, dati in solutum, spectat ad creditorem, cui facta est delegatio, Franc.Bec. cons.105. ioannes. sub num.18.& 19.& sub num.35. & alij, quos citat, & sequitur Surd.cons.145. scipio.nu. 20.in vltimis verbis, & num.21.& sub num. 28. vers.non etiam. lib. 1. Et hæc de secundo casu posito supra num. 280.

293 TERTIVS casus est,quando ego debitor tuus de scutis 100. mando Ceulo campsori, quòd soluat tibi, vel promittat pro me, & ipse promittit: & isto casu si Ceulus campsor,qui promittit,fiat non soluendo,fugiat, seu foro cedat, dubitatur, ad quem spectet periculum, & sic,an debitor sit liberatus, & duæ circumferuntur opiniones.

Prima opinio est,quòd damnum sit tuum, quia periculum spectat ad creditorem, cui facta est promissio, & consequenter debitor est liberatus,vt scribunt Bar.& alij, quos citaui supra num.63.& sub num.244.& licet illi alij, ibi à me citati, loquantur in diuersis terminis, tamen in substantia sunt ijdem, & quòd ita seruetur in quibusdam locis, & maximè Florentiæ,testatur,sed non sequitur in puncto iuris Ang. citatus nu.seq. & quòd vbi facta est delegatio, procedat doctrina Bartoli, ita vt debitor, qui dedisset litteras cambij, sit liberatus, sensit apertè Rot. diuers.decis.445.in causa. in fine, vers.nec dicatur.23.Maij 1593.coram R.P.D.Gypsio, inter impressas Lugduni 1612.

294 Contrariam opinionem, non allegando Bartolum, tenet Ang. in l. 58. qui vsumfructum. num.2.ff.de verb.oblig. dicens, quòd falsum credunt, qui se liberatos existimant ab obligatione, cum per mensularium, vel bancherium, idest, campsorem promitti faciunt illam pecuniam creditori,quia,inquit, cum hæc secunda promissio non contineat plus, quàm prima, non intelligitur ab ea recessum in dubio; hancq; eandem opinionem sequi videtur,sibi parum constans Bar. in cons.99.tertius. lib.2. dicens,quòd si tertius promittit mihi illud, quod Titius dare debebat, ipse tertius censetur fideiussor, qui propterea conueniri non potest, non prius excusso Titio principali, quia per hanc tertij promissionem non censetur sublata prima actio, nisi expresè dicatur, hancq; opinionem sequuntur in effectu Paul.de Castr.in d. l. qui vsumfructum. sub num. 3. q. vlt. & multi alij, quos citat Affl. decis.353. dubia. sub num.2. & 3. licet ipse nihil determinet; & ab hac opinione in effectu non videtur discedere Mantic. tract. de coniectur. vlt. volunt.lib 11. tit.17. in fine, sub num. 35. dicens, plurimi referre, qualiter verba fuerint concepta, quia, inquit, si dicatur, do tibi talem argentarium pro me, & tu acceptas, sum liberatus; secus si dicatur, do talem argentarium pro tanta quantitate, vel propter me; & eiusdem opinionis videtur fuisse Bal. in cons.348.seu 349 factæ fuerunt.sub nu.3. ibi, amplius sciendum est.lib.1.dicens,quòd si datur campsor creditori, vt soluat, & non est actum, quòd debitor intelligatur liberatus, sed est datus simpliciter, tunc est actum solum de obligatione nouæ personæ, & ideo durat creditori actio prima, & ista promissio campsoris est sicut sententia liquida, per quam non dicitur satisfactum, cum duret actio, & subsistat debitum: & postea subdit, quòd si iste campsor offerat à principio, vel postea, diceretur ex tunc facta nouatio, & sic primus debitor esset liberatus.

295 Quid dicendum? Paul.de Castr. vbi sup. etsi sequatur hanc contrariam opinionem, vt dixi, tamen distinguit,quòd vel iste Ceulus campsor, qui promittit tibi pro me,non habebat pecuniam meam,& sic non erat debitor meus; & tunc non fit nouatio, & consequenter ego debitor non sum liberatus, quia ille campsor est solum fideiussor,contra quem potest agi, etiam me debitore principali non excusso,propter fidem,quæ adhibetur talibus argentarijs publicis, hancq; excusionem principalis debitoris non esse necessariam, sequitur ex Gl. penult. in verbo, moderno. Auth. de fideiuss. in fine, coll. 1. sed si iste Ceulus, qui promisit pro me, non esset argentarius, tunc aduersus eum agi non posset, nisi prius excussus essem ego debitor principalis. Vel iste campsor,qui promisit pro me, habebat meam pecuniam, & sic erat meus debitor, & iussu meo promisit; & tunc, inquit, procedat dictum Bartoli, de quo supra nu.63. & ita etiam procedat confirmatio, de qua supra num.245. quia ista est quædam delegatio, vt ex eodem Castren. retuli supra in secundo casu num.280. & ita Rot.Genuen. decis.19. nos auditores. nu.6.in fine, & num. 7. declarat doctrinam Bart.in l.singularia.quam nos retulimus supra d. num. 63. & iuxta primum membrum huius distinctionis,quod scilicet cesset beneficium excusionis, quando tractatur cum campsore promittente pro alio, sequitur

Vinc.

Vinc. de Franch. deciſ. 303. benedictus. nu. 3. in fine.

296 Sed, quicquid diſtinguat Paul. de Caſtr. & quicquid non iuxta doctrinam Bartoli, vt aſſerit, ſed contra doctrinam Bartoli dicat Rot. Genuen. concludo, quòd prima opinio eſt vera indiſtinctè, ſiue ille Ceulus, qui promiſit pro me, eſſet meus debitor, quo caſu omnes communiter conſentiunt, eſſe delegationem, & conſequenter me debitorem eſſe liberatum, vt latius ſecutus ſum ſupra in ſecundo caſu num. 280. ſiue non eſſet meus debitor, quia adhuc eſſe delegationem, ſcribunt ij, quos ſecutus ſum ſupra ſub num. 244. hæcq; concluſio benè conformatur concluſioni, & ſtylo campſorum, qui, ſoluendo tractas ſuper alio, retinent obligatum illum alium, & non ſcribentem, non facta diſtinctione, an ille alius ſit, vel non ſit debitor facientis tractam, iuxta ea, quæ ſcripſi infra ſub nu. 384. iunctis pro intelligentia, quæ ſcripſi infra nu. 358. verſ. tertius caſus. & certè ex parte rei non videtur poſſe conſiderari hæc differentia, vtrum iſte, qui in ſe ſuſcipit debitũ alterius, ſit debitor debitoris, vt tunc dicatur delegatio, & nouatio, an verò non ſit illius debitor, vt tunc non ſit delegatio, ſeu nouatio, ſed ſit fideiuſſio; ſatis namque eſſe debet, quòd creditor acceptet illum promittentem pro ſuo nouo debitore.

297 Præterea, vt rectè locutus eſt Bal. citatus pro contraria opinione ſupra ſub num. 294. ſi debitor cenſetur liberatus, quaſi facta nouatione, quando campſor obtulit pecuniam creditori: ego nunc dico, quòd de conſuetudine campſor cenſetur, ſemper habere promptam pecuniam, & oblatam creditori; adeo quòd Bero. conſ. 194. in præſenti cauſa. num. 1. & ſeqq. lib. 1. latè diſcuſſerit, an caſus ſiniſter, ideſt, interitus pecuniæ, quæ debetur à mercatore diuite, ſpectet ad creditorem, ſi non acceſſerit ad locum deſtinatæ ſolutionis: ergo quoties creditor tacet, & non inſtat apud campſorem, ſibi tradi pecuniam, ſibi videtur imputandum, & ſatis eſt, quòd ex præſumpta oblatione pecuniæ cenſeatur tunc facta nouatio.

298 Limita primo iſtam concluſionem, & ea, quæ ſcripſi ſupra ſub nu. 244. & 245. vt non procedãt, quando debitor delegans, ſeu debitor delegatus, vt in caſu cãpſoris, ſcribentis mercatori Venetiarum, de quo ſup. d. n. 244. promittit, ſe facturum, & curaturum, quòd is, cuius nomen delegatur, ſoluet; quia iſto caſu periculum erit ipſius debitoris delegantis, ſeu campſoris, qui promittunt, ſe curaturos pro ſolutione, dummodo creditor reddat litteras cambij illi campſori, Alex. conſ. 94. viſo puncto. ſub num. 3. ibi, poſtea bal. lib. 3. & quòd iſto caſu, debitore delegato non ſoluente, non inducatur nouatio, ſeu delegans non liberetur, refert, & ſequitur Surd. deciſ. 23. creditores. ſub nu. 9. ibi, cum ergo. & num. 10.

299 Limita ſecundo, vt non procedat, quando primus campſor erat conſcius fugæ ſecundi campſoris, ideſt, delegans ſciebat futuram fugam debitoris delegati, quia tunc dicitur fuiſſe in dolo, & ideo non erit liberatus, Alex. vbi ſup. Surd. conſ. 145. ſcipio. ſub num. 10. lib. 1. & quòd delegans, qui tempore delegationis erat conſcius futuræ fugæ debitoris, quem delegabat, per illam delegationem non liberetur, ſed ſaltem doli exceptione teneatur, & conſequenter, qui ſciebat, campſorem, quem delegat, breui ceſſurum foro, non liberetur, ſequitur Surd. d. deciſ. 23. num. 10. in fine, ibi, adducebatur de ciſio. & num. 11.

Et ex quibus coniecturis præſumatur hæc ſcientia in delegante, declarat Surd. ead. deciſ. 23. num. 11. in fine, & ſeqq. Et hæc de tertio caſu, poſito ſupra num. 293.

300 QVARTVS caſus eſt, quando ego debitor tuus pro pretio pannorum, mandaui debitori meo, vt ſolueret tibi, & ipſe non ſoluit, ſed promiſit ſoluere; an iſte meus debitor intelligatur liberatus, & ſolutus à me?

Reſpondeo, præmittendo prius, quòd iſte caſus eſt idem cũ ſecundo, de quo egi ſupra num. 280. ſed quia in eo egimus ſolum, an iſte debitor, qui delegando mandauit ſolutionem, ſit liberatus à ſuo creditore, & non egimus, an iſte, cui mandatur, vt ſoluat, ſit liberatus à creditore delegante, ideſt, mandante, ideo de hoc ipſo nunc agendum venit, & conſtituo duas opiniones.

Prima opinio erit affirmatiua, quòd hic debitor ſit liberatus à me, qui eum delegaui, quia hæc eſt delegationis natura, vt liberet delegantem ab eius creditore, & delegatum à delegante, & remaneat ſola obligatio delegati erga eum, cui eſt delegatus, & hanc opinionem eſſe de mente Bartoli in l. 15. ſingularia. num. 19. ff. ſi cert. pet. & admitteret pro vera, ſi eſſet propriè delegatio, ſcribit Paul. de Caſtr. in l. 58. qui vſumfructum.

versus

versus finem, sub num. 4. ff. de verb. oblig. & quòd, facta delegatione, duplex perimatur obligatio, vna, qua delegans tenebatur erga suum creditorem; & altera, qua delegatus tenebatur erga delegantem, refert, & non impugnat Surd. decis. 23. creditores. num. 1. in vltimis verbis, & num. 2. & 3. Sed hæc est propriè delegatio, per ea, quæ dixi supra num. 280. Ergo.

301 Secundam opinionem contrariam tenet Paul. de Castr. vbi supra, quem sequitur Dec. in d. l. singularia. sub num. 26. ibi, secundo respectu. distinguens, vt ego delegans sim liberatus à te, cui delegaui, sed tu, quem delegaui, non sis liberatus à me delegante; tum quia ista est impropria delegatio, vt dicit Castren. vbi supra; tum quia tu delegatus non impleuisti, quod tibi commisi: mandaui enim, quòd solueres, & non quòd promitteres soluere, Dec. vbi supra; ego tamen sum à te liberatus, quia tibi imputandum est, qui loco solutionis mandatæ acceptasti promissionem, & sic isto casu à pari procedunt promittere, vel soluere, & quo ad istum effectum, vt debitor, mandans solutionem, seu delegans sit liberatus, concordant Bar. Dec. supra citati, & Stracch. tract. de mercat. par. 4. tit. mandati, num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 300. dicens, quòd si mandaui Benedicto, debitori meo, vt centum, quæ mihi debet, Pandulpho, cui tantundem debeo, persoluat, & Benedictus non soluit, sed promittit Pandulpho cētum soluere, & quidem per stipulationem, Benedictus dicetur non seruasse mandatum, quia non mandaui, vt promitteret, sed vt solueret, & consequenter ego possum Benedicto inhibere, ne soluat, quia mandatum, re integra, reuocare possum, & propterea, si Benedictus foro cederet, Pandulphus creditor meus, aduersus me non rectè ageret, quia est facta delegatio, quo ad commodum meū, ex quò ipse Pandulphus promissionem loco solutionis accepit, & approbauit; & ideo sibi imputet, qui Benedictū loco mei acceptauit, & vice solutionis promissione contentus fuit, sed in mei, inquit, mandantis præiudiciū non intelligitur facta delegatio, vt Benedictus, qui mandatum non impleuit, possit allegare, se à me liberatum esse, sed postea idem Stracch. ibidem se corrigit, seu, vrbanius loquendo, se declarat, vt id, quod dixit, me habere facultatem reuocandi, & inhibendi Benedicto, ne soluat, vt non procedat, quando Benedictus Pandulpho creditori meo significauit, qui eum in debitorem recepit, & ratum habuerit, quia tunc, inquit, non possum reuocare mandatum, sed parcat mihi, hoc non est, se declarare, sed est confundere primum dictum.

302 Non recedo à prima opinione, tum per ea, quæ dixi supra in secundo casu, num. 280. tum quia seruatur in praxi, cum quo ad omnes effectus sit delegatio, & quòd imò debitor, qui promittit pro creditore de voluntate creditoris, debeat à fortiori liberari à creditore, & obligari ei, cui promisit, quia est propria delegatio, scribit Paris. cons. 107. quæritur. num. 20. lib. 3. quicquid dicat Paul. de Castr. qui in hoc contra suum morem intricatè loquitur, quamuis ipse dicat, illa, quæ ibi dicit, esse menti tenenda, quia sunt quotidiana, & malè declarata per Doctores. & hæc de quarto casu, posito sup. num. 300.

303 QVINTVS casus est; quando ego, tuus debitor, promitto soluere tibi debitum infra annum, &, si nòn soluero, ex nunc do tibi aliqua bona in solutum; & tu ita accepras; elapso anno, tu creditor, nolens illa bona in solutum, petis à me debitum: ego replico, me non teneri, quia casu, quo non soluero infra annum, conuenimus, quòd tu haberes in solutum illa bona, quæ tibi dedi: super isto casu dubitatur quis nostrum potiora habeat iura.

Prima opinio erit affirmatiua pro me debitore, tum quia pacta sunt seruanda, & pactum satis fuit inter nos clarum, quòd, me non soluente intra annum, tu haberes illa bona in solutum, tum quia in alternatiuis electio est debitoris, cap. 70. in alternatiuis, & ibi Dyn. de reg. iur. in 6. & hanc sequuntur quamplures, quos citat Tess. Fossan. decis. 147. datio in solutum. num. 2. & seqq. vers. sed contrarium. testans, opinionem contrariam Decij, infra citati, magis communiter reprobari, & Senatum Pedemontanum hanc vti veriorem, & communiorem secutum esse.

304 Secundam opinionem, contrariam præcedenti, nempè, quòd tu creditor possis adhuc agere contra me debitorem, tenent, (& ista videtur vera) Paul. de Castr. in l. 8. si stichum. §. idem celsus. ff. de nouat. loquens de creditore, qui cœpit tenutam bonorum, dicens, quòd nihilominus potest facere, capi debitorem, & in terminis nostris latè Dec. cons. 12. & pro tenui. per totum.

Ratio huius secundæ opinionis est, quia illa datio bonorum in solutum in casu non soluti debiti, est solum ad cautelam, & fauorem creditoris, qui potest illam reijcere, Paul. de Castr. Dec. & alij supra & infra citati.

305 Confirmatur primo hæc secunda opinio, & ratio illius, quia licet debitor conueniat cum creditore, de soluendo, vel dando pignore, seu fideiussore intra tale tempus; tamen non liberatur, offerendo pignus, seu fideiussorem infra illud tempus, sed poterit is adhuc cogi à creditore ad soluendum; quia isto casu electio alternatiuæ est creditoris, Paul.de Castr. vbi sup. Dec. d.cons. 12. sub num.2. Damas.tractat.de broccard. num.6. tom.18.fol.506.& Tiraq.tract. de retr. lign. §.3.gl.3.num.16.

306 Confirmatur secundo, quia statutum, mandans, reo condemnato, non soluenti pœnam infra decem dies, amputari manum, intelligitur, Rep.seu Fisco volente, quia illa transfusio pœnæ pecuniariæ in corporalem per lapsum temporis intelligitur, si creditori placuerit, vt, obijciendo, & soluendo, declarant Dec.d.cons.12.in princ. & sub num. 2. vers. quarto hoc idem. & sub num. 3. vers. non obstat quod not. & alij, quos sequitur Prosper Farinac.in qq. crim.lib.1.q.26. nu. 15. vers.ampliando. quare licet condemnatus vellet, sibi manum abscindi, & ita iudex teneatur exequi post lapsum terminum, tamen est in electione Reip.& Fisci petere pœnam pecuniariam, vel corporalem.

307 Confirmatur tertio, quia pactum legis commissoriæ resolutiuum venditionis, habet locum, venditore volente, qui rem venditam tradidit; secus, eo inuito, quia intelligitur appositum eius fauore, l.2.& 3. ff. de leg.commiss.

308 Ratio ad omnia est, quia quod est inductum alicuius fauore, non debet retorqueri in eius odium, l.6. quod fauore.C.de legib. & constit. cap.61. quod ob gratiam. de reg. iur.in 6.pro cuius rationis exornatione multa, quæ possunt applicari, scripsi in meo tractat.de iudic.caus.&c.lib.2.cap.3.num.171. in futura impressione, & cap. 2. num. 384. & seqq.

309 Ad adducta pro prima opinione, respondeo, quòd illud pactum censetur appositum fauore creditoris, & ideo non debet intelligi in fauorem debitoris, & retorqueri contra

310 creditorem; † Et ad electionem debitoris in alternatiuis, respondeo, distinguendo. aut vtraque alternatiua est æqualiter in obligatione; vt puta, cum quis promittit hoc, vel illud; & tunc electio est debitoris, & ita procedunt iura, citata supra sub num. 303. prout declarant Tiraq. de retr.lignag. §.3. glos.3. num.16. in fine, fol. 204. & Matth. Coler. tract.de process.execut.par.1. cap.8. nu.29. qui sic declarant Bar.in l.6. quamuis. num. 2. & 3. ff. de pign. & multa scribit etiam Stracch. tract.de assecurat.initio ante gloss. num.63.& seqq. tom.6. par.1. fol.362. aut vna res est in obligatione, idest, debetur principaliter, & aliæ debentur accessoriè pro securitate, & cautione illius rei, principaliter debitæ; & tunc electio est creditoris, Tiraq.d.gl.3.num.16.vers.adeo. fol.204.Bar. Paul.de Castro, Dec.& Stracch. in locis supra proximè citatis.

311 Limita hanc secundam opinionem vt non procedat in casu, quo ego debitor do tibi creditori pignus cum pacto, quòd volo teneri ad cambia, & damna cambiorum, & si in fine primi anni non satisfecero, quòd tu pro tui libito possis vendere pignus, apud te existens, & de illius pretio tibi satisfacere, quia, elapso anno, ego sum liberatus ab interesse cambiorum, & tibi imputes, si pignus non vendidisti, & maximè si in fine anni ego scripsero tibi, quòd non possum tibi satisfacere in pecunia numerata, & quòd ideo vendas pignus, quia in posterum nolo teneri ad cambia; sic, subscribendo Florentinorum Iurisconsultorum consilio, scribit Curt.Iun.cons.132. habita diligenti.sub nu. 4. vers.præmissis. & num.seq. iunctis præcedentibus.

312 Hæc limitatio etsi in casu, de quo loquitur Curt.Iun. num.11. vers.sed præsupposito. videatur satis amica iuris communis, quia creditor debitori post primum annum non denunciauerat, se velle continuare in cambijs, maximè quòd creditor receperat etiam litteras responsiuas debitoris in contrarium, vt dixi supra; tamen extra hunc casum credo, quòd de rigore iuris vix seruaretur, præsertim inter mercatores Genuenses, per ea, quæ dixi sup.num.304.& seqq.

313 Illud obiter notabo, quòd sicut cessionarius tenetur, cum primum potest, vti diligentia exigendi nomen debitoris cessi, ne dum procrastinaretur, interim contingeret, illud deteriorari, & proinde fieri inexigibile, quia periculum isto casu spectaret ad ipsum cessio-

cessionarium, vt secutus sum supra nu. 254. ita etiam creditor, cui pignora in casu, quo debitum non solueretur in tempore, data intelligūtur(si creditor voluerit) in solutum, debet in illis pignoribus esse diligens, quia tenetur de leui culpa, Cyn. in l. sicut. C.de pign. Salyc.in l. 1. sub num.3. in quarta differentia. ff.de pign. act. & Dec. in l. contractus. num. 27. vers. quarto idem. ff. de reg. 314 iur.† vnde hæbrei fœneratores tenentur soluere damnum,& interesse, quando restituūt vestes corrosas à tineis, vel muribus, quia dicerentur fuisse in leui culpa, Neguſ.tract. de pignor. in primo memb.5.par.nu.2. tom. 6.par.1.fol.222. sicq; creditor, cui datum est pignus, tenetur ad exactam diligentiam, §.creditor quoque. Instit. quib.mod.re contrah.oblig. Ioan.Copin. tract. de fruct.tit.4. cap.1.num.1.tom.17.fol.252.

315 Ex his omnibus prima opinio, posita supra sub nu. 244. & seqq. remanet inconcussa, & dilucidata.

Nunc, soluendo fundamenta secundæ opinionis, adducta supra num.246.& 247. respondeo, quòd illa acceptatio litterarum, facta à creditore, nullam habere potest vim solutionis, quia illa acceptatio litterarum est veluti scriptura debiti contracti; cambij enim debitum contrahitur, & probatur per litteras cambij; vnde si litteræ illæ acceptantur, dum accipiuntur ad inducendam obligationem,& probationem ipsius obligationis, impossibile est, quòd possint inducere solutionem, seu liberationem, quia inducta ad vnum finem, non debent contrarium operari, vulg. iur. & duo contraria in eodem subiecto stare non possunt, per ea, quæ scripsi infra §.6.gl.1. num. 24. nec in eiusmodi litterarum acceptatione potest considerari delegatio, quia in primis sumus in vnico, & primo contractu; at delegatio continet essentialiter nouationem, & sic per eam fit secundus contractus, destructiuus primi, vt in alijs terminis explicaui sup. sub num.290. vers.exemplifica secundo. iuncto vers. præced.secundus casus. & consequenter deficiunt omnia naturalia delegationis: Eadem ratione non est contractus cessionis, de cuius natura etiam esset,quòd ille, cui diriguntur litteræ, esset debitor scribentis litteras,& adhuc requireretur expressio cessionis; quare illæ litteræ, acceptatæ à creditore, sunt nudum mandatum, iniunctum ei, cui diriguntur, vt soluat; & creditor, acceptando illas litteras, facit officium nuncij,& de hoc nunquam fuit dubitatum, & quotidie seruatur in facto, ideo non est insistendum.

Pariter non obstat, quòd acceptatio litterarum, facta ab eo, cui litteræ diriguntur soluendæ, non liberet debitorem, qui litteras scripsit; quia respondeo,quòd illa acceptatio non inducit aliquem nouum contractum, & consequenter stat primus, in quo debitor cambij manet obligatus, vt scripsi quæst.seq.

SVMMARIVM.

Protestatis litteris cambij, potest agi contra debitorem, num.316.

Protestatio litterarum potest fieri etiam ab adiecto, num. 317.

Protestatione litterarum cambij non solutarum omissa, is, cui littera erant soluenda, tenetur de cambio, & de interessibus, num. 318. & seqq.

Protestationis ordo qualis,&c. remissiuè, n.321.

316 QVAERO IX. accessoriè ad hæc, quæ dixi in præced. q.quid agendum, si ille, cui debitor cambij scribit, vt soluat, non acceptet litteras, neque alius appareat, qui litteras velit soluere.

Respondeo, creditori consultum esse, vt faciat protestationem tenoris, quem habes infra §.7. gl. 2. sub num.16. qua protestatione facta, creditor cambij poterit agere contra debitorem, Rot. Genuen. decis.8. in causa bartholomæi. nu. 19. & agere executiuè, vt agitur in Curia Genuensi, cuius modum, seu stylum posui infra §.7.gl.2. nu. 4.& 5.& gl.3.4.& seqq.& licet hęc via executiua in Ciuitate Genuæ competat ex dispositione statuti Genuensis lib.2.cap.4.cuius copiam in necessarijs habes infra cum glossis §. 7. tamen seruatur vbique de consuetudine, vt scripsi infra d.§.7.gl.5.num.4.

317 Extende primo hanc responsionem, vt non solum possit protestari ipse creditor, seu eius procurator cum sufficienti mandato, vt in hac responsione, sed possit etiam protestari adiectus solutioni, vt declarando scripsi infra gl.7.num.50.

318 Extende secundo,vt in cambijs factis pro ciuitate Genuæ, & etiam in cambijs factis

extra dominium Genuense, & in cambijs inter Genuenses, & extraneos, possit non solum protestari, sed teneatur protestari, & intra 30. dies, à die solutionis faciendæ, aliàs si non protestatur, remaneat obligatus pro ipso cambio, & pro interessibus vsque ad integram solutionem, etiam si ille, qui soluere debebat, non teneretur, vt in Genuen. stat. lib. 4. cap. 15. hancq; extensionem (quamuis sit municipalis in Repub. Genuensi) quia concordat cum dispositione iuris communis, per ea, quæ dixi in seq. prima declaratione, censerem esse vbique recipiendam.

319 Declara primo, explicando hanc extensionem, seu verius, statutum (alias forsan obscurum) vt si cambium spectet ad eundem, cui solui debet, tunc ipse, non protestando, & non remittendo litteras protestatas infra dictos 30. dies, perdat cambium, idest, lucrum cambij, & ad interesse futurum agere non possit; si verò cambium spectet ad alium, licet contractum sit ab eo, cui solui debet, tunc is, non protestando vt supra, teneatur ei, ad quem spectat cambium, de lucro cambij, & de omnibus futuris interessibus. † & ratio huius statuti est, tum quia, si

320 protestaretur, & certioraret debitorem, vtique debitor, si tunc non solueret, teneretur ad cambium, & ad interesse, sed non certioratus, videretur excusandus, quia posset præsumere, litteras fuisse solutas; hæcq; iusta præsumptio excusaret à mora, Curt. Iun. cons. 132. habita. nu. 11. tum quia si litteræ cambij spectent ad eundem, cui soluendæ erant, posset is malitiosè omittere protestationem, & certiorationem debitoris, quia cum sciat; debitorem esse securum, & idoneum, desiderat illum obligare etiam pro interessibus, cui malitiæ statutum prudenter obuiauit.

321 Declara secundo, vt ordo protestandi, de quo in d. stat. lib. 4. cap. 15. §. prohibitum, sit seruandus in protestationibus, quæ fiunt Genuæ, & non in protestationibus, quæ fiunt in nundinis, in quibus sufficit, lapsis 24. horis ab hora acceptationum, leuare protestum, vt in capitulis Genuensibus nundinarum, num. 5.

SVMMARIVM.

Acceptatio litterarum cambij non liberat debitorem, num. 322. & seq. Etiam si is, qui eas acceptat, sit debitor scribentis, idest, debitoris, num. 324. Si tamen is, cui litteræ cambij sunt soluenda, faciat acceptanti dilationem, & interim acceptans decoxerit, damnum erit eius, qui dilationem fecit, nu. 325. Sed si decoxerit, non facta dilatione; statim certiorari debet debitor, qui scripsit litteras, num. 326.

322 QVAERO X. nunquid debitor cambij sit liberatus eo ipso, quòd ille, cui mittuntur litteræ soluendæ, acceptet illas litteras.

Respondeo, debitorem, qui litteras fecit, non esse liberatum, Rot. diuers. decis. 445. in causa venetiarum, num. 1. lunæ 23. Maij 1593. coram R. P. D. Gypsio, & ead. Rot. in Rom. litterarum cambij, ven. 3. & 12. Martij 1595. num. 1. & seqq. coram R. P. D. Sacrato, & in alia Rom. litter. cambij, ven. 11. Decembris 1602. num. 1. coram bon. mem. Card. Arigonio, impressis apud Marches. de commiss. par. 1. §. 2. num. 49. & seqq. fol. 872. & seqq. & decis. 51. quia dominus. num. 1. in Rom. cambiorum, lunæ 9. Iunij 1605. coram Illustris. Card. Ludouisio, in recollectis per Statil. Pacific. & de consuetudine mercatorum Genuæ est expeditum, quòd debitor, qui fecit litteras, non sit liberatus, quia creditor, qui dedit cambio, habet vtrumque obligatum, prout de hac notoria, & generali consuetudine testatur Rot. Genuen. decis. 2. erant. sub num. 40. & 41. & qui facit litteras cambij, nunquam remanet liberatus, nisi ipsæ litteræ sint realiter solutæ secundum eandem mercatorum Genuensium consuetudinem, vt per eand. Rot. Genuen. decis. 1. sub num. 6. & sub nu. 21. vers. tertio in dictis litteris. & decis. 8. in causa bartholomæi. sub num. 17. & 18. & quòd faciens litteras cambij, sit obligatus restituere pecuniam, cum apparuerit, eius litteras vel non esse acceptatas, vel non esse completas, idest, non esse completas, quamuis fuerint acceptatæ, scribit ead. Rot. Genuens. decis. 4. dum iudicauit. num. 7. & 8. & ita intelligo, quod scribit ead. Rot. decis. 50. antonius maria, initio, & num. 1. dum, nulla facta mentione, an ille, cui litteræ soluendæ erant directæ, acceptauerit eas, necne, dicit, quòd ex quo litteræ cambij fuerunt transmissæ, sed non fuerunt solutæ, ideoque redierunt cum protestatione, ille, qui eas fecit, tenetur soluere pecunias, quas accepit; & hoc videtur colligi ex eorundem Genuensium statut. lib. 4. cap. 15. de camb. quo disponitur, vt si cam-

cambium soluendum non acceptetur, vel non soluatur, teneatur creditor, seu ille, cui cambium soluendum esset, protestari, prout huius statuti dispositionem latius retuli supra num. 318.

323 Ratio meo iudicio quare debitor cambij, qui scripsit litteras, remaneat adhuc obligatus, est, quia illa acceptatio non est nouus contractus inter ipsum acceptantem, & creditorem, cui facienda est solutio, sed est pars contractus litterarum cambij; neque creditor acquiescit acceptationi, nisi quatenus sequatur solutio *de contanti*: vnde, cum creditor non habeat fidem de pretio litterarum acceptatarum, non liberat suum debitorem; sicut enim is, qui vendit, non habita fide de pretio, retinet dominium rei venditæ penes se, §. vēditæ. Instit. de rer. diuis. Bal. in l. si donationis. C. de contrah. empt. ita quoque creditor, qui acceptanti litteras, nō habet fidē de solutione, nō liberat suum debitorem.

324 Extende hanc responsionem, vt sit vera etiam si is, qui acceptat litteras, sit debitor eius, qui eas scripsit, quia licet Rot. dicta decis. coram Sacrato, num. 3. & 4. videatur isto casu titubare, tamen extensio est vera, & clara; cum ad inducendam delegationem, qua debitor se liberet, requiratur non solum, quòd mandatarius ad soluendum sit debitor mandantis, & vti talis promittat soluere creditori mandantis, vt considerat Rot. vbi sup. sed requiritur etiā, quòd is, qui est creditor scribentis litteras, & mandantis solutionem, sit creditor ex priori causa, quia tunc potest induci nouatio, idest, delegatio, iuxta ea, quæ latè scripsi supra num. 280. & seqq. non enim dicitur nouari, quod nunquam vetus fuit.

325 Restringe eandem responsionem, & eius extensionem, vt non procedant, si creditor cambij, acceptatis litteris ab illo, cui directæ sunt, fecerit illi aliquam dilationem, seu negligens fuerit in illis exigendis, quia isto casu, si, durante illa dilatione, seu negligentia, ille mandatarius decoxerit, damnum erit ipsius, qui illi dilationem fecit, & is, qui litteras scripsit, erit liberatus.

Secus si non fuerit decoctus, quia tunc, si, finita dilatione, adhuc non soluerit, poterit habere regressum contra eum, qui litteras scripsit per prædicta, sed nullum potest consequi interesse, imò posset ipse teneri ad interesse, ex quò non fuit protestatus, & non statim renunciauit illi, qui litteras scripsit, per ea, quæ scripsi sup. num. 318. extens. 2.

326 Declara eandem responsionem, vt creditor cambij debeat statim certiorare eum, qui sibi fecit litteras, remittendo eas cum protestatione, vt ex Io. Bapt. Lup. retuli sup. num. 246.

SVMMARIVM.

Pœnitentia soluendarum litterarum cambij non habet locum, litteris acceptatis, num. 327. Etiam si litteræ remanserint penes eum, cui sunt soluendæ, num. 328. Et etiam si is, qui litteras scripsit, statim decoxisset, num. 329. Secus si ista acceptatio esset in veritate cessio, quia tunc, &c. num. 331.

Acceptatio litterarum cambij quotupliciter fiat, num. 332. & seqq.

Acceptatio litterarum cambij, quæ præsumitur ex earum retentione cum taciturnitate, non habet locum in litteris cambij, quas vocant, d'auiso, *num. 336. & 337.*

Acceptatio litterarum cambij, scriptarum à fallito, an & quando præiudicet creditoribus ipsius falliti, num. 339.

Decoctio an & quando faciat decoctorem haberi pro mortuo, & inhabilem ad commercia, & quid si quis soluat pro decoctore, num. 339.

327 QVAERO XI. an is, qui acceptauit soluere litteras cambij, possit pœnitere, & recusare earum solutionem, præsertim, si post transmissas ad se litteras, is, qui litteras fecit, decoxerit?

Respondeo, quòd, acceptatis litteris, non potest illarum solutionem recusare, quamuis debitor decoxerit, Foller. ad Maran. in spec par. 6. act. 6 num. 51. fol. 387. & ita, articulo benè examinato, iudicauit Cons. Neap. relatum à Vinc. de Franch. decis. 303. benedictus. per totam, & versus finem: sed ante acceptationem potest recusare. Foller. vbi supra, & hoc nullam habet difficultatem, quia litteræ non acceptatæ non obligant.

328 Extende primo hanc responsionem in prima parte, dum dixi, quòd, acceptatis litteris, non potest illarum solutio rein recusare, vt, si clarè appareat de acceptatione per scripturam, vel per testes, procedat siue litteræ cambij remanserint apud eum, cui sunt directæ, & præsentatæ, siue sint retentæ per præsentantem, quia retentio diceretur facta pro

pro maiori ipsius præsentantis cautela, Vinc. de Franch. d. decis. 303. sub num. 2. & sub num. 5.

329 Extende secundo, vt procedat, etiam si is, qui litteras scripsit, decoxerit statim post acceptatas litteras; imò etiam si fuisset iam decoctus ante scriptas litteras; quia etsi decoctor propter ruptam fidem videatur mortuus, vt dicebant testes, de quibus Rot. Genuen. decis. 1. nu. 40. in vltimis verbis, ideoq; nihil post rupturam agere possit, ead. Rot. decis. 2. nu. 30. in fine, & 31. cum sit ei prohibitum commercium, vt per dispositionem municipalem Genuæ, ead. Rot. decis. 83. cum extarent. sub num. 11. & sit infamis, infamissimus, Stracch. tract. de decoctot. par. 3. nu. 1. tom. 6. par. 1. fol. 316. & Rot. Genuen.

330 decis. 2. num. 34. † Tamen decoctio non inhabilitat eum, quin alius possit pro eo soluere; & sic, qui eius litteras acceptauit, non excusatur, quia aut sciebat decoctionem, & tunc dicitur voluisse, & potuit, quod voluit: aut ignorabat; & tunc sibi imputet, qui contraxit cum eo, cuius conditionẽ non debebat ignorare, l. 20. qui cũ alio. ff. de reg. iur. quare, soluendo motiua, dico, quòd decoctor habetur pro mortuo, & non potest agere, quasi exclusus à commercio, quoad ea, quæ ageret in præiudicium creditorum, seu tertij; vt dicebant testes Genuenses, de quibus Rot. Genuen. d. decis. 1. sub num. 9. & ita procedit lex municipalis Genuensis, ead. Rot. decis. 31. in causa. sub num. 3.

331 Restringe hanc extensionem, vt non procedat, quando istæ litteræ cambij, quæ acceptantur, essent in veritate cessio, seu delegatio; vt puta, quia is, cui fecit litteras cambij, erat creditor ipsius decocti, & is, cui eas scripsit, erat eius debitor, quia isto casu non tenetur, per ea, quæ scripsi infra sub num. 445. vers. exemplifica.

332 Declara primo, vt acceptatio litterarum cambij fiat dupliciter cum distinctione duplicis loci, in quo acceptantur: Aut enim acceptatio fit in nundinis; & tunc vel fit per lineam, vt declaraui gl. præced. sub num. 10. vel fit expressis verbis, seu tacitè, vt in seq.

333 membro distinctionis: † Aut fit alio in loco, & tunc dico, fieri tripliciter: Primo per expressa verba, de quibus constet per scripturam extensam, nempè, per publicum instrumentum, vel per scripturam propriæ manus, quando is, cui mittuntur litteræ soluendæ, se in illis, sibi præsentatis, sua manu subscripsit acceptando, sub his, vel similibus verbis: *A di predetto Io N. accetto di pagare li sopradetti scudi in Milano à 20. di Genaro prossimo futuro, senza alcuna contradittione*, vt in casu, de quo loquitur Rot. Genuen.

334 decis. 45. augustinus. in princ. † Secundo quando fit per expressa verba, sed sine scriptura, & ideo probatur per testes, quam probationem, nulla excitata difficultate, admisit Cons. Neapol. vt refert Vinc. de Franch. decis. 303. benedictus. versus finem, sub

335 num. 5. † Tertio quando fit tacitè per receptionem, & retentionem litterarum.

336 Subdeclara hanc declarationem in secundo eius membro de tertio modo acceptandi litteras cambij per earum receptionem cum taciturnitate; vt possit procedere in litteris proprijs cambij; cum, recipiens litteras cum taciturnitate, præsumatur confessus, seu approbasse omnia, contenta in eis; vt, loquendo in genere de litteris, scribunt Bal. in rub. num. 37. vers. quæro quid de litteris. C. de fid. instr. Alex. cons. 78. in causa. sub num. 1. lib. 1. Ias. in l. quæ dotis. in 17. cas. num. 91. & 92. ff. sol. matr. Felyn. in cap. 2. num. 22. ibi, vnde acceptans litteras. & Dec. num. 32. de fid. instr. idem Dec. cons. 206. quæritur. sub num. 7. Lanfr. tract. de fid. instr. vers. tertio circa epistolam. sub nu. 58. tom. 4. fol. 33. & communiter alij, quos citat, & sequitur Gabr. in conclus. lib. 1. tit. de præsumpt. conclus. 2. num. 1. & seqq. &, loquendo in specie de litteris cambij, scribunt Paris. cons. 5. vnio istius monasterij. num. 206. lib. 4. Rot. Genuen. decis. 133. agebat. num. 2. & Fulu. Pacc. tract. de probat. lib. 1. cap. 29. nu. 29. quare dato, quod procedat, vt dixi, etiam in litteris cambij, adhibitis limitationibus, de quibus Gabr. d. conclus. 2. præsertim limit. 4. num. 13.

337 Secus tamen est in litteris, quas vocant, *d'auiso*, quia licet mercator eas sine cõtradictione receperit, tamẽ non dicitur acceptasse litteras cambij, ideoq; illarum vigore non potest cogi ad soluendum, Ant. de Gamma in Lusit. decis. 336. aduersus. per totam.

338 Rursus omnis acceptatio potest fieri, vel liberè, vt in præcedentibus, vel super protestu, vt declaraui infra num. 358.

339 Declara secundo, vt si bona fide acceptauerit partitam soluendam, priusquam eo in loco, ad quem fuit facta tracta, fuerit habita notitia, seu publica vox, & fama de decoctione illius, qui traxit, tunc possit soluere,

re, nullo ex hac solutione sibi resultāte præiudicio; alias, si habita fuisset notitia, seu publica vox, & fama antequam acceptauerit, non poterit soluere, &, soluendo, cederet solutio damno ipsius soluentis, & non in præiudicium alicuius; sic disponentibus stat. Genuens. lib. 4. cap. 14. §. nemo possit. cuius statuti dispositionem censeo conformem iuri communi, quia de iure communi contractus, dolo initus, non tenet, præsertim si sit contractus bonæ fidei, vt dixi §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 7. & 8. & dolus probatur coniecturis; & ideo si quis, orta fama de casu sinistro, se assecurari fecerit, assecuratio non tenet, & similiter, si is, qui versabatur in palatio, & cognouit, legem esse factam (etsi adhuc non promulgatam) quòd frumentum viliori pretio venderetur, vendiderit statim frumentum suum, emptore non certiorato de lege sancita, & propè diem promulganda, tenebitur iste venditor ad interesse illi emptori, quem scienter fraudauit, vt secutus sum ead. ampl. 10. num. 19. & 16. adde quæ scripsi hic supra num. 299. limit. 2.

Subdeclara hanc declarationem ex his, quæ scripsi infra sub num. 445. vers. exemplifica.

SVMMARIVM.

Solutio litterarum cambij, facta alteri, quàm illi, cui sunt soluenda, non liberat soluentem, num. 340. & seqq. & 346. Reiecta contraria opinione, num. 344. & 345. Etiamsi solutio fieret bona fide, quia fieret præsentanti litteras, & asserenti se esse illum, cui litteræ mandant solui, & soluens illi omnino crederet, eisdem num. 340. & seqq.

Solutio, quam debitor facit illi, quem ex iusta causa credit esse creditoris procuratorem, liberat debitorem, cedentem tamen creditori actionem contra eum, cui soluit, nu. 341. Declaratur quando hoc sit verum, & quando non, num. 342.

Solutio, facta latori litterarum, seu alterius signi, liberat soluentem, si creditor, qui litteras misit, scripserit, vt solueret latori litterarum, vel talis signi, num. 343.

Procurator, veniens ex longinquis partibus cum mandato, admittitur, licet non probet, se esse illum, de quo in mandato, num. 345. & 347.

340 QVAERO XII. Tullius in ciuitate Genuæ dedit scutos 100. Ioanni Francisco campsori, qui fecit ei litteras scutorum 95. tenoris, de quo in §. præcedenti, q. 5. num. 44. soluendas Marco à Francisco Romæ; Tullius, ijs litteris acceptis, easdem de more inclusit cum literis, quas vocāt, *d'auiso*, directas Marco, vt eas exigeret, easq; proiecit in locum solitū litterarum, deferendarum à publico tabellario Reip. Genuen. istæ litteræ fuerūt intercœptæ ab incognito, qui, istis litteris sub falso Marci nomine, & falsificata eius manu, exegit à Francisco Romæ dictos scutos 95. Tullius, ignorans, litteras esse solutas à Francisco Romæ, & certioratus postea à Marco, se cambij litteras non habuisse, misit ei secundas, quas habuerat à Io. Francisco campsore, Marcus, habitis secundis litteris, requisiuit Franciscum Romæ pro solutione, qui respondidit, se iam soluisse primas litteras: vnde Tullius Genuæ petijt à Io. Francisco, vt sibi vel redderet scutos centum, vel faceret solui litteras; ipse etiā tenuit, ex quò iam fuerunt solutæ.

Dubitatur, an Io. Franciscus Genuæ sit alternatiuè condemnandus ad petita, vt supra, & quarenus sit condemnandus, an remaneat debitor Francisci Romę pro ista tracta scutorum 95. quam ipse Frācifcus Romæ soluit de ordine ipsius Io. Francisci, vel non remaneat debitor, sed solum Francisco superfsit actio contra eum, cui soluit; vel potius sit, vt Io. Franciscus, & Franciscus sint liberati, & teneatur solum idem Franciscus cedere Tullio conditionem furtiuam contra eum, cui soluit, iuxta similem casum, de quo scripsi infra num. 393.

Respondeo: ego sum in opinione, quòd Io. Franciscus sit condemnandus alternatiuè iuxta petita, & non remaneat debitor Francisci, qui propterea ipsum Io. Franciscum non poterit molestare, ac si nihil penitus eius nomine soluisset, remanente ipsi Francisco Romæ iure agendi contra eum, qui falsò exegit.

Moueor ad hanc opinionem.

Primo quoad Tullium contra Io. Franciscum Genuæ, quia donec ipsi Tullio non soluuntur litteræ cambij, ipse Io. Franciscus semper est eius debitor.

341 Secundo quoad Io. Franciscum contra Franciscum Romæ, quia licet iste Franciscus

nitatur

nitatur se defendere eò, quòd debitor, soluendo ei, quem habet iustam causam credendi,esse creditoris procuratorẽ,liberetur, cedendo tamen actionem creditori, Alex.in l. 14. si procuratori.nu.16.ff.de condict. ob caus.dar. caus. non sec. & Rot. diuers. decis. 76. christophorus. num.2.vers.& quamuis. corã R.P.D.Orano in Rom.pecuniaria, ven. 23. Octobris 1593. in impressis Romæ 1615. Et ipse Franciscus Romæ soluerit illi,qui litteras sibi præsentauit, & qui asserebat, se esse Marcum, de quo in litteris, & ideo soluerit bona fide, ex quò ipse cognouerat,litteras esse veras, & non debuerat suspicari, quòd litteræ potuerint peruenisse ad alterius manus, præsertim, quia creditor, qui illas miserat, debebat esse cautus, ne possent ad manus alterius peruenire.

342 Tamen hæc defensio, & bona fides non sufficit, quia iusta causa credendi, eum, cui debitor soluit, esse creditoris procuratorem, excusat debitorem, si est debitor certæ rei, seu speciei; secus si est debitor in genere, seu quantitate, Paul.de Castr.in d.l. si procuratori, not.3.num.8. & Alex. num.16. & Rot. d.decis.76.num.2.in fine, & num.3. nam sicut debitor certæ speciei liberatur interitu rei debitæ, non interueniente dolo, vel culpa; ita etiam liberatur traditione rei, facta bona fide; secus est, quando soluitur certa pecuniarum quantitas, Rot.d. num.3.

343 Neque potest Franciscus excusari eò,quia soluerit litterarum portitori; quia etsi debitor excusetur, quando creditor ordinauit ei, vt solueret illi, qui ei portabit tale signum, & ipse soluit illi, qui illud signum portauit,vt scribunt Alex.d.l.si procuratori. sub num.16.& in fine, & Rot.d.decis.76.sub n.3.quia ille videtur rũc solutioni adiectus, cui rectè soluitur,vt latè explicaui inf. gl. 7. n.55. & seqq. tamen hæc ordinario cessat in casu nostro, quia Io. Franciscus Genuæ non iussit Francisco Romæ, vt solueret litterarũ portitori, sed iussit vt solueret Marco, ideo, soluendo alteri,non liberatur,Rot.sub d.n.3. vnde constat,quòd Franciscus Romæ excessit fines mandati, soluendo non creditori, dum soluit alteri, quàm Marco, & ideo malè soluit, per ea, quæ dixi supra nu.24. vers. secus. & Io. Francisci vtile negotium non gessit, nec vsus est ea diligentia, qua vsus esset in re propria; cum enim mercatores sint diligentes, & sciant, vel scire debeant,hunc casum posse euenire,vt litteræ perueniant ad alterius manus, debebat, priusquam solueret,habere certam notitiam,an ille, qui præsentabat litteras, esset Marcus; vnde fuit in aliqua culpa, quæ debet sibi soli nocere, vt in casu parum distanti secutus sum infra sub num.393. in primo cas.

344 Contraria opinio: quòd enim Io. Franciscus non teneatur facere Tullio alias litteras, neque restituere scutos 100. suadetur duplici argumento.

Primo ex eo, quia ante secutam litterarum solutionem; & supposita ipsarum litterarum amissione, Io. Franciscus non tenetur restituere Tullio pecunias,quin ipsi Io.Francisco sit prius consultum, Bal.Io.de Anan.& alij,citati infra sub num. 348. vers. prima sit opinio. in casu, quo aliquis tertius,repertis litteris, illas pecunias exigeret à Francisco Romæ,Ias. quem citaui infra num.349. vers. secunda opinio. & sic tacitè sentiunt, præsertim Ias.quòd si Franciscus soluerit alteri, quàm Marco,rectè solueret;nam,si malè solueret, satis Io. Francisco consultum esset, quia non teneretur Francisco restituere.

345 Secundo, quia veniens de longinquo, asserensq; se procuratorem, & docẽs de mandato,debet admitti, & recipi tanquam talis, quamuis non doceat, se esse talem, hoc est, quamuis non doceat de identitate suæ personæ,quòd sit illemet,qui est in mandato cõstitutus procurator, Bal.in l.22.si qua per calumniam.in fine, sub num. 5. vers. vltimo inducitur. C. de episc. & cleric. & Abb. in cap.34.coram.num.11. ibi, & vnum nota. de offic. iud. deleg. quos citat, & sequitur Felyn.in cap.2.in nomine,sub num.27.versus finem, de restib. Boer. decis. 154. aliud ortum.num.1.2. & 3. & Stracch. tract. de adiect. par.4.q.8.num.10. tom.6.par.1. fol. 400. & penes me incognitum est, fuisse vnquam aliter seruatum. Ergo idem dicendum est in casu nostro.

346 Ego non discederem à prima opinione.

Ad primum argumentum, nempe ad Bal. & Ias.dico ex his, quæ scripsi infra sub nu. 348. vers.prima. & num.351. vers.tertia. patere,eorum doctrinam casui huic non esse applicabilem.

347 Ad secundum argumentũ adductum sup. n.345. respondeo,illud simile posse applicari debitori,qui bona fide solueret certã rem, seu speciem,nõ autem debitori, qui solueret in genere,seu in quãtitate, restibus his,quos citaui sup.n.342. Vltra quòd mandatum ad exi-

exigendum pecunias est longè maioris præiudicij,& damni minus reparabilis, quàm sit mandatum ad lites,& ideo cautius in illius, quam in huius admissione esset procedendū.

SVMMARIVM.

Rescindere nō cogitur contractum cambij is, qui, pecunijs acceptis, dedit litteras cambij, soluendas ei, qui pecunias dedit, licet is litteras amiserit, num. 348. sub num. 351. & 352. Rescinditur tamen, ipso consentiente, nu. 354. Et quando rescinaatur, etiam ipso inuito, num. 353.

348 QVAERO XIII. retento eodem cambio, de quo in præcedenti quæstione inter Tullium, & Io. Franciscum de scut. 100. ex ciuitate Genuæ pro Roma; & datis eidem Tullio litteris, soluendis non Marco, vt in præcedenti quæstione, sed ipsimet Tullio, qui, agens iter Romam, litteras cambij in itinere amisit,& propterea redit ad Io Franciscum, vt sibi restituat scut. 100. si Io. Franciscus replicet, vt ipse vice versa restituat litteras cambij, quia etsi eas amiserit, tamen possent aliquis eas inuenisse,& Romæ à Francisco eas, tanquā Tullius, exigere: quid iuris?

Respondeo, colligendo varias opiniones.

Prima sit opinio, quòd Tullius iure petat, sibi restitui scutos 100. dummodo ipse vice versa liberet Io. Franciscum per publicum, & solemne instrumentum ab ipsis litteris, Bal. in l. instrumenta. in vltimis verbis, C. de fideicom. quem sequuntur Ioan. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. sub num. 46. de vsur. Ias. in l. admonendi. sub num. 144. ibi, quid autem si depositi. ff. de iureiur. in 2. repet. Cott. in memor. in verbo, mercator fecit mihi litteras. Maran. in suo spec. par. 6. act. 6. num. 48. vers. vlterius quæro. fol. 386. Anc. de Gamma in Lusit. decis. 336. aduersus. num. 1. & Fulu. Paccian. tract. de probat. cap. 63. num. 139. lib. 1. & hoc inquit Bal. esse menti tenendum; sicq; Tullius tenetur facere cautionem per publicum instrumentum, quod pecuniam ab alio non accepit, Cott. vbi sup. & iuxta hanc opin. Vinc. de Franch. decis. 498. in hoc regno. refert, quòd cum ipse esset Commissarius generalis banchorum &c. semper prouidit, quod nummularij soluerent, factis cautelis de recepto, & liberato debitore, & aliquando prouidit, quòd præstaretur cautio bancho, quòd pro hac causa nō molestaretur, & quòd in dorso libri, vbi notantur deposita, notaretur decretum prædictum, & ipsius tenor describeretur, ita quòd virtute dicti depositi, quando reperiretur fides originalis, nummularij molestari non possent.

349 Secunda opinio est, quod ista liberatio non sufficiat, quia posset aliquis tertius inuenisse istas litteras cambij, & eas interim exigere, aut exegisse; vnde videtur, quòd mercator, qui fecit litteras, non teneatur restituere depositum, nisi sibi prius caueatur, & consulatur de indemnitate sua in casu, quo alius reperiret litteras cambij,& faceret sibi pecuniam exbursari ab eo, cui litteræ erant directæ, & hic casus est diuersus à casu præcedentis primæ opinionis, in quo sola redditio instrumenti reddit securum debitorem, Ias. in l. 86. huiusmodi. §. si ita. num. 12. vers. secundo per istum textum. ff. de leg. 1. nam in casu illo solutio non fit ab alio, at in casu, de quo agimus, potest fieri ab alio.

350 Ratio ergo primæ præcedentis opionis in casu, qui in ea deducitur, est aperta, quia si meus creditor legauit mihi in testamento liberationem mei debiti, hæres tenetur mihi reddere chirographum debiti, si penes se illum habeat, sin autem non habeat, & sic reddere non possit, faciet, quod potest, idest, liberabit me per solemne instrumentū: similiter si creditor promisit, soluto sibi debito, reddere chirographum, & casu eo perdiderit, & creditor agat ad debitum, & debitor fateatur, sed petat, sibi reddi chirographum iuxta pactum, & creditor replicet, se amisisse, non per hoc debitor liberabitur, sed fiet ei refutatio, & cancellabitur chirographus verbaliter, Bal. in d. l. instrumenta, in fine, num. 9. & in l. 14. pecuniæ. in fine, vers. per hoc. C. de solut. quem sequitur Cott. in memor. in verbo, mercator fecit. subdens Bal. quòd sic obuiatur malitijs illorum, qui sunt obligati ad pecunias per eorum apodissas, sub conditione, si apodissa restituatur, hancquè rationem limitat Ias. in d. §. si ita. nu. 13.

351 Tertia opinio erit nostra, cum nec Bal. nec Ias. (sit eorum pace dictum) articulum rectè explicarint, & quæ ipsi scribunt, partim non applicantur casui nostro, & partim non sufficiunt; quare tres casus existimo distinguendos.

Primus

Primus casus est, quando campsor, qui facit litteras, non vult rescindere contractum cābij; & isto casu decepti videntur Bal. & sequaces, quia campsor non tenetur restituere pecunias; nam, cum contractus cambij fiat ad vtilitatem vtriusque partis, non potest rescindi, altera parte inuita, testibus eodem Bal. Maran. & alijs, quos secutus sum infra num. 447. alias sequeretur, quòd căpsarius, qui dat campsori, vt campset pro alio loco, posset semper, simulata litterarū amissione, rescindere contractum cambij contra vulgatam regulam, quòd quæ ab initio sunt voluntaris, ex post facto sunt necessitatis: & absque rescissione est in promptu, & sufficiens remedium, nempè, vt campsor det secundas, & tertias litteras iuxta stylum, pro hoc ipso accidenti introductum, vt scripsi gl. seq. num. 2. & 3. & in hac opinione resident Cott. in memor. in verbo cambij litteras. & Benint. decis. 58. litteras cambij, in fine, dicens, esse in potestate illius, qui scripsit litteras, dare alias nouas, & & testatur, se ita vidisse obseruari Genuæ inter mercatores.

352 Extende hanc opinionem, vt procedat siue simulare asserat, se amisisse, vt loquuntur Benint. & Cott. in locis supra proximè citatis, siue non simulatè, sed verè asserat, per ea, quæ dixi in hoc primo casu, etiam ex clara mente eorundem; tenentium, non esse locum pœnitentiæ.

353 Restringe hanc eandem opinionem, vt non procedat, quando is, cui litterarum cambij solutio præcipiebatur, esset interim factus non idoneus, seu mutasset domicilium, quia isto casu non esset in eius potestate dare nouas litteras, Benint. vbi sup. citans eādem obseruantiam mercatorum Genuensium, quod idem dicit Cott. vbi supra.

354 Secundus casus est, quando campsor consentit rescissioni, quia supponunt rem integram, quòd mercator litteras cambij nemini soluerit: & isto casu concludo, quòd ille, qui amisit litteras, tenetur expectare, donec, & quousque mercator, cui litteræ sunt directæ, certioretur de rescissione contractus cambij, & de amissione litterarum cambij; ita vt, si ad eum deferrentur, eas non soluat; quo certiorato, habitaque responsione, campsor potest restituere pecunias, facta sibi liberatione in authentica forma, iuxta ea, quæ scripsi supra sub num. 348. vers. prima opinio. & vlterius præstita eidem campsori idonea cautione, quòd pro dictis litteris non molestabitur, per ea, quæ scribit Vinc. de Franch. quem retuli supra sub d. nu. 348. ne contingeret, quòd alius præsentaret litteras amissas mercatori, cui erant directæ, & eo, iam certiorato de rescissione cambij, ideoq; nolente eas acceptare, protestatis litteris, haberet regressum contra campsorem, diceretque, ipsum campsorē restituisse pecunias creditori non vero, doceretq; se ijsdem nomine, & cognomine vocari, quibus vocatur ille, qui est scriptus creditor in litteris cambij; huiusq; cautionis cautela tunc omittenda non esset, quando campsor non cognoscit eum, cum quo contraxit; & hæc est cautela, de qua supra d. num. 348. & qua vtuntur hæbrei, quando quis, amissa symgrapha pignoris, vult pignus luere, quòd si persona esset plene cognita, hæc cautio non foret necessaria.

Cæterum pro indemnitate mercatoris cui litteræ erant directæ, nullum consilium, vel remedium requiritur, quia is non acceptauit litteras, ideoq; illarum solutioni non est obligatus: &, acceptando, esset vel in dolo, vel in latissima culpa, quia aut ei præsentantur litteræ de recenti, & tunc habet recentem memoriam rescissionis: aut præsentantur post plures dies, seu menses, & tunc, visa tarditate, debet de illis suspicari.

355 Tertius casus est, quando res non est amplius integra, quòd tertius litteras iam inuenisset, & exegisset: & isto casu non est locus rescissioni, aut præfatæ cautelæ liberandi campsorem per instrumētum à litteris cambij, sed erit locus, vt campsor, vel restituat scutos 100. vel faciat alias litteras soluibiles, vt dixi sup. sub num. 340. & seqq.

SVMMARIVM.

Solutio litterarum cambij potest fieri tripliciter, num. 356. & seqq.

Protestatio, quòd quis soluit honore litterarum producit actionem negotiorum gestorum contra illum, cuius litteras soluit, num. 356. & seqq. n. 364 & seqq. Et quæ sint necessaria in hac protestatione, num. 284. & seqq. Eamque actionem potest etiam alteri cedere, nu. 383. Non tamen producit actionem mandati, num. 374. & 375. Neque actionem aliquam contra eum, cui soluit, num. 392.

Soluēt tractam super protestu honore litterarum, non acceptat mandatum, &c. num. 358.

Man-

356 QVAERO XIV. an soluens litteras cambij super protestu bonore litterarum, habebat contra eum, qui scripsit litteras, actionem negotiorum gestorum.

Respondeo, quòd casus solutionis litterarum cambij est triplex.

Primus casus est, quando is, cui litteræ cambij sunt directæ, eas soluit simpliciter, & hic est casus solutionis simplicis, & ideo sine protestu, cum seruetur ordo simpliciter: & de hoc casu sæpe locuti sumus, & hic de eo non agimus.

357 Secundus casus solutionis litterarum est, cum, recusante eo, cui directæ sunt litteræ cambij, complere ipsas litteras, idest, eo recusante, eas soluere, tertius in honorem litterarum soluit nomine illius, qui eas scripsit, quia solutio tenet, & actio acquiritur ipsi soluenti contra debitorem scribentem, quia dicitur vtiliter gerere negocium debitoris, qui scripsit, dum soluendo liberauit eum à suo creditote, Rot. Genuen. decis. 6. ioannes baptista. num. 7. vers. octauo præsuponebat. & decis. 32. cum alias. num. 1. & 2. Menoch. cons. 296. cum interrogatus. nu. 24. & Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de soluente in loco ad quem, vers. quæro an quilibet. fol. 236. & hunc esse stylum, & consuetudinem mercatoriam, scribit Rot. Genuen. d. decis. 32. in fine principij: & isto casu, qui est clarus, litteræ non propriè soluuntur super protestu, sed soluuntur solum pro honore litterarum.

358 Tertius casus est, cum is, cui litteræ cambij directæ sunt, non recusat eas, sed tamen illas acceptat super protestu, quod est dicere, nolo acceptare mandatum, sed volo tanquam tertius soluere eas pro earum honote, & habere obligatum scribentem; & non eum, quem scribens mibi vult delegare; vt puta, Titius scribit mercatori in foro Placentiæ, quòd soluat tibi scutos 1000. & ponat debitorem Andream; & iste mercator acceptat litteras cum protestatione; sicquè soluit tibi litteras Titij super protestu pro honore litterarum, crediti, & reputationis Titij, &, dum, soluendo, liberat Titium à te eius creditore, dicitur vtiliter getere negocium Titij, ideoq; eundem retinet obligatum, quamuis non acceptauerit mandatum ponendi debitorem Andream, Rot. Genuen. d. decis. 6. sub num. 2. & sub num. 7. & 8. & d. decis. 32. in fine principij, & num. 1. & seqq. & clarius decis. 19. nos auditores. initio, & num. 1. & seqq. & fusius, & apertius colligitur ex decis. 23. antonius carcassola. initio, vbi ponitur factum, & num. 4. & 16. in fine, & 17. & quòd per hanc solutionem super protestu retineatur obligatus is, qui scribit litteras, est dispositum per statut. Gen. lib. 4 cap. 14. §. qui voluerit. & dispositiuè in §. quando aliquis. & de hoc tertio

casu

casu agimus in hac quæstione.

359 Sed quia iste casus apud eos, qui ignorant modum negotiandi inter mercatores, videtur quasi deuius ab omni iustitia, cum debitor mandet alteri, vt soluat debitum ipsius debitoris, & ex ista solutione obliget sibi alium debitorem, liberato debitore, pro quo soluit; ideo aduertendum est, quòd, dum iste Titius debitor mandat mercatori, vt soluat tibi scutos 1000. & ponat ad debitum Andreæ; supponere debemus, quòd Titius sit creditor in totidem eiusdem Andreę, vt in casu Rotæ Genuen. decis. 6. ioannes. initio, & sub num. 6. in 4. & seqq. præsuppositis, vbi Io. Antonius Pinellus scripserat litteras cambij Octauiano Lomellino, quòd solueret scutos 1000. N. & poneret pro Ioffredo de Marinis; & Octauius soluit, sed noluit ponere pro Ioffredo. 360 † supposito ergo, quòd Andreas sit debitor debitoris, mandantis, solutionem fieri, est distinguendum. Aut iste Andreas non consentit huic ordini, ideoq; ipse non dat eundem ordinem, vt in casu dictæ decis. 6. sub num. 6. in 4. præsupposito, vbi non constabat, quòd Ioffredus ordinasset Octauiano, vt pro eo solueret; & tunc ordo, datus à debitore, resoluitur in vim cessionis; quam is, cui debitor scribit, potest acceptare, & non acceptare: si acceptat, debet ponere debitorem ipsum Andream, cuius nomen est cessum; eiq; intimare, & continuare interesse super eo: si non acceptat, non potest ponere eum debitorem, vnde remanet locus solutioni tantum super protestu, vt in casu dictæ decis. 6. sub num. 6. in quinto præsupposito, vbi etiam si Octauianus habuisset ordinem à Ioffredo, non tamen tenebatur eum sequi, vel adimplere, 361 sed poterat illum non acceptare. † Aut iste Andreas cessus consentit, ideoque ipse dat eundem ordinem, vt soluat supra se, & tunc si is, cui scriptum est, acceptat hunc ordinem, fit delegatio, & is, qui scripsit, est liberatus; & consequenter interesse continua- 362 retur super ipsum Andreã; † si verò non vult acceptare, tunc potest soluere, vt dixi, super protestu, quia non vult acceptare debitorem delegatum; & in istis terminis cum Antonius Carcassola fecisset tractam Hieronymo Ceuli Pisano, Romæ commoranti, de marchis 500. soluendis Paridi Pinello super Camillum Piperatum de Venetijs, & Hieronymus Ceuli soluerit dicto Paridi dictas marchas super protestu, & honore litterarum ipsius Carcassolæ, non autem præcisè iuxta ordinem illius, & idem Hieronymus Ceulus deinde ad tres menses de hac solutione super protestu certiorasset Carcassolam, & interim Camillus Piperatus decoxisset, ac proinde Carcassola prætenderet, interesse illius debitoris decocti spectare ad Hieronymum Ceulum; quia contra bonam fidem mercatorum non statim, ac potuit, certiorauit Carcassolam, Rot. Genuen. decis. 23. antonius. num. 4. & num. 16. in fine, & seqq. multum dubitauit, sed pro tunc stetit pro Hieronymo Ceuli contra Carcassolam, eo, quòd Hieronymus non teneretur acceptare mandatum, & potuerit soluere super protestu honore litterarum, & ideo, non acceptato mandato, non teneretur statim cer- 363 tiorare mandantem; † sed hodie aliter decidenda esset illa causa ex dispositione statutorum, & capitulorum nūdinarum Genuensium, cum Hieronymus Ceulus teneretur vti maiori diligentia in certiorando Carcassolam de solutione super protestu, vt retuli infra num. 388. declar. 2.

364 His pro intelligentia terminorum præmissis, concludo. (satisfaciendo quæstioni) mercatori, non habenti ordinem ab Andrea, vel nolenti illum ordinem acceptare, & soluēti super protestu honore litterarum, competere actionem negotiorum gestorum aduersus Titium, qui scripsit litteras, vt concludit Rot. Genuen. d. decis. 19. sub num. 4. ibi, ex quibus remanet. & d. decis. 6. num. 7. & 8. & sic soluere tractam super protestu, & honore litterarum, est, velle habere obligatum illum, qui fecit litteras, Rot. Genuen. decis. 30. alias. in princ. & d. decis. 23. sub num. 17. &, quòd soluens pro honore litterarum super protestu tractam aliquam, quæ ipsi directa non sit, habeat obligatum illum, qui litteras, seu tractam fecit, disponunt stat. Genuen. lib. 4. cap. 14. §. quando aliquis.

365 Ratio huius conclusionis est, quia mercator, soluendo debitum Titij, liberat eum à te creditore, & ab interesse, & præseruat ipsius Titij honorem, & creditum, siquidem, si non solueret, litteræ Titij redirent protestatæ cum eius verecundia, & damno, vt considerat Rot. Genuen. d. decis. 19. sub nu. 4. & d. decis. 6. sub num. 7. & consequenter soluendo, de mandatario efficitur negotiorum gestor, Rot. Genuen. decis. 23. antonius carcassola. sub num. 17. quia gerit vtile ne-

gotium

gotium Titij, &, gerendo, acquirit contra eum actionem negotiorum gestorum, Rot. Genuen.d.decis.32.in fine principij,&, cum gerat, & acquirat actionem, potest ab eo repetere, quod soluit, l.45. cum pecuniam. ff. de negor. gest. nam potuit soluere, etiam eo ignorante & inuito, l.41.soluendo. ff. eod. Menoch. & alij, quos citaui supra num.74. & seqq. vbi hoc latè explicaui.

366 Remanet solum, vt pro conclusionis confirmatione respondeam nonnullis, quæ in contrarium adduci possent.

Non obstat, quòd mercator, soluendo super protestu, & non ponendo Andream pro debitore, non obseruet mandatum Titij.

Quia respondeo, quòd mercator non cogebatur inuitus mandatum suscipere, l.22.si mandauero.§.vlt.ff.mand.& potuit soluere, non vigore mandati, sed sine mandato, gerendo vtile negotium, tanquam ei non dedisset mandatum, quod potuit facere, vt dixi ubim. præcedenti. † Et consequenter non dicatur,

367 quòd fines mandati sunt diligenter custodiendi, l.5.diligenter.ff.mand.Rot.Genuen. decis. 172. participes. num.2. in fine, vers. tertio qui suscipit. quod exornat Menoch. cons.296. cum interrogatus. num. 2. quia respondeo, hoc esse verum, quando onus mandati est susceptum, quod non est in casu nostro.

368 Minus obstat, si replicetur, quòd imò in casu isto mercator dicitur acceptasse mandatum, sed cum diuisione, quam facere non poterat.

Nam respondeo dupliciter.

Primo, hoc esse verum in mandato vnico, & indiuisibili, secus quando mandatum non est eiusmodi, sed vel sunt plura mandata, vel est diuisibile, vt in casu nostro, quia tunc potest vnum acceptari, & aliud non acceptari, Rot.Genuens.d.decis.19. sub num. 4. & mouetur Rot. ex his, quæ scribunt Dec. cons.430. quod supra. & Paris. cons. 47. intentio. num.70. lib. 1.

369 Hæc responsio Rotæ (sit eius pace dictum) non placet ex tribus. Primo, quia non videtur fideliter referre consultationem Decij; refert enim, Decium dicere, quòd illi de Gualterottis mandatarij, tanquam habentes duo mandata (primum de faciendo assecurari merces, quibus nauis erat oneranda; secundū de apponendo clausulam in assecuratione, quòd merces non trabalzatentur de naui onerata in aliam nauim) potuerint acceptare primum, & non secundum mandatum, & tamen Dec. non considerat hæc, vti duo mandata, neque dicit, quòd mandatarij potuerint facere assecurari merces fine illa clausula; sed dicit, quòd illi mandatarij, quamuis fecerint, fieri assecurationem sine prædicta clausula, tamen erant absoluendi, quia illi de Carauagio aduersarij, qui erant mandatores, non probabant, potuisse reperiri assecuratores, qui assecurassent cum prædicta clausula; & consequenter mandatarij erant vacui ab omni culpa, etiam leui, prout dicit etiam in cons.632. num. 1. quod est errore geminatum, vt aduertit Stracch. infra citatus, & sequitur ead. Rot. Genuen. decis. 8. in causa bartholomæi. sub num. 8.

370 vers.& ad adducta. † & sic mandatarius excusatur, quando non poterat mandatum aliter exequi, seu non constat, quòd potuerit exequi, quo casu sufficit, quòd illud adimpleat per æquipollens, seu faciat vicina mandato, l. fin.§. vlt.ff.mand. & scribit Rot. Genuen.d.decis.8.num.8.& decis. 174.mercatores. num.3.& seqq.& num.11. quæ doctrina, seu auctoritas Decij benè retorquetur contra ipsam Rotam, quia in casu, de quo Rota, & nos loquimur, mercator, qui erat mandatarius, poterat adimplere mandatum cum illa clausula, ponendi debitorem Andream, cum hoc penderet à sola eius voluntate. Ergo non est vlla excusatione dignus.

372 † Secundo non placet, quia ipsa consultatio Decij adhuc non est tuta, & nominatim contra eum de diametro scribit Stracch.tract.de mercat.par.4. tit.de mand. num 39.& seqq.tom.6.par.1.fol.302.& pro hac opinione contra Decium faciunt, quæ scribunt Paris.d.cons.47.num.38. in fine, & num.41. consulendo contra eum, qui transmiserat merces in alia naue, quàm in expressa in mandato, & Bott. cons.105.dominus. sub num.13.vers.verum. & num. seqq. vbi consuluit, conductorem mercium transuehendarum teneri ex contractu inito, si promissa non seruauerit, & num. 15. vbi, quòd tenetur eo ipso, quòd merces transuehendas alij dederit, quia hoc ipso dicitur in culpa, ita vt teneatur de casu fortuito, & teneatur etiam de leuissima culpa, sub nu.20. & propter hæc & alia fuerūt in ciuitate Genuæ, re plenè discussa, condemnati quidam de Iughis, eo, quia capsam vellutorum transmiserant non sub conductura Bernardi de Ferrarijs, prout fuerat conuentum, sed

sub conductura alterius. † Tertio non placet, quia Paris. d. cons. 47. num. 70. in quo se fundat Rota, videtur sentire, quòd minus malum sit transgredi fines mādati in aliqua parte, quàm transgredi in omnibus partibus, quia alias Paris. sibimet in eod. cōs. esset parum constans, cum in alijs num. hic supra citatis, in eodem casu consulat contra illos mandatarios, quòd non custodierint diligenter fines mandati. † vnde, omissa hac responsione, adduco aliam, quæ est etiam de mente eiusdem Rotæ.

Secundo respondeo, distinguendo: Aut mandatarius acceptat mandatum; & tunc procedunt conclusiones, quòd fines mandati non sint excedendi, sed sint diligenter ad vnguem, saltem quoad possibilitatem, seruandi: Aut mandatarius non acceptat; sed imò protestatur, se nolle acceptare, & facit nihilominus vtile negotium mandantis, quod potest facere etiam sine mandato; & tunc sumus extra terminos acceptati mandati, & consequenter cessant omnes conclusiones de mandato.

374 Firmata conclusione, de qua supra num. 364. quòd soluenti supra protestum, competat actio negotiorum gestorum.

Amplia primo eam, vt soluens pro honore litterarum super protestu, habeat contra scribentem litteras non solum actionem negotiorum gestorum ad repetendas pecunias solutas, vt dixi supra d. num. 364. & 365. sed habeat etiam actionem mandati, Rot. Genuen. d. decis. 19. sub num. 4. ibi, ex quibus remanet.

375 Hæc ampliatio, quicquid dicat Rota, non est vera; tum quia soluens, protestatus est, se nolle soluere vigore mandati; tum quia non est verum, quòd sint duo mandata, sed est vnum, seu habetur pro vno, quia in mandatis, factis eodem tempore, & cum connexitate, ita vt vnum sit connexum alteri, habentur pro vno, saltem quoad hoc, vt mandatarius teneatur omnia contenta in mandato adimplere, & ita seruatur, & qui aliter seruaret, negotiandi fidem lethaliter vulneraret; & ipsamet Rot. quam secutus sum supra num. 365. vers. ratio, dicit, quòd soluens supra protestum, de mandatario efficitur negotiorum gestor.

376 Amplia secundo, dum supra num. 364. dixi, quòd soluens super protestu, potest retinere obligatum eum, qui scripsit litteras, vt procedat non solum, spreto ordine illius, qui in litteris mandabat, tertium poni pro debitore, sed procedat etiam, spreto ordine litterarum *d'auiso*, illius tertij remittentis etiam pecunias ad eundem, qui soluit; quare licet ille tertius, quem scribens litteras, mandat, poni debitorem, ordinet etiam ipse, se poni debitorem, dicendo, *vi piacerà contraporli al mio credito*. cum iste tertius remittat alias pecunias eidem mercatori soluenti, de quibus pecunijs propterea sit creditor, nihilominus, si mercator solutus super protestu, sit creditor eiusdem tertij, seu prætendat, se creditorem, poterit seruare eius ordinem in recipiendo pecunias, & in reliquis non seruare eius ordinem, & maximè quando probabiliter timeret de ruptura dicti tertij remittentis, vt, ita attestantibus se seruatum quibusdam testibus mercatoribus, scribit Rot. Genuen. decis. 19. nos auditores, num. 5. versus finem, & num. 6.

377 Huic ampliationi, quicquid dixerint illi mercatores Genuenses, quorum dictum sequitur Rot. Genuen. supra citata, dum dicunt, quòd ipsi acciperent pecunias eius, qui eas remitteret pro suo credito, & in reliquis non seruarent mandatum remittentis, ego non acquiesco, præsertim quando non immineret certus timor futuræ rupturæ remittentis, & moueor ex pluribus. Primo, quia illorum testiū dicto videtur obstare Genuæ statutum lib. 4. cap. 14. §. etsi quis faceret. quo cauetur, vt is, qui acceperat litteras, seu tractam super protestu, & habentis habet pecunias, & ordinem, quòd illæ pecuniæ debeant seruire pro illa tracta, tenetur seruare ordinem datum: ergo cur in casu, de quo agimus, potest quis seruare ordinem in recipiendo pecunias remittentis, & in reliquis eundem ordinem spernere? Secundo, quia is, qui pecuniam remisit, videretur aliter spoliari. † Tertio, quia cum illæ pecuniæ remittuntur ad ipsum mercatorem, tanquam ad mandatarium, & procuratorem, & is, recipiēdo eas, facto acceptat mandatum, debet, vti procurator, esse magis fidelis domino, quàm alius extraneus, & ideo non potest ipse facere contra dominum, quod posset extraneus, ad not. per Cyn. Bal. Salyc. & alios in l. 1. C. de dol. mal. quia vinculum fidei susceptæ efficit, vt quod non possum, vt ego, minus possim, vt alius, Bal. in summario d. l. 1. & sic cessabunt illæ fictiones mercatoriæ, quibus mercator vult repræsentare in eodem negotio plures personas, vt in alio proposito

posito scripsi infra §.6.gl.1.nu.25. Demum hæc ampliatio viris spectatæ fidei, mirum in modum displiceret, &, vbi seruaretur, mercatoria fides prosterneretur.

379 Hincq; (confirmando hæc, quæ contra ampliationem dixi, præsertim in hoc tertio argumento) suscipiens mandatum de fideiubendo, non potest emere pignora debitoris à creditore, licet ea potuisset emere, si non suscepisset mandatum de fideiubendo, Bal. & Salyc. vbi supra, & emendo, debet ea restituere, alias tenetur de fide rupta,

380 Salyc. vbi supra. † Hinc etiam est, quòd procurator ad emendum, si emat nomine proprio, cum teneretur emere nomine alieno, tenetur de fide rupta, Nic. Moron. tract. de fid.tteg.& pac.q.17.num.3. tom.1.par. 1.

381 fol.420. † Et mandatarius, emendo seruum nomine proprio, efficitur quidem dominus serui, sed tenetur crimine stellionatus, quia efficitur infamis, Bal. in l. fœlicissima. in princ. C.de his qui à non dom. manum.

382 Amplia tertio, vt non solum is, cui litteræ cambij sunt directæ, possit eas soluere super protestum, vt hucusque locutus sum, sed, eo non soluente, possit tertius eas soluere super protestum, & honore litterarum, vt bene colligitur ex dispositione capitulorum nundinarum Genuensium, num. 35. in illis verbis: *che ha lecito à cui si voglia pagar sopra protesto*. & ratio est euidens, quia militat eadem ratio, ne litteræ redeant cum protestu, in damnum scribentis; & hoc congruere cum dispositione iuris, scribit Rot. Genuen. decis. 32. cum alias. in fine initij, & num. 1.& 2.

383 Amplia quarto, vt soluens super protestum, ideoq; acquirens actionem vtilem negotiorum gestorum contra scribentem litteras, vt dixi supra num. 364. & 365. possit eandem actionem acquisitam alijs reflectere, & cedere, Rot. Genuen. d.decis. 32. cum alias. sub num.2.& 3.

384 Declara primo eandem conclusionem, firmatam supra num.364.& 374.vt litterarum acceptatio, & solutio dicatur facta liberè, & non super protestum, quandò in ipsarum litterarum dorso, seu alia parte is, qui eas sic acceptat, sua manu scripsit, *acceptata super protestum*, & postea in solutione earundem litterarum protestationem non repetit, quia sic, soluendo simpliciter, videtur per actum contrarium recessisse à protestatione, & soluisse iuxta formam litterarum cambij, non retinendo obligatum scribentem, sed eum, quem scribens delegauit in litteris cambij, ideoq; si ille delegatus decoxerit, vel aliter sit effectus non soluendo, regressum non habet contra scribentem, Rot. Genuens.decis.6.ioannes. versus finem, sub num.20.ibi,

385 & sic communi voto Rotę.† & quia iste casus fuit multum controuersus, cum hinc inde essent super consuetudine examinati testes, quorum producti ab eo, qui soluerat, dicebant, sufficere vnicam protestationem, & qui erant producti ab eo, qui scripserat litteras cambij, vt solueret, dicebant, requiri duplicem protestationem, vt recenset ead. Rot. d.decis.6.sub num.13. & cum superesset illa difficultas in iure, an, non repetita protestatione, neque in protestatione dicto, *protestor, quòd si soluero, soluam super protestum*, censeatur ab ea recessum, vt tenuit Rot. d. decis. 6. num.1.in fine, 2.& 3.an verò solutio, simpliciter facta, sit interpretanda secundum sensum protestantis, vt motiuabatur in ead. decis.6. num. 10. 11. & 12. idcirco statutum Genuen. lib.4. cap.14. § qui voluerit. secutum dictam decisionem, & obuiando dolo, & fraudi, vberius prouidit, quòd acceptans litteras super protestũ, teneatur intra horas 24. in actis notarij coram testibus acceptare supra protestum cui protestui debet interuenire ille, qui litteras præsentauit, & vltra prædicta tenetur etiam in solutione denuo protestari; alias, istis non seruatis, acceptatio intelligitur facta liberè.

386 Subdeclara hanc declarationem, vt hæc forma, tradita à stat. Gen. in acceptatione litterarum supra protestum, sit seruanda in acceptatione litterarum, facienda in ciuitate Genuæ.

Secus in acceptatione litterarum, facienda in nundinis, quia in nundinis sufficit seruare simpliciorem formam, nempè, quòd acceptans faciat, durante illa feria, notari in libro Cancellarij dictam protestationem, & idem Cancellarius postea de hoc verbum habeat ab eo, cui facta est solutio, sic disponentibus capitulis nundinarum Genuensium, num. 34. quæ in hoc derogant expressè formæ traditæ à relato statuto.

387 Secus etiam in acceptationibus, factis in alijs locis, in quibus seruandum esset ius commune, quia in illis sufficeret acceptatio authentica, & publica, cui esset ita credendũ, vt omnis fraus veniret remota: & an sufficiat vnica protestatio, pro nunc non discutio,

sed tutior est opinio, quòd requiratur etiam in solutione.

388 Declara secundo, vt soluens supra protestum, ideoq; volens retinere obligatum eum, qui scripsit litteras, debeat, vltra prædicta in præcedenti prima declaratione, mittere debitum, idest, facere solito tempore tractam eiusdem summæ, quam ipse soluit, ad eundem locum, in eundem, qui sibi traxit, sicq; pro tracta, quam soluit, debet sibi prouidere pro eodem loco, vnde tracta processit, saluo impedimento, & saluo casu, quo ordo esset aliter datus; & saluo etiam casu, quo in eo loco, vnde tracta processit, non esset solitum cambiri, vel tunc non reperiretur, qui vellet cambio dare, & nihilominus isto casu tenetur notitiam dare illi, qui sibi tractam fecit, alias, ijs non seruatis, acceptatio, & solutio litterarum intelligitur facta liberè, vt latius disponitur in eisdem statutis lib.4.cap.14. §. præterea volens. & §. seq. sed si tale. & ab hac statuti dispositione non discrepant capitula nundinarum Genuensium num. 35. sed copiosius disponunt; & hæ leges peculiares super cambijs sunt fundatæ in dispositione iuris communis, nam soluens litteras super protestum, supponit, se gerere vtile negotium illius, qui scripsit litteras, vt dixi supra num. 364. & 365. sed hoc suppositum est falsum, quando ex ista solutione, in tempore non notificata, saltem per viā reflexę tractę, potest ei imminere periculū, vt interim eius debitor, quem voluit delegare, & ignorat, non esse acceptatum, decoquat, vt in casu, de quo Rot. Genuen. decis. 6. Ioannes. & decis. 23. antonius carcassola. vel quando facit tractam in alium locum, in quo debitori grauior est solutio, quia his casibus non gerit vtiliter negotium; & sicut is, qui suscipit onus mandati, tenetur illud omni diligentia possibili adimplere, vt secutus sum supra num. 257. & 371. ita etiam qui suscipit onus gerendi aliquod negotium alterius, debet ita illud gerere, vt non videatur ei damnum inferre.

389 Declara tertio, vt facultas soluendi litteras supra protestum competat gradatim hoc ordine: primo competit illi, qui vult soluere liberè, quisquis ille sit, hic enim præfertur omnibus volētibus soluere supra protestum: secundo competit illi, qui debet cambium recipere: tertio verò loco competit illi, cui facta est tracta, sed si is, in quem est facta tracta, acceptasset litteras cum protestu, & is, qui debet recipere cambium, consensisset illi acceptationi super protestu, tunc is, qui debet cambium recipere, non præferretur, qui si noluerit consentire, habeatur, ac si ipsemet, debens cambium recipere, acceptasset super protestu, vt disponitur in eisdem stat. Genuen. lib.4. cap.14. §. si tracta.

390 Declara quarto, vt nemo possit facere solutionē super protestu honore litterarum, quando aliquis mercator, habens ad hoc speciale mandatum, intimasset, & protestatus esset, ne quis litteras talis tractæ solueret super protestu, vt in eod. cap. 14. §. quando aliquis. nā tertius tunc potest soluere, ignorante, & inuito debitore, quando debitor non est præsens, & non prohibet; sed si adsit, & prohibeat, malè is tertius soluit, & ob id nulla ei acquiritur actio contra ipsum debitorem, Menoch. consi. 296. cum interrogatus. num. 25. vers. respondetur tertio. beneficium enim non confertur in inuitum.

391 Declara quinto, vt post habitā notitiam, seu publicam vocem, & famam de decoctione trahentis debitum, nemo possit illam tractam acceptare, nec liberè, nec super protestu, nisi acceptasset prius, vt in eodem cap. 14. §. nemo possit. & dixi supra num. 339. vbi videas; sed si ante habitam certam notitiam quis vellet libere, vel supra protestu soluere tractam, tunc teneatur prius soluere tractas, sibi directas pro concurrenti quantitate crediti existentis penes ipsum, vt latius videbis d. cap. 14. §. si antequam.

392 Declara quinto, vt soluens super protestu, & retinens obligatum illum, qui fecit litteras, vt dixi, non debeat retinere obligatum etiam illum, cui soluit, quia ille, cui soluit, non accipit, vt debitor, sed vt creditor: neque potest retinere obligatum alium, supra quem non acceperat litteras.

Secus est in eo, qui mutuat mandato alterius, quia iste mutuans obligat sibi mutuatarium, recipientem, vti principalem, & mandantem, vti accessorium actione mandati, l. 7. si litteras. C. mand.

SVMMARIVM.

Falsificatis litteris cambij ab eo, cui litteræ illæ solui debent; & proinde, soluta maiori summa, cuius sit damnum, num. 393. & seqq.

Falsificationis vitium aliquando est patens, sub num. 393. vers. primus. & nu. 394. Et quandoque latens, num. 395.

Ban-

Bancherij debent esse cauti in solutionibus cedularum, &c. num 397.
Falsificatio litterarum cambij rarò posset hodie contingere, num. 399.

393 QVAERO XV. Tu in ciuitate Genuæ das Viuiano scutos 100. vt eorum valorem faciat solui Petro Romæ: Viuianus, vt moris est, facit, & dat tibi litteras apertas, soluendas Petro Romæ à Bergonzo; tu, litteris acceptis, mittis eas Romam ad Petrum, qui eas Romæ falsificat in numero, &, illis falsificatis, exigit à Bergonzo maiorem pecuniarum summam, puta scutos 200. faciendo litteram 2. ex littera 1. vel aliter ex littera C. litteram O.

Dubitatur, an hoc damnum pati debeat Bergonzus, quia malè soluerit, vel Viuianus, quia non cautelatè scripserit caracteres, vel tu, quia elegeris malum virum ad exigendum, & sic ad quem ex his spectet hoc periculum?

Pro resolutione distinguo in primis duos casus falsificationis, seu vitiationis litterarum.

Primus casus est, quando falsificatio, seu vitium litterarum est ita patens, & euidens, vt à quolibet campsore, qui accurata, & debita vteretur diligentia, cognosceretur. & isto casu concludo, quòd periculum pertinet ad Bergonzum, qui malè soluit; & ratio est, quia ipse, soluendo illas litteras falsas, fuit in culpa, cum teneretur inquirere veritatem, & sua culpa sibi, & non alijs debet nocere, Ang. consl. 370. creditor. sub num. 1. vers. pro hoc adduco. ibi, sed si falsificatio. & in fine consilij, quem sequitur Foller. ad Maran. in spec. par. 6. act. 6. num. 54. vers. sed nunquid campsor. fol. 387.

394 Exemplifica istum casum, quãdo ex comparatione litterarum, adhibito peritorum iudicio, cognosci potuisset falsificatio, Ang. vbi supra; vel quando appareret aliqua rasura, seu aliud vitium visibile; & demum esset in culpa, quoties in litteris esset tale quid, quod ipsas redderet suspectas de falso, quia paria sunt, ciuiliter loquendo, litteras esse falsas, vel esse suspectas de falso, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 165. præsertim in futura impressione.

395 Secundus casus est, quando falsificatio erat ita latens, vt etiam à perito, & diligenti campsore cognosci nõ potuisset, quia nullam præseferebat suspicionem: & isto casu concludo contrarium; nempè, periculum non pertinere ad Bergonzum, quia, soluendo, non fuit in aliqua culpa, & consequenter, rectè soluendo, est liberatus, tàm à Viuiano, qui scripsit, quàm à te, qui es creditor, Ang. d. consl. 370. sub num. 1. ibi, sed si culpa campsori nulla, &c. & sub num. 2. in in fine consilij, vers. concludo igitur. & Foller. vbi supra.

396 Declara, huius secundi casus conclusionem esse veram, quando mercator scripsit litteras, & sic, supposita substantia negotij; secus quãdo mercator nullas scripsisset litteras, quia tunc licet aliquis ita mercatoris manũ cõtrafecisset, idest, imitatus esset, vt nullus peritus potuisset cognoscere diuersitatem manus, idest, litterarũ, & consequenter nulla posset attribui culpa, desidia, negligentia, seu inexperientia ipsi campsori, quia quilibet fuisset deceptus, tamen adhuc damnum erit ipsius solius: & ratio est, quia si mercator secum in hoc non contraxit, periculum remanet ipsi soli campsori.

397 Infero ex hac declaratione, quòd Bancherij, seu nummularij debent esse cauti in scripturis, & subscriptionibus cedularum, & illarum recognitionibus, quia si soluerint pecuniam cum cedulis, seu apochis falsis, quæ eis præsentantur, & quas ipsi veras præsupponunt, quando soluunt, coguntur iterum soluere veris dominis pecuniarum, quia malè soluerunt, Vinc. de Franch. decis. 304. sæpè sæpius. dicens, sæpè sæpius id euenire in ciuitate Neapolis.

398 Supposito nunc isto secundo casu, quòd Bergonzus rectè soluerit, superest, vt, absoluendo propositam quæstionem, videamus, an Viuianus, qui scripsit litteras, teneatur facere nouas litteras soluendas; vel tu, qui fuisti in mala electione mandatarij, habeas solum regressum contra Petrum, cessa tibi condictione furtiua à Bergonzo?

Et, agendo breuiter, concludo, Viuianum esse liberatum; & ideo non teneri ad alias litteras, & tibi cedendam esse condictionem furtiuam; quia omnis culpa, quæ posset adscribi Viuiano, quòd scripserit litteras, seu caracteres culposos, tollitur ex quò tu habuisti illas litteras apertas, & acquieuisti, cum deberes potius, non acquiescendo, facere scribi litteras caracteribus

benè compositis, vt variari non possent, vt concludit Ang. d. cons. 470. sub num. 1. vers. secunda culpa. & sub num. 2.

399 Sed casus huius quæstionis hodie rarò potest contingere, tum quia campsores non solent cambire, nisi per illas partes, in quibus adsunt publici tabellarij, & ideo vltra litteras cambij mittunt litteras *d'auiso*, quas habes supra q. 5. num. 78. & mercatores, nisi habeant litteras *d'auiso*, non soluunt, & in illis litteris *d'auiso*, stat veritas incorrupta, tum quia campsores sagaces hodie substantialia litteratum scribunt ita per extensum, vt falsificari non possint, sine euidenti, & notoria falsificatione.

SVMMARIVM.

Decoctio debitoris, cui mandatarius dederit cambio pecunias mandatoris, cuius damno cedat, num. 400. & seqq. 405. & seqq.

Soluens tutori, quem scit esse postulatum suspectum, non rectè soluit, num. 401.

Soluens procuratori, qui est effectus malæ conditionis, malè soluit, num. 401.

Soluens Rectori Ciuitatis, quem scire debebat de proximo esse remouendum à regimine, propter rumorem, & tumultum populi, rectè soluit, & quare, num. 404.

Soluens procuratori reuocato, ignorata reuocatione, rectè soluit, num. 406.

Procurator, mutando mores in deterius, censetur reuocatus ab ipsa lege, num. 402. & 403. Huiusq; reuocationis intimatio non requiritur, eod. num. 403.

Reuocatio procuratoris ad exigendum debet intimari debitori, &c. num. 407.

400 QVAERO XVI. Franciscus remittit Seio scutos 100. soluendos in nundinis Placentiæ per litteras Petri, eidemq; ordinat vt dictos scut. 100. remittat ad ciuitatem Genuæ ipsi Francisco, iuxta tenorem litterarum, quas scripsi supra q. 5. num. 77. vers. magnifico. Seius remittit iuxta ordinem, sibi datum à Francisco, dando illos scutos Antonio ad cambium, vt in litteris, de quibus eadem. q. 5. sub num. 80. & sub num. 81. vers. à 24. & vers. magnifico. euenit, quòd interim Antonius fit decoctor.

Dubitatur, cuius damno cedat ista decoctio, an Francisci, cuius sunt illi scuti 100. an verò Seij, qui illos remisit?

Respondeo, distinguendo duos casus principales.

Primus casus est, quando Franciscus mandauit Seio, quòd remitteret per suas litteras supra se, idest, periculo ipsius Seij, vt in litteris, de quibus d. q. 5. nu. 77. & isto casu concludo, decoctionis periculum spectare ad Seiũ propter expressam conuentionem, in litteris mãdatorijs contentã, & ita seruatur.

401 Secundus casus est, quando mandauit simpliciter, quòd remitteret per viam cambij: & isto casu subdistinguo.

Aut decoctio Antonij, cui dedit cambio, erat adeo verisimiliter futura (quia de ea erat magnus rumor, & suspicio) vt nemo sani iudicij, & inculpatæ diligentiæ, ei dedisset cambio; & tunc concludo, periculum spectare ad Seium, quia versatus est in magna culpa; nam sicut debitor pupilli, soluendo tutori, quem sciret esse postulatum suspectum, non liberaretur, l. 14. quòd si fortè. S. sunt quidam. ff. de solut. & sicut debitor, soluendo procuratori, qui deteriorat statum, & efficitur malæ conditionis, non liberatur, quamuis procurator ille mandatum iam habuerit speciale ad exigendum, Paul. de Castr. in l. 38. cum quis. num. 3. & 4. & l. 82.

402 si cum cornelius. in fine, ff. de solut. †quia eo ipso, quòd procurator mutat mores in deterius, censetur eius mandatum reuocatum: superueniente enim causa reuocandi mandatum, habetur pro tacitè reuocato, Bal. in l. mandatum. num. 14. vers. modo venio ad quæstiones. C. mand. & quòd eo ipso, quòd procurator efficitur deterioris conditionis, censeatur mandatum reuocatum, sequitur Mantic. tract. de tacit. & ambig. conuen. lib.

403 7. tit. 22. num. 46. & seqq. tom. 1. † seu eo ipso, quòd deteriorat statum, & efficitur malæ conditionis, omne eius mandatum reuocetur ab ipsa lege, & quia leges sunt notæ, & ab omnibus sciri debent, ideirco ista reuocatio mandati, procedens à lege, habeat effectum, sine alia intimatione reuocationis, loquendo in fallitis, & decoctis, scribunt Stracch. tractat. de decoct. par. 3. num. 50. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 318. & Rot. Genuen. decis. 2. erant. num. 30. in fine, & num. 31. & 32. & quòd si mercatores, qui sunt procuratores suæ societatis, fiant cessantes, & fugitiui, eo ipso tunc expirat eorum mandatum, ita quòd in præiudicium societatis amodo nihil possint, scribit Bal. in l. 11. rogasti.

ftit§.si fugitiuus. in fine,ff.si cer.pet.quare si procurator societatis Florentinorum fugiat, vel ponatur in banno, mandatum intelligitur reuocatum ipso facto, nec oportet certificare contrahentes, quia non habet originem ex facto reuocantis, sed reuocati, & quis tenetur scire, & notificare factum proprium,non autem alienum,quod potest probabiliter ignorare; similiter monachus, vel œconomus monasterij, si fiat apostata, statim perdit officium, Bal. in d.§. si fugitiuus. initio; sic etiam tantò magis Seius, dando pecunias decocto, seu proximo decoctioni, malè dedit, quia etiam si ille decoctus habuisset facultatem à Francisco domino pecuniarum petendi,sibi dari illas pecunias ad cambium, tamen, si post prædictam facultatem, sibi datam, detecta esset decoctio, seu imminens periculum decoctionis, censeretur reuocata illa facultas, ita vt qui ei daret, suo periculo daret; & adde quæ scripsi sup.num.299.limit.2.

404 Nec obstat, quòd soluens domino, seu rectori, quem propter populi rumorem, tumultum,& bellum,iam cœptum,sciebat esse de proximo à dominio, & regimine repellendum, dicatur adhuc rectè soluisse,ideoq; ab obligatione soluendi sit liberatus, Anch. cons. 258. tria principalia. sub num. 3. vers. venio ad secundum. quem sequitur Crauet. cons.6.plura videnda.num.94. vers.pro hoc facit. & vtrumque Flam.Cart.decis.30.in causa. num.13.

Quia respondeo, quòd dicitur rectè soluisse, tum quia ille dominus, seu rector adhuc erat in possessione dominij,& regiminis, & donec est in tali possessione, est illi obtemperandum, tum quia expulsio ad rumorem populi non est iuridica,ideoque non attendenda, tum quia expulsio agebatur bello, cuius euentus est dubius, & demum quia iustè timebat coactionem, quæ omnia diligentius considerat Anch. vbi supra; & hæc ostendunt bonam fidem soluentis, & illum excusant.

At in casu decoctionis, de qua loquimur, cessant ista.

405 Aut illa futura decoctio erat ita latens,vt facilè quisque potuisset remanere deceptus, & sic in effectu caret culpa; & tunc concludo, quòd damnum erit ipsius Francisci,qui ordinem simplicem dedit,cum Seius fecerit id,quod & ipsemet Franciscus probabiliter facere debuisset.

406 Confirmatur cõclusio huius secũdi membri, quia si ego bona fide soluo procuratori, ignorans, illum esse reuocatum, ego sum liberatus, l.41. eius qui. & ibi Glos.in verbo, 407 ignorassent. Bar. & alij, ff. si cert. pet. † & ideo creditor, reuocans procuratorem, debet reuocationem intimare debitori, alias sibi imputet, l. vnica, C. de satisdan. hincq; acta,facta cum procuratore reuocato, nõ intimata parti aduersæ reuocatione, sunt valida, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus.&c. lib.1.cap.45. num.3. in fine, vers. quinto quia. & cap. 101. sub num. 42. vers. declara. in futura impressione.

SVMMARIVM.

Tertius,qui est creditor hypothecarius, impediendo executionem creditoris posterioris, quid obtineat,num.408.in fine.

Cambium primum extinguitur per secundum, num.409.& seqq.

Hypotheca quando dicatur extincta, num. 410. & seqq.

Appellatio denegatur succumbenti in causa hypothecæ, de qua sit cognitum incidenter in executione,num.414. Sed datur ei ius agendi via ordinaria, num.415.

Mutuans,seu Creditor } quando succedat in locum, & hypothecam creditoris mutuatarij, hincq; excludat alios creditores, &c. num. 416.

Creditor posterior præfertur anterioribus quoad hypothecam, quam habet in suo proprio nomine, num. 417. & sub num. 437. Et quoad pignus,sibi datum,&c. num.438. Et quoad pecuniam,sibi solutam,num 442.Et quid quoad cessionem, & dationem nominis debitoris in solutum, num. 443. Hæcq; prælatio habet locum, dummodo solutio, cessio, & datio in solutum sint facta bona fide, num. 445.

Nomen debitoris venit in obligatione bonorum, iurium,&c. sub nu. 417. vers.primo præmitto. Vnde creditor anterior potest posteriorem, agentem ad adiudicationem nominis debitoris, impedire,num.418.

Actio vtilis transit in creditorem hypothecarium, & cessionarium contra nomen debitoris,& directa remanet penes debitorem obligantem, & cedentem,sub num.418.

Executio contra debitorem debitoris quomodo intentetur, num.419.

Obligatus potest quis esse sibi ipsi, num. 422. Ex hacque obligatione competit sibi retentio aduersus

408 QVAERO XVII. Tu de anno 1612. die prima Octobris dedisti Titio cambio scutos 1000. pro scut. 1012. 409 marcharum, pro quibus scutis 1012. Titius per publicum instrumentum obligauit tibi omnia sua bona in forma, & promisit facere tibi litteras cambij pro proximo foro Placentię, quas deinde fecit, cum recursa ad te ipsum, iuxta tenorem litterarum, quas scripsi supra q. 5. num. 88. vers. à pagamenti. Tu eos de Titij ordine soluisti tibiipsi de tuis pecunijs 410 in foro Placētiæ, & eosdem, iuxta earundem litterarum ordinem traxisti, in eundem Titium, vt eos solueret in ciuitate Genuæ, & sic fuit extinctum primum cambium cum hypotheca, & initum secundum ex nundinis ad ciuitatem Genuæ; & deinde ex eadem partita per viam cambiorum, & recambiorum tu semper remansisti creditor Titij de maiori summa: demū cum de anno 1614. die 28. Nouembris ascendisset ad scut. 1130. tu eam petijsti amicabiliter à Titio, & cum is tibi non satisfaceret, egisti in iudicio, eoq; condemnato, volens tu facere executionem, seu, vt dicunt Genuenses, æstimum confe- qui in quadam eius villa, Petrus, vti creditor hypothecarius, docendo de suo credito, & hypotheca per publicum instrumentum, confectum de anno 1613. petit, retardari executionem, & audiri: Tu verò producis instrumentum cum hypotheca anteriori de anno 1612. Petrus replicat, hypothecam tuā fuisse solutione primi cambij extinctam, & alia cambia, postea secuta, fuisse contracta per simplices litteras absque vlla bonorum obligatione.

Dubitatur, cuius vestrū meliora sint iura?

Respondeo, adhibendo tres inspectiones.

Prima inspectio est; an Petrus sit admittendus: & in ista concludo, esse admittendum ad retardandam executionem, quia in primis docet in continenti de suo interesse per instrumentum publicum sui crediti, & hypothecæ iuxta ea, quæ secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 4. num. 51. & 85. & executionem impediet, nulla contra suum debitorē facta excussione, imo nulla prorsus contra eum obtenta sententia, & quamuis debitor esset soluendo.

Impedita autem executione, non potest iste Petrus aliud in hoc iudicio obtinere, quàm sibi illam adiudicari loco pignoris, seu illam executionem esse nulliter tentatam, iuxta ea, quæ scripsi infra §. 7. gl. 5. num. 89. vbi videas.

409 Secunda inspectio est; quo iure Petrus te excludat: & in hac concludo, quòd excludit te, quia tu non posses agere ex primo cambij contractu, sed solum ex secundo, per ea, quæ scripsi §. præced. q. 1. num. 218. & 219. vers. contra. & hac ead. gl. sup. sub nu. 290. vers. secundus. & seqq. & sic hypotheca tua, quæ erat anterior, & excludebat posteriorem Petri, fuit solutione debiti extin- 410 cta, † nam sicut si Titius debitor, inito cum alia tertia persona nouo cambio, ex quo debitum cambij tecum contracti soluisset de tuo ordine tuo correspondenti, vtique Titius fuisset prorsus, & in tantum liberatus, quòd si deinde tuus correspondens fugisset, seu aliter decoxisset, tu nihil amplius cum Titio haberes agere, ex quo ille contractus cambij, inter te, & Titium initus, fuisset omnino extinctus, vt notat etiam Bonins. tract. de camb. cap. 4. vers. cosi anco. circa medium, ibi, la ragione è perche. fol. 8. ita prorsus etiam dicendum est, si secundum cambium pro extinctione primi fuerit tecum contractum, quia sicut mercatores in eiusmodi

modi cambio, quod vocant, cum recursu, volunt, vt is, qui dat cambio, possit fungi ad sui vtilitatem proprio munere creditoris, in recipiendo solutionem, & fictè munere tertij, qui daret debitori ad cambium, & deinde fictè etiam munere debitoris, in soluendo, vt explicaui infra §.6.gl.1. num. 25. ita quoque in eiusdem praeiudicium debet stare eadem functio diuersarum personarum, quia quod quisque iuris in alium statuerit, eodem ipso iure vtatur, cum iustitiae nihil magis conueniat, quàm aequalitas, ideoq; Aegyptij, volentes significare iustitiam, Struthiocameli pennas, qui eas habet vndique aequales, pingebant.

411 Et licet regula esset, quòd, extincta actione personali, adhuc posset durare actio hypothecaria, vt, firmando hanc regulam, scribit Negus. tract. de pignor. memb. 2. 6. par. princ. sub num. 5. vers. regula ergo est. tom. 412 6. par. 1. fol. 245. † tamen fallit ista regula, quando actio personalis est extincta per integram solutionem, quia tunc cessat omnis hypotheca, l. 16. item liberatur. §. qui paratus. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. soluat. & scribit idem Negus. d. memb. 2. 6. par. princ. fallen. 4. num. 12. nam solutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio, vt dixi 413 supra num. 18. † si tollitur omnis obligatio, ergo tollitur etiam ea, quae est re contracta, vt notat Gl. in verbo, omnis obligatio. Instit. quib. mod. toll. oblig. quia, cessante causa pignoris, cessat pignus, l. 2. & ibi Salyc. in summ. C. de pact. pign. Tiraq. in tract. cess. caus. par. 1. num. 205. fol. 21. &, quòd per solutionem tollatur non solum actio personalis, sed etiam hypothecaria, ex veriori opinione tenuit Senatus Mantuanus, vt scribit Surd. decis. 266. quaestio. sub num. 6. iuncto num. 3. in fine, vers. credidit.

414 Tertia inspectio est; an tibi, qui succubuisti in hoc iudicio executionis, competat remedium appellationis, vel potius remedium agendi via ordinaria, tàm contra Titium debitorem principalem, quàm contra Petrum, qui in iudicio summario, & executiuo obtinuit, villam sibi assignari loco pignoris, seu, executionem, à te in ea tentatam, esse nullam: & in hac inspectione ego concluderem duo: Primo, tibi non competere ius appellandi, quia illa assignatio loco pignoris, facta aduersario, & si sit facta ex causa hypothecae, in qua dari appellationem late secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 9. num. 86. & seqq. tamen illud est verum in causa ordinaria hypothecae, vt ibi locutus sum; secus in causa summaria, & executiua hypothecae, vt loquimur hic, quia militant diuersae rationes, & mino- 415 ra praeiudicia. † Secundo concludo, superesse tibi viam ordinariam agendi contra principalem debitorē, etiam ex primaeua actione, quia nullus inter vos est initus nouus cōtractus, (& hoc caret difficultate) & etiam contra tertium, qui in executione obtinuit: hasq; duas conclusiones seruant Genuenses ex dispositione statutorū, lib. 4. cap. 3. in fine.

416 Contra conclusionem secundae inspectionis, dum diximus, hypothecam primi cambij esse solutione extinctam; videtur posse adaptari casus, quem ponunt Gl. in l. 3. aristo. in verbo, pignus. & Salyc. num. 2. vers. nunc quaero. in tertio casu, ff. quae res pign. oblig. poss. idem Salyc. in l. 1. sub num. 2. in 3. cas. C. de his qui in prior. cred. loc. succed. Negus. tract. de pignot. memb. 3. 5. par. princip. num. 45. tom. 6. par. 1. fol. 234. & Rot. diuers. decis. 293. in hac causa. num. 3. & seqq. vers. tertius casus. in Neapol. census, lunae 31. Ianuarij 1594. coram R. P. D. Penia, in impressis Lugduni 1612. dum scribunt, quòd si extraneus, mutuando pecuniam debitori, vt eam soluat creditori, faciat pactum cum eodem debitore, quòd ipse mutuans succedat in locum, & hypothecam illius creditoris, & debitor illam pecuniam, sibi mutuo datam, soluit creditori, iste, qui mutuat, succedit in hypothecam illius creditoris, quia licet ille creditor non interueniat in isto pacto, tamen lex fingit, eum interuenire, & consentire in actu, quo sibi soluitur. Sed Salyc. in d. l. aristo. sub num. 3. ibi, sed glos. respondet. & Rot. d. decis. 293. num. 5. & 7. requirunt scientiam huius pacti in ipso creditore, cui soluitur, quia, non supposita scientia, iste fictus consensus non possit dari.

Modo in nostro proposito, cum is, qui dedit cambio, dederit, vt soluatur sibi primum cambium, & sic deinceps, non est dubitandum, quòd vterque consentit, vt secundum cambium succedat in locum primi, & sic deinceps.

417 Retenta conclusione (à qua non discedo) quòd creditor hypothecarius anterior praeferatur posteriori etiam hypothecario, & in casu, quo secundum cambium sit contractum pro extinctione primi.

Limita

Limita primò etiam, vt non procedat quo ad nomen ipsius creditoris, qui ex aliqua alia partita esset debitor sui debitoris, quia in suo nomine præfertur per viam compensationis cuicunque alteri creditori, etiã hypothecario,& anteriori, vt firmo inf. n.424.

Sed pro huius limitationis intelligentia tàm in facto, quàm in iure, præmitto duo, quæ in praxi frequenter eueniunt.

Primò præmitto, quòd si tu ex aliquo contractu sis meus creditor scutorum 1000. cum obligatione omnium meorum bonorum, iurium,&c. in forma, & tam tempore contractus, quàm postea ego haberem, & habeam nonnullos debitores, puta A.& B. dicor,ibi obligasse etiam nomina dictorum A. & B. meorum debitorum, l. 4. nomen. C.quæ res pign.oblig.poss. Neguſ. tract. de pign. in 3.memb.2.par.num.21.tom.6.par. 1.fol.199.& ante eum latius Corn.conſ.61. visa copia.n.26.verſ.tertio adducitur.lib.3.

418 Et consequenter, si ego postea ex aliquo alio contractu obligem omnia mea bona, iura, &c. Sempronio, vel eidem Sempronio cedam nomina, seu nomen dictorum A. & B. meorum debitorum, & Sempronius in vim dictæ obligationis, seu cessionis agat contra dictos A.& B.& sententiam obtineat, & illam exequi velit contra præfatos A. & B. tu, vti creditor meus anterior, poteris executionem impedire; quia, cum tu ex illa mea generali obligatione acquisieris vtilem actionem contra A.& B.& penes me remanserit actio directa;non potui transferre illam vtilem in Sempronium, sed solum potui,cedendo illi meum creditum contra A. & B. transferre exercitium directæ actionis in eum, tanquam in simplicem procuratorem in rem propriã; quare, cum postea vos concurritis, tu, qui habes actionem vtilem, es præferendus, vt secutus sum in meo tractat. de appell.q.17.limit.6.memb.4. sub nu.85.

419 Practica agendi ad executionem, & adiudicationem nominis debitoris iuxta theoricam huius primi præmissi est, vt, si tu sis creditor, agas aduersus tuum debitorem, & cum obtinueris mandatum, seu licentiam contra eum, cites debitores eiusdem tui debitoris ad videndum tibi adiudicari eorum nomen, & ita practicant quotidie Genuenses ex forma eorum statut. lib. 3. cap. 6. §. possit etiam creditor. & est materia legis, à diuo pio. §.in venditione. ff. de re iud. de cuius materia reseruo agere in meo tract. de iudic.cauſ.lib.3.si Dei benignitas largietur.

Quòd si in casu prędicto debitores tui debitoris soluissent posteriori creditori,vel cessionario, priusquam tu eis denunciasses, ne soluerent, acta res esset, per ea, quæ scripsi infra num.442.limit.2.

420 Amplia hanc praxim procedendi ad adiudicationem nominis debitoris post condemnationem ipsius debitoris, vt in casu, quo ipsum debitoris nomẽ sit expresse obligatum, procedat, etiam ipso debitore non aliter excusso, vnde neque creditor posterior, neque debitor, cuius nomen est obligatum, poterunt aduersus creditorem excipere, quòd debeat prius principalem debitorem excutere, quia quando agitur contra nomen debitoris, excussio debitoris principalis non est necessaria, cum illud nomen adhuc dicatur esse penes ipsum debitorem principalem,Bar.in l.nomen.num.8.Bal.sub num.1. Alber.de Ros.sub num.3.C.quæ res pign.oblig. poss. Bar.in l.si conuenerit. la 2. num. 4. ff.de pign. act. Papien. in pract. in form.respons.libel.in act.hypoth. in gloſ.exceptionem excussionis. num. 8. fol. 782. & Mas.ibidem in prima addit. ad eum,fol.786. col.2.Alex.conſ.15. viso & considerato.sub num.6.ibi, pro hoc facit, lib. 6. & de communi opinione, & tenenda testatur,& sequitur Neguſ. tract. de pign. in 1.memb.8.par. num.19.in 6.fallen.tom.6.par.1.fol.253.

421 Sed in casu, quo non esset expresse obligatum, & debitor illud nomen cessisset alteri,ista practica sine excussione posset pari difficultate,quia debitor,cedendo, transtulisset in cessionarium possessionem nominis debitoris, vt secutus sum supra num. 263. verſ. rario. & consequenter cessat fundamentum, quo in præcedenti casu simplicis obligationis dicebamus, excussionem non esse necessariam, eò quia nomen erat adhuc penes debitorem principalem; imò vbi cessio haberetur pro solutione in pecunia numerata, actio contra cessionarium euanesceret in totum, per ea,quæ scripsi infra num.443.& 442.

422 Secundo præmitto, quòd sicut ego,contrahendo tecum debitum, & pro illius solutione, obligando tibi generaliter omnia bona, iura,&c. dicor obligasse tibi nomen mei debitoris, vt dixi supra sub num. 417. verſ. primo præmitto. ita etiam, si tu postea ex alio contractu promittas mihi aliquid, cum obligatione omnium tuorum bonorum, iurium, &c. diceris obligasse mihi nomen meum

meum proprium, quia possum ego habere hypothecã in meo proprio nomine:& proinde si ego eram antea tuus debitor in scutis 100. vtique pro meo credito similium scutorum 100. erit mihi obligatum meum proprium nomen. Corn.d.cons.61. sub num.26. ibi. tamen salua meliori sententia. Soc.cons. 243. diu professo. sub num. 14 lib. 1. & cons. 180. diligenter. sub num. 2. vers. sed adhuc restat vnus scrupulus. lib. 2. & Negus.d. par. 2. memb. 3. num. 22. fol. 199.

423 Et debitor, qui habet hypothecam in suo proprio nomine, habet retentionem, Negus. vbi supra sub num. 23. & adde, quæ scripsi infra num. 438.

424 His præmissis, & redeundo ad veritatem limitationis, positæ supra num. 417. dico, quòd si ego sum creditor tui ex causa cambij in scutis 500. sine hypotheca, & tu ex alia causa es creditor mei in scutis 500. & Petrus est similiter creditor tui in scut. 500. cum hypotheca, & obligatione omnium tuorum bonorum, iurium, &c. ego præferor Petro in istis scutis 500. quamuis Petrus sit creditor anterior, & hypothecarius.

Ratio, qua patesit veritas huius limitationis, est, quia, contracto hinc inde debito inter me, & te, fit inter nos compensatio ipso iure, sine ministerio hominis, l. 4. verum. l. 10. si ambo. ff. de compens. l. 4. si constat. & l. fin. C. eod. & §. in bonæ fidei. Instit. de act. Tynd. tract. de compensat. par. 1. art. 6. num. 47. & 51. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 253. & num. 74. fol. 254. & art. 7. sub num. 27. vers. quid ergo. fol. 256.

425 Hæcq; ratio probatur in multis casibus. Primus casus, qui transit sine controuersia, est, quando alias, remota compensatione, debitor incurrisset vsuras, interesse, seu aliam pœnam, Tynd. d. art. 6. num. 48. in fine, & num. 49. Curt. Iun. cons. 132. habita diligenti. sub num. 4. vers. præmissis tamen. Tiraq. tract. de retr. lignag. §. 3. gl. 3. sub num. 8. fol. 203. Sebast. Medic. tract. de compens. par. 1. q. 21. sub num. 3. tom. 6. par. 2. fol. 263. &

426 q. 50. sub num. 4. fol. 267. † Secundus casus, in quo compensatio fit ipso iure, est, quando creditor posset distrahere pignus, Tynd.

427 sub d. num. 49. † Tertius, quando alias orta esset præscriptio, quare licet debitor tanto tempore præscribat debitum, tamen si ipse etiam sit creditor, & petat creditum, eique opponatur compensatio, ipse non potest replicare, debitum, cuius compensatio opponitur, esse præscriptum; & ratio est, quia compensatio fit ipso iure, ideoque impedit initium, & cursum præscriptionis; nam sicut impedito non currit præscriptio, ita nec creditori, qui, si ageret, repelleretur exceptione compensationis; vnde, si tu debes mihi decem, & postea ego efficior debitor tuus in totidem, certè si non peto decem, quæ mihi debes, non præscribes contra me, quia non fui negligens, ex quo desino agere, sciens, me posse repelli exceptione compensationis; & iste est vnus casus, in quo compensatio fit ipso iure sine facto hominis, ad euitandam pœnam præscriptionis, Anchar. cons. 5. pro parte nobilis. sub num. 5. Felyn. in cap. 10. ex transmissa. num. 8. in fine, vers. & nota. & num. 9. de præscript. Molled. decis. 3. alias 200. fulginatensis. de præscript. & conciseè Balb. tract. de præscript. in 6. & vlt. par. num. 20. amplia. 2. tom. 17. fol. 102.

428 † Quartus, quando creditor pateretur præscriptionem actionis hypothecariæ, & possidet pignus, Negus. tract. de pignor. in 1. par. num. 5. tom. 6. par. 1. fol. 194.

429 † Quintus est, quando emphyteota ob non solutum canonem amisisset emphyteosim, Tiraq. d. gl. 3. num. 4. & 9. & Sebast. Medic. d. q. 21. sub num. 3. & q. 50. sub num. 5.

430 † Sextus, quando consanguineo cucurrisset tempus ad redimendum, quia si is fit creditor emptoris in eadem summa, quasi facta inter eos compensatione, non remanet exclusus à iure retrahendi propter lapsum tempus, Tiraq. d. gl. 3. num. 8.

431 † Septimus, & generalis casus, in quo compensatio fit ipso iure, est, quando, si non intelligeretur facta, debitor pateretur aliquod damnum, seu præiudicium, Tiraq. d. gl. 3. sub num. 8.

Ergo in casu, de quo supra num. 424. Petrus, quamuis sit creditor anterior, & hypothecarius, eique esset obligatum nomen meum, non poterit illud à me exigere, quia, attenta compensatione, quæ fit ipso iure, ego dicor soluisse mihi ipsi.

432 Nec dicatur, quòd compensatio fit ipso iure solum in illis casibus, in quibus, si non fieret, debitor pateretur damnum, vt dixi, & quòd, etiam si fieret ipso iure, tamen requireretur adhuc factum hominis, exceptis quibusdam casibus.

Quia respondeo dupliciter.

Primo, veram opinionem esse, quòd fiat ipso iure in omnibus casibus, in quibus expedit compensanti, vt fit facta ipso iure; & de con-

contraria compensantis voluntate non constat, nam iura citata supra sub nu. 424. dum dicunt, compensationem fieri ipso iure, loquuntur simpliciter; 433 † licet Doct. varijs agitati sint erroribus, quorũ vnus producit alium. Primus error est, dum contendunt, an compensatio fiat ipso iure, & in hoc errore versati sunt Martin. glossator antiquus, Accur. Cyn. Bar. Bal. & Salyc. in l. 4. si constat. C. de compens. & alij in diuersis locis, quia si in hoc habemus leges claras, debet cessare cõtentio. Secundus error (& grauior) est, dum communiter concludunt, compensationem non fieri ipso iure, & in hoc errore versati sunt Gl. in verbo, ipso iure. §. in bonæ fidei. Instit. de action. & in eod. verbo. in l. 4. si cõstat. C. de compens. Surd. decis. 117. petebantur. n. 3. in fine, & nu. 4. & seqq. & decis. 191. quamuis. nu. 13. 14. & 15. &, omissis alijs, de communi opinione testatur, & sequitur Ias. in d. §. in bonæ fidei. num. 77. & 78. Tertius error est, dum ab hac communi conclusione quosdam excipiunt casus, nulla tamen ratione adducta, quare excipiant, & in hoc errore versati sunt Glos. in d. l. si constat. & Sebast. Medic. tract. de compens. q. 21. num. 4. & seqq. tom. 6. par. 2. fol. 290. Quartus error est, dum eandem conclusionem limitant, vt non procedat in casibus, in quibus, si nõ fieret, debitor pateretur damnum vsurarũ, pœnæ, & similiũ; nã & hi errarũt, quia illi casus non sunt limites compensationis, quę fit ipso iure, ita vt extra illos casus non fiat; sed sunt aliqua exempla effectuũ, emanantiũ à compensatione, quæ fit ipso iure; & cõsequenter in quolibet alio casu, in quo compensanti resultet vtilitas ex compensatione, dicemus, compensationem fieri ipso iure, prout hanc doctrinam benè firmauit Tynd. in d. art. 6. num. 51. & seqq. & præsertim, sub nu. 60. vers. primo. tom. 6. par. 2. fol. 254. & in hoc errore versati sunt ij, quos in illis casibus citaui supra num. 425. & seqq. Quintus error est, dum in ijsdem casibus se ipsos implicantes, aiũt, adhuc requiri factum hominis, & consequenter inferunt, etiam in illis nõ fieri ipso iure; sicq; quod aiunt, negant: & eorum 434 error est manifestus, † quia quicquid fit ipso iure, statim suos operatur effectus, vnde sententia, lata ipso iure, statim operatur effectum suũ, nõ expectatis decem diebus, intra quos posset appellari, Tiraq. in l. si vnquam. in verbo, reuertatur. n. 426. C. de reuoc. don. quia quod fit ipso iure, trahit secum executionem, vt est in pœna, imposita ipso iure; idem Tiraq. in eodem verbo, reuertatur. num. 387. & ideo infamis ipso iure, statim intelligitur priuatus iure testandi, non expectata alia declaratione, Tiraq. in eod. verbo, reuertatur. sub num. 384. & faciunt, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 98. sub n. 12. ibi, si prouenit. Quare firmanda est opinio affirmatiua, quòd cõpensatio fiat ipso iure sine facto hominis, vt dixi num. præced.

435 Declara istam opinionem affirmatiuã, vt sit vera, considerata executione iuris velata, quia in ea non requiritur aliquod factum hominis, seu declaratio iudicis; secus, considerata executione iuris, aperienda, quia in eius aperitione requiritur factum hominis, & iudicis; hæc autem executio iuris velata, donec aperiatur, habet etiam suos effectus latentes, qui propterea sunt, ac si non essent, quia paria sunt, esse & nõ apparere, & nõ esse, vt hanc eandem declarationẽ sentit in effectu, & ostẽdit, sed per diuersa verba, Tynd. tract. de compens. art. 6. sub nu. 62. & seqq. vers. quinto illud. tom. 6. par. 2. fol. 254. & hæc de responsione adducta sup. sub n. 432.

436 Secundo respõdeo, quòd admissa illa opinione, quòd compẽsatio fiat ipso iure solum in casibus, in quibus compensans pateretur damnum, si non fieret ipso iure, casus de quo agimus est ex illis, quia si tu nõ haberes vnde mihi satisfaceres, ego perderẽ scut. 500.

437 Firmata limitatione, de qua supra num. 417. quòd compensatio antecellat quamlibet hypothecam quantumuis anteriorem.

Extende eam in Rep. Genuæ, vt si alter ipsorum, hincinde creditorum, & debitorum ex causa cambiorum, vel ex alijs quibusuis diuersis causis remanserit creditor, vel debitor, siue purè, siue in diem, siue pro se ipso, siue pro alio, seu computo aliorum, & efficiatur non soluendo, is, qui remanet creditor, præferatur omnibus in compensatione pro concurrenti quantitate, vt disponitur in Genuensium stat. lib. 4. cap. 14. de compensat. in princ. quam legem municipalem censeo esse conformem iuri communi, per ea, quæ secutus sum supra sub num. 424. vers. ratio. & esse æquitati amicam, & ideo vbique seruandam, tum quia alias valdè fraudaretur fides mercatoria; siquidem mercator, qui debet tibi 1000. facilè tibi ex alio contractu credet 1100. ratus, quòd pro scutis 1000. est cautus; tum quia nimis durum esset, soluere alteri, quod sibi debetur, ad

quam

quam duritiem euitandam admittitur compensatio ipso iure, vt dixi sup. nu. 431. &, facta compensatione, dicitur facta solutio, per ea, quæ scripsi supra sub num. 48. &, facta solutione, remanet extincta hypotheca, vt dixi supra sub num. 410. & 412.

438 Confirmatur hæc extensio, & consequenter limitatio extensa, quia secundum opinionem mercatorum, creditor consequitur solutionem, non solum per viam compensationis, quamuis sit creditor posterior, seu secundus, vt dixi supra num. 417. 424. & 437. sed consequitur etiam per viam retentionis pignoris, siquidem secundus creditor præfertur primo in pignore, quod sibi datum est à debitore, quia secundus creditor non aliter credidisset, & æquitas mercaturæ non videtur tolerare, quòd remaneat deceptus, Stracch. tract. de decoct. tit. qui pot. in bon. decoct. habeant. num. 11. tom. 6. par. 1. fol. 328. & Hebrei nō aliter essent tuti in pignore, nisi præferretur anterioribus creditoribus.

439 Declara primo hanc extensionem, vt totum id, quod creditor retineret, seu compensaret pro computo alterius, seu aliorum, teneatur distribuere ad ratam, vt in Genuen. statut. lib. 4 cap. 14. in fine initij.

Exemplifica eandem extensionem, & declarationem. Tu dedisti mihi scutos 100. ad cambium, sed in isto cambio habes nudum nomen tantum, cum verè spectet ad Petrum, & quando dedisti mihi ad cambium, ego feci litteras cambij, quibus mandaui Titio, vt dictos scutos 100. sic te iubente, solueret Francisco; vnde nec tu, qui dedisti ad cambium, nec Franciscus, cui litteræ soluendæ sunt, habetis aliud, quàm nudum ministerium, seu nomen. Euenit postea, quòd antequam Titius meus mandatarius acceptauerit meas litteras, seu antequam Franciscо soluerit, Petrus, ad quem, vt dixi, spectant dicti scuti 100. & eorum cambium, & vtilitas, sit effectus non soluendo, & consequenter Franciscus non possit à Titio exigere, sic disponente statuto, infrà citato, sed possit solum; & teneatur protestari litteras contra me, qui eas scripsi; sed tu, qui mihi dedisti cambio, benè poteris exigere à Titio meo mandatario, si velit eas soluere, vel exiges à me ipso, & quando tu remaneas creditor Petri, ad quem spectant dicti scuti 100. poteris retinere, & compensare pro concurrenti quantitate, siue sis creditor pro te ex aliquo contractu, tecum gesto, siue pro computo aliorum, vt quia Petrus sit debitor tui debitoris: Quòd si tu non remaneas creditor dicti Petri, vel supersit aliquid, facta compensatione, tunc exactio totius, seu residui spectabit ad alios creditores Petri: Sed est aduertendum, quòd si in litteris cambij, quas tibi feci, fuit expressum, quòd dicti scuti 100. seu, inquam, illorum remissa spectat ad Petrum, & ego, qui illos cambio accepi, sum etiam creditor dicti Petri, tunc non tu, qui dedisti cambio, sed ego, qui accepi, potero ante omnes retinere, & compensare pro concurrenti quantitate, in qua pro me, vel pro computo aliorum sum creditor; ita tamen quòd tenear repartiri, & distribuere ad ratam; sed si ego non sum creditor, tunc exactio, & compensatio spectat in totum ad te, qui dedisti cambio, & totum hoc exemplum habent Genuenses in statut. lib. 4. cap. 14. §. si quis. il 1. cuius statuti dispositionem, tanquam iuris communis interpretatiuam, & mercaturæ amicam, vbique amplectendam censerem.

440 Infero ex ista exemplificatione, quòd statut. in d. §. si quis. il 1. non procedit, disponendo, sed exemplificando, seu exponendo initium d. cap. 14.

441 Declara secundo, vt si ex prædictis litteris cambij, de quibus locutus sum supra in exemplificatione num. 439. seu ex alia scriptura appareat saltem per dies quindecim ante decoctionem debitoris, ad quem spectent pecuniæ, datæ ad cambium, seu aliæ merces, & ita etiam reperiretur annotatum in libro illius, qui assignationem de prædictis fecisset, tunc ius exigendi, compensandi, & retinendi competat primum illi, ad quem ex dicta annotatione constaret, dictas pecunias pertinere, vt in eodem statut. lib. 4. cap. 14. §. verum. il 1.

Et hæc de prima limitatione, posita supra num. 417.

442 Limita secundo, vt non procedat, quando debitor soluisset creditori posteriori, etiā non hypothecario, quia tunc creditor anterior, quamuis etiam hypothecarius, & alias potior, non posset à posteriori auocare pecuniam, bona fide solutam, & consumptam; quia, si aliter seruaretur, totus mundus esset in litibus, & mercatores à contrahendo deterrerentur, vt fuisse resolutum in cons. Neapol. re plenè discussa, refert Affl. decis. 190. pulchrum. num. 6. & 7. hæcq; resolutio placuit deinceps Consilio, & secuti sunt, & sequuntur alij, quos citat Flam. Cart. decis. 19. pulchrum. sub num. 6. & Genuenses eam am-

amplexi sunt in stat. lib. 4. cap. 7. §. penult. & amplexi erant antea in stat. antiquo, quod citat Paris. cons. 69. si iuris. num. 4. lib. 4.

Quamuis cotra Consilij Neapolitani decisionem, multis adductis rationibus, teneat Stracch. tract. de decoctor. par. vlt. sub num. 30. & seqq. vers. sed licet. iunctis num. præced. 26. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 329. quem sequitur Vrsill. in annot. ad Affl. dicta decis. 190. sub num. 5. vers. & licet. & num. seqq. & forsan de rigore iuris hæc contraria sententia est verior, per ea, quæ allegant ipsimet Affl. d. decis. 190. num. 2. & seqq. & Paris. d. cons. 69. num. 1.

443 Extende hanc limitationem, vt in Rep. Genuæ procedat non solum in solutione pecuniæ, vt locutus sum in hac limitatione, sed procedat etiam in cessione, & datione in solutum nominis debitoris, seu delegatione, posteriori creditori bona fide factis; quia tunc creditor anterior, qui habebat hypothecam anteriorem, & potiora iura in illo eodem nomine, non poterit ab illo posteriori creditore auocare illud nomen, sic disponente d. statut. cap. 7. §. penult. lib. 4. & scribunt super eo Paris. d. cons. 69. nu. 2. & seqq. vers. tamen considerata, additis ijs, quæ dicit postea num. 7. & seqq. vers. quo stante. lib. 4. à quo Flam. Cart. d. decis. 19. per totam, mutuo integram illam decisionem in substantia accepit, quibusdam paucis mutatis, & additis, firmando hanc eandem extensionem.

444 Ratio huius extensionis est, quia, quicquid sit in puncto iuris, de quo vide Paris. d. cons. 69. num. 1. & Cartar. d. decis. 19. nu. 3. vers. sed omissa. statutum æquiparat solutionem, & dationem in solutum nominis debitoris, & non sine ratione, cum cessio, & datio in solutum habeat naturam solutionis in pecunia numerata, vt sequuntur Paris. d. cons. 69. num. 7. & seqq. & Flam. Cart. d. decis. 19. nu. 7. & inter mercatores admittitur eiusmodi solutio, vt latè scripsi supra sub nu. 244. & 245.

445 Sublimita eandem limitationem, & extensionem, vt non procedant in solutione, & datione in solutum, factis non bona fide, quia eiusmodi solutio, & datio in solutum non tenent, & Doctores, & statutum allegati, sup. n. 442. & seqq. loquuntur de solutione, & datione in solutum, factis bona fide. Exemplifica hanc sublimitationem in solutione, seu datione in solutum, factis à decocto post decoctionem, vel paulò ante, nam consueuerunt mercatores, cum iam conturbandi consilium inierunt, se aliquibus creditoribus gratiosos reddere, quibus & si in diem debeant, præsenti soluunt, vel quamuis alios habeant creditores priuilegiatos; quæ solutiones, vti in fraudem aliorum creditorum factæ, reuocantur, Stracch. tract. de decoct. par. 5. num. 28. tom. 6. par. 1. fol. 317. & ideo statutis Genuen. lib. 4. cap. 7. de decoct. §. secuta declaratione. & §. cessiones. vberius prouidetur, quòd cessiones, dationes in solutum, & aliæ dispositiones bonorum, factæ per debitorem, ad fauorem alicuius, seu aliquorum ex suis creditoribus intra quindecim dies, immediatè antecedentes diem rupturæ, habeantur pro non factis: statuta verò Vrbis lib. 1. cap. 114. licet non ita copiosè prouideant, disponunt tamen, quòd alienatio cuiusuis generis, siue post decoctionem, siue ante decoctionem, facta ab eo, qui erat decoctus, vel communiter habebatur pro decocto, licèt adhuc non latitaret, præsumatur simulata, & ideo reuocetur: ad probandum autem, quòd communiter haberetur pro decocto tempore alienationis, mandat sufficere publicam famam, & communem opinionem: & quod disponunt in alienatione, facta ab ipso decocto, & fallito, extendunt ad alienationes, factas ab habentibus causam ab eo.

446 Amplia, declarando hanc exemplificationem, vt paria sint, esse ruptum, vel absentem, seu latitantem, vt in dictis §§. sed nō sunt paria, esse decoctus, & cedere bonis, cū quis possit esse decoctus, & tamen non cedere bonis, Vinc. de Franch. decis. 55. vera est. nu. 4. par. 1. item paria non sunt, esse decoctus, & esse non soluendo, cum decoctus dicatur is, cui bonorum administratio est interdicta, at ei, qui non est soluendo, non est interdicta administratio, Franch. d. decis. 55. nu. 2. & 3.

S V M M A R I V M.

QVAERO

527 QVAERO XVIII. an in contractu cambij post datas litteras sit licita pœnitentia, altero contrahente inuito?

Respondeo, quòd non, quia contractus cambij fit ad vtriusque contrahentis vtilitatem, & ideo, nisi vtriusque concurrat voluntas, non potest rescindi, Bal. cons. 348. seu 349. factæ fuerunt. num. 2. in fine, & num. 3. lib. 1. Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de solutione in loco ad quem. fol. 230. & ita, loquendo in litteris dispositiuis, scribit Bal. in rubr. vers. quæro circa hoc. C. de constit. pecun. quem sequuntur Socc. cons. 68. in causa quæ vertitur. in princ. vers. quæ etiam. lib. 3. Foller. ad Maran. in spec. par. 6. act. 6. num. 47. vers. etsi dispositiuas. fol. 386. Curt. Iun. cons. 132. habita diligenti. num. 2. vers. indagandum. & Io. Bapt. Cauat. d. tract. de camb. tit. de litteris. vers. quæro an litteræ cambij reuocari. fol. 224. & hæc est conclusio communis: & quòd contractus cambij fiat non gratia vnius, sed gratia vtriusque, scribit Rot. Genuen. decis. 32. cum alias. sub nu. 5. quam sequitur idem Cauat. d. tract. de camb. tit. de cambio sicco. in fine, fol. 223.

448 Amplia primo hanc conclusionem, vt procedat etiam si ageretur de rescissione, non omnimoda, sed in parte, puta, quoad locum destinatæ solutionis; quare si fecerim depositum in bãco Venetiarum, & fecerim, fieri mihi litteras cambij, vt mihi depositum reddatur Paduæ, &, priusquam deferam litteras, pœnitentia ductus, redeam ad banchum, vt faciat mihi alias litteras, non ad Paduam, sed ad aliam Ciuitatem, alias instem, reddi mihi depositum, ego non sum audiendus, quia banchum Venetiarum non cogitur mutare litteras, si verisimiliter illæ effectum habituræ sint; secus si effectum habituræ non essent, Foller. ad Maran. d. act. 6. num. 52. fol. 387. quem sequitur Ioan. Bapt. Cauat. d. rubr. de litteris. vers. quæro an mercator. fol. 224. in fine; nam mercatorum, & campsorum scriptura habetur pro sententia, & sua fide transit in rem iudicatam, idest, in soliditatem firmitatis, & irreuocabilitatis, Bal. cons. 348. seu 349. factæ fuerunt. nu. 4. lib. 1. & ideo mercatorum scripturæ conuenit illud, *quod scripsi, scripsi*. Bal. d. cons. 348. num. 3. in vltimis verbis.

449 Amplia secundo, vt multò magis procedat, quando litteræ cambij essent iam acceptatæ, quia tunc non posse reuocari, scribit Put. decis. 126. die 4. iunij. nu. 2. 3. & 4. tùm quia eo ipsò, quòd is, cui mandatur vt soluat, acceptat litteras, seq; creditori debitorẽ constituit, is, qui scripsit litteras, videtur soluisse, & per consequens liberatus; tum quia alias videretur remanere illaqueatus duplici obligatione: prima ad fauorem eius, cuius esset debitor: secunda ad fauorem eius, qui litteras acceptauit.

450 Limita primo, declarando eandem conclusionem, vt procedat in litteris dispositiuis, in quibus loquitur; secus si litteræ non sint dispositiuæ, sed sint mandatoriæ, quæ propterea reuocari possunt, Bal. in rubr. nu. 12. in fine, vers. secundo circa hoc. C. de constit. pecun. & Curt. Iun. d. cons. 132. sub nu. 2. & latius sub num. 6. vers. nec obstat. quare, si ego conuenirem tecum faciendi tibi litteras cambij, dirigendas Petro, & ab eodem, vti meo institori, soluendas; & Petrus gestorio nomine se obligat soluere litteras ei mittendas; ego possum & meam, & Petri obligationem reuocare, quia procuratorem possum ad mei libitum reuocare: sed si conuenissem de litteris dirigendis, & soluendis à Petro proprio nomine, & is ita se obligasset, ego non possum reuocare, Socc. cons. 68. in causa. in princ. vers. quæ etiam. & n. 1. lib. 3. Item, si ego in litteris, quas scriberem, nõ me obligarem, neque dispositiuè scriberem, sed solum dicerem, *soluere placeat*, possem istas litteras reuocare, Rot. Genuen. decis. 10. hieronymus. n. 14. & 15. adde alium casum, de quo loquitur Curt. Iun. d. cõs. 132. sub n. 6.

Hæc limitatio, cùm pace Doctorum, à quibus initium sumpsit, obscurat, non dilucidat, quia videtur partim falsa, & partim inepta: falsa, quia etiam in litteris dispositiuis potest scribens dare ordinẽ suo procuratori vt soluat litteras, & ordinẽ deinde reuocare, si sit datus gratia scribentis, vt dixi in seq. declar. videtur etiam inepta, quia vbi volumus dicere, procuratorem posse reuocari, ineptè videmur dicere, litteras esse mandatorias, seu non dispositiuas; cùm habeamus terminos magis proprios, & faciliores; vnde hæc limitatio videtur inanis.

Retenta tamen ea, qualis qualis sit.

Declara eandem, vt procedat quoad mandatarium, quem mandans potest à litteris cambij remouere, si in litteris sit appositus, vti mandatarius, & procurator gratia mandantis; secus, si sit appositus gratia creditoris,

ditoris, qui dedit cambio : per ea, quæ dixi in seq. limit. secus etiam, quoad contractum cambij, initum inter eum, qui dedit, & qui accepit cambio, quia quoad contractum indistinctè procedit conclusio, firmata supra num. 447.

451 Limita secundo quoad reuocandum eum, qui est adiectus litteris cambij gratia creditoris tantum, vel gratia debitoris tantum, quia, cuius gratia est adiectus, is potest, re integra, reuocare, vt secutus sum infra gl. 7. num. 80.

Diutius in huius gl. quàm in aliarum materia volui insistere, & quasi lento, & non currenti procedere gradu, memor vulgaris dicti, cuius meminit etiam Rot. Genuen. decis. 1. sub num. 37. *al pagar non esser corrente*; cuius tamen dicti obseruantia, sicut est laudabilis, quando debitum vel non est clarum, vel habilitas personæ, cui solueretur, esset dubia; ita ex opposito, quando debitum est clarum, & is, cui soluitur, rectè soluitur, est apud spectatæ fidei viros vituperabilis, inter Christianos sinceræ religionis peccaminosa, & apud omnes condemnabilis, si ex inexcusabili mora procedat, creditoriq; sit nociua, quia tunc tardè soluens, minus debito solueret.

§. 2. Glos. 6.

Per questa prima.

SVMMARIVM.

Mercatorum stylus in litterarum cambij scriptura est concisus, num. 1.

Litteræ cambij quot pro vnico cambio scribantur, num. 2. *Et quare plures scribantur*, nu. 3.

1 QVAERO I. quid significent ista verba, *per questa prima*, prælertim, cum substantiuo careant?

Respondeo, quòd significant pluralitatem litterarum datarum, aut forsan dandarum, & inter eas, has esse in ordine primas; nam illud substantiuum, *lettera*, de conciso mercatorum stylo, breuitati studentium, vti subintellectum, ideoque non necessarium, omittitur, maximè cum sequatur illa qualitas, *de cambio*, sunt tamen aliqui mercatores, qui, omissa hac forma scribendi, *per questa prima*, *seconda*, & faciendo etiam plures litteras, dicunt, *pagate vna sol volta*.

2 QVAERO secundo, quot creditori, cui solutio facienda erit, dari debeant litteræ cambij?

Respondeo, de istis litteris faciendis non esse determinatum certum numerum; quia earum pluralitas debitori, eas facienti, non nocet, & creditorem, cui facienda est solutio, releuaret ab onere probandi cambium, si primæ, aut secundæ perderentur litteræ: dixi, quòd facienti non nocet, quia, vnicis litteris præsentatis, reliquæ nullam habent vim.

Vsus tamen inualuit, vt soleant fieri tres litteræ, Bal. cons. 348. factæ fuerunt. sub nu. 3. versus finem, ibi, præterea dicit, lib. 1. & solent etiam fieri quatuor, vel quinque, & omnes fiunt sub vnica verborum formalitate, vt dixi §. præced. q. 5. sub num. 44. vers. aduerte secundo. & nu. 73. & 74. vbi videas; & ita intelligas, quod scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. q. 4. dicens, quòd solent binæ litteræ mitti, vt si fortè primæ perierint, secundæ perueniant; nam, vt dixi, possunt fieri plures, & non omnes mittuntur eodem tempore, sed dantur ei, qui est creditor litterarum, vt si primæ, quas miserit, perirent, mittat postea secundas.

3 QVAERO tertio, ad quid fiant tot litteræ cambij de eodem contractu cambij?

Respondeo, fieri principaliter, ne fides cambij contracti pereat, & secundario, ne creditor, amissis, seu interceptis primis, vel secundis litteris, cogatur redire ad debitorē, qui alias faciat; vt innui etiam num. praeced. sicut enim notarius ex instrumento originali, penes se existente, potest, & debet partibus petentibus dare plures copias, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 11. num. 527. & 538. ita etiam qui accipit cambio, potest, & debet petenti dare plures litteras, quia omnes sunt veluti copiæ authenticæ primarum litterarum; & qui plures petit, consultò agit, quia aut de contractu

tu cambij constat per publicum instrumentum, & tunc quamuis creditor, etiam litteris cambij amissis, sit cautus de cambio, nihilominus, ad euitandos labores faciendi fieri alias litteras, cautè alias ab initio eodem tempore facit fieri: aut constat ex libris met ipsius debitoris, & tunc similiter cautius aget, habendo plures litteras: aut constat solum per ipsas litteras, & tunc cautissimè facit; imò isto casu, & omni alio, quo de cambio non extaret publicum documentum, debet semper penes se habere plures litteras, vt, vnicis perditis litteris, aliæ non deficiant.

De litteris cambij, an indistinctè obligent, scripsi in gl. præced. num. 450. & infra gl. 9. num. 6. & 7. Litteris cambij amissis, quid agendum, dixi gl. præced. num. 348. & seqq. De alijs quæstionibus, ad litteras cambij pertinentibus, scripsi ead. glos. præced. ideo hic non repeto.

§. 2. Glos. 7.

à Francesco.

SVMMARIVM.

Littera cambij cui sint soluendæ, num. 1.

Adiecto solutioni litterarum cambij rectè soluitur, num. 2. Isq; actione mandati tenetur restituere, quod sibi fuit solutum, num. 38.

Soluens adiecto de mãdato debitoris, habet actionem mandati contra debitorem, sub num. 3. Soluendo liberat debitorem, num. 4. & 36. Liberatq; ipso iure, eod. num. 36.

Adiectus solutioni litterarū cambij, an possit protestari litteras, &c. n. 6. sub nu. 7. 50. & seqq.

Adiectus solutioni non potest in iudicio cogere debitorem ad soluendum, num. 39. & 40. Ampliatur primo, etiam si adiectus haberet penes se scripturam debiti, num. 41. Etiam si stipulatoris intersit, vt soluatur adiecto, num. 42. Et etiam si adiectus ageret procuratorio nomine, nu. 43. Et quid, si probaret, scripturam, in qua est adiectus, fuisse sibi à stipulatore traditam, num. 44. & seqq. Ampliatur secundo, vt neque possit protestari litteras proprio nomine, num. 47. Secus si protestetur nomine stipulatoris, num. 48. Limitatur primo, quando adiectus esset etiam procurator stipulatoris, quia tunc posset debitorem cogere ad soluendum, num. 53. Idem, si ei essent cessæ actiones, siue esset factus procurator in rem propriam, num. 54. Limitatur secundo, quando debitor in apodissa obligauit, se soluturum cuicunque illam exhibuerit, num. 55. & seqq. & num. 60. Reiecta opinione contraria, nu. 59. Extenditurq; hæc limitatio, etiam si adiectus non probet, apodissam fuisse sibi traditam à creditore, num. 60. 61. & 65. Reiecta opinione contraria, num. 62. & seqq. Et etiam si non sit nominatus in scriptura, sub nu. 65. Sed an adhuc debeat is agere nomine procuratorio, num. 66. Limitatur tertio in adiecto solutioni litterarum cambij, quia is potest protestari, & agere in iudicio, &c. num. 67. & seqq. Contrarium, quòd non possit agere, nu. 73. & 74. Restringitur hoc contrarium in duobus casibus, in quibus poterit agere, num. 75. & 76.

Adiecto solutioni nulla acquiritur obligatio, & qui dicatur adiectus, sub num. 8.

Adiecti vsus est valdè vtilis mercaturæ, sub num. 33.

Adiectus fit per alternatiuam, & non per copulatiuam, sub num. 35.

Adiectus solutioni, ne frustra sit adiectus, debet posse solutionem recipere, num. 32. & 33.

Reuocare solutioni adiectum, seu procuratorem, an, & quando liceat, num. 77. & seqq.

Adiectus solutioni, cuius gratia censeatur in dubio adiectus, num. 79. & 80.

Stipulari alteri nemo potest ex regula, sub nu. 8. & seqq. Restringitur hæc regula, sub nu. 11. & seqq. sub num. 17. 20. & seqq. Declaraturq; restrictio, num. 18. & seqq.

Notarius potest stipulari pro alio, sub num. 11. vers. restringe. Potestque stipulari pro alio, etiam si iste alius sit inhabilis ad stipulandum, ideoq; potest stipulari pro pupillo, num. 12. Pro infante, num. 13. Pro non nato, num. 14. Pro absente, num. 15. Et pro quouis alio, num. 16. Declaratur quando notarij stipulatio sufficiat ad validitatem stipulationis, & quando non, nu. 18. & 19. Et ex notarij stipulatione acquiritur actio sine cessione, num. 31.

Notarius in actu stipulationis pro alio reputatur seruus illius, pro quo stipulatur, cum sit persona publica, num. 17. in fine.

Stipulari quisque potest pro alio, idest, nomine alterius, num. 20. Declaratur primo, vt stipulans

pulans pro alio, acquirat obligationem naturalem, num. 21. & seqq. Declaratur secundo, vt acquirat sibi, & non illi, pro quo stipulatur, num. 25. Declaratur tertio, vt possit stipulari pro alio, concipiendo verba obligatoria in personam ipsius stipulantis, secus si concipret in personam illius, pro quo stipulatur, num. 26. Declaratur quarto, vt quamuis obligatio naturalis acquiratur stipulanti, tamen effectus pertinent ad eum, pro quo est facta stipulatio, num. 27. Ideoq; stipulator potest illi naturalem obligationem cedere, num. 30. Imò tenetur cedere, num. 28. Qui sint effectus huius naturalis obligationis, num. 29. & 30.

Stipulatio est inuenta, vt stipulans acquirat, quod sua interest, vnde inutilis est stipulatio, si stipulantis non intersit, sub num. 9.

Stipulari potest pro nobis, qui nostro iuri subiectus est, sub num. 17.

Stipulatio copulatiua pro se, & adiecto, licet sit nulla quoad adiectum, tamen remanet valida quoad stipulatorem, num. 34. & 35.

Ius accrescendi non habet locum in contractibus, sed habet locum ius non decrescendi, num. 35.

Vtile per inutile non vitiatur, num. 35.

Procurator ad recipiendam solutionem quid possit facere, num. 49. Et quid procurator ad exigendum, num. 58.

Obligatio non potest nobis acquiri, nisi per personam, quæ nostro iuri subiecta sit, num. 20. Quare ab his, qui sub nostra potestate non sunt, nobis acquiri non potest, num. 17.

Soluere proprio creditori, vel soluere alteri de creditoris voluntate, paria sunt, num. 37.

Mandatarius debitoris non cogitur acceptare litteras mandatoris, num. 5.

1 QVAERO I. an litteræ cambij sint necessariò soluendæ ipsimet creditori, qui dedit cambio, prout soluendas esse coniecturare quis posset ex formula istarum litterarum, dum mandant, solui Francisco, quem creditorem esse litterarum cambij patet per illa verba sequentia, *per la valuta di contanti da lui*, quarum litterarum formulam habes integram supra hoc eodem §. gl. 1. initio.

Respondeo, quòd non, sed erunt soluendæ, vel ipsi, vel ei, cui creditor, & debitor in litteris concordauerint; quare si litteræ soluendæ sint sibi ipsi, ipsius nomen erit ponendum in litteris, sin minus, ponendum erit nomen illius, cui solui debent, vt latius aduerti §. præced. q. 5. num. 75. & 76.

2 Quæro secundo, an debitor litterarum cambij, seu eius procurator debeat soluere adiecto solutioni litterarum absque eo, quòd adiectus doceat de mandato speciali ad exigendum?

Respondeo, quòd potest ei soluere, & soluendo, rectè soluit, vt dixi infra nu. 36. vers. secundus. sed iudicialiter, & inuitus ab adiecto sine sufficienti, & speciali mandato ad lites, cogi non potest, per ea, quæ dixi infra num. 39. vers. tertius.

Pro absoluta tamen huius respõsionis intelligentia, & pro multarum difficultatum, quæ circa hanc responsionem possent oriri, resolutione, distinguo in primis duas litterarum formulas.

3 Prima formula est, quando scribens litteras cambij, non committit sibi ipsi, vt eas soluat, sed committit alteri, vt in tenore litterarum, quas glossamus in hoc secundo §. & solutio est facienda non Francisco, qui dedit cambio pecunias, sed est facienda Sejo, qui dicitur adiectus, & veluti mandatarius ipsius Francisci, vt dixi §. præced. q. 5. nu. 75. hecq; formula propriè conuenit cambio, & est in frequenti vsu: & in hac formula adhibeo quatuor inspectiones. Prima inspectio est, an procurator, seu mandatarius debitoris, soluendo Seio adiecto, rectè soluat quo ad obligandum debitorem mãdantem; & in hac inspectione nulla cadit dubitatio, quòd rectè soluat, quia seruat mandatum, & consequenter mandans obligatur ei actione mandati, siue hic adiectus, cui soluit, habeat mandatum ad exigendum, siue non.

4 † Secunda inspectio est, an rectè soluat, quo ad liberandum ipsum debitorem mandantem ab obligatione, & debito, quo tenebatur creditori, & similiter dico, quòd rectè soluit, ex quo adiecto rectè soluitur, vt secutus sum infra num. 36.

5 † Tertia inspectio est, nunquid Franciscus, qui est creditor, seu eius mandatarius, qui est Seius, & qui dicitur adiectus solutioni, possit agere contra mandatarium debitoris, vt acceptet, & soluat litteras; & concludo sine vllo initio dubitandi, quòd non, quia mandatarius debitoris non est aliquo modo obligatus, & ideo, an velit, vel nolit soluere, pendet à mera eius voluntate.

6 † Quarta inspectio est, an adiectus

adiectus solutioni, mandatario debitoris ei non soluente, possit protestari litteras contra debitorem, quamuis non habeat mandatum speciale ad exigendum cum clausula ad lites; & in hac inspectione concludo, quòd adiectus potest protestari, vt explicaui infra num. 48. & 52.

Sed vbi litterę redierint protestatę ad Ciuitatem, in qua fuit contractum cambium, nunquid adiectus solutioni possit ibi conuenire debitorem ad soluendum, vide infra num. 67. & seqq. num. 74. & seqq.

7 Secunda formula litterarum est, quando debitor cambij scribit litteras sibimet, vt eas soluat, cum velit ipse accedere ad nundinas, vt dixi §. præced. q. 5. sub num. 75. & infra §. 6. gl. 1. sub num. 2.

Et licet ista formula videatur exorbitans à natura omnium litterarum, & ideo etiam à natura litterarum cambij; siquidem litteræ sunt scribendæ alteri personæ, quàm sibi ipsi, quia scribere ad se ipsum videtur quid stultum, per ea, quæ dixi d. gl. 1. sub num. 2. tamen demus hanc formulam, quia in effectu ea vtuntur negotiatores cambiorum, sed, vt euitent exorbitantiam, fingunt duas personas eiusdem nominis, vt dixi d. §. 6. gl. 1. num. 89. & 90. quare demus, quòd illæ litteræ ad se ipsum resoluantur effectiuè in apodissa, cum obligatione soluendi tertio, adiecto in solutione: & in ista formula non habent locum prima, & tertia inspectio, de quibus in præcedenti formula, sub num. 3. & 5. sed habet locum quarta inspectio, de qua num. 6. nunquid scilicet adiectus, debitore non soluente, possit protestari litteras, seu contra ipsum agere ad solutionem; & concludo idem, quod conclusi in quarta inspectione supra num. 6.

8 Verum pro intelligentia materiæ adiecti, & pro firmiori eiusdem conclusionis doctrina, & resolutione, altius exordiendo, distinguo tres articulos:

Primus articulus, quem pro maiori totius materiæ intelligentia præmitto, est, qui nam dicatur adiectus, & quare quis dicatur adiectus solutioni, & non obligationi?

In hoc articulo, omissis descriptionibus, seu definitionibus, quas tradunt Ias. & Stracch. qui eum citat tract. de adiect. par. 1. num. 29. & sub num. 31. tom. 6. par. 1. fol. 384. facio duas conclusiones; de prima nunc, & de secunda infra num. 32.

Primo concludo, adiectum solutioni dici eum, cui ex contractu, seu stipulatione, in qua est adiectus, nulla acquiritur obligatio; quia nemo potest alteri stipulari, l. 38. stipulatio ista. §. alteri. ff. de verbor. oblig. & §. alteri. Instit. de inut. stipulat. & hanc esse regulam receptissimam, & omnibus notissimam, scribit Tiraq. tract. de iur. constit. possess. limit. 30. sub num. 15. vers. in hac tam magna. fol. 192. quem sequitur Stracch. d. par. 1. sub num. 16. & esse regulam vulgarem, scribit, & ampliationibus exornat Mantic. tract. de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 27. num. 1. & ante eum copiosè Gabr. in concl. lib. 3. tit. de verb. oblig. concl. 1. nu. 1.

9 & seqq. † stipulatio enim, & obligatio sunt inuentæ, vt vnus quisque acquirat sibi, quod sua interest, alias, si sua non interest, inutilis debet esse stipulatio, dictis §§. alteri. supra citatis, Couar. in cap. quamuis. par. 2. §. 4. sub num. 2. de pact. in 6. & Mantic. d. lib. 14.

10 tit. 28. sub num. 47. vers. tertio accedit. † vnde succedit alia iuris regula, quòd per liberam personam, quæ iuri nostro subiecta non sit, nulla potest nobis acquiri obligatio; nam cum acquisitio, quæ fit per stipulationem, sit artificialis, non debet ei superaddi hoc aliud artificium, vt factum vnius reputetur factum alterius, quia esset multiplicare fictiones, vt sequitur Stracch. d. par. 1. num. 16. & 17. fol. 383. & 384.

11 Hæc conclusio plures admittit restrictiones, de quibus Bar. Paul. de Castr. Alex. Ias. & alij, in d. l. 38. stipulatio ista. §. alteri. ff. de verb. oblig. & Mantic. d. lib. 14. tit. 28. num. 1. & seqq. vbi eas cumulat vsque ad quatuordecim: ego vnam, quæ est in frequenti vsu, ideoq; insignior, persequar.

Restringe igitur hanc conclusionem, vt non procedat in notario, quia ipse potest validè stipulari pro alio, Bar. in d. l. 38. stipulatio ista. §. si stipuler alicui. sub num. 3. vers. & dicit. fallen. 3. & Paul. de Castr. in d. §. alteri. sub num. 6. fall. 1. Gabr. d. concl. 1. limit.

12 17. num. 95. † etiam pro inhabili ad contrahendum, & sic pro pupillo, Tiraq. tract. de iure constit. possess. limit. 30. num. 16. vers. sunt tamen. num. 23. 27. 29. & 30. in quibus duobus num. vlt. loquitur in pupillo, & probatur, ex l. 2. 3. & 4. ff. rem pupill. salu. for. nam in illis iuribus disponitur, quòd si pupillus sit absens, vel fari non possit, seruus

13 eius stipulabitur, &c. † potest etiam stipulari pro infante, Tiraq. d. num. 29. & 30. pro im-

14 pubere, Tiraq. ibidem num. 31. † & pro non-

dum

dum natis, sed nascituris, Mantic. d. lib. 14. tit. 26. num. 9. in 3. extens. licet Bar. & Ias. quos allegat, loquantur in patre, seu auo, & non in notario. 15 † & potest notarius stipulari pro absente indistinctè, vt indistinctè loquitur Tiraq. d. num. 23. 16 † & demum potest stipulari pro quibusuis, nullo ætatis discrimine considerato; & ita seruari de consuetudine per totam Italiam, refert, & sequitur d. limit. 30. num. 45. & 46. & quòd hæc sit recepta sententia, & crebrior, & à consuetudine in tantum approbata, vt rectè de ea dubitari non possit, scribit Stracch. tract. de adiect. par. 4. q 11. num. 1. rom. 6. par. 1. fol. 402.

17 Ratio huius restrictionis est, quia sicut per eos, qui sunt sub nostra potestate, acquirimus, Instit. per quas pers. nob. acquir. ita etiam ij, qui sub nostra patria, vel dominica potestate sunt, nobis stipulari possunt, d. l. 38. stipulatio ista. §. alteri. & ibi Paul. de Castr. num. 6. vers. & recollige istam. ff. de verb. oblig. sed notarius in hoc, vti publica persona, reputatur seruus illius, pro quo stipulatur. Ergo.

18 Declara hanc restrictionem, vt os notarij reputetur pro ore illorum, qui per se stipulari non possunt, vt puta, quia nondum sunt nati, vel quia sunt infantes, qui fari non possunt, vel quia sunt absentes, qui stipulari non possunt, vel quia sunt pupilli, aut minores, qui stipulari nesciunt, sicq; notarius repræsentat solum loquelam, & os istorũ, qui carẽt loquela, & cõsequẽter notarij stipulatio operatur solum effectũ, quem operaretur propria stipulatio istorum inhabilium, supposito pro possibili, quòd non natus, & infans possent fari, & quòd absens esset præsens, sed alium effectum non potest operari; 19 † quare si isti infantes possent fari, absentes essent præsentes, & stipularentur rem, nostro commercio non subiectam, & ideo stipulatio esset inutilis, vtique eque esset inutilis, si pro eis stipularetur notarius; & proinde fidatemus legem, quæ aliquo casu in stipulatione minoris requireret certam solemnitatem, etiam pro re, quæ minori esset vtilis, vtique stipulatio notarij sine illa certa solemnitate esset inutilis; quia, vt dixi, notarius non facit aliud, quàm repræsentare personam, & loquelam illius personæ, & sicut agens non agit, nisi in subiectum benè dispositum, vt ex Philos. 2. de anim. sequitur Bal. in cap. fin. de vit. & honest. cleric. & ex eo Troy. Malu. tract. de canoniz. sanct. dub. 3. num. 72. tom. 14. fol. 102. & probatur ex l. 2. in fine, ff. de stat. homin. & subiectum non potest dici benè dispositum, quando lex illi resistit: ita etiam notarius, qui est quodam agens, non potest stipulari in casu, quo lex resistit stipulationi.

20 Extende eandem restrictionem, sic declaratam, vt non solum notarius possit stipulari pro alio, sed etiam quilibet alius, sed cum minori effectu, per ea, quæ scribit Surd. decis. 229. verum est. sub num. 12. vers. nec obstat. & num. 13. & nos explicamus in seqq. declar.

21 Declara primo hanc extensionem, vt procedat, quo ad obligationem naturalem, quia alter, alteri stipulando, acquirit sibi naturalem obligationem tantum, Gl. in l. 38. stipulatio ista. §. alteri. in verbo, nihil interest. quam ibi sequuntur Bar. num. 8. vers. quæro an ex tali. Alex. sub num. 7. ibi, ego teneo opinionem gl. & Ias. num. 20. vers. in gl. in verbo, interest. ff. de verb. oblig. Couar. in cap. quamuis. par. 2. §. 4. sub num. 2. de pact. in 6. vol. 1. fol. 347. & Mantic. tract. de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 28. nu. 47. vers. vndecimo. & seqq. & hanc esse communem opinionem testantur, & sequuntur Alex. Ias. Couar. & Mantic. quam à contrarijs defendunt Alex. & latius Ias. in locis supra proximè citatis.

22 Ratio huius declarationis potest assignari duplex. Prima, quia ius ciuile, dum statuit, neminem posse alteri stipulari, fundatur in eo, quòd stipulatio ad hoc sit inuenta, vt vnus quisque acquirat, quod sua interest, vt scripsi supra sub num. 8. vers. primo concludo. & num. 9. Sed istud fundamentum deficit in iure naturali, quia ius naturale in pactis, & conuentionibus non respicit aliud, nisi, vt fides data seruetur, Couar. d. §. 4. sub nu. 2. & Mantic. d. tit. 28. sub num. 47. vers. tertio accedit. Ergo.

23 Secunda quia, cum lex non assistat, neque resistat stipulationi, quam vnus facit alteri, Alex. & Ias. in locis supra proximè citatis, remanet ex illa stipulatione consensus duorum, ex quo consensu oritur obligatio naturalis, l. 5. in his. §. imperator. & l. 95. stichum. §. naturalis, ff. de solut. Alex. & Ias. supra citati. 24 † Quòd autem lex non resistat, probatur ex eo, quòd stipulatio alteri per alterum facta est valida, apposita pœna, & tamen

tamen ſi ſtipulatio prædicta eſſet contra legem, minimè valeret adiectio pœnæ, quia, vbi principalis contractus eſt nullus, & legi contrarius, etiam pœnæ appoſitione non tenet, Couar. d. §. 4. num. 3. & 4. & quòd iure non tenet, nequit pœnæ vinculo alligari, teſtibus ijs, quos ſecutus ſum in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 57. num. 6. & quòd lex non aſſiſtat, patet, quia non aſſiſtit ratio, quam ſectatur lex, videlicet, quòd ſtipulatio ſit inuenta, vt quiſque acquirat, quod ſua intereſt, Bar. in d. §. alteri. ſub num. 4. ibi, ſed legis ratio non aſsiſtit. & hæc non aſsiſtentia rationis patet ex prima ratione, poſita ſupra num. præced.

25 Declara ſecundo, vt obligatio naturalis, quam ſupra num. 21. diximus acquiri ex alterius ſtipulatione, acquiratur non illi tertio, pro quo ſtipulans ſtipulatur, ſed ipſi ſtipulatori, Alex. in d. l. 38. ſtipulatio iſta. §. alteri. ſub num. 7. dicens (aut quæritur, an naturalis obligatio acquiratur ſtipulanti, & dico, quòd ſic; aut quæritur, an acquiratur ei, cui ſtipulatus ſum, & dico, quòd non) & Iaſ. ſub nu. 20. ff. de verb. oblig. dicens, communem eſſe ſententiam, quòd ex ſtipulatione, facta alteri, oritur naturalis obligatio ipſi ſtipulanti, & ſentit Mantic. quem retuli num. ſeq.

26 Declara tertio, vt extenſio procedat, quando verba obligatoria ſtipulationis concipiuntur in perſonam ſtipulantis, quia tunc oritur obligatio naturalis, de qua locutus ſum ſupra num. 21. & ſeqq. vt puta; cum ſtipulationem ſic concipio: ***promittis mihi, quòd dabis Titio centum***; ſecus quando verba obligatoria ſtipulationis concipiuntur in perſonam tertij, vt puta, ***promittis Titio, quòd dabis ei centum***, quia iſta ſtipulatio eſt prorſus inutilis, Alex. d. §. alteri. num. 7. verſus finem, & Iaſ. ſub num. 20. Bar. in d. l. 38. ſtipulatio iſta. §. ſi ſtipuler alteri, initio, & nu. 1. dicens, ſtipulationem eſſe validam, ſi verba promiſſionis conferantur in perſonam ſtipulatoris, & verba executiua in perſonã alterius, etiam quòd ipſius ſtipulatoris nõ interſit; ſecus ſi verba promiſsionis, & executionis, vel promiſsionis tantum dirigantur in abſentem, quia tunc, inquit, ſtipulatio eſt nulla, Gabr. in concluſ. lib. 3. tit. de verb. oblig. concl. 1. ampl. 12. n. 19. & 65. dicens, etiam naturalem obligationem non oriri, quando verba obligatiua, & executiua conferuntur in tertium, Couar. in cap. quamuis. par. 2. §. 4. ſub num. 9. verſ. nono præmittendum. de pact. in 6. dicens, quòd ſi verba ipſius promiſsionis non dirigantur in præſentem, ſtipulatio eſſet reprobanda; ſubdens, quòd Iuriſconſultorum auctoritates ſunt intellectæ, vt loquantur, quando verba promiſsionis diriguntur in præſentem, executionis autem in abſentem, Mantic. tract. de tacit. & ambig. conuent. lib. 14. tit. 28. num. 50. dicens, quòd in primo caſu conſtat, me ſtipulantem voluiſſe mihi obligare promiſſorem, Surd. deciſ. 229. verum eſt. num. 13. in fine, & num. 14. dicens, quòd etſi alteri ſtipulari regulariter nemo poſsit, tamen, inquit, hoc fallit, quando non ſolum obligatiua, & promiſsiua, ſed etiam executiua verba diriguntur in perſonam ſtipulantis; quia tunc, inquit, actio & obligatio ſtipulanti acquiritur; & loquitur Surd. non de obligatione naturali, ſed de obligatione ſimpliciter.

27 Declara quarto, vt quamuis obligatio naturalis acquiratur ſtipulatori, vt dixi, tamen effectus huius naturalis obligationis pertinet ad tertium, ad cuius vtilitatem videtur facta ſtipulatio, Bar. in d. l. 38. ſtipulatio iſta. § alteri. ſub num. 8. ff. de verb. oblig. dum ait, non eſt obligatus mihi naturaliter ad decem, ſed eſt obligatus dare illi tertio, & ſic pecunia non eſt mihi debita, & Couar. cuius verba in ſubſtantialibus retuli nu. præcedenti, & ſentiunt Iaſ. & Surd. citati num.

28 ſeqq. † Quapropter ſtipulator poſſet illi tertio cedere hanc naturalem obligationem, Iaſ. in d. § alteri. ſub num. 20. verſus finem.

29 Imò ſecundum ea, quæ ſcribit Surd. d. deciſ. 229. ſub num. 14. iſta vtilitas contractus, & ſtipulationis in tantum pertinet ad tertium, & non ad ſtipulantem, vt ſtipulans teneatur actionem illam cedere illi tertio, pro quo ſtipulatus eſt, & ad cedendum cogatur actione mandati, ſi ſit procurator illius tertij, vel actione negotiorum geſtorum, ſi non ſit illius procurator.

30 Infero primo ex his declarationibus, quòd ſtipulans, ſi ad eius manus perueniret res, per ſtipulationẽ promiſſa, poſſet, attenta naturali obligatione, illam retinere, vt daret eam tertio, ad cuius vtilitatem ſtipulatus eſt, Iaſ. in d. §. alteri. ſub num. 20. Ibi, huic fundamento reſpondeo. & promiſſor, qui eſt dominus illius rei, ſi per errorem iuris illam ſtipulanti dediſſet, non poſſet, ſtante naturali obligatione, eam, quaſi indebitam, repetere, Mantic. tractat. de tacit. & ambig.

big. conuention. lib. 14. tit. 28. num. 49.

30 Infero secundo, quòd cum stipulator possit, seu teneatur illi tertio cedere hanc naturalem obligationem, vt dixi supra nu. 28. & 29. ille tertius, stante cessione, posset compensare, & retinere contra promissorem, qui propterea ab eo vti indebitum repetere non posset, stante naturali obligatione.

31 Subdeclara, quod supra num. 27. in 4. declaratione, & in hac secunda illatione dixi de cessione, facienda illi tertio, pro quo est facta stipulatio, vt non procedat in stipulatione notarij; quia ex illa stipulatione quæritur actio sine alia cessione illi, pro quo notarius est stipulatus, Surd. d. decis. 229. nu. 16. in fine, & num. 17.

Reliquas restrictiones, procedentes ex iure canonico, & ex iuramento, ne nimis peregrè proficiscar, omitto, tu eas poteris videre apud præfatos Doctores. Et hæc de prima conclusione, posita supra sub num. 8.

32 Secundo concludo, (& est potius ratio primæ præcedentis conclusionis, de qua sup. d. num. 8.) ideo eum, cui non est acquisita obligatio ex stipulatione, in qua fuit inclusus, censeri adiectum solutioni; quia actus, qui potest stare frustratorius, & non frustratorius, debet in æqua lance semper sumi, ne stet frustratorius; vnde dicimus, verba esse intelligenda in sensu, in quo operantur, & non in sensu, in quo sunt superflua, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum infra §. 7. gl. 3. num. 19. & 20. sed illa adiectio, quoad acquirendam obligationem, est frustratoria, & inutilis, quia adiectus nullam ex illa stipulatione potest acquirere obligationem, per ea, quæ dixi supra sub num. 8. vers. primo concludo. & num. 9. & magis in terminis infra sub num. 39. † & quoad rectam solutionem,

33 vt ei possit solutio rectè fieri, est non frustratoria, sed vtilis, cum gratia promissoris, & creditoris, commodo possit quis solutioni adijci, vel gratia vnius ex ipsis, vt considerat Stracch. d. par. 1. sub num. 30. tom. 6. par. 1. fol. 384. imò fieri hanc adiectionem, magno negotiatorum commodo statutum est, siquidem mercatura vix exerceri posset, si adiecti constitui non possent, Stracch. ead. par. 1. num. 26. in fine, & num. 27. eod. fol. 384. ergo illa adiectio debet remanere in hoc sensu, vt adiecto rectè solui possit, prout, ita argumentando, scribit Stracch. d. par. 1. num. 22. & sub num. 26.

34 Infero hinc, quòd si stipulatio sit vtilis quoad stipulatorem pro se ipso, non debet vitiari propter inutilem stipulationem, conceptam in personam alterius; quare si stipulatus sim mihi, & Titio decem, mihi debentur quinque, sed Titio nihil, §. quod si quis.

35 Instit. de inutil. stipul. † quia stipulatio in persona Titij nihil valet, & illa quinque, quæ Titius habere non potest, ego, quamuis simus re, & verbis coniuncti, iure accrescendi nō acquiro, cum ius accrescendi non habeat locum in contractibus, Stracch. d. par. 1. sub num. 19. & 20. & quòd ius accrescendi regulariter non habeat locum in contractibus, scribit, & declarat Socc. cons. 34. visa renunciatione. num. 6. lib. 4. & quòd idcirco non habeat locum in feudo nouo diuisibili, scribunt Zas. tract. de feud. par. 3. nu. 8. fol. 305. & par. 8. num. 43. fol. 313. Curt. Iun. eod. tract. in 3. par. 2. par. princip. num. 70. & seqq. fol. 61. & 62. & Clar. in §. feudum. q. 77. initio, & vers. secundo principaliter. & ita intelligas Abb. in cap. vlt. num. 8. de feud. & Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. in fine, cap. vlt. q. 3. Sed super hoc puncto, an ius accrescendi habeat locum in contractibus, vide quæ citat Salyc. in l. vnica, q. 10. sub nu. 18. C. quando non petent. Item si stipulatus sim disiunctim mihi decem, & Titio decem, ego habebo decem, & Titius nihil, & illa decem habebo non per ius accrescendi, quia non habet locum in contractibus, vt dixi, sed habebo per ius non decrescendi, quod habet locum in contractibus, Stracch. d. num. 20. sed ego huius illationis rationem facilius dicerem, esse, quia in diuiduis vtile per inutile non vitiatur, per ea, quæ scripsi §. præceden. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 59. & ampl. 20. num. 6. & seqq. sed, vt cessent istæ difficultates, debet adiectus fieri per alternatiuam, non per copulam, Surd. decis. 229. verum. num. 29. vt puta, quia ego stipuler mihi, aut Titio decem; quo casu stipulatio remanet valida quo ad me, & Titius remanet adiectus solutioni, quia quando alternatiua, vt in casu isto, ponitur inter personas, inter quas actus valere non potest, prout geritur, remanet validus, prout valere potest, Stracch. d. par. 1. nu. 22. & 24. & facit quod scripsi §. præcedenti, quæst. 7. par. 3. limit. 7. num. 11.

Et hæc de primo articulo, posito supra num. 8.

36 Secundus articulus est, an debitor, soluendo sua sponte ei, qui est adiectus in lit-

teris

teris cambij, liberetur à debito, eò quòd rectè soluat: & concludo affirmatiuè, quia rectè soluit, l. 7. sed etsi filiofam. §. si mihi. ff. de constit. pecun. l. 56. eum qui ita. §. qui sibi. & l. fin. §. pupillus. in fine, ff. de verb oblig. l. 12. vero procuratori. ff. de solut. & liber. Stracch. tract. de adiect. par. 1. num. 43. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 385. & latè par. 3. tit. quando adiecto solui possit. num. 2. vers. regulariter. & num. 9. & seq. vers. prædicta locum. fol. 389. & liberatur ipso iure, Surd. decis. 229. verum. sub num. 8. hancq; regulam Stracch. vbi supra viginti octo ampliationibus exornat, & in propria facti specie par. 4. in fine, post q. 15. vers. apud. num. 1. fol. 403. vbi, sequens Baldum, in tantum existimat, adiecto in litteris cambij rectè solui, vt solum dubitet, & firmet, in dubio præsumi negotium pertinere principaliter ad eum, qui numerat pecuniam; & postea ad eandem regulam ead. par. 3. num. 88. & seqq. fol. 393. ponit decem, & nouem limitationes; quas omnes ampliationes, & limitationes prætereo, quia nostro non inseruiunt instituto, & conclusio est satis clara, & in praxi dubitationem non recipit, siue ille adiectus habeat mandatum speciale ad exigendum, siue non habeat.

37 Ratio huius conclusionis est, quia paria sunt, soluere proprio creditori, vel alteri de eius voluntate, l. 11. solutum. §. solutum. ff. de pign. action. l. 23. si cum dotem. §. transgrediamur. ff. solut. matrim. & l. 4. nihil interest. C. de solut. Stracch. d. tract. de adiect. par. 1. sub num. 27. fol. 384. & Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 2. cap. 2. num. 66. sed adiecto soluitur de voluntate creditoris, quia ipse solutioni eum adiecit: ergo, dum soluitur adiecto, dicitur solui creditori, Matt.

38 Coler. d. cap. 2. nu. 77. † & reputatur procurator creditoris, ideoq; tenetur ei restituere actione mandati, quod solutum est, Paul. de Castr. in l. 3. non vtique. §. item iulianus. ibi, sed si soluitur adiecto. ff. de eo quod cer. loc. & quòd sit veluti quidam procurator, secutus sum ex Ias. infra sub num. 77.

39 Tertius articulus est; an debitor non solum rectè soluat adiecto, vt in præced. articulo, sed possit etiam contentioso iudicio inuitus ab eo cogi ad soluendum: & concludo negatiuè, quòd adiectus non potest agere, quia adiecto nulla est acquisita obligatio, l. fin. §. pupillus. in fine, ff. de verb. oblig. quare adiectus non potest agere, l. 7. sed etsi filiofam. §. si mihi. ff. de constit. pecun. Glos. in §. planè. in verbo, scio. Instit. de inutil. stipul. Rot. Genuen. decis. 54. vertente. num. 4. vers. secundo dicitur. Flam. Cartar. decis. 126. hæredes. num. 1. & 6. & satis probatur ex his, quæ scripsi supra sub nu. 8. in 1. conclus. & latè prosequitur Stracch. tract. de adiect. par. 1. num. 46. & seqq. iunctis nu. 43. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 385. & cum de hoc sit casus legis, non esse vlterius insistendum,

40 scribit Rot. Genuens. vbi sup. † & leges in materia adiecti, seu de adiecto loquentes, remanere incorrectas, scribit Imol. quem sequitur Stracch. d. par. 1. sub nu. 22. fol. 384.

Ratio huius conclusionis est, quia, si adiecto nulla est acquisita obligatio, impossibile est, vt habeat actionem, quia generatum sine generante non datur.

41 Amplia primo hanc cóclusionem, vt procedat, etiam si adiectus haberet penes se scripturam, in qua stat adiectus, illamq; in iudicio produceret, quia illa habitio, & productio non sunt apta ad acquirendum obligationem, & consequenter remaneret adiectus, qui nomine proprio non potest agere, per ea, quæ iam firmaui sup. num. 39. & in terminis huius ampliationis intelligo Cyn. in l. 21. ad probationem. sub num. 3. ibi, iuxta l. istam. C. de probat. dum dicit, quòd licet quis conuenerit mecum, librum, quem penes eum deposui, restituere cuicumque meas litteras deferenti, tamẽ deferens meas litteras, non potest librum exigere, licet tradens liberetur: intelligo tamen, quòd non potest proprio nomine, secus autem nomine procuratorio, per ea, quæ scripsi infra n. 55.

42 Subamplia primo hanc ampliationem, vt procedat etiam si intersit eius, cui promissa est restitutio, quia nihilominus portans litteras, non potest proprio nomine exigere, Cyn. vbi supra.

43 Subamplia secundo, vt quis non possit agere, tanquam procurator nomine stipulatoris; quamuis produceret instrumentum illius stipulationis, quia sola existentia scripturarum penes aliquem non probat, illum esse procuratorem, per ea, quæ dixi remissiuè infra sub nu. 63. nisi debitor in ipsa scriptura se obligasset soluere cuique scripturam præsentaturo, per ea, quæ dixi infra num. 55. & seqq. & sub num. 65. extens. 2.

44 Subamplia tertio, vt quamuis adiectus produceret scripturam, probaretq; scripturam illam fuisse sibi à stipulatore, idest, creditore

ditore traditam; tamen adhuc non posset agere, etiam si vellet agere, tanquam procurator stipulatoris; & moueor, quia licet quis præsumeretur habere sufficiens mandatum ad agendum, eo ipso, quòd penes se haberet scripturas, pertinentes ad causam, pro qua vult agere, & probaret, illas sibi traditas esse à principali, vt dixi remissiuè infra nu. 63. tamen hoc est verum, quando illa traditio scripturæ fit personæ, quæ in ipsa scriptura non habeat aliquod nomen, cui illa traditio possit applicari; quia tunc præsumitur ei tradita, vt sit procurator; secus quando traditio scripturæ fit personæ, habenti in ea nomen adiecti, vt in casu nostro, quia tunc illa traditio potest applicari, & correspódere nomini, quod in ea habet, sicq; vt possit à debitore, sponte soluente, exigere, & debitor possit ei tutò soluere.

45 Contraria opinio videtur communis, & seruanda, quia illa traditio habet vim constituendi illum procuratorem, per ea, quæ scripsi infra num. 55. & seqq.

46 Et maximè procedit hæc opinio contraria, quando appareret quo animo stipulator tradidisset, quia tunc adiectus posset vti illa facultate, quam stipulator voluit ei dare, vt secutus sum infra num. 53. & seqq. limit. 1.

47 Amplia secundo, vt sicut adiectus non potest proprio nomine agere ad consequendam solutionem, ita etiam non possit proprio nomine protestari contra debitorem, quamuis habeat penes se scripturas, quia frustratoria est protestatio, quæ protestantis actioni non innititur, & voces, quorum non interest, exauditi non debent, & protestatio admittitur, vt protestantis ius conseruetur, sed adiectus non habet ius, quia siue soluatur, siue non soluatur, ipsius, vt ipsius, nihil interest; item, prohibito vno, censentur prohibita omnia, quæ ordinantur ad illud, l. 16. oratio. ff. de spons. sed protestatio ordinatur ad instituendam actionem, qua caret adiectus, vt dixi: ergo.

48 Declara, restringendo istam ampliationem, vt secus sit, si adiectus protestaretur non nomine proprio, sed nomine stipulatoris; quia isto nomine posset protestari, cum adiectus censeatur procurator ad recipiendam solutionem, per ea, quæ scripsi supra num. 38.

49 Sed procurator, constitutus ad recipiendam solutionem, potest, & debet se præsentare conspectui debitoris, recepturus solutionem, & pro ea debet ipsum extraiudicialiter requirere, faciendo ei fidem, quòd habet penes se scripturam, in qua est adiectus, & vbi, his peractis, recuset soluere, debet posse facere ea, per quæ constet, se satisfecisse suo mandato, quia paria essent, non fecisse, vel fecisse, & non posse apparere, se fecisse; ergo debet posse coram testibus, vel per acta publica facere, vt constet, quòd non per se, sed per debitorem stetit, quominus solutionem receperit: sed in hoc virtualiter includitur effectus protestationis: ergo, sicut potest protestari procurator, ita potest adiectus.

50 Confirmatur hæc declaratio, quia, loquendo in litteris cambij, adiectus, præsentando litteras cambij illi, in quem est facta tracta, dicitur interpellare, & ideo exinde debitor, vti constitutus in mora, tenetur ad interesse, Rot. Genuen. decis. 30. alias. sub num. 3. vers. secundo dicebant. Si potest interpellare, & constituere in mora; ergo potest, interpellando, protestari, cum protestatio sit de natura, & tanquam accessorium interpellationis, & ita sine vlla dubitatione seruant passim mercatores Genuenses, vt adiectus litterarum solutioni, seu correspondens creditoris, nominatus in litteris cambij, possit in foro Placentiæ protestari litteras cambij, imò tenetur protestari ex dispositione statutorum Genuensium, vt latius scripsi supra gl. 5. nu. 318. & 321. vbi videas.

51 Extende primo hanc declarationem, loquendo in litteris cambij, vt procedat etiam si adiectus non doceret de litteris, quas vocant, *d'auiso*, quia nihilominus posset protestari litteras nomine stipulatoris.

52 Extende secundo, vt procedat, siue sit adiectus solutioni litterarum, soluendarum ab ipsomet debitore, qui fecit litteras, siue sit adiectus solutioni litterarum, soluendarum à mandatario ipsius debitoris, prout locutus sum num. præced. & supra num. 6. quia vtroque casu poterit absque vlla differentia validè protestari; & de contrario rectè dubitari non potest.

53 Limita primo nunc eandem conclusionem, positam supra num. 39. vt non procedat, quando adiectus esset etiam procurator stipulatoris, quia tunc posset nomine procuratorio petere, & agere contra debitorem iuxta facultatem, sibi in mandato concessam, quod pro bona cautela notat Stracch. tract. de adiect. p. 1. n. 48. tom. 6. p. 1. fol. 385.

Seu

54 Seu quando essent ei cessæ actiones, Paris.cons. 107. quæritur. sub num. 5. lib. 3. vel esset factus procurator in rem propriam, sicque esset adiectus suo commodo, ita quòd pecunia, seu alia res soluenda esset apud eum remansura, quo casu vtiles actiones in eum dicuntur translatæ, Paris. d. cons. 107. num. 30. & seqq. & Flam.Cart. decis. 126. num. 5. & 6. vers. & præterea. & multò magis quando esset ei facta delegatio, Flam. Cart.d.decis. 126. sub num. 3. vers. his non obstantibus. & num. seqq. nam his casibus non sumus in adiectione, sed in cessione, & delegatione: & ideo diligenter est consideranda forma adiectionis, ne sit cessio, aut delegatio, vel alius contractus.

55 Limita secundo illatiuè ex præcedenti, vt non procedat, quando debitor in instrumento, seu apodissa se obligauit soluere creditori, & cuique alij, qui apodissam præsentabit, & adiectus scripturã habeat penes se, eamq; exhibeat in iudicio, quia isto casu potest debitorẽ conuenire nomine procuratorio creditoris, & non tanquam adiectus, Rebuff. tract. de litter. obligat. art. 1. glos. 9. num. 33. vers. poterit. tom. 1. fol. 73. Stracch. d. tract. de adiect. par. 4. q. 8. num. 8. & seqq. vers. tertia facti species. fol. 400. & quando is, qui presentat, esset nominatus in scriptura, prout nos supponimus esse nominatum adiectum, videtur admittere etiam Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 2. cap. 2. num. 64. & seqq. vers. vsitatum est. & in terminis sub nu. 66. quem latius retuli inf. nu. 57. secus si non sit nominatus, sed solum habeat scripturam, eamq; exhibeat, quia tũc (sed nõ benè) tenet, eũ neque procuratorio nominè esse audiendũ, vt notaui inf. nu. 59. & 62. & pro hac eadem limitatione potest allegari Boer. decis. 154. aliud ortum. in fine, num. 9. dicens, in casu huius limitationis non requiri aliud ad probandum, portitorem instrumenti esse procuratorem, iuncto eo, quod dicit nu. 8. & ego hanc limitationem vidi vsu receptam, & seruari in Curia Anchonitana testatur Stracch. d. q. 8. sub num. 10. fol. 400.

56 Huius limitationis casum esse frequentem, & Parisijs ita communiter fieri instrumenta, testantur Boer. d. num. 9. & Rebuff. d. num. 33. & nos passim videmus in Italia, & formula solet sub istis, vel similibus verbis concipi. *Io N. in virtù della presente mi obligo pagare à Titio scudi mille per tante merci compre, & hauute da lui, ouero à chi presentarà la presente poliza, & obligo me, &c.* Stracch. d. q. 8. num. 1. fol. 400.

57 Rationem huius limitationis duplicem considerat Matth. Coler. d. cap. 2. num. 66. versus finem: Primam, quia creditor tàm sibi, quàm cuilibet possessori litterarum obligatiuarum solui stipulatur: Secundam, quia satis dicitur nomen proprium expressum in instrumento, sub nomine portitoris, seu possessoris illius instrumenti: sed vtraque ratio est infirma, quia esto, quòd creditor sit stipulatus portitori, & possessori, tamen ex ista stipulatione nulla est illi acquisita obligatio, vt possit agere, per ea, quæ dixi supra num. 39. vers. tertius. sed solum est adiectus solutioni, vt debitor possit illi rectè soluere, vt firmaui supra num. 36. & seq. in 2. articulo, & ideo esto etiam, quòd eius nomen intelligatur expressum in instrumento, tamen est adiectus, vt dixi, & iura, & Doctores, quos citaui supra d. num. 39. vers. tertius. dum scribunt, adiectum non posse agere, loquuntur de adiecto, cum omnimoda nominis expressione.

Ratio ergo valida erit, quia illa subsequens scripturæ productio, quam faceret adiectus, iuncta præcedenti promissioni de soluendo præsentanti, faceret præsumi, scripturam esse illi traditam à creditore, vt dixi infra num. 61. quæ traditio haberet vim constituendi illum in procuratorem; sicq; de adecto efficitur procurator.

58 Confirmatur hæc secunda limitatio, quia procurator ad exigendum, potest exigere ab inuito, & sic agere in iudicio contra debitorem, Bar. in l. 86. hoc iure. sub num. 1. & 2. & Paul. de Castr. num. 2. ff. de solut. & de communi testatur Franc. de Pont. cons. 91. nu. 1. & potest agere etiam in iudicio executiuo, Flam. Cart. decis. 92. opponebatur. num. 3. & etiã in iudicio breuiori secundum stat. Gen. lib. 2. cap. 4. de causis breuioribus, in illis verbis, *vel habentis auctoritatem exigendi*.

Sed adiectus, maximè si habeat penes se scripturam, videtur constitutus ad exigendum. ergo.

59 Contrariam opinionem, nempè, quòd exhibens instrumentum, chirographum, seu apodissam, conceptam vt supra, non censeatur constitutus procurator, & consequenter non possit agere, tenet Matth. Coler. quem retuli infra num. 62. dum tenet, quòd debeat probare, apodissam fuisse sibi traditam; & pro hac contraria opinione faciunt

illa eadem duo argumenta, quæ deduxi infra num. 63. & 64.

60 Retenta limitatione.

Extende primo eam, vt procedat, quamuis exhibens chirographum, non probet, illud fuisse sibi traditum à creditore, quia adhuc poterit, vti procurator, agere, Rebuff. d. gl. 9. nu. 34. vers. nec requiritur. & Stracch. d. q. 8. num. 8. in vltimis verbis, ibi, verum in proposita, & num. 9. fol. 400.

61 Ratio huius extensionis est, quia, cum apodissa contineat obligationem soluendi cuicunque, qui eam præsentabit, verisimile est, quòd creditor eam cautè custodiat, ne aliquis eam ipsi subtrahat, & exigat à debitore; vnde, cum quis eam præsentat, præsumitur, quòd sibi tradita fuerit à creditore, & non quod eã subtraxerit: & ideo sit etiam cautus notarius, qui haberet penes se eiusmodi instrumentum, ne illius publicam copiam alteri tradat, quàm creditori, seu de eius speciali mandato, quia, tradendo alteri, teneretur creditori ad damnum, & sic ad debitum, quod alteri fuisset solutum; secus est in alijs scripturis, & apodissis, quæ non continent eiusmodi obligationem, quia, cum in illis non requiratur hæc diligens, & cauta custodia, cessat præsumptio traditionis, & intrat suspicio subtractionis.

62 Contrariam opinionem, nempè, quòd præsentator apodissæ non possit agere, nisi probet, fuisse sibi à creditore traditam, sentit Matth. Coler. d. cap. 2. sub num. 68. dicens, istam esse veriorem, & magis iuridicam opinionem, & ita in specie contra Rebuff. supra citatum, firmat sub num. 74.

63 Confirmatur hæc contraria opinio duplici argumento.

Primo, quia iste adiectus, vel vult agere, vti adiectus, & certum est, quòd non potest, per ea, quæ dixi supra num. 39. in 3. art. & quòd censeatur adiectus, motiuat etiam Stracch. d. q. 8. num. 1. vel vult agere, vti procurator, & similiter non potest, quia sola scripturarum existentia penes aliquem tertium, non probata illarum traditione, non probat, illum tertium esse procuratorem in illa causa, sed debet probare, fuisse sibi traditas à domino, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 101. num. 35. aliàs, non probata traditione, non diceretur plenè probatum mandatum, ideoq; non admitteretur ad agendum, nisi saltem cum cautione, vt secutus sum sub eodem num. 35. vers. sed quid dicendum.

64 Secundo, quia iste est adiectus, cui traditio scripturæ in omnem casum præsumitur facta citra nomen procuratoris ad lites, vt dixi supra num. 44. ergo nihil releuat, quòd probaret etiam, sibi fuisse traditam.

65 Quicquid possit dici in puncto iuris, non est recedendum ab extensione, quia seruatur in praxi, vt dixi supra num. 55. in secunda limitatione.

Extende secundo, vt procedat, etiam si iste adiectus, idest, qui producit scripturam, non sit aliter nominatus in ipsa scriptura, vt quia sit concepta sub forma, de qua supra sub num. 56. quia in ea formula, sicq; in hac ipsa extensione loquūtur Rebuff. Strac. & Boer. quos secutus sum supra num. 55.

Quicquid in contrarium tenuerit Matth. Coler. à me citatus supra sub nu. 55. & 62.

66 Infero ex dictis in hac secunda limitatione, eiusq; extensionibus, quòd præsentans instrumentum, seu aliam scripturam obligatoriam ad fauorem alterius, quàm præsentantis, non potest agere proprio nomine, sed debet agere nomine procuratorio, quamuis debitor in scriptura se obligauerit soluturum cuicunque præsentaturo, Rebuff. tract. de litter. obligat. art. 1. gl. 9. num. 33. & 34. tom. 1. fol. 73.

Quicquid aliter sentiat Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 2. cap. 2. sub nu. 74. dum sentit, eum, qui habet scripturam penes se, agere nomine proprio.

67 Limita tertio, veniendo ad casum materiæ nostræ, vt non procedat in adiecto solutioni litterarum cambij, quia si debitor mandat alicui absolutè, vt soluat nominato expressim in litteris cambij, & non soluat, potest nominatus in litteris, non solum protestari litteras, vt dixi supra num. 50. vers. confirmatur. sed tenetur eas protestari intra 30. dies, vt dixi supra gl. 5. num. 318. in 2. extens. imò, protestatis litteris, poterit deinde, absolutis nundinis, conuenire debitorem in foro debitoris, & ab eo inuito exigere, quia non habetur pro adiecto, sed pro principali creditore, aut saltem pro legitimo procuratore ad exigendum, hancq; limitationem multis probamus argumentis.

68 Primo, quia etsi ex formula litterarum cambij nulla appareat promissio, seu obligatio, de soluendo illi, qui est appositus solutioni, tamen subintelligitur, quòd hæc promissio fuerit facta numeranti pecunias, Bal.

Bal. d. conf.349. sub nu.6.ibi, & nota quòd in hac. quia in dubio negotium præsumitur pertinere principaliter ad eum, qui numerat pecuniam, quia præsumitur pecunia sua, & appositus solutioni, videtur adiectus, tanquam simplex procurator, Bal. sub eod. num. 6. ibi, in dubio autem. Rot. Genuens. decis. 10. hieronymus. sub num. 6. in vltimis verbis, vers. secundo dicebat. & num.7.& quisque in dubio præsumitur contrahere nomine proprio, l. 4. & magis. ff. de solut. nam si ex istis litteris non resultaret contractus cum promissione, & obligatione, accipiens cambio non posset adstringi ad solutionem.

69 Secundo, quia si quis de alterius mandato promittat soluere Titio, & Titius acceptet promissionem, is, qui promisit soluere, remanet obligatus Titio, & sic inter accipientem cambio, qui est debitor, & dantem, qui est creditor, eo ipso, quòd illa tertia persona acceptat promissionē solutionis, dicitur facta nouatio, & illi tertiæ personæ acquisita actio, vt in alijs terminis consuluit Paris. cons. 107. quæritur. num. 20. & seqq. vsque ad num. 28. inclusiuè. lib. 3. quem retuli sup. glos. 5. num. 245. confirmat. 1. & num. 282. in fine.

70 Tertio, quia in cambijs, quæ vocant ex reditu nundinarum, vt plurimum ij, quibus nominatim in litteris cambij fieri debet solutio, sunt veri domini pecuniarum & cambij; quare dans tunc cambio, est simplex minister, & adiectus solutioni est dominus; & proinde non mirum, si appositus possit agere sine alia cessione, & sine alio mandato ad exigendum, ita vt, qui dat cambio, possit stipulari tanquam procurator pro domino absente, vel saltem, subsecuta litterarum transmissione, præsumatur facta cessio, cum inter mercatores procedatur ex bono, & æquo, inspecta sola æquitate naturali.

71 Quarto, quia adiectus solutioni litterarum cambij eo animo, vt illi iure dominij sit donatum, seu cessum, vel alio nomine, & titulo in eum translatum ius, & actio cambij, potest agere eo iure, quo iura cambij sunt in eum translata, Stracch. tract. de adiect. par. 4. quæst. 8. num. 2. 5. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 400.

72 Ergo cum ex litteris cambij nascatur obligatio, tanquam ex promissione, vt dixi in primo argumento, & iste contractus cambij habeat naturam nouationis, vt dixi in secundo, & aliquando negotium spectet ad eum, qui est appositus solutioni, vt dixi in tertio, & sufficiat animus gerentis negotium cambij ad transferendum iura cambij in eum, qui est appositus in litteris cambij, vt dixi in quarto; iuridica videtur hæc tertia limitatio, vt appositus solutioni litterarum, possit petere, & agere.

73 Contrariam opinionem, (nempè, quòd appositus in solutione litterarū cambij non possit agere) tenet Rot. Genuen. decis. 10. hieronymus. sub num. 7. vbi, relato casu, quòd Hieronymus (vti cessionarius Octauiani, cui per litteras cambij erat soluenda remissa pecuniarum, quas Nicolaus dederat cambio Francisco) agebat executiuè contra dictum Franciscum, tenuit, denegandam esse ei executionem, tum quia non constabat de cessione saltem valida, cuius vigore Hieronymus agebat, tum quia sicut Octauianus ipse non potuisset agere, ex quo erat simpliciter adiectus solutioni, cum pecuniæ datæ cambio, ipsiq; soluendæ, spectarent ad Nicolaum, ita multò minus potest agere Hieronymus eius cessionarius, quia nemo potest in alium transferre plus iuris, quam ipse habeat.

Comprobatur hæc contraria opinio, quia in effectu contractus cambij est initus cum eo, qui numerauit pecuniam, & is, cui facienda est solutio, remanet, vti simplex adiectus, qui non potest agere, per ea, quæ latè scripsi supra num. 39. in tertio articulo.

74 Quid dicendum in hac controuersia, cum articulus sit difficilis, & obscurus, tum quia hæc limitatio apertè pugnat cum conclusione, firmata d. num. 39. tum quia Bal. d. cons. 348. siue 349. sub num. 6. vers. amplius litteræ. tractans obscurè de hoc articulo, in fine dicti num. 6. concludit in his verbis: *volue, & reuolue prædicta in cerebro tuo*. & Stracch. tract. de adiect. par. 4. post q. 15. vers. apud. tom. 6. par. 1. fol. 403. transit cum simplici formali relatione huius consilij Baldi, asserendo, quòd hæc materia egeret disputatione, sed propter occupationes se excusat, & quædam citat loca, aliquo modo ad rem facientia, quæ meo iudicio non sunt hoc in puncto allegabilia.

Ego non recederem ab hac contraria opinione.

75 Restringe primo hanc contrariam opinionem, vt non procedat, quando adiectus solutioni faceret constare, quòd cambium spectat ad ipsum; quare si ego ex ciuitate Ge-

nuæ per litteras Petri remitterem tibi in foro Placentiæ ſcutos 100. cum ordine, quòd tu eoſdem remitteres mihi Genuam per litteras eius, cui dederis, vt in exemplo litterarum, quas habes §.præced. q.5. num.77. verſ.magnifico. & tu remittis, ego poſſum non ſolum à campſario,cui dediſti cambio, recipere ſolutionem, ſed poſſum etiam agere contra eum executiuè, cum fecerim conſtare, quòd cambium ſpectat ad me.

76 Reſtringe ſecũdo, vt non procedat,quando is, cui eſt mandatum, vt ſoluat litteras, acceptauit litteras, & promiſit eas ſoluere illi, qui eſt appoſitus ſolutioni, quivè eas præſentauit, quia tunc is poterit agere contra eum,qui acceptauit; imò iſto caſu is, qui acceptauit, in tantum tenetur ſoluere illi adiecto, qui eas præſentauit, vt domino litterarum rectè ſoluere non poſſit, cum actio pro illo cambio ſit quæſita illi, qui litteras præſentauit,& mandatum reuocari non poſſit, Rot.Genuen.deciſ.93.nomine.num.7.in fine, verſ.ſexto dum negatur. & num. 9. pro hac reſtrictione facit, quod ſcripſi ſupra nu. 69. in ſecundo præmiſſo. & ſic poteſt agere nomine proprio, & ita practicatur.

77 Quæro tertio, an mandatum in perſona eius, cui litteræ ſoluendæ ſunt, poſſit creditor, inuito debitore,reuocare, & ſic, an poſſit amouere adiectũ ſolutioni litterarum.

Reſpondeo, quòd non poteſt, ſi eſt adiectus gratia vtriuſque, videlicet tã creditoris, quàm debitoris,Bal.conſ.349.factæ fuerunt. ſub num.2.ibi,imò plus quia ſi iſti eſſent adiecti. lib.1.& Stracch.infra citatus, vel gratia debitoris tantum, Stracch. tractat. de adiect.par.1.ſub nu.29.& 30. tom.6. par.1. fol. 384. &, quòd mandatum de ſoluendo certæ perſonæ gratia debitoris, non poſſit à creditore reuocari, ſcribit Paul. de Caſtr. in l.82.ſi cum cornelius.ſub num.1. ff.de ſolut. &,quòd adiectus ſit,veluti quidam procurator ex conuentione partium ordinatus, qui non poſſit reuocari, ſcribit Iaſ. in l. 3. non vtique. §.item iulianus. ante num.1.ff.de eo quod cer.loc. & ita procedant,quæ generaliter (& ideo comprehendere poſſunt hunc caſum) ſcripſi ſupra gl.5. num.447.

78 Secus ſi adiectus eſſet poſitus gratia creditoris tantum, quia tunc is, re integra,poſſet illum reuocare, Stracch.d.par.1.ſub nu. 30.ibi, at vbi creditoris.

79 Declara, vt in dubio adiectus cenſeatur poſitus gratia debitoris, & ideo creditor,inuito debitore, eum reuocare non poteſt, Stracch. d. par. 1. ſub eodem num. 30. ibi, nam adiectus.

80 Infero ex hac declaratione, quòd debitor poteſt, re integra, reuocare mandatum, datum alicui in litteris cambij, vt ſoluat,& ſic poteſt,re integra,reuocare,& amouere ſuum mandatariũ, qui fuit poſitus in litteris cambij,gratia ipſius debitoris; nam ſi hoc poteſt creditor, vt dixi ſup. nu.78. verſ.ſecus. ergo à fortiori debet poſſe debitor;quare quando litterarũ ſolutioni eſt adiectus ipſemet creditor, vt in cambio, quod vocant, cum recurſa, cuius litterarum formulam habes §. præcedenti, q.5. num. 88. tunc debitor poteſt, re integra, reuocare mandatum, & ſic, reſcindendo ordinem ſoluendi ſibimet ipſi creditori, poteſt ipſemet realiter ſoluere, vt ſcripſi infra §.6. gl.1.num.70.

§. 2. Gloſ. 8.

Per la valuta de contanti da lui.

SVMMARIVM.

Pecunia non numeratæ exceptio habet ex regula locum etiam contra litteras cambij, n.1.& 2.

Ampliatur primo hac regula, etiam ſi campſarius, ſeu debitor renunciaſſet huic exceptioni, num.3. Reſtringitur hac ampliatio, vt non procedat, ſi renunciatio fiat ex interuallo, ſub eodem num. 3. verſ. reſtringe.

Ampliatur ſecundo,etiam ſi campſarius, ſeu debitor ſit obligatus per guarintigiam, num.4.

Limitatur primo eadem regula, vt non procedat quando campſarius eſſet in litteris cambij confeſſus numerationem, & quibus verbis dicatur confeſſus, & quibus non ſecundum conſuetudinem,&c. num.5. & ſeqq.

Limitatur ſecundo in Ciuitate Genuæ, vt hæc exceptio non numeratæ pecuniæ non habeat locum in inſtrumentis publicis, & ſcripturis,&c. num.9.

Limitatur tertio in extractis cartularij S. Georgij, num.10.

Limitatur 4. in obligatione in forma Cam. n.11.

Limi-

Limitatur quinto in eo, qui acceptauit soluere litteras cambij, num. 12.
Limitatur sexto in confessione, facta à moribundo, num. 13. *Declaratur remissiuè, num.* 14.
Confessio pecuniæ numeratæ tali die dicitur vera, ideoq; remanet solida, quamuis appareat, pecuniam non illa die, sed die tertia, vel quarta postea fuisse numeratam, num. 15.
Verba, de contanti, *significant pecuniam numeratam, &c. num.* 16.
Verba, contimi da lui; *& verbum,* contimi, *quam vim habeant, num.* 17.
Verba (solutis sibi ipsi) (cambiati in se stesso) (contisi à se) *sub num.* 17.
Moneta data cambio, cuius sit qualitatis expressio non est necessaria, num. 18.
Cambium an sit licitum, si campsario dentur merces loco pecuniæ, num. 19.
Pecuniæ non numeratæ exceptio, opposita ante lapsum biennium, transfert onus probandi numerationem in actorem, sub n. 1. *Opposita verò post biennium est probanda ab excipiente, n.* 2. *Hæcq; exceptio an habeat locum solum in contractu mutui, vel etiam in quouis contractu rei mutuabilis, sub num.* 2. *vers. sed exceptio. & vers. seqq.*

1 QVAERO primo, an exceptio non numeratæ pecuniæ possit opponi contra litteras cambij?

Respondeo affirmatiuè, quòd potest opponi, Bal. cons. 190. sempronius. sub num. 2. ibi, item ista, priuata epistola. lib. 2. Affl. in constit. Neap. lib. 1. rubr. 40. vt magister iustitiarius &c. in constitut. causa. sub num. 10. Foller. ad Maran. in spec. par. 6. act. 6. princ. num. 53. vers. sed finge campsorem. Io. Bapt. Cauàr. tract. de camb. tit. de litter. vers. quæro an litteræ. fol. 224. & Rot. diuers. decis. 53. decisum fuit. vers. cæterum. in fine, in Rom. executionis litterarum cambij, lunæ 3. Iulij, 1589. coram bon. mem. Card. Mantica, inter impressas apud Marches. de commiss. par. 1. §. 2. num. 53. fol. 876. quia in litteris cambij continetur confessio receptæ pecuniæ, sicq; litteræ probant, campsatium confessum esse, se habuisse, Bal. vbi supra: sed ista confessio non probat numerationem, hoc est, non probat contractum naturalem, sed probat contractum ciuilem, vt in terminis mutui scribit Alex. cons. 179. visa scriptura. sub num. 2. lib. 2. vnde reus poterit opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, qua opposita, actor numerationem probare compellitur, alias, si eam non probet, sequitur absolutio rei, l. 3. si ex cautione. C. de non numer. pecun. negatiuam ergo exceptionem, nempè; pecuniam non fuisse numeratam; reus probare non tenetur, sed sufficit ei exceptionem proponere, & in actorem transfertur onus probandi contrarium, l. 10. asse-

2 ueratio. C. eod. † & hoc, dummodo reus exceptionem, seu querelam istam proponat ante biennium à die obligationis, alias, elapso biennio, potest quidem eam opponere, sed tunc tenetur ipse eam probare, l. 14. in contractibus. C. eod. nunc in nostro proposito; si ego fecerim tibi litteras cambij scutorum 100. soluendorum à Titio in ciuitate Venetiarum, & tu illas defers, & requiris Titium, vt soluat, & Titius illas non acceptat, & tu redis ad me, vt restituam tibi scut. 100. videtur dicendum, attenta regula, quòd ego possim opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, Bal. Affl. Foller. & Card. Mantic. in locis, supra proximè citatis.

Contra hanc communem regulam oppono, quia cambium est contractus emptionis, & venditionis, vel saltem non est contractus mutui, per ea, quæ secutus sum supra q. 4. num. 21. & num. 5. & seqq.

Sed exceptio non numeratæ pecuniæ habet locum solum in contractu mutui, Gl. in l. 13. generaliter. in verbo, eamque. & Gl. 1. in l. seq. C. non num. pecun. Paul. de Castr. in d. l. generaliter. num. 1. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 302. vers. dixi supra. col. 222. & videtur communis.

Ergo exceptio non numeratæ pecuniæ non habet locum in contractu cambij.

Respondeo huic oppositioni dupliciter. Primo, quòd contractus cambij habet admixtum mutuum, vt retuli §. præced. q. 5. sub num. 1. ergo cessat argumentum. Secundo respondeo, quòd exceptio non numeratæ pecuniæ non datur contractui, sed datur rei, quæ sit mutuabilis, & sic, siue sit contractus mutui, siue sit alius contractus; dummodo agatur de re mutuabili, datur exceptio non numeratæ pecuniæ; aliquando tamen datur specialiter contractui mutui, & dotis, prout coram hanc responsionem latius explicatam habes per Salyc. in l. in contra-

ctibus. num. 2. C. de non num. pec. & ita video seruari in praxi.

Retenta communi regula.

3 Amplia primo eandē regulā, vt procedat etiam si reus in ipso contractu, quo confessus est, se recepisse pecuniam, renūciasset exceptioni non numeratæ pecuniæ; quia ista renunciatio non tenet, cū reus eadē facilitate, qua sub spe futuræ numerationis præsumitur inductus ad confitendum, se habuisse, & recepisse, præsumatur inductus etiā ad renunciandum huic exceptioni, Cyn. in l. 3. si ex cautione. q. 2. sub num. 5. C. de non num. pec. & esse communem opinionem, sequitur Alex. d. cons. 179. num. 3. vers. & licet. lib. 2. & esse magis communem testatur, & sequitur Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 4. sub num. 3. licet contrarium per legem Regiam, quam citat, sit statutum, & ibi seruetur.

Restringe hanc ampliationem, vt non procedat in renunciatione, facta ex interuallo, quia ea communi omnium consensu valida censetur; tunc enim non adest illa eadem facilitas renunciantis statim in cautione, siquidem maturè id deliberare potuerit, quod non itidem contingit, vbi eadem facilitate, qua confitetur, pecuniam sibi numeratam fuisse, exceptioni non numeratæ pecuniæ renunciat, Couar. d. cap. 4. sub nu. 3. vers. rursus & hæc. sed ego clarius dicerem, quia contingere solet, vt is, à quo mutuum petimus, tunc præsentem non habeat pecuniam, & conuenit inter bonos viros, vt illi, promittenti citò numerationem, credamus, ideoq; non omittamus tunc facere ei promptam cautionē, etiam numeratæ pecuniæ, sic habita fide; alias si renuamus fateri, & renunciare, videremur ei nō credere, sicq; ei quasi iniuriam facere; indeq; iustè timere possemus, ne indignatus discederet à proposito mutuandi; quæ omnia cessant in renunciatione ex interuallo, quia nec quisquā est adeo impudens, vt habuerit confessionem mutui, & non mutuauerit, & vlterius quærat ex interuallo renunciationem exceptionis non numeratæ pecuniæ, nec aliquis est ita stolidus, vt, expertus fidem illius, hanc faceret renunciationem, si pecunia verè sibi numerata non fuisset; & cum hac ampliatione, & restrictione concordant quæ scribit Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 302. vers. vtrum. col. 222.

4 Amplia secundo, vt habeat locum, etiam si reus se obligauerit per instrumentum in forma guarantigiæ, quia nihilominus poterit opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, Mohed. decis. 3. alias 80. ioannes. sub nu. 1. & 2. de except. & Molin. d. disput. 302. vers. dubium est. col. 224.

5 Limita primo eandem regulam, vt non procedat, quando campsarius, idest, debitor, confessus esset in litteris cambij numerationem pecuniæ, vel saltem non diffiteatur, quia tunc non posset opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, Bal. cons. 190. semptonius. sub num. 2. lib. 2. & Foller. ad Maran. in spec. par. 6. act. 6. princip. num. 53. in fine, vers. sed finge cāpsorem. fol. 387.

6 Declara, explicando vberius hanc limitationem, vt in ciuitate Genuæ ex communi mercatorum obseruantia campsarius dicatur confessus numerationem pecuniæ in litteris cambij, quando in litteris sunt apposita illa verba, *per la valuta, hauuta de contanti*, vt in formula litterarum, quas posuimus initio huius §. 2. quia tunc dicitur probata solutio, & idem si diceretur, *de numerato*, Rot. Genuen. decis. 44. in fine; & idem ex dispositione capitulorum nundinarū Genuensium, nu. 14. quando in cedulis, quibus dantur pecuniæ ad cambium, & fiunt solunes in dictis nundinis, dicatur, *per la valuta hauuta*, quia eiusmodi cedulæ habent eandem vim, & vigorem, ac si realiter, & in pecunia numerata facta esset solutio; ideoque nec in iudicio, nec extra poterit opponi, solutionem non fuisse realem; quare cum, stantibus prædictis verbis, *per la valuta hauuta de contanti*. non sit locus exceptioni non numeratæ pecuniæ, mercatores, qui dant cambio, semper accipiunt litteras cum prædictis verbis.

7 Secus, si in litteris diceretur, *pro totidem cambiatis*, quia ista verba ex communi mercatorum Genuensium obseruantia non probant solutionem, quare si ego fecerim tibi litteras cambij, pro ciuitate Barchinoniæ, soluendas Antonio nomine tuo, & dictæ pecuniæ soluantur Antonio vt supra, & in litteris sint apposita dicta verba, *pro totidem cambiatis*: & ego postea petam à te dictas pecunias, solutas Antonio vigore mearum litterarum, & tu recuses soluere, eo quòd asseras, fuisse à te mihi solutas in cōfectione litterarum, quia mercatores non faciunt litteras cambij, nisi pecunias recipiant; ego possum replicare, quòd feci litteras, spe futuræ numerationis, eaq; spe feci tanquam

tuus

tuus debitor solui, Rot. Genuen. d. decis. 44.

8 Secus etiam si in literris diceretur, *conti à noi*, quia ista verba, secundum morem mercatorum idem importarent, quod verba prædicta, *cambiati in noi*. & ideo non significant numerationem, Rot. Genuen. decis. 104. solutione. sub num. 5. ego nihil dico, remitto me ad eorum peculiarem grammaticam.

9 Limita secundo, vt non babeat locum in ciuitate Genuæ, quando agitur executiuè vigore instrumenti publici, quia contra instrumentum publicum in iudicio executiuo reus nō potest facere aliquam exceptionem, nisi solutionem, vel satisfactionem, etiam per viam compensationis, vel quitationem aut remissionem per instrumentū publicum, vel aliam scripturam publicam, vel per extractum cartulariorū S. Georgij, vel aliarum comperularum Reip. vel per scripturas priuatas creditoris, vel apodissam, scriptam, aut subscriptam per creditorem, sic disponentibus statut. Genuens. lib. 2. cap. 3. S. non possit. & sic non potest opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ.

10 Limita tertio, vt non habeat locum in extractis cartulariorum S. Georgij, quam limitationem babes infra §. 7. gl. 3. num. 33.

11 Limita quarto, vt non babeat locum in obligatione formæ Cameræ iurata, & attentis facultatibus Auditoris Cameræ, quia is, non obstante absolutione, & relaxatione à iuramento, procedit ad executionem, non admissa exceptione non numeratæ pecuniæ, Gallef. ad form. camer. oblig. ad 4. partic. post 3. partic. num. 2. tom. 6. par. 2. fol. 356. Mohed. decis. 1. alias 31. & clarius decis. 3. alias 80. sub num. 2. & decis. 6. alias 285. licet. de except. & ita passim, nulla in hoc admissa difficultate, seruatur in Curia.

12 Limita quinto, vt non babeat locum in eo, qui acceptauit litteras cambij, sibi scriptas, vt eas solueret, quia mercatori, qui accessit, & promisit simpliciter, acceptando litteras, non competit exceptio non numeratæ pecuniæ, Rot. diuers. decis. 54. fuit resolutum. nu. 2. vers. ad tradita. in fine, in Rom. litter. cambij, ven. 11. Decembris 1602. coram bon. mem. Card. Arigonio, inter impressas apud Marchef. de commifs. par. 1. §. 2. fol. 877. in vltima impresione.

13 Limita sexto, vt non habeat locum in confessione, facta à moribundo, quia in eo cessat spes futuræ numerationis, Bal. super feud. tit. de pac. constan. vers. vasalli nostri. il 1. sub num. 6. Felyn. in cap. 14. si cautio. nu. 54. fallen. 2. de fid. instr. Mars. in rubr. nu. 45. ff. de fideiuss. inter Repeten. tom. 6. fol. 507. Vrsill. in annot. ad Affl. decis. 110. vincentius. num. 5. Mascar. tract. de probat. conclus. 359. limit. 2. num. 20. & conclus. 361. num. 34. & alij, quos sequitur Mancin. tract. de confess. cap. 2. limit. 7. num. 167. & cap. 8. nu. 41. adde quæ scribunt Cyn. in l. 14. in contractibus. q. 5. num. 8. & Paul. de Castr. num. 5. C. de non num. pecun.

14 Declara istam limitationem, prout declarat Felyn. vbi supra, quem sequitur Mascar. d. concl. 359. sub num. 20. vers. intelligas. & concl. 361. nu. 35. & Mancin. d. cap. 8. n. 42.

Reliquas ampliationes, & limitationes huius regulæ omitto, cum nostro instituto sufficiant istæ.

15 QVAERO secundo. Ego facio tibi litteras cambij hac die prima Octobris 1618. in quibus confiteor, me habuisse à te pecunias huius cambij in cartulario S. Georgij, & tamen in cartulario S. Georgij non apparet, solutionem fuisse mihi factam die 1. Octobris, sed die 4. Octobris, sicq; post litteras; nunquid ego potero excipere de non numerata pecunia, & de erroneis litteris, cum probetur, solutionem non fuisse factam ante diem contractus cābij, vel saltē in die contractus, vt dicitur in litteris, sed postea, & cōsequenter illæ litteræ sint inutiles, quoad cambium?

Respondeo, quòd litteræ sunt bonæ, babebunt executionem paratam, & ego non potero opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, quia verum est, quòd pecunia fuit mihi numerata, & licet fuerit numerata quarto die post contractum, tamen est, ac si fuisset numerata in ipso contractu, vt in fortioribus terminis contractus census secutus sum supra gl. 5. num. 7. 63. & 64. & solet fieri contractus etiam cambij, ac si numeratæ forent pecuniæ, licet numeratio sequatur aliquot dies post, vt patet ex cambio, de quo in decis. 60. in disput. nu. 2. & decis. 61. domini. impressis apud Marchef. de commifs. par. 1. §. 2. fol. 883. & 884. & ex cambio, de quo infra §. 7. gl. 3. sub num. 16. & num. 28. nam quid interest, quòd pecunia sit soluta illo die, vel post paucos dies, dummodo appareat de solutione? si enim ego feci litteras, quibus spe futuræ numerationis confessus sum, me babuisse pecunias, adimpleta est spes, & ideo non potest opponi defectus spei.

16 QVAERO tertio, quid aliud vltra exclusionem

ſionem exceptionis non numeratæ pecuniæ, importent hæc verba, *de contanti*?

Reſpondeo, quòd importăt ſolutionem in pecunia numerata,& non in alia ſpecie reră, nam appellatione pecuniæ veniunt omnia, vt dixi §.præced. quæſt.7.par.1.num.14.ſed quando dictioni, *pecuniæ*, additur, *numeratæ*, tunc veniunt ſoli nummi, Fab. de Mont.tract. de emp.& vend.q.5.princip. ſub num.20.tom.6.par.1.ſol.52.& ideo, appoſita hac dictione, campſor dicitur probaſſe, ſe dediſſe nummos ad tollendum difficultatem, de qua infra num.19.

17 QVAERO quarto, quare in hac formula litterarum dicatur, *contanti da lui*. & in formula litterarum recambij, de quibus §. præced. q.5. num.91. ponatur ſimpliciter verbum, *contanti*.

Reſpondeo, quia in cambio cum recurſa, in quo creditor ſoluit ſibimetipſi tractam,in ſe factam à ſuo debitore, iuxta formulam litterarum, de quibus ſupra d.q.5.num.88. verſ.à pagamenti. & num.89. verſ. magnifico hon.come. accipit cambio à ſeipſo,nomine ſui debitoris, & ſic dat cambio ſibi ipſi, repræſentanti ſuum debitorem,qui accipiat quare gerit ſuam propriam perſonam, & repræſentat etiam perſonam ſui debitoris, vnde, cum ſoluat ipſe ſibi ipſi, dicit, *valuta contanti*. ideſt, pro valore pecuniæ, quam mihi ipſe ſoluo; hæc enim verba, *ſolutis ſibi ipſi*. contenta in litteris cambij, nihil aliud important, quàm, *cambiati in ſe ſteſſo*, quaſi dixerit, *contati à ſe*, Rot. Genuen. deciſ. 32. cum alias. ſub num. 3. & quomodo, & quo iure poſſit repreſentare duplicem perſonam, vide quæ ſcripſi infra §. 6. gl. 1. num.25. in tertia fictione.

18 Nota obiter ex eiſdem verbis, *per la valuta*,&c. non eſſe neceſſarium, quòd in litteris cambij fiat mentio ſpecifica de qualitate monetæ, quæ datur accipienti ad cambium, quia poteſt dari aurea, vel argentea, vnius, vel alterius loci, ſeu Regni, ſecundum ſatiſfactionem campſoris, & campſuarij.

19 QVAERO quinto, an campſor poſsit campſuario loco pecuniæ dare merces?

Reſpondeo, quòd non, quia non eſſet cambium, per ea, quæ ſcripſi §.præcedenti, q.7.par.3.limit.19. vbi videas.

---

§. 2. Gloſ. 9.

Ponete à noſtro conto.

SVMMARIVM.

Soluens debitum alienum ex mandato debitoris cum ordine, vt ſolutionem ponat ad computum debitoris, quid facere debeat, num. 1. Et ſoluenti de ſimplici mandato debitoris ſine ordine ponendi ad computum debitoris, & ſoluenti cum præfato ordine, qualis acquiratur actio, num.2.3.& 4.

Mandatarius, cui mandatur, vt ſoluat ad computum mandantis, vel mandatur ſimpliciter, vt ſoluat, non ſoluit ſuper proteſtum, num.5.

Litteræ cambij an obligent, num.6.& 7.

1 QVAERO primo quid ſignificent hæc verba, *ponete à noſtro conto*?

Reſpondeo, quòd debitor, mandando alicui, vt ſoluat ad computū ipſius mādantis, ex tunc, ſecuta ſolutione mandata, conſtituit ſe debitorem illius mandatarij; verum mandatarius, dum ſoluit, duo debet obſeruare: primum debet à creditore, cui ſoluit, habere liberationem debitoris mandantis: ſecundum, volens ex hac ſolutione liberatoria ſibi acquirere obligationem contra mandantem, debet iuxta mandantis ordinem cum pro debitore ponere in ſuo libro.

2 QVAERO ſecundo, an mandatario,ſoluenti de ordine mandantis, remaneat mandans obligatus, etiam ſi mandauerit ſine prædictis verbis: *ponete à noſtro conto*. & proinde hæc verba ſint potius ad abundantem cautelam, quàm vt aliquem operentur effectum.

Reſpondeo diſtinguendo: Aut quærimus, an remaneat obligatus actione mandati; & dico, quòd ſic, & quoad eiuſmodi obligationem hæc verba ſunt omnino ſuperflua, ex quò mandatarius habet actionem mandati contrariam aduerſus mandantem; eo ipſo, quòd ſoluit de mandato ipſius mandantis,l. 16. ſi quis mihi. & l. 45. ſi mandauero. ff. mand. 3 † Aut quærimus, an remaneat obligatus

gatus ex expressa, & liquidata obligatione, & dico, quòd non, nisi in mandato adsint ista verba, *ponete à nostro conto.* & ideo non stant otiosa, sed cum misterio, vt mandatarius habeat expressam obligationem, quæ est efficacior ea, quæ resultat ex lege.

4 Infero ex hoc, quòd, stante statuto, quòd obligatus per scripturam manu propria confectam, possit conueniri executiuè, iste poterit conueniri executiuè, quod non esset, deletis istis verbis.

5 QVAERO tertio, an iste mandatarius possit in casu istarum litterarum soluere super protestu honore litterarum?

Respondeo, quòd non, quia illa acceptatio, & solutio super protestu litterarum potest applicari solum casui, in quo scribens litteras, mandat alicui, vt soluat, & ponat ad computum alterius, vt puta, quia dicat, *ponete sopra Pietro*; idest, retineatis pro ista solutione obligatum Petrum; quia isto casu mandatarius, si nolit contrahere obligationem aduersus Petrum, sed velit præter ordinem scribentis retinere obligatum ipsum scribentem, debet acceptare, & soluere super protestu, vt latius scripsi supra gl. 5. nu. 358. non autem potest applicari casui, quo scribens mandat, vt soluat, & ponat ad computum ipsius scribentis, seu simpliciter mandat, vt soluat, quia isto casu sine dubio absque alio protestu retinet obligatum scribentem.

6 QVAERO quarto, an litteræ cambij indistinctè obligent?

Respondeo, distinguendo duas inspectiones.

Prima inspectio est; an obligent facientem litteras: & in hac inspectione subdistinguo duos casus. Primus casus est, quando litteræ cambij loquuntur dispositiuè; & isto casu, dico, quòd obligant, si subiecta materia patitur, Bal. in rubr. nu. 12. vers. modo quæro. C. de constit. pecun. & Foller. ad Maran. in spec. par. 6. act. 6. princip. num. 46. vers. hoc in loco, fol. 385. exemplificans litteras dispositiuas, *pagarete al portator di questa ducati cento per altritanti riceuuti.* Secundus casus est, quando loquuntur enunciatiuè; & hoc casu dico, quòd non obligant, seu non disponunt, sed solum probant, Bal. & Foller. in locis supra proximè citatis; hacq; eadem distinctione in alio proposito vsus sum supra gl. 5. num. 450. limit. 1. vbi videas pro maiori intelligentia.

7 Secunda inspectio est; an obligent mercatorem, cui litteræ sunt directæ: & distinguo similiter duos casus. Primus est, quando iste mercator acceptat litteras, & nulli dubium, quòd, facta acceptatione, remanet obligatus, Foller. vbi supra, & in fortioribus terminis scripsi sup. gl. 7. num. 76. restrict. 2. Secundus est, quando non acceptat, & similiter nulli dubium est, quòd tunc non obligant, Foller. ibidem; nam neminem cogi inuitum suscipere mandatum, dixi supra gl. 5. sub num. 366. vers. quia respondeo. mandato autem non suscepto, non potest agi de aliqua obligatione.

§. 2. Glos. 10.

Pietro à Titio. Piacenza.

SVMMARIVM.

Scribere, & subscribere litteras cambij, vel subscribere solum, idem est, num. 1.

Nomen mandatarij, à campsario debitore appositum in subscriptione, campsor creditor delere, & aliud apponere non potest, & hac est regula, num. 3. Ampliatur primo, vt delendo posset teneri de falso, num. 4. Ampliatur secundo, vt delendo, seu mutando, non possit aliud consequi, quàm capitale, num. 5. Ampliatur tertio, vt amouens teneatur etiam ad interesse, quod ex illa amotione debitor passus esset, num. 6. Declaratur primo eadem regula, vt non procedat, si nomen illius mandatarij fuisset appositum gratia solius creditoris, num. 7. Declaratur secundo, vt, si campsarius debitor litteras dederit sine suprascriptione, possit campsor creditor illud inscribere, &c. num. 8. Subdeclaratur, num. 9.

Placentia est ciuitas, in qua Genuenses exercent nundinas cambiorum, num. 10.

1 QVAERO primo quis ex cõtrahentibus sit iste Petrus, qui subscribit litteras cãbij? Respondeo, Petrus est ille, qui accipit cambio à Francisco in ciuitate Genuæ, & ideo ipse subscribit litteras; quibus validè remanet obligatus, & tantum est, quòd scribat,

bat, & subscribat, quantum, quòd subscribat solum, per ea, quæ latè scripsi in meo tract.de iud.caus.&c. lib.2.cap.11. nu.546. 547. 568.& 821. & in proprijs terminis disponunt statut. Genuen. de quibus infra §.7. glos. 2.

2 QVAERO secundo, quis ex contrahentibus sit iste Titius?

Respondeo, Titius non est ex contrahentibus, sed est mandatarius ipsius Petri, qui mandat ei, vt soluat Francisco, & ideo ei scribit, & ad eum dirigit litteras, ponendo dicti Titij nomen in suprascriptione litterarum, more solito.

3 QVAERO tertio, an creditor ex cambio, datis sibi à debitore litteris cambij, soluendis sibi ipsi creditori, possit à litterarum suprascriptione amouere nomen eius, cui debitor mandat vt soluat ipsi creditori; & vlterius, an possit alium mandatarium in eis apponere?

Respondeo, constituendo regulam negatiuam, quòd non potest: & moueor ex duobus: Primo, quia in contractu cambij non est licita pœnitentia, per ea, quæ in casu minus dubio scripsi supra gl.7. num.77. & maximè in casu isto, in quo ex illa mutatione posset oriri non leue præiudicium debitoris, tum quia alius, quem creditor apponeret, forsan eas non solueret, & sic litteræ redirent cum protestatione, tum quia ille, cui debitor scriberet, posset forsan esse suus debitor, & hac via consequeretur ab eo solutionem, sicq; multipliciter illa mutatio potest ei esse damnosa: Secundo moueor, quia, data hac facultate mutandi mandatarium debitoris, inscio debitore, detegitur, intentionem eorum fuisse non contrahendi cambium, sed mutuum, & sic esset cambium siccum, quia contraheretur ea intentione, vt non solueretur in loco, pro quo simulatè fit cambium, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum §. præced. ampl.17. n.10, 11.& 12.

4 Amplia primo hanc regulam, vt in tantum sit vera, quòd creditor, mutando hoc nomen, posset teneri de falso.

5 Amplia secundo vt, si mutauerit, consequi non possit interesse cambij, seu non factæ solutionis.

6 Amplia tertio, vt in tantum abstinere debeat ab ista mutatione, vt si mutauerit, & ex illa mutatione debitori ortum sit aliquod interesse; vt puta, quia ille mandatarius esset debitor ipsius debitoris, & postea sit effectus non soluendo, vel quid simile, creditor teneatur de toto illo interesse.

7 Declara primo, restringendo eandem regulam, vt non procedat, quando debitor, gratia creditoris, posuisset in specie illum mandatarium, & alium, quem volebat ponere, omisisset, quia isto casu creditor posset forsan illum amouere, & omissum ponere.

8 Declara secundo, vt si debitor fecerit litteras cambij, easq; tradiderit creditori sine aliqua suprascriptione, possit creditor ex se suprascribere nomen alicuius ex negotiatoribus cambiorũ in ferijs, quia debitor videtur facto declarare, quòd caret procuratore in nundinis, & quòd propterea recurrit ad ipsum creditorem, vt faciat sibimet solui litteras; quod cãbij genus dicitur cum recursa, vt sæpè supra, & infra diximus in diuersis locis, hancq; declarationem vidi plurium mercatorum testimonio confirmatam, vt patet ex tenore sequentis fidei.

Noi infrascritti, trattanti in negotij de cambij nelle fiere di Piacenza, facciamo fede, come si suole far molte lettere di cambio dalli debitori de cambij, sottoscritte da essi, con lasciare il soprascritto, & la persona, alla quale sono dirette, in bianco, ad elettione del creditore, & tali lettere, aggiuntoui dal creditore qual si vogli nome di trattante in fera per la direttione ad essi nel soprascritto, hanno la sua reale, & intiera essecutione, ne più, ne meno, come se l'istesso debitore vi haueße egli fatto lo soprascritto, con indrizzarle al suo procuratore, ò à qual si vogli à sua elettione.

Di più facciamo similmente fede, come mentre si trouano lettere di cambio, fatte, e sottoscritte dal debitore, e date al creditore, che siano state dirette al procuratore dell'istesso debitore, e che nel soprascritto si troui cancellato esso nome di Procuratore, & variata la direttione ad altro, che la paghi, tale variatione non impedisce, che le dette lettere non habbino la loro essecutione, come legitimamente fatte, attendendosi la sottoscrittione del debitore; & per esser così lo stile, & osseruanza in testimonio della verità habbiamo firmato, e sottoscritto la presente di nostra propria mano. In Genoua à 27. di Maggio 1614.

Io N. affermo quanto sopra è dichiarato di propria mano, rimettendomi &c.

Io N. dico hauer più volte visto, che quì in Genoua si dan lettere di cambio per Piacenza, con il soprascritto in bianco, & in espeditione di fiera, ò in essa fiera si fan dirette, ò al Procu-

Procuratore, ò ad altri, & hanno l'istesso vigore, come se il soprascritto se gli fusse fatto subito, non essendo anche dubio, che la forza delle Cedule de cambij consiste nella firma, e non nel soprascritto stante, son del sudetto parere di man propria.

Io N. sono del sudetto parere del Sig. N. soprascritto in tutto come sopra.

Io N. al presente Console delle fiere di Piacenza dico il medesimo in tutto come sopra.

Io N. faccio l'istessa fede delli retroscritti Sig. N N. & in particolare quella del Sig. N. di mia propria mano. dico del Sig. N. perche hauendo dato simili lettere di cambio, & riceuutone, con quali hò sodisfatto il pagamento, & similmente riceuutolo, senza contradittione alcunà.

Io N. faccio l'istessa fede delli nominati, & in particolare quella del Sig. N. di man propr.

Io N. son dell'istesso parere, perche non è dura cosa, che sia variato à chi è diretta la lettera, che la sottoscrittione è quella, che obliga, & à me è occorso dar à cambio, & hauer riceuuto le lettere col soprascritto in bianco, & hauerlo variato da chi prima era stata diretta.

Io N. son dell'istesso parere di man propria.

Io N. son dell'istesso parere.

9 Subdeclara hanc declarationem, quòd etsi in rigore iuris videatur absolutè vera, prout in ea continetur cambium cum recursa, quod esse licitum firmaui inf. §. 6. gl. 1. n. 21. & seqq. & n. 88. tamē in iudicio contentioso, cū debitor recognouisset manū suam, & debitum non negasset, sed allegasset solum, nomen in litteratum suprascriptione fuisse appositum à creditore, ipso debitore inscio; vidi in facto seruatum, etiam de consensu creditoris, quòd debitor condemnaretur solum ad capitale sine interesse cambij, & ita fuit tūc intellecta relata mercatorū fides.

Ratio huius subdeclarationis est, quia cum cambium cum recursa propter affinitatem, quam habet cum mutuo, sit inter cætera cambia valdè suspectum de vsura; debet seruari solùm in terminis, in quibus toleratur: sed toleratur solum, quando procurator, seu mandatarius apponitur de expressa debitoris voluntate; quia, non expressa voluntate debitoris, vtique cambium videtur siccum, siquidem apparet euidentius, quòd debitor non habet vnde soluat, nec intendit soluere in nundinis, qun casu cambium est siccum, per ea, quæ dixi §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 17. num. 10. 11. & 12.

10 QVAERO quarto, quis locus sit Placentia, ad quam diriguntur istæ litteræ cambij?

Respondeo, Placentia est Ciuitas in Lombardia, ob eius excellentiā satis nota, in qua mercatores Genuenses hodie faciunt nundinas nummarias cambiorum, & ad illas destinantur solutiones per diuersas Orbis terrarum partes, & ideo destinata est etiam solutio litterarum cambij, de quo agimus, vt latius explicaui supra glos. 4. num. 7. & non repeto.

§. 3. Glos. 1.

1614. à 27. Ottobre, In Genoua.

Magnifico hon. In cotesta fiera de Santi vi rimetto, &c.

SVMMARIVM.

Verbum, rimettere, in negotio cambiorum quid significet.

HAE sunt litteræ, quas vocant, *d'auiso*, scriptæ à creditore, qui dedit cābio, eamq; formulam habes per extensum supra §. 1. num. 77. vers. magnifico.

1 † & hæc verba, *vi rimetto*. conueniunt creditori, qui remittit, seu transmittit pecunias ad alium locum; & proinde secundum communem mercatorum loquendi vsum, dans pecunias cambio, vt earum valor sibi alio soluatur in loco, dicitur tunc semper remittere; huncq; terminum pro intelligentia casus, de quo est acturus, supponit Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. antonio da. lib. 5. de vsur. & scribunt Alex. Rauden. in opusc. super banc. S. Ambr. num. 37. & Io. Bapt. Cauat. tract. de cāb. in prælud. q. 2. fol. 212. estq; apud cābij negotiatores, aliosq; viros, huius negotiationis cognitionem habentes, adeo notus, vt Rot. Genuen. passim in diuers. decis. quas in hoc citare, est superfluum, & Bonins. tract. de camb. cap. 4. in pluribus locis, isto loquendi genere vtantur, & nunquam hoc loquendi

quendi genus (tanquam ſatis notum) declarent; & ex oppoſito, qui illam remiſſam eſt alio in loco ſoluturus, dicitur trahere, vt habes §.ſeq.gl.vnica,ſicq; habes intellectum illorum verborum,ſequentium in eiſdem litteris, *facendone rimeſſa*, &c. ab hoc enim verbo, *remittere*, dicimus, *remiſſam*, ſicut à verbo, *trahere*, de quo §.ſeq.gl.vnica, dicimus, *tractam*, hæcq; verba ſunt veluti elementaria negotiationis cambiorum, quia mercatores ſine iſtis verbis non viderentur poſſe hoc negotium explicare.

§. 3. Gloſ. 2.

Per voſtra lettera, ò d'altri ſopra di voi.

SVMMARIVM.

Verba, ſopra di voi, *ſignificant, vt periculum ſit veſtrum, num.* 1.

1 HAEC verba, *per voſtra lettera, ò d'altri ſopra di voi*; important, vt periculum decoctionis, ſeu inidoneitatis illius,cui mandatarius dabit cābio ex reditu nundinarum, vel ex alio loco, ſpectet ad ipſum mandatariū, quia ipſe remanet in hoc negotio,veluti fideiuſſor illius,cui dat cambio,vt explicaui in gl.ſeq.ſub num.6. & ſeqq.quòd ſi creditor cambij ordinaret ſimpliciter remiſſam, periculum eſſet ipſius creditoris, & non mandatarij remittentis, dummodo mandatarius remiſſionis negotium diligenter, & ſine aliqua culpa, vti proprium negotium, gereret; quia alias, ſi negligenter, aut culposè geſſiſſet, periculum ſpectaret ad ipſum, per ea, quæ, latius declarando hunc articulum, ſcripſi S. præcedenti, gloſ. 5. ſub num. 400. & ſeqq. verſ. primus. vbi videas.

§. 3. Gloſ. 3.

Leuandone la voſtra prouiſione d'vn terzo.

SVMMARIVM.

Prouiſio, Stipendium, & Merces quid ſint, quavè ratione debeantur, *num.* 1. *Non debentur, niſi ex expreſſa, vel tacita conuentione, num.* 2.

Prouiſio in cambijs poteſt accipi tuta conſcientia, num. 3. *&* 4. *Quanta ſit, nu.* 11. *&* 29. *An ſit eadem in vtroque foro, ſub nu.* 12. *verſ. extende ſecundo. Pro labore, & periculo debetur maior, quàm pro ſolo labore, num.* 6. 10. *&* 31.

Prouiſio an multiplex, an verò vna ſola poſſit accipi pro vno cambio, num. 14. *& ſeqq. Quot accipi poſſint pro cambio recurſæ, plures reiterato, num.* 15. *Diſtinctis duobus caſibus, difficultatibusq; excitatis, explicatur, num.* 20. *Retentaq; regula, quòd vnica poſſit accipi prouiſio, reſtringitur, vt aliquibus caſibus plures accipi poſſint, num.* 21. *& ſeqq.*

Aſſecurationis pretium debetur aſſecuratori, quamuis periculum probabiliter non adeſſet, &c. ſub num. 12. *verſ. confirmatur. Pretium debet eſſe iuſtum, &c. num.* 49.

Fideiuſſori debetur pretium periculi, cui ſe exponit, fideiubendo, num. 7. *Debetur etiam ſi ſit fideiuſſor cum pignore, ſeu alium habeat fideiuſſorem releuantem, ſub nu.* 12. *verſ. extende tertio. Infertur, an fideiuſſor poſſit tuta conſcientia accipere idem pretium pro fideiuſſione minus periculoſa, quod acciperet pro magis periculoſa, ſub eod. num.* 12. *verſ. infero. Quis ei ſoluat pretium, num.* 8. *Creditor poteſt, liberando fideiuſſorem, pretium liberationis accipere, num.* 8.

Periculum, & Labor in nummulario quot modis conſiderentur, *num.* 5.

Periculi pretium in pecunijs quanti vendi poſſit, num. 29. *& ſeqq.*

Pecuniæ, datæ in ſocietate, periculum ſpectat ad ſocium, qui pecuniam confert, num. 33. *Declaratur primo, vt non procedat, quando eo pacto confertur, vt periculum ſit commune, num.* 35. *Declaratur ſecundo, vt conferens pecuniam, poſſit per viam contractus aſſecurationis euitare periculum, num.* 36. *& ſeqq. Declaratur tertio, vt aſſecurationis pretium*

debeat

debeat constare ex qualitate, seu quantitate periculi, cui assecurator se exponit, ideoq; vocatur consteum, num. 49. Declaratur quarto, vt seruari debeat aequalitas, num. 50. Declaratur quinto, vnde cognoscatur iustitia, & iniustitia pretij, &c. num. 51.

Pecunia potest dari mercatori pro honesto lucro, assecurato capitale, num. 41. & 42.

Vsura nec pro captiuorum redemptione admittitur, sub num. 43.

Iudaeis, non obstante consuetudine in contrarium, non licet exercere vsuras, num. 44. & seqq. Licet tamen eis foenerari alienigenis, & quare, & an in foro interiori, num. 46. & 47. Papa quare toleret, vt eas exerceāt, n. 44. & 45.

Iudaei dediti auaritiae, num. 48.

Medicina stultè datur mortuis, sub num. 45.

Curam de his, qui foris sunt, non habemus, sub num. 45.

Societas debet esse cum aequalitate, alias esset leonina, quae est reprobata, sub num. 50. Quare vnus non debet habere caput saluum, & alius fractum, sub num. 35.

Societas, in qua capitale vnius sit saluum, quomodo possit contrahi, num. 36. & seqq.

Assecuratio capitalis, positi in societate, an possit fieri a socio, sub num. 37.

1 QVAERO primo, quid sit ista prouisio, & qua ratione debeatur?

Respondeo, prouisionem esse stipendiū, seu mercedem, eamq; dari quandoque ratione solius laboris, quandoque ratione solius periculi, & quandoque ratione vtriusque: nempè laboris, & periculi, vt colligitur ex his, quae scribunt Rot. Gen. decis. 16. ioannes. num. 10. in fine, decis. 30. alias. num. 2. & decis. 32. cum alias. num. 3. versus finem, Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. sub num. 20. & 21. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 138. Bonins. tract. de camb. cap. 7. vers. della prouisione. in respons. ad nonam difficultatem, quam prius proponit cap. 5. vers. altri poi desiderano. Alex. Rauden. in opusculo super banch. S. Ambrosij, sub nu. 56. vers. practicam. & nu. 40. Romoal. Coli tract. de camb. cap. 19. intorno. cap. 31. vers. il dare. & latius cap. 21. vers. sogliono. & alij in diuersis locis, quos infra opportunè citabimus, & ex dicendis infra hac eadem glos.

2 QVAERO secundo, ad quid apponantur praefata verba?

Respondeo, quia non tenetur quis soluere salarium, seu mercedem, nisi ad eam soluendam expressè, vel tacitè se obligauerit: dicitur autem tacitè se obligare, si haec duo concurrant: primum, si petens salarium probet, se in simili negotiorum gestione locare operas suas: secundum, si reus conuentus sit solitus conducere; alias salarium, si non est expressè conuentum, vel haec duo non probantur, non debetur, per ea, quae, explicando hanc salarij materiam, latè scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 5. sub num. 64. vers. quia salarij. in futura impressione.

Et licet haec prouisio de stylo fori, & consuetudine negotiatorum deberetur, etiam non conuenta, & etiam praedictis non probatis; tamen praefata verba, ad tollendam omnem difficultatem, quae in hoc posset oriri, vtiliter apponerentur.

3 QVAERO tertio, an ista prouisio possit tuta conscientia accipi.

Respondeo, quòd sic, quia datur pro mercede laboris, & dignus est operarius mercede sua, vt secutus sum supra §. 1. q. 1. sub nu. 71. & 73. & ideo posse licitè, & sine peccato accipi, scribit Romoald. Coli tract. de camb. cap. 21. vers. sogliono. Imò Bonins. tract. de camb. cap. 7. vers. della prouisione. in respons. ad nonam difficultatem, scribit, se non inuenisse quempiam, qui hoc reuocet in dubium, & Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 10. in vltimis verbis, fol. 583. proponit difficultatem de hoc stipendio, & controu. 12. sub nu. 4. vers. vltimo committitur. fol. 588. proponit argumentum contra hoc stipendium, & postea controu. 12. sub num. 8. vers. vltimum argumentum. fol. 592. scribit, istud stipendium, si sit in vsu, si sit moderatissimum, & vnicum, nempè, quia non soluatur campsori, eo, quia exhibet factorem, & ipsi factori, eo quia ipse exhibet officium, sed campsori tantum, non esse damnandum, quod idem dixerat controu. 11. sub num. 2. vers. ad vltimum. fol. 584. & faciunt, quae scripsi supra §. 1. quaest. 7. par. 1. sub num. 44. & 45.

Quicquid scribat Mercat. tractat. de contract. lib. 4. cap. 7. dicens, istam prouisionem non esse licitam.

4 Confirmatur haec responsio, seu resolutio,

quia, circumscripto etiam cãbio, & supposito simplici nummulario, qui pecunias tantum numeraret, dubitant Theologi, an nũmulario propter illum numerandi laborẽ, & molestiam, quam sustinet, debeatur aliquid pro mercede, vt patet ex his, quæ retuli supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 3. sub nu. 5. vers. prima, & num. 7. & §. præced. gl. 3. nu. 100. vers. restringe secundo.

5 QVAERO quarto formaliter, qualis sit iste labor, seu periculum, pro quo debetur prouisio, vti laboris merces, seu periculi pretium?

Respondeo, laborem hunc, & periculum posse considerari in quatuor casibus.

Primus casus est, cum campsarius, qui accipit cambio, facit litteras cambij campsori, qui dat cambio, soluendas in nundinis procuratori ipsius campsoris, qui eidem suo procuratori scribit propterea litteras, quas vocant, *d'auiso*, in quibus mandat ei, vt exigat cambium, illudq; exactum remittat supra ipso procuratore; & simul ad eum mittit prædictas litteras cambij; procurator exigit, & remittit: isto casu campsor illi propter laborem, & periculum in remittendo debet prouisionem, vt loquuntur Rot. Genuen. Io. Bapt. Lup. Boninf. & Alex. Raud. quos citaui supra num. 1. vnde in formula litterarum, de quibus agimus, & in formula, quam ponit Boninf. d. tract. de camb. cap. 4. vers. pagare in fiera. in fine, expressè mandatur correspondenti, vt suam detrahat prouisionem.

6 Extende hanc responsionem, vt præcipuè procedat in terminis, in quibus loquimur, nempè, quando is, qui pecuniam remittit ex nundinis, seu alio loco ad dominum cambij, remittit periculo ipsius remittentis, & sic, vt mercatores loquuntur, *sta del credere*; quia isto casu concurrit duplex iustitia mercedis: prima, propter laborem: & secunda, propter periculum, quod in se suscipit, induendo etiam personam fideiussoris.

7 Sed fideiussor potest ratione periculi, quod, fideiubendo, subit, pacisci, & stipulari aliquam mercedem pro ipsa fideiussione, cum possit contingere, quòd pro ipso debitore integram quantitatem ex proprio patrimonio sit soluturus, & vtinam non contingeret, reperiri etiam debitores, qui, neglecta fide, & prostrata conscientia, soluere non curant; poterit igitur fideiussor absque alia damni, aut lucri cessantis ratione accipere à debitore aliquod iustum periculi pretium arbitriò boni viri, l. 19. hoc iure. §. labeo. & ibi Bar. ff. de donat. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 4. coroll. 3. vers. sequitur amplius. fol. 340. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. vers. restat ergo. col. 11. in fine, fol. 538. & q. 7. art. vnico, in tertia ratione, col. 2. in fine, fol. 601. Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. sub num. 285. Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. in fine, vers. sequitur ex dictis. & cap. 6. q. 1. vers. altera opinio. quem retuli supra §. 1. q. 1. num. 493. in 7. cas. & latius Couar. variar. resolut. lib. 3. cap. 2. nu. 6. vers. quarto hinc. Stracch. tract. de assecur. in præfat. num. 45. ibi, alteram in eo. tom. 6. par. 1. fol. 360. & Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 1. idest post præfationem, num. 7. vers. sed iuxta. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 135. & esse communem opinionem testantur, & sequuntur Couar. loco citato, & Molin. de iust. tom. 2. de contract. disp. 319. vers. communis. col. 285. & scripsi sup. §. 1. q. 7. par. 3. limit. 6. num. 4. vers. confirmatur.

8 Hocq; fideiussionis pretium, seu merces aliquando soluitur à debitore, qui alias sine fideiussione non inuenit, qui ei pecuniam credat, vt in his terminis loquuntur text. in d. §. labeo. & Bar. Couar. alijq; supra citati; aliquando verò soluitur à creditore, qui pro pecunia iam credita vult se assecurare.

9 Et in tantum potest fideiussor periculi in se suscepti iustum pretium accipere, vt dixi, vt etiam creditor, liberando fideiussorem, possit ab ipso fideiussore pro liberatione, quam ei facit, aliquod iustum pretium accipere, Couar. vbi supra.

10 Infero ex dictis in hac extensione, eum, qui non se exponit periculo, sed solum labori negotij, non posse licitè capere integram tertiam vnius scuti, de qua locutus sum in qq. seqq. sed debere accipere minorem, quia si tertia debetur ei, qui se exponit periculo, & labori; ergo minor debetur ei, qui se exponit solum labori.

Secundus, Tertius, & Quartus casus, in quibus considerantur similiter labor, & periculum, sunt illi, quos posui infra nu. 29. in fine, 30. & 32. vbi videas.

11 QVAERO quinto, quãta sit ista prouisio?

Respondeo, esse tantam, quantam laudabilis mercatorum vsus approbauit, Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. della prouisione, in responsione ad nonam difficultatem, & in cap.

cap. 5. vers. altri poi desiderano. seu quantam approbabit sanum peritorum iudicium, Romoal. Coli tract. de camb. cap. 31. in fine.

12 Vsus mercatorũ, qui seruatur in Italia, & seruari deber apud omnes, qui contrahũt in nundinis, quas Genuenses celebrãt in ciuitate Placentiæ, est, vt detur vna tertia pars vnius scuti marcharũ pro singulis centenis scutis, Rot. Genuẽ. decis. 30. alias n. 2. Alex. Rauden. in opusc. super banch. S. Ambr. sub n. 56. & 40. & Romoald. Coli tract. de camb. cap. 21. vers. sogliono. & cap. 19. & ideo in formula harum litterarum ista quantitas est expressa.

Si tamen alijs in locis, seu apud alios mercatores daretur maior, vel minor, erit seruanda consuetudo eorum.

Verum mihi durum visum est, quòd Ioan. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 21. in fine, de vsur. inter tractat. diuers. tom. 7. fol. 138. computatis Consulatus, & alijs nonnullis expensis, dixerit, pro istis expensis soluendos esse scutos tres pro quolibet centenario; nam si hoc esset verum, quolibet anno soluerentur scuti duodecim pro centenario vltra interesse cambij, cum nundinæ soleant celebrari quatuor in anno, vt dixi §. præcedenti, gl. 4. nu. 3. & sic maior esset impensa quàm interesse; aut, si interesse æquaretur impensis, vno quoque anno soluerentur 24. pro quolibet centenario, quod in Republica bene ordinata non esset tolerandum.

Extende primo hunc vsum soluendi tertiam partem vnius scuti, vt in foro exteriori sit vera indistinctè, siue cãbij debitor sit minus idoneus, siue magis idoneus, idest, siue cambium sit periculosum, siue non; & ita seruatur in praxi sine difficultate, quia esset impossibile ponderare minutatim per vncias quantitatem idoneitatum debitorum, per ea, quæ scripsi etiam supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. primus. & seqq. & consequenter inextricabiles propagarentur lites, ad quas euitandas forum exterius tolerat etiam pretia iniusta, vt declaraui d. ampl. 10. num. 1. & seqq. & nu. 45. & seqq. & infra vers. intellige primo.

Extende secundo, vt procedat etiam in foro interiori, idest, conscientiæ; quia, etsi pretij iniustitia, quæ toleratur in foro exteriori, non toleretur in foro interiori, testibus his, quos secutus sum d. ampl. 10. n. 41. & 45. & videatur impossibile, quòd res sint boniate inæquales, seu pericula sint inæqualia, & pretia sint æqualia sine iniustiria; his tamen non obstantibus, concluderem, extensionem esse veram, prout conclusi etiam supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. intellige. ratio, qua moueor, est, quia etiam lex conscientiæ debet esse de re possibili: sed est impossibile cognoscere minutatim qualitates, & quantitates periculi, tum quia periculum est incertus euentus rei, in quo dominatur sors, & fortuna, vt secutus sum supra §. 1. q. 1. n. 134. & 135. & ideo potest contingere, vt vbi maius appareat, euanescat, & vbi minus, ibi succedat; tum quia circa rerum euentus varias habent homines opiniones, & inæquali tenentur timore; quare si lex positiua vnum æquale statuerit pretium, illud erit tutum etiam in foro interiori, alias magna conscientiarum confusio, & perplexitas posset oriri.

Confirmatur primo hæc extensio, quia si ordinariè multum detur pro assecuratione (pura 3 in 100.) ob magna pericula, quæ plerumque vel à tempestate, vel à piratis imminent, & ego ex astrologia, vel aliunde præsciam, non fore tempestatem, vel ex litteris amici non fore piratas, aut fore securum comitarum, possum nihilominus pretium ordinarium assecurationis accipere, quia illa obligatio communiter tanti valet; sicut & is, qui, tanquam vnus, magnam haberet quarundam mercium copiam, quarum valor propter earum in vniuersum inopiam esset magnus, posset eas vendere quanti communiter venduntur ab his, qui eas habent in parua quantitate, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 28. sub nu. 27.

Confirmatur secundo, quia etsi senex, valetudinarius, & debilis videatur morti proximior, quàm iuuenis, sanus, & robustus, ramen societates officij, quæ contrahuntur super periculo vitæ, contrahuntur pro eodem pretio, seu pro iisdem fructibus, nullo maioris, vel minoris periculi vitæ habito discrimine, & confessarij de hoc non faciunt scrupulum.

Extende tertio, vt pretium periculi possit iustè accipere, non solum is, qui suo periculo remittit, vt locutus sum supra num. 5. & qui soluit pro alio, vt locutus sum infra nu. 30. & 32. sed etiam quilibet fideiussor cambij, & quilibet, qui subscriberet litteras cambij, etiam si iste fideiussor, seu subscribens acciperet pro fideiussione, seu subscriptione

pignus, aut fideiussorem, qui promitteret indemnitatem; quia adhuc posset pretium periculi accipere, Romoal. Col. tract. de camb. cap. 19. intorno. in fine; nam hoc non est pretium periculi certi, seu manifesti; nemo enim est adeo stultus, vt pro lucro vnius tertiæ partis vnius scuti vellet certò perdere scutos centum; sed est pretium periculi per possibile, imò periculi, quod illi se exponēs sperat non euenturum; &, vt ita speret, idoneum studet habere debitorem, aut saltem cum pignore, vel fideiussione; at huiusmodi periculum per possibile durat, etiam accepto pignore, & accepta fideiussione; quid enim, si pignus esset ruinosum, vel anterioribus creditoribus obligatum; & quid si fideiussor esset tanto ære alieno grauatus, vt in eius bonis nihil remaneret, & sic quis erit fideiussor fideiussoris releuantis? demum esto, quòd pignus sit idoneum, & fideiussor diues; tamen non deficiunt alij casus; quid enim si pro pignore, & contra fideiussorem foret litigandum? nonne posset contingere, quòd iudex esset iniquus; & tandem illa incommoda litis, & expensarum nonne sunt digna præfata mercede?

Infero ex hac extensione, dubitandum esse saltem in foro fori de restrictione, quam ad ea, quæ scripsi supra num. 7. vers. sed fideiussor. facit Molin. de iust. tom. 2. de contractat. disput. 319. vers. couar. col. 286. dicens, quòd fideiussor potest parum exigere à debitore, pro quo fideiubet, quando nullum subest periculum; & infero, multò magis dubitandū esse de declaratione, quam ex Couar. Stracch. & Io. Bapt. Lup. retuli supra §. 1. q. 1. num. 548. dum scribunt, quòd fideiussor non potest exigere pretium periculi, quando debitor, pro quo fideiubet, est eius qualitatis, & conditionis, vt nullum sibi immineat periculum: & ad has illationes moueor, quia debitor sit quantumuis idoneus, tamen fideiussor semper potest esse in aliquo periculo, saltem subeundi lites, & incommoda, ideoq; Prouerb. cap. 17. nu. 18. habetur, *stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo*. & cap. 22. nu. 26. *noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis*.

Intellige primo nunc præfatas extensiones, & illationem, vt quamuis pretium periculi, taxatum à lege, vel consuetudine, possit æquè accipi pro debitore magis periculoso, sicut pro minus periculoso, vt dixi, tamen illud ob nullam periculi maioritatem augeri potest, sed solum potest minui, quasi pretij latitudo remaneat infra pretium taxatum, & nunquam supra, per ea, quæ, loquendo de pretio census, seu alio simili, taxato à lege, scripsi supra §. 1. quæst. 7. par. 2. ampl. 10. num. 69. & vbi lex, vel consuetudo taxare debeat pretium, nō considerabit magnitudinem, seu paruitatem periculi in vno casu, sed in vniuersum, tanquam si constitueret pretium pro quouis periculo in genere, quia cui non placet pretium, abstineat à venditione illius; & hoc idem obseruandum forsan esset, si, deficiente legis, & consuetudinis taxatione, esset in casu occurrenti taxandum arbitrio boni viri.

Intellige secundo, vt id, quod constat longè distare à periculo, non dicatur expositum periculo, & consequenter nullum sit illius periculi pretium, per ea, quæ in alijs terminis dixi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. subintellige. tunc enim contractus videretur potius dolo initus, vt, loquendo de contractu assecurationis, non existente periculo, scripsi eadem ampl. 10. num. 21. versus finem.

Intellige tertio quod diximus sup. extensione 1. & 2. posse pro eodem pretio à lege taxato, vendi, & emi maius, & minus periculum; vt procedat, quando excessus periculi non est notorius, vt pura, non est vltra dimidium; secus si sit vltra dimidium, quia tunc posset dubitari, quòd sicut emptio, & venditio periculi, dolo inita, non teneret, per ea, quæ dixi d. ampl. 10. num. 7. 19. & seqq. ita etiam, si sit inita cum excessiua læsione, quia tunc debet rescindi, vel suppleri iustum pretium, cum dicatur dolus; commissus re ipsa; & præsertim si pretium non esset à lege taxatum, & loqueremur in foro interiori; quia esset tutior via: sed quia his repugnant quæ dixi sup. dictis extens. 1. & 2. ideo cogitabis, & interim discas hinc, abstinēdum esse quantum possumus à negotiatione, vt, citatis sacræ Scripturæ locis, monui supra §. 1. q. 1. num. 77.

13 Declara latius, quanta esse debeat prouisio ex his, quæ scripsi infra num. 29.

14 QVAERO sexto, an pro vnico cambio possit quis accipere plures prouisiones, vel vnicam tantum?

Respondeo, constituendo regulam negatiuam, quòd non potest accipere, nisi vnam tantum; & ratio est euidens; quia si semel

laborat,

laborat, semel debet accipere prouisionem, & ita practicatur, &, si aliter fieret, esset illicitum,&, qui acciperet,teneretur ad restitutionem, etiam si accepisset ex conuentione.

15 Infero ex ista regula, quòd pro cābio recursæ,continuato per plures annos, campsarius debitor non tenetur,nisi ad vnicam prouisionē in singulis nundinis; ad hanc autem tenetur in singulis nūdinis,quia is,qui in singulis nundinis soluit pro eo, vel mādat solui pro eo, gerit ipsius debitoris negotium cum suo periculo, quod est mercede dignum; solet namque creditor, qui dedit cambio, intercedere, vti fideiussor sui debitoris, ad fauorem agentis ipsius creditoris, dum ipse agens de ordine creditoris soluit debitum, iuxta ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 5. num. 86. vers. prima. & infra §. 6. gl. 1. num. 60. & fideiussori debetur pretium periculi, vt secutus sum supra num. 7. secus est in reditu ex nundinis ad ciuitatem Genuæ, quia licet ibi soluatur tracta, sicq; extinguatur secundum cambium, quod dicitur de reditu nundinarum, & pro illius solutione, & extinctione contrahatur nouum,& sic tertium cambium pro sequentibus immediatis nundinis,& pro isto tertio cambio videatur adhibitus nouus labor,mercede etiam dignus, tamen non est ita, quia in confectione huius tertij cambij non est opus fideiussione,seu alterius labore, quia ipsemet debitor per se ipsum illud contrahit, & sicut in contractu primi cambij in ciuitate Genuæ, nulla potest cōsiderari prouisio, sed solum in solutione ipsius cambij, facienda in nundinis,vt dixi supra; ita etiam est dicēdum de isto tertio cambio, quod Genuæ renouatur pro nundinis, immediatè sequentibus, quia prouisio debebitur quando in nundinis fiet solutio cambij, & illius prouisionis solutio, vna cum solutione totius cambij destinatur semper ex nundinis ad ciuitatem Genuæ; & cum hac illatione, quòd debeatur vna tantum prouisio, & non duæ, intelligo vt concordet Romoal. Coli tract. de camb. cap. 21. vers. ma qui bisogna. dicens, quòd Ioannes, accipiens cāmbio à Petro, non debet grauari duplici prouisione; ita vt eam prius soluat Petro, qui committit suo agenti, vt soluat, & deinde ipsi agenti; bene verum est, inquit, quòd Petrus, & eius agens possent inter se diuidere illam prouisionem.

16 Subinfero, restringendo istam illationem, quòd si debitor nec in nundinis Placentiæ, nec in ciuitate Genuæ in reditu ex nundinis ageret per se ipsum,sed vtrobique per aliam personam, & sic exigeretur ministerium duorum mandatariorū, quasi etiam fideiussorum;quorum alter ageret in nundinis Placentiæ, & alter in ciuitate Genuæ,vtrique soluenda esset prouisio, minor tamen ei,qui ageret in ciuitate Genuæ in propria domo: & huic subillationi posset accommodari, quod scripsit Boninf. tract. de camb. cap. 5. vers. altri poi. in nona difficultate, dum ait, prouisionem quandoque duplicem solui ab eo, qu accipit cambio: prima,inquit, soluitur in loco, vbi contrahitur cambium;secunda verò in loco, ad quem trahitur debitum; nam ego, declarando eum, dico, quòd illa prima prouisio in loco,vbi contrahitur cambiū, non soluitur, si accipiens cābio ipsemet contrahat,& accipiat,quia tūc nemo se obligat,nemoq; negotiū gerit pro ipso;secus est, si mandaret alicui, vt pecuniam cambio acciperet pro ipso mandante, & mandatarius acciperet, quia isto casu mandans teneretur mandatario ad prouisionem, etiam in loco, vbi initiaretur cambium, & ita procedat, quod scribit Boninf. teneretur etiam ad vlteriores prouisiones vtroque in loco, donec fierent pro eo cambia, & recambia.

17 Hinc in ciuitate Genuæ orta super facto, quod posui supra §. 1. q. 5. num. 16. & 98. controuersia, an deberetur vna tantum prouisio, vel duæ;dabantur extraiudicialiter infrascriptæ inuicem contrariæ subscriptiones super stylo huius prouisionis.

Antonio richiede à Pietro in Genoua, che li facci piacere di accommodarli scudi mille, con farne tratta per suo conto in Piacenza fiera d'Agosto, doue se non saranno da esso compiti, si contenta debba trattenerli sopra cambij di Piacenza à Genoua, & di Genoua à Piacenza, come si dichiara per vna sua poliza, per quale promette di pagarli la detta partita, insieme con spese, danni, & interesse, fino all'intero pagamento.

Pietro, per accommodare Antonio di detta partita, la piglia à cambio da Giacomo per fiera d'Agosto, al quale ne fà tratta per conto di esso Pietro, e gl'ordina, che, non essendo da lui sodisfatta, gli ne debba dar debito sopra di lui, con riualersene insieme con le spese da esso Pietro, & così essequisce, non essendo da Antonio datali sodisfattione.

Paga poi Pietro à Genoua la detta partita, con darne debito ad Antonio, & insieme con la

sua prouigione per il pagamento, & continuatione della scrittura, fatta in Genoua, ne fà di nuouo tratta al detto Giacomo per conto del detto Antonio col medesimo ordine, & non essendo sodisfatta da esso, se ne riuale di Genoua da Pietro con la sua prouigione, dal quale in Genoua è pagata la tratta, e con la sua prouigione; se ne torna à riualere di Piacenza dal detto Giacomo per conto di detto Antonio, & così si continua per alcune fiere.

Si domanda, se Pietro in Genoua, stante il detto di sopra, hà giustamente contato, & dato debito della sua prouigione à vn terzo per cento al detto Antonio per il pagamento, & continuatione della scrittura, da esso fatta, hauendola massime in fiera presa persona terza, & se così è stile mercantile, che sia douuta la prouisione in fiera, & in Genoua in caso somigliante.

Io N. dico, che sono di parere, che Pietro habbia ragione in contar le prouigioni della partita continouata sopra cambij quì in Genoua, rimettendomi però à cui meglio l'intendesse: di mia propria mano.

Huicq; fidei se subscripserunt octo mercatores, seu negotiatores ex prima classe.

Tenor alterius subscriptionis.

18 *Pietro richiede ad Antonio in Genoua, che pigli à cambio per lui scudi mille, e che li trattenga sopra cambij di Genoua à Piacenza, & di Piacenza à Genoua, per alcune fiere, e promette per sua poliza di pagarglieli ad ogni sua semplice richiesta insieme con li interessi de cambij, e recambij, e spese decorse, e che decorrerranno fino all'intero pagamento, de quali interessi, e spese si contenta starne al semplice giuramento di detto Antonio, senza altra proua; al quale non hauendo il detto Pietro doppo alcune fiere data la douuta sodisfattione, fù condennato il detto Pietro per sentenza à douer pagare à detto Antonio li sudetti scudi mille con l'interesse del cambio, e recambio al conto, e con le spese di gabella, e prouigioni per tre fiere. Si domanda, se, stante la sudetta sentenza, hà potuto il detto Antonio giustamente, e conforme lo stile mercantile dar debito quì in Genoua nelli ritorni de sudette tre fiere al detto Pietro della sua prouigione, come douutali per la cõtinuatione della scrittura, & per il suo trauaglio di prendere li denari à cambio, e correrne il risico, non hauendo massime in fiera preso lui prouigione alcuna sopra il detto debito, ma la persona; al quale fù tratto, & lo pagò in fiera di ordine del detto Antonio, e lo reflettà quà à Genoua, come costa per le sue lettere.*

Io N. sono di parere, che ad Antonio, che hà preso li scudi mille à cambio per conto di Pietro li sij douuto l'interessi, e prouigioni quì di Genoua, oltre quella è stata presa in fiera dalla persona, che in esse fiere hà pagato li detti scudi mille d'ordine di Antonio; & così similmente mentre è stata continouata tal partita sopra cambij in le fiere, & questo per esser così il stile de' negotianti, & hauerlo anche ottenuto in giuditio inanti la Rota, rimettendomi sempre à migliore parere.

Et huic fidei se subscripserunt vigintiduo, quorum aliqui sunt ijdem, qui subscripserunt præcedentem fidem.

Tenor alterius fidei.

19 *Si fà fede da noi infrascritti negotiãti qualmente la verità, & corso commune, & così è il solito, & vso mercantile quì in Genoua, che chi accõmoda denari ad altri ad interesse, per trattener il debito sopra cambij trà quì, e Piacenza, quando il creditore vuole scuoder il suo credito con l'interesse, non li deue quì in Genoua contar prouigione alcuna, ma solamente contarla in fiera di Piacenza, quando si mandano al tempo delle fiere le lettere di cambio in esse fiere, in modo tale, che detto debito non habbi carico solo d'vna prouigione in Piacenza per ogni fiera.*

Io N. faccio fede, esser vero, che communemente si stila in questa Città di Genoua trattener li debiti alla forma, che di sopra vien dichiarato.

Cui subscriptioni se subscripserunt alij quindecim, inter quos vnus erat Consul nundinarum.

20 Pro absoluta intelligentia huius prouisionis, quã deberi in cambio cũ recursa, scripsi supra num. 14. & seqq. distingue duos casus.

Primus casus est; quando illemet, qui dedit cãbio, soluit sibimet de suis proprijs pecunijs; & isto casu licet is, soluẽdo, gerat etiã negotium debitoris tanquam illius procurator; sicq; repræsentet duplicem personam, vt dixi infra §. 6. gl. 1. num. 25. tamen de prouisione tripliciter dubitari contingit.

Prima dubitatio est: an prouisio sibi debeatur à pluribus, ita vt sit duplex prouisio: & concludo negatiue sine cõtrouersia; quia laborãti pro vno, ab illo vno debetur merces, sed soluens sibi pro suo debitore, soluit pro vno, ergo ab illo vno sibi debetur prouisio.

Secunda dubitatio: an sibi debeatur saltem prædicta vnica prouisio, nempe à debitore:

tore: & in hac dubitatione potest esse locus opinionibus.

Opinio negatiua, quòd non debeatur, suadetur ea ratione, quia in hac solutione, facienda sibi ipsi, fictè cōtrahitur nouum cambium inter eosdem, siquidem fingitur, quòd creditor totidem, quot sibi debentur, det cambio eidem debitori ex nundinis pro Genua, & quòd debitor ex pecunijs huius secūdi cambij soluat primum cambium, quod cū eodem creditore contraxerat Genuæ pro nundinis: sed pro hoc secundo cambio, & extinctione primi, si verè hęc agerentur cum diuersa persona, nulla deberetur prouisio; ergo multò minus debetur, si fictè, quia minori cum labore geruntur.

Nec dicatur, quòd, soluendo sibi ipsi, remanet in periculo, ne debitor, cum quo renouat cambium, efficiatur inops, & non soluendo, vt in fortioribus terminis considerabamus supra §. 1. q. 1. num. 493. & seqq. quod periculum cessaret, si de contanti sibi numeraretur.

Quia respondeo, quòd huic risico iam illud creditum exposuit, quando ei dedit cambio in ciuitate Genuæ pro nundinis, & tamen nullam ex illo risico poterat habere prouisionem.

Opinio affirmatiua, quòd prouisio sibi debeatur, suadetur ex eo, quòd creditor, soluēdo sibi ipsi de mandato sui debitoris, contrahit non solum pro se proprio nomine, sed contrahit etiam procuratorio nomine pro suo debitore: nam debitor dum mandat ei, vt soluat sibi ipsi, necessariò mandat etiam, vt nomine ipsius debitoris accipiat cambio à se ipso, vt inde sibi soluat: sed si debitor mandaret alicui tertio, quòd acciperet cambio pro ipso debitore, & solueret creditori, deberetur huic tertio prouisio, tùm quia, exequendo mandatum, sibi iniunctum, laboraret; tùm quia, accipiendo cambio, remaneret obligatus danti: ergo eadem prouisio debetur creditori, qui accipit cambio à se ipso, vt soluat sibi ipsi; sicq; confutatur ratio præceden. opin. negatiuæ in postrema parte.

Non obstat, si diceres, quòd sicut contractus assecurationis, seu fideiussionis est prohibitus inter mutuatorem, & mutuatarium, & sic inter creditorem, & debitorem, & similiter pactum legis commissoriç, quamuis sit permissus, & permissum inter debitorem & tertium, vt retuli supra §. 1. q. 1. num. 503. ita etiam prohibitus esse debet contractus iste procuratorius, seu fideiussorius inter creditorem, & debitorem cambij, quamuis sit permissus inter debitorem, & tertium.

Nam, quicquid sit de veritate huius obiectionis, in qua me remitto ad ea, quæ scripsi d. q. 1. num. 503. & seqq. respondeo, quòd sumus extra illos terminos, quia cambium non est mutuum, sed est emptio, & venditio, vt latè ostendi supra §. 1. q. 4. num. 21. neque est pactum legis commissoriæ.

Vlterius, campsores, dantes cambio, vt huic obiectioni occurrant, remq; à disputatione eximant, & prouisionem certò consequantur, cambium cum recursa concipiunt, non in personam ipsius creditoris, sed in personam agentis, seu correspondentis ipsius creditoris, qui eidem agenti mandet, vt soluat sibi ipsi pro debitore, vt dixi infra §. 6. gl. 1. num. 60. & 90. & sic cessat ista difficultas.

Verum si tu instares, prouisionem adhuc non deberi; siue creditor soluat sibi ipsi, siue soluat ei tertius; quia sicut creditor, soluendo sibi ipsi, contrahit cum debitore nouum cambium, ex quo lucratur pretium cambij, & illa omnia officia, quæ facit pro debitore, sunt consecutiua ad negotium cambij, quod gerit pro se ipso, ideoq; de illis non esset habenda ratio; ita etiam tertius, soluendo pecunias proprias creditori, contrahit ex illis cum debitore cambium, ex quo lucratur, & illa officia sunt similiter consecutiua ad cambium: quid enim interest soluentis, quòd soluat ipsi debitori, vel ipsius creditori de mandato debitoris?

Ego respondeo, quòd cum iste tertius det ad cambiū debitori de ordine creditoris, vtique creditor remanet eiusdē tertij fideiussor, vt scripsi inf. §. 6. gl. 1. sub nu. 57. 59. & 61. & similiter cū laborem illum soluendi creditori, & extinguēdi debitum suscipiat etiam de ordine ipsius creditoris, vtique debitor debet creditori prouisionem, tum ratione fideiussionis, tum ratione laboris de eius ordine suscepti à tertio, qui soluit, & proinde prouisio debetur non tertio soluenti, sed creditori, cuius ordine, & credito fit solutio.

Tertia dubitatio: retenta hac cambij recursæ conceptione, qua campsores vtuntur ad consequendam prouisionem, & qua tuti hodie videntur in foro fori; nunquid erunt tuti etiam in foro conscientiæ?

Prima facie videtur dicendum, quòd non, quia

quia in foro conscientiæ coram Deo attenditur veritas, vt scripsi supra §.1.q.1.sub nu. 529. cum enim ipse sit veritas, & lux, omnia coram eo sunt nuda, & clara: ergo, cum in rei veritate solutio fiat ab ipsomet creditore de suismet pecunijs; & principaliter causa proprij lucri, nulla est habenda ratio de illa solutione palliata, facta ab agēte, veluti de proprijs pecunijs, neque de illo labore, & periculo virtualis fideiussionis, quia illa sunt ordinata ad lucrum proprium, quod facit ex illo nouo cambio; quinimo hæc ipsa simulatio arguit, simulantem scienter, & volentem peccare contra propriam conscientiam, quia qui malè agit, odit lucem.

Contraria opinio videtur tenenda ex ijs, quæ dixi supra vers. opinio affirmatiua.

Non obstat, quòd soluat simularè ex suis pecunijs, quia respondeo, quòd non simulat, quia sciat, illum actum esse illicitum, seu prohibitum; sed quia dubitat, ne actus, quem in conscientia existimat licitum, sumeretur in foro fori vti illicitus.

Minus obstat, quòd labor, & periculum sint ordinata principaliter ad proprium lucrum, & non ad seruitium campsarij, debitoris, quia respondeo, licere mercedem sumere etiam ex labore, à quo alteri per accidens resultat vtilitas, sicq; in commutatiua iustitia attenditur, quod venit consecutiuè, & non id, quod principaliter agitur, licet regula sit in contrarium; quare, si quis, vrgente necessitate, cogeretur crastina die litteras mittere ex Vrbe ad Tusculanum, & in Vrbe inueniret Tusculanum, rediturum crastina die ad Tusculum, vel inueniret alium, qui illuc accedere deberet pro alio negotio, posset is pro portandis illis litteris petere, & accipere eandem mercedem, quam acciperet alius, qui non ob aliud negotium illuc accederet, quàm vt portaret illas litteras, illamq; mercedem non teneretur restituere, etiam si non fuerit sibi spontè soluta, sed quia aliter nolebat illas litteras deferre.

Confirmatur hæc responsio, quia ob hanc consecutiuam vtilitatem cōmutatiua iustitia admittit, vt possimus mercedē recipere ab eo, cui nos eam dare deberemus; si non, quod consecutiuè, sed, quod principaliter agitur, attenderemus, vt latè patet ex his, quæ scripsi supra §.1.q.7.par.2.ampl.6.nu. 1.& seqq. & præsertim num.10.& seqq.

Admitto tamen, quòd is, qui, portando litteras sine impensa, & labore, exigeret eandem mercedem, quàm exigeret, qui impenderet, & laboraret, esset asper, & inhumanus, ideoq; indignus videretur societate humana, tamē non teneretur ad restitutionem, quia non faceret contra iustitiam; satis enim est, quòd propter receptam mercedem teneretur de negligentia, & culpa.

Concludo in hac dubitatione, campsorem potius agere contra charitatem, quàm teneatur ad restitutionem; vnde monerem campsores, qui introducunt hanc prouisionem, vt consulerent suis conscientijs.

Secundus casus est; quando tertius verè accipit cambio ab alio, & soluit creditori; & iste casus est extra cambium recursæ, & non habet difficultatem, quòd iste tertius, cum exponat se labori, & periculo soluendi cambium, est dignus prouisione, tàm in foro fori, quàm in foro conscientiæ; imò etiam si iste tertius esset agens ipsius creditoris, sed acciperet cambio ab alio, vt solueret, cambium esset verum, & reale, & sine difficultate deberetur ei prouisio, Romoal. Col. tract. de camb. cap. 21. in fine.

21 Restringe nunc eandem regulam, positam supra num. 14. vt non procedat respectu diuersarum personarum, sed procedat solum respectu vnius personæ; quare licet campsor in nundinis Placentiæ non possit ab eodem campsario debitore exigere duplicem prouisionem, alteram pro exactione pecuniarum, & alteram pro earundem remissa ad ciuitatem Genuæ, cum renouatione cambij in ciuitate Genuæ, iuxta ea, quæ scripsi supra num. 15. vers. infero.

Tamen respectu plurium personarū dantur casus, in quibus potest, exequendo idem negotium, exigere duplicem prouisionem.

22 Primus casus est, quando tu, negotiando risico tuo in cambijs scutos mille Titij, das illos ad cambium Seio pro foro Sanctorum Placentiæ, & postea in illo foro eosdem à Seio exigis, & soluis Meuio per litteram Sempronij, qui tot in te traxit: certè isto casu tu ex illo cambio lucraris prouisionem à Titio, cuius gratia dedisti cambio tuo risico, & aliam prouisionem lucraris à Sempronio, cuius gratia eosdem soluisti Meuio, & sic tu ex alienis pecunijs, nempè Titij, lucraris prouisionem ab vtroque, Boninf. tract. de camb. cap. 4. vers. cosi anco. versus finem. ibi, & perche. & hoc est, quod dicunt, *si suona à doppio*, vt scribit Boninf. d. tractat. de camb. cap. 5. vers. altri poi desiderano. & pro ista prouisione

prouisione adde quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 9. num. 6. hincq; vides quot artes sint subtiliter, & enixè excogitatæ ad lucrandum.

23 Secundus casus est, quando agens Placentiæ, soluit sibimetipsi tractā, in se factam, eandemq; solutam per litteram propriam, idest, periculo suo remittit illi, qui sibi remiserat, trahendo in eundem, qui traxit in se, quia isto casu vna prouisio sibi debetur ab illo, qui sibi remisit, & cui remittitur, & alia debetur ab eo, qui in se traxit, & in quem trahitur.

Exemplifica hunc casum: Octauius ex ciuitate Genuæ remittit Iacobo Placētiæ scutos 1000. soluendos sibi à semetipso littera Petri cum ordine, vt illos sibi Octauio remittat ad ciuitatem Genuæ littera ipsius Iacobi, & eodem tempore Marcus trahit in eundem Iacobum alios scutos 1000. soluendos Luco in Placentia; quia isto casu Iacobus, exequendo vtriusque ordinem, & trahendo postea eosdem ad ciuitatem Genuæ in eundem Marcum, vt eos soluat Octauio prædicto, lucratur prouisionem ab vtroque: & hic est aduertendum, quòd Iacobus, dum trahit in Marcum ad ciuitatem Genuæ, dicitur, loquendo more mercantili, reflectere illam partitam, vt in Rot. Genuen. decis. 143. bernardus. initio, & dicitur se de illa prouidere, seu præualere iuxta ordinem, sibi datum ab eodem Marco; sed quò iste casus duplicis prouisionis clarior appareat, pono hic litteras, quas super hoc ipso casu habui à negotiatore multorum cambiorum.

24 *Lettera, scritta in Genoua da Ottauio à Piacenza à Giacomo, perche scoda scudi 1. V. che li rimette per lettera di Pietro, con ordine, che poi gli ne facci rimessa in Genoua.*

1615. à di 10. Aprile in Genoua per Giacomo di Piacenza fiera di Pasqua.

Magnifico bon. In cotesta fiera di Pasqua vi rimetto scudi 1. V. da voi stesso per lettera di Pietro, me ne darete credito, e, dedutto la prouigione, me ne farete qui rimessa per vostra lettera, auisando. à Dio.

Ottauio.

25 *Lettera, scritta da Marco à Giacomo di Piacenza, perche paghi scudi 1. V. che li hà tratto in Luco, e che se ne proueda da lui.*

1615. à di 16. Aprile in Genoua per Giacomo di Piacenza fiera di Pasqua.

Magnifico bon. In cotesta fiera di Pasqua vi hò tratto scudi 1. V. in Luco, conti con il suo de quì, li accetterete, e pagherete, con darmene debito, & prouederuene con più vostra prouigione de quì da me, che li pagherò, auisando. à Dio.

Marco.

26 *Giacomo di Piacenza fà creditore Ottauio de scudi 1. V. che li hà rimesso per lettera di Pietro, & li dà debito poi de scudi 3. 6. 8. di prouigione, e de scudi 996. 13. 4. che li rimette da Marco per sua lettera, e li scriue, come in appresso.*

1615. à di 15. Maggio à Piacenza per Ottauio di Genoua.

Magnifico bon. Per risposta del vostro spacchio, hauuto in questa fiera di Pasqua, dirò, che vi hò dato credito di scudi 1. V. che mi hauete rimesso da me stesso per lettera di Pietro, hauutone sodisfattione, & all'incontro vi hò dato debito di scudi 996. 13. 4. che à fol. 71. 4. vi rimetto da Marco per mia lettera alliganda, ve li farete pagare, e con scudi 3. 6. 8. di mia prouigione ne salderete il conto. à Dio.

Giacomo.

27 *Segue la lettera di cambio.*

1615. à 10. di Maggio in Piacenza scudi 996. 13. 4. à fol. 71. 4.

A 28. di questo pagate per questa prima di cambio ad Ottauio scudi 996. 13. 4. à fol. 71. 4. in scudi d'argento, conforme al decreto, conti à me, e ponete à conto vostro.

A Marco in Genoua. Giacomo.

28 *Giacomo di Piacenza fa poi debitore il Marco di scudi 1. V. che li hà tratto, e più scudi 3. 6. 8. di prouigione, e per imborsarsene li ordina che paghi scudi 996. 13. 4. ad Ottauio, e scudi. 6. 13. 4. al suo Giacomo, il quale in questo caso viene ad hauer guadagnato le due prouigioni, & la forma del spacchio, scritto da Giacomo à Marco, segue come in appresso.*

1615. à 15. di Maggio in Piacenza per Marco di Genoua.

Magnifico bon. Per risposta del vostro spacchio, hauuto in questa fiera di Pasqua dirò, che vi hò dato debito delli scudi 1. V. che mi hauete tratto in Luco, conti con lui pagati, e più scudi 3. 6. 8. di mia prouigione, e per imborsarmi vi hò tratto scudi 996. 13. 4. a fol. 71. 4. In Ottauio conti à me, & scudi 6. 13. 4. in lo mio Giacomo per li 28. di questo; li accetterete, e pagherete saldandone il conto con detta prouigione. a Dio.

Giacomo.

29 QVAERO septimo, quanti vendatur periculum pecuniæ, seu alterius mercis, hoc est,

est, quid assecuranti alienas pecunias, seu merces, solui debeat; nam reminisci oportet, eiusmodi periculum posse emi, & vendi, vt dixi supra §.1.q.1.nu.128.& seqq. qui enim assecurat, stat veluti fideiussor mercium, & pecuniarum aduersus quemcumque casum sinistrum, & quia pro illo periculo accipit pretium, dicitur vendere illud periculum; & dominus pecuniæ, seu alterius mercis assecuratæ, quia soluit pretium periculi, dicitur emere illud periculū, vt dixi sup. §.1.q.7.par. 2.limit.6.n.5.& ei, qui, fideiubēdo, se periculo exponit, deberi periculi pretium, diximus eadem limit.6.sub nu.4.& apertius hac ead. gl.nu.6.vers. extende.& nu.7.& hæc quæstio venit consecutiuè ad præcedentē, quia cum in ea fuerit dictum solum, quòd debetur vna prouisio, idest, vnum pretium pro periculo in contractu cambij, nunc restat videndum, quanta sit hæc prouisio, idest pretium: hac reminiscentia præmissa.

Respondeo, colligendo quatuor species contractus, in quibus contingit, assecurationem periculi scrupulosiorem esse, quàm in alijs contractibus.

Prima species contractus est cambium; & in isto contractu considero quatuor modos, quibus soluitur pretium periculi.

Primus modus est, quando tertius de campsoris mandato exigit à campsario debitum cambij, & exactum remittit campsori periculo ipsius remittentis, iuxta ordinem, sibi datum; & dico, quòd campsor tertia parte vnius scuti emet periculum centum scutorum, vt scripsi supra num.11. & 12. & patet ex formula litterarum, scriptarum supra §.1. q.5.num.77.& 81.

Secundus modus est è conuerso, quando tertius de ordine campsarij soluit tractam campsori, seu illius procuratori; & dico pretium, seu prouisionem esse eādem cum præcedenti, videlicet, tertiam partem scuti pro singulis centenis scutis, vt patet ex formulis litterarum, de quibus d.q.5.quia iste siue soluat de proprijs pecunijs, siue de alienis, contrahit ex ijs cambium pro campsario, & vtroque modo se campsarij gratia exponit labori, & periculo.

30 Tertius modus est, quando non tertius, vt in præcedenti, sed ipsemet campsor per viam noui cambij exigit à se ipso, soluitq; sibi ipsi de mandato campsarij, cuius denuo remanet creditor, & consequenter repræsentat personam tertij, qui det cambio eidem campsario, & repræsentat personam fideiubentis pro ipso campsario, & ex hac repræsentatione vendit periculū, sicut faceret tertius, qui fideiuberet; in hoc enim cambio aliam multiplicem repræsentationē dari ostendimus infra §.6.gl.1. num. 25.& seqq. & huius periculi pretium (quando possit à campsore licitè accipi) dico esse similiter tertiam partem vnius scuti pro centenario, vt dixi in præceden. 1.& 2. modis.

31 Declara hos tres modos, vt in hac vnica prouisione, seu pretio, quod est tertia pars vnius scuti pro centenario, includantur pretium laboris, & pretium periculi; non enim debentur duæ prouisiones, vna scilicet pro laboribus, & alia pro periculo, vt arbitratur Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. ad sextum. lib.5. de vsur. contra quem propterea scripsimus etiam supra §.1. q. 5. sub nu. 83. vers. sed tota.

Verum tamen est, quòd si remittens creditori, faciat laborem solum in exigendo, & remittendo, & nullum in se suscipiat periculum pecuniarum, quas remittit, pretium debetur ei solum pro labore, & proinde erit minus tertia parte vnius scuti pro centenario.

32 Quartus modus est, quando aliquis formaliter fideiubet pro campsario; & huius periculi fideiussorij pretium dico debere esse idem cum eo, de quo in præced. primo, secundo, & tertio, per ea, quæ dixi supra §. 1. q.7.par.3.limit.6.num.4. & supra hac ead. gl. sub num.12. vers. extende tertio. quia nulla viget disparitatis ratio.

33 Secunda species contractus est societas pecuniarum, siue fiat in cambijs, siue in alia negotiatione: & in hoc contractu pro vberiori dicendorum intelligentia duo breuiter præmittam.

Primo præmitto, differentiam esse inter pecuniam, datam mutuo, & pecuniam, datam in societatem, quia periculum pecuniæ mutuatæ spectat ad mutuatarium, cui datur pecunia, cum in eum transeat dominium rei mutuatæ, vt secutus sum supra §.1.q.7. par. 1.num. 21. vers. septimo quia. Sed periculum pecuniæ datæ in societatem non spectat ad socium, cui datur, sed spectat ad socium, qui pecuniam confert, D.Thom.2.2. q.78. art. 2. vers. ad quintum. & Nauar. in man. confess.cap.17.de vsura in societate, nu.251. vers. centesimo vndecimo peccat, num.252. vers. ad hoc.& vers. at si vnus. & num. 253.

vel

vel spectat communiter ad vtrunque, vt dixi supra §.1.q.7.par.2.ampl.9. num.4. vers. contra.

34 Infero primo obiter ex hac differentia, quòd licet simulatio de contractu licito ad licitum sit permissa, vt secutus sum supra §.1.q.7.par.2. ampl.10. sub num. 29. vers. prima.

Tamen conferens pecuniam in societatem, non debet de ea simulare mutuum, & sic facere, vt scriptura publica cantet de mutuo; quia ex hoc poneret socium in magno periculo, quare si lucrum voluerit participare, debet illam scripturam rescindere, vt latius declarat Nauar.d.cap.17.num.259. vers.centesimodecimotertio.

Infero secundo, quòd cum periculum pecuniæ, datæ in societatem, spectet ad eum, qui pecuniam confert, is debet emere periculum, & soluere pretium, idest, is debet soluere pretium, quo assecuretur illa pecunia.

35 Secundo præmitto, quòd licet Laur. de Rodulph. in cap.10. consuluit. in 2. partic. q.19.num.61.& seqq. de vsur.inter tract.diuers.tom.7.fol.21.& B.Io.à Capistr.tract.de vsur.par.2.2.part.num.84. tom. 7. fol. 108. & alij disputent, & referant opiniones, an dans pecuniam mercatori ad mercandum cum pacto, quòd capitale sit saluum, & partem lucri habeat, sit vsurarius; & esse pactum contra naturam societatis, quòd vnus habeat caput sanum, & alius habeat caput fractum, scribit Io.à Capistr.d.2.par. 4.par. sub num.98.fol.109. & in societate non valere pactum, quòd vnus ex socijs sit particeps lucri, & damnum non cogatur agnoscere, scribit Surd. cons.150. verba contractus. num.39. in fine, lib.1.& ita pro regula videntur magis communiter dixisse Doctores; & eiusmodi societates damnat Sixtus V. in constit.detestabilis.quæ in ordine suarum constitutionum est 46. edita anno 1586. 12.Kal.Nouembris.

Tamen tàm dicta in primo præmisso, quàm in secundo, sunt cum declarationibus restringenda.

Declara primo, restringendo primũ præmissum, de quo supra num. 33. vt non procedat, quando pecunia conferretur in societatem cum pacto, quòd esset communis, & ideo inter ipsos socios veniret communiter diuidenda tam ipsa pecunia, quàm lucrum, quia tunc omnibus communiter periret secundum omnes, Nauar.d.cap.17.nu.253. in fine.

36 Declara secundo, restringendo secundum præmissum (& incipio attingere punctum nostrum) vt ponens pecuniam in societate, possit pecuniæ periculum euitare, & se tutum reddere, faciendo, quòd socius suscipiat in se periculum pecuniæ, in societatem collatæ, soluto tamen eidem suscepti periculi pretio, vel loco pretij, inito pacto de tanta minori participatione lucri: nam qua ratione tertius posset eum assecurare, eadem poterit socius, celebrando inter se virtualiter tres contractus: primus quorum est societatis, in quam vnus conferat pecuniam, & alius operam, & industriam; secundus, quo is, qui confert operam, assecuret pecuniam alterius, iusto pretio accepto, aut altero tanto ex lucro remisso: tertius, vt, ad tollendas suspiciones, & molestias rationum, & computorum, qui operam præstat, lucrum incertum lucro aliquo certo redimat; quia omnes conueniunt, quòd is, qui confert pecuniam in societatem, possit assecurari de sorte, & de aliqua certa parte lucri, ineundo duos contractus; assecurationis scilicet, & lucri, cum tertio, & qua ratione potest inire cum tertio, eadem potest, vt dixi, cum socio, cessante omni fraude, & simulatione; Couar. var. resolut.lib.3. cap.2. num.4. vers. tertia conclusio. Nauar.d.cap.17. num.254. vers.notandum.& sub num.257. vers.ad quæsita. quæ omnia rursus tradit in cap.si fœnerauerls. not.14.num.32 & seq. 14. q. 3.& cons. 31.reuerendiss. vers. non obstat secundum; quem in effectu sequuntur Io. Bapt. Lup. in cap.nauiganti.§.1. idest, post præfationem, sub num.12. vers. sed hostiensis. in fine, de. vsur.inter tract.diuers.tom.7.fol.136.& Boninf.tractat.de montib.cap.8. sub num.2. & seqq.quem citaui etiam supra §.1.q.1.num. 450. hancq; declarationem; citatis auctoribus, qui eam tenent, latè probat Leonar. Less.de iust.& iur.lib.2. cap.25. num.23.& seqq. cum hac eadem declaratione, præmissis quatuor modis dãdi pecuniam ad aliquam vtilem negotiationem, cum pacto, vt capitale sit semper saluum, & quòd propterea de lucro societatis detrahatur tantum, quod licitè dans pecuniam, alioqui accipere potuisset, & illud detur accipienti pecuniam pro capitalis assecuratione, consentit in effectu Lud.Molin.de iust. tom.2.de contract. disput.417.vers. vt quid de hac.& vers. seq. iuncto

iun 3o initio dictæ disput. & hanc declarationem nupet à doctissimis viris absque vlla difficultate fuisse Romæ approbatam & passim per Italiã esse in vsu,& ex formulis mercatorum constare; & denique à plurimis sacræ Theologiæ professoribus celeberrimis eandem hoc tempore per Italiã, Hispaniam, Germaniam,& Galliam absque vlla dubitatione tradi,testatur idem Less.d.num.23. in fine; & eam seruant sæpè Genuenses in negotiatione pecuniarum super cambijs, vt patet ex formula syngraphæ, quam retuli sup. q. 5. num. 15. imò eiusmodi contractum ad rationem quinque, vel sex pro centenario, vt in dicta syngrapha, seruant ex consilio Iesuitarũ illius Ciuitatis; & ibi super tali contractu nec iudices,nec alij scrupulũ faciunt.

37 Nec huic secundæ declarationi obstat Sixti V. constitutio, incipien. detestabilis. citata sup. sub n.35. quæ dãnat societatem, eo pacto initam,vt capitale, & certa pars lucri ex capitali sint semper salua, prout eandem constitutionem citat Io. Azor.de instit. moral. par.3. lib. 10. tit. de censib. cap. 22. vers.secundo quæritur.il 2. quæ fuit allegata, & admissa in Rota, quando locarentur animalia, cum pacto, quòd essent semper salua, Rot.diuers.decis. 227. fuit extra. sub num. 8, 9. & 10. in Rom. vsurariæ prauitatis,ven.4.Iulij 1597.coram R.P. D. Peregrino, in impressis Lugduni 1612.

Quia,etsi Io. Azor.vbi supra videatur admittere illius constitutionis obiectionem, & Leonar.Less.d.cap.25.sub num.33.vers.nec obstat quod fixtus. & vers. seq. ad eam postremò confugiat solutionem,quòd illa constitutio non sit vsu recepta,præsertim in Belgio; quod etiam in vers. simili modo. & vers. idem alia. scribit de constitutionibus Pij V. super censibus,& cambijs;ego tamen, obiectionem euitando, & cõstitutionis vsum admittendo, respondeo dupliciter.

Primo respõdeo,quòd illa constitutio non tollit hanc declarationẽ,quia illa constitutio est similis,cap.nauigãti.de vsur.& ideo similẽ debet recipere interpretationẽ; nempè,vt sicut mutuator nõ potest in contractu mutui obligare mutuatarium ad faciendum se assecurari ab ipso mutuatore,quia illa obligatio est pretio æstimabilis, ideoq; augeretur sors mutuata, ita etiam ponens pecuniam in societate, non possit obligare socium, qui eam accipit, ad assecurandum capitale, quia illa obligatio est pretio æstimabilis, & consequenter ex ea obligatione resultat iniustitia societatis; & ab hac responsione non discedit Less.sub eod.num.33. vers. primo quia. secus quando illa assecuratio non fit ex aliqua obligatione præcedenti, sed sponte, quia tunc cessat illa constitutio.

Secundo respondeo, quòd Sixti V.constitutio damnauit societates, in quibus vnus socius assecurat capitale alterius, non soluto sibi pretio iusto assecurationis,quia tunc societas est manifestè iniusta, & iniqua.

Nec huic secũdæ responsioni obstat, si dicatur,illã constitutionem hoc modo intellectam esse superfluam, seu interpretatricem casus minus dubij: quia huic obiectioni respondeo tripliciter. Primo respondeo, quòd, cum hominũ auaritia eò vsque serpsisset, vt, iustitia quasi prostrata,& legibus abusu ferè abolitis, societates in graue pauperũ sociorum damnum coirent nimis inæquales,constitutio non superfluè,sed necessariò eas, renouatis quasi legibus, firmius, & apertius damnauit,nõ tamen prohibuit,capitale assecurationis cõtractu saluari,quia assecurationis contractus est vtilis,licitus,& iustus,nullaq; lege est prohibitus, vt patet ex his, quæ scripsi sup.q.1.nu.129. & licet sit prohibitus in cõtractu mutui, vt scripsi ead.q.1.n.502. tamen nos sumus in societate,non in mutuo, & vlterius in mutuo est prohibitus, si fiat ex obligatione præcedenti, non autem si fiat sine obligatione, secundum communem intellectum,de quo ead.q.1.nu.498. Secundo respondeo,non esse superfluam, quia, aliter contrahentes, declarat vsurarios publicos, ita vt cõtra eos possit procedi criminaliter ex officio. Tertio respondeo, hodie has superfluitates non considerari,quia omnia fiunt disputabilia, & statutum, quod tollit disputandi materiam,non est superfluum, per ea,quæ scripsi in meo tract. de iud. caus. lib.1. cap.97. sub num. 54. versus finem, & num.121.vers.quicquid.

38 Minus obstat, quòd Sot. de iust.& iur.lib. 6.q.6.art.2.col.3.in fine, & col.4.ibi,at verò ea porrò. fol. 599. & 600. damnet hunc contractum simpliciter,reprobata etiam doctrina Caietani, distinguentis, an isti tres contractus fiant eodem tempore, vt tunc non valeant; an verò ex interuallo, vt tunc valeant.

Quia respondeo,communem opin. in hoc esse contra Sotũ,contra quẽ latè insistit Nauar.in d.c.si fœnerauer is.sub n. 35. & seqq.

Non

39 Non obstat etiam, quòd Rota coram Illustriss. Card. Millino in Ferrarien. societatis, lunæ 20. Decembris 1599. & ven. 17. Martij 1600. inter impressas post cons. Farinacij lib. 1. decis. 130. domini steterunt. num. 5. & seqq. sequatur in effectu dictam Caietani distinctionem, quasi, si assecurationis contractus fiat in eodem contractu societatis, videatur coactè factus, quia sine assecurationis contractu non fieret societas, secus si assecurationis cōtractus fiat separatim, & non correspectiuè ad cōtractum societatis; quasi isto casu assecurationis contractus sit voluntarius, & non coactus; quam distinctionem Rot. confirmat, eo, quòd Abb. cons. 69. videtur. sub num. 1. ibi, tertio me mouet. lib. 2. & Caputaq. decis. 163. simulatio. in fine, par. 3. eandem faciunt distinctionem in pacto de retrouendendo; & cum hac distinctione videtur Rot. vbi sup. num. 8. interpretari præfatam Sixti V. constitutionem, vt prohibeat pacta, apposita in ipso contractu societatis, non autem apposita ex interuallo in alio contractu.

Prout neque obstat, quòd Mantic. de tacit. & ambig. conuent. lib. 6. tit. 6. nu. 12. tom. 1. videatur concordare cum eadem distinctione, dicens, quòd hi duo contractus, societatis, & suscipiendi periculi, separatim sunt permissi, quia, si fiant ex interuallo, cessat præsumptio fœnoris; cum societas, simpliciter contracta, longè distet à mutuo; at societas, inquit, si fiat cum pacto, incontinenti apposito, quòd saluum sit capitale, non distinguitur à mutuo.

Quia respondeo, & quidem ad Rot. videtur tripliciter posse responderi.

Primo, quòd etsi in contractu mutui possit cōsiderari ista fraus coactionis, ad ineundum contractum assecurationis cum mutuatore, vt in cap. nauiganti. de quo scripsi sup. §. 1. q. 1. num. 498. & 499. dum mutuator obligat mutuatarium ad ineundum contractum assecurationis cum ipso mutuatore; tamē hoc procedit in mutuo, & in casu, quo mutuatarij obligatio de ineundo contractu assecurationis appareret; & non, quando non appareret, licet in eodē contractu mutui fieret contractus assecurationis; & dato, quòd procederet, etiam si non appareret obligatio mutuatarij, sed ex eo solo, quòd esset factus eodem tempore cum contractu mutui, tamen tunc procederet ex præsumptione iuris in d. cap. nauiganti. & non ex præsumptione hominis: at casus noster non est casus mutui, quod est apta materia formalis vsuræ, sed est casus societatis, & nulla præcessit obligatio, &, non præcedente obligatione, insurgeret præsumptio non iuris, sed hominis, quæ non sufficit, Caputaq. ead. decis. 163. num. 7. fateor ergo, quòd non licet contrahere societatem eo pacto, vt alter teneatur assecurare aliquod lucrum, & capitale; sed nego, quòd, contracta prius tempore, vel natura societate, non possint de vtriusque libera voluntate assecurationes illæ fieri, Nauar. in d. cap. si fœneraueris. sub num. 34. vers. ad tertium. admitto etiam, quòd etsi in foro exteriori peius præsumatur, quando fiunt eodem tempore, quàm, quando fiunt diuersis temporibus, licet secus quoad Deum, & in foro conscientiæ, vt admittit etiam Nauar. eod. cap. si fœneraueris. sub num. 35. vers. ad sextum. tamen in foro exteriori sufficit, quòd societas natura præcedat, vt dixi.

Secundo respondeo, distinguendo. Aut iste contractus assecurationis capitalis potest pro eodem pretio iniri cum alio tertio; & tunc cessat præsumptio coactionis, quia ad quid cogere sociū ad id, quod sine coactione potest haberi ab alio æquè benè? vsurarū enim fraus non committitur sine aliqua vtilitate; ideoq; quod vsuram redolet, debet esse pecunia æstimabile, vt dixi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub nu. 82. & seqq. vers. primus. Aut non reperitur, qui assecuret, saltem pro eodem pretio, sed solum pro maiori; & tunc sentiò cum Rota; hæcq; distinctio non ita facilè applicatur mutuo, tum quia in contractu mutui quælibet accessio ad sortem regulariter est prohibita, vti vsuraria; tum quia mutuatarius facilius præsumitur coactus, quàm socius, aut alius contrahens.

Tertio respondeo, quòd opinio cōtra Caiet. & contra Sot. quos citaui, est multò probabilior, & verior, nimirum, hæc pacta in societatis contractu esse licita, siue simul fiant cum socijs, siue succesiuè, modo prudentis arbitrio seruetur æqualitas, vt, citatis viris doctissimis, & religiosissimis etiam eorum formalibus verbis relatis, latè probat Leonar. Less. d. cap. 25. num. 23. & seqq.

Ad Mantic. vltra responsiones allatas, formaliter respondeo, quòd ipse eod. tit. 6. num. 3. & seqq. vers. sed aduertendum, & seqq. probat, hos duos contractus esse licitos, etiam si fiant coniunctim, dummodo si,

qui confert capitale, assecuratum à socio, minor pars lucri, sub nomine quotæ concedatur, vt explicat num. 11. & postea, quando num. seq. 12. motiuat, & soluit, non aliter probat præfatam distinctionem.

40 Subdeclara, extendendo hanc secundam declarationem, vt negotiator possit publicè notificare, se paratum ad accipiendam pecuniam à quocunque volente, sibi eam conferre in societatem, cum pacto de assecurando sortem, ad rationem quatuor pro centenario, & lucri certi quatuor pro duodecim incerti lucri, ita quòd ex lucro incerto verisimili 12. ex centum accipiat quatuor pro assecuratione sortis, & quatuor pro certificando lucro duodecim, & consequenter non teneatur reddere, nisi quatuor pro centenario; & in vim huius publicæ notificationis potest, qui vult, ad istum negotiatorem accedere, & conferre ei centum, dicendo: ego confero tibi centum in societatem negotiationis cum securitate sortis, & redemptione lucri incerti, iuxta tuam notificationem, Nauar.d.cap.17.num.255.vers.addo quod. & d.cap.si fœnerauerís. not.14. sub nu. 32. vers. post hæc scripta.14.q.3.

41 Confirmantur primo hæc declaratio, & subdeclaratio, quia mulier potest pecunias dotales, marito vergente ad inopiam, deponere apud aliquem mercatorem, vt ex honesto earum lucro onera matrimonij sustentet, salua semper sorte dictarum pecuniarum, & constituto certo honesto lucro, cap.7.per vestras. de donat.inter virum & vxor.quæ duo fieri non poterant, nisi per viam assecurationis, & redemptionis lucri incerti pro certo, vt dixi nu.præced.Nauar.d.cap.17.nu.256. & d.cap. si fœnerauerís.d.vers. post hæc scripta.& sub num.34.vers. quæ planè. 14. q.3.

Cõsolidatur hæc confirmatio, quia etiam ex Pij V. concessione possunt dari pecuniæ mercatori, qui eas negotietur in cambijs, & stet, vt aiunt, *del credere*, vt retuli infra §.6. gl.1. sub num. 43.

42 Confirmatur secundo, quia testator potest certam pecuniam legare parocho, & beneficiario alicuius Ecclesiæ, vt perpetuò singulis mensibus tot missæ pro anima legantis dicantur, quot ex lucro illius pecuniæ legatæ ad rationem quinque pro centenario singulis annis dici possunt: & ratio est, quia potest legari vsusfructus pecuniæ, l. 1. & 3. ff.de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum. & isto casu parochus potest illam pecuniam dare diuiti, & securo mercatori ad rationem certi lucri pro quolibet centenario, & remanente semper salua sorte, per ea, quæ dixi supra num.36.& 40.in declaratione, & subdeclaratione, & Nauar. d.cap.17. sub num. 257.vers.ad quæsita.

43 Nec dicatur, casus istarum duarum confirmationum defendi fauore dotis, & animæ, secus in alijs casibus, in quibus non militant isti fauores.

Quia respondeo distinguendo: Aut isti casus non continent vsuram; & tunc dico, quòd omnes casus possunt defendi; vnde eandem conclusionem generaliter, non restrictam ad casus istarum duarum confirmationum, secutus sum supra §.1. q. 7. par. 2. ampl.9. nu.1.3.& 5. Aut continent vsuram; & tunc videtur dicendum, quouis fauore militante, non posse defendi, quia etiam pro redemptione fidelium captiuorum vsura admitti non potest, cap. super eo. de vsur. Nauar.d.cap.17. sub num. 257. & d. cap. si fœnerauerís. sub num.34.vers.quæ planè.& Io.Bapt.Cauat.tract.de camb. tit.de cambio sicco, vers.quæro an cambia sicca. fol. 223. & quòd super prohibitione diuina vsurarum dispensari non possit, scribit Nauar.in d.cap. si fœnerauerís. not. 15. sub num. 44. vers. tertia quod.14. q.3. & quòd dispensari non possit, quòd quis possit sine peccato fœnerari, scribit Laur.de Rodulph.in cap. consuluit.in princ. num.22. de vsur. inter tractat. diuers.tom.7. fol.16. &, quòd neque ab hoste sit exigenda vsura, & nunquam in hoc dispensatio legatur facta, & fieri non possit, scribit Card. de Turrecrem. in cap. ab illo. sub num.1. vers.aliorum opinio. 14.q.4. & adde quæ scripsi supra §.1.q.1.num.311. & seqq. imò dispensatio videtur impossibilis indistinctè, quia vsura est, quòd nummus ex se ipso pariat nummum, iuxta ea, quæ scripsi supra d. q. 1. sub num. 404. & hac ead. q.par.præced.num.68. sed potestas humana non potest hoc facere: ergo.

44 Nec replicetur, quòd sicut etiam iudæis est prohibitum exercere vsuras, in tantum vt consuetudo in contrarium non valeat secundum communes opiniones, quas latè refert, & sequitur Clar. recept. sent. lib. 5. §. vsura, vers. hæc autem conclusio. & tamen Papa potest dispensare cum eis, vt possint eas exercere, Ias. in l.1. in 1.lect. num. 56. vers.contrariam.& in 2.lect.sub num. 35. & seqq. C.de sum. trin. & fid.cath.ita etiam possit

possit dispensare cum christianis ex aliqua vrgenti causa, seu in aliquibus casibus.

45 Quia respondeo dupliciter. Primo, æquiparationem non procedere, tum quia iudæi habentur pro mortuis, seu perditis, & sicut mortuis stultè daretur medicina, ita frustratoriũ videretur, consulere saluti iudæorum, coercendo eos à peccato, postquam sunt perditi, Ias. in d. 1. lect. num. 56. tum quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos: *quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Apost. 1. ad Corinth. 5. in fine, num. 12. cap. 8. gaudemus. de diuort. Boss. tract. crim. tit. de for. compet. num. 14. & Thom. Triuis. decis. 67. iudæus. sub num. 20. vers. nec obstat. lib. 1. secus est in christianis. † Secundo respondeo, quòd iudæi nulla particulari dispensatione indigerent ad fœnerandum christianis, quia eo ipso, quòd ecclesia tolerat eos, in consequentiam tolerat eorum ritus, vt dixi supra §. 1. q. 7. par. 3. limit. 20. num. 4. vers. subextende. &, tolerando eorum ritus, in necessariam consequentiam iam tolerat, vt possint fœnerari christianis, † quia iudæi ex lege veteri possunt alienigenis fœnerari: *non fœneraberis fratri tuo ad vsuram, neque fruges, neque quamlibet aliam rem, sed alieno*. Deut. 23. num. 19. & quare iudæis hæc facultas fœnerandi alienigenis sit permissa, variæ sunt scribentium opiniones: Prima enim opinio sit, quòd hæc facultas est eis permissa, non vt culpa vacent apud Deum, sed solũ, vt eis impunè liceat fœnerari quo ad forum humanum, vt ex D. Thom. sequitur Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 1. art. 1. vers. in secundo argumento. col. 11. initio, fol. 529. hancq; opinionem sequitur Boninf. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. num. 26. & hoc ad euitandum maius malum; † erant enim auaritiæ deditissimi, ideoq; ne peiora committerent, scilicet, latrocinia, permittebatur, vt possent fœnerari: sicut & meretrices tolerantur, & sic fornicatio ad euitanda adulteria, Sot. eod. art. 1. in postrema ratione, col. 14. fol. 530. Secunda opinio est, quòd fuit eis permissum, vt possent à gentilibus vsuras accipere, ne propter auaritiam, cui dediti erant, eas caperent à iudæis, Deum colentibus, sicut dicitur de libello repudij, qui fuit eis permissus, ne occiderent vxores, Io. de Anan. in cap. 1. num. 6. in vltimis verbis, de vsur. Tertia opinio est, quòd fuit eis permissum, non ad euitanda prædicta mala, sed quia Deus concesserat iudæis terram gentiliũ, & ideo in consequentiam permiserat eisdem, vt à gentilibus vsuras acciperent, tanquam ab hostibus, quia sicut contra hostes, vti occupatores iniustos rerum suarum, licitè arma mouere potuissent, ita ab eisdem vsuras poterant exigere, vt, loquendo de hostibus Imperij, secutus sum d. q. 7. par. 3. limit. 20. num. 4. vers. subextende. & hanc opinionem tenent multi, quos sequitur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 5. tit. de vsur. cap. 2. q. 1. vers. ait secunda. sed eam impugnant Ioan. de Anan. in d. cap. 1. sub num. 6. vers. octauo videtur. & num. 7. & latius Sot. d. vers. in secundo argumẽto. & contrariam, vti probabiliorem, sequitur Card. de Turrecrem. citatus supra sub num. 43. Alias opiniones, quæ ex dictis per Io. de Anan. vbi supra, colligi possunt, omitto, quia nobis sufficit, quòd nos videmus, tolerari, vt iudæi mutuent christianis sub vsuris: & ego non recederem ab ista tertia opinione, quia ius diuinum non propterea dispensat contra præceptum naturale, quod esset impossibile, vt secutus sum supra §. 1. q. 7. part. 1. nu. 312. & 320. sed imò illi adhæret, quia licet vsura sit furtum, & rapina, cap. 10. si quis vsuras. 14. q. 4. imò, licet sit homicidium, quia crudelior est, qui trucidat pauperem cum fœnore, quàm qui aliquid subtrahit, vel eripit diuiti, cap. 11. quid dicam. ead. 14. q. 4. tamen etiam furtum, rapina, & homicidium licitè committuntur contra hostem occupatorem iniustum, vt dixi d. limit. 20. num. 4. Nec placent duæ priores opiniones, quia lex Dei datur virtuosis, & non tolerat mala, per ea, quæ secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 44. vers. ratio.

49 Declara tertio pro intelligentia statutorum Genuæ lib. 4. cap. 17. §. securitates non possint. & §§. seqq. vt pretium periculi, & consteum securitatis sint idem; securitatis namque pretium, *consteum*, vocant; & ita etiam vocatur à mercatoribus, & iure quidem, quia debet constare ex quantitate, & qualitate rei, seu obligationis, illiq; correspondere, vt latius dixi infra sub num. 51.

50 Declara quarto, vt in omni contractu, sed præcipuè in contractu societatis, debeat seruari æqualitas, ita vt in omnibus æqualitas iudicio prudentis seruanda sit, Nauar. in manual. confess. cap. 17. de vsura in societate, num. 252. vers. ad hoc. ibi, tertium vt. quia si non seruaretur æqualitas, diceretur societas leonina, quæ est reprobata, Paris.

conf. 90. vidi processum. num. 44. lib. 1. & Rol. à Vall. cons. 13. alias. in fine, lib. 4. & quæ dicatur societas leonina, vide Alc. tractat. de præsumpt. par. 3. reg. 25. num. 2. tom. 4. fol. 312. nomen autem societatis leoninæ inde ortum volunt, quòd cum leo, vulpis, & asinus societatē inijssent, posteaq; prædā fecissent, & asinus eā æquis diuisisset portionibus, & leo iratus occidisset asinū; vulpis, docta asini infortunio, diuisit, & sibi paruā fecit partem, & reliquam dixit esse leonis, tunc quæsiuit leo ab ea, quis eam docuisset, vt sic diuideret, respondit, asinus docuit: & proinde, dum in societate miscetur assecuratio, pretium obligationi debet adæquari, ne alias assecurationis obtentu societatis æqualitas discerpatetur.

51 Declara quinto (& nunc accedo ad resolutionem quæstionis) vt iustitia pretij tàm pro assecuratione capitalis in societate, quàm pro assecuratione cuiusuis alterius capitalis, seu partis illius, debeat pendere à communi prudentum virorum æstimatione, consideratis qualitate, & circunstantijs periculi, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs, cap. 18. in fine, dub. 10. col. 1022. ad iustitiam enim contractus assecurationis requiritur æqualitas inter pretium, quod datur assecutanti, & obligationem, quam in se suscipit, nempè, vt ludicio viri intelligentis, illa obligatio tanti valeat, quanti est pretium, quod pro ea datur; sicut enim in contractu emptionis, & venditionis debet seruari æqualitas inter pretium, & rem venalem, ita in assecuratione inter pretium, & illam obligationem, quæ alteri venditur, Leonar. Less. de iust. & iur. lib. 2. cap. 28. sub nu. 24. vers. dico secundo. & ideo non potest in hoc dari alia certior regula: & licet sup. sub num. 12. vers. extende primo. & seqq. dixerim, maiori, minoriq; periculo non variari pretium, tamen, si excessus sit vltra dimidium, crederem ex tutiori opinione locum esse rescissioni contractus; quare, cum in ciuitate Genuę aliqui mercatores, soluto sibi consteo securitatis, ad rationem quatuor pro singulis centenis, assecurasset pro scutis 3000. alium mercatorem de superuiuentia N. Ballivi magnæ crucis Meliuitanæ, per sex futuros proximos menses, eoq; Balliuo vita functo satis ante finem dictorum sex mensium, mercator assecuratus postea ageret ad dictos scutos 3000. assecuratores opponebant, se fuisse deceptos, aut enormiter læsos in dicta assecuratione, & fecerunt, examinari testes, qui deponebant, illum Balliuum fuisse tunc temporis adeo senem, & ita incurabiliter infirmum, vt ipsi etiam pro consteo longe maiori, non assecurassent; vnde satis videbantur probare læsionem vltra dimidium, imò aliqui addebant, quòd non assecurassent, etiam si eis fuissent dati 90. pro centenario; vidi pro tutiori opinione iudicatum, habita consideratione super omnibus, quòd illud consteum potuisset esse pretium iustum securitatis pro scutis 1500. & non vltra; supponendo pro indubitato, quòd in eiusmodi contractu etiam vita hominis sit æstimabilis, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. num. 477.

52 Explica, vitæ hominis assecurationem, de qua obiter locutus sum in hac declaratione, practicari, quando creditor non est recuperaturus debitum, nisi eius debitor aliquo tempore superuiuat, vt in casu relato, & similibus; vt puta, electus ad Episcopatum, petit à me mutuo 1000. quibus bullarum expeditionem soluat; ego mutuo; & quia, si Episcopus ante adeptam episcopatus possessionem, vel post, priusquam ex reditibus mihi satisfacere possit, moriatur, ego 1000. mutuatos perderem, mutuo hac conditione, vt mercator aliquis assecuret Episcopi vitam post obtentum episcopatum per quatuor, vel quinque annos, quia ex illorum annorum reditibus mihi satisfaciet: idem continget, si filiusfamilias petat à me pecuniam mutuā, & quia, si is moriatur ante patrem, ego non recuperarem mutuum, secus si prius moriatur pater, mutuo ea conditione, vt mercator assecuret eius vitam post mortem patris, Ioan. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 11. tit. de contract. dubijs, cap. 18. dub. 8. vers. secunda opinio. col. 1022. & quòd eiusmodi assecuratio vitæ sit licita, sequitur Ioan. Azor. d. vers. secunda opinio. quem in hoc latius retuli supra §. 1. q. 1. sub num. 97. vers. confirmatur.

Tertia species contractus est depositum; & de huius pretio vide, quę scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 3. num. 5. & seqq. vbi late explicaui.

Quarta species est mutuum, & de huius assecuratione vide, quæ latè scripsi sup. §. 1. q. 1. num. 493. & seqq.

Dixi de pretio, seu prouisionibus, quæ debentur ratione cambiorum in varijs speciebus.

QVAE-

53 QVAERO octauo, an aliquid debeatur ratione cambij minuti?

Respondeo, quòd huic quæsito satisfeci §. præcedenti glos. 3. num. 97. & seqq. vers. infero.

§. 3. Glos. 4.

Et vndecena di gabella.

SVMMARIVM.

Gabella, Vectigal, Dacium, Pedagium, Guidacium, Portorium, Telonia, Tributum, & Census — *quid sint, an & quando sint soluenda remissiuè, num. 1. Quadam ex his vnde dicantur, & vnde soluantur, in quo differant, & ad quid soluantur, num. 2.*

Publicani qui sint, vnde dicantur, sub num. 2. Præsumuntur mali, sub eodem num. 2. Dicuntur habere nomen publicorum latronum, suntq; temerarij, & audaces, num. 3.

Vndecena, significat decimam partem, num. 4.

Gabella solui debet ab emptore, ideoq; ab eo, qui dat cambio, num. 5. Quid seruetur Genuæ, num. 7.

DE gabellis in vniuersum, peculiaribus éditis tractatibus, latè scripserunt Bertacch. & Iul. Ferret. & proprias gabellæ cambiorum regulas habent Genuenses; vnde paucis age-
1 mus: † quia quid sit gabella, vectigal, dacium, pedagium, guidacium, portorium, & telonia, & an & quando sint soluenda, & cætera necessaria reperies apud eosdẽ Bertac. &
2 Ferret. † duo solũ hic non omnino omittam: Primũ quorũ est, quòd vectigal fine, & materia differt à tributo, & censu; nam vectigal soluitur de mercimonijs, quæ vehuntur negotiationis gratia, & soluitur ad murorũ, pontium, aliorumq; id genus publicorum operum refectionem, & dicitur vectigal à à vehendo, itemq; portorium à portu, quia soluitur portitori, Sot. de iust. & iur. lib. 3. q. 6. art. 7. col. 3. fol. 281. at census, & tributum vnde dicatur, & ex quibus soluatur, dixi supra §. 1. q. 1. num. 195. Secundum, quod non omitto, est, quòd ministri, qui hæc vectigalia, seu publica exigunt, vocantur publicani, ff. de public. & vectigal. de quibus in Matth. 9. num. 10. & 11. Marc. 2. num. 15. & 16. & Luc. 5. num. 27. & dicuntur publicani à nomine, *publico*, quod vectigal significat, l. 1. §. 1. ff. de public. & vectig. & l. 34. miles. ff. ex quib. caus. maior. & sequitur Bertaz. de claus. claus. 30. gl. 11. num. 2. in fine, & à nomine, *canes*, sunt enim tanquam publici canes, stantes in portis ciuitatum contra transeuntes, quare eo ipso, quòd quis est publicanus, non præsumitur bonus vir, Franc. Luc. tract. de fisc. & eius priuileg. par. 4. nu. 1. & 3. tom. 12. fol. 15. & connumeratur inter peccatores: vnde scribæ, & pharisæi interrogabant discipulos Iesus: *quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magister vester? hoc audito, Iesus ait illis: non est opus valentibus medicus; sed malè habentibus*. Matth. & Marc. in locis supra pro-
3 ximè citatis. † imò habent notorium, & famosum nomen latronum publicorum, Ferret. tract. de gabell. num. 216. eod. tom. 12. cum enim immensa sit eorum temeritas, & audacia, l. 12. quantæ audaciæ. ff. de public. sunt valdè prompti ad latrocinia; hincque alias consultus super processu fabricato de extorsione contra quosdam publicanos, respondidi, eiusmodi præsumptionem contra eos posse sufficere ad inquirendum, & facilius procedendum; non tamen ad condemnandum.

4 QVAERO, quid sibi velint illa verba; *& vndecena di gabella*?

Respondeo, regulis, seu modis gabellarum Genuensium, num. 2. statutum esse, vt dans cambio, soluat gabellam, quæ sunt duo solidi aurei pro quolibet centenario, & quia duo solidi sunt vna decima pars vnius scuti aurei, cum scutus aureus diuidatur in 20. solidis aureis, vt dixi §. præced. gl. 3. sub n. 16. & duo solidi sint decima pars ex viginti, Genuẽses, qui in proprio idiomate sunt concisi, & in cambiorũ negotijs nimia vtitur breuitate; quod nos dicimus, vnam decimam par-

tem,

tem, ipſi breuioris ſermonis gratia dicunt, *vndecena*; vnde hoc numero 20. ſolidorum conſiderato in ſcuto aureo, quinque ſolidi ſunt quarta pars vnius ſcuti, vt in eiſdem regulis gabellæ, num. 1.

Hic loquendi modus, quo vtuntur Genuenſes, non diſtat à modo loquendi, quo Luſitani in Luſitania, vſuram decimam, appellant, *onzena*, ideſt, vnum pro decem, vt admonet Molin. de iuſt. tom. 2. de contract. diſput. 305. verſ. vſura fœtus. col. 226.

5 Verum, etſi dans cambio, deberet ſoluere gabellam, tum per prædictas regulas gabellæ, tum quia, ſtante ſtatuto, quòd de rebus emptis, vel venditis ſoluatur gabella, emptor, qui ex contractu acquirit, tenetur eam ſoluere, Bertach. tract. de gabell. par. 7. princip. num. 1. tom. 12. fol. 63. & Bertaz. de clauſ. clauſ. 30. gl. 12. ſub num. 1. ſimiliter, ſtante ſtatuto, quòd de contractu debiti ſoluatur gabella, creditor tenetur eam ſoluere, ſi contractus ſit talis, ex quo creditor commodum percipiat, Bertacch. eadem par. 7. num. 2. & Bertaz. d. gloſ. 12. ſub num. 1.

6 Sed in contractu cambij, qui dat cambio, eſt emptor, vt ſecutus ſum ſupra §. 1. q. 4. nu. 21. is enim prius numerat pretium, & de natura emptionis, & venditionis eſt, vt emptor prius numeret pretium, & poſtea venditor tradat rem, vt dixi eod. §. 1. q. 5. num. 20. item ſi eſſet contractus debiti, qui dat cambio, percipit commodum: ergo vndique ipſe deberet ſoluere gabellam.

7 Tamen, quòd vt plurimum gabella ſoluatur ab ijs, qui accipiunt cambio, deponunt teſtes Genuenſes, de quibus Rot. diuerſ. deciſ. 63. propoſito. verſ. non obſtant teſtes. in Ianuen. pecuniaria, lunæ 16. ſiue 2. Maij 1611. coram Illuſtriſſ. Card. Lancellotto, impreſſa apud Marcheſ. de commiſſ. par. 1. §. 2. fol. 886. Et quia hoc conſiſtit in facto, ſuper quo Iureconſulti non reſpondent, pluribus non inſiſtam, & collige, ſi potes, ex formulis litterarum, de quibus ſupra §. 1. q. 5. num. 77. & 79.

---

§. 4. Gloſ. vnica.

1614. à 27. Ottobre, in Genoua.

Magnifico hon. Come vederete per mie di cambio, hò tratto ſcudi 101. 9. & 9. in voi, contimi &c. & con voſtre ſpeſe, &c.

SVMMARIVM.

Trahere, *verbum, quid ſignificet, num. 1.*
Pecunia traiectitia quæ ſit, ſub num. 1.
Impenſæ, quæ ſiunt pro contractu cambij, quot ſint, num. 2.
Valeruene da me, *quid ſignificet, num. 3.*

ISTAE ſunt litteræ *d'auiſo*, quas campſarius debitor ſcribit ſuo procuratori, vel alij, mandando ei, vt ſoluat eas; quarum litterarum formulam habes ſupra §. 1. quæſt. 5. num. 78.

1 QVAERO primo, quid ſignificent illa verba, *hò tratto*?

Reſpondeo, hoc verbum, *trahere*, conuenit campſario debitori, qui pro pecunia, quam cābio Genuæ, vel alibi accipit, aliam debet alio in loco conuento ſoluere campſori, qui dedit cambio, Fabian. Genuen. tract. de camb. cap. 5. num. 54. tom. 6. par. 1. fol. 416. Alex. Rauden. ſuper banch. S. Ambroſ. num. 36. Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. q. 2. fol. 212. in fine, & Boninſ. infra citatus; & ſic trahere, idem eſt, quod ex obligatione ſuſcepta ſoluere alio in loco; vnde ſicut creditor, ſeu campſor, dando pecuniam cambio, dicitur remittere creditum, vt dixi §. præced. gl. 1. ita debitor, ſeu campſarius æquiualentem pecuniam ſoluēs alio in loco, dicitur trahere, huncq; terminum, priuſquam aggrediatur controuerſiam, ſupponit Nauar. conſ. 31. reuerendiſſ. verſ. antonio dà. lib. 5. de vſur. nam & traiectitiam pecuniam vocat Iuriſconſ. in l. 1. & vlt. traiectitia. ſi traiectitiæ. ff. de naut. fœn. vt notant Nauar. d. conſ. 31. verſ. tertium notabile. & Boninſ. tract. de camb. cap. 6. verſ. ne anco. & ab iſto verbo, *trahere*, dicimus, *tractam*, vt dixi §. præcedenti, gl. 1. & ita paſſim hoc loquendi modo vtitur Rot. Genuen. vt in deciſ. 6. ioannes. initio, & ſub num. 6. deciſ. 23. antonius carcaſſola. initio, & deciſ. 41. neminem.

neminem.sub num.4.& in pluribus alijs: sic etiam loquuntur stat.Genuen.lib.4. cap.14. §. qui voluerit. & §§. seqq. præterea. sed si tale. si tracta. & si quis. prætendens. nemo possit.& cap. nundinarum Genuensiũ n. 35.

2 QVAERO secundo, an illa verba, *& con vostre spese*, possint importare alias expensas, quàm prouisionem, de qua dixi §. præced.gl.3.num.1.& seqq.

Respondeo, distinguendo pro maiori intelligentia duos casus.

Primus casus est, quando cambium contrahitur in loco, vbi vel lege municipali, vel stylo sunt soluendæ aliæ impensæ;& isto casu certum est, quòd vltra prouisionem erunt soluendæ illæ omnes aliæ impensæ, de quibus scripsit aliquid Io. Bapt.Lup. in cap. fin.§.2.sub num.21. de vsur. quem retuli §. præced.gl.3.sub num.12.vers.verum.

Secundus casus est, quando non extat lex, vel stylus soluendi alias impensas; & isto casu concludo, quòd debitor, qui trahit, potest teneri solum ad expensas prouisionis, vt dixi d.gl.3.num.15. & sub num.20. vers. secunda. & seqq. & ad expensas proxenetæ, si mandatarius arctaretur medio proxenetæ contrahere, de qua etiam impensa loquitur Io. Bapt. Lup. vbi sup.& disponunt capitula Bononiæ, vers.il pagamento. sed Genuæ hãc pro proxenetæ impensã, credo nõ esse in vsu.

3 QVAERO tertio, quid importent illa verba, *valeruene quà da me*?

Respondeo. important, vt ille, qui soluit tractam, reualeat se de eadem summa, seu se prouideat pro eadem quantitate, reflectendo similem tractam ad eundem locum, & in eundem, pro quo soluit litteras cambij, de qua tracta, loquendo de eo, qui soluit supra protestum, multa scripsi supra §.2. gl. 5.num.388.& 389.

---

§. 5. Glos. 1.

1614. à 5. di Nouembre, In Piacenza scudi 101. 1. & 1.

A 24. del presente, pagate per questa prima di cambio à Francesco scudi 101. 1. & 1. à soldi 69. per scudo in scudi d'argento, conforme al decreto del Serenissimo Senato, per la valuta, hauuta da Seio, & ponete, come s'auisa. à Dio.

Antonio *à Mutio*

Genoua. *A 24.*

SVMMARIVM.

Dilatio, seu Terminus } *ad soluendum litteras cambij, statui debet, habita consideratione distantiæ locorum, & commoditatis ad parandas pecunias, sub num.1. Potest tamen breuiari, & longior dari, dummodo, &c. num.2.*

PRAEMITTO, has esse litteras cambij, contracti in nundinis à Seio mandatario Francisci, quibus litteris remittit pecunias exactas; naturamq; litterarum seriem habes supra §.1.q.5. sub num.80.vers. à 24. & sub num. 81. vers. magnifico. hoc præmisso.

1 QVAERO, quare in istis litteris cambij, contracti in nundinis, quod dicitur de reditu nundinarum, apponatur certus dies solutionis, faciendæ in ciuitate Genuæ, & quare potius dies 24. qui est vigesimus à die contracti cambij inclusiuè, quàm alius dies vicinior, vel remotior?

Respondeo, quòd sicut pro solutione, facienda in nundinis, est semper statutum certum tempus solutionis faciendæ, nempè, in proximis futuris nundinis, & tempus illarum nundinarum est certum, & determinatum, vt dixi supra §.2. gl.4.num.3. ita quoque solutioni, faciendæ in particularibus ciuitatibus statui debet certus terminus: statuitur autẽ terminus 20. dierum, & non longior, neque breuior pro cambio ex nundinis Placentiæ ad ciuitatẽ Genuæ, quia nundinarum capitula, quæ retuli supra §.2. gl. 5. num.12.vers.primus. considerata distantia locorum, & habita ratione alicuius commoditatis pro paranda litterarum solutione, seu, vt loquuntur campsores, *per ricapitar le lettere*, hunc censuerunt esse terminum congruum pro portandis litteris, & pro paranda solutione, nõ enim debet creditor statim, atque litteræ peruenerũt, esse cum sacco paratus; sed debet indulgere aliquã dilationem ad

ad parandas pecunias, per ea, quæ dixi supra §. 1. q. 1. num. 371. & §. 2. gl. 5. nu. 3. & seqq. & de his terminis datis pro cambijs ex nundinis ad loca, vide supra d. gl. 5. sub nu. 12.

2 Verum aduerte, quòd contrahentes hoc cambium ex nundinis ad loca, possent inter se conuenire de longiori, & breuiori dilatione, dummodo ratione solius dilationis nulla fiat cābij alteratio, ne tēpus ex se ipso videretur parere maiorem numerū pecuniæ.

§. 5. Glos. 2.

à soldi 69. per scudo.

SVMMARIVM.

Solidus quilibet constat ex duodecim denarijs, sed tamen est in multiplici differentia, num. 1.
Numismatum fictio videtur quandoque inuenta ad pallianda lucra, num. 2.

De solidis, etsi pro materię occasione diuersis in locis locuti simus, & præsertim supra §. 2. gl. 3. num. 12. 13. 16. & seqq. & etiam §. 1. q. 5. nu. 55. & seqq. hic tamen ob glossæ peculiaritatem de ijsdem venit agendum; verum, superfluitatem fugientes, alibi à nobis dicta, hic indicanda, non repetenda sunt.

1 Hæc verba, *à sol. 69. per scudo*, denotant, quòd scutus, qui erit soluendus Genuæ, valebit vnum solidum vltra valorem scuti aurei; quia, vt dicebamus supra d. q. 5. num. 53. & d. gl. 3. num. 17. scutus aureus in ciuitate Genuæ in ratione contrahendi cambium æstimatur semper sol. 68. vnde cum ex nundinis remittuntur scuti solidorum 69. pro quolibet scuto, sunt scuti maioris valoris; sed pro absoluta intelligentia tria notāda sunt.

Primo est notandū, quòd solidi habēt hāc vnā identitatē, quòd omnis solidus constat ex duodecim denarijs; sed in reliquis habēt differentias, ex quibus colligimus quatuor solidos differentes: Primus sit solidus æneus, quo multæ gentes vtuntur, emendo, & vendendo, hicq; constat ex duodecim denarijs æneis, vt dixi d. gl. 3. sub num. 18. Secundus dicitur solidus aureus, quo etiam vtimur, emendo, & vendendo, & hic est idem cum nummo, seu scuto aureo, vt dixi d. gl. 3. sub num. 13. & seqq. & hic etiam constat ex duodecim denarijs, vel paulò minus, vt dixi d. gl. 3. num. 73. & 74. sed quilibet denarius est argenteus, qui valet vnum iulium, seu vnum regalem, vt dixi d. glos. 3. num. 20. & seqq. Tertius dicitur solidus aureus fictus, quo negotiatores vtuntur in calculis, & ratiocinijs, & iste est vigesima pars vnius scuti marcharum, & dicitur etiam vigesima pars libræ aureæ, quia negotiatores scutum marcharum, & libram aurcam in ratiocinijs sumunt pro eodem, vt dixi d. glos. 3. num. 16. Quartus dicitur etiam solidus fictus, quo vtuntur Genuenses, dum faciunt cambia, & recambia in ciuitate Genuæ, fingentes scutum solidorum 68. pro scuto marcharum; & ex isto fingunt tres libras, & sol. 8. aureos, vt dixi d. q. 5. num. 55. & d. gl. 3. nu. 17. & 16.

Secundo est notandum, quòd Genuenses sicut in ciuitate Genuæ valorem scuti aurei, seu marcharum in negotio cambiorum pro nundinis fictè constituunt in sol. 68. seu libris tribus, & sol. 8. constante qualibet libra ex solidis 20. ita etiam in cambijs, & recambijs ex reditu nundinarum, quod lucrantur, illud augent in numero solidorum, ita vt si in centum scutis lucrentur centum solidos constituant scutum solidorum 69. & sic habes explicationem verborum, *à sol. 69.*

Tertio est notādum, quòd Genuēses, cum in calculis remaneat ferè semper numerus solidorum, non ascendens ad solidos 68. ex quibus conficeretur scutus, illos solidos restantes reducunt ad breuiorem numerum, rationantes tunc in illis solidis restantibus scutum non in solidis 68. prout rationati sunt, quando ex eis constituerunt scutum, sed in solidis 20. & proinde, si remanerent solidi 33. illos reducerent ad sol. 9. den. 9. vt dixi supra q. 5. num. 57. hocq; vtuntur ratiocinio: illos solidos restantes diuidunt in partes solidorum 68. & quota est illa pars in sol. 68. pro tanta etiam sumunt in sol. 20. & proinde si solidi restantes essent 17. ipsi numerarent illos pro solidis quinque, quia sol. 17. in sol. 68. est quarta pars, & quarta pars solidorum 20. sunt solidi quinque; vnde solli-

di

vii restantes, etsi essent 67. nunquam possunt tunc ascendere ad sol. 20.

2 Hæc numismatum, & ratiociniorum ficta diuersitas, sicut habet difficiles æquiuocationes, ita latentem habet inuentionem ad palliandum lucra, quæ possent videri illicita.

§. 5. Glos. 3.

In scudi d'argento, conforme al decreto del Serenissimo Senato.

SVMMARIVM.

Scuti argentei Genuæ possunt ibi solui pro scutis aureis in negotiatione cambiorum, num. 1.

Scutus argenteus Genuensis æquiualet scuto aureo quinque stamparum, num. 1. & 2.

1 IN tam magno numero pecuniarum, quas Genuēses negotiantur Genuæ in cambijs, difficile est soluere singulas partitas in scutis aureis, & propterea Senatus illius Reip. decreuit, vt solutio fieri possit in scutis argenteis eiusdem Reip. cum illorum scutorum argenteorum valorem æquent valori scutorum quinque stamparum; nam scutus argenteus illius Reip. est ponderis vnius vnciæ, denatiorum decem, granorum viginti, & quinque partiū ex sex alterius grani, ideoq;

2 eū æstimant lib. 4. & sol. 10. † & totidem æstimant scutū aureū eiusdem Reip. itē aureum Hispanum, Neapolitanum, Venetū, & Florentinum, cum quilibet scutus istarum quinque stampatū sit bonitatis 21. caractorum, & septem partium ex octo alterius caracti, & sit ponderis trium denariorum, vnius grani, & tertiæ partis alterius grani, vt habetur in edicto, seu crida Genuensi monetarum, & huic decreto correspōdet institutio cartularij scutorū cambiorū, de qua institutione mētionē feci inf. S. 7. gl. 3. sub nu. 3. vers. quartū. & in qua moneta solui possit debitū cābiorū in ciuitate Bononiæ est dispositū in capit. dictæ ciuitatis capit. che per li pagamenti.

§. 6. Glos. 1.

1613. à 20. Nouembre, In Genoua scudi 101. 9. & 9. de marche.

A pagamenti di fiera prossima di apparitione pagate per questa prima di cambio à voi stesso, &c. ponete à mio conto. à Dio. A voi stesso.

SVMMARIVM.

A voi stesso, *sunt verba directa eidem, cui directæ sunt litteræ cambij, num. 1.*

Recursæ cambium an sit fictum, & illicitum, nu. 2. & seqq. 21. & seqq. 57. & seqq. 60. & seqq. & num. 63.

Recursæ cambium admittit, vt vnus contrahens repræsentet alterum, num. 7. 25. & 97.

Recursæ cambium quot implicet contractus, sub num. 60.

Recursæ cambium videtur habere solutionem fictam, num. 10. Et videtur iniquius, quàm stocchum, num. 8. Sed imò est contractus iustus, num. 73.

Recursæ cambium in effectu videtur pro eodem loco, num. 18. Contrarium, num. 83.

Recursæ cambium non grauat campsarium debitorem, num. 40. & seqq. Quave ratione sit expediens, sub num. 69. & seqq.

Recursæ cambij interesse non deberet procedere in infinitum, &c. sub num. 83.

Cambium quando videatur mutuum, num. 9. Et quòd non sit, num. 74.

Cambium est emptio, & venditio, sub num. 21.

Cambia fiunt etiam inter viros bonæ conscientiæ, num. 55.

Litterarum vsus est ad absentes, & non ad se ipsum scribentem, sub nu. 2. & nu. 63. vbi declaratur.

Litteræ cambij recursæ videntur fictæ, sub num. 11. Ideo non admittendæ, sub num. 15. Imò non sunt fictæ, &c. num. 76. & 81.

Litteras cambij recursæ creditor præsentat sibi ipsi, requiritq; à se ipso, vt soluat, & ipse, nolens eas acceptare, respondet sibi ipsi, & protestatur, num. 97. Et qua forma, num. 98.

Locatio bonum fictè emptorum, &c. est illicita, num. 3. & 65.

Emptio rei propriæ non tenet, num. 4. Et quomodo

de teneat, num. 64. Et quid ſi vendatur res aliena, num.5.

Mentem legis offendens, offendit legem, &c. ſub num.11.

Actio & paſſio ſtant in cambio recurſæ, num.12. & 24. Et tamen in eodem ſubiecto ſtare non poſſunt, d. num.24. Et quando poſſint ſtare, num.77.

Contraria non poſſunt ſtare in eodem ſubiecto, num.24. Et quando poſſint, num.77.

Debitor ſibi ipſi quis eſſe non poteſt, num.12.

Iuſtitia eſt ad alterum, num. 12.

Fictio de re impoſſibili non tenet, num.27.

Fictiones plures in cambio recurſæ, & quare, num.13.75.& 79. Quot, & quæ fictiones tolerentur in cambio, num.23.& ſeqq. num.33. & 34.

Fictiones plures non tolerantur, num. 31.

Romanorum fides non patitur ſimulationes ad fraudandum, num.16.

Lucrum quo maiori innititur periculo, eò magis eſt licitum, num. 14.

Exigere quis poteſt à ſe ipſo, num.25.in fine.

Negotiorum geſtor poteſt exigere à ſeipſo, num. 25.in fine.

Repræſentare poteſt quis duplicem perſonam, nu. 25.in fine, 35.& ſeqq.

Ratificatio contractus in tempore inhabili non conualidet contractum, num.28.& 30.

Confirmatio conceſſionis, facta à Sede Apoſtolica poſt mortem Archiepiſcopi, qui conceſſerat, non conualidat conceſſionem, num.29.

Legatus, Orator, ſeu Ambaſciator poſſunt repræſentare perſonam publicam, & priuatam, ideoque munera, eis data intuitu perſonæ publicæ, non ſibi acquirunt, ſecus ſi ſint data intuitu perſonæ priuatæ, num. 35.

Hæres venditoris poteſt ex ſua perſona, non vti hæres, retrahere, ſtante ſtatuto, vt proximior venditoris poſſit retrahere, num.37.

Emptionis, & venditionis contractus in dubio præſumitur licitus, num. 38.

Dubia ſi ſit res, mitior pars eligenda, num.44.

Vſurarius non eſt, qui facit contractum vſurarium, ſi contractus ille communiter habeatur pro licito, num.45.

Actus illicitus, ſed communiter reputatus pro licito, an ſaluetur à pœna, & nullitate, an verò à pœna ſola, num.46.& ſeqq.

Actus in dubio æſtimatur licitus, ſi à viris timoratæ conſcientiæ fieri ſoleat, num.54.

Conſuetudo an contractum illicitum poſſit facere licitum, num.48. & ſeqq. Et an excuſet à pœna, num.51.& ſeqq.

Dote ab hæredibus viri non reſtituta, & ſtante conſuetudine, quòd tunc vidua poſſit loco alimentorum exigere fructus, ſi aliunde non habeat viuere, poteſt illos tuta conſcientia exigere, ſub num.49.

Venditio rei nondum natæ tenet, num. 66.

Campſarius poteſt reuocare mandatum campſoris de ſoluendo ſibi ipſi, num.70.

Campſor non poteſt reuocare mandatum campſarij de ſoluendo ſibi ipſi, num.71.& 72.

Intereſſe cambiorum qua ratione conuertatur in capitale, ſub num.82.

Bonus quilibet præſumitur, num.87.

Campſor Genuæ, & eius ſocius in nundinis effectiuè ſunt vnus, & idem, num.89. Et quando reputentur pro diuerſis, num.93.

Creditores vnius ſocietatis ſeparantur à creditoribus alterius ſocietatis, &c. ſub num. 93.& ſeqq. in quibus extenditur, & ſubdeclaratur.

Proteſtationis formula, non acceptatis litteris de ſoluendo ſibi ipſi, num.98. Et quod ius ex proteſtatione oriatur, num.99.

ANTEQVAM deueniamus ad huius gloſſæ materiã, reminiſci debemus, quòd hac litterarum formula vtimur pro cãbio, quod vocant, *con il ricapitar le lettere ſopra il datore*, ideſt pro cambio, quod communiter dicitur, *con la ricorſa*, & formulam ipſam, & quidem duplicem per extenſum poſuimus ſupra §.1.q.5.num.88. & 94. verſ. primæ. & verſ. ſecundæ. hoc præmiſſo, procedo ad vlteriora.

1 QVAERO primo, ad quem dirigantur iſta verba ſolutionis, *à voi ſteſſo*?

Reſpondeo, quòd diriguntur illimet, cui directæ ſunt litteræ; quare ſi in litterarum ſupraſcriptione ſit poſitum nomen campſoris, qui eſt creditor cambij, illa verba ſolutionis faciendæ diriguntur ipſimet creditori, ita vt ipſe tanquam mandatarius debitoris debeat ſoluere ſibi ipſi nomine ſui debitoris: ſi verò debitor in ſupraſcriptione litterarum ponat nomen ſuum proprium, tunc illa verba ſolutionis faciendæ diriguntur ſibi ipſi debitori, qui ſcribit, & cum hac reſponſione concordant quæ ſcripſi ſup.d.q.5. nu. 88.& 94.verſ.primæ.& verſ.ſecundæ.& q.7. par.2.ampl.16.num.1.

QVAE-

2 QVAERO secundo, an hoc cambium recursæ, in quo campsor litteras soluendas, scriptas à campsorio, defert sibi ipsi campsori, vel defert ad ipsum campsorium, qui eas scripsit; & proinde ipse campsor, qui dat cambio est portitor, & nuntius litterarum ad se ipsum, vel ad ipsum campsorium, qui eas fecit, sit cambium fictum, & illicitum?

Prima opinio erit affirmatiua, quòd sit cambium fictum, & ideo illicitum; hæcque opinio decem fulcitur argumentis.

Primo, quia litterarum vsus fuit inuentus ex necessitate alloquẽdi absentes, quos scribens non aliter potest alloqui; at in hoc cambio recursæ peruertitur iste vsus, cum campsorius scribens scribat, vel campsori præsenti, cuimet dat illas litteras, vel sibi ipsi scribenti, vt dixi hic supra, & supra §. 1. q. 5. n. 84. 87. & 94. vnde hic stylus scribendi litteras præsentibus, & sibi ipsi scribenti, præsefert suspicionem illicitæ negotiationis, quia ambulans per loca inuia, & insolita, aut male egit, aut vult male agere; videtur enim odire lucem, quam is odit, qui male agit.

Secundo, quia in hoc cambio recursæ campsor, qui dat cambio, emit scienter scutos marcharum à campsorio, qui eos non habet, neque est habiturus, & campsoris scientia satis patet ex eo, quòd campsorius scribit, & dat ipsi campsori litteras apertas, vt sibimet soluat, & ideo esse cambium illicitum, scribunt Sot. Hier. de Luc. Fabian. Genuen. Nauar. & alij, quos citaui supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 17. nu. 7. vers. contra. & esse cambium siccum, & Pij V. constitutione damnatum, motiuis Nauar. siue verius alius innominatus, quisquis ille sit apud eũ, cons. 31. reuerendiss. vers. tertio esto. de vsur. lib. 5. quod cons. in impress. Rom. est cons. 1. d. lib. 5. tit. de vsur. sed non est ita copiosum; eiusmodi enim cambium resoluitur in emptionem, & venditionem fictam, quæ non

3 tenet; † nam, sicut si quis à rustico fictè emeret boues, quos rusticus non haberet, & postea eosdem eidem rustico locaret, vt is eos saluos sustentaret, & operarum mercedẽ solueret, esset contractus iniustus, & vsurarius, vt post Syluestr. quem citant, scribunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 13. art. 1. concl. 3. col. 3. fol. 629. Nauar. d. cons. 31. reuerendiss. vers. quarto hic. & in manual. cap. 17. num. 229. seu 230. in 99. pecc. & in cap. si fœneraueris. sub num. 79. vers. octaua scilicet. versus finem. 14. q. 3. Boninf. tract. de camb. cap. 7. vers. sono alcuni. fol. 19. & Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 11. q. 6. ita etiam videtur dicendum de eiusmodi cambio, Item sicut fructus societatis, & montis illicitè percipiuntur, quando societas, & mons non est capax illorum fructuum, vt secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 1. num. 35. ita multò magis illicitè videntur percipi lucra cambij ex pecunia, data cambio, quæ non potest inseruire cambio, imò campsor, idest, emptor videtur emere scienter rem suam propriam, dum de mandato campsorij venditoris soluit sibimetipsi de proprijs pecunijs scutos marcharũ, sibi venditos, vt patet ex formula litterarum cambij, quas scripsi supra §. 1. q. 5. num. 86. &

4 88. † & consequenter, vti emptio rei propriæ, non tenet, l. 4. cum res. C. de contrah. empt. & l. 16. suæ rei. ff. eod. Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 4. princip. num. 49. q. 19. tom. 6. par. 1. fol. 48. & hoc motiuo vsus est etiam Nauar. d. cons. 31. reuerendiss. vers. iniustitia huius. lib. 5. de vsur. si non tenet emptio; ergo nec cambium, quia cambium est emptio, & venditio, vt di-

5 xi supra §. 1. q. 4. num. 21. † vel saltem venditor videtur vendere scienter rem alienam, quæ venditio non tenet, saltem in præiudicium domini, licet teneret quoad præiudicium vendentis, vt sit obligatus ex empto, & de euictione, vt explicaui supra §. 1. q. 1.

6 sub num. 556. exemplif. 6. vbi videas. † neque potest valere, vti commutatio pecuniarum, Nauar. vbi supra, quia de natura commutationis est, vt vnus accipiat ab al-

7 tero, & alter ab vno, † at hic campsorius solus accipit; imò ex isto contractu hæc alia deducuntur inconuenientia, nempè, quòd sicut emptor, & venditor, sunt vnus, & idem; ità in consequentiam idem sit procurator actoris, & rei, cum ille, cui debitor scribit, vt soluat sibimetipsi, ille, si velit litteras acceptare, & acceptatas soluat, repræsentabit campsorem, & campsorium; si verò nolit eas acceptare, tũc requiret à se ipso, vt soluat, & ipsemet respondebit sibi ipsi, quòd non vult soluere, & ideo faciet protestationem contra debitorem, vt in forma protestationis, quam posui infra num. 98.

8 Confirmatur primo hoc secundum argumentum, quia si tu de mense Ianuarij, anticipata solutione, emeres decem rubra frumenti pro futuris messibus ab aliquo paupere rustico, quem tu certò scires non habiturum

tum frumentũ tempore messium, cum nõ seminauerit, & deinde tempore solutionis faciẽdæ, cum is frumentum venditum tradere nõ posset, tu illud ipsi vẽdetes, aucto pretio, esset emptio & venditio iniquior stoccho, & baroccollo, in quibus mercator pauperi, indigenti pecunia, vẽdit mercẽ cariori pretio, & statim ab eo reemit minori pretio, vt explicaui sup. §.1.q.1.nu.566. sed isti stocchi sunt illiciti, & ideo prohibiti, vt scripsi d. num.566. & seqq. quia in eis adest quædam mala ars, & simulatio in damnum proximi; ergo multò magis est illicitus contractus eiusmodi cambij, in quo peior viget ars, & euidentior simulatio.

9 Confirmatur secundo, quia si Petrus dat tibi decem rubra frumenti in ciuitate Lucæ, vt tu restituas ei permutata Placentiæ in nundinis; si tu in nundinis non poteris restituere, & ideo te Placentiæ denuo constituis debitorem eorundem rubrorum frumenti, quæ restituis postea ei in ciuitate Lucæ, certè non dicemus, quòd frumentum fuerit cambitum inter te, & Petrum, sed erit potius mutuum: ergo idem dicendum est in cambio pecuniæ, Romoal.Coli.tractat. de camb.cap.22.num.4.vers.dimmi.

10 Confirmatur tertio, quia si in nundinis adest agens, seu correspondens campsoris, repræsentatq; ipsum campsorem, & facit totum id, quod faceret ipse campsor; sequitur, quòd sicut, si campsor, & campsorius essent verè in nundinis, campsor non posset sibi ipsi soluere, quia esset solutio non vera, sed ficta, ita etiam dictus agens campsoris non poterit sibi ipsi, repræsentanti campsorem, soluere de pecunijs ipsius campsoris, Romoal.d.cap.22.num.6. vers.andrea.

11 Nec aduersus istud secundum argumentum, eiusq; confirmationes releuat, quòd pro isto cambio recursæ mittantur realiter litteræ ad nundinas, & verè extinguatur debitum cambij per solutionem, & sic videatur satisfactum Pij V. constitutioni.

Quia replicatur, quòd sicut est fictum cambium, ita etiam fictè mittuntur litteræ, in fraudem legis, & constitutionis Pij V. quæ fraus non est toleranda, quia tenemur non tantum verbis, quantum menti legis satisfacere, & proinde ita in legem committit, & in eius pœnas incidit, qui facit contra verba, & mentem legis, sicut is, qui facit contra mentem solam, vt ex Bal. & Iaſ. secutus sum supra §.1.q.7.par.1.ampl.10.num.38.

vers. secundus. & alias lex sæpe videretur imposita verbis, & non rebus.

12 Tertio, quia in isto cambio fingitur actio, & passio in eodem subiecto, vt dixi infra sub num.23.ibi, secunda fictio. & sic idem fingitur emptor, & venditor; dator, & acceptor; creditor, & debitor; campsor, & campsorius, contra ea, quæ scripsi supra §.1. q.7. par.1. nu.15. & nemo potest sibi ipsi esse debitor, quia iustitia est ad alterum, vt ex D.Thom. sequitur Nauar. conf.31. reuerendiss. vers. secundo quia. lib.5. de vsur. & ideo nemo potest exigere à se ipso, Ofasch. decis.95. anno. num.2. quia debitum propriè est ad alterum, & non ad se ipsum, testibus Arist. & D.Thom. quos sequitur cum declaratione Lud.Lopez de contract.lib.2.cap.16. vers. igitur ad argumentum propè finem.

13 Quarto, quia in hoc cambio concurrunt plures fictiones, vt dixi infra nu.23. & seqq. vers.quartum. quæ tolerandæ non sunt, tum quia plures fictiones non tolerantur, testibus his, quos citaui infra num.31. tum quia non aliorsum tendunt, quàm ad occultandam cambij siccitatem; siquidem, detectis his fictionibus, hoc cambium in effectu, & substantia est illud idem prorsus, quod esse siccum & illicitum, scripsimus supra §.1.q.7. par.3.limit.4.

14 Quinto, quia in hoc cambio recursæ campsor lucratur cum minori periculo, quia periculum est cum vnica tantùm persona, videlicet cum campsorio, qui accepit cambio; at in cambijs sine recursa lucrum fit cum maiori periculo, quia agitur cum pluribus personis, de quarum decoctione timendum est, vt ostendit Ioan.Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §.2. sub num.20. de vsur.inter tract. diuers.tom.7. fol.138. & scribit Boninſ. in loco proximè infra citato; & certum est, quòd lucrum, quò maiori subiacet periculo, eo magis est licitum, prout aduersus cambium siccum sine litteris considerat Boninſ. tract. de camb.cap.7. vers.ma quanto in responsione ad secundam difficultatem: & aliquos esse contractus, quorum iustitia respectu pretij, seu lucri tota posita est in periculo, scripsi in diuersis locis, quorum plurima collegi supra §.1.q.1. num. 501. hinc enim est, quòd fructus 12. pro centenario, anticipata solutione, in societatibus officij non tolerarentur, nisi extaret periculum vitæ; hinc etiam est, quòd in Vrbe loca montium vacabilium maiorem reddant fructum, quàm loca

loca montium non vacabilium; hinc quoque est, quòd Genuæ longè maius constituitur lucrum pro sponsione super extractione primi Senatoris, quia longè maiori se exponit incertitudini, quàm constituatur pro sponsione super simplici Senatoris extractione, quamuis illæ scommissæ, seu vadimonia sint prohibita etiam sub pœna per statut. lib. 4. cap. 17. §. non possint fieri super futura. & demum hinc extat vulgare, & in ore omnium prouerbium: *chi non arrisica, non guadagna*.

15 Sexto, quia ex euidenti litterarum fictione sequitur necessariò siccitas, quæ inficit cambium, tum ex Pij V. constitutione, quam habes infra §. 9. num. 52. tum ex dispositione iuris ante Pij V. constitutionem, Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. sub num. 46. de vsur. & alij communiter, qui, dum admittunt cambium, annectunt hanc limitationem, nisi litteræ cambij essent fictitiæ, & in fraudem factæ, quia verè essent litteræ mutui, & istud, inquit Io. de Anan. vbi supra, est multum ponderandum, quia quotidie practicatur Bononiæ.

16 Et certè cambium istud, in quo omnia finguntur, Romanorum spectata fides, quæ sinceritatis est cultrix, non facilè admitteret: nam cum post Cannensem pugnam Hannibal ex captiuis Romanis, quos detinebat, decem iuratos ad Romanum Senatum misisset, in castra redituros, nisi de redimendis captiuis impetrassent; cumque egressi castris essent, & vnus ex ijs minimè Romani (vt dicit Liuius) ingenij, veluti aliquid in castris esset oblitus, in castra redijsset, iurisiurandi soluendi causa, & confestim comites secutus esset; & à Senatu re non impetrata, cæteri in castra Hannibalis redijssent, isq; domum abijsset, tanquam fallaci in castra reditu se iureiurando exoluisset, nec iterum redire teneretur; Senatus, cum id resciuit, censuit, eum comprehendendum, & custodibus publicè datis, ad Hannibalem deducendum, vt hoc, & aliud simile fictum, & fallax recensui in meo tractat. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. sub num. 845. in futura impressione.

17 Septimo, quia in isto cambio conuertitur interesse in capitale, & sic ex illo interesse procedit aliud interesse per modum superfœtationis, & anatocismi, qui est reprobatus à iure, vt dixi §. seq. glos. 2. num. 39. & 40. vers. contra.

18 Octauo, quia cambium reale debet fieri pro vno loco ad alium, alias si fiat pro eodem loco, est siccum, & damnatum in Pij V. constitutione.

Sed in recursæ cambio contrahentes ab initio conueniunt, quòd debitum soluatur per acceptilationem in nundinis, & realiter redeat ad ciuitatem Genuæ, vbi est factus contractus cambij.

19 Nono, quia de hoc cambio valde dubitant etiam ij, qui ex professo pugnant, cambia esse licita.

20 Decimo, quia esse cambium illicitum scribunt Io. Bapt. Lup. in cap. vlt. nauiganti. §. 2. sub num. 29. vers. sequitur. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139. Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de vsura, vers. quæro campsores. & seqq. fol. 242. & generatim cambium circulatum, & reiteratum per plures nundinas, campsando, & recampsando, puta, ex Genua ad Placentiam, ex Placentia ad Genuam, & rursus ex Genua ad Placentiam, & sic deinceps, esse cambium reprehensibile, & euitandum, quia non habet suum finem, & in eo quæritur proprium lucrum, & pecunia non inseruit arti œconomicæ, & politicæ pro mercibus, scribit Fabian. Genuen. tract. de camb. initio, sub num. 9. & seqq. vers. quarum. tom. 6. par. 1. fol. 411. & quòd mercatores, & campsores nullo prorsus fuco incrustare possint cambia ista, quin sint manifestè vsuraria; quando scilicet nobilis aliquis in Hispania, pecunia egens, conuenit mercatorem, qui sibi, mutuato auro, succurrat; renuit mercator, offert tunc nobilis in Hispania, quòd ipsi mercatori rependetur pecunia in Flandria; consentit tunc mercator, quia arbitratur, sibi lucrum ex hoc licitè deberi, quasi illinc pecuniam in Hispaniam reducere debeat, cum tamen re vera nobilis ille nullam habeat in Flandria pecuniam, neque mercator somniet ex Flandria in Hispaniam traducere; & iniquiorem esse clypeum, quo vt campsor se protegat, petit deinde à nobili litteras in Flandriam, easq; nobilis exhibet, & dirigit ad ministros eiusdem campsoris, ac si illi pecuniam ipsius nobilis haberent, qui quidem ministri tanquam campsoris factores postea Metinam sub nouo fœnore remittunt, cum tamen re vera eiusmodi confictæ missiones, ac remissiones, nonnisi expectando tempori inseruiant, ac proinde exaugendo fœnori ad exuggendam debitorum substantiam,

ſcribit Sot.de iuſt.& iur. lib.6. q. 10. art. 1. col.penult.& vlt.fol.610. &, quòd eiuſmodi cambium ſit illicitum;quando ſcilicet Titius nummularius dat ad cambiũ pecunias Caio Genuæ,eas cum lucro recepturus Lugduni, & ideo Caius ſcribit litteras, mittẽdas Lugdunum ad eum, quem offert Titius nummularius eidem Caio, ſoluturum Lugduni pro ipſo Caio; haſq; litteras, ſub quarum fide eſſent pecuniæ ſoluendæ eidem Titio, ſeu eius procuratori in ciuitate Lugduni, ipſe Titius recipit à Caio, eaſq; retinet apud ſe, &,elapſo ſpatio ſex menſium, in quibus litteræ Caij fuiſſent Lugdunum peruenturæ, & aliæ ex Lugdunenſi Vrbe ad Genuam rediruræ; fingit Titius nummularius, ſe recepiſſe litteras à ſuo procuratore, Lugduni cõmorãti, in quibus ipſe procurator ſcripſerit, ſe prædictas pecunias non habuiſſe,quas pro Caio ſolueret, ideoq; eas aliunde accepiſſe ad cambium, vt eas ipſe Caius Genuæ Titio ſolueret,ac proinde Caius cogitur ſoluere cum lucro Lugduni pecunias, primum Genuæ acceptas, & iterum cogitur Genuæ ſoluere etiam cum alio lucro pecunias, quæ finguntur pro eo Lugduni in cambium acceptæ, ſcribit Io.Azor.de inſtit. moral. par. 3. lib.10.tit.de camb.cap.8.verſ.hæc conditio. addens, hoc cambium eſſe mutuum cum lucro, non autem permutationem pecuniæ, quia nullę ſunt Lugdunum miſſę litterę,aut, ſi ſunt miſſæ, ea arte ſunt miſſæ, vt inde redeant inanes, vt latius ipſe explicat.

21 Secunda opinio negatiua, contraria præcedenti, quòd hoc cambium non ſit illicitum, ſed ſit reale, & licitum; ſuadetur octo argumentis, ſuppoſitis tamen prius nonnullis pro faciliori intelligentia.

Primo ſuppono, quòd cambium eſt emptio, & venditio, vt firmaui ſupra §. 1. q. 4. num.21.in 4.opinione.

Secundo ſuppono illatiuè ex præcedenti, quòd etiã cambium per litteras nũdinarias, eſt emptio,& venditio,vt ſcripſi ſup.§.1.q.5. ſub num. 45. verſ. ſecundo quia, eſt enim emptio, & venditio, cum temporis dilatione, quæ datur venditori ad tradendam rem venditam, vt ſcripſi eod. §.1. q.4. num.21. verſ quarta opinio.

22 Tertio ſuppono,quòd ea omnia,quæ ſunt licita in contractu emptionis, & venditionis cum dilatione, erunt licita in cambio recurſæ; ſed forſan nõ è contra;quare ab eo,quod eſt licitum in contractu emptionis aliarum mercium, licebit argumentari affirmatiuè, vt ſit licitum etiam in cambio, ſed an liceat negatiuè,non firmo, per ea, quæ notaui nu. ſeq.& præſertim infra num.26.& ſeqq.

23 Quarto ſuppono, quòd in cambijs tolerantur multæ improprietates, & fictiones,ex quibus cambiorum negotiatio videtur chimærica, ſic negotiationis pecuniarum neceſſitate exigente, vt dixi infra nu. 79. quas fictiones in alijs vẽditionis contractibus vſus non ita facilè admittit.Prima enim fictio,ſeu chimæra eſt, quòd ſcutus marcharum, qui, emendo, & vendendo, contractatur, caret materia, & forma, & ideo eſt ſcutus fictus, vt dixi etiam ſupra §.1.q.7. par.1. ſub num. 23. & §.2.gl.3. ſub num.67. item hunc ſcutum marcharum contrahentes aliter æſtimant in contractu cambij, aliter in ſolutione,vt dixi ead.gl.3.ſub nu.69. & 70. imò in ciuitate Genuæ eſt imaginarius etiam ſcutus ſolidorum 68. quo emunt ſcutum marcharum, & ſunt etiam imaginariæ libræ, & ſolidi aurei, hic enim ſcutus ſol.68. & libra ſol.20. & ſolidus de auro non reperiuntur in rerum natura, & ſunt inuariabiles, & ſeruiunt in ratiocinatione, & calculo cambiorum, vt ſcutus diuidatur in ſol. 68. ſeu lib. 3. & ſol.8. inſtar partitionis nauis, quæ diuiditur in caracta 24. & inſtar hæreditatis; quam noſtri Iureconſulti aſſumunt tanquam libram, & diuidunt in vnc. 12. vt habes in-

24 fra §.9.ſub num.25. † Secunda fictio, & improprietas eſt, quòd nummus, qui eſt pretium, & menſura rei emendæ, vt dixi ſupra §.1.q.7.par.1.num. 14. fingitur, eſſe etiam res ipſa emenda, & ſic eſt menſura, & menſuratum, ſtantq; propterea in eo actio, & paſſio, vt dixi d.q.7.par.1.d.num.14.& 15. quæ tamen in eodem ſubiecto ſtare non poſſunt, Oſaſch.deciſ.95.anno. nu. 2. quia ſunt duo contraria, quæ non poſſunt ſtare in eodem ſubiecto, Bal. in l.ſi vxor. num. & not. 2. C.de bon.auct. iudic. poſſid. Doct. in l.7. debitori, C.de pact. Rol. à Val. tract. de inuent.verſ.pone. nu.4.tom.8.par.2. fol. 194. & Card.Iacobat.tract.de concil.lib.3. art. 1.

25 num.57. tom.13.par.1.fol.227. † Tertia fictio eſt, quòd in cambio vnus ex contrahentibus fictè repræſentat etiam alium,ſecum contrahentem, ſicq; creditor poteſt repræſentare etiam ſuum debitorem, quando ſoluit ſibimetipſi, vt in praxi admonui ſupra §. 2.gl.8.ſub num. 17. & è conuerſo debitor poteſt repræſentare ſuum creditorem, quando

do soluir sibimet ipsi debitori, vt in litterarū formula, quam habes sup. §. 1. q. 5. n. 87. & 94. vers. à pagamenti. de qua repræsentatione duplicis personæ in solutione, & negotiatione cambiorum loquitur Rot. Genuen. decis. 1. omnis. num. 27. decis. 2. erant. sub nu. 35. & 36. & decis. 32. cum alias. sub num. 3. vers. at pro maiori. & nu. 4. & Menoch. cons. 296. cum interrogatus. num. 3. & ideo Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. & postremo illud. de vsur. lib. 5. loquendo de isto, qui soluit sibi ipsi, motiuat, esse merum figmentum, vt vnus, vti alter Euripius, varias facies, nunc creditoris, nunc debitoris repræsentet; hancquè duplicis personæ repræsentationem, quando quis, vti procurator, seu mādatarius soluit sibi ipsi, ostendit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 2. vers. in hac re. & quòd soluens sibi ipsi, repræsentet personam duorum, scribit Put. decis. 277. die 6. num. 6. & 7. lib. 1. & quòd quis possit à seipso exigere, patet in negotiorum gestore, qui debet à se ipso exigere, l. 31. si negotia. & ibi Gl. vlt. ff. mand.

26 † quare sicut in nummo datur per fictionem actio, & passio, vt dixi hic supra, ita etiam datur in contrahentibus; & ideo sicut huius chimærici contractus fundamenta, seu bases sunt ficta, ita necessarium est, vt omnia, quæ superædificantur, sint etiam ficta; cum super fictis ponderosa stare nequirent.

Sed fictiones, & improprietates in alijs, vt dixi, contractibus venditionis non ita facilè admittuntur; quòd, sic discurrendo, osten-

27 do. † Lex secundum regulam non solet fingere id, quod secundum naturam non potest stare, l. adoptio. ff. de adopt. §. minorem. Instit. eod. Ant. de Rosell. tract. de legitimat. tit. de causa materiali legitim. sub num. 46. tom. 8. par. 2. fol. 78. Peckius tractat. de testam. coniug. lib. 3. cap. 8. sub num. 3. vers.

28 vt hic. tom. 8. par. 1. fol. 162. † & ex hac regula orta est controuersia: stante statuto, quòd filiusfamilias possit facere testamentum, volente patre, vel ratum habente: nunquid pater possit illud ratificare post mortem filijfamilias: Pro parte negatiua facit, quòd ratihabitio ita demum sortitur effectum, si tempore, quo actus ratificatur, posset actus celebrari, per ea, quæ argumentando, latè deducit Mar. Socc. cons. 22. quoniam. nu. 1. & seqq. vsque ad nu. 13. inclusiuè, lib. 5. & quę in alio habentur cōsilio, Petri de Bexutio subscriptione confirmato-

apud eundem Socc. cons. 104. in facto. num. 3. vers. secundo principaliter. eod. lib. 5. maximè, si ratificatio tendat ad commodum ratificantis, vt in eod. cons. sub num. 13. Pro parte verò affirmatiua, quòd ratificatio conualidet testamentum, concluditur in d. cons. 104. post sextum argumentum, num. 5. & seqq. & pro hac parte affirmatiua fuisse in ciuitate Genuæ semper iudicatum, & præcipue de consilio Leonardi de Cattan. & Barnabæ de Goano, habetur in eod. cons. 104. sub num. 16. huicq; consilio latè, & enixè in causa propria subscripsit Damianus Pallauicinus sub eod. num. 16. & seqq. & hodie, sublata controuersia, hanc partem affirmatiuam secuta sunt moderna Genuę statut. cap. 12. §. filij & filiæ. lib. 5. hincq; ex eadem regula hæ duæ oriuntur conclusiones: Prima, si maritus post mortem vxoris ratificet contractum, quem vxor viuens fecit sine consensu mariti, requisito ad validitatem illius contractus; talis ratificatio non conualidat illum contractum, Peck. supra & infra citatus, & Tiraq. tractat. de legib. connub. in l. 16. in verbo, consentement. glos.

29 6. num. 18. vers. quid autem. fol. 309. † Secunda conclusio est, quòd confirmatio Sedis Apostolicæ non conualidat concessionem, factam ab Archiepiscopo, si Archiepiscopus sit mortuus, quando Sedes Apostolica confirmat, Ioan. Franc. à Pont. cons.

30 93. num. 7. † & ratio vtriusque conclusionis est, quia actus confirmatus sumit validitatem a tempore confirmationis, & non à tempore, quo actus fuit factus, Bal. in auth. si qua mulier. num. 8. vers. quæro de vna. q. & Salyc. in l. si mulier. num. 3. vers. quæro an. C. ad senatusc. vell. & Tiraq. d. gl. 6. num. 11. fol. 308. & ideo ille contractus, factus ab vxore sine cōsensu viri, & concessio, facta ab Archiepiscopo, finguntur facti tempore confirmationis, & ad eam fictè referuntur vt per Peck. d. cap. 8. nu. 3. in fine, & nu. 4. & Tiraq. d. nu. 18. sed ista fictio non potest stare, quia non adsunt extrema habilia, cum tempore cōfirmationis sint mortui, sicque secundum naturam illi actus confirmandi fieri naturaliter non possent: ergo neque per fictionem, Peck. Tiraq. & Io. Franc. à Pont. in locis supra proximè citatis; nam fictio imitatur naturam, d. l. adoptio. & d. §. minorem. & Sebast. Medic. tract. de definit. par. 2. definit. 8. num. 1. tom. 18. fol. 294. sed est aduertendum, quòd hæ duæ conclusiones

nes tunc procedunt, quando agitur de præiudicio tertij, cui medio tempore fuit ius quæsitum, quia tunc ratificatio non retrotrahitur, vt in alio casu sequitur Surd.decis. 189. licentia. num.17. in fine, & 18. secus quando ageretur de solo præiudicio ipsius ratificantis, vt habetur apud Socc. d. cons. 104.sub n.13.& Surd.decis.245.contractus. n.8.

31 † Similiter videmus, quòd duæ fictiones non possunt concurrere circa idem, Ant. de Rosel.tract.de legitim.tit.de caus.mater. legit.num.23.tom.8.par.2.fol.77. & Euer. in loc.argum.in loco,à vi fictionis, num.1.

32 Et tamen eiusmodi rationes, & argumenta, de non admittenda fictione super re impossibili,& de non tolerandis pluribus fictionibus, in relatis controuersia, & conclusionibus,validè sumpta,in hoc recursæ cambio videntur contemnenda, per ea, quæ dixi supra num.23.in fine, & num. 24. & seqq.

33 Quinto suppono, quòd istæ fictiones, & improprietates tolerantur in cambio,quia non solum non causant dolum,sed nec alteri præiudicium inferunt, per ea, quæ scripsi infra num. 41. vers. sed in cambio. alias si causarent dolum, vel damnum, vtique non tolerarentur.

34 Sexto suppono, quòd fictio,seu repræsentatio plurium personarum, vt deueniamus ad actum, ad quem ex necessitate rei requireretur vera pluralitas personarum,est licita & tolerabilis, quando in fictione, seu repræsentatione non solum non inest repugnantia, aut dolus,vel fraus,sed inest aliqua vtilitas, vt inest in casu nostro, quia maior impensa, & molestior incommoditas occurrerent, si plures realiter adhiberentur personæ.

Imò huiusmodi repræsentatio non solum est tolerabilis, sed est laudabilis, & amica prudentiæ, & legibus, quia frustra fit per plura, quod æquè bene potest fieri per pauciora, & lex naturæ sectatrix nihil frustra operatur.

35 Quòd autem vna persona possit repræsentare plures, patet multipliciter. Primo in Legato, seu Ambassiatore, qui potest in legatione fungi munere personæ propriæ priuatæ, & munere personæ publicæ, videlicet, Legati; & ideo munera,data Legatis,acquiruntur ipsis, & non ei, qui eos miserit, quia illa recipiunt non tanquam Legati, ex quò ad id non se extendit mandatum legationis, nisi qualitas muneris, & intentio donantis aliud suadeant, quia tunc ea recepissent tanquam Legati ad tradita per Doct. quos citat Euer.in loc.argum. à loco,de tãquam. num.6.

36 † Secundo patet in Rege, à quo, si iudicat tãquam Comes, appellatur ad superiorem illius Comitatus,quia non iudicauit, tanquam Rex,testibus his,quos secutus sum in meo tract.de appellat.q.16. limit.5.num. 9. Et ab Episcopo in fœudalibus appellari ad dominum secularem,& non ad Archiepiscopum, scripsi eod.tract. de appellat. q. 8. num.92.

37 † Tertio patet in venditoris hærede, qui potest retrahere, stante statuto, admittente proximos venditoris ad retractum, quia licet hæres non possit venire contra factum defuncti, tamen potest retrahere, quia retrahit, non vti hæres, sed vti proximior de genere, secundum eam opinionem (si est vera) quam refert Euer. vbi sup. num. 29. vers.33. & sunt infiniti casus, in quibus vna persona potest fungi duplici munere personarum, quorum casuum multos congessit Euer.in d.loco, de tanquam. & demum non esse absurdum in iure, quòd vnus repræsentet plures, scripsi supra sub num. 25.

38 His suppositis,accedo ad argumenta,quibus innititur hæc contraria opinio, quòd hoc cambium sit licitum.

Primo,quia omnis contractus emptionis, & venditionis in dubio præsumitur licitus, Io. Bapt. Lup. in l.2.§.1.num.1. C.de pact. int.empt.& vendit.inter tract.diuers.tom.7. fol. 127. sed cambium est contractus emptionis, vt dixi supra sub num.21. in 1.supposito. Ergo.

39 Secundo, quia si venditor, accepto iusto pretio,rem venditam non consignet emptori post finitam dilationẽ, sibi datam ad eam consignandam, ideoq; sit in mora, retinendo rem, & pretium, tenetur emptori ad interesse, quia interesse, loquendo in genere, siue causetur ex vno contractu, siue ex alio, semper, & omni iure debetur, vt secutus sum sup. §.1.q.7.par.2.ampl.8.num.96. sed qui accipit cambio, vendit scutos marcharum, vt dixi supra sub num.21.in 2.supposito. ergo, si eos non consignat, tenetur ad interesse; quod liquidabitur, & soluetur, contrahendo nouum cambium,vt patet ex sequenti argumento.

40 Tertio, quia campsorius in cambio recursæ non patitur maius incommodum,seu grauius interesse,quàm pateretur in cambijs sine recursa, quæ ex communi sententia sunt cambia

cambium vera, libera, realia, & licita; quinimò in cambio recursæ patitur forsan minus incommodum, & campsor non sentit maius lucrum; idq; ostendo: nam si tu acciperes cambio libero, & reali à me scutos 100. pro proximo futuro foro Placentiæ, & foro adueniente, tu, non habēs vnde mihi solueres dictos scutos 100. acciperes cābio reali alios scutos 100. à Titio, quibus solueres debitū cambij, quod haberes mecum scutorū 100. omnes admittunt, quòd ista duo cambia, facta pro pretio honesto, sine pactis illicitis, & cum solitis litteris, veris, & realibus ad formam Pij V. constitutionis, essent libera, realia, & licita; prout admittit etiā Romoal. Coli tract. de camb. cap. 22. vers. la prima conclusione. & cap. 21. initio. Similiter etiam si tu, dum accepisti cambio à me dictos scutos 100. fecisses mecum pactum, vt, te eos non soluente in proximo futuro foro, ego possem pro te nomine tuo, & tuis expensis accipere cambio ab alio illos scutos 100. teq; non soluente, ego eos verè accepissem cambio à Titio, vtique esset cambium reale, & licitum, & tu tenereris ad illud, quia ego fecissem id, quod tu de iure facere cogeberis; & hoc pro primo recambio, & concurrente bona fide, admittit etiam Romoal. Coli d. tract. de camb. cap. 14. vers. la quarta. ibi, ben vero è.

41 Sed in cambio cum recursa nihil amplius, vel minus continetur, quàm in præcedentibus duobus cambijs, nihil maioris lucri respectu campsoris dantis cambio, nihilvè maioris interesse, respectu campsarij accipientis; solum variatur persona campsoris, quia in primo, quod vocas liberum, & reale, scutos marcharum venderes Titio, in isto secundo, quod vocas cum recursa, venderes mihi, sed vendere vni, vel alij pro eodem pretio, & ijsdem pactis est accidens remotissimum, quod nihil commune habet cum iustitia, vel iniustitia contractus: quid enim interest legis, rationis, bonorum morum, Reip. & iustitiæ contractus, quòd tu accipias cambio à Titio, vel à me; qui, nisi dem cambio tibi, dabo alij? quidvè interest iustitiæ contractus, quòd tu mandes per tuas litteras Titio, vt soluat *de contanti* tuum debitum, vel quòd mandes mihi, vt soluam, cum æquè fias debitor vel Titio, vel mihi in æquali summa, & vtroque modo remaneat dati, & accepti æqualitas, quæ est de iustitia, & natura contractus emptionis, & venditionis, Medin. in suis tract. tom. 1. tit. de reb. restit. q. 22. vers. è contra. fol. 177. quasi vè in emptione, & negotiatione est sedes, seu fundamentum iustitiæ commutatiuæ seruādæ, Medin. d. tit. de reb. restit. q. 31. initio, fol. 230. & seruandam esse hanc æqualitatem, vt contractus pecuniarius sit iustus, siue sit permutatio, siue cambium, siue mutuum, excepto nisi aliqua iusta causa, quæ inæqualitatem excuset, interueniat, & per hoc facillimum sit de omnibus cambijs iudicare, an sint licita, an vsuraria, an iniusta, scribit idem Medin. eod. tom. 1. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 7. in fine, fol. 369. hincq; quando in aliquo contractu permutationis, vel emptionis dubitaretur de eius iustitia, & nulla extaret lex, quæ modum præscriberet, recurrendum esse ad hanc dati, & accepti æqualitatem. quia nisi æqua esset compensatio, mox iniustitiæ suspicio occurreret, scribit Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. tertium notabile. lib. 5. de vsur. & quòd in emptione iusta tanti debeat valere merx, quanti pretium pro ea datum, & tanti vsus rei locatæ, quanti pensio, pro ea soluenda, & tanti equus, dandus pro mula, quanti mula danda pro equo, & consequenter in cambio pecuniæ, tanti valere debeat pecunia danda, quanti accipienda, scribit Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, sub num. 287. & quòd, seruata iustitiæ commutatiuæ æqualitate, cambium sit licitum, scribunt Nauar. Fabian. & Boninf. quos secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 1. num. 50. vers. demum.

Ergo, si in substantia, & reipsa, & quoad iustitiam commutatiuam cambium recursæ conuenit omnino cum cambio sine recursa, frustra dubitamus, an cambium recursæ sit

42 licitum; † siquidem lex imponitur rebus, & non verbis, l. 2. C. comm. de legat. cap. 35. commissa. de elect. in 6. & dixi in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 10. num. 14.

43 Quarto, quia in hoc ipso cambio recursæ, articulo disputato, hanc contrariam opinionem, quòd sit licitum, tuetur, & sequitur Boninf. tractat. de camb. cap. 4. vers. cosi anco. versus finem, ibi, & perche nel principio. & vers. seq. pagate. fol. 9. vsque ad finem capitis, vbi ponit casum cambij cum recursa; & postea cap. 5. fol. 10. & seq. adducit difficultates, & cap. 6. vers. questa resolutione. firmat ex communi opinione, cambium esse licitum, hancq; eandem opinionem fir-

 mat

mat Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 4. art. 2. controu. 11. sub num. 1. vers. alij. & num. 2. iunctis, quæ ante dictam contr. 11. scribit vers. humana. fol. 583. & 584. tom. 2. & licet loquatur in casu, quo factor ipsius campsoris soluit de mandato eiusdē campsoris, qui dat cambio, tamen est idem casus cum isto; vnde, sequendo opinionem Boninsegnæ, supra citati, & aliorum recentiorum, sic in terminis nostris concludit ead. q. 4. art. 2. controu. 12. sub num. 4. vers. alij verò. & num. 5. vers. ego certè, & vers. mihi ergo. & num. 6. fol. 588. 590. & 591. & litterarum formulam, quam ponit in isto cambio, retuli ex eo supra q. 5. sub num. 88. vers. & ab isto. & seqq. hanc eādem opinionem in terminis, quando idem campsor gerit etiam personam campsorij, & ideo soluit sibi ipsi de proprijs pecunijs, dubio plenè discusso, sequitur Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. quartum notabile. in fine, & vers. seqq. lib. 5. de vsur. & licet Nauar. eo cons. sub initio, vers. at vt magis. dicat ea, quæ doctissimè scripta sunt in eo cons. fuisse sibi tradita à viro graui, tamen ipse ea laudat, & sequitur; licet etiam illud consil. reperiatur solum in posterioribus editionibus, mortuo iam Nauarro, & non in prioribus, dum viueret, tamē non est credendum, quòd illud non fuerit repertum inter scripta Nauarri eo modo, & forma, quibus est impressum; & quicquid in hoc dici posset, non propter hoc deficiunt auctoritates, & rationes, quæ in eo cons. valdè vrgent; imò hanc eandem opinionem, quando cessat suspicio fraudis, tenet Fabian. d. tract. de camb. initio, num. 12. in fine, & num. 13. quem pro contraria opinione citauimus supra sub nu. 20. & ab hac opinione, vti non improbabili, imò vti veriori in speculatiua disputatione, & in foro interiori, non autem exteriori, non discedit Leonar. Less. de iust. lib. 2. cap. 23. num. 71. & 72.

Demum hæc opinio cōfirmatur tum quia inter cambiorum capitula, quæ sanctissimæ mem. Pius V. anno Domini 1569. 25. Nouembris anno 4. sui Pontificatus, confirmauit ad Bononiensium instantiam, in capit. 2. continetur hoc cambium recursæ sub istis verbis: *appresso, che sia, &c. & possa ogni persona ancora dar denari à cambio, & far che sieno recapitate le lettere sopra essi datori, & così tenerli sù li cambij, sin che saranno rimborsati da chi hauerà preso il denaro;* de quo breui, & capitulo pro hac ipsa confirmatione meminit Nauar. d. cons. 31. vers. primum pro solutione. & vers. primo auctoritate. lib. 5. de vsur. tum quia deinde Congregatio Illustrissimorum Cardinalium, Episcopo Panormitano de anno 1574. cōsulenti Gregorium XIII. de duobus: primo, an per Pij V. constitutionem de cambijs hoc genus cambij prohiberetur: secundo, an eadem constitutione tolleretur facultas instituendi noua loca, vel tempora nundinarum, seu terminorum, in quibus cambiorum solutiones fiant; consultatione diligenter examinata, & re collata cum Gregorio XIII. consultationi in hæc verba respondidit.

Congregatio auctoritate S.D.N. censuit, huiusmodi cambium litteris Pij V. fel. recordat. minime comprehendi.

Secundæ verò consultationi in hæc.

Congregatio eadem etiam auctoritate S.D.N. respondit, præfatas Pij V. litteras non prohibere feriarum creationem, ijs tamen seruatis, quæ alias ad earum iustitiam necessaria sunt, minusq; ea cambia, vulgò ad vsum nuncupata, vbi sunt feriæ, vt denuo introducantur, censeri sublata.

Vlterius ijdem Illustrissimi Cardinales hoc congregationis rescriptum cum infrascriptis litteris responsiuis ad Archiepiscopum transmiserunt.

Reuerendiss. Domine.

Ijs, quæ Serenissimi Philippi Regis Catholici, ac totius Regni Siciliæ vltra Pharum nomine nobis ex auctoritate S.D.N. relata, quid ex eiusdem decreto, & auctoritate respondendum censuimus, ex annotatis post singulas propositiones, quæ cum his litteris ad te mittuntur, amplitudo tua cognoscet, cui bonam valetudinem, & omnia prospera optamus. Romæ xxvij. Aprilis anno 1574.

Tuæ amplitudinis, vti fratres,
Marcus Antonius Card. Bolba.
Marcus Antonius Card. Maffæus.
Fr. Vincentius Card. Iustinianus.

hancq; consultationem, & ad illam responsa recensent Mich. Sal. d. q. 4. art. 2. controu. 12. sub num. 6. vers. huc accedit. & vers. seqq. & nu. 7. tom. 2. fol. 591. & 592. & breuius Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 1. vers. cæterum. & q. 2. vers. hoc cambium. & de eodem congregationis rescripto vidi etiam alterius eruditi viri attestationem.

Quinto, quia in re dubia, & loquendo in foro

foro exteriori, eam capere debemus interpretationem, qua sustineamus contractum, & excludamus delictum, l. 129. sapientis. ff. de reg. iur. & in foro interiori cautè procedendum, ne temerè multos damnaremus Christianos, vt in alio dubio cambij casu, de quo supra S. 1. q. 5. num. 51. & infra S. 9. num. 1. & seqq. scribit Nauar. quem retuli infra sub num. 55.

45 Sextò, quia, si quis fecerit aliquem actum, qui communiter æstimetur licitus, & tamen in veritate sapiat vsurariam prauitatem, non ex hoc dicetur vsurarius, Bar. in l. 17. quis sit fugitiuus. S. apud labeonem. ff. de ædil. edict. quem formaliter sequuntur Salyc. ibidem, vbi in libro meo videtur addere, quòd faciens actū, qui prima facie, & cōmuni opinione æstimatus est licitus, licet verè sit illicitus, nō propterea iudicamus, illicitū commisisse, quamuis ipse arbitratus sit, se illicitè fecisse, Dec. cons. 170. sub nu. 2. col. 4. initio, ibi, & iste contractus communiter &c. Roch. de Curt. in cap. fin. sect. 1. sub n. 2. limit. 3. de consuet. inter tract. diuers. tom. 2. fol. 350. Cæpol. tract. de simul. contract. nu. 6. & 210. tom. 7. fol. 3. & 12. Tiraq. tract. de pœn. temper. caus. 42. num. 8. vers. facit & ad prædicta. & Rot. diuers. decis. 316. fuit conclusum. num. 7. vers. certum est. in Foroliuien. census, lunæ 13. Nouembris 1589. coram R. P. D. Orano, inter impressas Lugduni, anno

46 1612. † & licet Bar. & alij, in locis, supra proximè citatis, non aperiant, an eiusmodi actus propter hanc communem æstimationem saluetur solum à pœna, vel saluetur etiam ab inualiditate; & saluari à pœna simpliciter videantur sentire Dec. vbi supra, & apertius Natt. cons. 498. deductum fuit. nu. 25. Rot. diuers. decis. 193. conclusum. num. 2. par. 1. & alij communiter in diuersis locis

47 sic intelligant Bar. supra citatum; † & an saluetur à pœna tam temporali, quàm gehennali, & diuina, tractent Tiraq. in d. caus. 42. nu. 5. vers. quin consuetudo. & nu. seqq. Rocch. de Curt. in d. cap. fin. post præfat. nu. 33. & seqq. fol. 350. & Alph. Hoied. tract. de benefic. incompatibil. par. 1. cap. 19. in fine,

48 tom. 15. par. 1. fol. 138. † Tamen ego distinctione censeo, rem esse sic definiendam: Aut est probabilis dubitatio, vtrum contractus, seu actus, qui celebratur, sit licitus, vel potius vsurarius; & tamen talis contractus solitus est celebrari per graues, & bonos viros, & fideles mercatores, & tunc dico, eum, qui talem

actum gessit, excusari non solum ab omni pœna, vt sentiunt plerique, sed etiam actum ipsum remanere omnino validum, vt sentiūt Natt. d. cons. 498. num. 26. & Castrac. tract. de societ. offic. cap. 4. num. 24. vers. sed vbi. & moueor triplici ratione. Prima, quia vbi in iure diuino, seu sacra scriptura adest aliquod dubium, consuetudo potest illud interpretari; cum consuetudo sit optima legum interpres; & consequenter consuetudo isto casu non est contraria iuri diuino, sed est interpretatiua iuris diuini, Petr. de Ranen. tract. de statut. sect. 2. num. 41. tom. 2. fol. 383. Rocch. de Curt. d. cap. fin. sect. 2. num. 7. fol. 353. & faciunt quæ scribit in eod. cap. fin. sect. 1. num. 2. 3. & 4. & quòd, dato casu dubio, scilicet vtrum sapiat vsuram, vel non, sequenda sit consuetudo, quæ est optima legum interpres, scribit, disputando casum imprestantiarum Venetorum, & referendo dicta Petri de Anch. Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 17. in 6. argumento, de vsur. & quòd consuetudo, & vsus possit facere, quòd contractus sit licitus, quando dubitatur, an sit illicitus, scribit Castrac. tract.

49 de societ. offic. cap. 4. num. 20. & seqq. † Secunda, quia licet consuetudo non possit in totum derogare iuri diuino, tamen ex causa rationabili (loquendo nostrorum Doctorum more, quem nos improbauimus supra S. 1. q. 1. nu. 314. & q. 7. par. 2. ampl. 19. sub nu. 45.) potest derogare in aliquo casu, seu in aliqua specie, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. num. 134. & ideo licet consuetudo de præstandis vsuris non valeat, Ias. in l. de quibus. num. 70. vers. eod. modo. ff. de legib. tamen si consuetudo, seu statutum disponat, quòd in causa dotis, donec dos restituatur mulieri per hæredes mariti mortui, soluatur interim ad rationem decem, seu quinque pro singulis centenis scutis, loco alimentorum, talis consuetudo valet, & mulier potest in foro conscientiæ licitè accipere, si non habet aliunde, vnde viuat; secus si habet, Ias. qui alios citat, vbi supra num. 71. vers. sed pulchrum. & declarat etiam Archiepisc. Floren. tract. de vsur. cap. 2. S. 29. sub num. 46. ibi, idem videtur dicendum. & S. 31. num. 48. tom. 7. fol. 84. imò valeret etiam eiusmodi pactum, Archiep. Florent. vbi supra S. 30. num. 47. & de prædicto statuto an valeat, vide aliquid supra S. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. sub num. 176. vers. extende

50 primo. & seqq. † & quòd consuetudo reddat contra-

contractum alienum ab omni suspicione illiciti, scribit Oldr.cons. 207. vniuersis in fine, num. 7. vers. corroborat. & quòd, vbi tractatur, an aliquis contractus sit fœneratitius, inspici debeat consuetudo regionis, scribit Abb.cons. 15. quæritur an. num. 1. in fine, ibi, quid vltra, lib. 1. & quòd contractus debeat iudicari licitus propter consuetudinem, scribit Ror. d. decis. 316. num. 7.

51 † Tertia, quia ad euitandam pœnam sufficit consuetudo, etiam iniqua, & improba, Iaf.in d.l.de quibus. sub num. 8. vers. plures alios. Natt.d.cons. 498. num. 25. in fine, Dec. vbi supra, & communiter omnes, pro quibus sufficiat allegare Tiraq.d.caus. 42. initio.

52 † Aut non est probabilis dubitatio, sed imò casus est clarus, vt puta, quia ex forma contractus appareat de vsura, vt loquitur Natt. infra citatus, vel quia actus sit de ijs, quæ sunt de se mala, vt loquitur Tiraq. infra citatus, & tunc consuetudo minus excusat à pœna, Natt.cons. 586. ex instrumentis. in fine, sub num. 10. & Tiraq.d.caus. 42. num. 12. vers. illud tamen. & quòd consuetudo non excuset, scribunt Rocch. de Curt. d. cap. fin. sect. 1. sub num. 3. fol. 350. & Castrac. d. cap. 4. sub num. 23. vers. hæc tamen.

53 Redeo ad propositum: cum in casu nostro possit esse probabilis dubitatio, an illud cambium sit licitum, vel vsurariū, & mercatores fideles illud exerceant, & sic à consuetudine proborum mercatorū illud dubium tollatur, sequitur vt hoc cambium non sit illicitum; quia cum in hoc articulo habeamus hinc inde opiniones, quibus redditur dubius, & consuetudo, quæ dubiorum est grauis interpres, sequatur hanc negatiuam, quòd non sit illicitum, cogimur fateri, dubium esse sublatum, & consequenter cōtrariam opinionem esse sine scrupulo reijciendā, non solum in foro exteriori, cū in eo iste campsandi vsus sit adeo inueteratus, vt cum maxima difficultate ab eo daretur recessus, quo casu consuetudini, si fieri potest, indulgendum est, ne fortè peiora committantur, si consuetudo prohibeatur, vt in alio proposito dicit tex. in cap. 6. denique. dist. 4. cuius formalia verba retuli in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 9. sub nu. 417. sed etiam in foro interiori, tum quia, supposita consuetudine interpretatiua super dubio, an aliquod cambium sit licitum, faciens illud cambium iuxta consuetudinem, excusatur à peccato, secundum Alex. Rauden. super hanc. S. Ambr. nu. 89. & 90. quem sequitur Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. tit. de camb. sicc. vers. quæro an cōsuetudo. fol. à 23. tum, ne hæc contraria opinio scrupulum cōscientiæ injiciat, & quasi per legem prohibentem magis peccetur, iuxta illud, *si lex non fuisset, homo non peccasset*, vt retuli supra S. 1. q. 7. par. 2. ampl. 19. sub nu. 49. & ne alias quis, campsando etiam licitè, adhuc peccet, supposito, quòd dubitaret; quia quicquid est contra cōnscientiam, etiam erroneam, ligat, Bonins. tract. de camb. cap. 5. versus finem principij, & dixi latius supra S. 1. q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 59. vbi colliges absolutam intelligentiam.

54 Septimo, quia nos facilè, & vehementer mouemur ad æstimandum, licitas, & honestas esse actiones illas, quas publicè fieri videmus à Christianis, qui sint bonæ, & timoratæ conscientiæ, prout ad probandum, licita esse imprestita Venetiarum, argumentum sumit Petr. de Anch. quem refert Io. de Anan. in cap. 6. in ciuitate. sub num. 16. & 17. de vsur. dicens, quòd Venetijs erant ciues iusti, & catholici, & detestantes vsuras plusquam in aliqua Ciuitate, in qua ipse moram traxerit; & quòd Idcirco, cum illa imprestita fuerint creata Venetijs à tempore, cuius initij memoria non exiſtit, credere debent homines moderni temporis, eorū antiquos, qui fuerunt homines catholici, & deuoti, vt attestantur corpora Sāctorum, quæ ibi sunt, & multitudo ecclesiarū, & monasteriorum, & eorum magnifica ornamenta, imprestita non instituisse sine magna prouidentia (faxit Deus, quòd tales sint Veneti moderni, vt idem, quod sumpsit præfatus Doctor argumentum, sumi possit etiam in posterum.)

55 Sed nos videmus, quòd multi Christiani, qui sunt bonæ conscientiæ in diuersis locis exercent huiusmodi cambium, vt testatur Mich. Sal. inf. cit. ergo &c. & ab hoc argumenti genere non videtur discedere Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 296. versus finem, vers. pro affirmatiua. vbi, loquendo de casu cambij, de quo nos supra S. 1. q. 5. num. 51. & infra S. 9. nu. 1. & seqq. ait, quòd infinitus est numerus Christianorum honestorum, qui illo genere cambij viuunt, inter quos ait reperiri etiā ecclesiasticos, qui omnes, inquit, confitentur, absoluuntur, & communicant quotannis, & temerarium videtur eos omnes, & eorum confessarios damnare.

Imò

Imò ita publicè exercent, vt verisimile sit, huius cambij vsitati notitiam peruenisse ad Summum Pontificem, & locorum antistites, qui, si existimarent, esse illicitum, illud non tolerarent, Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de cãb. q. 4. art. 2. contr. 12. sub num. 6. vers. me in hanc. tom. 2. fol. 591. nam Romani Pontifices, iusti, & sancti viri, qui consuetudines prauas locorum reprobauerunt per suas constitutiones, istam consuetudinem cambiorum nunquam reprobauerunt, nec potest dici, quòd illam ignorent, cũ omnibus ferè christianis principibus nota sit, & multi etiam religiosi viri huiusmodi cambij contractum, accipiendo saltem, ineunt, prout simili argumento in impressitis Venetiarum vtitur idem Petr. de Anch. quem refert Io. de Anan. d. cap. in ciuitate. sub num. 17. vers. quinto probatur.

56 Octauo, quia neque Genuæ, neque alibi, (quòd ad mei notitiam peruenerit) Curia ecclesiastica molestat contrahentes cãbium cum recursa, & tamen cambium istud est vbique in frequentissimo vsu, vt retuli supra §. 1. q. 5. num. 83. vers. primus modus.

57 Tertia opinio fit eorum, qui hanc controuersiam vario distinctionis fœdere conciliare videntur.

Distinctio prima est, vt opinio, affirmans, hoc cambium esse illicitum, sit vera, si mens, seu intentio contrahentium sit corrupta; altera verò opinio, negans, esse illicitum, procedat, si intentio, seu mens non sit corrupta, Nauar. cons. 31. reuerendis. vers. quartum notabile. in fine, & vers. respondetur. & vers. his tamen non obstantibus. & seqq. per totum illud consilium. lib. 5. de vsur. vbi, re plenè intellecta in praxi ad vsum mercatorium, & diligenter ad vtramque partem discussa, firmat, hoc cambium esse licitum, quamuis campsor mandet suo agenti, seu correspondenti, vt soluat illas litteras, quasi ipsemet campsor, qui dedit cambio, sit etiam fideiussor eiusdem, cui dedit.

58 Distinctio secunda est, vt prima opinio affirmans, cambium esse illicitum, procedat, si solutio fiat de proprijs pecunijs campsoris, qui dedit cambio, Romoal. Coli tract. de camb. cap. 22. altera verò opinio, negans, esse illicitum, sit vera, si solutio fiat de pecunijs illius, qui est correspondens, seu agẽs campsoris, qui dedit cambio, Romoal. tract. de camb. cap. 20. & 21. & Io. Azot. citatus infra sub num. 60. vers. primus.

59 Et cum hac eadem distinctione videntur concordare capitula Bononiensium, confirmata à Pio V. & responsum Illustriss. Cardinalium, quæ adduximus supra sub num. 43. vt cambium recursæ sit licitum, si solutio fiat de pecunijs illius, qui est correspondens, seu agens campsoris, qui dedit cambio; secus si fiat de pecunijs proprijs campsoris, qui dedit cambio, quia illa verba capitulorum Bononiensium: *& far che siano recapitate le lettere sopra essi datori*. ostendunt, campsorem, qui dedit cambio, posse esse fideiussorem, seu promissorem datoris; & ita Illustrissimorum Cardinalium responsum interpretatur Io. Azot. citatus inf. sub num. 60.

Distinctio tertia est, vt opinio, affirmans, cambium esse illicitum, quando campsorius non potest habere alium, qui ipsius nomine satisfaciat in loco condicto, quàm ipsum campsorem, vel socium eius, cui pecunia in illo loco est numeranda, sit opinio probabilis, quia est probabile, quòd campsor isto casu det ad cambium contra iustitiam; opinio verò, negans, cambium esse illicitum, sit opinio non improbabilis, & sit speculatiuè verior, quia habet vrgentes rationes, sed tamen omnino dissuadenda, nec facilè permittenda, Leonat. Less. de iust. lib. 2. cap. 23. num. 71. & concordant alij communiter, vt dixi sub num. seq. vers. primus. & infra sub num. 88, vers. tempera secundo.

Distinctio quarta est, vt opinio affirmans, cambium esse illicitum, & vsurarium præsumptione iuris, & de iure ex Pij V. constitutione procedat in foro exteriori; opinio verò negans, esse illicitum, procedat in foro interiori, Leonar. Less. d. cap. 23. num. 72.

60 In tanta opinionum varietate, & formidine, cum qua Theologi loquuntur, ego pro clariori resolutione præmitto, cambium cum recursa dici, quando campsorius in ciuitate Genuæ accipit cambio scutos 1000. pro primis nundinis Lugdunensibus, & cum non habeat Lugduni, quem cognoscat, & cui possit committere, vt soluat dictos scutos 1000. campsor, qui dat ei cambio, offert eidem suum procuratorem, seu ministrum, qui soluet sibimetipsi, tanquam ministro ipsius campsoris; vnde campsorius, acceptata oblatione, scribit dicto ministro, vt soluat sibimetipsi, idq; etiam eidem per litteras, quas vocant, *d'auiso*, scribit campsor; & consequenter minister, receptis vtriusque litteris, soluit sibimetipsi, vel de pecunijs proprijs,

prijs, vel de pecunijs ipsius campsoris; & postea scribit campsorio, vt soluat campsori dictos scutos 1000. & aliquid amplius pro cambio, vt latius casum per extensum ponit Azor. citatus infra, & loquẽdo de ministro, qui soluit de pecunijs ipsius campsoris, ponit Romoal. Coli tract. de camb. cap. 22. & scripsi supra §. 1. q. 5. num. 86. & ego huius cambij, & recambij litteras posui sup. d. q. 5. num. 88. & seqq. sicq; iste campsorius duplicatam soluit prouisionem; primam Lugduni, vbi extinguitur primum cambium, soluendo campsoris ministro; & in hoc lucro primæ prouisionis concordant omnes, per ea, quæ dixi supra §. 3. gl. 3. num. 15. & latius sub num. 20. vers. secunda dubitatio. & seqq. & secundam in loco, vbi fit secunda solutio, & contrahitur nouum cambium; sed hanc secundam plerique negant deberi, per ea, quæ scripsi supra d. gl. 3. num. 15. versus finem, & seqq.

Hoc præmisso, distinguo tres casus.

Primus casus est, quando campsor, requisitus à campsorio, vel sponte, suo proprio motu, offert campsorio aliquem, qui soluat litteras de pecunijs ipsiusmet soluturi: & isto casu concludo, cambium esse licitum, etiam si is, qui soluet, sit correspondens, socius, procurator, vel minister ipsius campsoris, ita vt repræsentet duplicem personam; videlicet, personam campsorij debitoris in soluendo, & personam campsoris creditoris in recipiendo solutionem, vt dixi supra num. 25. in 3. fictione, & ita etiam concludit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 2. vers. in hac re. & posse eiusmodi cambium fieri sine peccato, firmat Romoal. Coli tract. de camb. cap. 21. & in hac conclusione videntur cõmuniter omnes concordare, & satis videtur probari ex Pij V. confirmatione, & Illustriss. Cardinaliũ responso, à nobis relatis supra sub nu. 43. & plures ex hac diuersarum personarum repræsentatione video oriri contractus, seu obligationes. Prima obligatio oritur ad fauorem ipsius ministri soluentis, contra campsorium, qui mandauit ei, vt solueret sibiipsi, quia, secuta solutione, campsorius, qui mandauit, tenetur ei actione mandati restituere pecunias solutas, hæcq; restitutio fit, mediante solutione tractæ, quam is minister postea reflectat in eundem campsorium; statim enim atque campsorius soluet tractam, dicitur restituisse, & satisfecisse suæ obligationi erga ministrum campsoris. Secunda obligatio oritur ad fauorem campsoris contra ministrum, qui, recipiendo solutionem nomine ipsius campsoris, tenetur actione mandati eidem campsori ad reddendam rationem administratæ pecuniæ, sibi solutæ; & hæc redditio fit, dum minister per viam tractæ, seu recambij remittit illas pecunias ad ipsum campsorem. Tertia obligatio oritur contra campsorem, quia in casu, quo campsorius non restituat eidem ministro pecunias, ipse campsor tenetur cõtraria actione mandati tanquam fideiussor eidem ministro, & consequenter, si campsorius, in quem minister traxerit, non solueret campsori, minister adhuc per viam exceptionis esset liberatus, quia sicut quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, ita etiam si campsorius non soluat campsori, non potest campsor agere cõtra ministrum, quia ipse minister agere posset contra eundem campsorem, vti fideiussorem eiusdem campsorij, non soluentis: vnde obligatio ministri ad fauorem campsoris, semper euanescit eo ipso, quòd ipse scribit campsorio, vt soluat campsori, quia vel soluit, & liberatur per solutionem: vel non soluit, & liberatur, ex quò ipse campsor fideiussit; & è conuerso, obligatio campsoris ad fauorem ministri in casu, quo campsorius non restituat, euanescit eo ipso, quòd minister teneretur easdem pecunias dare ipsi campsori, quia ipse minister eas, vti pecunias campsoris ministratorio nomine exegit; vnde in effectu creditum, & debitum remanet semper inter eundem campsorem, & campsorium.

61 Secundus casus est, quando campsor, qui dat cambio pecunias, non solum spontè, seu rogatus, vt in præcedenti casu, offert campsorio suum ministrum, sed dat cum pacto, quòd litteræ cambij solui debeant ab eius ministro, vel alio ad voluntatem ipsius campsoris; & isto casu dico, cambium cum recursa esse illicitum, per ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 3. limit. 15. num. 1. & seqq. vbi videas.

Tertius casus est, quando campsoris minister, seu procurator soluit de pecunijs ipsius campsoris; & hoc casu siue campsor ministrum hunc spontè cãpsario obtulerit, siue requisitus ab ipso cãpsario; dũmodò soluat, vt dixi, de pecunijs cãpsoris; videtur dicendũ, quòd cambiũ nõ sit licitum, aut sit valdè suspectum de vsura, vt ex communi opinione scribit,

scribit, & sequitur Io. Azor. d.q.2.vers.verū dubiæ. & vers.quod si dicas.quia,inquit,perinde est,ac si ipse mutuo daret, & ideo concludit, non esse in Rep. permittendum, & postea in vers. cæterum. in re sic perplexa perplexus concludit, quòd quamuis consilium non daret de eiusmodi cambio exercendo, nō tamen condemnaret post factum: à qua perplexitate, & formidine non distant quæ scribit Leonar.Less. relatus sup. sub nu. 59.in 3.& 4.distinctione. quod idem in effectu scribit Fabian. Genuen. quem citaui supra sub num.43. hocq; cambium,citato Soto, cuius sententiam retuli formaliter supra sub nu.20. & citatis alijs, damnat Romoal. Coli tract.de camb.cap.22. vers. la seconda conclusione.

62 Contra conclusionem huius tertij casus tenent Boninseg. Nauar. & Mich. Sal. quos citaui sup.num.43. illi enim omnes loquuntur in effectu in cambio huius tertij casus: imò ijdem Fabian. & Azor. citati ex aduerso pro conclusione num. præced. se ipsos videntur statim corrigere, concludendo hoc cambium esse suspectum, sed factum non damnandum.

63 Retenta ergo secunda opinione, posita supra num.21. superest,vt respondeamus ad argumenta primæ opinionis.

Ad primum, positum supra sub num.2.de inuerso litterarum vsu inter præsentes, & ad se ipsum, qui scribit, respondeo, quòd iste litterarum vsus,etiam inter præsentes, nihil detrahit iustitiæ contractus, & in claris cessant coniecturæ, & suspiciones; & est vsus laudabilis; nam cum cambium fieret, prout fit, ex vno ad alium locum,congruè cœpit, & continuauit, fieri per litteras, tum propter locorum distantiam, quæ secum trahit personarum absentiam, tum propter maiorem contrahendi facilitatem, ac celeritatem, quæ in cambijs desideratur, & cum iste litterarum vsus possit seruari etiam inter præsentes,tum quia tunc litteræ,directæ ad præsentem, vel ad seipsum scribentem,assumunt naturam apodissæ, propria manu scriptæ, & datæ creditori, qui ea possit debitorem conuenire, tum quia illius apodissæ solutio est destinata alibi, & ideo retinet in hoc naturam litterarum; quarum vsus, vt dixi, est ex vno ad alium locum, meritò ille vsus non est variandus,quia quæ diu obseruata fuere, minimè mutanda sunt.

64 Ad secundum, positum supra sub num.2. de campsore emente scutos marcharum à campsorio, quem nouit non habere illos scutos, imò videtur emere rem propriam; respōdeo, quòd licet campsor eo ipso, quòd campsorius facit litteras, directas ipsimet campsori, vt soluat sibimetipsi, videatur scire, campsorium non habere pecunias, effectum,seu creditum in loco destinatæ solutionis;tamen hoc non concludit,quòd campsor sciat, seu credat, campsorium nō habiturum pecunias,seu modum soluēdi,imò retorquetur, quòd ex hoc ipso, quòd campsor dat cambio,opinatur,campsorium posse habere pecunias, vel creditum; siquidem, si hoc non opinaretur, abhorreret ab omni verisimilitudine,quòd vellet contrahere cum eo, à quo se deceptum iri opinaretur, & ex deceptione amissurum; sicut ergo opinatur, & credit ipse,ita potest credere alius: & ad iustificandam emptionem, commutationem, seu cambium, sufficit,quòd campsorius,qui, accipiendo ad cambium, vendit scutos marcharum, habeat illos virtualiter, & dicitur habere virtualiter, si eos habeat in credito, Nauar.in man.confess.cap.17. de vsura circa cambia,num.298.& 299. vel habere possit, accipiendo eos mutuo ab alio, aut alio modo, vt dicit in cap.nauiganti,vers.duodecimo. sub num.14.vers.tertio quia. de vsur. & Nauarrum secutus videtur Io.Azor. de instit.moral.par.3. lib.10. tit.de camb.cap. 9. q.2.vers.hoc cambium. & vers. in hac re. quem ego retuli supra num.58.& supra §.1. q.7. par.2. ampl. 17. sub num. 7. & quis est ille,qui possit diuinare,quòd nemo alius crediturus sit illi,cui ipse credit? demum,quicquid super hoc enixius argumentādo diceretur,solutio patet ex his,quæ scripsi sup. §.1. q.7.par.2. ampl.17.nu.1.& seqq. & nu.22.

65 † Neque illud simile de bobus emptis,& locatis rustico, applicatur, imò longè differt, quia ille rusticus nec habet, nec habiturus est boues; at campsorius est habiturus pecunias,quas vendit,vt ostendit Siluest. in sum. in verbo,vsura,4.q.9. vers.6. quem sequuntur idem Boninf.eod.cap.7. vers. sono alcuni. & Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. ad

66 quartum miror. in fine,lib.5.de vsur.†quare non obstat, quòd vendens scutos marcharum tunc illos non habeat, quia etiam res nondum nata vendi potest, Nauar. in man. confess.cap.17.de vsura circa cambia, num. 287.in fine, & in d.cap.nauiganti. sub num. 14.vers.duodecimo. per totum, & num.75. vers.

vers. sexto quòd hanc. de vsur. & latius d. conf. 31. vers. obijciet aliquis. † Non obstat pariter, quòd fructus societatis, & montis illicitè percipiantur, quãdo societas, & mons non sunt capaces illorum fructuum. Quia respondeo dupliciter. Primo, dico, illam opinionem, supposita ignorantia, & bona fide dantis pecunias, seu ementis, non esse veram in casu, de quo scripsi supra §. 1. q. 1. nu. 329. quia tunc societas tenet, & fructus licitè percipiuntur: &, si diceremus aliter, posset aperiri via fraudibus, quia multi sub hac probabili spe, quòd non tenebuntur ad fructus, societates contraherent, hincque multi remanerent sub bona fide decepti, & consequenter dissiparetur hoc cõmercium, quia iniungeretur onus, vt dans pecunias ad societatem officij, vel emens loca montis, teneretur diuinare, vel reperire quot alias societates ille officialis contraxisset, & quot loca illius montis essent vendita, & quos fructus ille mõs re vera redderet, vt, loquendo de societate officij, latius explicaui d. q. 1. num. 274. 275. & 330. Secundo respondeo, quòd casus est diuersus, quia societas, & loca montium possent contrahi & emi, etiam pro fructibus verè percipiendis, non aliter inter contrahentes taxatis; sed contractus cambij non potest ita iniri, vt pendeat à futuro euentu, si campsarius habuerit modum soluendi in nundinis; & campsor non tenetur id diuinare. † Minus obstat, quòd campsor videatur emere rem propriam. Quia respondeo, hoc posse videri, sed non esse, quia emit scutos ipsius campsarij, cum illi scuti, etsi soluantur ex proprijs scutis campsoris, tamen ordine intellectus prius efficiuntur campsarij, vt latius explicaui infra sub num. 74. & prout sunt effecti campsarij, intelliguntur empti, vt sub alijs verbis sentit Nauar. d. conf. 31. vers. ad secundum negatur. † & pro clariori intelligentia huius responsionis suppono, idem iudicium fieri de pecunia, facta venali per viam cambij, quod fit de alijs mercibus venalibus; sed in alijs mercibus non repugnat, quòd quis nomine alterius emat proprias merces à seipso, & consequenter, dum nomine alterius emit, vendat nomine proprio, vtputa, Antonius mercator Genuensis accipit litteras à Petro Lucensi, vt eius nomine emat decem ballas serici Neapolitani, tunc Antonius, qui apud se habet huiusmodi merces, emit illas à se ipso nomine Petri, sicq; vnus est venditor, &

67

68

69

emptor: ergo idem in cambio, Nauar. d. conf. 31. vers. sexto idem. hæcq; praxis, siue cambium cum recursa habet in se laudabilem prudentiam, quia occurrit contingibili campsarij necessitati, & cõsulit vtriusque indemnitati: occurrit cãpsarij necessitati, quia, cum possit dari casus, vt campsarius eo tempore, quo scutos marcharũ campsori soluere tenetur, eos non habeat, neque inueniat, qui ei eos credito pretio vendat, & inde oriatur obligatio ad interesse; prudẽs est ista praxis, quæ admittit, vt ab initio conueniant, quòd idẽ campsor eosdem scutos marcharum possit nomine campsarij emere à se ipso, & ita emptos sibi ipsi nomine campsarij soluere, sicq; extinguatur prius debitum, & contrahatur nouum; neque ipsius campsarij quicquã interest, quòd eos emat ab ipsomet cãpsore, vel ab alio: consulit etiam ista praxis vtriusque indemnitati, quia eos ad præfatæ conuentionis obseruantiam non arctat, sed vtrique liberam relinquit facultatem recedendi ab ea, cum in effectu illa conuentio non sit aliud, quàm quodam mandatum, quod campsarius potest reuocare, & campsor illud non acceptare; vnde licet campsarius scripserit ipsimet campsori, vt solueret sibiipsi secũdum primam litterarum formulam, positam supra §. 1. q. 5. num. 88. & ipse campsor litteras acceperit etiam apertas, in quibus campsarius, vt dixi, mandet ei, vt soluat sibimetipsi, & ideo videatur tunc acceptasse mandatum, cum non contradixerit, tamen non est ita, quia litteræ finguntur ei redditæ in nundinis, in quibus potest illas acceptare, vel non acceptare, & illa susceptio litterarum non habetur in consideratione: † similiter campsarius, qui accepit cambio, potest prædictum mandatum, vt campsor soluat sibiipsi, reuocare, per ea, quæ scribunt Paul. de Castr. in l. 82. si cum cornelius. num. 1. ff. de solut. & Sebast. Medic. tract. de nouat. in verbo, mandatum. tom. 6. par. 2. fol. 398. quia campsarius, dando illud mandatum, non per hoc abstulit à se facultatem soluendi aliter, alias, si campsarius hoc non posset, cambium esset illicitum, per ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 3. limit. 2. num. 2. est igitur in facultate vtriusque dis. soluere conuentum recambium: † secus est, si litteræ campsarij mandent sibi ipsi campsario, vt soluat sibiipsi, vt in secunda litterarum formula, quam posui supra §. 1. q. 5. num. 94. quia licet tunc campsarius debitor

70

71

sor possit, inuito campsore, soluere effectualiter ipsi campsori, & sic extinguere cambium; tamen campsor non potest mutare ordinem, contentum in litteris, quia campsarius est appositus solutioni, gratia ipsius campsarij, qui est debitor cambij, quo casu creditor non potest adiectum remouere, per ea, quæ dixi supra §. 2. gl. 7. sub num. 77. & sic, vt dixi, est in electione debitoris dissoluere conuentum recambium, vel non dissoluere, sed soluere sibiipsi debitori, tanquam mandatario creditoris, hacq; inæqualitas, vt campsarius possit reuocare mandatum, datum campsori soluendi sibi ipsi, & campsor non possit reuocare mandatum, datum à campsario sibiipsi de soluendo sibiipsi, non deprauat cambium, quia ea, quæ campsoris augent vtilitatem, sunt vitia cambij, non ea, quæ eam minuunt, per ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 68. 69. & sub nu. 70. vers. ratio est. vbi rationem

72 reddidi. † Verum campsori, volenti dissoluere istud recambium, est consultum duplici via: Prima, quia quando de pecunijs, cambio datis, appareret publica scriptura, posset, suppressis litteris cambij, quas habet apud se, agere vigore illius publicæ scripturæ, vt dixi §. seq. gl. 3. num. 12. Secunda, vt in recambio, quando debitor remittit eidem creditori partitam, vt in formula litterarum, quas posui supra §. 1. q. 5. nu. 96. & 97. campsor poterit petere solutionem realem illius partitæ, qua sibi non soluta, potest agere executiuè contra debitorem.

Ad primam confirmationem, positam supra num. 8. de emente frumentum à paupere rustico, qui non sit habiturus, satis patet responsio ex his, quæ dixi supra num. 64.

73 Nec obstat, quod in eadem confirmatione dixi de iniquitate stocchi; quia respondeo, quòd in stocccho semper adest enormis læsio, sicq; iniustitia pretij, & vltra primi pretij iniustitiam dantur pro pecunia merces, quæ cum alia pretij iniustitia reemuntur, hacq; ratione damnantur; at in contractu cambij, vt supponimus, adest pretij iustitia, & cessant prædicta; nec ergo ab vno ad alium, non eadem, sed contraria valet consequentia.

74 Ad secundam confirmationem, positam supra num. 9. de eo, qui permutat frumentum Lucæ, pro frumento, sibi consignando Placentiæ, & postea non Placentiæ, sed Lucæ restituitur; respondeo, quòd adhuc remanet contractus permutationis, quia quòd postea fiat restitutio frumenti in eadem ciuitate Lucæ, hoc venit per accidens, quod non consideratur per ea, quæ in alio proposito scripsi sup. §. 1. q. 1. sub num. 428. & sub n. 521. q. 4. sub nu. 13. & q. 7. par. 2. ampl. 6. sub num. 1. & sub num. 5. in fine; quare cum creditor potuisset cogere debitorem ad consignandum frumentum in ciuitate Placentiæ, & rogatus à debitore, non cogat, sed recipiat in ciuitate Lucæ, non ex hoc inficitur permutationis contractus: applicando nunc casui nostro, dico, quòd si remanet permutationis contractus in relato casu frumenti, à fortiori remanet permutatio, & cambium pecuniarum, quamuis campsor soluat sibi ipsi; tum quia hoc venit per accidens; ex quò campsarius non potest soluere; tum quia campsor virtualiter soluit Placentiæ, & de pecunijs campsarij, quia breui manu, & ordine intellectus dicitur idem campsarius accepisse prius cambio ab eodem campsore, & postea soluisse; quod enim necessariũ est ad aliquem actum perficiendum, illud ordine intellectus præsumitur præcessisse, vt in alijs terminis, loquendo de præambula acquisitione, in renunciatione iuris delati, scripsi in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 2. num. 296. & clarius num. 298.

75 Ad tertiam confirmationem, positam supra num. 10. de repræsentatione personarum, & ficta solutione, & ad replicationem de fictis litteris in fraudem constitutionis, quamuis litteræ verè transmittantur.

Respondeo, in cambiorum negotiatione facilè admitti istas varias repræsentationes, & fictiones, quia negotiationis cambiorum fundamentum exorditur à fictione scutorum marcharum, qui emuntur, & venduntur, vt latius explicaui supra num. 23. vers. quarto. sicque venditor vendit emptori, vtroque sciente, mercem imaginariam, & fictam, & quòd vnus diuersis respectibus possit habere qualitates pugnantes, scripsi sup. num. 35. vers. quod autem, & infra num. 77. vers. ad tertium, & non esse absurdum in iure, quòd vnus repræsentet personam duorum, secutus sum supra num. 25. & quòd de stylo mercatorum delira, sit dubitatio, an vnus possit repræsentare personam creditoris, & debitoris, retuli infra num. 78. & quòd vnus possit soluere sibi ipsi, scripsi supra §. 1. q. 5. sub nu. 83. vers. primus, & latè supra

hæc ead. gl. num. 25. Et ego cessat ille discursus, seu argumentum confirmationis, quia non fictio inficit contractum, sed iniustitia, quæ fictione palliatur; ideoq; licita est simulatio de contractu licito ad contractum licitum, quando ex illa simulatione non resultat iniquitas, seu iniustitia, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 8. num. 529. & 531. & supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 29. vers. prima. & §. 3. gl. 3. num. 34 & proinde in tanta articulorum omnium controuersia, & temporum angustia longè errare mihi videntur, qui ex his, quæ ad iustitiam non pertinent, tot subtilitates, & argumenta enixè desumunt; cum ad solam contractus æqualitatem, & proportionatam commutationem, tanquam ad sydus, respicere debeamus, dum per hoc contractuum, & speciatim cambiorum, nauigamus mare; reliqua omnia argumenta sunt, veluti puerilia sophismata, quæ Senec. in epist. 49. lib. 6. (& à me referuntur in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 1. sub nu. 2. in futura impressione) his irridet verbis: *O pueriles ineptias, in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus.*

76 Quod attinet ad replicationem, in qua dicitur, litteras fieri fictas in fraudem legis, quia eo ipso, quòd cambientes sciunt, litteras esse reuersuras inanes, habēt mentē corruptā, quæ facit cambium illicitum; respondeo dupliciter. Primo nego omnia; nam illæ litteræ possunt habere verū & realē effectum in nūdinis, sicut litteræ, de quarum sinceritate nulla viget etiam leuissima suspicio, per ea, quæ dixi supra num. 69. versus finem, imò nec litteræ, neque scriptura sunt de substantia cambij, etiam ex loco ad locum, sed de substantia est iustitia, ad quam per litteras solet deueniri; cæterum si ad eam sine litteris æquè deueniri posset, constitutio tunc litteras contemneret; quia lex datur rebus & non verbis, faciunt quæ scripsi supra §. 1. q. 5. num. 10. & 13. Secundo esto, quòd contrahentes haberent corruptam mentem ex eo, quòd scirent, litteras esse reuersuras inanes; tamen hæc mala mens est punienda à Deo, & non in foro exteriori, in quo satis est, quòd ex gestis non resultet iniustitia inter contrahentes, quia iustum, & iniustum, non in bonitate, aut prauitate mentium, sed in rerum, & operum externorum æqualitate, & inæqualitate consistit, vt, loquendo in mutuatore, secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 80. in fine.

77 Ad tertium, positum sup. n. 12. quòd non possint actio, & passio stare in eodē subiecto; respondeo, hoc esse verū, si inuicem se collidāt, quia stent vel vno, eodemq; respectu; vel vno, eodemq; tēpore; secus si se inuicē non collidant, quia stent diuersis respectibus, & considerētur in diuerso tempore; quare potest vnus esse fortior, & debilior altero, fortior scilicet in palestra, & debilior in cursu; & vnus esse maior altero, vno respectu, & minor alio respectu, vt in Iudice appellationis scripsi in meo tract. de appellat. q. 2. nu. 27. iunctis, quæ dixi ibidem nu. 28. & seqq. & ita etiam procedunt quæ adduxi supra num. 35. vnde non mirum, si creditor in actu solutionis possit repræsentare debitorem, cum sit eius mandatarius, & in receptione pecuniæ fungatur propria persona

78 creditoris, † Imò Nauar. cons. 31. reuerendiss. vers. ad octauum. lib. 5. de vsur. scribit, istud argumentum irrideri apud mercatores, & fore, vt qui hoc dicerent, æstimarentur deliri, tanquam non intelligentes, quid loquantur, neque de quo loquantur.

79 Ad quartum, positum supra num. 13. de pluralitate fictionum: respondeo, in contractu cambij admitti istam pluralitatem fictionum, sic natura negotij exigente, vt dixi etiam supra num. 23. quia iste contractus præ cæteris omnibus requirit celeritatem; quæ celeritas adhiberi non potest, nisi mediantibus istis fictionibus; ita vt, euitato circuitu personarum, fiat totum illud, quod licitè fieret, circuitu non euitato; hæc est lex, cui mercatores inhærent, tanquam firmo caractere, & non est damnanda, dummodo absit fraus, & contineat in effectu iustitiam contractus, per ea, quæ dixi supra sub num. 75.

80 Ad quintum, positum supra num. 14. de minori periculo; respondeo dupliciter.

Primo, nego, maius periculū versari in alijs cambijs, quàm in cambio recursæ; quia licet quot mutantur campsarij, tot superueniant pericula in debito cambij, tamē quot etiam sunt nundinarum, & annorum cursus, tot etiam in vno, codemq; campsario considerantur pericula, præsertim, si negotietur, & non est bonum signum in debitore, qui diu grauatur ære alieno cum interesse; quare & si campsarius cum recursa primo anno facultatibus sit idoneus, tamen se-quen-

quentibus potest facultatibus labi, imò potest etiam ab initio vsque ad finem fuisse semper latenter inidoneus.

Secundo respondeo, quòd dato etiam, quòd propter pulrium campsariorum mutationem posset in cambijs considerati maius periculum, tamē maius, & minus periculum non absolutè substantiant iustitiam cambij, prout substantiant iustitiam contractuum, qui exponuntur fortunæ, & periculo, de quibus dixi supra §. 1. q. 1. num. 84. & seqq. & par. 2. ampl. 10. sub num. 5. vers. infero secundo. & seqq. & vers. intellige. & scripsi supra §. 3. gl. 3. sub num. 12. extens. t.

81 Ad sextum, positum supra num. 15. de euidenti litterarum fictione: respondeo, negando, litteras esse fictas, quinimò sunt reales, & verè transmittuntur debitum, & litteræ; & fiunt acceptationes, & solutiones, vel alias litteræ tedeunt cum protestatione, per ea, quæ dixi sup. sub nu. 69. & inf. nu. 97.

82 Ad septimum, positum supra num. 17. de interesse conuerso in capitale: respondeo, quòd istam conuersionē mercatores faciunt in quouis cambio, quantumuis libero, quando debitor est morosus.

Ratio, quare in cambijs speciatim admittamus, vt interesse conuertatur in capitale, est, quia ad hoc, vt interesse conuertatur in capitale, requiruntur tria: Primo requiritur, quòd creditor certitudinaliter, & non per possibiliter passus sit interesse: Secūdo, quòd quantitas interesse passi sit certa, & liquida: Tertio, quòd commercium, ex quo procedit hoc interesse, sit eius qualitatis, vt semper, quando dissolueretur, haberet promptam occasionem renouandi; his concurrentibus, non diceretur solui interesse alterius interesse, sed diceretur semper solui capitale; sicq; longè abest omnis anatocismus; sed hæc omnia concurrunt in commercio cambij; nam qui negotiatur in cambijs, certitudinaliter patitur hoc interesse, vel saltem dicamus, quòd hoc est in primis supponendum, quia alias frustra tractaretur de conuertendo interesse in capitale, si non extat interesse: item interesse est certum, & liquidum, quia in quolibet foro imponitur pretium pro cambijs, vt sæpè diximus; & cambium de sui natura, missis litteris cum solita dilatione nundinarum, & locorum, extinguitur, & potest renouari; non sic est in alijs commercijs, quia in alijs vel non apparet certa, & liquida quantitas interesse passi; vel commercium, à quo procedit interesse, non renouatur, & consequēter non potest fieri hæc conuersio, qua non facta, solueretur interesse alterius interesse, quæ solutio posset videri superfœtatio, & anatocismus, qui est à iure reprobatus, vt secutus sum §. seq. gl. 2. num. 39. quæ reprobatio huic etiam niti potest rationi, quòd accidens in accidenti sine substantia consistere non possit: cæretum, si quæ alia commercia renouarentur, & interesse, ab eis procedens, esset liquidum, & certum, vtique etiam in ipsis interesse posset conuerti in capitale, iuxta ea, quæ secutus sum §. seq. gl. 2. sub num. 50. quare, decursis multotum annorum fructibus certis, & liquidis, & non solutis, nulla ratio prohibet, quin ex eis possit constitui aliquod capitale fructiferum, vt scripsi, ponendo casus, §. seq. glos. 2. num. 54. & ita videmus practicari.

83 Ad octauum, positum supra num. 18. de solutione in eodem loco: respondeo, quòd solutio virtualiter fit etiam in nundinis, & cum vtilitate debitoris, vt ostendi sup. nūm. 40. & 41. vers. tertio quia.

84 Ad nonum, positum supra num. 19. de disputatione super hoc cambio, etiam apud eos, qui in genere admittunt, cambia esse licita: respondeo, disputationem terminar ex his, quæ dicimus in hac quæst.

85 Ad decimum, positum supra num. 20. de auctoritate eorum, qui tenent, hoc cambium esse illicitum, ea moti ratione, quòd cambium debeat seruire solum pro mercibus, & ideo fieri debeat solum inter mercatores, & non inter nobiles, quos verisimile est, non habere pecunias, aut effectus in locis, pro quibus accipiunt cambio, patet solutio ex his, quæ contra hanc rationem latè scripsimus supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 11. num. 1. & seqq. & ampl. 17. num. 1. & seqq. & nu. 22. & hic addimus, quòd Pius V. Pontifex sanctissimus, anno 1569. 25. Nouembris confirmauit capitula cambiorum ciuitatis Boniæ, in quibus in cap. 2. ita disponitur: *appresso che sia in potestà di ciascuna persona, etiamdio che non sia mercante, il dare suoi denari in mano de' mercanti, accioche li diano à cambio reale, con farsi stare del credere, &c. & possa ogni persona dar denari à cambio, & far che sieno ricapitate le lettere sopra essi datori, &c.* ex quibus verbis cōstat, quòd etiam auctoritate Pontificia potest fieri cambium, quod non seruiat pro mercibus, & fiat inter non mercatores, & etiam quòd campsarius

non sit soluturus litteras, aliter quàm super fide, & credito eiusdem campsoris, qui ei dedit ad cambium.

86 Ad tertiam opinionem, positam supra num.57. in qua adduximus quatuor distinctiones, dum distinguit inter deprauatam, & nondeprauatam contrahentium mentem, dico, quòd in foro exteriori est distinctio inutilis, quia forum exterius non iudicat de mente, cum sit occulta, & occultorum cognitio sit reseruata soli Deo, vt dixi supra §.1.quæst.1.num. 529. & q.7. par. 2. ampliat. 19.num.13. 36.&37. & in foro interiori non magis applicatur contractui cambij, quàm alijs contractibus: Ad cæteras distinctiones, vt breuius agam, dum distinguunt, an campsor, qui dedit cambio, mandet, solutionem fieri de proprijs pecunijs, vel de pecunijs alterius, quem ipse campsor securum reddat, dico, quòd est distinctio inanis, & ideo verbalis tantum, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, vnde paria sunt, quòd ipsemet tradat, vel sua fideiussione faciat tradi; & plus, & minus non differunt specie; sicq; tradere absolutè, vel tradere, mediante fideiussione, non constituent diuersitatem specierum; & frustra fit per plura, quod æquè benè potest fieri per pauciora, & maius facit seruitium, dando, quàm fideiubendo; & nihil commune habet cum iustitia, seu iniustitia cambij, de quo agimus, quòd idem campsor faciat, campsorio dari pecunias ab alio, vel det de suis pecunijs: imò laboriosius est campsorio recambium cum pecunijs alterius.

Nec dicatur, distinctionem esse realem, quia cum eodem campsore est manifesta suspicio mutui palliati, & cambij ficti, quæ suspicio cessat cum tertio: sicut in simili, qui muruat pecuniam nauticam, si illam, recepto pretio assecurationis, assecurauerit, est censendus vsurarius, & tamen non est censendus vsurarius tertius, qui assecuraret; ex quò in tertio cessat suspicio, vt secutus sum supra §. 1. quæst. 1. num. 503. similiter non decet in contractu societatis negotiatoriæ inire contractum assecurationis cum socio, sed benè cum alio, per ea, quæ moriuãdo, adduxi sup.§.3.gl.3.n.38.& 39.

87 Quia respondeo distinguendo: Aut loquimur in casu, quo ius ex ista suspicione præsumit fraudem, vt in casu mutui assecurati à mutuatore; & tunc admitto, quòd suspicio vrget, quia ius ex ea præsumit fraudem: Aut loquimur in casu, quo ius ex ista suspicione nondum præsumpsit fraudem, sed homo vult eam præsumere, vt in casu, de quo agimus; & dico, hanc suspicionem non esse attendendam, quia de iure non præsumitur delictum, & quilibet præsumitur bonus, vt dixi in meo tract.de iud.caus.&c. lib.1.cap.12.sub num.6. & in nostris terminis respondet Nauar. cons.31. reuerendiss. vers. sed contra.lib.5.de vsur.& consequenter vna præsumptio eliditur alia. Et ad illud de suspicione vsuræ in contractu assecurationis cum mutuante pecuniam nauticam; respondeo, illud esse, quia ita est expressum in iure in illo casu, & ideo non debet trahi ad alios, in quibus non est expressum; quia licet vsurarum fraus,& suspicio probari possit coniecturis, id tamen non est verum in coniecturis hominis, sed solum in coniecturis legis, idest, approbatis à iure, vt secutus sum in meo tract.de iudic.caus.lib.2.cap.9. num.319.322.324.& 326. & quando procederet etiam in coniecturis hominis, deberent esse adeo conspicuæ, & æquiualentes coniecturis legis, vt fraus omnino includeretur: Et ad illud de socio assecurante; respondeo, contrarium esse verum, nempè, licere etiam cum socio facere contractum assecurationis, vt secutus sum supra §.3.gl.3. num.36.& seqq.vbi videas.

88 Firmata ex his secunda opinione, de qua supra num.21.

Tempera primo eam, vt quamuis hoc cambium recursæ possit cum eodem debitore per noua recambia procedere in infinitum, & excedere capitale, per ea, quæ dixi §.seq.gl.2.num.33.& 101. tamen quia valde Reip. interest, ne subditorum substantiæ à superfœtante fœnore crudeliter deuorentur, & creditores, ad absumendas debitorũ opes impiè anhelantes, debitum studiosa negligẽtia quandoque reperere negligant; & debitores vel impotentia, vel iudicij imbecillitate, à fœnore se dissoluere non valentes, bonis tandem omnibus spoliati ad extremam redigantur inopiam, hincque magna, & perniciosa inter ciues oriatur disparitas; sanctam existimarem legem, quæ, vt huic contagioni occurreret, recambia vsque ad certum numerum toleraret, & abinde salubri temporis præscriptione perimeret; & ab hoc temperamento non discrepant quæ scribit Cagn. quem citaui §. seq. gl.2. num.59.

Tempe-

Tempera secundo, vt quamuis hoc cambium ex magis probabili, & veriori sententia sit licitum, tamen illud exerceri viri docti communiter dissuadent, inter quos sunt Leonar. Less. de iust. lib. 2. cap. 23. num. 71. Io. Azor. de instit. moral. par. 3 lib. 10. tit. de camb. cap. 9. q. 2. & latè Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disp. de camb. q. 4. art. 2. contr. 12. nu. 5. vers. ego certè. & seqq. tom. 2. fol. 590. & 591. hæcq; dissuasio illi præcipuo nititur fundaměto, quòd mutuum facilè palliari potest cambio; ideoq; cambium valde suspectum esse de vsura scribunt ij, quos citaui supra §. 1. q. 2. num. 26. & præsertim hoc cambium recursæ, cum in eo maior insit ratio suspicionis; ideo campsores, qui hoc cambium volunt exercere, studeant vt illud exerceant cũ iustitia, & sine fraude.

89 QVAERO tertio, an Franciscus, qui Petro dedit ad cambium in ciuitate Genuæ, receptis ab eodem Petro litteris solitis cambij, sit illemet Franciscus, qui postea in nundinis in ciuitate Placentiæ soluit sibi ipsi ex ordine litterarum Petri?

Respondeo, quòd est idem vel essentialiter, vel repræsentatiue; erit essentialiter, si ipsemet accesserit ad nundinas, quod potest facere, vt scripsi supra §. 1. q. 5. sub num. 75. vers. aduerte tertio. erit repræsentatiuè, si non accedat, sed mittat, seu ordinet alteri cum sufficienti mandato.

90 Declara primo hanc responsionem, vt, cum ex hac solutione, facienda sibi ipsi campsori, aliquod ob conceptam mutui palliati suspicionem oriretur scandalum, campsores, ad scandalũ tollendũ, solent concipere litteras, vt is, qui soluere debet sibiipsi, non sit idem campsor, sed sit alius eiusdem nominis, & cognominis, qui reperiatur in nundinis; cum enim instat tempus nundinarum, solent campsores, qui in nundinis habent domum, vt dixi supra §. 2. glos. 4. sub nu. 8. mittere ad eas aliquem suum iuuenem cum ampla facultate expendendi, & sub-

91 scribendi nomen ipsorum campsorum, †quare Lanfrancus, qui Genuæ accipit cambio à Fráciſco Numio, scribit Francisco Placẽtiæ, vt soluat sibi ipsi, dicẽs, *per la valuta hauuta de contãti dal vostro Francesco*, & extra in suprascriptione scribit. *A Francesco Numio, Piacenza*. & cum Franciscus Numius ex Genua scribit Francisco Numio ad Placentiam, & rursus Franciscus Numius ex Placentia scribit Francisco Numio ad Genuam, formant suprascriptiones litterarum. *Al nostro Francesco Numio, Piacenza*. *Al nostro Francesco Numio, Genoua*. ita vt alius videatur Franciscus Numius, existens Genuæ, & alius Franciscus Numius, existens Placentiæ; & consequenter hac personarum variatione sine iniustitia, & sine fraude satisfit formæ constitutionis Pij V. & euitatur amaritudo primi argumenti, de quo supra sub num. 2. & tandem in effectu est cambium reale.

92 Neque dicatur, istam personarum fictionem fieri non ad obsequium legis, sed pro malitia, & in fraudem legis, iuxta Italum prouerbium, *fatta la legge, pensata la malitia*, contra l. non dubium. C. de legib. de quo prouerbio in alio proposito meminit Nauar. in cap. nauiganti. num. 29. in vltimis verbis, vers. vtile tamen. de vsur.

Quia respondeo, tolerari istas fictiones in cambijs, quando nituntur æquirati, & iustitiæ contractus, vt latè ostendi in alijs fictionibus supra num. 23. & seqq. & num. 33.

93 Declara secundo, vt quamuis idem sit Franciscus, qui est Genuæ, & Franciscus, qui est Placentiæ, vt dixi, tamen sunt diuersi quoad bona, & quoad creditores; & proinde si iste Franciscus haberet vtroque loco banchum, seu negotiationem, trafficum, tabernam, voltam, siue apothecam, & in vtroque negotio, traffico, seu bancho haberet creditores, & decoqueret, seu fieret non soluendo, vtique fieret separatio rerũ & mercium vnius negotij à rebus & mercibus alterius negotij, & similiter fieret separatio creditorum, quia creditores vnius negotij remanerent creditores in illo negotio cum prælatione alijs creditoribus alterius negotij etiam anterioribus, l. 5. procuratoris. §. si plures. ff. de tribut. act. Paul. de Castr. in cons. 285. visis & ponderatis. sub num. 2. vers. breuiter his. & sub n. 3. vers. nec obstat. lib. 1. latè Magon. in Lucen. decis. 1. nu. 5. vers. his tamen non obstantibus. & num. seqq. & Stracc. tract. de decoctor. par. vlt. num. 20. & seqq. tom. 6. par. 1. fol. 328. dicens, quòd si idem mercator habeat tabernas, seu apothecas, & trafficum Anconæ, Romæ, & Florentiæ, & labefacta fide, decoxerit, creditores, qui Romæ cotraxerunt, non sunt audiendi in bonis, existentibus Florentiæ, quoad integrè non fuerit satisfactum creditoribus, qui Florentiæ contraxerunt; solum enim audiendi sunt in bonis, quæ Romæ sunt; si ta-

men, ſolutis creditoribus, qui Florētiæ contraxere, aliquid ex bonis, quæ Florentiæ ſunt, ſupererit, id, quod ſupereſt, creditoribus Romæ tribuendum eſt; quia non dicitur habita fides perſonæ, ſed merci.

94 Extende primo hanc declarationem, vt in Rep. Genuenſi procedat etiam ex diſpoſitione ſtatutorum lib. 4. cap. 12. §. creditores. quo diſponitur, vt creditores ſocietatum, ſiue rationum, ſiue ſint ſub nomine vnius tantum, ſiue plurium, ſiue in dominio, ſiue extra, in rebus & bonis ſocietatum, ſeu rationum præferantur quibuſcunque alijs creditoribus ſociorum ſingulorum, vel proprio, vel quouis alio nomine, & in dictis rebus, & bonis dicti creditores intelligantur, & ſint potiores, & anteriores tempore, hypotheca, & priuilegio, dictæq; res, & bona intelligantur dictis creditoribus hypothecata ſpeciali pignore cum priuilegio, ita vt præferantur dotibus, & alijs quibuſcunque, excepto eo, qui rem ſuam, vel quondam ſuam prætenderet.

95 Extende ſecundo, vt ſi vnus particularis ſit creditor vnius ex ſocijs alicuius ſocietatis, & ſit etiam debitor ſocietatis, non poſſit hoc debitum, quod habet cum ſocietate, compenſare cum credito, quod habet contra dictum ſocium, etiam ſi illud habeat occaſione alterius ſocietatis, niſi fuerit prius ſatisfactum creditoribus ſocietatis, vt ſecutus ſum ſupra q. 1. num. 450.

96 Subdeclara, reſtringendo eandem declarationem, vt procedat quando debitor duas exercebat negotiationes, vt loquitur text. in d. l. procuratoris. §. ſi plures. ff. de tribut. act. & locutus ſum in declaratione; ſecus, ſi vnam tantum exercebat negotiationem; quare ſi nummularius, ſeu bancherius exerceat ſolum menſam nummulariam, ſed tamen duos rationum libros conſcribat; alterum, in quo creditores banchi, & illius negotiationis deſcribat; alterum verò, in quo generaliter omnes ſuos creditores adnotet, etiam extra negotiationem banchi, tunc creditores, ſolutionem conſequi volentes, admittentur omnes in tributum; nec creditores banchi ſunt præferendi, quamuis libris menſæ nummulariæ maior præſtetur fides, quia publice tenerentur: hic enim nummularius vnam exercebat negotiationem, ideoq; creditores ſeparationem facere non poſſunt, latè Paul. de Caſtr. d. conſ. 285. lib. 1. & ex eo Stracch. tractat. de decoctor. par. vlt. num. 25. & 26. tom. 6. par. 1. fol. 328.

97 QVAERO quarto in cambio recurſæ, quis præſentet litteras campſori, ſeu eius agenti, eumq; requirat vt ſoluat ſibi ipſi, eoq; nolente eas acceptare, quis faciet proteſtationem?

Reſpondeo, quòd ipſemet campſor, ſeu eius agens præſentabit litteras ſibimetipſi, & requiret a ſe ipſo, an velit illas acceptare, & vbi nolit eas acceptare, reſpondebit ſibimetipſi, quòd non vult eas acceptare, & ſucceſſiuè faciet ſolitam proteſtationem, tanquam ſi litteræ eſſent præſentatæ alicui alteri, qui eas non acceptaſſet, Rot. Genuen.

98 deciſ. 2. erant ſub num. 36. † & forma huius requiſitionis, reſponſionis, & proteſtationis eſt ſequens.

Al nome di Dio ſia; l'anno mille ſeicento quattordeci, correndo l'indittione duodecima, à dì quindeci di Nouembre, conſtituto alla preſenza di me Gio. Maria Pinceto notaro, & cancelliero infraſcritto, & di teſtimonij ſotto nominati, il M. Franceſco Numio dimanda à ſe ſteſſo pagamento di ſcudi mille d'oro di marche per lettera di Roma di Lanfranco del Forno, reſponde non volerli pagare, la qual riſpoſta fatta, detto mag. Franceſco Numio per ogni meglior modo, ragione, via, & forma, per li quali meglio hà potuto, & può ſolennemente, & debitamente hà proteſtato, & proteſta contro detto Lanfranco del Forno, & qual ſi vogli ſuoi beni, & contro tutti coloro, quali per detto cambio foſſero obligati, & altri, a' quali aſpetta, & appartiene queſto cambio, & che poteſſe ſpettare, & appartenere così al preſente, come in l'auenire di tutti li danni, & intereſſi, miſſioni, cambij, recambij, ſpeſe fatte, & da farſi in l'aueuire per detto mag. Franceſco Numio per non eſſerli ſtata pagata detta partita, pendente la fiera de Santi, fatta nella preſente Città di Piacenza, & pigliare detta partita à ſpeſe, danni, intereſſi di detto Lanfranco del Forno, ò altri, à quali detto cambio apparteneſſe, ò poteſſe appartenere in qual ſi voglia modo in l'auentre, à cambio, e recambio, ò per Genoua, ò qual ſi voglia parte del mondo, delle quali coſe detto mag. Franceſco Numio hà richieſto me già detto notaro, & cancelliero, che le ne facci publico inſtromento, il quale li hò dato ſotto queſta forma, fatto in la detta Città di Piacenza l'anno, inditione, meſe, & giorno predetti, preſenti Scipione Panatero, & Aleſſandro Canonico, teſtimonij chiamati; ſegue la lettera.

Al magnif. Francesco Numio, Piacenza fiera de Santi 1614. à 10. Ottobre in Genoua scudi 1000. marche.

A pagamenti di fiera prossima de Santi pagate per questa prima di cambio à voi stesso scudi mille di marche, per la valuta hauuta nel cartulario della gabella de cambij dal vostro Francesco Numio di qui, & ponete à conto mio. à Dio.

Lanfranco del Forno.

A di detto li N. Tomasso Pinceto, & Gionanettino Bozzo publici mediatori di cambij hanno riferto per loro giuramento, essersi cambiato, pendente detta fiera, per Genoua à sol. settanta vno per scudo.

Gio. Maria Pinceto notaro, & di dette fiere cancelliero.

99 QVAERO quinto, quodnam ius acquiratur campsori creditori ex litterarum protestatione, de qua dixi num. præced. & §. seq. gl. 2. sub num. 16.

Respondeo, acquiri duplex ius. Primum, vt, facta protestatione, possit agere iuxta ea, quæ scripsi §. seq. gl. 2. sub nu. 3. Secundum, vt, stante protestatione, possit facilius consequi interesse, vel accipere cambio, & recambio expensis debitoris, iuxta ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. nu. 249.

§. 6. Glos. 2.

Ponete à mio conto.

SVMMARIVM.

Debitorem ponere quid sit, num. 1.

Obligatio contra mandantem nisi oriretur, societas humana non consisteret, num. 2.

Verborum, ponete à mio conto, *vsus vnde procedat, num.* 3.

1 PONERE aliquem debitorẽ nihil aliud est, quàm habere illum obligatũ pro suo vero debitore, vt satis explicaui supra §. 2. gl. 9. num. 1. & seqq. & ideo hic pluribus non insisto.

2 Nota primo, quòd etsi hęc verba videantur superflua, cum obligatio contra mandantem satis oriatur ex natura mandati in vim naturalis rationis, per ea, quæ scripsi supra §. 2. gl. 5. sub num. 358. quia nisi hæc obligatio oriretur, non reperirentur mandatarij, sicq; cessarent hæc mutua officia, sine quibus humana societas minime consisteret; tamen non sunt superflua, quia operantur id, quod scripsi d. glos. 9. num. 3.

3 Nota secundo, quòd istorum verborum vsus procedit etiam ex eo, quia mercatores, mandantes solutionem, quandoque ordinant mandatario, vt soluat non ad computum mandantis, sed super alio, iuxta ea, quæ scripsi supra §. 2. gl. 5. sub num. 358. & quandoque ordinant, vt ponat debitorem alium, sed tamen soluat super ipso mandante, iuxta formulam litterarum, de quibus supra §. 1. q. 5. sub num. 98. vers. magnifici. vnde, vt clarè appareat quis sit debitor, & quis remanere debeat obligatus pro solutione, exprimi solet in litteris; hunc q; ordinem, vt mandatarius soluat super alio, & ponat debitorem alium, dant mercatores, quando debitum, quod soluitur, spectat ad alium, quàm ad ipsum mandantem, vt in casu dictarum litterarum, de quibus in d. q. 5. sub num. 98. & in casu, de quo Io. Bapt. Lup. in cap. nauiganti. §. 2. num. 29. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 139.

De illis verbis, *valuta contami*, quæ continentur in hac eadem formula litterarum, vide quæ scripsi supra §. 2. gl. 8. num. 17.

§. 7. Glos. 1.

SVMMARIVM.

Statuta nituntur naturali rationi, quæ parit ius commune, num. 1.

Breuiores causæ quæ dicantur, num. 2.

Executio parata datur causis cambiorũ, sub n. 2.

Causa quando dicatur, num. 3. *&* 4.

EGIMVS hucusque de his, quæ pertinent ad iustitiam, & iniustitiam negotiationis cambiorum, & de ijs, quæ ad eiusdem negotiationis intelligentiam sunt necessaria, operæpretium est, vt nunc absoluamus ea, quæ spectant ad ordinem, & modum

modum procedendi iudicialiter super controuersijs, quæ super hac negotiatione orirentur; & quia hæc cambiorum negotiatio de sui natura celeritatem requirit, per ea, quæ scripsi S.seq.gl.1.num.1.& seqq. & super ea non est in iure prouisum, neque à Doctoribus est quicquam speciatim tradi-
1 tum, † ideo hunc ordinem pro introductione, & instructione generica sumemus ex statutis localibus, quæ naturali nituntur rationi, quæ parit ius commune, & quia pinguius cæteris disposuisse videntur statuta Genuensia; idcirco ea speciatim considerabimus; statuta Genuensia lib. 2. cap.4. habent rubricam *de causis breuioribus*. & in nigro hanc dispositionem.

In causis cambiorum, & recambiorum, de quibus constet per litteras cambij, scriptas, vel subscriptas, & acceptatas, vel quæ redierint cum protestatione, vel de quibus cambijs, & recambijs constet per partitam, scriptam in cartularijs S.Georgij, vel in cartulario cambiorum, aut per apodissam priuatam, vel per instrumentum publicum, in quibus expressè fiat mẽtio, aliquas pecunias fuisse datas cambio, vel fuisse solutas alicui, vel de ordine alicuius, qui promisisset, de ipsis pecunijs facere litteras cambij, teneatur Magistratus, postquam cesserit, & venerit dies obligationis, & faciendæ solutionis dicti cambij ad instantiam creditoris, vel habentis auctoritatem exigendi cambium, seu recambium, facere præceptum debitori, quòd soluat intra horas viginti quatuor, quibus transactis, teneatur licentiam expeditam concedere: Si verò cambium, vel recambium peteretur contra curatorem hæreditatis iacentis, vel peteretur, elapsis mensibus sex, postquam cessisset, & venisset dies ipsius, non concedatur licentia, quinprius petens promittat, & idoneam fideiussionem præstet de restituendo, quicquid indebitè exegerit vna cum damnis, interesse, & impensis, ac pœna triginta trium pro centenario.

Declarato, quòd supradicta executio possit fieri intra annos quatuor à die termini solutionis transacti, & non postea.

Simili modo procedi possit pro consignatione apodissarum cambij, quæ fieri promissæ fuissent.

A prædictis non possit appellari, nec reclamari, sed sint salua iura in ordinario talia qualia competunt.

2 QVAERO primo, quare hæ causæ, quæ in hoc continentur statuto cap.4. lib. 2. vocatæ sint breuiores?

Respondeo, licet nostri Doctores eas causas breuiores appellent, quæ sunt minimæ, parui momenti, vilisq; æstimationis, vt patet ex his, quæ scripsi in meo tract. de appell.q.17.num.14. & latins limit.40.num.1. & seqq.

Tamen placuit statuentibus eas vocare breuiores, quæ breui, & celeri manu expediri debent, sicq; breuitatem sumpserunt, non à summa, sed à modo agendi; vnde, satisfaciendo quæsito, cum statuta in his causis exigant breuiorem executionem, quàm in causis executiuis, vocarunt causas breuiores ad differentiam causarum executiuarum.

Hanc eandem celerem executionem contra litteras cambij, quæ protestatæ redeunt ad ciuitatem Bononiæ, concedunt illius ciuitatis capitula in cap. *quanto alle liti.* ordinando iudicibus, aut consulibus, vel notario, vt incontinenti absque citatione, & intimatione executionem relaxent, &c.

3 QVAERO secundo, quæ dicatur causa? Respondeo, causam dici tàm post litem contestatam, quàm ante, secundum communem opinionem, quam secutus sum in meo tract. de iudic.caus.&c. lib.2.cap.2.sub num.46. & in hoc non insisto, quicquid dixerit Curt. quem citaui ibidem num.47. dicens, causam dici post præstitam satisdationem, & quicquid scripserint alij, quos citaui d.num.46.& cap.1.nu.5. volentes, quòd causa, propriè loquendo, dicatur post litis contestationem; nam indubitata est sententia, quòd verba famulantur menti, & non mens verbis; ideoq; in primis ex mente interpretamur verba; imò hac eadem ratione interpretamur ea secundum subiectam materiam; recurrimus autem ad verborum proprietatem, & disputationem, quando nobis & mens loquentis, & ratio subiectæ materiæ deficit, & ita in mille, & eo amplius
4 locis videmus: † Cum autem in isto statuto constet ex subiecta materia, & ex necessaria statuentium mente, quòd causa dicitur ante litem contestatam, & ante satisdationem, cum neque litis contestatio, neque satisdatio adhibeantur, vana redditur hic Doctorum contentio de proprietate nominis causæ: sumitur enim causa in isto statuto pro quacunque controuersia, & petitione iudiciali, de cuius controuersiæ nomine vide quæ scripsi eod. cap.2. num. 50. & quòd statuta

statuta Genuensia ita sumant nomen causæ, tu id obseruare poteris in pluribus statutis, loquentibus de causa.

5 QVAERO tertio, quid sit cambium, & recambium?

Respondeo, quòd huic quæsito satisfeci supra §.1. quæst.4. num. 1. & seqq. & num. 38. & seqq.

§. 7. Glos. 2.

De quibus constet per litteras cambij, scriptas, vel subscriptas, & acceptatas, vel quæ redierint cum protestatione.

SVMMARIVM.

Litteræ cambij vnde dicantur, remissiuè, num. 1.

Subscribere est idem, quod scribere, remissiuè, num. 2.

Litteræ cambij non acceptatæ, vel non reuersæ cum protestatione, non habent executionem, num. 3.

Executio litterarum cambij quo ordine petatur, &c. num. 4. 5. *&* 13.

Adiectus solutioni litterarum, an possit agere, remissiuè, num. 6.

Acceptatio litterarum cambij quotuplex sit, remissiuè, num. 7.

Debitor litterarum cambij acceptatione litterarum non liberatur, nisi sequatur solutio, num. 8. *& seqq.*

Litteræ cambij quando dicantur redire cum protestatione, num. 12. *An possint redire cum protestatione, si alius velit sine ordine illas soluere, num.* 14.

Campsor, si litteras vel non misit, vel non fit protestatus, quid à campsorio consequi possit, remissiuè, num. 13.

Protestatione non facta, quod mandatario oriatur praiudicium, remissiuè, num. 15.

Protestatio litterarum cambij qualis sit, nu. 16. *&* 17.

Interesse lucri cessantis an debeatur primum solum, vel debeantur secundum, & vlterius, num. 18. *Quòd debeatur primum solum, eod. num.* 18. *in fine,* 19. *&* 20. *Contrarium est verum, num.* 21. *&* 23.

Interesse quot modis sumatur, num. 24. *Quidvè sit, num.* 25. *In quot diuidatur species, num.* 26. *De singulis eius speciebus, eod. num.* 26. *& seqq. remissiuè.*

Interesse alterius interesse an debeatur, num. 33. *& seqq. num.* 39. *& seqq. Resoluitur cum distinctione, sub num.* 41. *vers. resolutiue, & num.* 49. *& seqq.*

Infinitas est euitanda, num. 20.

Fructus fructuum debentur, num. 34.

Ratio naturalis præfertur legi positiuæ, sub n. 35.

Sensus certior est ratione, num. 35.

Pœnæ sunt temperandæ, non extendendæ, nu. 43.

Interesse eius, quod debetur pro pœna, non debetur, sub num. 41. *vers. primus. & num seqq. Extēditur primo, etiam si pœna sit conuentionalis, aut legalis, num.* 44. *Extenditur secundo, etiam si pœna sit adiecta speciei, vel facto, num.* 45. *Extenditur tertio, etiam si sit adiecta quantitati, num.* 46. *Extenditur quarto, etiam si is, cui debetur interesse, sit mercator, & solitus negotiari, num.* 47.

Interesse pœnale conuentum quando debeatur, remissiuè, num. 48.

Interesse alterius interesse in cambijs debetur, & quare, num. 50. *& seqq.*

Interesse alterius interesse lucri cessantis debetur pro quouis debito capitalis consistentis in quantitate, num. 56. *Secus si consistat in aliqua specie, puta, frumento, & similibus, num.* 57. *Hoc idem dicimus de interesse damni emergentis, num.* 60. *& seqq.*

Interesse cambiorum semper trānsit in capitale, sub num. 50. *vers. ratio. & num.* 51.

Interesse alterius interesse in infinitum qua ratione sit abhorrendum, num. 59.

Interesse an possit excedere summam capitalis, num. 63. *& seqq. Conciliantur opiniones, constituendo tamen conclusionem, vt interesse non possint excedere capitale, nu.* 69. *& seqq. Et quando possit adæquari capitali, num.* 83. *Et quando possit illud excedere, num.* 94. *& seqq.*

Interesse, secundum aliquos, non potest excedere capitale, quando creditor potest ad sui libitum repetere capitale; secus si non possit illud repetere, quia tunc potest excedere capitale, n. 65.

Distinguendo, ad veritatem propinquius accedimus, num. 66.

L. vnica, C. de sent. quæ pro eo, &c. est omnium difficillima, num. 67. *& sub num.* 70.

Alexander Magnus inexplicabilem nodum gladio abscidit, num. 68.

Inte-

1 QVAERO primo, vnde dicantur litteræ cambij, & quæ ſit earum natura, & forma?

Reſpondeo. Primæ parti huius quæſiti ſatisfeci ſup. §.1. q.3. num.13. verſ. litteræ. & ſecundæ parti ſatisfeci q.5. num.40.& ſeqq.

2 QVAERO ſecundo, quare ſtatutum æquiparet litteras ſcriptas, & litteras ſubſcriptas?

Reſpondeo, quia paria ſunt ſcribere, vel ſubſcribere ſolum, vt ſcripſi ſupra §.2. gloſ. 10. num.1. dummodo ſubſcriptio correſpectiuetur ſcripturæ antecedenti, quia eo modo, quo correſpectiuatur, eo modo habet vim totius ſcripturæ.

3 QVAERO tertio, quare ſtatutum non loquatur ſimpliciter de litteris cambij, ſcriptis, vel ſubſcriptis, ſed loquatur de litteris ſcriptis, vel ſubſcriptis, & acceptatis, vel quæ redierint cum proteſtatione?

Reſpondeo, quia ſtatutum hoc loquitur de concedenda executione pro litteris cambij, & litteræ cambij eam non poſſunt habere, niſi fuerint acceptatæ, aut redierint cum proteſtatione, vt in diuerſis locis huc uſque diximus, meritò ſtatutum loquitur de litteris acceptatis, vel quæ redierint cum proteſtatione; quare pro abſoluta huius reſponſionis intelligentia conſidero litteras cambij in duplici fine. Primus finis litterarum cambij eſt, vt probent creditum, & debitum cambij: & in iſto fine concludo, quòd litteræ ſcriptæ, vel ſubſcriptæ de per ſe ſolæ, & ſine alia acceptatione, vel reditu cum proteſtatione plenè probant, dummodo tamen ſint recognitæ; & hoc non habet difficultatem; & ſtatutum non loquitur de litteris ad hunc finem. Secundus finis litterarum cambij eſt, vt habeant executionem paratam; & in iſto fine, in quo ſtatutum eas conſiderauit, concludo, quòd litteræ non poſſunt habere executionem, niſi fuerint acceptatæ, vel redierint cum proteſtatione; quia debitor, accipiendo ad cambium, facit litteras, & virtualiter promittit creditori, quòd mandatarius, ſeu correſpondens ipſius debitoris ſoluet eas in tali loco, & tali tempore, vt ſatis colligitur ex ipſis litteris cambij, datis ipſi creditori; & iſte eſt contractus cambij, in quo non eſt locus pœnitentiæ, per ea, quæ ſcripſi ſup. §.2. gl.5. n.447.& ſeqq. vnde priuſquam campſor poſſit agere contra campſarium ad litterarum ſolutionem, debet apparere, an illæ litteræ fuerint acceptatæ & ſolutæ, prout inter eos fuit actum, & quando non fuerint ſolutæ, debet apparere, quòd campſor, ſeu alius nomine ipſius proteſtatus fuerit, per ea, quæ dixi d. gl. 5. ſub num.316.318.& 321.

4 Acceptatis litteris, & non ſolutis, vel non acceptatis, & ideo redeuntibus cum proteſtatione, ordo procedendi ad executionem litterarum contra campſarium, qui fecit litteras cambij, & contra fideiuſſores, ſi dati ſint, eſt, vt, facta recognitione litterarum, ſeu in contumaciam non recognoſcentis pronuntiatis pro recognitis, expediatur executio; proceſſu ſecundum ſtylum Curiæ Genuæ ſic in ſubſtantia formato. *Præcipitur de mandato MM. DD. Auditorum Rotæ executiuæ Genuæ Petro, vt intra horas 24. ſecuturas à præſenti præcepto, & limitato à ſtatuto*

tuto Genuæ de causis breuioribus, debeat soluisse Francisco scutos 101. 9. 9. marcharum, de quibus in litteris cambij, factis sub die 21. Octobris 1614. directis Placentiam Titio, & subscriptis per ipsum Petrum, quæ litteræ exhibentur, & hoc quia redierunt cum protestatione, vt ex ipsa protestatione, facta die 9. Nouembris eiusdem anni, subscripta per D. Io. Mariam Pincetum notarium, quæ etiam exhibentur, & interim compareat ad recognoscendum cum iuramento, an dictæ litteræ sint scriptæ, vel subscriptæ eius manu; opponendum &c. alias &c. Item quòd debeat constituere procuratorem: hoc fit quando citatus est de dominio extra ciuitatem Genuæ, sed si sit de ciuitate Genuæ, dicitur: *& interim non recedat in forma &c. alias citabitur in hostio Palatij, & hoc ad instantiam dicti Francisci:* Sed si hoc præceptum fieret ad instantiam procuratoris Francisci, loco Francisci diceretur, *procuratoris dicti Francisci, vt constat ex mandato procuræ sub die vltima Nouembris eiusdem anni subscripto per N. notarium, quod exhibet.*

5 Notificato per nuntium hoc præcepto, fit distributio causæ: & citatus potest, si vult, allegare notarium suspectum; & nuntius potest quandocunque facere relationem in calce præcepti, intimasse hoc præceptum, qua relatione facta, hoc præceptum insilatur in actis notarij; & deinde quandocunque ad instantiam eiusdem creditoris fit aliud præceptum sequentis tenoris. *Præcipitur de mandato M. D. Commissarij Petro, quatenus die prima iuridica in vesperis compareat coram dicto D. Commissario, & tota Rota, ad videndum pronuntiari, litteras pro recognitis, & successiuè videndum concedi licentiam.* Interim reus vel recognoscit litteras; vel non recognoscit, vel negat; esse manu sua scriptas: Si recognoscit, & non docet de solutione incontinenti, Rota concedit licentiam; Si non recognoscit, Rota pronuntiat, haberi pro recognitis, & successiuè licentiam concedit: Si negat, esse sua manu scriptas, actor facit articulum ad probandam litteraturam, & super eo examinat testes, citato reo cum termino ad dandum interrogatoria: Completo examine, si constat de litteratura, fit nouum præceptum ad instantiam actoris, quòd compareat prima die iuridica ad videndum concedi licentiam: & in termino præcepti Rota concedit licentiam.

Et breuiorem ordinem arbitror seruari in ciuitate Bononiæ ex capitulis, quæ citaui in gl. præced. num. 2. in fine.

At hic in Vrbe non vidi, instrumentis, & litteris cābij dari executionem aliter, quàm detur alijs obligationibus formæ cameræ.

6 QVAERO quarto, an adiectus solutioni litterarum possit agere contra debitorem?

Respondeo, quòd huic quæsito satisfeci supra S. 2. gl. 7. num. 2. & seqq. vbi latè materiam examinaui.

7 QVAERO quinto quid, & quotuplex sit hæc acceptatio litterarum, seu quot modis fiat?

Respondeo, quòd huic quæsito satisfeci supra S. 2. gl. 5. num. 332. & seqq. vers. declara primo. & num. 358. & seqq. ideo non repeto.

8 QVAERO sexto, an debitor, qui fecit litteras cambij, sit liberatus, secuta acceptatione litterarum?

Respondeo, quòd non, per ea, quæ scripsi supra S. 2. gl. 5. sub num. 322. & ita expressè est declaratum in ciuitate Bononiæ per cambiorum capitula, in cap. *& quando le dette lettere saranno state accettate, &c.*

9 Extende hanc responsionem, vt multò magis procedat, considerata sola litterarum acceptatione, quam facit campsor ipse, dum litteras, in quibus mandatur alicui, vt soluat, accipit, & recipit apertas de manu sui debitoris, quasi videatur vnà cum litteris acceptare pro suo debitore illum mandatarium campsarij; quia adhuc campsarius remanet efficacissimè obligatus pro illo cambio, seu litteris, vt secutus sum supra S. 2. gl. 5. num. 246. & seqq. vers. secunda. & num. 315.

10 Infertur hinc, quòd si mandatarius campsarij interim, antequam ei præsententur litteræ, efficiatur decoctus, seu ruptus, campsor poterit agere contra campsarium, qui fecit litteras, vt scripsi d. S. 2. gl. 5. num. 246. vers. secunda. iunctis num. 244. & 315.

11 Declara eandem responsionem, vt sit vera, quando acceptatio litterarum non includit nouationem, quia tunc procedit responsio, vt acceptatio litterarum nunquam liberet debitorem, per ea, quæ dixi d. S. 2. gl. 5. sub num. 315. & sub num. 322.

Secus quando acceptatio aliquarum litterarum induceret nouationem, seu delegationem, quia tunc ex illa nouatione campsarius debitor esset liberatus, vt in casibus, de quibus cōpiosè scripsi supra ead. glos. 5. sub num.

num. 244. & seqq. quod nota pro declaratione capitulorum Bononiæ, quæ citaui sup. sub num. 8.

12 QVAERO septimo, quid sit redire litteras cum protestatione?

Respondeo. Redire litteras cum protestatione dicimus, quando mandatarius debitoris litterarum cambij non acceptat, seu non soluit litteras, & mandatarius creditoris idcirco protestatur contra debitorem de interesse, damnis, & impensis; & deinde remittit easdem litteras cũ protestatione ad creditorem, qui tunc poterit agere contra debitorem, vt dixi supra sub num. 3. alias si ille mandatarius, seu procurator creditoris non faceret protestationem, litteræ peculiari loquendi modo dicerentur redire inanes; essent enim inanes in solutione, & in protestatione.

13 QVAERO octauo, an creditor, qui dedit cambio, & non misit litteras, vel si misit, redierint inanes sine protestatione, possit nihilominus agere contra debitorem vigore instrumenti, seu apodissæ, seu extractus cartularij S. Georgij, cum de cambij contractu his omnibus modis apparere posse, dixerim supra §. 1. q. 5. num. 10. & seqq. & num. 15. vers. secundus. & num. 17. vers. tertium.

Huic quæsito satisfeci in gl. seq. num. 82. & seqq. ideo non repeto, vide ibi.

14 QVAERO nono, an litteræ possint redire cum protestatione; si alius sine ordine velit eas liberè, vel supra protestu soluere?

Respondeo, quòd non, quia creditor non potest protestari litteras contra debitorem, nisi in casu, quo litteræ sibi non soluantur: vnde si supponamus, eas solui, eumescit difficultas.

15 QVAERO decimo, si procurator, seu mandatarius, cui soluendæ sunt litteræ, & non soluuntur, non protestetur, præiudicium cui causabitur?

Huic quæsito satisfeci supra §. 2. glos. 5. num. 318. vers. extende secundò. ideo hic non repeto.

16 QVAERO vndecimo, quæ sit forma protestationis, quando litteræ non acceptantur, seu non soluuntur?

Respondeo, distinguendo duos casus.

Primus casus est, quando protestatio fit in nundinis: & isto casu, formula, quam sæpius vidi, est illa prorsus, quam posui §. præcedenti glos. 1. num. 98. mutatis mutandis, vt in sequenti formula extensa.

Al nome di Dio sia; l'anno mille seicento quattordeci, correndo l'inditione duodecima, à dì quindeci di Nouembre, constituto alla presenza di me Gio. Maria Pinceto notaro, & cancelliero infrascritto, & de testimonij sotto nominati, il Mag. Francesco Numio dimanda al Mag. Antonio Bezado pagamento di scudi mille d'oro di marche, per lettera di Roma di Pietro Paolo Lupo, risponde nõ volerli pagare, laqual risposta fatta, detto mag. Frãcesco Numio per ogni meglior modo, ragione, via, & forma, per li quali meglio hà potuto, e può, solennemente, & debitamente hà protestato, & protesta contra detto Pietro Paolo Lupo, & qual si vogli suoi beni, & contra tutti coloro, quali per detto cãbio, & debito fossero obligati, & altri, a' quali aspetta, & appartiene questo cãbio, e debito, e che potesse spettare, & appartenere così al presẽte, come in l'auenire di tutti li danni, & interessi, missioni, cambij, recambij, spese fatte, & da farsi in l'auenire per detto mag. Francesco Numio, per non esserli stata pagata detta partita, pendente la fiera de Santi, fatta nella presente Città di Piacenza, e pigliare detta partita à spese, danni, & interessi di detto Pietro Paolo Lupo, ò altri, à quali detto cambio, e debito appartenesse, ò potesse appartenere in qual si voglia modo in l'auenire, à cambio, e recambio, ò per Roma, ò qual si voglia parte del mondo, delle quali cose detto mag. Francesco Numio hà richiesto me già detto notaro, & cancelliero, che le ne facci publico instromento, il quale li hò dato sotto questa forma, fatto in la detta Città di Piacenza l'anno, indittione, mese, & giorno predetti, presenti Scipione Panatero, & Alessandro Caponico, testimonij chiamati; segue il tenor della lettera.

Al magnif. Sig. Antonio Bezado, Piacenza fiera de Santi.

1614. à dì 5. Ottobre in Roma, scudi 1000. marche.

A pagamenti di fiera prossima de Santi pagate per questa prima di cambio scudi mille di marche al Mag. Francesco Numio, cambiati con il Sig. Gio. Rotoli, & ponete come si auisa.

Pietro Paolo Lupo.

A dì detto li N. Tomasso Pinceto, & Giouanettino Bozzo publici mediatori di cambij hanno riferto per loro giuramento, esser si cambiato, pendente detta fiera, per Roma à ducati cento due per scudi cento di marche.

Gio.

Gio. Maria Pinceto notaro, & di dette fiere cancelliero.

17 Secundus casus est, quando hæc protestatio fit in alijs locis, puta, in ciuitate Genuæ; & tunc seruatur eadem forma, mutatis mutandis, sed hanc protestationem in ciuitate Genuæ debet præcedere præceptum, de quo in eius statutis lib. 4. cap. 15. §. prohibitum.

18 QVAERO duodecimo, an cambiorum lucrum, seu interesse, de quo in protestatione, posita supra sub num. 16. debeatur primum tantum, vel etiam secundum, & deinceps.

Antequam ad huius quæstionis resolutionem deueniam, præmitto, quòd hæc quæstio, & quæ ei connexa sunt, pendent à l. vnica, C. de sent. quæ pro eo, &c. quæ est vna de difficilioribus totius C. & habet materiam profundissimam, & longissimam, & est ita obscura, sicut alia, quæ sit in corpore iuris, & amplectitur mare amplissimum, in quo pauci sine periculo nauigarunt, & propter eius subiectam materiam turbatur totus mundus, vt ex Bar. Bal. & alijs sequitur Rebuff. in eiusdem l. præfatione, num. 1. & quare turbetur, rationem reddo, quia illa duo pronomina, *meum, & tuum*, quæ turbarunt otium humanum, vt dixi supra §. 1. q. 1. num. 41. processerunt ab interesse, quod est materia dictæ l. vnicæ, eiusdemq; legis difficultatem, & obscuritatem extollit etiam Cagn. in ea, num. 1. & non esse in mundo statutum ita obscurum, sicut est ista lex, refert Cyn. quem citaui infra num. 67. imò aliquos propter magnam difficultatem, & legi & legislatori obstrepere, retuli ibidem, & malè fecisse Imperatorem, qui non expressit casus huius legis, scribit idem Cyn. quem retuli infra num. 70.

Verum alius in ead. l. num. 6. hac tanta difficultatis, atque formidinis exclamatione, qua ipsi cæteros terrere videntur, paruifacta, difficultatem, non ex lege, sed ex ipsorum imperitia processisse audacter affirmat, dicens, quòd hæc l. nullam obscuritatem, aut difficultatem in se continet, nec vllam omnino dissonantiam cum reliquis iuribus, innumeras autem, inquit, ambiguitates, & contrarietates, quas hucusque Gl. & Doct. inuenerunt, non in legibus ipsis inuenerunt, sed ex se se inuexerunt, & postea, inquit, ex hoc nouo, breuiq; veritatis sermone patere, hydram illam hactenus inuictam, quæ omnium Doctorum ingenia tot seculis torsit, vt, vno capite sublato, plurima renascerentur, prorsus enecaram, & abolitam, multaq; alia similia tangit sub num. 1. 7. sub num. 13. 17. 18. 21. & seqq. 37. in fine, 38. & sub n. 40. quę, cum ad sui ingenij, & doctrinæ ostentationem, aliorumque vilipendium tendant, omitto.

Huius Doctoris verba displicuerũt Rebuffo, qui propterea in præfatione eiusdem l. sub num. 2. alibi initio, de eo intelligens, vt arbitror, multa contra eum contumeliosa protulit verba, ex quibus etiam verbis conijcere licet, qui sit ille Doctor. Sed Rebuff. sit eius pace dictum, debuisset diluere ea, quæ hic Doct. adducit cõtra sententias aliorum; alioquin videntur confirmata, cum ei videatur defecisse responsio & defecisse coniecturare licet, quia etsi Doctor iste nimis audacter, peruicax, ac refractariè videatur locutus, & modestius loqui debuisset, tamen, si veritatẽ amamus, eruditissimos in ea l. commentarios edidit, & in hoc emẽdandus non erit, quòd Imperatoris legẽ à tot Doctorum querelis validè nititur vindicare, & studiosis animum facit; in reliquis autẽ horum commentariorum auctoritas nec à me citabitur, nec ab alio citanda est, donec superiorum iudicio ad publicam emendentur vtilitatem, vbi emendatione opus fuerit.

Hoc præmisso, respondeo ad quæsitum, distinguendo duos articulos.

Primus articulus est, de interesse lucri cessantis.

Secundus est, de interesse damni emergentis.

Venio ad primum articulum, de interesse lucri cessantis; & quò solidiorem habeamus resolutionem, formo duas opiniones.

Prima opinio est negatiua, quòd cambiorum lucrum, seu interesse debeatur primum tantum, sicq; pro primo anno, seu pro prima negotiatione, & non pro annis successiuis hancq; opinionem in puncto iuris videtur secutus Curt. Iun. in d. l. vnica, col. 19. & seqq. C. de sent. quæ pro eo, &c. licet relinquat maturius cogitandum.

19 Confirmatur primo hæc opinio, quia alias daretur processus in infinitum, & infinitas est euitanda, l. vnica, C. de sent. quæ pro eo, &c. nam si debetur aliud, quàm primum, sequitur, quòd eadem ratione debeatur aliud, quàm secundum, & sic deinceps sine fine, quia in infinitate non reperi-

tur profundum, Rebuff. in d.l.vnica, not. 1. initio, vers. ideo in eis. quam confirmationem pluribus ampliationibus, & limitationibus exornat ibidem num.3.& seqq. hacq; ratione euitandæ infinitatis vtuntur Bal. consi.303. ad euidentiam. sub num. 3. vers. quæro vtrum. lib.1.in impressis Lugduni ad signum Leonis anno 1559. & alij, dum tenent, pacto retrouendendi quandocunque, & in infinitum, præscribi adhuc spatio triginta annorum, vt secutus sum infra glos.7. sub num 3.illat. 1.

20 Confirmatur secundo, quia licet in solito negotiari consideretur interesse etiam lucri cessantis, tamen considerandum est primum lucrum, quod immediatè considerari potest ex mora, non autem debet attendi, quòd si rem debitam habuisset, illam vendere potuisset, & rursus ex illis pecunijs lucrari: talis enim discursus fieri non debet circa interesse, quia res procederet in infinitum; hæc sunt, quæ obscurè, non clarè se explicando, scripsit Dec.in cap.7.cum venerabilis. num. 61. vers. sed retenta communi. de except. quem sequuntur Gabr.in concl. lib.3. tit.de solut.concl.10.num.5. limit.2.dicens, posse peti lucrum, quod quis principaliter fecisset, non autem, quod secundario, Stracch. tract.de mercat.par.4. tit.de contract. mercat.num.4.tom.6.par.1.fol.298.& Rot.Genuen. decis.87. ioannes stephanus. num. 8. in fine.

Consolidari videtur hæc confirmatio, quia hac ipsa ratione, ne reiteretur interesse, Theologi, vt plurimum, damnabant recambia, vt scripsi supra §.1.q.7.par.1.n.98.

21 Secunda opinio contraria precedenti est, quòd interesse debeatur non solum pro primo anno, sed etiam pro sequentibus; & hanc opinionem, testando eam practicari, sequitur Cagn.in d.l.vnica.num.45.in 2.dubitatione, quem videntur secuti Gabr. d. concl. 10.in fine, limit.3. sub num.6.& Ioan.Bapt. Lup.in l.curabit.§.6. sub num. 19. vers. sed contrarium. & num. 20. vers. sed aduertendum. C.de act.empt. inter tract.diuers.tom. 7. fol. 121. dum recitat in effectu tres conculcatas Cagnoli conclusiones. Primam, quòd interesse debeatur non solum pro primo anno, sed etiam pro omni tempore, quo durabit mora. Secundam, quòd istud interesse debeatur ad rationem decem pro centenario. Tertiam, quòd debeatur etiam interesse alterius interesse, & postea impugnat has duas postremas tantum, & sic admittit primam; hacq; opinio in cambiorum interesse, de quo loquimur, videtur approbata in Vrbe, dum, sedentibus Pijs IV. & V. fuit ordinatum, vt mercatores non possent partitas cambire, & augere, sed eorum interesse liquidaretur ad certam summam pro primo anno, & ad aliam minorem pro sequentibus annis, vt retuli supra §.1. q.7. par.1, num.55. vers.imò.

Comprobatur primo hæc opinio ex sententia eorum, qui tenent, deberi interesse alterius interesse; ita vt primo anno, seu alio primo termino debeatur capitale cum interesse, & secundo termino debeatur tam interesse illius capitalis, quàm interesse illius interesse decursi pro primo termino, & sic deinceps, conuertendo semper interesse, & interesse alterius interesse in capitale, vt retuli infra num.33.

22 Comprobatur secundo, quia si interesse debetur propter moram qualificatam, & ista mora qualificata ita stat in primo anno, sicut in sequentibus; ergo ita debetur pro primo anno, sicut pro sequentibus.

23 Retenta hac secunda opinione, quam in interesse cambiorum seruant vbique campsores, & præcipue Genuenses, nulla admissa vnquam controuersia.

Respondeo ad Dec.quē pro cōtraria opinione citauimus sup.nu.20.in secunda confirmatione, quòd etsi obscurè locutus sit, tamen voluit dicere, quòd non debetur interesse alterius interesse, alias certè videretur ineptè locutus, & ita eum citauimus infra num.39. nec voluit dicere, prout eum intellexit Cagn.In d.l. vnica, sub num. 46. vers. tertio quia. versus finem, C.de sent.quæ pro eo, &c. videlicet, quòd bis peti non potest interesse eiusdem rei, quia non debeat quis velle duas molituras (vt vulgo dicitur) ex eodem sacco frumenti; de hoc enim nulla poterat esse dubitatio.

Aduerte primo, quòd etsi Doctores loquantur de interesse, seu lucris annalibus, idest in primo, & successiuis annis, tamen idem est in lucris non annalibus, sed breuioribus, vt in lucro cambiorum, iuxta numerum nundinarum, de quibus scripsi supra §.2.gl.4.num.3.

24 Aduerte secundo, quòd interesse sumitur multis modis, quos enumerat Rebuff. in l. vnica, in præfatione. num. 69. & seqq. in 3. quæstione, vsque ad num. 78. inclusiuè

uè; C. de sentent. quæ pro eo, &c.

25 Aduerte tertio, quòd interesse à nobis sumi debet pro quadam damni emergentis, aut lucri cessantis æstimatione, quæ fit pecunia, qua res regulariter æstimantur; Rebuff. d. num. 78. nam interesse refertur ad damnum, & ad lucrum, l. 13. si commissa, ff. rem rat. hab. *quantum mihi abest, quantumq; lucrari potui*; & vlterius non insisto, quia varias interesse definitiones, deq; eis controuersias recensere, esset magis laboriosum, quàm vtile; refero solum, quòd contra Glos. definientem, interesse esse damnum emergens, insurgit Iacob. de Rauen. dicens, hoc non esse verum, imò falsissimum; nam, inquit, petens interesse, peteret damnum, vt refert Cyn. in d. l. vnica, sub num. 12. &, defendendo Glossam, & reprehendendo Iacob. de Rauen. quòd phantasticè, & irrationabiliter locutus sit, & sit trussa; dum dicit contra Gl. petis interesse, petis damnum, damnum petis, damnum habes, scribit Bal. in d. l. vnica, sub num. 9. col. 2. vers. venio ad gl. si tamen multas definitiones libeat videre, eas inuenies apud Rebuffum in d. l. vnica, in gl. prout. num. 7. vers. in tertia parte, sub num. 11. vers. quinto inæstimabile, num. 21. 22. & 23. vbi plures plurium definitiones, impugnationes, & concordiam ponit.

26 Aduerte quartò, quòd hoc interesse diuiditur communiter in tres species: Prima dicitur interesse conuentum, seu conuentionale: Secunda dicitur interesse commune: Tertia dicitur interesse singulare; Gl. 1. & in verbo, duplici, & ibi Doct. in d. l. vnica, C. de sent. quæ pro eo, &c. & in hac triplici specie, re subtiliter, & plenè discussa, residet Dyn. in breui tractatulo de interesse, num. 11. vers. nunc respondeo, & num. 12. & 13. tom. 5. fol. 7. hancq; diuisionē esse communiter receptam, & ab ea Dynum non discessisse, scribit etiam Alc. in d. l. vnica, sub num. 27. & 28. inter tractat. diuers. tom. 5. fol. 10. alij tamen sunt, qui hanc diuisionem reprehendunt, eo quòd in nostra subiecta materia, de qua agimus, interesse semper sit casuale, & singulare ipsi damnificato, & ab eo specialiter, & particulariter ex causis suis, & circumstantijs particularibus, quæ semper singulares sunt, sit probandum; quare, diuisionem totius interesse reducunt ad hos terminos, à iure introductos, videlicet, res principalis, seu eius æstimatio, item causæ rei, quæ est accessio naturalis, vel quasi vtilitas circa rem, quæ est æstimatio quanti plurimi à tempore moræ, & interesse, specialiter sumptum, quod est damnum extrinsecus incursum, vel lucrum amissum: sed, quicquid isti scripserint, & quicquid contra eandem diuisionem, firmando, interesse esse vnum tantum, scribat Ant. Fum. tract. de eo quod interest. num. 13. & seqq. præsertim num. 15. & sub num. 20. tom. 5. fol. 15. ego, quia tota hæc disceptatio videtur inutilis, non discedam à præfata tripartita diuisione communi, quamuis tertiæ speciei, nempe interesse singulari repugnare videatur, quod scripsi inf. sub nu. 89. in 1. motiuo.

27 Interesse conuentum, omissa disputatione, & euitata obscuritate, est pecunia, conuentione partium promissa in defectum primæ conuentionis non completæ, & pecuniæ appellatione intelligo omnem rem; quare, si domum tibi vendo centum, &, si non tradidero, promitto quinquaginta pro eo, quod interest, & non tradam, tu poteris agere ad quinquaginta promissa, Rebuff. in d. l. vnica, in gl. 1. num. 57. & seqq. iunctis, quæ scribit num. 55. & 56. fol. 392.

28 Interesse commune est æstimatio damni emergentis, aut lucri cessantis, communiter facienda ab omnibus, rei notitiam habentibus propter factum iniustum, vel cessationem iniustam; quare si mutuauerim tibi vinum, quod debebas reddere Kalendis Iulij, non reddis; postea vinum valuit decem aureis; Iudex condemnabit te ad reddendū vinū, quod si tempore sententiæ valeat solum quattuor, cōpellet te ad reddendū sex aureos vltra vinū, Rebuff. in d. gl. 1. nu. 82. & seqq. adde quæ scripsi infra nu. 104. alias tamen posuit descriptiones nu. 81. quas impugnat.

29 Interesse singulare est æstimatio vtilitatis singularis, ob factum alterius iniustum, vel cessationem proueniens; quare, si commodauerim tibi librum meum, plenum apostillis, & remissionibus: non reddis; debes condemnari non tantum ad pretium commune libri, sed ad vtilitatem singularem meam, vt latius explicat Rebuff. in d. gl. 1. num. 87. & 88. plures tamen alias descriptiones, quas poteris videre, ponit ibidem num. 85. & 86.

30 Reliquas interesse species, quas Cyn. Bar. & alij posuerunt in d. l. vnica, & præsertim Iacob. Renal. qui cumulauit viginti, & octo, videlicet octo secundum substantiam, & reliquas secundum accidens, videntur inutiles, vt censuerunt alij in d. l. vnica,

num.7. in fine, & num. 12. & 13. ideo eas prætereo.

Indicabo tamen, vbi tu, si velis, possis eas videre.

De interesse affectionis vide eundem Rebuff. d.gl. 1. num. 89. & seqq.

31 De interesse, proueniente ex delicto, ex quasi delicto, ex contractu, ex quasi contractu, vide eundem Rebuff. in d.gl. 1. nu. 128. & seqq. in l. 1. C. de sent. quæ pro eo, &c.

32 De interesse publico, & priuato. De interesse vltionis. De interesse pudoris; vide Rebuff. in d.l. vnica, in gl. 1. nu. 132. & seqq. num. 141. & 143. De interesse circa rem, quod vocant intra rem, & intrinsecum, & extra rem, quod vocant extrinsecum, seu remotum, vide eundem num. 149. & seqq. & de alijs speciebus, ne prolixior sim, vide eundem num. 144. & seqq. & demum omnes species, & quotquot sunt, resolui in illas tres, de quibus supra nu. 26. scribit Alc. in d.l. vnica, num. 27.

33 Extende nunc eandem secundam opinionem, quam tenuimus supra num. 21. vt non solum debeatur primum, secundum, & vlterius interesse, vt dixi, sed debeatur etiam interesse primi interesse, & sic deinceps; ita vt debeatur interesse alterius interesse, tam prima, & secunda vice, quàm alijs futuris vicibus, Ruin. cons. 103. quamuis. num. 4. vers. sed tamen præmissis. præsertim in vers. non obstat. lib. 1. & cons. 55. de obligatione. versus finem, sub nu. 20. vers. secundo etiam. lib. 2. Cagn. in l. vnica, num. 45. & 46. vers. nunquid. C. de sent. quæ pro eo, &c. & in l. curabit. num. 69. C. de act. empt. Rot. Genuen. in hoc sibi parum constans decis. 154. in Dei nomine. num. 3. in vltimis verbis, & num. 4. & quòd ista sit veritas, sæpè consuluerit, obtinuerit, & viderit iudicatum, scribit Cagn. in d.l. curabit. sub nu. 69. & quòd ita sæpe fuerit obtentum, & per Senatum Sereniss. Ducis Sabaudiæ iudicatum, præsertim in causa Ghignorum de Cherio, & Scarallæ ciuis, & mercatoris Sauonæ contra Garexium, in qua causa, 1200. aureos, lapsu annorum vigintiquinque ad rationem decem pro centenario, computato etiam interesse alterius interesse, ascendisse ad summam aureorum 24. millium cum expensis, refert idem Cagn. in d.l. vnica, sub num. 48. vers. vltimo non obstat. hanc sententiam, alijs citatis, sequitur, & defendit Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. reuocauit. num. 31. & seqq. vers. dubitatio. etc. 6. & quòd hodie adeo apud homines grassetur auaritia, & lucri cupiditas, vt vsurarum vsuras semper in infinitum augeantur, quousque reddatur sors principalis, & qui hoc reprehédit, quasi ridiculus exhibiletur, atque explodatur, testatur Bonini. tract. de vendit. ad temp. cap. 3. num. 16. in fine, & num. 17. & ita passim in interesse cambiorum, seu ad eorum rationem seruant, sine vllo dubitandi motu, Genuenses, quinimò ipsi de hoc quandoque conueniunt per pactum expressum, his verbis in eorum idiomate conceptum; *che possi rebiuuire, & recbiuuire*, vt habes in instrumenti formula, quam posui supra §. 1. q. 5. sub n. 14. & ab hac extensione, & praxi non videtur multu distare multiplicatio, quam seruant hic in Vrbe, vt dixi infra num. 54.

34 Confirmatur primo hæc extensio, quia vbi sunt restituendi fructus, veniunt etiam fructus fructuum, Gl. 1. in l. si a. sed & partus. ff. quod met. caus. & quòd petens aliquid ex omni causa, dicatur petere etiã partus partuum, & fructus fructuum, qui non veniren sub simplici appellatione fructuum sine illis verbis, *cum omni causa*, scribit Alex. in l. cum fundus. initio, & num. 1. ff. si cert. pet. & quòd ex fructibus possint procedere fructus, sicquè ex interesse aliud interesse, ostendi infra nu. 54. & 55. & quòd in actione pro socio, lucro, quod est accessio, detur alia accessio, quia hæc accessio non præstatur, vt vsura, sed, vt interesse, scribit Gl. in l. 61. socium qui in eo. in verbo, labeo ait. ff. pro soc. & adde quod scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 137. restrict. 4.

35 Confirmatur secundo, quia vbi dubitatur de intellectu legis, recurrendum est ad rationem naturalem, vt sequitur Rebuff. in d.l. vnica, not. 11. num. 6. vers. & quando. C. de sent. quæ pro eo, &c. imò sicut quærere rationem, vbi habemus sensum, est infirmitas intellectus, vt ex Auerroe sequitur Bal. cons. 360. quia quæstio ista. num. 3. lib. 3. & ex eo Rebuff. d. not. 11. num. 4. vers. & quærere. ita etiam vbi habemus rationem naturalem, superfluum videtur quærere legem positiuam, quia lex positiua debet muniri ratione naturali, Rebuff. d. not. 11. num. 4. & bene ad hoc text. in cap. 5. consuetudo. dist. 1.

36 Sed interesse debetur de iure naturali, vt secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 96. & debetur propter culpam, & moram

ram debitoris, & ista mora, & culpa debitoris non magis potest considerari in primo interesse capitalis, quàm in interesse alterius interesse; vt, posito exemplo, declarat Cagn. in d.l. vnica, sub num. 46. vers. tertio quia. ergo, si non haberemus legem positiuam, quæ clarè hunc decideret articulum, debemus recurrere ad istam rationem naturalem.

37 Confirmatur tertio, quia ita debetur interesse lucri cessantis, sicut damni emergentis, vt scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 269. sed interesse damni emergentis debetur omni ex parte, vt dixi infra num. 61. & 62. ergo & interesse lucri cessantis.

38 Confirmatur quarto, loquendo de interesse cambiorum, quia contractus cambij est contractus emptionis, & venditionis, vt dixi supra §. 1. q. 4. num. 21. vel saltem ab eo sumit regulam.

Sed in contractu emptionis, & venditionis mercium venditor potest vendere Titio mercem in summo pretio, & postea potest ab eodem reemere in infimo pretio, vt secutus sum supra §. 1. q. 1. sub num. 572. & demum, si idem Titius ex interuallo denuo indigeret eadem merce, & eam vellet emere, & similiter adessent tria pretia, posset idem venditor eidem vendere in summo pretio, quamuis excederet primum, quo vendidit in prima venditione; quòd si idem Titius postea vellet reuendere, posset idem venditor reemere etiam infimo pretio, quamuis esset magis infimum, quàm fuerit primum, quo reuendidit in prima reuenditione, & sic deinceps, dummodo illa pretia summum, & infimum sint ex illis tribus pretijs iustis, de quibus dixi d. num. 572. & supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 101. & dummodo omnia fiant bona fide.

Ergo in contractu cambij per eiusmodi emptiones, & reuenditiones potest semper augeri sors, seruata iustitia pretij.

39 Contra hanc extensionem; quòd enim interesse alterius interesse non debeatur, tenent Rebuff. in l. vnica, in gl. in verbo, dupli. sub nu. 2. vers. præterea interesse. & Bologn. num. 20. & 21. C. de sent. quæ pro eo, &c. Io. Bapt. Lup. in l. curabit. §. 6. sub num. 20. vers. sed aduertendum. ibi, similiter dum. C. de act. empt. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 121. Rot. Genuen. sibi in hoc parum constans, decis. 87. ioannes stephanus. num. 8. in fine, & num. 9. Rot. diuers. decis. 315. diu fuit. num. 8. par. 2. & hoc sentit in effectu Dec. quem citaui supra num. 20. & 23. & quòd si fructus petantur, vt interesse, non veniat in hoc interesse, si quid creditor, fortè mercator, ex negotiatione fructuum, vel pretij potuisset superlucrari, sed tantum æstimatio fructuum, quia non datur accessio accessionis; cæterum, si non de simplici cessatione, sed de mora dolosa constaret, tunc fieret æstimatio fructuum, non communis, sed quanti plurimi suo quoque anno dumtaxat valuerunt, scribunt alij in d. l. vnica, num. 216. & quòd mutuatarius, qui teneatur ad interesse mutui, teneatur solum ad interesse propinquum, & non ad interesse remotum, ideoq; si mutuator erat empturus gallinam, à cuius emptione cessauit, vt mutuaret, & ex gallina erat suscepturus oua, & ex ouis sperabat pullos, & pullas, ex quibus sperabat alia oua, & sic deinceps, mutuatarius teneatur solum ad primum interesse, quod est proximum, & non ad secundum, quod est remotum, quod procederet in infinitum, & ita etiam dicendum sit in interesse damni emergentis, scribit Medin. in suis tractat. tom. 2. tit. de reb. acquis. per vsur. q. 3. in secunda causa, in fine, vers. circa interesse, fol. 330. in fine, & 331. hæcq; contraria opinio benè videtur probari ex l. 22. si sterilis. §. cum per venditorem. ff. de act. empt. vbi ait Iureconsul. *eum per venditorem steterit, quominus rem tradat, omnis vtilitas emptoris in æstimationem venit, quæ modo circa rem consistit: neque enim si potuit ex vino, puta negotiari, & lucrum facere, id æstimandum est, non magis, quàm si triticum emerit, & ob eam rem, quòd non sit traditum, familia eius fame laborauerit: nam pretium tritici, non seruorum, fame necatorum, consequitur: nec enim maior fit obligatio, quòd tardius agitur; quamuis æstimatio crescat, si vinum hodie pluris sit, merito, quia siue datum esset, hoc haberet emptor, siue non, quoniam saltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit.* & quòd antea ex vsuris vsuræ non caperentur, at nunc cambiorum cambia corradantur, scribit, eas tacitè improbando, Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa mutua, num. 280. in fine, & quòd si interesse conuerteretur in capitale, de quo solueretur aliud interesse, sit anatocismus, superfœtatio, & fœnoris renouatio, quæ est prohibita de iure ciuili, scribit Rot. diuers. d. nu. 8. & quòd sit forma anatocismi, ab omnibus execrata, scribit Io. Bapt. Lup. sub d. nu. 20.

& quòd vſura vſuræ à Cic. in pluribus locis vocetur anatociſmus, oſtendunt, locis citatis, Hier.Groſſor.in l.lecta. num.6. ff.ſi cert. pet.inter Repet.tom.2.fol.118. Couar. var. reſolut.lib.3.cap.1.ſub num.5.verſ.ſupereſt. Io.Bapt.Lup.in d.l.curabit. §.3. num.2. fol. 115. & Boninſeg tract. de vendit. ad temp. cap.3. num.16. & quòd quamuis de iure ciuili permittantur vſuræ, tamen vſuræ vſurarum ſint prohibitæ, ſcribunt Boninſeg.d. cap.3.num.15.in fine, & 16. & Io. Azor. de inſtit.moral.par.3.lib.5. tit. de vſur.cap.2. q.3.verſ.ſed re vera. & verſ.at verò vſuræ.& quòd vſuræ vſurarum dotis, etiam promiſſæ, non debeantur, nec de iure ciuili, nec de iure canonico, vti omnino prohibitæ, licet nonnulli ex ſtirpe Iudæorum contrarium auſi fuerint affirmare in ſolito negotiari, ſcribit Borgn.deciſ.26. venerandus. ſub nu. 25.par.3.& quòd Pius V. in contractu cenſus prohibuerit, cenſum contrahi ex fructibus eiuſdem cenſus decurſis & non ſolutis, quia vſuræ non debent facere nouam vſuram, ſcribit Virgin.de Boccat. tract. de cenſib.par.2.num.61.& par.3.num.36. hancq; contrariam opinionem virtualiter amplexa videtur reformatio, ſeu taxatio pro intereſſibus cambiorum Vrbis, dum, nulla facta mentione de intereſſe alterius intereſſe, ſeu de intereſſe,conuertendo in capitale, taxauit ſolum intereſſe primi,& ſequentium annorum,vt retuli ſupra §.1.q.7. par.1. nu.55.

40 Comprobatur hęc contraria opinio,quia habemus textum apertum in l. fin. C. de vſur. qui prohibet expreſsè vſuram vſuræ,& ad litteram, ne vſura conuertatur in capitale, quod idem prohibet tex. in l. 29. placuit. ff.eod. ergo, cum habeamus caſum legis, facimus iniuriam legi, diſputando.

41 Quid dicendum?Reſolutio huius controuerſiæ eſt difficilis, quia Cagn. qui in d. l. vnica,num.45.& 46.defendit extenſionem, nititur reſpondere argumentis huius contrariæ opinionis, & Io. Bapt. Lup. qui in d. §.6.ſub num.20.tenet hanc contrariam, nititur reſpódere eiuſdem Cagnoli argumentis, & Ruin. in illo conſ. 55. non benè ſe explicat, vnde licet nos eum citauerimus pro extenſione, tamẽ ab iiſdẽ Cagn.& Io.Bapt. Lup. citatur pro hac opinione contraria, & libentiſsimè legiſſem, quid de hoc expreſsè ſentiret Rot. diuerſ. deciſ.331. ſententiam. verſ.non obſtat taxatio. lunæ 6.Iunij 1611. in Ianuen. pecuniaria, coram Illuſtriſsimo Card.Lancellotto, in impreſsis Romæ 1615. quia etſi informantes pro parte Iacobi, vt in eorum informationibus vidi, impugnarent illud mutuum ex eo, quòd intereſſe conuertebatur in capitale,ſicq; mutuatarius ſoluebat intereſſe alterius intereſſe, tamẽ in ea deciſ.nõ legitur, quòd Rot.ſuper hoc aliquod dederit reſponſum; verum cum adhuc iudicauerit contra Iacobũ, illud mutuũ non fuiſſe iniuſtum, ex hoc iudicio videtur tacitè admiſiſſe, quòd intereſſe poſſet conuerti in capitale, & proinde ſolui intereſſe alterius intereſſe; nam pro facti intelligentia, eſt ſciendum,quòd mutuatarius pro intereſſe lucri, à quo mutuator ceſſabat propter illud mutuum, ſoluebat mutuatori ſcutos ſex quolibet anno pro centenario, vt retuli ſup. §.1.q.7.par.2.ampl.8.ſub num.24. qui ſex, quando non ſoluebantur, conuertebantur in capitale mutui, & anno ſequenti de illis etiam ſex ſoluebat intereſſe ad eandem rationem ſex pro centenario.

Reſolutiuè agendo,&,omiſſa vlteriori diſputatione,cõſidero duos caſus principales.

Primus caſus eſt, quando intereſſe habet naturam pœnæ, vt puta,ſi tu ex cauſa tranſactionis debeas equum,vel aliam ſpeciem, &, ſi non tradideris certo tempore, promittis decem, quod quidem intereſſe conuentum, ſeu pœna, ſpeciei adiecta, deberur, l. 37.promiſsis. & ibi Doct. C. de tranſact. Abb.in cap. 4. dilecti. ſub num. 13. & ſeqq. in 5. pœna, de arbitr. & Rebuff. in l. vnica, in gloſ.1. num. 59. verſ. notandæ ſunt. C. de ſenten. quæ pro eo &c. & iſto caſu concludo, quòd vſura huius pœnæ non debetur, l.1.& ibi Gl.C.de fiſc. vſur. lib. 10.& Gl.in l.vlt.in verbo, ſortis tantummodo. C. de vſur.rei iud. & pœnarum vſuras peti non poſſe conſtitutum eſſe dicit tex.in l.fin. ff.de magiſtr.conuen.& in hoc,quòd vſura vſuræ non debeatur, conueniunt Ruin d.conſ.55. ſub num. 16.& 17. lib. 2.& conſ. 103. ſub num.4.verſ.non obſtat igitur.lib.1.& Cagn. in l.vnica, ſub num.46. verſ.tertio quia. C. de ſent.quæ pro eo,&c.& quòd vſura pœnæ commiſſæ non debeatur,ſcribit etiam Ruin. d.conſ.55.num.17.nam ſi non debetur vſura vſuræ, iuribus, & auctoritatibus ſupra citatis; ergo neque debetur vſura pœnæ, quia vſura,& pœna pro eodem vſurpantur in hoc propoſito, argum. tex.in l.40. qui ſine vſuris. verſus finem, ff. de negoc. geſt. & dicit Gloſ. in dicta l. fin. in verbo, pœnarum.

rum. in fine, ff. de magistr. conuen.

42 Confirmatur primo hæc conclusio, quia interesse, quod potest parere aliud interesse, debet semper esse proportionatum quantitati sortis, qualitati creditoris, quia mercatori, seu negotiatori debetur interesse, alias debet esse etiam proportionatum occasioni, quam creditor habuisset præ manibus, iuxta ea, quæ scripsi supra §.1.q.7.par.2.ampl. 8.num.234. Sed hoc interesse pœnale nulli ex his qualitati debet correspectiuari; non enim datur proportionabiliter sorti, seu alteri obligationi, neque consideratur qualitas creditoris, an sit mercator, necne; neque consideratur, an is, cui debetur, habuerit occasionem præ manibus, sed ponitur ad libitum, maius, & minus, vt obligatus maiori, vel minori pęnæ timore obseruet promissa: Ergo ab interesse non pœnali non rectè argumentamur ad pœnale.

43 Confirmatur secundo, quia pœnæ sunt odiosæ, & ideo temperandæ, non extendendæ, cap.15.odia.de reg.iur.in 6. l. 129. capienda.ff.eod. l.32.si præses.ff.de pœn.cum similibus, & hac ratione non deberi vsuram vsuræ, scribunt Cagn.& Menoch.quos retuli infra num. 47. vnde, & pœna, apposita in primo compromisso, non trahitur ad secundum, & stipulatio pœnalis, adhibita in primo contractu locationis, non videtur reperita in sequenti locatione, Tiraq. in l. boues. §.hoc sermone, num. 96. vers. quinquagesimoquarto. ff.de verb. signif. & maximè in reconductione tacita, imò neque censetur repetita alia obligatio, quæ non sit de propria natura illius contractus; quare si conductor in instrumento locationis, & conductionis, factæ ad certum tempus, obligauit se in forma Cameræ, & deinde, tempore finito, perseueret per modum tacitæ conductionis, non potest contra eum pro pensionibus huius tacitæ conductionis procedi executiuè, Galles. ad form.oblig.cam.tit.de vi instrum.oblig.cam.num.18.tom.6.par.2. fol.360.quod idem in instrumento publico, habenre executionem paratam, scripsit Ant. de Canar.tract.de execut.instr. q. 44. num. 82.tom.5. fol.44. imò tacitè reconducens, non intelligitur reconducere pro toto tempore, sed solum pro illo tempore, quo inhabitat, per ea, quæ secutus sum in meo tractat.de appell.q.12.num.82.

44 Extende primo hanc conclusionem, vt habeat locum tàm in pœna conuentionali, quàm in pœna legali, Gl.1.in l.1. C.de fisc. vsur.lib.10.Ruin.d.cons.55.de obligatione. sub num.17.lib.2.

45 Extende secundo, vt procedat siue ista pœna, seu interesse pœnale sit adiectum speciei, vt in casu huius conclusionis, positæ supra sub num.41.vers.primus.siue sit adiectum facto, vt puta, si non feceris domum, promittis centum, quia isto casu, non facta domo, debentur centum, Rebuff. in l. vnica, in gl.1.num.60. vers.secunda conclusio. C.de sent. quæ pro eo, &c. sed non debebitur interesse pœnæ, per ea, quæ dixi supra.

46 Extende tertio, vt procedat quando interesse pœnale est adiectum quantitati, vt puta, si non dederis centum, quæ mutuaui, promittis decem in singulos annos; quia isto casu non solum non debetur interesse primi interesse, per ea, quæ dixi supra num. 41. & seqq. sed neque debetur primum interesse, quia illa pœna præsumitur adiecta in fraudem vsurarum, vt, testando de communi opinione, scribit Rebuff.in d.gl.1.nu.64. vers. tertia conclusio. & faciunt quæ scripsi supra §.1.q.7. par.2. ampl.8.num.27. vers. contra. & num.185.

Declara restringendo hanc extensionem in vltima parte, & quæ scripsi d. ampliat. 8. num. 27. & 185. dum dixi, non deberi pœnam, seu interesse, etiam quòd non conuertatur in capitale, vt non procedat, quando pecunia, idest, quantitas debetur, vti species, quia tunc pecunia reputatur illa species, per ea, quæ dixi supra §.1. q. 7. par.2. ampl.8.num.3.& in indiuiduo Rot. in Rom. sal.interd.mercur.20.Nouembris 1591.inter recollectas à Stat.Pacif. decis.159. illustris. sub num.2.vers. quando enim. & pœna, seu interesse, adiectum speciei, seu facto debito, debetur, vt secutus sum supra sub num. 41. vers. primus. & num. 45. imò isto casu potest deberi non solum primum interesse, sed etiam secundum, & deinceps; quare, si testator legauerit Titio scutos vigintimille, inuestiendos statim per hæredem in emptionem tot locorum mōtium, & censuum, seu officiorum partim vacabilium, & partim non vacabilium, ad beneficium dicti Titij, & casu, quo hæres non inuestiret, seu tardaret inuestire, iusserit, vt eidem Titio solueret fructus ad rationem sex pro centenario, & hæres non inuestierit, fuit resolutum in Rota, quòd hæres teneatur eos soluere,

uere, vt testatur R. P. D. Oranus in allegata decisione, recollecta per Statil. Pacif.

47 Extende quarto, vt habeat locum, etiam si is, cui debetur illud interesse pœnale, sit mercator, & solitus negotiari; militat enim etiam in mercatore, & solito negotiari illa ratio, quòd odia, & pœnæ sunt restringendæ, & quando concurrunt duæ causæ, vna permissiua, & altera prohibitiua, vt in huius extensionis casu, in quo qualitas mercaturæ, & negotiationis videtur permittere interesse, & qualitas pœnæ prohibet, attendi debet prohibitiua, vt in alio proposito scripsi sup. §.1.q.1. num.46. & quòd in vsuris non attendatur, an quis sit solitus, vel non solitus negotiari, scribunt Cagn. in l. vnica, nu. 46. vers. tertio quia. C. de senten. quæ pro eo &c. & Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. reuocauit. sub num. 38. vers. cæterum.

48 Declara adhuc eandem communem conclusionem, eiusq; extensiones, in quibus pro firmo posuimus, deberi interesse pœnale conuentum, vt procedant cum illa doctrina, quam secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib.2. cap.2. num. 376. & seqq. & cap.8. num.526.

49 Secundus casus est, quando interesse non habet naturam pœnæ, sed habet naturam damni, ratione lucri cessantis, proportionatum sorti, qualitati creditoris, aut occasionis, quam creditor habuisset præ manibus, & in his terminis latè locutus sum supra §.1.q.7.par.2.ampl.8. nu.221.& seqq. & isto casu vrget contrarietas opinionum, quas adduxi supra num. 33. vers. extende nunc. & seqq. & num. 39. vers. contra. & quò facilius omnia explicem, adhæreo opinioni extensionis, firmando conclusionem affirmatiuam, quòd debeatur interesse alterius interesse, per ea, quæ adduxi in dicta extensione.

Retenta hac conclusione.

Ad adducta in contrarium supra nu. 39. & 40. respondeo, quòd anatocismus, & superfœtatio prohibetur, quia est vsura vsuræ; sed interesse alterius interesse, probatis requisitis, de quibus supra §. 1. q. 7. par.2.ampl.8.num.99.& seqq. & §.præced. gl.1.sub num.82.vers.ratio. non solum non est vsura vsuræ, sed neque est vsura; cum vsura sit omni iure prohibita, vt dixi supra §.1.q.1. num.401. & interesse sit omni iure debitum, vt dixi d. §.1. q.7. par.2. ampl.8. num.96. quia vsura debetur etiam sine mora, non autem interesse, Cagn. in d.l. vnica, sub num.46. vers. tertio quia.

50 Extende primo hanc conclusionem, vt præcipuè procedat in interesse cambiorum, tum quia negotiantes in cambijs degunt in ciuitatibus, in quibus semper est parata occasio cambiendi, præsertim in ciuitate Genuæ, vt sæpius dixi, tum quia interesse cambiorum est semper certum, & ideo non pendet à probationibus incertis, & coniecturalibus, prout pendere solet interesse mercaturæ, & similium, iuxta ea, quæ scripsi sup.§.1.q.7. par.2.ampl.8.nu.240. & seqq. vers. declara. & sicut iudex, data probatione incerta, debet absoluere, §. curare. Instit. de act. ita, sublata incertitudine, condemnat.

Ratio huius extensionis est, quia interesse cambiorum semper conuertitur in capitale; vnde nunquam remanet interesse alterius interesse, sed semper erit interesse capitalis, vt considerant Ruin. in cons. 103. quamuis. sub num. 4. vers. sed tamen præmissis. lib.1.& cons.55. de obligatione. in fine, sub num.20.lib.2. Cagn. in d.l. vnica, sub num.46. vers. tertio quia. in vltimis verbis, C. de sent. quæ pro eo, &c. Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. reuocauit. nu. 31. in fine, ibi, nam statim. & num.32. cent. 6. & Borgn. decis.21. in causa executionis. sub num. 30. lib.1. dicens, interesse alterius interesse non deberi, nisi interesse iam esset calculatum, & positum in creditum, & , vt sors, deberetur.

Nec dicatur, quòd, admissa hac ratione, semper deberentur vsuræ vsurarum, seu interesse alterius interesse, quia quilibet creditor poneret interesse in sorte, seu illud calcularet vti sortem.

Quia respondeo, hanc calculationem, & conuersionem interusurij in capitale fieri non posse, nisi concurrentibus ijs, quæ scripsi §.præced.gl.1.sub num.82.vers.ratio.

Non obstat huic extensioni, quòd taxatio, de qua mentionem feci supra sub num. 39. vers. contra. aliter videatur determinasse.

Quia respondeo, quòd quatenus ita determinauerit (non enim vidi illam taxationem) ij, qui taxationi fuerunt præpositi, non fuerunt forsan consulti super interesse alterius interesse; vel placuit illis sequi eam opinionem, vt interesse alterius interesse non debeatur; quæ tamen opinio in puncto iuris, & lo-

& loquendo in cambijs vix sustineri posset, ideoq; in praxi vbique cambiorum interesse conuertitur in capitale.

51 Declara primo hanc extensionem, vt in cambijs, quæ soluuntur sine mora, impropriè illud lucrum vocemus interesse, cum interesse nunquam debeatur sine aliqua mora, vt declaraui supra §. 1. q. 7. par. 2. ampliat. 8. num. 100. & 148. quare propriè vocatur lucrum cambij, procedens ratione valoris, & pretij scutorum marcharum emptorum, quæ ex iustis causis, de quibus latè scripsi d. q. 7. par. 2. num. 74. & seqq. & sub num. 77. & seqq. pluris æstimantur, quàm sit pretium pro illis datum; vnde illud lucrum efficitur pars integralis mercis emptæ.

52 Declara secundo illatiuè, vt, remota mora, secundum etiam interesse, tertium, & vlterius vsque in infinitum, renouato semper contractu cambij cum debitore, eo modo, quo dixi supra §. 1. q. 5. nu. 83. vers. cambium. & seqq. non sit vnquam interesse, sed sit semper capitale, seu lucrum, quia semper est emptio, & venditio, vt dixi.

Secus si campsarius esset morosus in soluendo, ideoq; campsor pateretur interesse lucri cessantis, seu damni emergentis, quia tunc posset vocari interesse.

53 Contra hãc declarationem oppono, quia cambium nõ minori laborat suspicione vsuraria, quàm laborarent census, & societas officij, ex quò in eis pecunia pecuniam parere videbatur, vt scripsi supra §. 1. q. 1. num. 171. & 172. ideoq; magna extitit controuersia, an tales contractus essent liciti, vt, loquendo de censu, retuli d. q. 1. num. 175. & consequenter, si cum difficultate fuit in his contractibus ita suspectis permissum lucrum, procedens à capitali, erit absolutè denegandum lucrum, procedens à lucro, etiam si contrahentes illud lucrum assumerent pro capitali, vt in censu apertè sanxit Pius V. præcipiendo, vt pro census fructibus, decursis, & non solutis, non possit creari nouus census.

Huic oppositioni respondeo, quòd in censu sic Pontifex iussit, & ideò non est vlterius quærendum: † **54** Sed tamen non potest negari, quòd fructus verè soluti, possint conuerti in capitale, ex quo soluantur alij fructus: finge enim, quòd debitor verè soluat illos fructus ex pecunijs, sibi ab amico mutuatis, easvè reinuestiatur, statim nouum censum vendat eidem emptori, qui pretium soluat ex illis fructibus sibi solutis: certè illi fructus, sic conuersi in capitale, parient alios fructus, seu alia lucra, & interesse; † **55** & locorum montium multiplicationes passim fiunt, emendo ex fructibus alia loca montium, & sic deinceps, conuertendo in infinitum fructus in capitale; & hæres, seu alius, qui hanc conuersionem, & inuestituram teneretur facere, & non faceret, teneretur ad interesse, Rot. diuers. decis. antepenult. placuit. & fusius decis. vlt. 914. fuit pro maiori, coram R.P.D. Orano 1585. vener. 29. Nouembris, & 20. Decembris inter impressas Lugduni 1612. Et in societate officij, quicquid dici posset disputando, passim societas renouatur pro maiori quantitate, comprehensis in ea fructibus decursis, & non solutis: At in cambio cum quolibet foro admittatur solutio, etiam per scripturæ accommodationem, vt secutus sum supra §. 2. gl. 5. num. 55. & seqq. sic negotiationis necessitate exigente, & renouetur contractus, cessat difficultas, quia si verè dicitur facta solutio, iam totum est capitale: cessat etiam difficultas in cambio ex alio capite, quia si est licitum cambium cum recursa, vt dixi §. præced. gl. 1. num. 21. & seqq. & num. 88. clarum est, quòd interesse conuertitur in capitale.

56 Extende secundò, vt procedat generatim in interesse cuiusuis alterius contractus, seu mercaturæ, dummodo capitale, quod debetur, consistat in pecunia numerata; quia isto casu militat eadem ratio; & in hanc generalitate loquuntur Ruin. Cagn. Rot. Genu. & Menoch. quos citaui supra num. 33. vers. extende nunc. & secutus sum supra num. 49.

57 Secus si interesse procedat à debito alicuius speciei, vt puta, frumenti, vini, olei, & similium; neque enim, si creditor potuisset ex vino negotiari, & lucrum facere, id æstimandum est, quia tale interesse venit à causa extrinseca, l. 22. si sterilis. §. cum per venditorem. ff. de act. empt. cuius verba formalia retuli supra sub nu. 39. Cagn. in l. vnica, num. 60. in fine, C. de sent. quæ pro eo &c. & Menoch. tract. de arbitr. iud. cas. 119. sub num. 42. vers. quarto afferri. & num. 43. cent. 6. quia totum interesse speciei debiti consistit in æstimatione quanti plurimi, Cagn. d. num. 60.

58 Restringe primo, declarando eandem conclusionem cum illis duabus extensionibus, vt procedant, suppositis terminis habilibus, nempè, existentibus requisitis illis,

de

de quibus scripsi supra §.1.q.7.par.2. ampl. 8.num.99.& seqq. nu.221.& seqq.& 238. & seqq.

59 Restringe secundo, vt procedant, inspecto rigore iuris, sed, inspecta æquitate, quæ seruari deberet, essent tẽperandę, vt istud interesse veniret moderãdum, regulato, & honesto iudicis arbitrio, vt in casu, de quo loquitur Cagn.in l. vnica, sub num.46. vers. vlt.non obstat. C. de sent. quæ pro eo, &c. quem retuli supra sub num.33.dicens, quòd cum illa taxatio præseferret rigorem, vix potuit vnquam executio iudicatorum haberi, & quòd tandem ipsi, & alteri condelegato videbatur, prædictum interesse reducendum esse ad honestam summam: adde quæ pro hac restrictione scripsi §. præced.gl.1.n.88.

Hæc restrictio non multum quadrat mercatoribus, & præsertim forsan Genuensibus, quia ipsi in hoc summum sequuntur rigorem, vt scripsi sup.nu.33.versus finem, & in alio articulo supra §.1. q.7. par. 2. ampl.8. sub num.231.vers.ad comprobationem.

Et hæc de primo articulo, nempè lucri cessantis, posito supra sub num.18.& seqq.

60 Venio ad secundum articulum, positum supra d.num.18. de damno emergenti, & distinguo, vt supra num. 57. vers.secus. Aut interesse procedit à debito alicuius speciei, vt pura, frumenti, vini, & similium, & isto casu dico adhuc deberi solum interesse intrinsecum circa rẽ, si ita vocari posset, repugnantibus iis, quæ scripsi sup.n.91. non autẽ interesse extrinsecũ, l.21.§.si sterilis.§.cũ per venditorẽ.ff.de act.empt.cuius textus verba retuli sup.sub nu.39. † Aut procedit à debito pecuniarum, & isto casu concludo, illud indistinctè deberi, quomodocunque sit auctum, seu multiplicatum, & calculatum, Rot. Genuen.decis.87.ioannesstephanus. in fine, sub nu.9. & quando is, qui dedit cambio, accepisset deinde cambio ab alio eandem summam, sibi à suo debitore non solutam, & sic deinceps accepisset ab aliis, quòd isto casu, docto, quòd propter moram sui debitoris accepit cambio ab aliis, possit iustè consequi interesse alterius interesse, siue ista interesse, & damna sint expresse à debitore promissa, siue non, quia creditor agit de damno euitando, scribit fuisse resolutum in Rota, & sequitur, licet non alleget decis. Virgin.de Boccat.tract.de interd.vsu possid.cap.18, nu.65.vers.simon. tom.3.par.2.fol.313.

61

62 Comprobatur hæc conclusio, quia si ista conclusio procedit in interesse lucri cessantis, vt secutus sum supra num. 49. vers. secundus, multò magis procedet in interesse damni emergentis, per ea, quæ dixi supra §.1.q.7.par.2.ampl.8.num.181.187. & num. 269.& seqq.

63 QVAERO decimotertio successiuè, an interesse (cuiusuis qualitatis sit, siue sit pro primo, & sequentibus annis, de prima & vnica sorte, siue sit interesse etiam alterius interesse, siue sit lucri cessantis, siue damni emergentis) possit excedere sortem, & summam totius capitalis?

Respondeo, extare opiniones.

Prima sit opinio negatiua, quòd non possit multiplicari vltra capitale; quare statim, atque æquauerit capitale, vlterius non curret, & creditor sibi imputet, qui tam diu cessat, vt interesse fortem excedat, cum eiusmodi accessionibus finis aliquis sit imponendus, & ratione vsurarum, & interesse nihil amplius, quàm duplum exigi possit, Io. Bapt.Lup.in l.curabit. §.6. num. 20. versus finem, & §.3.num.34. C.de act.empt. inter tract.diuers.tom.7. fol. 117. Virgin.de Boccat. tract.de interd. vti possid.cap.18.num. 74. vers.interesse in solito. tom.3.par.2.fol. 314. & hanc opinionem esse magis amicam litteræ l. vnicæ, C.de sent. quæ pro eo, &c. scribit Curt.Iun.in illa l.sub num. 55.licet, titubando, dicat, quando casus occurreret, esse melius cogitandum: & quòd interesse non posit excedere sortem, sed ei possit solum adæquari, scribunt Dec.in d.l.vnica, in 2.lect. not. & num. 4. & alii, quos sequitur Surd.cons.389. conuenit. num.14. lib.3.& hanc opinionem disputando sequitur Ant. de Gamb.decis.116.in lite mota. num. 30. & seqq. & veram conclusionem esse dicit sub num.31. vers.ad probationem. & decis. 218. in causa. num. 8. vers. primo quia. & quòd vsuræ etiam in nautica pecunia supra duplum exigi non possint, sed simul, ac sortem æquauerint, cessent, ne omnes hominum facultates vsuræ depascerentur, scribit idem Lup. d.§.3. num. 31. fol. 116. & satis videtur probari ex l.4.nihil interest. ff. de naut. fœn. in illis verbis, *quod in singulos dies in stipulatum deductum est, ad finem centesimæ non vltra duplum debetur.*

64 Secundam opinionem affirmatiuam, contrariam præcedenti, tenet Cagn.in d.l. vnica, sub num.58.59.60.& 61.

Con-

Confirmatur primo hæc opinio, quia sicut censuarius, & conductor soluunt censūs, & pensiones, quæ ex annorum multitudine possunt longè excedere valorem sortis census, & rei locatæ, ita etiam interesse, quod procedit à longa plurium annorum mora, potest excedere capitale.

Confirmatur secundo ex his, quæ scripsi infra num 94. & seqq. & præsertim nu. 104.

65 Aliqui in hac controuersia dicebāt, quòd vsuræ legales, de quibus loquitur l. 26. eos. §. super vsurarum. C. de vsur. non poterant duplum excedere, sed vsuræ nostræ hodie possunt excedere, & in infinitum protendi; & ratio differentiæ secundum eos est, quia in illis legalibus creditor poterat cogere debitorem ad restitutionem sortis; vnde si non cogit, & excedant sortem, sibi imputet, qui non cogit; at è conuerso, quia in nostris vsuris non est in potestate creditoris cogere debitorem ad restitutionem sortis, sed stat in potestate debitoris, quando vult restituere, ideo cōuenit rationi, vt possint vsuræ in infinitū protēdi, vt refert, nihil in hoc determinādo, Boninf. tract. de vēd. ad tēp. c. 3. n. 21.

66 Pro huius quæstionis determinatione præmitto aliqua.

Primo præmitto, quòd Doct. qui tractant hanc quæstionem simpliciter sine distinctione, possent videri quasi inuij errare, qui verò cum distinctione, videntur ad veritatem propinquius accedere, cum d. l. vnica, edita ad determinandum hunc articulum, determinet cum distinctione.

67 Secundo præmitto, quòd in mundo non est statutum ita obscurum, sicut est d. l. vnica, C. de sent. quæ pro eo, &c. dum statuit vsque ad quam quantitatem petatur interesse, & obscuritas dictæ l. non procedit, eo quia latinitas eius sit obscura, imò plana, sed sententia eius obscura nimis, vt ex Iac. de Rauen. sequitur Cyn. in d. l. vnica, num. 18. q. 3. & vbi specialius consistat hæc difficultas, dixi infra sub num 70. & 71. & adeo nostris Doct. visa est difficilis ista lex, & adeo in solutione plurium difficultatum se torserunt, vt Cyn. in ead. l. sub num. 6. in 4. opposit. ex Petr. de Bellap. referat, quòd Imperator quicquid dixerit in illa l. sumpsit eā ex l. titius. ff. de act. empt. & aliqui, vt Steph. Forcat. in necyoma dial. 41. desperatione irritati, audeant & l. huic, & legislatori obstrepere, & Cyn. quem retuli inf. sub n. 70. vers. prima, dixerit, quòd legislator malè fecit.

Ratio huius difficultatis est, quia, cum apud antiquos ortæ essent pro interesse plures dubitationes, adeo vt viderentur infinitæ, Imperator, expedire existimans, in angustum eas sub breui distinctione coarctauit; vt patet ex d. l. vnica, & notant Cyn. in ea initio, sed Imperatori videtur euenisse illud Horatianum, *obscurus fio, dum breuis esse laboro*; & proinde parum profecisse videtur, dum, vt nos è perplexitate abduceret, ad obscuritatem deduxit; quare & Alc. in ead. l. initio, inter tract. diuers. tom. 5. fol. 8. loquendo de interesse extrinseco, & de Imperatore, qui voluit ea lege veterum altercationes tollere, inquit, rem hanc tam dubiam adhuc esse, quantum nunquam.

Contra hoc secundum præmissum, eiusq; rationem; quòd enim obscuritas non stet in statuto, seu lege, & quòd Imperator satis clarè locutus sit, sed obscuritas, & inextricabilis perplexitas consistat in phantasticis Doctorum commentarijs, vide sup. sub n. 18.

68 Tertio demum præmitto, quòd Doct. super illa l. tot, & adeò varios, & obscuros ediderunt commentarios, vt ignota per ignotiora videantur docuisse, & eis euenisse, quod imperitis accidit textoribus, qui, principio, seu capite fili amisso, quò magis pensum voluūt, aut reuoluūt, eò magis intricāt; & ijs, qui dum plagas aliquot velut nimium patulas cōsuere nitūtur, plures & grauiores infligunt; quare, cum rem indissolubiliorem videātur fecisse, satius existimo, si, Alexādri Magni exemplum imitati, dum inexplicabilem gordium nodum gladio abscidit, has confusas, & inexplicabiles perplexitates silentio laceremus potius, quàm si longo nimis, & inutili sermone soluere nitamur.

69 His præmissis, concludo, vtramque opinionem in suis casibus esse veram; sed, vt faciliori ordine, quo possumus, huius conclusionis veritatem persequamur, & à textu non discedamus, sequemur in primis distinctionem Imperatoris in d. l. vnica, & ex primo distinctionis membro constituemus regulam, primæ opinioni consonam, & ex secundo membro constituemus limitationem regulæ; & omnia exemplis illustrabimus.

Sit ergo regula iuxta primam opinionem, vt in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, interesse non possit excedere duplum.

70 Hæc regula duabus potissimis concuti videtur difficultatibus.

Prima,

Prima, quia qui sint isti casus, de quibus loquitur, nos latet, & malè fecit legislator, quia eos non expressit, secundum Cyn. in d. l. vnica, sub num. 18. q. 3. ibi, hic restat quærere. & Imperator videtur de industria obscurè locutus, ideoq; certant scribentes de intellectu huius regulæ, seu legis, & nemo veritatem aperuit, ait Cagn. ibidem nu. 5. & est intricatio controuersissima, & demum quæstio huius regulæ est perobscura, de qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamquè discrepantes sententiæ, vt suam quilibet inueniat opinionem, & in ea valdè sudarint nostri scriptores, & ferè singuli diuersas habuerint sententias, adeo quòd circumferuntur duodecim opiniones, & opus esset declaratione Imperatoris, quia de quibusdam impossibile est exponere d. l. vnicam, quæ ponit hanc regulam, Rebuff. in d. l. vnica, in gl. in verbo, quantitatem. nu. 5. vers. quæro ergo. quas singulas opiniones fuisse ab aliquibus impugnatas non me latuit; & adeo est obscura hæc regula, vt quamuis nostri Doctores multa scripserint pro eius declaratione, tamen ex illis non clarescit, imò accrescit magis obscuritas, vt dicit Cyn. ibidem num. 20. versus finem, ibi, quid dicemus. & ideo Rebuff. vbi supra nu. 30. vers. quid ergo. post relatas multas opiniones, dicit, melius fore, quòd sileret; nihilominus & ipse suam affert opinionem; & licet alij moderniores post Rebuffum nouas opiniones conentur adducere, tamen omnes in aliquam ex prædictis priorum opinionibus relabuntur. ego, ne onerosa opinionum relatione, & inutili disputatione membranas occupē, resolutiuè sequar conclusiones, & opiniones, quas vsus, & praxis admittit; quòd si opinionum conflictum, & varietatem tu desideres videre, legas in d. l. vnica, Gl. in verbo, contractibus. & in verbo, in alijs. Cyn. num. 20. vers. quæramus ergo. Bar. num. 3. vers. venio ad contraria. & num. 4. Bal. num. 16. vers. modo ego. vbi declarat, quid sit quantitas discreta, & quid quantitas continua, Alc. num. 2. & seqq. & præsertim sub num. 6. vbi sequitur opinionem Iacobi de Aren. Bar. & Ant. Fum. tract. de eo quod interest. sub nu. 42. cap. 4. & nu. 43. & seqq. tom. 5. fol. 16. & singulas opiniones referunt Rebuff. in d. gl. quantitatem, num. 6. & seqq. vsque ad num. 30. & alij.

71 Secunda difficultas est, quia Cyn. Bar. & alij in d. l. vnica, multas aduersus hanc regulam adducunt oppositiones, ad ostendendum, quod interesse etiam in terminis huius regulæ potest excedere duplum; in quarum oppositionum solutione multum se torquent, & implicant, vt dixi infra num. 90. vers. infero secundo.

72 His, vt attentior sis, prælibatis.

Declara hanc regulam, vt ad hoc, vt interesse in casu, habente certam quātitatem, seu naturam, non possit excedere duplum, requirantur tria. Primo requiritur, quòd adsit debitum principale, certum, & communiter æstimabile. Secundo, quòd accidat casus interesse extrinseci. Tertio, quòd casus huius interesse extrinseci, idest, contingentia ipsa, ex qua oritur obligatio ad interesse, respiciat illud principale debitum, & communiter æstimabile, & non habeat aliud specificum obiectum.

73 Subdeclara ad vsum praxis, distinguendo tres præcipuas inspectiones.

Prima inspectio est, quando nullum probatur interesse.

Secunda, quando probatur quidem interesse, sed non probatur dolus, culpa, seu mora eius, qui dicitur fuisse in causa remota illius interesse.

Tertia, quando probatur quidem interesse, & probatur etiam, dolo, culpa, seu mora debitoris, vel contrahentis processisse dictum interesse, sed tamen ille dolus, culpa, seu mora, & ipsum factum, seu contractus, in quo adest culpa, vel mora, habet certum specificum obiectum ad rem, deductam in contractu, & in qua adest culpa, vitium, seu mora, & aliud obiectum non habet.

In prima inspectione vana redditur controuersia vsque ad quam quantitatem taxandum sit interesse, quia non entis non indagantur qualitates: quare, accedendo ad materiam text. in l. 14. iulianus. in princ. ff. de act. empt. finge, quòd tu vendideris mihi certa tigna; & non fingamus aliud; tunc nihil ad hanc regulam, de qua sup. sub nu. 69. vers. fit ergo. quia, cum nondum extrinsecus mea intersit, nulla est mihi nata actio ad interesse: vel finge, te, pretio dictorum tignorum accepto, fuisse morosum in traditione tignorum, sed tamen, me ex tua mora nihil amisisse, frustra agerem de interesse, per ea, quæ secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 77. & nu. 292. restr. 1. hincq; constituta est regula, quòd exceptio,

tua

tua non intereſt, repellit agentem, vt dixi ſupra §.2.gl.5.ſub num.142.

74 In ſecunda inſpectione concludo etiam, non poſſe agi ad intereſſe, ſed poſſe ſolum agi actione quantò minoris, & pro clara intelligentia, inhærendo materiæ eiuſdem l. iulianus. pono plures caſus.

Primus caſus. Tu bona fide vendidiſti, & tradidiſti mihi tigna, quæ cum eſſent vitioſa, domus mea, quam illis fulciui, ſeu contignaui, corruit; certè hoc caſu multi mea interfuit, illa tigna fuiſſe vitioſa, nihilominus non eſt locus prædictæ regulæ, ſeu d. l. vnicæ, quia cum tu non aſſeueraueris, eſſe idonea ad domum fulciendam, nec tãquam talia ad occurrendum imminẽti domus periculo, ſed ſimpliciter, & bona fide vendidiſti, tu vacas omni culpa, & mora; & ideo non teneris ad aliquod intereſſe: verum quia re ipſa deceptus fui, emendo tigna vitioſa, ſupereſt mihi actio quantò minoris emiſſem, ſi ſciuiſſem tigna eſſe vitioſa, d. l. iulianus.ff.de act.empt. quæ ſola actio practicabitur, quia tigna rupta, aut deteriorata redhiberi non poſſunt, alioquin tu, conuentus hac actione quanti minoris, poſſes petere redhiberi, & ita declaranda eſt d. l. iulianus.

75 Secundus caſus. Tu vendis mihi vas argenteum, ſeu dolium diſſoluta, non tanquam vaſa, ſed tanquam materiam; ego, vtendo eis, paſſus ſum damnum, quia erant vitioſa, tu non teneris, niſi quanto minoris ratione malæ materiæ, ſi eam ſciuiſſem, quia non es verſatus in dolo, quo caſu tenereris ad intereſſe extrinſecum, vt in ead. l. iulianus. initio.

76 Tertius caſus. Paterfamilias nõ tanquam ſuæ profeſſionis, ſed tanquam hæres, vel alio caſu dominus mobilium, exiſtentium in certa domo, vaſa, quæ inter dicta mobilia extabant, vendidit tanquam de vniuerſitate illorum bonorum; hæc vaſa, vendita, ſunt reperta vitioſa, ſeu non idonea; certè iſte venditor, cum nullam profiteatur horum vaſorum induſtriam, ſed incidenter, vt res indifferentes, vendiderit, non tenetur de idoneitate, niſi quanti minoris, non autem ad id, quod extrinſecus intereſt, niſi ſcienter reticuerit, & ſic fuerit in dolo, vel niſi expreſsè affirmauerit, d.l.iulianus. initio.

77 Quartus caſus. Tempore vindemiarum mea dolia ſunt vino plena, habeo aliud vinum, & deficiunt mihi dolia, rogo te, vt de dolijs tuis, quæ vſus tui cauſa adduxiſti, tot, quot indigerem, eodem, quo emiſti pretio, vecturis etiam pro rata refuſis, mihi des, tu annuis, & das, ſed doliorum vitio vinum infuſum amitto: certè iſto caſu ego non poſſum petere à te, quod mea interfuit, dolia fuiſſe vitioſa; ſed ſolum quanti minoris emiſſem, ſi doliorum vitium nouiſſem, per ea, quæ habentur in ead. l. iulianus.

78 Extende primo iſtum quartum caſum, vt procedat non ſolum, quando ego ex tuis dolijs elegiſſem, ſed etiam quando tu elegiſſes illa, quæ mihi dediſti, dummodo bona fide feceris.

79 Reſtringe, declarãdo hunc caſum, vt tu teneearis mihi cedere actiones tuas contra fabrum doliarem, qui tibi vendidit, ſi quas habeas, & quales habes, niſi malis tu contra ipſum agere, & mihi, quod mea extrinſecus intereſt, curare præſtari, d. l.14. iulianus. §.penult. ff.de act.empt.l.52.quod debetur. ff.de pecul. vbi, quòd dominus liberatur, cedendo actionem illi, qui contra eum agit de peculio, cum ſeruo quid ab extraneis debetur, & l. 62. cum in plures. §. meſſem.ff.loc.vbi, quòd cum colonus non habeat condictionem furtiuam contra eum, qui frumentum, nondum à colono perceptum, ſuſtulerit, ſed eam habeat dominus fundi, colonus poteſt cogere dominum, vt ipſe agat.

Neque enim debet faber culpabilis releuari ex eo, quòd non emptor ſuus, neque eius hæres, ſed tertius, cauſam habens, etiam ſi eſſet donatarius, damnificatus fuit.

80 Subreſtringe hanc reſtrictionem, (hæcq; ſubreſtrictio infertur ex neceſſitate) vt in caſu, quo tu actiones non habes, non poſſis illas cedere, vt puta, tu emeras illa dolia non principaliter, ſed cum vniuerſitate bonorum, vel ea habueras ex ſucceſſione, vel ea non de nouo emeras, ſed erant ex dolijs tuis antiquis, quæ pro vſu tuo religaueras, certè iſtis caſibus non teneris tu in id, quod intereſt, neque teneris cedere actiones, quas non habes.

81 Extende ſecundo, vt procedat etiam ſi tu, tradendo dicta dolia in caſibus huius ſubreſtrictionis, perfuſoriè proba affirmaueris, quia ſunt verba temerè, bonaque, & ſimplici mente dicta, non animo ſuſcipiendi in te periculum, nec me circumueniendi, aut prouocandi ad ea emenda, ſed potius animo mihi bona fide commendandi; vnde

lubricum linguæ temerè emiſſum,non facilè ad obligationem, & conſequentiam inopinatam trahendum eſt; ſufficit ergo, quòd pro communi natura actionis reddas mihi pretium, dolijs redhibitis, vel, ſi redhiberi nequeant, quantò minoris emiſſem, quaſi vendiderit, ignorans doliorum defectum, quo caſu tenetur actione empti quantò minoris emptor emiſſet, ſi defectum ſciuiſſet, vt in pecore morboſo, & tigno vitioſo loquitur text.in d.l. iulianus. hæcq; extenſio videtur poſſe probari ex l. 7. famoſi. ff. ad l. iul.maieſt. vbi læſæ maieſtatis crimen,ſi per linguæ lubricum ſit commiſſum, ſola temeritatis pœna videtur puniendum: & quòd non omnia, quæ proferuntur verba, proferantur, vt obligent, clarè patet in verbis liberalibus, quibus pro bono more vtimur, dum dicimus, *ſeruitor di V.S.* & ſimilia, de quibus bene aiunt Hiſpani, *palabras de buen amor non obligan*.

Neque huic caſui obſtat textus in l. 2 7. ſed addes §.1. ff loc. vbi ſi quis dolia vitioſa locauerit, & vinum effluxerit, tenebitur in id, quod intereſt, nec ignorantia eius erit excuſata.

Quia reſpondeo, quòd in vaſis, & dolijs frequentius accidit imminere ſpecificum periculum extrinſecum aliarum rerum, & lex ad ea, quæ frequentius accidunt, adaptatur; ſed quando quis vendit bona fide dolia ex antiquis,quæ habebat pro vſu ſuo, ceſſat ſpecificum periculum.

82 Quintus caſus,& eſt ſimilis præcedētibus. Faber materiarius vendit mihi tigna, non tanquam deſtinata,& idonea ad domos fulciendas, ſed tanquam nudam materiam, vel ad aliud; ego ea conuerto tanquam idonea ad fulciendas domos, domus corruit, certè faber, qui vendidit, non tenetur ad intereſſe.

83 In tertia inſpectione,de qua ſupra ſub nu. 73. concludo, poſſe agi ad intereſſe vſque ad duplum, & ſic eſt locus regulæ; ſed, vt ſolidior appareat veritas huius concluſionis,procedamus exemplis.

Exemplifica primo igitur hanc concluſionem, quando tu, pretio a me accepto, vendidiſti mihi tigna, & promiſiſti ea tradere tali die, in quo fuiſti moroſus, & non tradidiſti; & ego ex tua mora, & non traditione paſſus ſum damnum, vel aliquid amiſi, & ſic mea extrinſecus interfuit, certè meum intereſſe verſatur in caſu, habente certam quantitatem, ſeu naturam, & ideo tu teneris ad illud,ſed non poteſt excedere duplum pretij tignorum venditorum; nam cum cauſa proxima,ſeu,inquam,immediata, ex qua orta eſt obligatio ad intereſſe, non haberet aliud ſpecificum obiectum, quàm dicta tigna,eorumvè traditionem,quæ habent certam, & limitatam naturam,ſumus in terminis regulæ,de qua ſupra ſub num. 69. verſ.ſit ergo. & eſt locus taxationi dictæ l.vnicæ, vt intereſſe non poſſit excedere duplum pretij tignorum, quamuis ob non traditionem ipſorum domus mea corruerit, ſicq; mea longè pluris interſit vltra duplum æſtimationis tignorum.

Secus tamen eſt, ſi dolo malo, hoc eſt, machinatione ſtudioſa ad mihi nocendum in hac periſtaſi ceſſaueris tradere, cum ſcires domus meæ periculum imminere, quia iſto caſu tenereris ad totum intereſſe, quamuis excedat duplum; cum tu habueris ſpecificum obiectum, vt domus mea rueret.

84 Exemplifica ſecundo, quando tu mihi bona fide vendidiſti tigna, quæ mox euicta ſunt,ex qua euictione ego extrinſecus damnificatus ſum; nam iſto caſu ex euictione nata eſt mihi actio ad id,quod mea intereſt, ſed quia hoc intereſſe verſatur circa rē venditam, vel euictam, nec habet aliud ſpecificum, & præciſum obiectum, quàm dicta tigna, quæ certam habent naturam,ideo hoc intereſſe non poteſt ad ſummum excedere duplum, licet minus taxari poſſit, ſi minus interſit, & moueor ex l. quam citaui infra num.86. in fine.

85 Et quod dico in tignis vitioſis in his duobus exemplis, idem dico de pecoribus morboſis,quia in vtroque genere rerum æqualiter loquitur l.iulianus. ff. de act. empt.

86 Exemplifica tertio in caſu,quo ego emerim à te ſeruum ſcutis 50. qui ſeruus, à me emptus, meis impenſis factus agitator, ſeu pantomius, ideſt, imitator omnium rerum, valet ſcutis 500. & tu, qui vendidiſti, es mediocrum facultatum, ita vt veriſimiliter non cogitaueris in venditione de hoc maiori pretio propter eruditionem, poſtea hic ſeruus mihi euincitur: ego ago de euictione contra te ad id, quod mea intereſt; certè iſto caſu non poſſum agere, niſi ad duplum pretij,quo ſeruum emi,& ſic ad ſcutos 100. l.44.titius.§.vlt.cum l.ſeq.ff. de act. empt.

87 Exemplifica quarto in caſu, quo ego à te ſcutis centum emiſſem ſeruum, qui ab aliquo

quo erat institutus hæres, & postea mihi est euictus,& sic perdo illam hæreditatem,vt in casu l.8.venditor hominis. ff. de euict. vnde ago aduersus te actione ex empto de euictione ad id, quod mea interest; certè isto etiam casu ego non possum pro meo interesse consequi vltra duplum,& sic possum consequi solum scutos 200. quamuis hæreditas, quam perdo, valeret scutis 1000. nam aut consideramus, quòd seruus tẽpore emptionis erat institutus hæres,& tunc tantò pluris fuit æstimatus, & appretiatus; & sic illa institutio serui in hæreditate fuit facta de pretio ipsius serui, idest, de simplo; ergo de illa hæreditate non potest haberi alia ratio, nisi vt serui pretium, in quo adest hæredis institutio,dupletur: aut consideramus, quòd ille seruus, postquam adiuit hæreditatem, est effectus pretiosior, quia illa hæreditas quæsita adiecit maius emolumentum, quod non fuit de simplo, idest, de pretio serui; & tunc dico; illud augumentum non esse habendum in consideratione,cum qualitas rei venditæ consideretur tempore contractus; sicq; quouis modo consideremus, venit solũ duplum pretij,quo ego emi;& consequenter in isto interesse non venit æstimatio totius hæreditatis sine vlla limitatione dupli, & in hoc videntur communiter Doct. errasse, dum arbitrati sunt, totius hæreditatis æstimationem integrè venire; actio enim ex empto de euictione habet hæc duo capita: primum (& hoc est perpetuum, & certum) pertinet ad pretium,& non ad rem: secundum (& hoc est casuale) pertinet ad id, quod interest præter pretium: quantum ad primum caput, quo scilicet actio ex empto competit ad pretium, vel pro rata pretij, semper habetur relatio ad bonitatem, quæ erat tempore contractus tantum, & secundum eam æstimatur: quantum ad secundum caput; quo scilicet agitur ad interesse, recipit augmentum, & diminutionem; siquidem quandoque interest pluris, quandoque minoris, & quandoque nihil præter pretiũ, ideoque totum hoc interesse pendet à probationibus faciendis; sed ad summum, vt dixi, non potest excedere duplum: & quod dico de seruo, instituto hærede, dico etiam de ancilla prægnante, cum & de vtroque loquatur d.l.venditor hominis. ff.de euict.

Confirmatur hæc exemplificatio, quia si in casu præcedentis exemplificationis, vbi augmentum in seruo erat secutum sumptu, & industria emptoris, & tamen venditor tenetur solum ad duplum, cui inest simplum, ne venditor subeat periculum vltra duplum, l.titius. §.vlt.cum l.seq.ff.de act.empt.multò magis idem dicendum videtur de augmento,& pretiositate casuali, quæ venit sine vllo incommodo; aut sumptu emptoris,vt fœcunditas, & partus ancillæ emptæ, & hæreditas seruo empto relicta.

Neque aduersus hũc casum obstat, quòd tex.in d. l. venditor. dicat, venditorem debere præstare quanti interest, quia dico, quòd ille tex. cum non determinet quantitatem interesse, intelligit de iusta quantitatẽ, quæ est declarata per alia iura,vt non excedat duplum, vt in casu præcedenti, ad quod si Cyn.in d.l.vnica,num.8.in 7.oppo-sit. Bar.& alij in diuersis locis aduertissent, non adeo se in eo textu torsissent.

Infero ex dictis in hac exemplificatione, sic esse intelligendos Paul.de Castr. in l.3.§. nunc de officio. sub num.4. & Ias. sub num. 8.ff.de eo quod cer. loc. dum, loquendo de lucro intra rem, scribunt, quòd si seruus meus fuit institutus hæres, & quia tu fuisti in mora restituendi eum mihi, ego non potui iubere, vt adiret hæreditatem,& sic eam perdidi,talis lucri habenda est consideratio.

88 Exemplifica quinto in casu, quo ego teneor tibi soluere scutos 100.& quia sum morosus,tu nõ potes reparare domum tuã,quæ minatur ruinam, vel non potes soluere pœnam pecuniariam intra certum tempus,quo elapso, remanes ex dispositione legis condemnatus ad graue exiliũ; tu protestaris aduersus me de istis dãnis,& interesse, ruit domus,vel remanes condemnatus; tamen ego non teneor vltra duplum, & sic vltra scutos 200.quamuis ruina domus,& damnum exilij excedant pretium scutorum 500.

Ratio in istis omnibus exemplis est, quia mora,seu culpa nõ habuit tẽpore contractus aliud certum specificũ obiectũ,quàm rem ipsam, seu quantitatem certã, ideoq; interesse remanet taxatum infra duplũ, & non vltra.

Secus,si in casu huius quinti exẽpli mora habuisset pro specifico obiecto lucrũ cessans, vt in casu,de quo inf.n.101.& innui ẽt n. 93.

89 Extẽde primo eandem regulam, positam supra sub num.69.vers.fit ergo.& sic exemplificatam, seu illud primum responsum dictæ l.vnicæ.C.de sent. quæ pro eo, &c. quo disponitur vt interesse non possit excedere duplum; extende, inquam, vt habeat lo-

cum non solum in interesse singulare, vt priores omnes, vsque ad Rebuff. inclusiuè restringere conati sunt, sed etiam in interesse commune extrinseco, vt omnes moderniores post Rebuff. testati sunt: & ad hanc extensionem contra eos, qui primum dictæ l. responsum restringunt ad interesse singulare moueor ex pluribus. Primo, quia restringunt non solum sine lege (cum in toto iure ciuili nulla fiat mentio nominatim de eo, quod singulariter interest) sed etiam contra verba, mentem, & totam seriem dictæ l. vnicæ, quæ simpliciter, & absolutè vetat id, quod interest, duplum excedere; quæ simplex vetatio, cum sit indefinita, æquipollet vniuersali, & consequenter comprehendit tam quod singulariter interest, quàm quod vltra simplum quoquo modo interest. Secundo moueor ex dictione vniuersali negatiua, *minime*, qua illa lex vsa est. Tertio, quia ex procemio eiusdem legis, vnde colligitur finalis intentio, l. fin. ff. de hæred. instit. illa lex non ad paucas, sed ad infinitas dubitationes rescindendas fuit prolata: ergo non patitur restrictionem ad paucum, & quod rarò accidit, contra sui procemium, & contra l. 4. ex his. & l. 5. nam ad ea. ff. de legib. Quarto quia omnes fatentur, totum reliquum contextum loqui de toto eo, quod interest: ergo cur in illo solo versiculo tam varie? Quinto, quia Doct. ea ratione restrinxerunt ad interesse singulare, vt euitarent obiectum multarum legum, quibus probatur, deberi totum interesse, etiam si excedat duplum; sed hæc contrarietas tollitur sine hac restrictione, quia illæ ll. optimè conueniunt cum d. l. vnica, vt patet ex his, quæ diximus supra num. 73. & seqq. & infra nu. 94. & seqq. omnes enim illæ ll. reducuntur ad vnam consonantiam cum dicta l. vnica, adhibita distinctione, de qua supra sub nu. 69. vers. sit ergo. & infra num. 94.

Infero primo ex hac extensione, discedendum nobis esse à Gl. in d. l. vnica, in verbo, dupli. Bar. sub num. 27. Bal. nu. 23. vers. quarto quod interesse. & sub num. 26. vers. quid si promitto tibi. & Cagn. num. 58. & 62. ibi, prædicta opinio. dum, restringentes regulam, seu primum dictæ l. vnicæ responsum, scribunt ea l. comprehendi solum interesse singulare: nam etsi hæc sit communis opinio, seu restrictio, vt testatur Cagn. d. nu. 58. & de communi, & veriori contra Dec. sub num. 76. vers. superest. tamen confutatur ex his, quæ adduxi hic supra.

90 Infero secundo, quòd sicut vana est restrictio ad interesse singulare, vt dixi hic supra, ita etiam reijcienda est illa distinctio, quam, se mirum in modum torquentes circa intellectum sæpe citatæ l. 14. iulianus. ff. de act. empt. faciunt inter interesse intrinsecum, & extrinsecum, seu intra rem, & extra rem, Cyn. in d. l. vnica. sub num. 5. in 3. opposit. dicens, quòd illæ oppositiones, inter quas est oppositio de dicta l. iulianus. sunt multum corruptæ, & difficillimum est eas soluere, & num. 15. vbi dubitans, quod interesse appelletur extrinsecum, & quod intrinsecum, inquit, eundem esse in profundum pelagi, Bar. sub num. 7. vers. oppono tertio. & Rebuff. in gl. in verbo, dupli, num. 21. vers. quodam est interesse extrinsecum. dicens, hinc pendere leges, & Prophetas, & alij communiter, dum, vt soluant obiectum, quod ex d. l. iulianus. sumunt aduersus hanc regulam, confugiunt ad hanc distinctionem de interesse extrinseco, & intrinseco, de communi, de conuento, & de singulari; quæ sanè distinctio, de interesse intrinseco, est inutilis, & falsa, & à Glos. & Doct. sine lege conficta, in qua latè & turbulenter Doct. gladiantur non solum super definitione horum membrorum, sed etiam super effectibus, & exemplis eorum, & idcirco est ipsa distinctio, seu diuisio cum omnibus suis ambagibus, & intricationibus reijcienda.

91 Confirmatur primo hæc illatio, dum dixi, hanc distinctionem esse vanam, & falsam; quia etsi in iure reperiatur verbum, *interesse*, substantiuum, & verbum, *extrinsecus*, sitq; subiectum dispositioni multarum legum, loquentium de interesse, & ideo non abhorreat vtrunque verbum coniungere; tamen hæc coniunctio fieri non potest in intrinseco, cum de eo nullibi reperiatur in iure: neque potest elici ex eius antitheto, *extrinsecus*, quia interesse est quid diuersum à re principali, & ideo semper est extra rem, eiq; non inest, sed eam sequitur, tanquam accessio; quare qui remittit damna, & interesse, non censetur remittere rem principalem, Alex. cons. 168. requisitus. initio, num. 1. & seqq. lib. 2. quod non est in interesse intrinseco, quia est intra rem, ideoq; vti pars ipsius rei, seu saltem tanquam naturalis sequela venit appellatione ipsius rei; vnde hoc membrum est reijciendum, & pro hac confirmatione faciunt declarationes, quas

quas posui supra num. 51. & 52.

92 Confirmatur secundo, quia Doctores nixi sunt confingere istas verbales distinctiones, vt se liberarent à contrarietate, quam ipsi arbitrabantur extare inter l. vnicam, C. de sent. quæ pro eo, &c. quæ non admittit interesse vltra duplum, & inter l. 14. iulianus. ff. de act. empt. & l. 8. venditor hominis. ff. de euict. quæ secundum eos admittunt interesse vltra duplum: sed ista contrarietas cessat, cum illæ leges concordent cum d. l. vnica, C. de sent. quæ pro eo. &c. ergo cessare debent istæ confictæ distinctiones & quòd cess t, patet ex his, quæ remissiuè dixi supra sub num. 89.

93 Extende secūdo, vt quamuis interesse, de quo sup. n. 88. posset cõuerti in capitale, per ea, quæ dixi sup. nu. 33. & sub nu. 49. & ideo possit excedere duplum, si ex qualitate contractus, & qualitate creditoris illud interesse sit specificum obiectum, vt dixi inf. nu. 101. tamē in eodē casu, si deficiat hoc obiectum specificum, non potest excedere duplum.

94 Limita nunc eandem regulam, positam supra sub num. 69. vers. sit ergo regula. (& hæc limitatio erit secundum membrum distinctionis, qua vtitur Imper. in l. vnica, C. de sent. quæ pro eo &c. & in terminis huius limitationis procedet secunda opinio, de qua supra num. 64.) vt non procedat in casibus, qui incerti esse videntur, quia in istis iudices, qui causas dirimendas suscipiunt, debent attendere, vt hoc, quod re vera inducitur damnum, reddatur, vt in d. l. vnica, ibi, in alijs autem casibus.

Ratio huius limitationis est euidens, quia tantum operatur propositum in proposito, quantum oppositum in opposito; sed quando casus habent certam quantitatem, vel naturam, tunc interesse remanet taxatum infra duplum, per ea, quæ latè scripsi supra sub num. 69. vers. sit ergo regula. & seqq. ergo in opposito, quando non habent, non remanet taxatum, militante tunc ratione, de qua infra num. 97. vers. ratio.

Exemplifica primo hanc limitationem in casu, quo tu, recepto à me pretio, vendis tigna ad fulciendam domum meam, cuius imminens periculum tibi est notum in contractu venditionis tignorum; tu postea, dolo, & machinatione studiosa adhibita, ad mihi nocendum, & damnificandum, cessas tradere dicta tigna; vnde domus mea ruit, iste est casus interesse debiti, sed incertus tum ratione doli, tum quia dolus ille, siue causa, ex qua oritur hæc obligatio ad interesse, non respicit tigna, sed respicit, & pro obiectū habet specificum istud detrimentum domus meæ, rerumq; mearum, & sic casus est incertus, cum eius obiectum non versetur in re, habente certam quantitatem, vel naturam limitatam, sed circa aliarum rerum detrimenta, quarum nulla præexistit certa quantitas, vel natura; sed ex euentu, & diligenti inquisitione apparebit, & ideo interesse potest excedere duplum pretij tignorum, cum debeatur pretium æstimationis totius damni, nempè, ruinæ domus, l. 14. iulianus. initio, ibi, *si verò sciens reticuit, & emptorem decepit*. ff. de act. empt.

Infero, confirmando hoc exemplum, quòd si Titius sutori furaretur subulam, seu acum, qua vtebatur ad suendum, & mercedem lucrabatur, & aliam non haberet subulam, nec nummum ad aliam emendam, vel esset in angusto loco, vbi non venderentur; & propterea cessasset à lucro mercedis, Titius teneretur non solum ad duplū pretij subulæ, sed teneretur ad totam illā mercedem.

Nec posset Titius obijcere, quòd sutori, non laboranti, non debetur eadem merces, quæ debetur laboranti; cum merces debeatur propter laborem.

Quia respondetur, quòd isto casu adhuc debetur eadem merces, nulla habita ratione non laboris, vt in operario, coacto desistere ab opere, secutus sum supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. sub n. 86. alias si habenda esset ratio laboris, vtique subuerteretur penitus illatio.

Subinfero, apertius explicando illationem, vt quamprimum sutor potuerit emere, seu aliter iure habere aliam subulā, & is, vt sine labore mercedem lucretur, noluerit illam habere, cesset ex tunc furis obligatio ad vlteriorem mercedem; quia fur tenetur ad mercedem propter impedimētum, quod sutori præstat, ne eam possit lucrari; sed non dicitur impeditus, qui de facili potest remouere impedimentum, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum in meo tract. de appell. q. 15. num. 158. & seqq. iunctis num. 156. & 157. esset enim impedimentum affectatum, seu voluntarium, de quo habenda non esset ratio, per ea, quæ in alijs terminis secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. sub num. 941. & seqq. & sub num. 973. & seqq. & quia vesci tenemur pane in sudore vultus nostri, vt retuli supra §. 1. q. 1. sub

num. 172. si vnam habemus viam ad laborem clausam, & aliam ad eum apertam, sequi debemus apertam.

95 Exemplifica secundo, quando tu bona quidem fide vendis, & tradis mihi dicta tigna, sed cum esses faber materiarius, harum rerum peritiam profitens, asseruisti esse idonea ad fulciendum, vel construendum domum meã, quibus ego propterea vsus sum ad fulciendam domum, quia isto casu, si domus propter tignorũ vitiũ ruit, vtique tu teneris mihi ad id, quod mea interest propter tuam expressam affirmationem, & etiam propter tacitam, resultantem ex tua professione, etiam quòd non affirmasses expressè, esse idonea, & propter scientiam, quia tu scienter vendebas ad finem fulturæ, & contignationis domus, & in imminenti periculo, & perista si: causa ergo proxima, ex qua hoc casu obligaris ad interesse, non respicit tigna ipsa tantum, sed imò directè, & specificè respicit præsens præuisum, & expressè, vel tacitè susceptum periculum domus meę, rerumq; mearum, sicq; casus est incertus, vtpotè respiciens, & pro obiecto specifico habens incertum futurum periculum aliarum rerum ab his, quæ in contractu venditionis deductæ sunt, quæ, etiam si alioquin per se certæ essent, dicuntur incertæ, quia incertum est tempore contractus, an, & quota pars domus peritura sit: & huius obligationis obiectum non ad certam partem, & qualitatem refertur, sed ad tantam, quantam perijsse, & interesse euentus declarabit, & sic casus huius obligationis ad interesse est incertus, habens tempore contractus obiectum incertum futurum, & ita intelligere debemus l. 14. iulianus. ff. de act. empt. & consimiles; & ita intellectæ, tantum abest, vt discordent à l. vnica. C. de sent. quæ pro eo, vt potius optimè quadrent & menti, & verbis illius, imò & ipsi legali æquitati, & naturali iustitiæ.

96 Exemplifica tertio, quando vascularius, vel faber doliaris vendidit, vel locauit vasa, vel dolia, destinata ad recipiendum, & seruandum vnguentum, vinum, vel alium liquorem, qui vitio vasis effluxit, quia tunc iste venditor vltra remissionem, vel restitutionem pretij, vel mercedis, tenetur etiam ad æstimationem eius, quod inde perditum est, etiam si decuplo, vel trigecuplo excedat pretium, aut mercedem vasis, etiam si venditor, vel locator non fuerit in dolo, sed ignorãs, & etiam si aliter expressè non affirmauerit vas integrum, l. 21. sed addes. §. 1. ff. loc. quam citaui etiam supra num. 81. in fine, vers. neque huic. quia etsi contractus, vel res, principaliter debita, non sit incerta, cum certam habeant naturam, sunt tamen incerti isti casus interesse, qui accidunt.

97 Ratio formalis, & naturalis, amica sensui tam in isto tertio, quàm in præcedenti secundo exemplo, est culpa artificis, quæ non respicit ipsum solum corpus, principaliter in dispositionem deductum, sed respicit ab initio præuisum aliarum rerum periculum; artifex enim, seu alius professor, & negotiator, si non semper expressè, saltem semper tacitè ipso facto affirmat, rem, pertinentem ad suam artem, dum eam vendendam tenet, esse integram, & idoneam ad vsum, ad quem est destinata: si ergo vitiosa illa res sit, ipse est in notabili culpa; & tantò notabiliori, & periculosiori, quantò magis publica, & in arte, & in professione sua.

Non obstat huic exemplo text. in d. l. sed addes. §. 1. vbi habetur, quòd, si quis locauerit saltum pascuum, in quo herba mala nascebatur, ideoq; pecora vel demortua sint, vel facta deteriora, locator, si sciuit, præstabit, quod interfuit, si verò ignorauit, pensionẽ non petet; & ab hoc textu non videtur discrepare l. 14. iulianus. ff. de act. emp. vbi si quis pecus morbosum, aut tignum vitiosum ignorans vendiderit, præstabit solum quanti minoris emptor emisset, si sciuisset.

Quia respondeo, quòd in vasis, & dolijs frequentius accidit imminere specificum aliarum rerum periculum extrinsecum, ad quod artifex intelligitur se obligare, vt dixi etiam supra num. 81. in fine; secus est in pecoribus, & tignis; quia is, qui ea vendit, non vendit ad certum specificum obiectum, in quo veniat periculum extrinsecum, nisi ad aliud specificum obiectum expressim vendidisset, vt dixi infra num. 99.

98 Infero ex his, quòd omnes illi causidici, aduocati, & iudices, qui ob eorum imperitiam lites magis intricant, multaq; ex illa intricatione causant damna, incommoda, & impensas; sicq; clientes, & litigantes lædunt, tenerentur ad ea omnia damna; sed in praxi propter opinionum varietatem, & conflictum, quibus excusari potest imperitia, non seruatur, nisi tanta esset imperitia, vt posset æquiparari dolo, & consequenter

ob

ob temeritatem condemnari possent, quod adhuc non seruatur, per ea, quæ dixi in meo tract. de appell. q. 19. remed. 4. nu. 4. & seqq. sed expediret Reip. vt non adeo laxæ darentur habenæ.

99 Exemplifica quarto in eo, qui vendit tignum vitiosum, seu pecus morbosum, tanquam idoneum ad certum vsum, quia si non sit idoneum, & inde sequatur damnum, venditor tenetur ad id, quod emptoris interest, etiam si excederet duplum.

Neque obstat text. in l. 14. iulianus. ff. de act. empt. vbi quòd vendens, ignorans tignum vitiosum, seu pecus morbosum, tenetur solum actione empti, quantò minoris emptor emisset, si sciuisset.

Quia respōdeo, quòd illud debet intelligi, quando vendit indifferenter non magis ad vnum vsum, quam ad alium; secus, vt in casu huius exemplificationis, quando vendit ex speciali professione artis, vel negotiationis, implicantis assertionem idoneitatis certi vsus.

100 Exemplifica quinto in census debitore, qui annuos census non soluit, (si istos annuos census interesse extrinsecum possemus vocare) quia isti annui census possunt proculdubio excedere duplum pretij census, dummodo aliqua præscriptio non obstet.

101 Exemplifica sexto, (& attingo casum nostrum) in moroso debitore cambiorum, qui contraxit debitum cambiorum cum mercatore, seu solito negotiari in cambijs, & recambijs; & maximè in loco, vbi est paratus semper forus ad cambiendum, vt in ciuitate Genuæ, & sic concurrunt requisita, de quibus latè egi sup. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 99. & seqq. quia tunc illud interesse cambiorum, & recambiorum potest excedere duplum totius pecuniæ datæ cambio, vt in casu, de quo supra sub num. 33. vers. extende nunc, & ratio est, quia ab initio contractus ex qualitate tum contractus, tum creditoris casus habet specificum obiectum lucri cessantis, & damni emergentis, quæ sunt incerta, & pendent à futuro euentu; quare iste casus non habet specificum obiectum ipsam pecuniam, datam cambio, sed habet pro specifico obiecto lucrum cessans, & damnum emergens, de quibus contrahentes senserunt in contractu, & ideo interesse potest excedere duplum, iuxta ea, quæ in alijs terminis scripsi supra sub num. 94. & 95. in 1. & 2. exemplo; & ita passim sine difficultate seruant mercatores. Et quòd interesse lucri cessantis possit duplum verè sortis excedere, & hoc sit illud interesse, quod prouenit ex re, & plus ex industria hominis, vt mercatoris, & alterius soliti negotiari, scribit Bero. cons. 193. ex facti serie. num. 21. ibi, quod interesse. lib. 1. & quòd hoc interesse dicatur extrinsecum, & duplum excedere possit, eatenus, quatenus possit dici interesse, & hoc quando sumus inter solitos mercari, & negotiari, scribit ibidem, nu. 31. ibi, ex quibus.

102 Declara primo istud exemplum, vt procedat, docto de interesse, & de eius quantitate, quia pro ea quantitate debetur, pro qua fuerit probatū, & non vltra; alias, non liquidata quantitate, cessat obligatio, & multò magis cessat, non probato interesse.

103 Declara secundo, vt procedat cum temperamento, de quo §. præcedenti glos. 1. num. 88.

104 Declara tertio extendendo, vt præcipue procedat in interesse quanti plurimi, quod Doct. communiter vocant, intrinsecum, (quamuis non rectè, per ea, quæ dixi supra num. 91.) quia illud potest excedere duplum, Cagn. in l. vnica. nu. 5. C. de sent. quæ pro eo, &c. quare si post morā creuit æstimatio rei debitæ, & postea decreuit, habenda est consideratio huius lucri cōtra morosum, quod lucrum dicitur ipsius rei, Paul. de Castr. in l. 3. §. nunc de officio. in fine, num. 6. & Ias. sub num. 8. ff. de eo quod cer. loc. & ideo si tu fueris morosus in reddendo vino tibi mutuato, quod postea valuit decem aureis, & tempore sententiæ valeat solum quatuor, iudex debet te condemnare ad restituendum totum vinum mutuatum, & vlterius ad sex aureos, vt ex Rebuff. secutus sum supra num. 28.

105 Declara quarto, vt non procedat in interesse conuento, quia illud recipit quantitatem à conuentione; vnde si in conuentione est taxatum infra duplum, non potest excedere duplum, quamuis verè esset maius duplo, secus si sit taxatum vltra duplum.

Pro subdeclaratione huius declarationis vide quæ latè scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 25. & seqq.

§. 7. Glos. 3.

Vel de quibus cambijs, & recambijs constet per partitam, scriptam in cartularijs S. Georgij, vel in cartulario cambiorum, aut per apodissam priuatam, vel per instrumentum publicum, &c.

SVMMARIVM.

Cartularium quid sit, num. 1. Quot sint cartularia, num. 3. & seqq. Quod sit cartularium cambiorum, num. 30. Quare dicantur cartularia S. Georgij, nu. 7. Qui dicantur chartularij, sub num. 1. vers. infero.

Cartularij scriptura qualis sit, num. 6. & 31.

Cambij contractus in cartulario, num. 2.

Agere potest campsor pro cambio, etiam litteris cambij non confectis, num. 8. Declaratur, nu. 9. & seqq.

Campsarius si promisit facere litteras cambij, & non fecit, debet conueniri ad faciendas litteras, priusquam possit conueniri ad soluendum cambium, num. 9. Quid si ex campsoris negligentia, vel campsarij mora non fuerint factæ, num. 10.

Executio si fuerit petita ex vno instrumento, non potest obtineri ex alio, in quo petitio non est fundata in illa instantia, & præsertim si à statuto sit traditus diuersus ordo petendi executionem inter hæc duo instrumenta, num. 12. Extenditur primo, vt hoc procedat, etiamsi aliud statutum disponeret, quòd in causis ciuilibus possit procedi sine ordine, &c. nu. 13. & seqq. Extenditur secundo, vt procedat etiam si à statuto non sit traditus diuersus ordo, sed solum sint instrumenta de diuersis rebus, seu negotijs, num. 15. Restringitur, vt non procedat quando instrumenta non sunt separata, sed sunt correspectiua, ita vt vnum stet ad corroborationem alterius, quia tunc non diceretur petita executio vnius magis, quàm alterius, num. 16. Et quando dicantur ita correspectiua, num. 28.

Procurator cum facultate vt possit accipere cambio tam suo nomine solo, quàm vna cum alijs, potest accipere cambio nomine sociali, & obligare socios in solidum, num. 17.

Verba, vna cum alijs, important societatem, num. 17.

Dictio, quàm, posita post dictionem tàm, includit casum magis dubium, num. 18.

Verba instrumenti non debent stare superfluè, num. 19. & seqq.

Correctio legum est euitanda, sub num. 14. Est tamen ea potius, quàm superfluitas toleranda, num. 21.

Superfluitas est toleranda, quando verba nihil possunt operari, num 22.

Exceptiò, proueniens ex vno capite statutorum, non intelligitur sublata ab alio statutorũ capite, quo auferatur omnis exceptio, sub n. 14.

Mandatum procuratorium, factum filio à patre, quando includat facultatem, vt possit comparere in iudicio pro se ipso, num. 20.

Mandatum cum libera dicitur quando est data facultas, vt procurator possit facere quicquid posset facere dominus, qui procuratorem constituit, seu est ei data facultas ad votum, &c. num. 23.

Mandatum cum libera operatur idem, quod mandatum speciale, sub num. 23.

Procurator cum libera potest fideiubere ex iusta causa, num. 24. Et quæ dicatur iusta causa, ibidem, & sub num 27.

Donatio remuneratoria non dicitur donatio, sed permutatiò, ideoq; probibita donatione, non dicitur prohibita donatio remuneratoria, n 25

Donans ei, cui est obligatus antidoraliter, non dicitur donare, sed soluere debitum naturæ, sub num. 25.

Donans magistro, non dicitur propriè donare, sub num. 25.

Insinuatio non est necessaria in donatione remuneratoria, num. 26.

Alienatio rei ecclesiasticæ si sit probibita, non dicitur prohibita, si fiat propter remunerationem, num. 27.

Referens dicitur esse in relato cum omnibus suis qualitatibus, sub num. 28.

Correspectiuitas causat indiuiduitatẽ, &c. n. 29.

Factum incontinenti dicitur inesse, sub num. 29.

Declarans non dicitur facere de nouo, sub nu. 29.

Exceptio non numeratæ pecuniæ an habeat locum contra extractum cartulariorum Sancti Georgij, num. 33. & 34.

1 QVAERO primo quid sit cartularium? Respondeo. cartularium, de quo loquitur hoc statutum Genuæ, est liber, in quo Bancum Sancti Georgij scribit data, & accepta inter creditores, & debitores, qui inter

inter se contrahunt in illo Banco, & hic liber publica, & authentica pollet fide, tum quia custoditur in publica æde, tum quia scribitur manu publici notarij, vt dixi etiam supra §.1. q.5. num.17. & creditores, in eo libro descripti, dicuntur creditores cartularij, & à Bancho aliud prætendere non possunt, quàm solutionem capitalis, in eo positi, & de simili cartulario, imò forsan de hoc ipso loquitur Paul. de Castr. cons. 285. visis & ponderatis. sub num.1. vers. prima quia cartulariū.lib.1.dicens, quòd illud cartularium erat scriptū manu publici notarij.

Infero ex his, hoc cartularij nomen nihil commune habere cum nomine chartulariorum, quia chartularij dicebātur illi, qui tractabāt quaternos, seu libros, in quibus continebantur largitionales, & propriè vocabantur tabularij susceptorum, vt in l.3. præcepit. & ibi Luc. de Penn. initio, & num. 3. C. de canon. largit. lib.10. Alij sunt chartularij sacri cubiculi, quorum officium erat maius, namque dicebantur magnificentissimi, Luc. de Penu. d.n.3. chartularios etiā habent defensores ciuitatum, & notarij etiā vocantur chartularij, Luc. de Penn. sub eodē n. 3.

2 QVAERO secundo, quomodo ex partita, scripta in cartulario S. Georgij, possit constare de cambio?

Respondeo. quando partes contrahunt cambium, seu recambium in aliquo ex cartularijs S. Georgij, cuius contractus exemplaria posui supra §.1. q.5. sub nu.17.

3 QVAERO tertio, quot cartularia sint in Bancho S. Georgij?

Respondeo, præmittēdo, quòd omnia, quę consistent in facto huius responsionis, referā de auditu, & non de visu, ideoq; de eorum veritate non aliter attestor, hoc pręmisso dico, quòd cartularia sunt quatuor. Primū dicitur cartulariū primū de numerato. Secundū dicitur, cartulariū secundum de numerato. Tertiū dicitur, cartulariū monetæ aureæ. Quartū dicitur, cartulariū scutorū cambiorum, quod fuit institutum de anno 1606. die 29. Decembris, duraturū per annos tres, & postea de anno 1609. die 29. Decembris fuit prorogatum ad beneplacitum, cum lege, quòd scribatur vna cum manuali à duobus notarijs de collegio, in quo manuale, & cartulario annotetur quæuis quantitas scutorum, & mediorum scutorum argenteorum monetæ Genuensis, & scutorum aureorum quinque stamparum, cum declaratione, quòd hoc cartularium sit æquè priuilegiatum, sicut sunt alia cartularia: causa quare hoc cartularium sit institutum, est illa, quam scripsi supra §.5. gl.3. num.1.

In primo, & secundo cartulario de numerato, vt audiui, creditum, & debitum non creatur, nisi *de contanti*, & in moneta cauallottorum, & non in alia inferioris valoris, & proinde creditori in vno ex his cartularijs debetur moneta cauallottorum, etiam si pro ipso creditore fuissent illic depositi scuti aurei, seu argentei; & licet ista moneta cauallottorum, illic debita, describatur per libras, puta, quia creetur creditor de libris 200. tamen esset creditor de cauallottis 1000. quia cauallotti calculantur in libris, ad effectum, vt diminutio valoris cauallottorum non cedat damno creditoris, quasi promissa intelligatur solutio in cauallottis ad æstimationem, qua valent tempore creati crediti, iuxta ea, quæ scripsi supra §. 2. gl. 5. sub num. 184. vers. his præmissis. & num. 187. & est aduertendum, quòd etsi ista sint duo cartularia separata, tamen est vnicum in effectu, quia sunt omnimodæ eiusdem qualitatis, sed sunt duo pro maiori commoditate, & propter negotiorum multitudinem.

4 In cartulario monetæ aureæ creatur etiā partita, *de contanti*, & in scutis aureis ad rationem solidorum 68. pro quolibet scuto, & isti scuti aurei intelliguntur illi, de quinque stampis, de quibus scripsi sup. §.2. gl.3. n.75. quare creditori in isto cartulario debentur scuti aurei in auro quinque stamparū; & non cogitur accipere solutionem in alia moneta.

In cartulario de numerato scutorū cambiorum creantur etiam partitæ *de contanti* in scutis argenteis, vnde creditori in hoc cartulario solutio fieri debet in scutis argenteis, & non in alia moneta.

De cartulario gabellæ cambiorum, dixi infra num. 30. quia hoc cartularium non est de cartularijs S. Georgij, de quibus agimus in hac quæst. 3.

6 QVAERO quarto, quæ sit formula istorum cartulariorum?

Respondeo, esse breuem ad modum libri rationum, & ideo sine testibus, vide supra §. 1. q.5. sub num.17.

7 QVAERO quinto, quare ista cartularia dicantur S. Georgij?

Respondeo, quia isti libri, quos vocant cartularia, conficiuntur, & custodiuntur Genuæ in domo S. Georgij, quæ est propè

plateam

plateam Banchorũm ad litus maris in ponte mercaturæ, & in hac domo sunt quatuor centum vigintimille loca comperarum Sancti Georgij, quæ ad rationem scutorum 25. pro quolibet loco constituunt decies decem centena millia aureorum nummum, & quinque centum mille scutos, si credimus Alexandro Raud. in opusculo super banc. Sancti Ambros. num. 18. & vnus locus reddit tres, vel tres cum dimidio pro quolibet centenario in fine cuiuslibet anni, & sors nunquam repeti potest, Alex. Raud. vbi supra nu. 17. & de istis locis comperarum locutus sum etiam supra §. 1. q. 1. num. 452. & seqq. & hæc sufficiant circa has quinque qq. quia pleraque ex dictis in eis consistunt in facto, de cuius veritate remitto me ad eos, qui magis, quàm ego sunt informati.

8 QVAERO sexto, an campsor creditor cambij, de quo constet solum in aliquo ex cartularijs, litteris cambij non confectis, possit agere vigore extractus cartularij contra campsarium debitorem?

Respondeo, quòd potest, quia extracta cartulariorum S. Georgij habent executionem paratam, tanquam instrumenta publica, vt disponitur in statutis, relatis initio huius gl. iuncto eo, quod sequitur, & à nobis est relatum in glos. seqq. & hoc non habet difficultatem, quia cambium potest contrahi per instrumentum, & extractum sine litteris, vt scripsi supra §. 1. q. 5. sub num. 10. & seqq. & num. 17.

9 Declara primo hanc responsionem, vt si quis in cartulario, seu alio instrumento acceperit cambio, pro quo promiserit, seque obligauerit conficere litteras cambij, teneatur tunc non ad solutionem pecuniarum, datarum cambio, sed solùm ad faciendum litteras cambij, & ita intelligemus stat. in d. cap. 4. initio, lib. 2. quia contractus cambij non dicitur perfectus, non confectis litteris, quas campsarius promisit facere, & ideo campsor debebit prius agere ad perfectionem contractus, priusquam possit agere ad effectum contractus.

10 Subdeclara hanc declarationem, vt si litteræ cambij factæ non fuerint intra congruum tempus nundinarum, inspici oporteat, ob cuius negligentiam factæ non fuerint; nam si ob campsoris negligentiam, quia eas non petierit, isto casu campsor poßet agere solum ad repetendam sortem datam, & non ad sortem cum lucro cambij; puta si dederit scutos 1000. pro scut. 1025. marcharum, poterit repetere solum scutos 1000. quia cambium non habuit effectum, & è conuerso campsarius tenetur restituere illos scut. 1000. etiam si daremus casum, quòd campsores in illo foro perdidissent de capitali, iuxta ea, quæ scripsi supra §. 1. q. 7. par. 1. sub nu. 94. & 95. quia resolutio cambij non debet eiaudicare: minus etiam posset campsor cogere campsariũ ad perficiendum

11 cambiũ pro nũdinis futuris: †sed si factæ non fuerint ob moram campsarij, isto casu campsor posset agere ad sortẽ, & lucrũ cãbij pro interesse lucri cessantis, sicq; ad scutos 1025.

12 Declara secundo, vt si campsor haberet tàm vigore instrumenti, seu extracti Sancti Georgij, quàm vigore litterarum cambij obligatum campsarium pro litteris cambij, & ex statuti dispositione alius esset datus ordo agẽdi pro extractu, & alius agẽdi pro litteris; & cãpsor egisset pro litteris, & agendo, omisisset aliquid, quod fuisset de ordine, & nõ fuisset de ordine, ideoq; potuisset omitti, si egisset pro extractu, debeat succumbere in illo iudicio, per ea, quæ scribit Bal. in l. antepenult. bebius marcellus. vers. nota argumentum. ff. de pact. doral. dicens, quòd si habens duo instrumenta, petat executionem vnius, non potest obtinere ex alio, in quo non se fundauit, sed opus est alia noua instantia, & per ea, quæ copiosè scripsi in meo tract. de appell. q. 17. limit. 9. num. 44. & seqq. & ita seruaretur.

13 Extende primo hanc declarationem, vt procedat etiam, stante alio statuto, quòd in causis procedatur summariè, simpliciter, de plano, sub vinculo iuramenti, habito semper intuitu ad Deum, & ad veritatẽ negotij, &c. prout mandant statura Genuæ lib. 2. cap. 2. de caus. ordin. & moueor ex duobus. Primo, quia eiusmodi verba non faciunt causam summariam, sed mandant procedi breuioribus dilationibus, remanentibus substantialibus iudicij ordinarij, vt dixi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 53. sub nu. 14. & ideo idem statutum habet rubricam de cau-

14 sis ordinarijs. Secundo, quia etiam si statutum mandaret, procedi sine ordine iudicij, seu, sola facti veritate inspecta, tamen non excluderet ordinem, quem antea, vel postea dedissent in aliqua specie causarum; & ratio est, tum quia est euitãda correctio statutorum, vt dixi d. lib. 1. cap. 66. num. 10. & ideo licet statutum tollat omnem exceptionem,

nem, tamen poterit opponi exceptio, proueniens ex alio capite statutorum, quia non est verisimile, quòd se ipsum voluerit corrigere per illa verba generalia, Bar. in l. 1. §. & parui. sub nu. 5. ff. quod vi aut clam. tum quia lex simplex, & generalis numquam refertur ad casum, in quo est prouisum nominatim, & in specie, & lex noua, corrigens veterem, non intelligitur eam corrigere in casu, in quo illa lex vetus specialiter prouidit, nisi eam in eo specialiter corrigat, quia de eo, quod est notatu dignum, debet fieri mentio specialis, vt hæc omnia secutus sum in d. meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 9. n. 1734. & seqq. tum demum quia generi per speciem derogatur, siue species sequatur, siue præcedat, siue simus in legibus, siue in statutis, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 4. sub num. 24. 25. & seqq.

15 Extende secundo, vt procedat etiam si statutum non disponat, aliter procedendum esse super vno, quàm super alio, quia nihilominus si quis egerit ad executionem vnius instrumenti, nō potest eam obtinere ex alio, vt puta, quia in vno instrumento continea tur obligatio simplex, & in alio obligatio cum dilatione temporis ad soluendum, vel in vno instrumento contineatur obligatio plurium simpliciter, & in alio obligatio in solidum, quia etiam isto casu agens ex vno instrumento, non potest obtinere ex alio, ex quo non egit, quia via, quam elegit, sibi pateat, vt in alijs terminis scripsi in meo tractat. de appellat. q. 17. limit. 9. sub num. 45. vers. ratio.

16 Restringe, seu potius declara hanc extensionem, vt procedat, quando scripturæ, seu obligationes sunt inter se ita separatæ, vt vna non stet declaratiuè, & relatiuè ad aliam; secus quando vna scriptura stat auxiliatiuè, correspectiuè, & relatiuè ad aliam, & simul producerentur, quia isto casu licet peteretur executio vnius ex illis scripturis productis; tamen, vt arbitror, poterit obtineri etiam ex alia: & alias habui in facto casum, in quo campsarius pro se, & socijs in vim mādati, quod ab eis habebat accipiendi pecunias cambio, tam solus, quàm vna cum alijs, acceperat cābio nomine sociali, & in solidum scutos quinquemille in cartulario S. Georgij, sed postea subscripserat litteras cambij non sociali nomine, sed simpliciter, & cum campsor, qui ei dederat cambio, ageret contra omnes socios, & produxisset extractum cartularij, mandatum procuræ, datum campsario à socijs, & litteras subscriptas, & protestatas, & peteret earum executionem contra omnes, vnus ex eis excipiebat duo: primum, litteras cambij non fuisse subscriptas nomine sociali, neque in eis factam esse mentionem, quòd pecuniæ fuerint datæ cambio in solidum: secundum, fuisse petitam executionem litterarum, & non extracti; & vlterius mandati vires non se extendisse ad accipiendum in solidum, super quo facto, re discussa, ego, paruam in hoc sentiens difficultatem, existimaui, campsarium esse in primis condemnandum in solidum, prout fuerat petitum, & non pro virili, & esse condemnandum ex scripturis, quæ fuerant productæ; & duobus mouebar fundamentis.

Primo, quia, quoad condemnationem in solidum, campsarius, dum in cartulario S. Georgij accepit illos scutos 5000. ad cambium nomine sociali, & in solidum, obligauit socios in solidum, & eos potuit sic obligare, quia habebat mandatum, quod ex

17 multis clausulis erat sufficiens. † Primamque clausula erat, quia socij dederant ei facultatem, vt posset accipere cābio (tam sub suo nomine solo, quàm vnà cum alijs) quæ verba important, vt posset accipere cambio sub nomine suo solo, & etiam nomine communi vnà cum alijs: sed posse, aliquid fieri nomine communi, importat societatem, etiam quòd de societate nihil sit dictum; vnde, si in litteris dicatur, quòd aliquid fiat nomine communi, dicitur societas, Tiber. Decian. cons. 97. quæritur. sub

18 num. 34. & 39. versus finem, lib. 2. † & considerabam naturam dictionis, *quàm*, positæ post dictionem, *tàm*, quæ est, vt includat casum magis dubium, sicut ostendit Rain. Cors. tract. de indag. iur. lib. 2. cap. 11. nu. 3. tom. 1. fol. 284. & benè ad hoc facit, quod de dictione, *etiam*, scribit Alex. cons. 116. animaduersis. num. 14. lib. 2. Dec. cons. 466. num. 17. & alij communiter in diuersis locis: ergo in mandato est inclusus hic alius casus, vt posset accipere cambio etiam nomine sociali, quia erat casus magis dubius.

19 † considerabam vlterius, quòd, si diceremus aliter, illa verba (*quàm vnà cum alijs*) essent apposita sine virtute aliquid operandi; quod non est dicendum, etiam si materia esset stricta, odiosa, pœnalis, & quæuis dispositio,

Franc.

Franc.Bec.conf.21.dubitatum.sub num.25. semper enim interpretatio ita sumi debet, vt dispositio non reddatur elusoria, idem Bec. cons.41.visis. num.20. & is sumi non debet intellectus, per quem incidamus in superfluitatem, quando alius dari potest, Surd. 20 decis.276. his qui. num.4. & ideo Rot.Genuen. decis.195. agente. sub num. 12. otto dublo, de quo sub num. 9. & seqq. tenuit, quòd mandatum procuratorium, factum filio à patre, cum haberet verba generalia, & nihil operaretur quoad facultatem comparendi pro patre, & pro alijs, debebat intelligi in casu, in quo operabatur, & verba non erant superflua, & sic in casu, vt posset comparere pro se ipso, quia in isto sensu ver- 21 ba operabantur; † hocq; fundamentum in tantum est verum, vt sit potius toleranda correctio iuris, quàm superfluitas verborū, Rot.diuers.decis.121. licet. num. 25. par.1. & liceat ad tollendam superfluitatem elicere intellectum à contrario sensu, correctorium iuris communis, vt secutus sum in meo tract. de iudic.caus.&c. lib. 1. cap. 97. 22 sub num. 121. vers.quicquid. † Sed in obligatione sociali potest agi in solidum, Rot. Genuen.decis.162.in causa fratrum. num.1. Nec dicatur, quòd in contractibus ponuntur multa verba ad maiorem expressionem, & tamen non dicuntur superflua, vel saltem talis superfluitas est tolerabilis, vt si in instrumento venditionis dicatur, vendidit, cessit, & titulo venditionis dedit, & similia. Quia respondeo, superfluitatem tolerari, quando verba non possunt aliquid operari, secus quando possunt operari, quia tunc 23 debent operari. † Secunda clausula erat, quia socij dederant ei facultatem faciendi quicquid potuissent facere ipsi constituentes; quod dicitur mandatum cum libera administratione, vt de opinione communi testatur, & sequitur Ias. in l. 1. sub num. 22. ff. de offic. proc. cæsar. imò dederant ei facultatem ad votum, idest, pro suo libito, & voluntate, & sic habuit mandatum, vt posset facere ea omnia, quæ requirunt mandatum speciale, tanquam is, qui habet mandatum cum libera, Ruin. cons.27.visis his.sub num. 1. & 2. lib. 1. & quibus verbis intelligatur datum mandatum cum libera, scribit Paul. de Castr. in l. 24 10.si procurator. num.4.C.de procur. † sed procurator cum libera potest fideiubere ex iusta causa, quia licet procurator cum libera administratione, & cum quauis ampliori facultate excogitabili non sit vmquam procurator ad dilapidandum, &, fideiubendo, dicatur dilapidare, tamen, fideiubendo ex iusta causa, non dicitur dilapidare, Paul. de Castr.in l.in personam. §.qui pecuniam.sub num.1.& Ias.sub num.2. ff.de pact. Franch. in cap. qui ad agendum. §. procurator. sub num.4. cas.27. de procur. in 6. & dicitur fideiubere ex iusta causa, quando fideiubet pro alio, & pro tanta quantitate, pro quanta ille alius fideiubet pro ipso fideiussore in seruitium sui principalis; quare prohibitio, ne possit procurator fideiubere, non se extendit ad fideiussionem reciprocam in casu, quo procurator sit constitutus cum libera administratione ad faciēdum aliquem contractum, & non inueniat qui velit secum il- 25 lum contractum inire sine fideiussione; † sicut enim prohibitio donationis non se extendit ad donationem remuneratoriā, quia, si præcedit obligatio naturalis, donatio non est donatio, sed est permutatio, Ant.Corset. in cap.grandi. num. 11.de suppl. negl. prælat.in 6.inter Repeten.tom.5.fol.91. quia qui est obligatus ad antidora, non donat, sed soluit debitum naturæ; vnde si quis donet magistro suo, non dicitur propriè donare, Corset.post d.cap.grandi.nu.12.& seqq. donans enim, si consequitur tantundem commodum, non dicitur donare, Ias. in l. 29.contra iuris. §.si filius. sub num.8.not.2. ff. de pact. sed dicitur potius quædam compensatio seruitiorum, Corset. d. num. 11. 26 † hincq; est, quòd in eiusmodi donatione non requiritur insinuatio, Corset. vbi supra num.26.Bal.Perus.tract.de statut.in verbo, dolus. num.4.tom.2. fol.108. Tiraq. in l.si vnquam. in verbo, donatione largitus. num. 143.189.& latius num.127. C. de reuocan. donat. quoniam hæc mutua donatio, quarum vna est causa alterius, non est donatio, Ant.de Canar. tract. de insinuat. q. 19. sub 27 num.24.tom.6.par.2. fol.278. † & res Ecclesiæ, prohibita alienari, potest alienari propter remunerationem, Corset. sub d.nu. 12. ita etiam prohibitio fideiussionis non se extendit ad fideiussionem remuneratoriam.

28 Secundo, quoad concedendam executionem petitam, mouebar, quia litteræ cambij, & extractus cartularij non continebant diuersas obligationes, sed vna scriptura corroborabat, & famulabatur alteri; siquidem procurator heri fecit litteras cambij simpliciter

citer cum istis verbis; *per altrettanti banuti da lui nel cartulario di S. Giorgio.* & quatuor dies post verè eos habuit in dicto cartulario, & quando habuit, accepit eos nomine sociali, obligauitq; omnes in solidum; vnde præfatæ litteræ cambij, antea factæ, sine vllo dubio recipiunt declarationem ab ipso cartulario, quia stant relatiuè, & correspectiuè ad illud, & quicquid est in relato, est in referente, Rot. Genuen. decis. 193. ioannes baptista. num. 4. & decis. 210. christophorus. & cum omnibus suis qualitatibus, Dec. cons. 539. inclyta. num. 9. & latè Tiraq. tractat. de legib. connub. in verbo, expres. gl. 7. num. 183. cum seqq. fol. 335. & dicitur esse in referente verè, & propriè, Gabr. cons. 99. quoad primam. num. 34. lib. 2. &, loquendo de obligatione, Bal. in l. si prior. ff. sol. matr.

29 fol. 11. † & correspectiuitas causat indiuiduitatem, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 11. nu. 1120. & in moralibus quando vnum est propter aliud, ibi est tantum vnum, Lud. Lopez tract. de contract. lib. 2. cap. 5. vers. secunda conditio. & sicut iura iuribus sunt concordanda, ita etiam scriptura, & cætera omnia quoad fieri potest, sunt ad concordiam reducenda, vt secutus sum d. lib. 2. cap. 9. sub num. 1815. in futura impressione: & quæ incontinenti fiunt, inesse dicuntur, l. 40. lecta. & ibi Doct. ff. si cert. pet. & qui declarat, non dicitur de nouo facere. l. 7. adeo. §. videtur. ff. de acquir. rer. dom. *qui excussit spicas, non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit.* & l. 21. hæredes palam. §. 1. ff. de testam. & qui test. &c. *nihil enim tunc dat, sed datum significat.* Franc. Curt. in auth. hoc sacramentum. num. 5. C. de iureiur. prop. calum. inter tract. diuers. tom. 3. par. 2. fol. 131. Hier. Alban. de potest. pap. par. 2. nu. 250. tom. 13. par. 1. fol. 81. & dixi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. sub nu. 282. vers. sed eiusmodi. in futura impress. & sic litteræ informantur ab ipso extractu.

30 QVAERO septimo, quid sit cartularium cambiorum, & numquid sit vnum ex illis quatuor, de quibus scripsi supra num. 3.

Respondeo, hoc esse cartularium gabellæ cambiorum, in quo solent contrahi cambia, ad obuiandum in primis, ne càbientes possint Remp. hac gabella fraudare, & secundario ad cautelam campsoris, vt de cambio constet ex publico documento, & executionem in suo casu habeat paratam, & differt ab illis quatuor cartularijs, de quibus supra d. num. 3. tum quia hoc cartularium non custoditur ex suo instituto, & natura in domo S. Georgij, nisi translacto quinquennio, quo tempore solent vendi gabellæ, & tunc priores libri quinquennij lapsi ponuntur in ædibus S. Georgij, tum quia, si verum est; quod mihi dictum fuit, in isto cartulario de sui natura, & instituto, non soluitur *de contanti*, licet omnes contractus, qui geruntur in quouis cartulario præsumptione iuris, & de iure, quæ probationem non admittit in contrarium, per ea, quæ dixi supra §. 1. q. 1. sub num. 524. & num. 527. in fine, & in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 7. num. 209. & 210. habeant numerationem *de contanti*, ita vt exceptio non numeratę pecuniæ sit penitus exclusa; tum, quia in cartulario cambiorum non describuntur aliæ rationes, quàm cambiorum: in cæteris verò cartularijs describuntur variæ rationes cuiusuis negotij.

31 QVAERO octauo, quæ sit forma scripturæ cartularij gabellæ cambiorum?

Respondeo, quòd est illa, quam per extensum posui supra §. 1. q. 5. sub num. 17. vbi videas.

Aduerte primo nunc pro intelligentia illius scripturæ, quòd scriptura primæ partitæ *Tiberius pro Ioanne lib.* 1000. significat, Tiberium soluisse libras 1000. Ioanni, & sequens scriptura, *Ioannes pro Tiberio pro numerato libras* 1000. significat Ioannem eas à Tiberio habuisse; remanente propterea Tiberio creditore dicti Ioannis.

32 Aduerte secundo, quòd creditor, volens agere vigore scripturæ alicuius cartularij, debet producere illius scripturæ copiam, quam stat. Genuen. lib. 2. cap. 3. §. in causis. vocant extractum cartularij, quæ copia extrahitur de verbo ad verbum, & producitur in ea forma, quam posui supra §. 1. q. 5. sub num. 17. solum initio primi exemplaris, vbi est posita littera A, adduntur ista verba, *Reperitur in manuale cartularij gabellæ càbiorum anni 1601. car. 286. inter cetera, vt infra*, & in fine, vbi posui litteram B, adduntur ista, *M. DC. XIII. die decima Septembris extractum in omnibus vt supra, licet &c. salua &c. Nicolaus Passanus Notarius.* & initio secundi exemplaris vbi posui litteram C, adduntur. *In manuale originali cartularij gabellæ cambiorum Perillustris officij Sancti Georgij anni M. DC. II. sub die xxiij. Octobris inter catera, vt infra.* & in fine vbi

posui litteram, D. adduntur ista. *Extracta sunt in omnibus, vt supra, salua &c. Ioannes Maria Pincetus, & dicti cartularij scriba.*

33 QVAERO nono; ex quò supra sub nu. 3. 4. & 30. dixi, in cartularijs contrahi semper de numerato; nunquid, producto extractu ex aliquo cartulario, ad probandum cambium, siue ad probandum aliũ contractum pecuniarium, reus possit excipere de non numerata pecunia, & assumere in se onus probandi, pecuniam non fuisse numeratam?

Respondeo: videtur dicendum, quòd non possit, quia natura illorum cartulariorum est, vt contractus, qui in eis geruntur, fiant semper pecunia præsenti, & numerata, adeo quòd articulus, quem reus daret ad probandum, non interuenisse pecuniam, esset vti impertinens reijciendus; quia sicut Bancum ipsum non potest excipere de non numerata pecunia aduersus eum, cui se constitueret debitorem, ita neque alij, in eo contrahentes; & ratio est, quia sicut contrarium eius, quod de stylo habetur pro vero, non potest probari, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 8. nu. 4. & seqq. ita probari non potest contrarium eius, quod & de stylo, & de natura negotij habetur pro veritate.

34 Contraria opinio; quòd enim reus audiatur in exceptione non numeratæ pecuniæ, si in se assumat onus eam probandi, suadetur ex his, quæ scribit Rot. Genuen. decis. 26. in causa. num. 27. in fine, & num. 28. dicens, fuisse probatũ in illa causa per testes, quòd quandoque dicitur, *pro numerato*, cum tamen nulla interuenerit numeratio, sed fit, inquit, ex alia causa, vel ex mutuo, & dicitur, *pro numerato*, ad euitandas gabellas; quare interim statur cartulario, quòd interuenerit numeratio, donec non constet, ex alia causa illud factum fuisse, vt inquit Rot. supra citata; veritas enim quandocunque virescit.

Declara vt quamuis exceptio nõ numeratæ pecuniæ non releuet, tamen, si lucidissimis documentis probaretur, releuaret, quia veritas nunquam est reijcienda, & facilius excipiens admitteretur ad probandũ, partes simulatè numerasse, quàm ad probandũ, falsò in cartulario scriptum esse de numerato.

35 QVAERO decimo, quomodo de contractu cambij possit apparere per apodissam priuatam, vel per instrumentum publicum?

Respondeo, posse sicut de alijs contractibus, & quia de hoc posui aliqua exemplaria supra §. 1. q. 5. num. 12. 14. 15. 16. & sub num. 17. vers. tiberius. pluribus non insisto.

§. 7. Glos. 4.

In quibus expressè fiat mentio, aliquas pecunias fuisse datas cambio, vel fuisse solutas alicui, vel de ordine alicuius, qui promisisset de ipsis pecunijs facere litteras cambij, teneatur magistratus, postquam cesserit, & venerit dies obligationis, & faciendæ solutionis dicti cambij ad instantiam creditoris, vel habentis auctoritatem exigendi dictum cambium, seu recambium, &c.

SVMMARIVM.

Cambij scriptura an & quando habeat executionem, num. 1. & seqq.

Executio litterarum cambij non datur contra tertium, num. 4.

Cambiorum exactio cui competat, num. 5.

1 QVAERO primo, an singulis scripturis, contentis in statuto, de quo in præcedenti gl. debeat dari executio, si in eis facta sit mentio (vt dicit hoc statutum) pecunias esse datas cambio, vel esse solutas alicui, seu de ordine alicuius, qui promiserit de dictis pecunijs facere litteras cambij?

Respondeo distinguendo.

Aut sunt factæ litteræ cambij; & tunc dico, illis litteris acceptatis, vel redeuntibus, cum protestatione; dari executionem paratam, vt dixi supra gl. 2. num. 3. quamuis in eis nulla legatur promissio, seu obligatio, sed solum mandatum, vt soluantur ex causa, in eis expressa.

2 Aut non sunt factæ litteræ; & tunc dico, non dari executionem paratam, nisi eatenus, quatenus in scriptura adest obligatio, & non vltra; quare si in scriptura is, qui accepit

cepit pecunias, promiserit facere litteras cambij, dabitur executio parata pro faciendis litteris promissis tantum, vt dixi etiam in gl. præcedenti, num. 9. si verò in scriptura cambij quis promiserit soluere, seu consignare Petro Francofurti scutos mille vltima die Martij anni sequentis 1599. illa scriptura habebit executionem paratam instar litterarum cambij; vnde sicut litteræ ipsæ debent acceptari, vel protestari, ita etiam eadem scriptura erit instar litterarum soluenda, vel protestanda Francofurti.

3 Infero ex hoc secundo responsionis membro, quòd non omnis scriptura, in qua fiat mentio de cambio, est exequibilis, etiam si sit ex illis, de quibus loquitur statutum; quia debet esse scriptura promissoria, seu obligatoria, prout innuit idem statutum in illis sequentibus verbis, *& venerit dies obligationis, &c.* quare litteræ ipsæ cambij obligant, & consequenter protestari possent, si loquantur dispositiuè, & subiecta materia patiatur; secus si loquantur enunciatiuè, per ea, quæ secutus sum supra §. 2. gl. 9. num. 6.

4 Declara eandem responsionem, vt procedat contra eum, qui contraxit cambium, secus contra tertium, qui non contraxit, quia contra eum non potest procedi via executiua, licet is habeat interesse in illo cambio, vt secutus sum in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 9. sub num. 16.

5 QVAERO secundo, quis habeat auctoritatem exigendi cambium, seu recambium?

Respondeo, creditor, qui contraxit; successor ipsius, siue sit vniuersalis, siue particularis, & hoc non recipit dubitationem; item procurator cum mandato speciali ad exigendum, alias sine mandato speciali non haberet auctoritatem, l. 86. hoc iure. & ibi Doct. ff. de solut. Rebuff. quem sequitur Caball. ad constit. March. lib. 6. cap. 11. in verbo, procuratorum, sub num. 4. cas. 12. & 13. & dixi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 101. num. 36. item adiectus solutioni litterarum, postquam litteræ per ipsum adiectum præsentatæ sunt acceptatæ, per ea, quæ dixi supra §. 2. gl. 7. num. 76.

§. 7. Glos. 5.

Facere præceptum debitori, quòd soluat intra horas viginti quatuor, quibus transactis, teneatur licentiam expeditam concedere.

SVMMARIVM.

Instrumentum cambij de iure communi an habeat executionem paratam, num. 1. & 2. Habet eam de iure municipali locorum, num. 3. Et de iure consuetudinario, num. 4. Declaratur, num. 5. & 6. Ampliatur, num. 7. Restringitur, & subrestringitur, num. 8. & 10.

Scriptura cambij, vt habeat executionem paratam, qualis esse debeat, num. 5. & 6.

Ratio naturalis habet vim iuris communis, num. 4. in fine.

Executio parata datur etiam pro interessibus cambij, num. 7.

Litteræ fictæ cambij non habent executionem paratam, num. 8. Habent tamen pro ea parte, in qua non essent fictæ, num. 10.

1 QVAERO primo, an instrumentum, seu litteræ cambiorum possint habere executionem paratam? Respondeo, distinguendo tria iura. Primum est ius commune. Secundum est ius municipale locorum. Tertium est ius consuetudinarium non scriptum.

Loquendo de iure communi, & supposito, quòd de cambio constet per publicum documentum, seu instrumentum, quæstio videtur disputabilis.

Affirmatiua enim, quòd possit habere executionem paratam, videtur probari, tum quia instrumentum depositi habet de iure communi executionem paratam, vt secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 62. sub nu. 11. vers. contrariam. & cambium habet naturam depositi, quia, dans cambio, deponit, vt alibi reddatur, seruata iustitia contractus; tum quia rationes, ob quas infra sub num. 4. diximus, de consuetudine dari executionem paratam, habent vim iuris communis, cum totum ius commune

conſiſtat in ratione naturali, vt dixi ſupra §.1.q.7.par.2.ampl.19.num.16.& hoc eod. §.gl.2.ſub num.35.

2 Negatiua probatur, quia, quicquid ſit in depoſito, de quo hic non tracto, cambium non eſt depoſitum, ſed eſt emptio, & venditio, vt latè oſtendi ſupra §.1.q.4.num.21.in 4.opinione, ſed in iure communi non reperitur, quòd in emptione, & venditione pecuniarum procedatur executiuè, imò neque in quouis contractu, etiam ſi de eo extet publicum inſtrumentum, per ea, quæ dixi in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 62. num. 1.

Ad id, quòd ipſa ratio ſit ius commune, reſpondeo eſſe verum; ſed dico, adhuc veram etiam eſſe opinionem hanc negatiuam, cum hac diſtinctione: Aut conſideramus ius commune, editum in ff.C.Auth.& Inſtit. &, hoc iure attento, dico, de iure communi non dari executionem paratam, quia cum tunc non extaret hæc cambij negotiatio, ſed cæperit poſtea, vt dixi ſupra §. 1. q. 6. num.8. rationes etiam iſtæ erant latentes, & ideo vndique ceſſauit ius: Aut conſideramus ius commune, non editum, ſed edendum; quia ſicut natura quotidie nouas deproperat edere formas, ita etiam quotidie noua promulganda ſunt iura, & iſto iure attento, dico, veram eſſe opinionem affirmatiuam, quòd hæc executio parata deſcendat à ratione naturali, quæ eſt ipſum ius commune.

3 Loquendo de iure municipali locorum, concludo, quòd inſtrumenta, apodiſſæ, & litteræ cambij habent ex expreſſa diſpoſitione executionem paratam, vt ex ſtatutis Genuæ, & capitulis Bononiæ retuli ſupra gl. 1. num. 2. & quotquot extant ſtatuta de cambijs, tribuunt executionem paratam.

4 Loquendo de conſuetudine etiam generali, concludo idem, quòd habent executionem paratam, & maximè pro cambijs nundinarijs.

Confirmatur primo hæc cõſuetudo, quia cambientes videntur expreſsè conuenire, quòd detur executio parata, dum in litteris dicunt, *pagáte*, per ea, quæ ſcripſi ſupra §.2. gl.5.nu.1.3.& ſeqq. & præcipuè, ſi, vt dixi, cambium ſit nundinarium, quia nundinæ paucis abſoluuntur diebus, vt dixi eod. §.2. gl.4.ſub num.3.& 9.& cum ſolutio fieri debeat in nundinis, ſequitur vt promptè fieri debeat.

Confirmatur ſecundo, quia cambij negotium, conſiderato ſui initio, videtur introductum pro mercatoribus, vt dicebamus ſupra §.1.q.6.ſub num. 7. ſed mercatoribus multa euenirent damna, & intereſſe, ſi cambia non haberent executionem paratam, & mercatura eſt vtilis, & neceſſaria Reip. vt dixi ſup. §.1.q.1.num.73.& 74. ergo ſequitur, vt lex, obuiando his damnis, debeat paratam dare executionem.

Demũ ex hac generali conſuetudine inoleuit, vt, cum volumus dicere, aliquid eſſe omnino expeditum, metaphoricè dicamus, expeditum eſſe per litteras cambij; & quia hæc conſuetudo ſeruatur inuiolabiliter, pluribus non inſiſto, ne, inſiſtendo, videamur in dubium reuocare principia.

5 Declara hanc concluſionem, vt ſit vera, quando de cambio conſtat per ſcripturam publicam, quæ à ſtatutis, vel conſuetudine habeatur pro authentica, ſeu publica, & in his terminis loquitur ſtatutum Genuæ, de quo loquimur; ſecus ſi de cambio nõ conſtaret per eiuſmodi ſcripturam, ſed conſtaret per ſcripturam vitiatam, ſeu ſuſpectam, quia tũc non haberet executionem paratam, per ea, quæ ſcripſi in meo tract. de appell. q. 17. limit. 9. nu.74. Idem ſi de cambio conſtaret ſolum per teſtes, per ea, quæ dixi in meo tractat. de iudic. cauſ. &c. lib.1. cap.62. nu.11. in fine, verſ. ſecundo quando. & d. limit. 9. num. 63.

6 Subdeclara, extendendo hanc declarationem, dum loquitur de ſcriptura authentica, ſeu publica, vt ſcriptura priuata mercatorũ inter ipſos mercatores reputetur pro publica, & authentica, quia de conſuetudine ſcriptura mercatoris habetur pro ſententia, &c. & habet vim inſtrumenti publici, vt ſcripſi in meo tract. de appell. q.17. limit.9. num.3. in futura impreſſione.

7 Amplia concluſionem, de qua ſupra nu. 3.& 4. vt poſſit procedi executiuè, etiam pro intereſſe, Fulu. Pacc. tract. de probat. lib. 1. cap.26.num.65.cum ſeqq.

8 Reſtringe eandem concluſionem, vt non procedat, quando litteræ cambij ſunt fictæ, quia tunc non habent executionem paratam, Io. de Anan. in cap. vlt. nauiganti. ſub num.46. Nauar. num.27. verſ. notandum tamen. & Io. Bapt. Lup. in §.2. num.24. de vſur. inter tract. diuerſ. tom.7. fol.139. & hoc idem in ſocietatibus officij, fictè contractis, ſcribit Virg. de Boccat. tract. de ſociet. offic. num.106.

Nec

9 Nec obstat, quod in deposito simulato ex Abb. refert Caroc. tract. de deposit. par. 2. q. 62. fol. 116. quia illa simulatio depositi non continet iniustitiam, & ideo est licita.

10 Subrestringe hanc restrictionem, vt non procedat, quando litteræ essent partim veræ, & partim fictæ, quia pro illa parte, pro qua essent veræ, haberent executionem paratam, Nauar. vbi supra, adde pro hac subrestrictione, quod scripsi supra §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 20. num. 18. 19. & 20.

SVMMARIVM.

Variatio an sit licita in causis executiuis, num. 1. & seqq. Et quid, si cœptum sit iudicium ordinarium, an possit institui executiuum, num. 14.

11 QVAERO secundo, an actori, habenti plures vias executiuas, liceat variare, ita vt, vna electa, possit illam omittere, & transire ad aliam, & proinde Genuensis, intentato remedio statuti, de causis executiuis, lib. 2. cap. 3. possit transire ad remedium statuti, de causis breuioribus?

Respondeo. Videtur dicendum, quòd possit, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 9. sub num. 45. vers. comprobatur.

12 Contrarium suaderi videtur ex eo, quòd in præfato statuto lib. 2. cap. 3. adest instantia, sicut in causis ordinarijs; & ideo non videtur posse variari, nam in executiuo dicimus, posse variari, quia secundum meam opinionem de qua in d. meo tract. de appell. q. 15. sub num. 248. vers. contrariam, in eo non datur instantia.

13 Verum non discederem à prima opinione, quia in executiuis non attenditur litis pendentia, per ea, quæ dixi d. limit. 9. sub num. 45. vers. comprobatur. tu cogitabis.

14 Et quid, si actor cœpisset agere via ordinaria, num posit transire ad executiuam, vide quæ scripsi eadem limit. 9. num. 44. & seqq.

SVMMARIVM.

Executio in causis cambiorum an concedi debeat, lapsis horis vigintiquatuor, num. 1.

15 QVAERO tertio, an, facto isto præcepto, & transactis vigintiquatuor horis, iudex teneatur concedere licentiam expeditam?

Respondeo, quòd non, sed est necessarium aliud præceptum ad videndum declarari litteras pro recognitis, & successiuè expediri licentiam, & vbi negauerit, litteras esse scriptas sua manu, debet actor dare articulum ad probandum litteraturam, & recipi interrogatoria, &, recognita manu, tunc debet dari executio, vt totum hunc ordinem latius scripsi supra gl. 2. num. 4. & 5.

SVMMARIVM.

Exceptiones, respicientes figuram iudicij, non admittuntur in iudicio executiuo, num. 16.

Inhabilitatis, seu Illegitimationis } personæ exceptio admittitur in quolibet iudicio, num. 17.

Extenditur primo in iudicio summario, num. 18. Extenditur secundo in executiuo, nu. 19. Extenditur tertio, vt, ea opposita, is, contra quem est opposita, teneatur plenè probare habilitatem, nu. 21. & seqq. Extenditur quarto, vt actor in primis debeat legitimare suam personam, quando venit ex persona alterius, num. 24. Subextenditur, præsertim si reus opposuerit, num. 25. Et etiam si non opposuerit, num. 26. Extenditur quinto, vt debeat legitimare etiam personam rei, si illum conueniat ex persona alterius, num. 27. Subextenditur primo, etiam si reus sit contumax, num. 28. Subextenditur secundo, etiam si sit contumax in non respondendo interrogatorijs præparatorijs super habilitate personæ, num. 29. Subextenditur tertio, vt quamuis reus citatus, comparendo, acceptaret, se esse talem, qualis citatur, tamen adhuc iudex possit ex officio requirere, vt doceat se esse talem, num. 31. & seqq. & num. 37. Subextenditur quarto, vt quamuis actor, citando aliquem pro tali, approbet illum pro tali, tamen iudex possit ex officio requirere, vt doceat se talem, num. 38.

Inhabilitas personæ qualis, & in quo iudicio non attendatur, num. 44.

Inhabilitas ex propria persona est triplex. Prima, quæ procedit à defectu ætatis, cum sit minor, num. 39. Secunda, quæ procedit à pœna, vt puta, excommunicatio, bannum, & periurium, num. 40. Tertia, quæ procedit à subiectione, vt puta, quia sit filiusfamilias, vel

miles, qui non potest esse procurator alterius, sub num. 44. An & quando hæ tres inhabilitates reddant iudicium nullum, in eisdem num. 39. 40. & seqq. & 44.

Excommunicatus, & Bannitus } an, & quãdo possint stare in iudicio, nu. 40. & seqq.

Minor, Filiusfamilias, & Miles } an, & quando possint stare in iudicio, num. 39. & 44.

Hæres, volens admitti ad hæreditatem, quid debeat probare, num. 34.

Iudicium nullum, seu sententia nulla non potest partium consensu conualidari, num. 35.

Dilatoriæ exceptiones, concernentes personam iudicis, possunt opponi etiam in iudicio executiuo, num. 45.

Peremptoriæ exceptiones opponi possunt etiam in iudicio executiuo, & quæ sint hæ exceptiones, num. 46. Sed sunt à reo probandæ per scripturam, num. 47. Etiam si venirent probandæ in secunda instantia, nu. 48. Si tamen appellatio potuisset esse suspensiua, secus si deuolutiua tantum, num. 49. Et quando fiat probatio per testes, num. 50. & 51.

Peremptoria exceptio, si sit reiecta à statuto, non admittitur in executiuo, num. 55. & seqq.

Reus in iudicio executiuo, quomodo in iudicio ordinario, dum repetit solutum, induat etiam personam rei in probationibus, num. 52.

Probationes, facta in iudicio summario, & executiuo, an, & quando sufficiant in iudicio ordinario, sub num. 52. & 53.

Vsurarũ exceptio an admittatur in iudicio executiuo, latè disentitur per plures casus, num. 56. & seqq. Et quid inter mercatores, nu. 74. & 77. Et quid si sit notoria, num. 78.

Vsurarum causa licet introducta sit ad instantiam debitoris coram Ecclesiastico, tamen procedi potest ad executionem instrumenti, n. 60. & seqq. Reiecta opinione contraria, de qua n. 58. & seqq. Et à fortiori potest procedi, si antequam agatur coram Ecclesiastico, petita sit executio coram seculari, num. 64. Quid si exceptio vsurarum opponatur coram iudice exequente, num. 66. Quid si Ecclesiasticus, qui cognoscit de vsura, inhibeat seculari, num. 67. & seqq. 75. & seqq. Et quid, quando Ecclesiasticus reuocat inhibitionem, num. 79.

Inhibitio an concedatur, creditore non citato, nu. 80. Ecclesiasticus, cognoscens de vsura, potest inhibere seculari, ne procedat ad executionem instrumenti, num. 75.

Vsurarum cognitio pertinet ad Ecclesiasticum, num. 81. Et an sit mixti fori, num. 82.

Vsuræ possunt repeti etiã coram seculari, quando ad eas fuit reus condemnatus ab Ecclesiastico, sub num. 82. declar. 2.

Litis pendentia exceptio non habet locum in iudicio executiuo, num. 13. 61. & 83.

Contumax in non respondendo interrogatorijs, vt habeatur pro confesso, quæ requirantur, nu. 30.

Præiudicialis causa an prius terminanda sit, ne sequatur intricatio processuum, sub num. 58. vers. prima. & num. 59. & sub num. 63. vers. ad primam.

Causa ciuilis si sit præiudicialis criminali, supersedendum est in causa criminali, num. 59.

Nullitas, deducta per viam actionis, an impediat executionem, num. 60. & 62.

16 QVAERO quarto, quas exceptiones posſit opponere reus in isto iudicio ita executiuo?

Respondeo, quòd potest opponere omnes exceptiones, præter eas, quæ respiciunt ordinem, & figuram iudicij, quas opponere non potest, quia proceditur sine figura iudicij.

17 Infero primo (declarando hanc responsionem) quòd potest opponere de inhabilitate, seu illegitimatione personæ; legitimatio enim personæ est necessaria in quolibet iudicio, & præsertim in ordinario, l. non ignorat. C. qui accus. non poss. quia in primis quærendum est de personis, l. si quæramus. ff. de testam. ne alias totum iudicium reddatur elusorium, & nullum, cum defectus inhabilitatis reddat actũ retro nullum, Vant. tract. de nullit. rubr. quis pos. dic. de nullit. num. 44. tom. 4. fol. 377. & habilitas superueniens, an conualidet, scripsi aliqua in meo tractat. de appellat. q. 5. sub num. 27. vers. secunda.

18 Extende primo hanc illationem, dum dixi, legitimationem personæ esse necessariam, vt procedat etiam in iudicio summario, Bar. in l. 2. num. 3. C. de edic. diu. adrian. toll. Vant. de nullit. rubr. quis poss. dic. de nullit. sub num. 44. & rubr. de nullit. ex def. inhabil. seu mand. sub num. 3. tom. 4. fol. 399. & alij, quos sequitur Neuiz. cons. 16. num. 1. & cons. 18. num. 4. & secutus sum in meo tract. de iud. caus. &c. lib. 1. cap. 62. q. 11. sub num. 24.

19 Extende secundo, vt procedat, vt dixi, etiam in iudicio executiuo, Neuiz. d. cons. 18. num. 3. & sub num. 4. & Flam. Cartar. decis.

decis. 32. quidam petijt. num. 1. & seqq. &, loquendo in obligatione formæ Cameræ, Gallesi. ad form. cam. oblig. quæstiones ad 4. part. q. 1. sub num. 1. & 3. tom. 6. par. 2. fol. 354. nam licet extet statutum, quòd contra instrumentum publicū nulla admittatur exceptio; tamen admitti debet exceptio contra personam; puta, non potest esse in iudicio, quia est minor, quia est excommunicatus, bannitus, & similia; & ratio est, quia statutum prohibet, opponi exceptionem contra instrumentum, sed istæ exceptiones sunt contra personam, Bar. in l. 1. §. & parui. num. 6. ibi, tamen circa. ff. quod vi, aut clam.

20 Comprobatur hæc extensio, quia exceptio (tu non adimpleuisti ex parte tua) potest opponi etiam in iudicio executiuo, vt secutus sum supra §. 1. quæst. 1. num. 353. & seqq. sed actor, non legitimans personas in iudicio, non adimplet substantialia illius iudicij: ergo potest opponi.

21 Extende tertio, vt, illegitimationis personæ exceptione opposita, aduersarius tam in causis ordinarijs, quàm in summarijs, & executiuis teneatur habilitatem, & legitimationem personæ plenè probare, vt, loquendo in causa summaria, scribunt Bar. in l. 2. in fine, C. de edic. diu. adr. toll. Vant. de nullit. rubr. de nullit. ex defect. inhabil. &c. sub num. 3. & Neuiz. d. conf. 18. sub num. 4. & conf. 16. sub num. 1.

22 Confirmatur hæc extensio, quia agens ex aliquo contractu, in quo sit obligatus aliquid facere, non auditur, nisi prius doceat, se adimpleuisse ex parte sua, per ea, quæ secutus sum supra §. 1. q. 1. num. 350. & seqq. & debet plenè probare, se adimpleuisse, siue agat via ordinaria, siue executiua, siue summaria, & ita practicatur vbique; sed actor vt possit agere, debet docere se adimpleuisse iudicij substantialia, quorum primum est legitimatio personarum; ergo debet semper plenè ostendere personarum legitimationem.

23 Quicquid in contrarium dixerint aliqui quoad causas summarias, & à fortiori intellexerint in executiuis, & quicquid conciliando scripserit Petr. Gerar. sing. 23. notant. dicens, in causis summarijs grauis præiudicij requiri plenam legitimationem, in summarijs verò leuis præiudicij sufficere summariam cognitionem.

24 Extende quarto, vt actor in primis debeat legitimare suam personam, quando comparet nomine alieno, idest, quando venit ex iure alterius personæ, vt puta, nomine hæreditario, tanquam hæres, quia debet docere, se esse hæredem, Bal. conf. 374. quæritur vtrum. num. 3. vers. super secundo. lib. 4. & alij, quos sequuntur Becc. conf. 75. remedium. sub num. 6. lib. 1. & Flam. Cartar. decis. 33. domina domenichina. num. 1. & seqq.

25 Subextende primo hanc extensionem, vt maximè procedat, quando reus opponit, actorem non esse audiendum, seu non esse procedendum ad vlteriora, nisi legitimata eius persona, quia tunc processus, aliter factus, esset nullus, secundum omnes, vt testatur Dec. conf. 275. in causa quæ Lucæ. sub num. 2. col. 4. & hoc sciunt omnes.

26 Subextende secundo, vt procedat, etiam si non sit oppositum, Zabar. conf. 72. singulatim. in 5. dubio, sub num. 10. & 11. Dec. conf. 61. sub num. 1. Flam. Cartar. d. decis. 33. num. 8. & Becc. vbi supra; quare, siue reus citatus sit contumax, & ideo non opponat, siue compareat, & de inhabilitate, seu illegitimatione personæ non opponat, actor debet probare, se esse talem, qualis comparet, aliàs non potest obtinere; quia, actore non probante, reus absoluitur; & in hoc supplet iudex ex officio, vt scripsi infra num. 31.

Confirmatur hæc subextensio, quia exceptio (tu non impleuisti pro parte tua) potest, etiam parte eam non opponente, suppleri à iudice ex officio, vt secutus sum supra §. 1. q 1. num. 356. Sed actor, non legitimans personas, non adimplet substantialia iudicij, ergo licet pars non opponat, potest opponere iudex; imò tenetur, ne fiat iudicium nulliter.

27 Extende quinto, vt debeat legitimare etiam personam rei conuenti, quando illum conuenit alieno nomine, vt supra; puta, vti hæredem, Bal. d. conf. 374. num. 2. vers. & istud præmittitur. militat enim eadem ratio, quæ militat in præcedenti extensione.

28 Subextende primo eandem extensionem, vt procedat etiam si reus conuentus, vti hæres, sit contumax, quia adhuc, nisi actor doceat, illum esse hæredem, non potest condemnari, Flam. Cart. decis. 32. quidam petijt. num. 1. & seqq.

29 Subextende secundo, vt procedat etiam si iste reus sit contumax in non respondendo

do interrogatorijs præparatorijs, quibus interrogandus erat, an ſit hæres, quia adhuc non habetur pro confeſſo, & ſic non eſt legitimata eius perſona, Alex.conſ.188. viſo proceſſu. ſub nu. 1.& 2.lib.2. nam etſi contumax, non reſpondendo interrogatorijs, habeatur pro negante, vel pro confeſſo, prout ei deterius erit, vt ſecutus ſum in meo tract.de iud.cauſ.&c.lib.2.cap.7. num.504. & ſeq. & eiuſmodi interrogationes poſſint fieri ante litis conteſtationem, quia fiunt ad præparandum iudicium, vt ſecutus ſum eod.cap.7.num.469. & in ſpecie, quòd poſſit quis interrogari, an ſit hæres, & an ſit poſſeſſor, ſecutus ſum ibidem num. 293. & ſub num. 506. & Genuenſes habent de hoc ſtatutum lib.2.cap.14. & ſic interrogationibus iſtis legitimentur perſonæ, & præparentur iudicia, vt ſecutus ſum in eod.tract.de iudic.cauſ.lib.1.cap.29.

30 Tamen eſt aduertendum, quòd duo requiruntur, ad hoc, vt non reſpondens interrogatorijs habeatur pro confeſſo: primum, quòd ſit ſeruata forma cap.2. de confeſſ. in 6. Bar. & Curt. quos ſecutus ſum d. lib. 2. cap.7.num.507.& Alex. d.conſ.188. num. 2.& 3. ſecundum, quòd hæc confeſſio poſſit præiudicare ſibi ſoli, & non alteri, & nulla ex tali confeſsione ſibi acquiratur vtilitas; ita vt poſsit dubitari de colluſione inter actorem, & reum, vt declaraui infra num. 33. confirm.2.

31 Subextende tertio in fortioribus terminis, vt quamuis citatus alieno nomine compareat, acceptando nomen, quo citatur, & ideo eius perſona ſit legitimata, tam quoad actorem, quàm quoad reum, ita vt neuter eorum poſsit eam impugnare, tamen adhuc eius perſona non eſt ita legitimata quoad iudicem, vt in ipſius iudicis facultate non ſit perquirere à reo, vel ab actore, vt doceāt de illo nomine, quia iudex, ne fruſtra procedat, poteſt ex officio compellere eum, qui comparet procuratorio nomine, ad faciendum fidem de ſuo mandato, Bal. in l.licet. ſub num.9. C.de procur. intereſt enim iudicis, ne acta coram eo fiant nulla, Neuiz. conſ.17.lepide.num.11. & ideo poteſt alieno comparentem nomine cogere ex officio ad exhibendum poteſtatem, & ex eodem officio inhabiles comparentes repellere, Vant.de nullit.rubr.quis poſſ. dic. de nullit. num.45.& 46.tom.4. fol. 377. & alij, quos ſequitur Neuiz.d.conſ.17.num.10.& 11.& hanc eſſe magis communiter approbatam opinionem contra ea, quæ cumulat Felyn. ſequitur Dec.in cap.9.cauſam quæ. ſub nu. 12.& 13.de iudic. & hanc opinionem contra Felyn. vti veriorem, & magis communem ſecutus ſum in meo tract.de iudic.cauſ. lib. 1.cap.101. num.33.

32 Cōfirmatur primo hæc ſubextenſio, quia etſi iudicium remanere poſsit validum contra eum, qui comparet nomine, quod non habet, vt puta, contra procuratorem, qui non ſit procurator, & ſic non reddatur eluſorium; tamen hoc modo non imponitur finis litibus, ſed potius datur occaſio litiganti: Prætereа non eſt omnino certum, quando litigatur, quòd executio habitura ſit effectū contra procuratorem, quia poterit habere iuſtam cauſam, vt non teneatur, & quia fortè non condemnabitur procurator, ſed dominus, vnde iudicium poterit reddi eluſorium, Dec. ſub d.num.13.& idem dico de eo, qui comparet nomine hæreditario.

33 Confirmatur ſecundo, quia alias aperiretur via colluſionibus; ſiquidem hac via poſſet aliquis affectare, ſe condemnari vti hæredem alicuius, vt, quaſi per ſententiam iudicis canonizatus hæres illius, magis intricet litem, ad eius, vel alterius inſtantiam motam, vel mouendam ſuper illa hæreditate, prout has ſententias voluntarias ad colludendum ſæpe ſuſcipere ſolent mercatores: & conſequenter fateretur, ſe hæredem ad ſuam vtilitatem, in præiudicium forſan veri hæredis, cui confeſsioni iudex ſtare non debet, per ea, quæ dicā in ſeq. confirmatione.

34 Confirmatur tertio, quia quod quis ſit hæres alicuius, (ſiue ſit quid facti, ſiue quid iuris) debet legitimè, & plenè probari; nempè in primis, mortuum eſſe eum, cuius vult eſſe hæres, & ſecundario debet docere de ſolemni teſtamento, ſi vult eſſe hæres ex teſtamento, vel per duos ſaltem idoneos teſtes, concludentes, ipſum eſſe proximiorem, ſi agatur de hærede ab inteſtato; & non ſtatur aſſertioni ipſius, dicentis, ſe eſſe hæredem, vel proximiorem; quare qui vult, vti hæres, adire hæreditatem, vel mitti in poſſeſsionem bonorum, debet legitimè probare, vt ſupra: ergo non ſufficit, vt aduerſarius, qui eſſet vnicus teſtis, & ipſemet, qui vult eſſe hæres, dicant, ipſum eſſe hæredem.

35 Confirmatur quarto, quia nec conſenſu vtriuſque partis poteſt cōualidari iudicium nullum, vel ſententia nulla, vt valeat vti ſen-

sententia, cum consensus meus in his, quæ non dependent ex mea voluntate, non operetur ad validandum actum, seu sententiam; ideoq; licet ego sciam, procuratorem, agentem contra me, non habere mandatum, & non opponam, tamen possum oponere postea, Bar. in l. licet. in 2. lect. C. de procur. & sic consensus, & approbatio partis nihil operatur, Neniz. cons. 17. num. 10.

36 Non obstant, quæ ex alijs refert, & sequitur Flam. Cartar. decis. 32. quidam petijt. num. 2. & seqq. dicens, quòd si citatus, vti hæres, comparet, & offert soluere de bonis hæreditarijs, actor releuatur ab onere probandi, illum esse hæredem, cum iste actus oblationis non possit fieri citra ius, & nomen hæredis, & cum solutio debiti hæreditarij aditionem inducat.

Quia respondeo, ex his probari, hæreditatem esse aditam, sed hoc procedit, quatenus is sit hæres, supponi enim debent termini habiles: quare non sufficit probare hos actus ad probandum aliquem esse hæredem, sed benè sufficit ad probandū, hæreditatem esse aditā; dummodo is, qui fecit hos actus, sit hæres; & hoc debet probari aliunde: sicut verum est, quòd filius, agendo pro re hæreditaria, dicitur adire hæreditatem, sed hoc procedit, supposito, quòd ille sit filius, quia ille actus, factus, non probaret, illum esse filium, quando filiatio est aliter probanda.

37 Declara hanc subextensionem, vt iudices hanc, quā habent facultatē perquirendi nomina, & legitimationes personarum, etiam si litigantes inter se de ijs conuenirent, vt plurimum, negligant, ne forsan alteri litigantium se suspectos reddant, & quandoque forsan ob imperitiam, aut negligentiam.

38 Subextende quarto, vt quamuis actor, citādo aliquē alieno nomine, videatur approbasse illius personam, & ideo videatur, quòd non possit contradicere, & vlterius impugnare, secundum ea, quæ scribunt Cæpoll. caut. 78. & 203. Ias. in l. de pupillo. §. seruo. num. 4. concl. 3. ff. de nou. oper. nunc. & Neuiz. cons. 17. lepidè. sub num. 8. & ideo citationem concipiendam esse, asserto nomine, idest, assertus hæres, assertus procurator, & similes, scribit idem Neuiz. ibidē n. 7. in fine. Tamen potest iudex ex officio perquirere, & inhabilem repellere, vt scripsi sup. n. 31. Et hæc de illegitimatione, seu inhabilitate, procedente ex defectu alieni nominis, quo quis comparet.

39 Declara primo nunc eandem illationem, vt inhabilitas, procedens ex nomine proprio, idest, ex sua propria persona, sit triplex.

Prima est illa, quæ est inducta fauore ipsius inhabilitati, vt puta; minoris ætatis: &, loquendo de ista; cōcludo, quòd hęc inhabilitas, tam agendo, quàm excipiendo, si non sit opposita, & iudex procedat, pēdebit postea à futuro euentu: nam, si res prosperè succedat pro minori, iudicium erit validum; secus, si non prosperè; quòd si fuerit opposita, & protestatum, non procedi, nisi, legitimata persona, tunc iudicium erit nullum, prout hæc omnia latius explicaui in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. num. 382. & seqq. & num. 405. & 406.

40 Secunda est illa, quæ est inducta odio ipsius inhabilitati, vt puta, excommunicationis, banni, periurij, & similium, &, loquendo de ista; concludo, quòd eiusmodi inhabilitas repellit actorem à limine iudicij, vt, loquendo de exceptione periurij, latè secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 2. num. 114. &, loquendo de bannito, sapienter disponunt stat. Lucensia lib. 4. cap. 23. & repellit etiam reum voluntarium, vt secutus sum eodem cap. 2. num. 174. vers. primo quia.

41 Extende hanc conclusionem, vt procedat, etiam si reus non exciperet de excommunicatione, de banno, & similibus, quæ actorem reddunt inhabilem, ac repellunt à limine iudicij; quia adhuc iudicium esset ipso iure nullum, & iudex posset ex officio eum repellere, & reus non posset eius personam approbare; quare quandocunque appareret etiam post latam sententiam, ipsum fuisse excommunicatum, seu bannitum, illud iudicium, & sententia essent nulla: hæcq; extensio est notanda ad dictum statutum Lucense cap. 23. lib. 4.

42 Restringe eandem conclusionem, vt non procedat in reo necessario, quia quæuis inhabilitas ipsum non repelleret, testibus ijs, quos secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 2. num. 163. & seqq. & cap. 9. nu. 1024. & ita in bannito sapienter disponunt statuta Lucensia d. cap. 23. lib. 4.

Ratio huius restrictionis secundum Innoc. Bar. & Paul. de Castr. quos retuli d. cap. 2. num. 178. est, quia persona eius, qui citatur in iudicio, dicitur approbata.

Hæc ratio (salua semper tātorum patrum auctoritate) non est bona, quia approbatio personæ

personæ, facta ab aduersario non sufficit, per ea, quæ dixi supra num. 35. & 38. & in specie, licet reus millies approbaret personam actoris excommunicati, tamen iudicium esset nullum, quia illa inhabilitas, procedens ab excommunicatione, non est inducta fauore, & contemplatione aduersarij, sed fauore publico, & in odium excommunicati; & ideo non potest remoueri per consensum aduersarij.

43 Ratio ergo vera est, quia reus necessarius, quamuis sit inhabilis, & illegitimus, debet cum inhabilitate audiri; tum quia necessitas non habet legem; tum quia alias implicaretur contradictio, quòd vocaretur ad se defendendum; &, denegata ei defensione, posset condemnari, vel, vt dicit statutum Lucense d. cap. 23. quia nemini auferri debet defensio, quæ est de iure naturali.

Hinc alias ego, dum essem Prætor ciuitatis Lucensis, & quidam egregius Iurecõsultus apud me vehementer instaret, vt facerē, decapitari quēdam exulē, eo quia iste exul, inquisitus de inobseruantia bãni, & citatus ad instantiam Procuratoris Fiscalis ad se defendendum, comparuerat sine saluo conducto Excellentissimi Consilij, cuius decreto erat exul: ego replicabam, quòd saluus conductus dabatur citatis pro tuitione ab offensis priuatis, cui tuitioni poterãt renunciare; sed is, meæ replicationi non acquiescens, reclamauit ad idem Excellentissimum Consilium; & quia eram in fine præturæ, nescio quid fuerit ordinatum.

44 Tertia inhabilitas est illa, quæ videtur anomala, & de hac dico in seq. declarat.

Declara secundo, restringendo eandem illationem, positam supra num. 17. vt non possint opponi inhabilitates, quæ procedunt à iure positiuo, vt puta, quòd est filiusfamilias, qui nõ potest stare in iudicio sine cõsensu patris: itē, quòd procurator est miles, vel alias de iure ciuili inhabilis; quia eiusmodi defectus, seu inhabilitas non attenditur, quando proceditur sine figura iudicij, Rebuff. tract. de sent. execut. art. 9. gl. 2. nu. 32. tom. 1. fol. 393. & Neuiz. cons. 18. in causa nobilis. sub nu. 21. vers. non obstat. vbi ipse ponit alia exempla; & hæc de prima illatione, posita supra num. 17.

45 Infero secundo, quòd potest opponere alias exceptiones dilatorias, concernentes personam, qualis est exceptio incompetentiæ iudicis, de qua exceptione scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 1. cap. 101. num. 6. & seqq. vbi videas; & quòd executio obligationis cameralis peti debeat coram iudice competenti, scribit Gallesi. ad form. cam. oblig. quæst. ad 4. partic. q. 1. sub num. 1. tom. 6. par. 2. fol. 354. & de Auditoris Cameræ iurisdictione plura scripsimus nos d. lib. 1. cap. 22. num. 6. 9. & 18.

46 Infero tertio, quòd potest opponere quamcunque exceptionem peremptoriam, concernentem merita causæ, seu ius, & iustitiam, quare poterit opponere solutionem, pactum de non petendo, & quamcunque aliam satisfactionem, item exceptionem falsitatis, & similiter exceptionem non numeratæ pecuniæ, quam exceptionem posse opponi etiam aduersus guarantigiam, dixi supra §. 2. gl. 8. num. 4. quia à statuto de causis breuioribus, de quo agimus, non sunt prohibitæ, & quod non est mutatum, cur stare prohibetur?

Nec obstat, quòd statutum de causis executiuis in §. non possit. reijciat omnes exceptiones, præter aliquas, ibi enumeratas, quando petitur executio alicuius scripturæ publicæ ex ibi numeratis; &, intentato remedio statuti de causis breuioribus, dicatur præcipuè petita executio.

Quia respondeo, dispositionem vnius statuti esse diuersam à dispositione alterius, vt legenti constat, ideoq; dico non esse faciendam illationem ab vno statuto ad aliud, etiam si conueniant in aliquo vno; præsertim in statutis Genuensibus, quæ tantum disponunt, quantum littera litteraliter sonat, vt in stat. lib. 1. cap. 16.

47 Declara primo hanc illationem, vt reus, volens probare aliquam exceptionem, debeat illam probare per scripturã publicam, & non per testes, quia probatio per testes requirit cunctationem, sed processus executiuus excludit cunctationem, vt secutus sum in meo tractat. de appellat. q. 17. limit. 9. num. 52.

48 Extende hanc declarationem, vt procedat non solum in prima instantia, sed etiam in secunda, nempe in causa appellationis; & ratio est, quia causa appellationis sequitur naturam causæ principalis; imò dicitur eadem cum prima, quare si causa prima est summaria, causa appellationis etiam erit summaria, vt secutus sum in meo tractat. de appell. q. 11. sub num. 17. vers. confirmatur. & q. 17. limit. 47. memb. 1. num. 113.

Intellige

49 Intellige primo eandem extensionem, vt sit vera quando daretur casus, in quo admitteretur appellatio suspensiua, quia isto casu censeo, extensionem esse veram; sed si essemus in casu, in quo admitteretur solum deuolutiua, censeo, quòd hæc extensio non sit vera, quia cessat fauor, & calor iudicij executiui, propter quod reijciebatur probatio per testes: Quòd si essemus in casu, in quo appellatio ad neutrum effectū daretur, & sic denegaretur tam suspensiua, quàm deuolutiua, & essent salua iura in iudicio ordinario, prout esse salua in foro Genuensi, dixi §.seq.gl.vnica,num.1.in fine,& nu.3.tunc ista extensio est superflua.

50 Subdeclara primo, restringendo eandem declarationem, vt nō procedat, quando exceptio est probata per scripturam publicam, sed indiget liquidatione, quia tunc illa liquidatio potest fieri per testes; vt secutus sum d.limit.9. sub num.55. vers.aduerte, in alia impressione (si Deo placuerit) facienda.

51 Subdeclara secundo, vt probatio exceptionis per testes, intelligatur ei reseruata in iudicio ordinario, quia in iudicio ordinario admittitur cunctatio processus, & consequenter probatio per testes, & hoc, quia non habet difficultatem, seruatur inuiolabiliter.

52 Explica vlterius hanc subdeclarationem, vt in casu, quo statuta darent actori executionem paratam, etiā eius intentione minus plenè, & nō ritè probata, vt dant statut.Genuę, lib.2.cap.4.§.in exactionibus, assecurato, agēti ad exigendū pretium rerum assecuratarū; tunc assecurator, qui in iudicio executiuo fuit reus, & condemnatus soluit, & modo in iudicio ordinario, repetendo solutum, est actor, induat adhuc personam rei in probationibus, ideoq; tenetur solum docere, se soluisse, sed non tenetur aliam defensionem facere, nisi assecuratus, qui in executiuo fuit actor, & modo in ordinario est reus, probauerit denuo tanquam actor plenè & ritè casum sinistrum, quem non ritè probauerat in executiuo, quia probationes, factæ in iudicio summario, non probant in plenario, testibus his, quos secutus sum in meo tract. de appellat.q.17.limit.6.memb. 9.num.110.in fine; & ideo licet assecuratus in figura iudicij sit reus, tamen in obligatione probationis faciendæ est actor, vt secutus sum eod.tract. de appell.q.16.limit.1.num. 49.in fine, vtrobique in 2. impressione, &, factis probationibus assecurati, tunc assecurator exceptiones, ad quarum probationem non potuit admitti in iudicio executiuo, poterit in hoc ordinario probare tàm per testes, quàm per scripturas.

53 Aduerte, quòd si reus, agendo in iudicio executiuo, plenè probasset suam intentionem, illa probatio erit sufficiens, etiam in ordinario, & ideo sufficeret illius reproductio, per ea, quæ dixi d.limit.1. num. 49. & hæc est bona practica, pro qua facit, quod scripsi infra gl.7.num.1.

54 Declara secundo eandem tertiam illationem, positam supra num.46.dum dixi, quòd reus potest opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, vt non procedat in casibus, de quibus supra §. 2.glos.8. num.5.& seqq. vbi posui limitationes, & supra hoc eodem §. gl.3. num.33.& 34.

55 Declara tertio, restringendo, vt si actor intentasset beneficium statuti de causis executiuis, & ex parte sua adimpleuisset requisita illius statuti, & scriptura cambij esset ex illis, quibus illud statutum dat executionem, isto casu reus non posset opponere alias exceptiones peremptorias, quàm sibi permissas ab illo statuto.

56 Extende hanc declarationem, vt propterea non possit excipere, quòd illud cambium est vsurarium.

57 Subextende hanc extensionem, vt procedat etiam in terminis statuti de causis breuioribus, quia propter exceptionem vsurarum, non debet impediri executio, ordinata à statuto in fauorem instrumenti publici, Surd.cons.327. rotæ Lucensis.sub num.16. vers.& proter. & num.17.lib.3.& adde quæ scripsi in meo tract. de appell. q.19. rem.1. concl.4.sub num.22.

58 Pro huius extensionis, & subextensionis intelligentia distinguo sex casus.

Primus casus est; quando antequam creditor agat coram iudice seculari ad executionem instrumenti, debitor coram iudice Ecclesiastico incœpit agere de vsura illius instrumenti: & isto casu formo opiniones.

Prima sit opinio, quòd iudex secularis sine alia inhibitione statim atque scit, litem pendere super quæstione præiudiciali, debeat supersedere, & cessare à processu, quia, si simul procederent super quæstione principali, & super præiudiciali, intricaretur negotium diuersis processibus, & iuris ordo pertur-

perturbaretur, quod vitandum est, vt in his terminis, citatis iuribus, scribit Feder. de Sen. cons. 126. in quæstione domini. num. 1.& 2.Alex.in l.4.§.condemnatum. sub nu. 17. & 18. ff.de re iudic. Ambr.de Vign.in cap. salubriter. sub num. 131. vers. quinto mouetur. de vsur. inter tract. diuers.tom.7. fol.59. & ab hac Federici opinione non discedit Affl. decis. 30. fuit dubitatum. num. 4. nam aliud est, quando petitur executio sententiæ, ante cuius prolationem præcessit iudicialis discussio,in qua potuit opponi exceptio peremptoria; aliud verò quando petitur executio instrumenti ex forma statuti, quia tunc exceptio nullitatis videtur impedire executionem, cum tunc non præcesserit iudicium,in quo potuerit opponi; & ideo non censetur reiecta exceptio peremptoria ad impediendam executionem, Raph. Cum. in d.§. condemnatum. quem referunt, & sequuntur Alex. supra citatus, & Socc. cons. 78. licet. sub num. 5. vers. ex quibus. lib. 3.

59 Confirmatur primo hæc opinio,quia processus vsuræ est præiudicialis executioni instrumenti: ergo processus iudicis secularis est ipso iure nullus, vel saltem post oppositam exceptionem,Ambr.de Vign.vbi supra; articulus enim vsuræ, vti præiudicialis,prius terminari debet, ne sequatur intricatio processuum, vt in alio proposito tenuit Rota diuers.decis.217. fuit per dominos. coram Illustriss.Card.Millino.in Romana pecuniaria, lunæ 28. Iunij 1604. in impressis Romæ anno 1615.vbi,quòd supersedendum est in causa criminali, donec ciuiliter cognoscebatur in Rota, an instrumentum esset vsurarium, quia causa criminalis super vsura instrumenti pendebat à resolutione causæ ciuilis super petita executione instrumenti; quia si Rota resoluit, instrumentum esse exequendum, erit sublata omnis prætensio vsuræ,& sententia, lata in causa ciuili, pariet exceptionem rei iudicatæ in causa criminali.

60 Confirmatur secundo, quia Iudex Ecclesiasticus præuenit secularem,quæ præuentio in causa nullitatis impedit executionem sententiæ,Paul.de Castr. & alij, quos citaui in meo tract. de appell. q.19. rem.1. concl. 4. num.2.

61 Contrariam tamen opinionem, nempè, quòd Iudex secularis possit procedere ad executionem, non obstante litis pendentia super vsura coram iudice Ecclesiastico, tenent Angel.in d.§.condemnatum. in fine, num.6.Rebuff. ad regias constit.Gall.tit.de litter.obligat.art.2.gl.1.num.22.tom.1.fol. 85. Surd.cons.327. rotæ Lucen. sub nu. 16. vers.& propter.& num.17.lib.3.Flam.Cart. decis.2.nu.9.& ex Card. Alex. secutus sum in meo tractat. de appellat. q. 19. remed.1. concl.4.sub nu.22. vers. secundo quia. nam l. vbi cœptum. sicq; exceptio litis pendentiæ non habet locum in executiuis, Surd. & Cart. vbi supra; &,loquendo indistinctè, litis pendentiam in executiuis opponi non posse, secutus sum in meo tract. de appellat. q.17.limit.9.sub num.45. in fine, vers.comprobatur.

62 Comprobatur primo hæc contraria opinio, quia nullitas, deducta per viã actionis, non impedit executionem, testibus Rota, & alijs, quos secutus sum d. concl. 4. num.1. vbi de veriori, & communi opinione,& nu. 7. vbi locutus sum de nullitate aduersus instrumentum.

Comprobatur secundo ex his, quæ dixi in fortioribus terminis infra cas. 4. in secunda opinione.

63 Ad adducta in contrarium respondetur, quòd vel in casu, in quo consuluit Feder.de Sen. instrumenta non habebant executionem paratam; vel consuluit contra communem, & in praxi receptam opinionem.

Ad primam confirmationem respondeo, quòd præiudicialitas causę ad effectũ suspẽdendi iudicium executiuum non attenditur, quando in cognitione illius præiudicialitatis requiritur altior indago, per ea, quæ,loquendo de exceptione nullitatis, secutus sum in meo tract.de appellat. q. 19. remed. 1.concl.5.num.4.&in pluribus locis,& executio est retractabilis,per ea,quæ, limitãdo, scripsi de nullitatis exceptione d. remed. 1. concl.4.sub num.74. & seqq. quæ concurrunt in casu nostro; supponimus enim, requiri altiorem indaginem; de qua re, vide, quæ scripsi d.cõcl.5.n.4.& seqq.& executio est retractabilis; huiusq; responsionis veritas elucescit ex praxi; nam exceptio non numeratæ pecuniæ est præiudicialis executioni instrumenti, quia, probata hac exceptione, ruit omnis executionis prætensio, & tamen, hac exceptione non obstante, iudex procedit ad executionem obligationis cameralis;quia sunt salua iura in iudicio ordinario repetitionis.

Ad

Ad secundam confirmationem respondeo, quòd nos in d. concl. 4. num. 1. & sub nu. 2. vers. retenta. secuti sumus opinionem contrariam, quæ est magis communis.

64 Secundus casus est per oppositum; quando antequam debitor agat de vsura instrumenti coram Ecclesiastico, creditor incœpit agere coram seculari; & isto casu à fortiori procedit conclusio præcedentis casus, quia illa præuentio, quæ, nisi essemus in executiuis, militaret in præcedenti casu ad fauorem debitoris, per ea, quæ, loquendo generaliter de præuentione, scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 12. num. 57. & seqq. & num. 66. & seqq. in isto militat ad fauorem creditoris, qui iudicium inchoauit prius coram iudice seculari, & certum est, quòd lis debet fieri, & terminari coram eo, coram quo cœpta est, vt in isto casu, firmando hanc conclusionem, scribit Calder. inter cons. Anch. cons. 236. inhærendo. num. 1. nam litis pendentiæ exceptio, quæ in executiuis non competit debitori, competit creditori, & ita procedit, quod scribit Anch. supra citatus.

65 Comprobatur hæc conclusio, quia nullitas, non euidens, ita est inefficax ad impediendam executionem per viam exceptionis, sicut per viam actionis, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 19. rem. 1. concl. 5. num. 1. & seqq.

66 Tertius casus est; quando deditor, conuentus corā iudice seculari, excipit de vsura, & petit, se remitti ad Ecclesiasticum; & isto casu, licet Card. Alex. quem citaui in meo tractat. de appell. q. 19. rem. 1. concl. 4. sub num. 22. vers. secundo quia. dicat, executionem impediri; licet etiam Bened. de Barz. tract. de guarint. par. 3. q. 7. tom. 6. par. 2. fol. 347. quem sequuntur Dec. in cap. 13. ex parte. num. 87. fall. 28. de offic. & pot. iud. deleg. & Gallesf. ad form. camer. oblig. tit. de vi instrum. oblig. camer. num. 1. eod. tom. fol. 359. dicat, quòd instrumentum, opposita exceptione vsurarum, non habet executionem, quia, vt dicit Dec. statutum, tribuens executionem paratam, non potest disponere de vsura, quæ est de foro Ecclesiæ.

Tamen opinio, quæ seruatur in praxi, est in contrarium, per ea, quæ in fortioribus terminis scripsi infra nu. 69. in secunda opinione seq. casus.

67 Quartus casus est; quando in quouis præcedentium casuum iudex Ecclesiasticus non solum procedit super vsuraia prauitate, sed vlterius inhibet iudici seculari; & isto casu est contrarietas opinionum.

Prima opinio est, quòd iudex secularis non potest vlterius procedere, Feder. de Sen. cons. 126. in quæstione domini. sub nu. 2. vers. in proposito. Ant. de Butr. in cap. 3. tuam. nor. 7. num. 9. de ordin. cognit. Card. Alex. in cap. 63. dilecto. sub num. 72. vers. secundum membrum. de appellat. & videntur sentire Alex. Rip. & Vital. quos citaui in meo tract. de appell. q. 19. remed. 1. concl. 4. num. 88.

68 Confirmatur, quia si iudex, cui commissa est causa nullitatis sententiæ principaliter intentatæ, inhibeat iudici, sententia executioni mandari non potest, testibus his, quos secutus sum d. concl. 4. sub nu. 12. extens. 7. vers. contrariam.

69 Secunda opinio, præcedenti contraria, est, quòd iudex secularis possit, inhibitione non obstante, procedere ad executionem, quia iudex Ecclesiasticus de iure non debet isto casu inhibere iudici seculari, &, inhibendo, iniustè facit, quia vna iurisdictio non debet aliam impedire; confunditur enim ordo, si sua vnicuique iurisdictio non seruetur; & Ecclesiasticus secularem perturbare non debet, quare nec superior potest inhibere inferiori, ne vtatur sua iurisdictione, Calder. inter cons. Anch. cons. 236. inhærendo. nu. 1. & 5. hancq; secundam opinionem videtur tenere Ang. in l. 4. §. condemnatum. in fine, num. 6. ff. de re iudic. dicens, quòd, cum instrumentum guarintigiæ habeat executionem paratam, secundum statuta Italiæ, eo quia in eo continetur præceptum notarij, factum debitori, expresse illud suscipienti, retractatio dicti instrumenti, quæ peteretur, non impediret executionem dicti præcepti, ideoq; inquit, si aditur Episcopus, & petatur, instrumentum declarari vsurarium, illa petitio non retardabit executionem instrumenti guarentigiæ, & subdit, quòd propterea inoleuit mos, quòd Episcopi inhibent iudicibus secularibus, & sub excommunicationis pœna, vt super executione supersedeant, sed inquit, an dictum præceptum sit iustum, patet ex prædictis, & ex Ang. refert, & sequitur ibidem Imol. num. 9. versus finem, & ita seruari in praxi, videtur testari Rebuff. tract. delitter. oblig. art. 2. gl. 1. sub num. 22. vers. octauo etiam. tom. 1. fol. 85.

70 Confirmatur hæc opinio, quia, commissa

causa nullitatis obligationis cameralis, cōmissarius non potest inhibere iudici executori, ne exequatur obligationem, testibus his, quos secutus sum in meo tractat.de appel.q.19. rem.1.concl.4. num.7.

71 In hac controuersia possunt excogitari diuersæ conciliationes.

Prima conciliatio est, vt nisi iudex ecclesiasticus præuenerit, vt in primo casu, tunc non rectè faciet, si inhibeat, Rip. in l. 4. §. condemnatum. num.29. in fine, ff. de re iudic.

72 Secunda conciliatio est, vt iudex ecclesiasticus possit inhibere, & iudex secularis, cui inhibetur, debeat parere; sed tamen iudex ecclesiasticus iniustè faciat, & ita videntur sentire Anch.Ang. & Imol. quos citaui sup. num. 69. pro secunda opin. non enim dicunt, quòd iudex secularis possit, non obstante inhibitione, procedere, sed solum, quòd iniustè inhibet.

73 Tertia conciliatio, quam in Regno Hispaniarum ex l.regia colligit Roder.Soarez. quem sequitur Couar.de matr.par.2.cap.8. §.12. sub num.5.tom.1. fol. 280. est, vt iudex secularis possit, & debeat prosequi executionem, non obstante iudicis ecclesiastici inhibitione; si intra decem dies debitor non docuerit, contractum esse vsurarium.

74 Quarta conciliatio est, vt inter mercatores non fiat inhibitio ex dispositione Bullæ Pij IV. bull.74. reformatio tribunalis A. C. vers.nec inhibeat. fol.755.

75 Quid dicendum? concludo, quòd iudex ecclesiasticus non debet inhibere, per ea, quæ dixi supra num.69. vbi tamen inhibuerit, dico, quòd iudex debet supersedere, donec ecclesiasticus reuocet inhibitionem, quam debet reuocare, & ita vidi seruari.

76 Extende hanc conclusionem, dum dixi, quòd iudex ecclesiasticus non debeat inhibere, & inhitionem concessam debeat reuocare, vt maximè procedat quoad capitale, quia vsura non est in capitale, mutuo dato; ideoque illius exactio non debet impediri, Laur.de Rodulph.in cap.consuluit. par. 2. q.135. sub num.29.de vsur.inter tractat.diuers.tom.7.fol.35.& ita vidi aliquando practicatum, & faciunt quæ secutus sum supra §.1.q.7.ampl.20.num.7.

77 Excipio primo ab eadem conclusione dispositionem dictæ bullæ Pij IV.

78 Excipio secundo casum, in quo vsura esset manifesta, & notoria, quæ non requireret altiorem indaginem, & maximè, si opponeretur, excipiendo coram iudice seculari, qui propterea debet remittere creditorem super hoc ad ecclesiasticum, quia tunc debet supersedere etiam sine alia inhibitione, per ea, quæ. loquendo de notoria nullitate sententiæ, secutus sum in meo tract. de appell.quæst. 19. rem.1. concl.5. num. 23. & seqq.

79 Quintus casus est; quando iudex ecclesiasticus post sententiam diffinitiuam absolutoriam, latam in fauorem creditoris, vel etiam ante reuocat inhibitionem, & ab hac reuocatione appellat debitor, quo casu dubium oritur: an, hac appellatione pendente, possit seculraris procedere ad executionem: &,ne nimis ab itinere discedamus, vide quæ scribunt Feder.de Sen. cons.98. nicolutius petri. Ambr.de Vign.in cap. salubriter.sub num.126.vers.modo quæritur. & num.127.& seqq.de vsur.inter tract.diuers. tom.7.fol.59.

80 Sextus casus est; an inhibitio possit decerni,creditore non citato; vide Feder.de Sen. cons.300. factum tale est.Laur.de Rodulph. in cap.consuluit. q. 131. num. 19. de vsur. inter tract.diuers.tom.7.fol.34. Alex.in l.4. §.condemnatum. num.19. ff. de re iudic. & Ambr.de Vign.in cap.salubriter. num. 132. vers. & ex prædictis. de vsur. inter tract. diuers.tom.7.fol.59.& quæ scripsi in meo tractat.de appell.q.19.rem.1.concl. 4. sub nu. 88. vers.an episcopus.

81 Conclude obiter ex horum omnium casuum distinctione, & resolutione, quòd cognitio, an contractus sit vsurarius, pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, & non ad iudicē secularem, quia hoc crimē vsurarum spectat ad Ecclesiā,Card.de Turrecrem.in cap. quid dicā.sub nu.5.vers.ad tertium. 14.q.4.

82 Declara primo tamen hanc conclusionem, an, & quando cognitio vsurarum pertineat ad iudicem ecclesiasticum; & quando de ea possit cognoscere etiam iudex secularis, & an vsurarum crimen sit mixti fori, prout declarant Clar. recept. sent. lib. 5. §. fin. q.37. vers.quæro igitur. per totum, & Bursat.cons.397. breuiter dicam.num.1.& seqq.lib.4.non enim licet nobis,aliud agentibus,super his,quæ vix possumus obiter aduertere, diu insistere.

Declara secundo,quòd etsi cognitio spectet ad ecclesiasticum, vt est dictum;tamen vbi vsurarius condemnatus sit ad restitutionem

nem vsurarum, possunt repeti etiam coram seculari, laici enim possunt conueniri coram seculari, & clerici debent conueniri coram Ecclesiastico, & ita intelligo quæ scribit Turrecrem. sub d. num. 5.

83 Infero quarto, quòd debitor conuentus non potest opponere exceptionem litis pendentis, per ea, quæ dixi supra num. 61. vers. contrariam. neque aliam quamuis exceptionem, quæ pertineat ad figuram iudicij, cum procedatur sine figura iudicij.

SVMMARIVM.

Executio potest impediri à tertio, qui sit creditor cum hypotheca anteriori, ex communi conclusione, num. 84.

Ampliatur hæc conclusio, etiam si ista tertia persona sit vxor debitoris, quia ipsa potest, marito vergente ad inopiam, opponere contra creditores posteriores de sua hypotheca, num 85.

Subampliatur primo, præsertim si vir iudicis sententia esset antea declaratus inops, nu. 86.

Subampliatur secundo, etiam si vxor prius non egisset contra virum, quia poterit adhuc, excipiendo, allegare, & probare inopiam viri, sub num. 88.

Subampliatur tertio, vt, probata per viam exceptionis inopia viri, possit in eodem iudicio obtinere, sibi assignari bona viri loco pignoris, marito etiam non aliter citato, num. 89. Et præsertim si vxor habeat clausulam constituti pro suis iuribus dotalibus, & etiam contra fiscum, num. 90.

Inopiam viri potest vxor leuioribus documentis probare, agendo contra maritum, quàm agendo contra tertium, num. 87.

Sententia, lata pro vxore contra maritum super vergentia ad inopiam, non nocet tertio creditori non citato, n. 88. Et an iudex, qui ex probationibus factis inter vxorem, & virum, condemnaret tertium, diceretur eum spoliare, ibidem, subillat. 1.

Sententia quando ob omissas probationes dicatur notoriè iniusta, & ideo spoliatiua, sub num. 88. vers. contrariam.

Vxore mortua, pendente inter eam, & maritum lite, super assecuratione dotis, an hæredes possint prosequi eandē litem, sub nu. 88. subill. 2.

Excussio bonorum mariti, seu alterius debitoris non est necessaria, quando vxor, seu alius creditor, excipiendo de sua anteriori hypotheca vult impedire creditores posteriores, sub num. 88. subampliat. secunda, versus finem.

Executionem super nomine debitoris potest creditor anterior non solum impedire, sed potest etiam in eodem iudicio obtinere, illud sibi dari loco pignoris, num. 89. in fine.

Vidua, seu Vxore } excipiēte de sua anteriori hypotheca cōtra hæredes, seu creditores mariti, possunt hæredes, & creditores petere ab ea manifestationem bonorum mariti, n. 91. & seqq. Et quid in Ciuitate Genuæ, num. 93. & seqq. nu. 100. & 101. Et quomodo tunc consultū sit creditoribus posterioribus, nu. 95. 99. & 100.

Vxore, seu Vidua } nolente manifestare bona, proceditur ad executionem ad instantiam creditorum, reseruatis iuribus in ordinario iudicio vxori, & viduæ, num. 92.

Contumaci denegatur audientia, sub num. 92. vers. ratio. Et quomodo hoc procedat, sub num. 97. & 98.

Canella eleuatio in ciuitate Genuæ est exceptio tertij creditoris, impedientis executionem, num. 95.

Exceptio facilius permittitur, quàm actio, sub num. 98. Quare excipienti fauendum magis, quàm agenti, sub num. 97.

Manifestatio bonorum est duplex, sub num. 101. & 102.

Manifestatio bonorum fieri debet cum iuramento, num. 103. Verbis apertis, quæ tollant omnem fraudem, num. 104. Debet in ea exprimi quantitas, & qualitas rerum, num. 105. Si obscurè fiat, est denuo facienda, num. 118. Vbi in prima sit aliquid dolosè omissum, debet manifestans puniri, num. 119. & 121. Et facta manifestatione, debet aduersario dari terminus ad probandum contra manifestationem de maiori quantitate, &c. num. 120.

Manifestatio obscura quibus casibus sit toleranda, num. 106. & seqq.

Manifestare non tenetur vidua legatum, sibi à marito relictum, num. 110.

Cedens bonis, debet omnia bona manifestare ad instantiam creditorum, sub num. 102.

Inuentarium debet continere descriptionem omnium bonorum per pondus, numerum, & mensuram, sub num. 101. declar. 2.

Actus si non sit necessarius, nihil refert an ritè, vel non ritè sit factus, num. 109. iunctis præcedentibus.

Accusator non cogitur exprimere diem delicti, si de eo die verisimiliter non recordetur, n. 113.

Memoria deficit in senibus, sub num. 114.

Veritas in iudicio contentioso potest occultari, si ex ea oriretur damnum, & iniustitia in foro interiori, num. 116.

Certum, seu Manifestum } *satis dicitur, quod habet relationem ad id, quod est certum, num. 117.*

84 QVAERO quinto, an tertia persona, docendo de suo credito anteriori cum hypotheca, possit impedire executionem realem, quam creditor posterior ex causa cambij in iudicio executiuo tentaret super bonis sui debitoris?

Respondeo, quòd sic, vt secutus sum sup. §. 2. gl. 5. num. 408. vers. prima. & hæc est communis conclusio, & seruatur in praxi, quia causa cambij in hoc nullum habet priuilegium contra hypothecas anteriores.

85 Amplia hanc conclusionem, vt procedat etiā si ista tertia persona sit debitoris vxor, quia etsi vulgata sit regula, quòd, constante matrimonio, dos repeti non potest, Bal. Nouel. tract. de dote, par. 7. priuil. 24. nu. 1. tom. 9. fol. 226. tamen, si maritus vergat ad inopiam, potest dotem repetere, etiam constante matrimonio, l. 25. si constante. ff. sol. matr. & multò magis, soluto matrimonio, potest vidua, quia, marito mortuo, dos est restituenda, l. 2. ff. sol. matrim. & ideo vtroque casu poterit contra creditores sui mariti se opponere, & impedire executionem, docendo de sua hypotheca anteriori; vt retuli & secutus sum inf. sub num. 88. subampl. 2. & solent mulieres, tam, viuente viro in casu vergentiæ ad inopiam, quàm mortuo, se munire inhibitionibus, quibus executores in actu executionis impediant, & in ciuitate Genuæ possunt impedire ex stat. cap. 4. §. 1. in fine, lib. 5.

86 Subamplia primo hanc ampliationem de vxore, quæ impedit executionem propter mariti vergentiam ad inopiam, vt maximè procedat, si vxor iam in iudicio, moto contra maritum, obtinuisset sententiam, qua maritus esset condemnatus ad restituendam dotem, quia tunc inopia viri est probata, & per sententiam facta est notoria.

87 Explica hāc subampliationem, vt si vxor agat ad dotis repetitionem contra virum, vergentem ad inopiam, sufficiat leuior probatio inopiæ, quàm si agat contra tertium possessorem ad auocandum pignus, quia contra tertium requiritur probatio plena eo modo, quo potest, vt moueatur arbitrium iudicis; ex quo, agendo contra maritum, tractatur de leui præiudicio, sed, agendo contra tertium, tractatur de præiudicio magno, Bar. in l. 25. si constante. num. 15. vers. ex prædictis ergo. ff. sol. matr. Bal. Nouel. tract. de dot. par. 7. priuil. 24. sub nu. 2. tom. 9. fol. 226. Constan. Roger. eod. tract. q. 14. sub num. 19. & 20. fol. 345. Benint. decis. 68. nobilis. sub num. 1. & 2. & communiter omnes.

88 Infero ex hac explicatione, quòd etsi sententia super vergentia ad inopiam, lata contra maritum ad fauorem vxoris, sufficiat ad impediendam executionem contra tertium, vt dixi supra num. 86. tamen non sufficit contra eundem tertium, non citatum, ad auocandam ab eo possessionem pignoris, quia sententia, contra vnum lata, non nocet tertio non citato, Surd. decis. 256. num. 3. in fine, vers. in contrarium. & num. 4. & 5. & faciunt, quæ de sententia, lata super admissione ad cap. odoardus. scripsi infra num. 137. & seqq.

Subinfero primo, quòd si iudex, probationibus factis inter vxorem, & virum super inopia viri, sententiam tulerit pro vxore contra virum, & postea in alio iudicio ad instantiam eiusdem mulieris, reproducentis easdem solas probationes, & sententiā contra tertium possessorem bonorum viri, citato semper ipso tertio possessore, & seruato ordine iudiciario, pronunciaret etiam cōtra eundem tertium possessorē, non aliter, quàm vt supra probata inopia viri, videretur eum spoliare, quia sententia non iustificaretur ex actis, & consequenter esset notoriè iniusta, quæ reputaretur nulla, per ea, quæ secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 3. num. 292. & seqq. & iudex nulliter procedens dicitur spoliare, vt declaraui in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 6. num. 14. 69. & 70. præsertim in fine.

Contrariam opinionem crederem iure defendi, quia sententia non dicitur notoriè iniusta, & consequenter cessat subillatio; quòd autem non dicatur notoriè iniusta, probatur, quia sententia tunc dicitur notoriè iniusta, ideoque æquiparatur sententiæ nullæ, quando probationes sunt omnino omissæ, tunc enim, cum sententia non possit iustificari ex actis, ideoq; sit notoriè iniusta, diceretur spoliatiua: secus, si probationes non sint omissæ, sed imò sint factæ; quia tunc licet non facerent plenam fidem, tamen sententia valet, & licet esset iniusta,

tamen

tamen non esset notoriè iniusta, Bal. in margar. seu repert. ad Innoc. in verbo, notorium veritatis. quod sentit idem Innoc. in cap. tua nos. nu. 9. in fine, de cohabit. cleric. loquitur enim, quãdo nullæ probationes recipiũtur.

Sed hic est subillationis casus, quia supponimus, contra hunc tertium possessorem probatam esse inopiam viri per testes, & sententiam latam in causa contra virum, & has probationes, & sententiam esse reproductas, & repetitas contra hũc tertium; & licet res, inter alios acta, alijs non præiudicet, tamen facit aliquam fidem, seu præsumptionem, Crauet. cons. 258. num. 16. in fine, & alij, quos sequitur Tiraq. citatus infra in 2. confirmatione; quòd si faciunt aliquam fidem, sententia potest dici solum iniusta, sed non iniusta notoriè, quia notorium dicitur illud, quod adeo omnibus liquet, quod quasi inficiari non potest, Bal. in d. margar. ad Innoc. in verbo, notorium est. quo casu non mirum si sententia dicatur spoliatiua, quia iudex diceretur in dolo, cum, procedendo sine aliqua probatione, non procederet vti iudex, sed vti priuatus, secus quando processit, adhibita probatione, de cuius sufficientia dubitetur, & aliter definire notorium, est valde difficile, vnde bene Gl. vnica, in cap. manifesta. 2. q. 1. quam sequuntur communiter Doct. dixit, quòd quotidie loquimur de notorio, & quid sit ignoramus; & multa dicuntur notoria, quæ non sunt, testibus his, quos secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 8. nu. 340. & 344. nos tamen de eo latè scripsimus d. tract. de iud. lib. 1. cap. 76. & lib. 2. cap. 9. num. 14. & seqq. 53. 567. 570. & seqq. & in tract. de appell. q. 17. limit. 4.

Confirmatur primo hæc cõtraria opinio, quia probationes sunt arbitrariæ, vt secutus sum in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 9. nu. 530. & 531. & sentit Tiraq. citatus infra in confirm. 3.

Confirmatur secundo, quia est disputabile, an sententia, lata super inopia viri inter mulierem, & virum, vti lata super statu personæ, quia tractat de conditione personæ, faciat ius etiam contra alios tertios, vt, loquendo de sententia lata, an quis sit ciuis, nobilis, excommunicatus, & similis, scribunt Alex. in l. sæpe. sub num. 62. ff. de re iudic. & Tiraq. tract. res inter alios acta, & c. limit. 18. hæcq; disputatio nobis argumento esse potest de non notoria iniustitia, etiam si verior esset opinio, quòd ista sententia non faceret ius quoad omnes, per ea, quæ latè scripsi infra num. 140. & seqq.

Confirmatur tertio, quia licet res inter alios acta faciat solum aliquã fidem, tamen facit tantum præiudicium, vt possit ab illa appellari, cum relinquatur arbitrio iudicis quantam faciat probationem, Tiraq. d. tract. res inter alios &c. limit. 19.

Confirmatur quarto, quia si diceremus, quòd sententia esset notoriè iniusta, quando probationes non faciunt plenam probationem, daretur facilis aditus ad introducendum iudicium spolij aduersus omnes sententias; & illa communis doctrina, quòd probationes sint arbitrariæ subuerteretur, & magna induceretur perplexitas.

Subinfero secundo pro maiori intelligentia, quòd etsi vxor possit etiam contra tertium possessorem bonorum viri agere, saluiano interdicto pro assecuratione dotis, præsertim, declarato prius marito inope, vt dixi supra num. 86. tamen, si, pendente iudicio inter mulierem, & tertium, mulier moriatur, filij mulieris non possunt illud iudicium prosequi; quia ob vxoris mortem cessauit causa assecurationis, ideoq; filij non possent agere contra patrem vergentem ad inopiam, Bar. in l. 25. si constante, n. 62. q. 9. Ias. n. 195. & Rip. n. 99. ff. sol. matr. & in terminis istis Anch. q. 22. defuncta. n. 4. & seqq. quia instantia per mortem mulieris dicitur finita, & consequenter sententia, quæ ferretur, diceretur lata sine actione, & sine instantia, & iudex, qui filijs daret possessionem, diceretur spoliare tertium, etiam si filij egissent cum consensu patris.

Contraria opinio mihi videtur verior, saltem in hoc, quòd sententia non sit spoliatiua; & moueor quia adducta pro illatione tolluntur sequentibus responsionibus.

Non obstant Bar. Ias. & Rip. quia respondeo multipliciter.

Primo, quòd ipsi fundant suum dictum in ea ratione, quòd lis non possit esse inter patrem, & filium, qui est sub eius potestate, l. 4. lis nulla. ff. de iudic. Sed hæc ratio cessat in casu subillationis, quia supponimus patris consensum, & ideo tenet iudicium, Rip. vbi supra, quem videtur secutus Anch. d. q. 22. num. 9. in fine, & tantò magis, quòd non agunt contra patrem, sed contra tertium.

Secundo respondeo, quòd Bar. Ias. & Rip. loquuntur quando filij agerent ad assecurationem dotis post mortem mulieris; at in casu, de quo loquimur, supponimus, quòd ipsamet mulier viuens egerit, & terminauerit

rit iudicium assecurationis contra maritum, & postea egerit contra tertium possessorem, quo casu, licet moriatur mulier, pendente iudicio cōtra tertium, tamen, cum iudicium assecurandæ dotis sit consummatum ante mortem mulieris, non vitiatur, quamuis deueniat ad casum, à quo incipere non posset, per ea, quæ, disputando similem articulū, an restitutio dotis, facta à marito ob suam vergentiam ad inopiam, sit reuocanda, si maritus postea efficiatur diues, adducit hinc inde Crot. in d. l. si constante. nu. 158. & 159.

Tertio respondeo (& confirmo præcedentem secundam responsionem) quòd dato etiam, quòd remediū ad assecurandā dotem non competat, soluto matrimonio; hinc, si filij, mortua matre, nō possint eo agere; tamē, si remedium fuerit intentatū, constante matrimonio, prosecutio competit, etiam eo soluto, quia ipsemet Bar. in l. post finitam. n. 1. ff. de excus. tut. tenet quòd, si, pendente lite inter vxorem, & maritū pro assecuranda dote ob vergentiam ad inopiā, moriatur maritus, potest nihilominus vxor prosequi litem in eadem instantia contra hæredes mariti.

Et licet Anch. d. q. 22. num. 8. & 9. nitatur dare differentiam, vt in casu mortis mariti non varietur actio de dote intentata, sed varietur qualitas, secus in casu mortis mulieris; tamen ista est differentia verbalis, quia in substantia, & re ipsa, quam attendere debemus nulla remanet differentia, cum vtroque casu cessaret remedium assecurationis, quod est subsidiarium; & competeret plena recuperatio dotis, quæ est remedium ordinarium; quare sicut, mortuo marito, potest vxor contra heredes mariti prosequi assecurationem dotis, quia, cum tunc posset consequi plenariam recuperationem dotis; tantò magis poterit consequi assecurationem, quæ est minus, ita etiam, mortua vxore, si filij possent consequi plenariam restitutionem dotis, cur non possunt tantò magis consequi assecurationem?

Cōfirmatur hæc tertia responsio, quia remedium ordinarium nō facit cessare extraordinarium, quando extraordinariū plenius prouidet, seu minus grauat, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 97. n. 133. Sed remedium assecurationis, quando est iam cœptum, citius, & paucioribus terminatur sumptibus, & hoc respectu magis vtiliter prouidet. Ergo.

Nec est verum, quòd instantia finiat, mortua vxore, quia imò nec per mortem, nec per superuenientem qualitatem personarum hæredum mutatur, per ea, quæ dixi in meo tract. de appell. q. 7. num. 133.

Quare ego non recederem ab hac contraria opinione, quia tollitur inutilis circuitus; & præsertim non recederem quoad hoc, quòd non sit commissum spolium.

Subamplia secundo, vt procedat etiam si vxor prius non egerit contra maritū, ideoq; pronuntiari nō fecerit, eum vergere ad inopiam, & consequenter factum esse locum restitutioni dotis, quia adhuc potest, excipiendo, impedire executionem, allegando, & probando vergentiam mariti ad inopiam; Papien. in pract. in form. libell. quo agit vx. ad dot. & vsuf. in gl. vxor quondam. nu. 28. vers. inde quæritur. fol. 529. & ibi Masuer. in addit. Bal. Nouel. tract. de dot. in 7. par. princip. priuil. 24. num. 2. tom. 9. fol. 226. quem sequitur Natt. cons. 300. cum procederetur. sub num. 2. quare nulla requiritur bonorum viri excussio, Nouel. & Natt. vbi supra: sed requiritur solum, quòd mulier, adhibita plena discussione super inopia, faciat pronuntiari super dicta inopia, Nouel. vbi supra; & quòd quilibet creditor, comparens non per viam agendi, sed per viam excipiendi ad impediendum alium creditorem, possit hoc facere iure suæ prioris hypothecæ, etiam si non obtinuisset sententiam contra suum principalem debitorem, etiam existentem soluendo, & sic, non facta excussione in bonis debitoris, dummodo doceat de suo credito, & sua priori hypotheca, scribunt Natt. vbi sup. & Flam. Cart. decis. 19. pulchrum. num. 4.

89 Subamplia tertio, vt mulier, excipiendo, & docendo de sua anteriori hypotheca, & de vergentia mariti ad inopiam; possit non solum impedire executionem, vt dixi in præcedenti subampliatione, sed possit etiam in eodem iudicio per viam exceptionis consequi assignationem bonorum viri loco pignoris, non aliter citato marito, reseruatis iuribus in iudicio ordinario, quia iudicium summarium, quale est istud executiuū, non parat præiudicium iudicio ordinario, & plenario; vnde creditor, habens hypothecam anteriorem, non solum impedit executionem in nomine debitoris sui debitoris, sed obtinet in eodem iudicio, illud nomen sibi dari loco pignoris, non aliter citato primo debitore, Natt. cons. 300. cum procederetur. num. 1. & seqq.

90 Extende hanc subampliationem, vt præcipuè

tipuè procedat, quando in vxorem pro suis iuribus dotalibus esset translatū dominium, & possessio bonorum mariti vigore constituti, appositi in instrumento dotali; quia tunc posset vxor, euenienṫe casu restitutionis dotis, insistere possessioni prædictorum bonorum, donec fuerit ei satisfactum de suis iuribus dotalibus, etiam contra fiscum, publicatis bonis mariti, Rol. à Val. cons. 31. viso processu. n. 37. vers. imo plus. 38. & 39. lib. 1.

91 Declara primo eandem communem conclusionem, vt in casu, quo mulier, excipiendo de sua hypotheca anteriori, vult excludere creditorem à postulata executione, creditor possit opponere contra vxorem, vt, antequam audiatur, manifestet bona sui viri; quia sicut vxor tenetur, iurata fide, ea manifestare hæredibus viri defuncti, Gl. in l. 2. in verbo, iurata fide. C. quando & quib. quar. par. deb. lib. 10. Bal. in l. ordo. num. 14. vers. quæro vtrum vxor. C. de execut. rei iudic. Crauet. tract. de antiq. temp. tit. testes deponentes de credulitate in antiquis. in verbo, viso de fama. sub num. 17. tom. 17. fol. 142. Silu. Nupt. lib. 2. nu. 49. in fine, Matth. Brun. tract. de cession. bon. q. 5. princip. num. 6. col. 1. tom. 3. par. 2. fol. 194. Cassan. in consuet. Burgun. rubr. 4. §. 21. num. 9. & Borgn. decis. 3. in causa mota. initio, vers. & in primis. par. 1. ita etiam tenetur ea manifestare creditoribus, quos ipsa vult excludere ab eorum credito: ea enim ratio, quæ militat in hærede, ad quem spectant bona manifestāda, militat in creditoribus, ad quos magis, quàm ad hæredem spectant, cum hæres sit hæres bonorum, quæ supersunt, soluto ære alieno; hæcq; declaratio, quia visa fuit iuridica Reip. Genuensi, propterea eius statutis lib. 5. cap. 6. disposuit, vt mulieres manifestare debeant bona mariti ad instantiam hæredis mariti, seu personæ, habentis interesse, quandocunque fuerint requisitæ: & certè est salubris declaratio, ne mulieres, quarū genus est etiā auarissimū, sub specie consequendi suum, occupent etiā alienum.

92 Amplia hanc declarationem, vt mulier in tantum teneatur manifestare, vt, si non manifestet, non sit audienda, sed iudex procedere debeat ad vlteriorem executionem, reseruatis iuribus vxori talibus, qualia competunt in alio iudicio; mulier enim non ex hoc, quòd non manifestet, debet perdere iura sua; sed solum debet tanquam contumax non audiri, donec purgauerit contumaciam: & donec non manifestauerit, semper remanebit exclusa; hancq; ampliationē eadem Resp. vti iuridicam expressit in eisdem stat. d. cap. 6. §. etsi non manifestauerint.

Ratio, quare mulier, nō manifestans, non audiatur in repetitione dotis, est; quia est contumax, & contumaci denegatur audientia, l. 26. sed etsi per prætorem. §. ait prætor siue. in fine, vers. sed & si dum decreto. & ibi Gl. ff. ex quib. caus. maior. Gl. in l. 53. contumacia. in verbo, litis damno. ff. de re iudic. Par. de Put. tract. de syndic. in verbo, dicit constitutio. num. 3. & in verbo, inobedientiæ. num. 1. inter tract. diuers. tom. 7. fol. 274. Carauit. super rit. 220. num. 2. & quòd actori, nolenti respondere super reconuentione, iudex possit denegare audientiam, & mandare alijs iudicibus, quòd illum non audiant; sequitur Barbat. in addit. ad Bar. in d. §. ait prætor. in verbo, casum. littera b. & hac ratione leges municipales ferè totius Orbis mandant, vt contumaci tam in causis ciuilibus, quàm in criminalibus denegetur non solum audientia, sed habeatur etiam pro confesso, per ea, quæ latè scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 96. & 97. & quòd ei propterea denegetur appellatio, scripsi, & declaraui in meo tract. de appell. q. 17. limit. 3. num. 1. & seqq. hæcq; audientiæ denegatio satis comprehensa videtur sub generali omnium iurium indignatione, dum dicimus, quòd cōtra contumaces omnia iura clamāt, vt scripsi d. lib. 1. c. 93. in fine initij.

93 Subdeclara, restringendo eandem declarationem, vt in ciuitate Genuæ procedat solum, quando mulier venit agendo ad consequendam suæ dotis solutionem, secus quando venit excipiendo per viam eleuationis canellæ, vt loquuntur illa statuta, quia tunc mulier, eleuando canellam, non tenetur manifestare bona viri; hæcq; subdeclaratio, quamuis Genuæ sit multum controuersa, & forsan variè practicata, tamen videtur vera duplici ratione.

Prima, quia statutū Genuæ d. cap. 6. initio, obligans mulierem ad manifestāda bona sui mariti, loquitur in muliere, consequi volente solutionem pro dotibus, seu iuribus suis, quod verbū, *consequi*, repetit deinde in §. seq. & si non manifestauerint, & in §. bona vero.

94 Sed mulier, quæ eleuat canellam, idest, quæ, excipiendo, se opponit executioni, non vult, nec intendit in eo iudicio consequi solutionem pro suis dotibus, sed solum excipiendo

piendo, conseruare iura sua, & ideo impedire, ne alius eam consequatur; vnde vbi mulier eleuauerit canellam, & in illo iudicio eleuationis canellæ potiora iura habuerit, obtinebit solum, declarari æstimum nullum, & non sibi dari illa bona, vt in stat. de eleuat. canellæ. cap. 3. §. si verò. lib. 4. † & ideo

95 ad instantiam creditoris, cedentis mulieri, quæ canellam eleuauit, tenetur iudex, etiam non expectata sententia super potioritate iurium, assignare terminum mulieri ad eligendum bona, & in illis æstimum consequendum, vt in eodem stat. cap. 3. §. possit etiam. & sic apparet, quòd in iudicio eleuationis non consequitur solutionem; bancq; exceptionem, quæ impedit executionem, Genuenses, & illorum statuta vocant eleuationem canellæ, quia creditor, obtento mandato executionis, ideoque volens consequi æstimum in bonis debitoris, ducit secum æstimatores, qui canella mensurant rem, super qua vult æstimum consequi, & dum mensurant, tertius, qui prætendit interesse, eleuat, idest, impedit canellam, ne mensurent.

96 Confirmatur primo ratio, & consequenter subdeclaratio, quia statuta Genuensia, quoties vtuntur hoc verbo, *consequi solutionem*, loquuntur in eo, qui consequitur veram solutionem, qua tollitur obligatio, & debitum, vt in lib. 2. cap. 3. initio, & §. quando. & §. in causis. dum petentē executionem obligant ad fideiubendum, de restituendo, quicquid indebitè fuisset consecutus, rursus lib. 4. cap. 2. §. præsentato. vbi disponunt, quid facere debeant æstimatores, præsentato sibi mandato pro consequenda solutione alicuius summæ: & cap. 11. initio, vbi de pœna illius, qui petit debitum, cuius solutionem consecutus erat.

At mulier, eleuando canellam, non consequitur solutionem, sed solum conseruat ius suum, ne lædatur, vt ostendi num. præcedenti. Ergo.

97 Confirmatur secundò, quia eadem statuta apertam constituunt differentiam inter petitionem dotis, & exceptionem, seu eleuationem canellæ ex causa dotis, siquidem in petitione maiorem requirūt solemnitatem, quàm in eleuatione canellæ, vt in lib. 5. cap. 4. initio, quæ differentia coadiuuatur ex dispositione iuris communis; nam maior fauor militat in creditore, qui per viam excipiēdi prosequitur ius suæ hypothecæ, quàm in eo, qui per viam agendi, Bal. Nouel. tract. de dot. par. 7. priuil. 24. sub num. 2. tom. 9. fol. 226. & Natt. cons. 300. cum procederetur. num. 2. versus finem; quare etiam de iure cōmuni facilius denegatur audientia actori, quàm reo; ideoq; bannitus, & excommunicatus repelluntur ab actione, sed non à defensione, per ea, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. lib. 2. cap. 2. sub nu. 174. 179. & clarius cap. 9. sub num. 1024.

98 † & bannitus non potest agere, potest tamen petere, tenutam, sibi acceptam, restitui, Iacob. de Aren. in l. de pupillo. §. qui remissionem. num. 1. ff. de oper. nou. nunt. & idem in excommunicato sentit Anguis. cons. 141. num. 8. 16. in fine. & 17. lib. 1. & (accedendo propinquius ad terminos nostros) contumaci denegatur audientia, quando venit tanquam actor; secus, quando venit tanquam reus necessarius, quia cōtumax æquiparatur excommunicato & bannito, Carauit. super rit. 190. sub num. 7. & 8. & dixi supra num. 40. & 42. &, omissis multis, certum est, quòd facilius datur exceptio, quàm actio, vt dixi d. cap. 2. num. 121. & sublata simpliciter audientia, non dicitur sublata appellatio, quæ habet naturam defensionis, nisi sit denegata etiam excipiendo, vt scripsi in meo tract. de appell. q. 16. limit. 1. nu. 30. & 31. & exclusus à facultate agendi de nullitate, non dicitur exclusus à facultate excipiendi de nullitate, per ea, quæ scripsi eod. tract. de appell. q. 19. remed. 1. concl. 4. num. 49. & ex his ruit ratio, de qua supra sub num. 92. dum diximus, mulieri contumaci in non manifestando denegandam esse audientiam; nam illa ratio procedit, si veniat agendo; secus si veniat excipiendo.

99 Secunda ratio est, quia auxilium manifestationis, quod in canellæ eleuatione à statutis videtur creditori denegatum, in alio iudicio est ei reseruatum; nempè, quando creditor, renuntiando æstimo, faciet, mulieri terminum præfigi ad consequendum æstimum, in quibus voluerit bonis, iuxta dispositionem stat. lib. 4. cap. 3. §. possit etiam. quia tunc mulier, volens consequi solutionem per viam æstimi, tenebitur ad instantiam eiusdem creditoris facere manifestationem ex dispositione eiusdem statuti cap. 6. lib. 5. vt retuli supra sub num. 93. vers. prima quia. & sic quod differtur, non aufertur.

100 Contraria opinio, nempè, quòd mulier, etiam

etiam eleuando cancellam, teneatur manifestare, saltem quando eam eleuat propter viri vergentiam ad inopiam, suadetur, tum quia creditoris damnum, à rerum occultatione, & fraude mulieris procedẽs; cui damno lex per manifestationem faciendam obuiare intendit, ita instat, quando mulier agit ad consequendam doris solutionem, sicut quando excipit ad impediendam aliorum executionem; tum quia quando, marito vergente ad inopiam, excipit, non est verum, quòd manifestationis auxilium sit ei in alio iudicio reseruatum, & sic ruit hæc secunda ratio, quia, marito vergente ad inopiam, potest mulieri dari terminus non ad consequendam doris solutionem, sed ad consequẽdam dotis assecurationem in bonis mariti, vt secutus sum supra §. 2. gl. 5. num. 86. vers. restringe. & sic isto casu semper cessarent verba statuti loquentis de consecutione solutionis: &, quicquid sit ex dispositione illorum statutorum, hæc opinio contraria videtur satis probabilis propter prædicta.

101 Retenta harum contrariarum opinionum ea, cui tua conscientia libentius acquiescet.

Declara secundo, vt manifestatio bonorum sit duplex. Prima non est simplex manifestatio, sed est etiam conseruatio bonorum manifestatorum, quę tendit ad obuiandum fraudibus, quæ committi possent in bonis manifestatis; & hæc manifestatio habet locum in inuentario, conficiendo ab hærede, is enim, si nolit teneri vltra vires hæreditarias, debet manifestare bona hæreditaria, conficiendo solemne inuentarium, eadem conseruare, & rationem de eis reddere habentibus, & habituris interesse; & in hac manifestatione, quæ propriè dicitur inuentarium, debet fieri diligens, & certa descriptio omnium per pondus, numerum, & mensuram, vt scribunt Natt. cons. 575. subtiliter. nu. 6. & 7. & Rol. à Val. tract. de inuent. in 3. par. in verbo, pariter bona, num. 1. & in verbo, item requiritur. num. 1. & 2. tom. 8.

102 par. 2. fol. 177. † Secunda est manifestatio exhibitoria tantum, sine conseruatione bonorum manifestatorum, quæ respicit solum tempus præsens, & in qua non veniunt considerandæ fraudes futuræ, & hæc manifestatio habet locum in cedente bonis, & in muliere, mortuo viro; qui enim vult admitti ad cessionem bonorum, debet manifestare, idest, indicare, & propalare bona creditoribus, alias priuatur beneficio cessionis, Bal. in l. 1. n. 3. & 4. C. qui bon. ced. poss. latè Brun. tract. de cess bon. q. 5. princip. nu. 1. & seqq. tom. 3. par. 2. fol. 193. & mulier, quæ vult consequi suam dotem, tenetur manifestare, & indicare, vt dixi; & in hac manifestatione non est necessaria solemnitas inuentarij, neque alia diligens descriptio per pondus, numerum, & mensuram, cum is, qui manifestat, non sit retenturus ea penes se, sed debeat ex eis fieri tunc solutio, vel restitutio: hinc statutum Ariminense, non contentum de sola manifestatione, mandat mulieri confectionem inuẽtarij, vt scribit Matth. Brun. d. q. 5. princip. sub num. 6. fit enim hæc manifestatio, seu indicatio, vt creditor possit apprehendere, sicut explorator indicat furem, seu locum, in quo adest delinquens, vt satellites apprehendant.

103 Declara tertio, vt manifestatio debeat fieri cum iuramento, vt sentit Gl. in l. 2. in verbo, iurata fide. C. quando & quib. quar. par. lib. 10. & alij, quos secutus sum supra num. 91. decl. 1.

Sed an in hac manifestatione requirantur solemnitates, quæ ex forma statutorum requiruntur in contractibus, alijsq; præiudicialibus mulierum, non discutio.

104 Declara quarto, vt ad obuiandum incrustatis mulierum periurijs, quæ, errando, credunt, iuramentum consistere ex parte verborum magis, quàm ex parte rerum (& in hoc proprias animas decipiunt) debeant manifestare omnia, & singula bona mariti, quæ habuerunt, vel habent per se, vel alias personas, vel si alij pro eis, & de eorum voluntate, vel ad earum dispositionem habuerunt, aut habent; quare, si manifestant aliquid, debent, illo manifestato, addere, quòd aliud non habuerunt, &c. si verò nihil penitus manifestent, debent seruare simplicem formam negatiuam, quòd nihil habuerunt, nec habent, &c. vt in prædicta formula, hæcq; formula traditur à stat. Genuen. lib. 5. cap. 6. & quia est consona rationi, censeo posse vbique seruari.

105 Declara quinto, vt debeant non obscurè, sed clarè manifestare, præsertim res cõsumptas, & non extantes, exprimendo quantitatem, & qualitatem rerum, quia paria sunt, non manifestare, vel non clarè manifestare, sicut paria sunt, non respondere, vel obscurè respondere, vt latè secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 2. cap. 7. nu. 526.

Restrin-

106 Restringe hanc declarationem, vt non procedat in multis casibus.

Primus casus est, quando mulier non teneretur manifestare; quia tunc manifestatio, quantumuis obscura, non reijcitur ex pluribus. Primo, quia qui non tenetur dare libellum, dando obscurum, seu ineptum, non reijcitur, Abb.Bal.Maran.Gail. & Ror. diuers. quos secutus sum supra §. 2. glos. 1. num. 13.

107 † Secundo, quia vbi non requiritur solemnis citatio, nihil refert, si non legitimè interuenerit, Rom. & Nicel. quos secutus sum d.gl.1.num.14.

108 † Tertio, quia vbi non requiritur conclusio petitionis, nihil refert, an malè, vel benè facta sit, Bar. quem secutus sum ead. gl. 1. num. 15.

109 † Quarto, omissis alijs, quia est regula generalis, quòd vbi actus non est necessarius, nihil referat; an malè, vel benè sit factus, vt scripsi ead.gl.1. sub num.12.

110 Exemplifica hunc casum in legato, relicto vxori, quia non tenetur manifestare id, quod eius vir sibi legauit. Primo, quia manifestare omnia, & singula bona mariti, in effectu non est aliud, quàm nihil occultare de bonis mariti; sed qui retinet rem, sibi legatam, non occultat aliquid de bonis mariti. Secundo, quia in re, vxori legata, hæres neque restitutionem, neque solutionem potest prætendere, ergo frustratoria est illius rei manifestatio.

111 Secundus casus est cum distinctione. Aut ista obscuritas est tanta, vt aduersario tollat defensionem, & tunc hæc obscuritas non toleratur. Aut obscuritas non est tanta, quæ tollat defensionem, idest, ius conuincendi eam de occultatione, & fraude; & tunc ista obscuritas est tolerabilis, per ea, quæ de obscura petitione scripsi in meo tract. de iudic.caus. lib.1. cap.50. sub num. 17. vers. hoc dictum. Aut ista obscuritas redundat, non in damnum hæredis, sed in damnum mulieris manifestantis, vt puta, quia res, quas manifestat, iam consumpsit, quo casu posset esse locus iuramento aduersarij cum taxatione iudicis, & tunc quia hæredis non interest, non potest is eam impugnare, quia in iudicio non admittitur, nisi is, cuius interest; exceptio enim tua non interest, repellit agentem, vt scripsi supra §.2.gl.5.sub num. 142. vers.his.

112 Tertius casus est, quando propter obliuionem clarior fieri non posset, quia tunc reijci non debet, & hoc deducitur dupliciter. Primo, quia impossibilium nulla est obligatio, l. impossibilium. ff. de reg. iur.

113 † Secundo, quia nos videmus, quòd etsi accusator teneatur exprimere diem delicti, ad hoc vt reus possit se defendere, tamen, si accusator verisimiliter non recordetur, non cogitur exprimere, Boss.tract.crim.tit.de inquisit. sub num. 92. & esse communem practicam, testatur Clar. lib. 5. recept. sent. §.fin. q. 12. vers. dixi etiam. in fine, & sequitur, dummodo accusator obliuionem cum iuramento affirmet; & ego secutus sum d.lib.1.cap.51.num.36.

114 Exemplifica hunc casum, quando manifestatio peteretur diu post mortem viri; quo casu verisimile est, quòd non recordetur de particularibus rebus, vsu consumptis, quia in muliere facilius præsumitur obliuio, vt ex Menoch. sequitur Ioseph. Mascar. tract. de probat.concl.1076.nu. 48. præsertim si sit in senectute, quia, vt ex Plin.lib.7. cap.24. sequitur Natt. cons. 537. oritur. num. 12. versus finem, senectus primum vulnus infligit memoriæ, & demum si intercessisset longum temporis spatium, posset iudicis arbitrio præsumi obliuio.

115 Quartus casus est, quando ex clara manifestatione damnum iniustè pateretur, quia tunc admittitur in vtroque foro ad obscurè manifestandum, quod probatur tripliciter. Primo, quia licet actor teneatur in petitione exprimere certam quantitatem, quam petit, vt reus possit deliberare, an velit cedere, vel contendere, tamen si in illa certa quantitate, quam petit, sit aliqua summa dubia, an sibi debeatur, necne, potest addere clausulam, *offerens deducere, &c.* seu, *saluo iure, &c.* prout quotidie practicatur, & sic potest illam petitam quantitatem reddere incertam, & obscuram, quia lex abhorret, vt in re dubia, quæ pendere debet ex futuro litis euentu, partes aliquid facere cogantur, ex quo damnum postea iniustè

116 paterentur. † Secundo, (& confirmo idem) quia principalis non tenetur manifestare veritatem, quando ex illa manifestatione damnum iniustè pateretur, quo casu dicere mendacium, non est mendacium, testibus Couar. M.Ant. Cucch.& Bal. quos secutus sum in meo tract.de iudic.caus. lib.2.cap.9. num.836.& seqq.& 846.quare litteræ monitoriales in prædicto casu non obligant ad manifestandum, per ea, quæ secutus sum eod.cap.9.nu.487.& tam principali, quàm aduo-

aduocato, habentibus iustam causam, licet vti fraudibus, & cauillationibus ad excludendas fraudes, & cauillationes aduersarij, iniustè litigãtis, Glos. Bal. Alciat. & M. Ant. Cucch. quos secutus sum d. cap. 9. num. 848. quare si isto casu licitum est non dicere, & non manifestare veritatem, à fortiori licitum erit obscurè eam manifestare. Tertio (& tendit ad idem) quia licet reus teneatur respondere positioni actoris, tamen, si positio sit captiosa, non tenetur, & dicitur captiosa, quando responsurus incidit in laqueum, siue respondeat affirmatiuè, siuè negatiuè, vt latè declaraui dicto lib. 2. cap. 7. num. 281. & seqq.

117 Quintus casus est; quando expressio est facta per relationem, quia satis dicitur manifestum, & certum illd, quod habet relationem ad id, quod est certum, & manifestum, Abb. Dec. Vant. & Osasch. quos secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 48. sub num. 7. vers. contrariam.

118 Subdeclara primo eandẽ declarationem, vt in casu, quo mulier obscurè manifestauerit, teneatur iterum clarè manifestare propter rationem adductam supra num. 105. in hac 5. declar. &, non manifestando, iudex procedere debeat ad vlteriora, ac si mulier fuisset contumax in non manifestando, vt dixi supra num. 92. vers. amplia hanc.

119 Subdeclara secundo, vt si mulier, faciendo secundam manifestationem, aliquid in quantitate, numero, vel specie addiderit, tunc videndum erit, an in prima per obliuionem, seu per errorem, vel dolosè, & cum fraude omiserit; & vbi dolosè, & per fraudem, tunc erit punienda de periurio, & de occultatione, vt dixi infra num. 121.

120 Declara sexto, vt, absoluta manifestatione, debeat creditori, seu hæredi dari terminus ad probandum de maiori quantitate, & de pluribus rebus, & de bonis existentibus penes ipsam, vel alios pro ea, & non manifestatis; & hìc non discutio, an hæc probatio possit fieri etiam per testes, vel solum per scripturas publicas.

121 Declara septimo, vt vbi creditor, seu hæres probauerit, mulierem non omnia manifestasse, & sic esse conuictam de periurio, sit punienda, sed qua pœna, hìc non discutio; Genuenses habent pœnam dupli, ex eorum stat. lib. 5. cap. 6. §. vlt. sed ego nunquam vidi, illam pœnam fuisse alicubi practicatam.

SVMMARIVM.

Cessio bonorum, & Cap. Odoardus. } impediunt executionem litterarum cambij, aliarumq; obligationum, quia cessio habet vim solutionis, & hæc est regula, num. 122.

Restringitur primo hæc regula, vt non procedat, si cessio fiat post latas tres sententias condemnatorias conformes, num. 123. Contrarium, dummodo fateantur debitum, num. 124.

Restringitur secundo, quando clericus tenetur ex obligatione iurata, num. 125. Contrarium, ibidem, & num. 126. Declaratur hoc contrarium, vt non sit verum, quando clericus eo, quia non satisfecisset obligationi iuratæ in termino, incurrisset periurium, sub nu. 126. Subdeclaratur hæc declaratio, vt non procedat, quando debitum peteretur ciuiliter, sed procedat solum, quando ageretur criminaliter, sub eod. nu. 126. Contrarium, etiam si agatur criminaliter, num. 127. & 128.

Restringitur tertio in clerico, qui, personaliter consentiendo pensionis impositioni, cum iuramento, & in forma Cameræ promiserit pensionem soluere, num. 129. Contrarium cum declaratione, num. 130.

Restringitur quarto in obligato in forma cameræ, quia A.C. non obstante cap. odoardus. procederet ad executionem, num. 131. Declaratur, vt sit verum, pendente lite super dicto cap. odoardus. secus post terminatam litem in fauorem clerici, num. 132. & seqq.

Restringitur quinto, vt impediant executionem creditoris citati, contra quem clericus, vel laicus admissus est ad cessionem; non autem impediunt executionem creditorum, non citatorum, num. 137. & seqq. Extenditur hæc restrictio, etiam si cessio bonorum dicatur sententia super statu personæ, num. 140. Explicatur hæc extensio, num. 141. 142. & 144. Reiectis his, quæ contra restrictionem obijciuntur, nu. 143. Quibus respondetur cum distinctione duorum casuum, sub num. 144. & 146.

Restringitur sexto, vt cessio bonorum, facta à debitore, non prosit fideiussoribus, sub n. 147.

Restringitur septimo, vt non procedat in cessione dolosa, quando scilicet debitor, sciens, se non esse soluendo, contraxit, num. 148.

Restringitur octauo in debitore obligato in specie ad rem, num. 149. in fine.

Restringitur nono, vt non procedat in clerico, qui contraxerit nomine, & habitu laicali, nu. 150. & seqq. Extenditur hæc restrictio, num. 160. & seqq.

Cessio

Cessio bonorum non impugnat obligationem executiuam, sed mutat, seu restringit executionem, num. 133.

Cessio bonorum in multis casibus non liberat cedentem à carcere, sub num. 144. *vers. primus. & num.* 148. *Non solum post latam sententiam, sed etiam ante latam sententiam, & ante introductam causam, sub num.* 146. *extens.* 1.

Cessionis beneficium tolli potest per statutum, num. 136.

Cessio bonorum præiudicat etiam alijs creditoribus, non citatis, nu. 143. *Et quomodo hoc procedat, num.* 146.

Auditoris Cameræ facultates fauore obligationis Cameralis aduersus cap. odoardus. quomodo intelligantur, num. 134.

Exceptio non numeratæ pecuniæ, dum probatur, non retardat obligationem cameralem, secus postquam est probata, & pronuntiata, num. 132. *& sub num.* 137.

Sententia, lata contra vnum, an & quando præiudicet alijs, num. 138. *& seqq. Et quid, si sit lata super statu personæ, num.* 140. *& seqq.*

Ius publicum, & Ius consecutiuum } *quæ dicantur, num.* 140. *& 141.*

Ius æque principale qui dicantur habere, n. 142.

Inuentarium confectum afficis etiam creditores, ex post facto superuenientes, sub num. 143. *& 145.*

Cap. odoardus. & Cessio bonorum } *quomodo differant, num.* 147.

Socius potest propter iuramentum, appositum in societate, conueniri vltra quàm facere possit, num. 125.

Dolus priuat semper beneficijs, quæ, dolo non commisso, erant concessa, num. 148. 152. *& seqq.*

Clericus quando perdat beneficium cap. odoardus. num. 123. *& seqq.* 150. *& seqq.*

Peccans in legem, indignus est auxilio legis, num. 151.

Habitus quandoque facit personam, num. 159.

Habitus & Tonsura } *si deferantur solum quando petitur beneficium cap. odoardus. & non sint delati tempore contractus, non iuuant, num.* 160. *Et quando sint deferendi de mandato Episcopi, &c. num.* 162.

Habitus clericalis debet esse decens, & qualis, num. 161.

Carcer quandoque est bonum remedium contra debitores decoctos, & latitantes, num. 163.

122 QVAERO sexto, an capitulum, odoardus. seu cessio bonorum impediat executionem litterarum cambij, aliarumq; obligationum, pro quibus datur executio parata, & præsertim si sit obligatio in forma Cameræ?

Respondeo, constituendo regulam affirmatiuam, quòd sic, cap. 3. odoardus. & ibi Canonistæ, de solut. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. num. 9. vers. cæterum. Foller. de contract. censuar. in verbo, census enim. nu. 19. vers. imò. tom. 6. par. 2. fol. 142. & communiter omnes in diuersis locis.

Ratio est, quia cessio bonorum habet vim solutionis, ita vt debitor, facta cessione, non possit amplius carcerari, & expiret actio creditoris contra eum, & satis patet ex his, quæ scripsi infra num. 143.

Et licet hæc regula aliarum instar plures patiatur concussiones, ex quibus multi ex nostris Iureconsultis eam in diuersis casibus per viam fallentiarum, seu restrictionum coarctare nixi sunt, tamen in multis eorum veniret amplianda; vt nunc de earum veritate discutiendo videbimus.

123 Restringe primo igitur eandem regulam, vt non procedat in clerico, condemnato per tres sententias conformes, quia sicut cessionis beneficium denegatur ei, qui non confitetur debitum, sed conuictus condemnatur, Bal. in l. 1. num. 1. & 2. C. qui bon. ced. poss. Ias. in §. vlt. sub num. 11. fall. 1. & num. 16. fall. 7. Instit. de action. ita eadem ratione cap. odoardus. refugium denegari clerico, condemnato per tres sententias, scripsit Gomes. in compend. vtriusque signat. in fine, vers. tamen est aduertendum. & ex eo sequitur Moder. quem citaui in meo tract. de iudic. caus. lib. 1. cap. 46. sub num. 18. vers. contrariam.

124 Contrariam opinionem, nempe, quòd condemnato, qui perseuerauerit in mendacio vsque ad sententiam inclusiuè, non denegetur beneficium cessionis, dummodo clarè, & apertè fateatur debitum, qua confessione facta, & nõ prius admittitur ad beneficium cessionis, siue habuerit iustam causam litigandi, & negandi, siue non habuerit, scribit Salyc. in d. l. 1. sub num. 3. vers. iuxta hoc moueo aliqua dubia. & ab eo non videtur discedere Ias. in d. §. vlt. num. 16. in fine, & quòd clerico, condemnato etiam per

per tres sententias conformes, non denegetur beneficium cap. odoardus. contra Gomes. tenent Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. sub num. 9. vers. quoties. & Gasp. Baet. tract. de inop. debit. cap. 17. sub num. 6. tom. 3. par. 2. fol. 239. & quòd laico competat beneficium cessionis, & clerico refugium dicti cap. odoardus. siue fuerint condemnati per tres sententias, siue vnicâ, quæ fecerit transitum in rem iudicatam, dummodo confiteantur debitum, tenet, sequendo hanc Salyceti opinionem, vti veriorem, & magis communem, & in iudicando sequendam, Brun. tract. de cess. bonor. q. 2. princip. sub num. 6. & sub num. 10. & seqq. tom. 3. par. 2. fol. 179. & 180.

125 Restringe secundo, vt non procedat in clerico, qui iuramento se obligauit, quia iuramentum debet adimpleri in forma specifica, Gomes. in compend. vtriusque signat. in fine, vers. tamen est aduertendum. & quòd socius, qui gaudet beneficio, ne conueniatur vltra quàm facere potest, hoc beneficium amittat, si in societatis instrumento iurauerit, sequitur Brun. tract. de cess. bonor. q. 24. q. 4. princip. num. 2. tom. 3. par. 2. fol. 191.

Contra eamdem restrictionem tenent Couar. vbi supra, & Gasp. Baet. d. cap. 17. num. 8. fol. 239.

126 Retenta hac contraria opinione, quæ seruatur in praxi.

Declara, limitando eam, vt non procedat quando clericus iam esset periurus, eo quia non soluerit in termino iurato, seu aliud, promissum in termino iurato, non adimpleuerit, quia tunc non habet beneficium cessionis, Brun. d. tract. de cess. bonor. q. 3. princip. sub num. 17. ibi, & nisi debitum esset iuratum. fol. 181. tom. 3. par. 2.

Subdeclara declarationem, vt non procedat, quando ciuiliter peteretur debitum, quia tunc licet esset lapsus terminus, in quo clericus iurauerit soluere, tamen, non obstante periurio, non posset carcerari; secus, quando clericus accusaretur criminaliter de periurio, quia tunc posse carcerari, & ita seruari in Regno Neap. vt, accusato instrumento secundum formam ritus magnæ Curiæ; & accusata etiam contra eum pœna, carceretur, sequitur Io. Ant. de Nigr. in extrau. vnicam. num. 338. 345. 351. & 353. limit. 1. de vit. & honest. cleric. inter Repet. tom. 6. par. 2. fol. 15.

127 Contra hanc subdeclarationem seruat apud nos consuetudo; nunquam enim vidi, fuisse hic in Curia practicatum, vt clericus accusetur de eiusmodi periurio ob non solutum debitum, & inde sit processum ad carcerationem criminaliter; †

128 hæcq; consuetudo est etiam iuridica, ideoq; seruanda etiam in magna Curia Vicariæ Neapol. quando clericus non soluit in tempore propter necessitatem, & paupertatem, is enim dicitur periurus, qui voluntariè non soluit, Io. Ant. de Nigr. vbi supra num. 346. & 347. quare, cum ex admissione ad cap. odoardus. probetur paupertas, & necessitas, non erit locus periurio.

129 Restringe tertio in clerico, qui, personaliter consentiendo pensionis impositioni, cum iuramento, & in forma Cameræ promisit eam soluere, quia isto casu debet vel eã soluere, vel beneficium, pensione grauatum, dimittere, Gomes. in compend. vtriusque signat. in fine, vers. tamen est aduertendum. quem sequuntur Bened. Bon. tract. de censib. sub num. 44. fol. 167. & Foller. eod. tract. in verbo, census enim. sub num. 20. fol. 142. tom. 6. par. 2.

Ratio huius restrictionis non est vis iuramenti, aut obligationis cameralis, vt prædicti sentire videntur, sed est, quia non conuenit, vt velit retinere beneficium, & non soluere pensionem, cum qua illud obtinuit.

130 Contra hanc restrictionem, quòd enim, clerico recurrente ad Signaturam Iustitiæ, pro commissione causæ nullitatis, seu rescissionis pensionis, vti iniustæ, & excessiuæ, Signatura soleat cõmittere cum clausula (non retardata solutione pẽsionis (& huius clausulæ vigore procedi possit ad executionem, sed tamen clericus inops possit adhuc recurrere ad beneficium dicti cap. odoardus. scribit Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. nu. 9. vers. quoties. quare licet beneficium dicti cap. odoardus. non impediat executionem solutionis pẽsionis, tamen postquam, intentato iudicio super d. cap. odoardus. clericus fuerit admissus, illius priuilegio potitur, & ita dicimus in obligato in forma Cameræ; non enim retardatur executio obligationis cameralis, lite pẽdente super cap. odoardus. sed lite finita in fauorem clerici, qui sit admissus ad dictum cap. vtique retardatur quo ad personam, vt explicaui infra num. 132.

131 Restringe quarto, vt ex facultatibus, A. C. concessis in vers. quodque constitutiones. num. 26. clerico obligato in forma Cameræ

ræ denegetur refugium ad cap. odoardus.

132 Declara hanc restrictionem cum distinctione, vt si clericus, conuentus ad soluendũ, quod in forma Cameræ promisit, opponat, se velle admitti ad cap. odoardus. debeat nihilominus procedi ad executionẽ; imò non solũ si opposuerit, sed etiã si causa admissionis ad d. cap. sit introducta, & pendeat, quia nihilominus, si nondum obtinnerit per sententiam iudicis, se admitti ad beneficiũ dicti cap. odoardus. exceptio dicti cap. & causę introductio non impedient executionem obligationis cameralis: & ita procedunt facultates, A.C. concessæ: secus autem si de eo cap. excipiat, postquam ad illud fuerit per sententiam iudicis via ordinaria admissus, quia tunc executionem impedit personalem: hæcq; declaratio, seu distinctio probatur, quia dicimus in simili, quòd licet exceptio non numeratæ pecunię obligationem cameralem non retardet, tamen postquam fuerit per sententiam iudicis via ordinaria super ea ad fauorem obligati pronuntiatum, impediret, & vulneraret obligationem.

133 Confirmatur primo hæc declaratio, quia cessio bonorum impedit executionem obligationis cameralis, non autem impugnat instrumentum, aut obligationem, in eo contentam; sed solum inducit mutationem, seu restrictionem executionis, Galles. ad form. camer. obligat. ad 4. part. q. 3. sub nu. 1. tom. 6. par. 2. fol. 355. & quòd exceptio cessionis bonorum respiciat executionis actũ, & non obligationis substantiam, ideoq; consideratio habenda non sit, an debitor sit vnica, vel tribus conformibus sententijs condemnatus, cum ista exceptio sit solum inducta ad euitandam carcerationem debitoris in executione rei iudicatæ, scribit Brun. tract. de cess. bon. q. 2. princip. nu. 10. in vltimis verbis, & num. 11. tom. 3. par. 2. fol. 180.

Confirmatur secundo ex varijs distinctionibus, quas, loquendo de cessione bonorum, refert Brun. tract. de cess. bonor. q. 13. princ. tom. 3. par. 2. fol. 197.

134 Nec aduersus hanc declarationem dicatur, quòd facultates A. C. denegant clerico hoc refugium, etiam si iudicis decreto fuerit illi concessum, in illis verbis, *pro tempore decreta*.

Quia respondeo, quòd, ne extendantur ad maiorem iuris communis correctionem, debent intelligi vt loquantur, quando illud beneficium est concessum per decretum sine causæ cognitione, vt solent Camerarius, & alij quandoque concedere ijs, qui in salinis inseruiunt; secus quando est concessum cum causæ cognitione, & seruatis seruandis.

135 Minus obstat, si diceres, quòd, admissa præfata distinctione, sequeretur, quòd, lata sententia admissionis ad d. cap. odoardus. impediretur non solum executio personalis, sed etiam realis contra bona, quia vnica determinatio, respiciens plura determinabilia, debet pariformiter determinare, vulg. iur. sed illæ facultates loquuntur æqualiter de vtraque executione: ergo in vtraque executione haberent locum cum prædicta distinctione; quod est absurdum.

Quia respondeo, non æqualiter determinare, quando determinabilia habent diuersam rationem, prout habent executio personalis, & executio realis.

136 Contra hanc declatationem, interpretantem facultates A. C. vt habeant locum, quando clericus exciperet de refugio capit. odoardi, quod nondum per sententiam obtinuisset; secus quando illud per sententiam obtinuisset: oppono, quia cessionis beneficium potest per statutum tolli, Bal. in l. 1. sub nu. 7. vers. quęro si statutum. C. qui bon. ced. poss. sed statuto, hoc cessionis beneficium auferenti, non datur hæc distinctio, seu interpretatio, quia non tolleret, sed differret: ergo idẽ dicẽdũ est in casu nostro, quia Papa nõ solum tollit hoc beneficiũ, sed disponit, vt hoc beneficium nullatenus debitori prosit; & tamen, admissa hac distinctione, prodesset.

Hoc non obstante, seruatur declaratio.

137 Restringe quinto, vt sententia, lata super admissione ad cap. odoardus. in fauorem clerici inter clericum, & vnum ex eius creditoribus, & similiter cessio bonorum, facta cum vno creditore, non præiudicet alijs creditoribus non citatis, nisi cum distinctione, de qua num. seq. 139. & 141. quare, si tu, conuentus à me pro obligatione camerali, fueris ita diligens, & ego ita negligens, vt priusquam ego fecerim, procedi ad executionem meæ obligationis cameralis, tu via ordinaria, me tacitè consentiente, processeris super refugio dicti cap. odoardus. & dictum refugium per sententiam obtinueris, sententiaq; transitum fecerit in iudicatum, obligatio quidem mea quoad executionem personalem vulneratur exceptione dictæ sententiæ: sed si Titius deinde similiter agat contra te ad executionem suæ obligationis

gationis cameralis, tuq; similiter excipias de dicto beneficio cap. odoardus. Titius benè replicabit, exceptionem non esse admittendam ad retardandam executionem suæ obligationis cameralis, ideoq; iudex, illa exceptione nō obstante, procedet ad executionem, cum obligatio Titij nondum sit vulnerata: hæcq; subdeclaratio probatur eodem simili, quo probauimus declarationem; nempè, quòd si tu via ordinaria obtinueris, pronuntiari, meæ obligationi obstare exceptionem non numeratæ pecuniæ, hæc pronuntiatio non re iuuabit aduersus obligationem cameralem aliorum tuorum creditorum; etiam si isti alij creditores sint ex eadem causa creditores, ex qua eram ego.

138 Ratio huius restrictionis est, quia licet sententia, lata cum legitimo contradictore, idest, cum eo, cuius principaliter interest, & à quo alij consecutiuum ius habent, faciat ius quoad omnes; tamen secus est, quando sunt duo, aut plures, quibus ex eadem radice competit æquè principaliter aliquod ius; quia tunc sententia, obtenta contra vnum, non præiudicat alijs, qui æquale habent ius; quare si mulier post diuortium infra 30. dies denuntiauerit marito, se ex eo esse prægnantem, & maritus id negauerit, & iudex, causa plenè cognita, & discussa, pronuntiauerit esse filium mariti, illa sententia faciet ius, non solum quoad maritum, sed etiam quoad omnes, & sic ille erit consanguineus fratribus quoad ius filiationis, & erit legitimus quoad omnes; quia causa est acta cum legitimo contradictore, idest, cum eo, cuius principaliter interest, & à quo alij consecutiuum ius habent, l. 1. §. fin. & l. 2. & 3. ff. de liber. agnosc. Couar. pract. qq. cap. 13. sub num. 5. vers. secundo prænotandum: Sed si causa filiationis non fuerit acta cum patre, quem ista causa præcipuè & primo loco tangit, sed fuerit acta cum aliquo ex transuersa linea, sententia non præiudicat alijs agnatis, quos æquè principaliter negotium tangit; Couar. d. vers. secundo prænotandum. † Similiter licet sententia in causa ingenuitatis, lata cum vero contradictore, idest, cum eo, qui se facit verum dominum serui, & cum eo, qui se facit verum patronum liberti, alio æquè legitimo contradictore non existente, faciat ius quoad omnes alios, cum ex iure illius domini, seu patroni pendeat, & deducatur ius omnium, vt ex l. 25. ingenuum. ff. de stat. hom. & l. 27. diui fratres. §. 1. dedu-

139 (margin)

cit ibi Gl. in verbo, neque hæc res. ff. de liber. caus. Tamen secus est, quando extat alius æqualis contradictor, qui illum prætendat esse suum seruum, seu libertinum, quia tunc sententia, lata contra vnum legitimum contradictorem, non præiudicat alteri æquè legitimo contradictori, l. 27. diui fratres. §. ea persona. ff. de liber. caus. & l. 1. ff. si libert. ingen. esse dic. Alex. in l. 64. sæpe. sub num. 57. vers. vnde isto casu. ff. de re iudic. cum sententia illa manifestet, illum non fuisse iustum contradictorem, alio iusto apparente, & consequenter tanquam sententia, lata cum non iusto contradictore, non præiudicat vero domino, seu patrono, sed est inefficax, atque si nulla res iudicata interuenisset, l. 3. cum non iusto. ff. de collus. deteg. Couar. d. cap. 13. sub num. 5. vers. secundo apparet. Sic igitur in proposito, quando ius obligationis cameralis contra clericum ita æquè competit creditori, contra quem lata est sententia, sicut competit illi, contra quem lata non est, illa sententia nocet solum illi, contra quem lata fuit, & non alijs: & ex his potuit moueri Rot. in Mediolanen. fructuū, ven. 20. Iunij 1597. corā bon. mem. Card. Pamphilio, dum, nulla adducta auctoritate, dixit: *non obstat, quòd Sperasigius fuerit admissus ad cap. odoardus. quia ista admissio non afficit Cribellium, quia non constat, fuisse citatum saltem legitimè.* imò cum Rota ita simpliciter transeat cum hac resolutione, forsan existimauit, eiusmodi sententiam non dici super statu personæ.

140 Extende hanc restrictionem, seu verius illius rationem, vt procedat etiam si sentētia, lata in cessione bonorum, seu admissione ad cap. odoardus. diceretur lata super statu personæ, seu ratione status personæ, quia adhuc præiudicabit omnibus, seu faciet ius quoad omnes, qui habent ius consecutiuum ab illo, contra quem sententia est lata; secus quoad eos, qui non habent ius consecutiuum ab eo, sed habent ex se, & æquale, & principaliter, in his enim causis status, nempè, legitimitatis, ingenuitatis, & libertinitatis, loquuntur iura, exempla, & doctrinæ, citatæ supra num. 138. & 139.

141 Explica primo huius extensionis primam partem, & quæ in prima parte rationis eiusdem restrictionis dixi supra num. 138. vt ius consecutiuum dicantur habere omnes, qui non habent ius priuatum, & interesse particulare, sed habent solum ius publicum,

quia illud ius publicum dicitur conſecutiuum; ideoq; ſententia, lata cum eo, qui habet ius priuatum, facit ius quoad omnes, reſpectu iuris publici; ideſt, illa ſententia facit, vt apud omnes cōſequatur iura publica, cōpetentia ex illo ſtatu: quare ſentētia, qua is, qui petitus eſt ab aliquo, vti ſeruus, declaratur ingenuus, facit ius quoad omnes, qui ſuper ipsū, qui eſt declaratus ingenuus, nō habēt ius particulare, & propriū, & ſic iſte, declaratus cū vno ingenuus, conſequitur apud omnes illud publicum; & commune ius, quod cuilibet ingenuo eſt publicum, & commune; nempe vt ſit capax graduū, honorum, dignitatum, & prærogatiuarum, quorum communiter capaces ſunt alij ingenui: Similiter ſententia, lata ſuper legitimitate alicuius filij in lite, & cauſa, acta cum patre, facit ius quoad omnes, qui non prætendunt habere ius particulare, nempe paternitatis, eo quia alius non prætendat eſſe pater illius; & ſic quoad alios omnes cōſequitur ex illa ſententia iura publica, competentia communiter omnibus legitimis: Idem dicimus de ſententia, qua quis eſt declaratus clericus; quia omnes, qui in illa ſententia non habent proprium, & particulare intereſſe, dicuntur habere ius conſecutiuum, ſicque quoad illos omnes facit ius reſpectu iuris publici, vt cōſequatur omnia iura publica, communiter competentia clericis: nempe, vt poſſit deferre tonſuram, & habitum clericalem, & ſit habilis ad ſuſcipiendos maiores ordines, & ſimilia; prout vniuerſa hæc explicatio probatur ex his, quæ ſcripſi ſupra num. 138. & 139.

142 Explica ſecundo eiuſdem extenſionis ſecundam partem, & quæ dixi ſupra num. 138. & 139. in ſecunda parte rationis reſtrictionis, vt ius non conſecutiuum, ſed æquale, & principaliter dicantur habere illi, de quorum intereſſe burſale, & pecuniario, ſeu aliter pecunia æſtimabile agitur; & ab alterius iure non dependet; quo caſu ſententia, lata cum alio, habente ſimile intereſſe, præiudicat illi ſoli, & non alijs, habentibus intereſſe de per ſe ſine dependentia: quare, ſi Titius contraxerit plura debita cum diuerſis creditoribus, quorum vnus deinde pro ſuo credito eum conuenerit, & ipſe Titius conuentus exceperit, ſe fuiſſe, & eſſe ſeruum, ideoque nulliter contraxiſſe, & non potuiſſe ſe alteri obligare, & ita iudex ſententiauerit, vtique hæc ſententia non præiudicabit alijs creditoribus, qui eundem Titium conueniant, ſicque Titius, pronuntiatus ſeruus cum vno creditore, non eſt ſeruus quo ad alios creditores: Similiter, ſi mutuatarius aduerſus creditorem, mutuum repetentem, obtineat ſententiam, qua mutuatori denegetur actio, eo quia mutuatarius eſſet filiusfamilias, ad text. in l. 1. ff ad ſenatuſc. macedon. hæc ſententia non faciet ius quoad alium mutuatorem, qui etiam mutuauerit die ante eidem mutuatario; ſed erit opus nouo proceſſu, & noua ſententia: Item ſententia, lata contra creditorem ad fauorem clerici, qui eſt debitor, quòd non teneatur niſi in quantum facere poteſt, ad text. in cap. odoardus. de ſolut. non faciet ius quoad alios creditores; prout tota hæc explicatio ſatis probatur ex his, quæ dixi ſupra num. 138. & 139. quare, ſi clericus contra aliquos creditores obtinuerit, ſeruatis ſeruandis, non ſolum ſententiam, qua fuerit admiſſus ad dictum cap. odoardus. ſed obtinuerit etiam, eoſdem condemnari in expenſis, pro illa cauſa factis, &, illis non appellantibus, ſententia fecerit tranſitum in rem iudicatam, non poterit illas expenſas ad ratam conſequi ab alijs creditoribus, qui in ea ſententia non interuenerunt.

143 Contra hanc quintam reſtrictionem, ſic explicatam, dum diximus, quòd ſententia, lata cum vno, non facit ius quoad alium, habentem æquale ius, & intereſſe priuatum, & non conſecutiuum, obijcitur, quia ſententia, lata ſuper miſerabili refugio ceſſionis bonorum, facit ius etiam quoad alios creditores, non citatos, vt ſentiunt Salyc. in l. 1. num. 4. verſ. ſecundum dubium. C. qui bon. ced. poſs. & Brun. tract. de ceſs. bonor. q. 2. princip. num. 7. fol. 179. & q. 10. princip. nu. 4. & ſeqq. tom. 3. par. 2. fol. 196. dum ſcribunt, quòd ſicut vna inuentarij confectio ſufficit pro omnibus creditoribus, etiam ex poſt facto ſuperuenientibus; ita etiam ceſſio bonorum, facta contra aliquos creditores, porrigat effectum contra alios non citatos; hocq; obiectum confirmatur ex l. 4. is qui bonis. ff. de ceſs. bon. vbi, quòd Sabinus, & Caſſius putabant, eum, qui bonis ceſſit, nec quidem ab alijs, quibus debet, poſſe inquietari, & ex l. 19. item ſi vnus. ff. de recept. arbitr. vbi, quòd ſi vnus ex litigatoribus bonis ſuis cedat, non cogitur arbiter ſententiam dicere, cum is, qui ceſſit, neque agere, neque conueniri poſſit.

Hoc

144 Hoc obiectio(etsi prima facie satis authentico)non obstante;non recedo à restrictione.

Ad obiectum respondeo, distinguendo duas species.

Prima species est, quando creditor non citatus prætendit, creditum suum esse in casu, quo debitor sit exclusus à cessione bonorum,& à beneficio cap. odoardus. & in ista specie procedit restrictio:nam multi sunt casus, in quibus cessio bonorum non admittitur, quorum casuum multos ponunt Doct. in l.1. C. qui bon.ced.poss. Ias. in §.vlt. sub num.11.& seqq.Instit.de action. summatim Petr.Pech.Ziric.tract.de iur.sistin.cap.4.nu. 2.tom.3. par.2. fol. 158. & pinguius cap.5. sub num.16. fol.162. & latè Socc. in fallen. reg.46. vbi enumerat 18.casus, & alij in diuersis locis, & nos aliquos in seqq. restrictionibus: & cum possit esse, quòd vnus creditor sit in aliquo ex illis casibus,& alius non, sequitur, quòd cessio bonorum, facta contra creditum vnius, non debeat facere ius contra creditum alterius; & proinde, si debitor contraxerit debitum cum Petro, & Paulo bona fide, cum esset soluendo,sed postea fortunæ iniuria factus est non soluendo; & deinde sciens, se velle bonis cedere, dolosè contraxerit debitum cum Ioanne, à quo, acceptis pecunijs, aufugerit, poterit forsan admitti ad cessionem bonorum contra Petrum, & Paulum, sed illa cessio non debet nocere Ioanni,per ea,quæ secutus sum infra num.148.& seqq. Item potest clericus contra Petrum & Paulum creditores obtinere refugium cap. odoardus.eo quia isti nihil probant, sed non debet illud obtinere contra Ioannem, si is probet, quòd debitum contraxit vti laicus, & sine habitu clericali, & tonsura, per ea, quæ dixi infra num. 150. restr.7. Item potest obtinere beneficium cessionis bonorum quoad creditores, quorum creditū clarè fatetur,sed nō quoad eos, quorū creditū clarè negat, vt non negant Salyc. in l.1. sub num. 4. vers.secundum dubium. C.qui bon.ced.poss.& Brun.tractat.de cess. bonor.q.10.princip.nu.5. tom.3. par.2. fol. 196.& clarius q.2. per totam, & præsertim num.6.versus finem,ibi, pro huius opinionis confirmatione.fol.179.Potest etiam obtinere beneficium cessionis bonorū quoad creditores ex contractu; secus quoad creditores ex delicto, puta,furto,rapina,seu violentia, quia debitor ex delicto non debet iuris beneficio gaudere, sed potius vel officio iudicis, vel ad instantiam partis venit corporaliter, aut alias secundum iura puniendus, Medin.in suis tract.tom.2.tit.de reb.restit.q. 3.in 3.caus.fol.31.col.2.

Ratio huius casus est,quia etsi cessio bonorum habeatur indistinctè loco solutionis, ideoq; debitor ad hunc effectum, vt soluat, non possit carcerari, tamen potest carcerari ad effectum, vt carcer sit pro pœna doli commissi, & ex isto carcere aliquando procedit salus animæ debitoris, quia metu carceris occultè creditori soluit, sicq; restituit, quod furari volebat, vt in casu, de quo infra num.163.

Quare ad l.4.citatam sup. sub num. 143. facilis est responsio, quòd non procedit, quando allegatur casus, in quo cessio bonorum non admittitur.

145 Non obstat exemplum de confectione inuentarij; tum quia confectio inuentarij habet eandem naturam quoad omnes creditores, tum quia in confectione inuentarij citantur nominatim creditores certi, & per proclama hi, qui sunt incerti, sicq; exemplum retorquetur.

146 Secunda species est,quando non prætendit,se esse in aliquo ex prædictis casibus,in quibus denegatur cessio bonorum, & beneficium dicti cap odoardus. sed tamen prætendit,illam cessionem sibi,non citato, non nocere:& in ista specie dico,verū esse obiectum, quia illa cessio, & admissio ad cap. odoardus. nocet æqualiter omnibus, & sic etiam non citatis, quia cum omnes sint in casu, quo cessio debeat admitti, debitor non potest carcerari ad effectum, vt soluat, quia cum is cesserit bonis,eaq;propterea sint effecta creditorum; & proinde cessio illa sit loco solutionis, non potest carcerari pro solutione facienda.

Retentis hac quinta restrictione, de qua sup.n.137.& specie prima, de qua supra sub nu.144. vt in ea specie cessio bonorum cum vno creditore non præiudicet alijs,non citatis, prætendentibus debitorem quoad creditum suum esse indignum cessione bonorum.

Extende primo eam, vt si iste creditor, non citatus,habeat mandatum reale,& personale contra hunc debitorem, & talem sui crediti deducat qualitatem,quæ,si probaretur, debitorem redderet indignum cessione quoad ipsum creditorē, tūc illius qualitatis cognitio sumi debeat,debitore in carceribus constituto, & moueor, quia cum debitor ex

quò cessit bonis, sit suspectus de fuga, debet carcerari, ne interim fugiat, quod creditori afferret non modicum præiudicium, Petr. Pech. Ziric. de iuresisten. cap. 5. sub num. 16. in fine, nec eum potest tueri cessio bonorum, facta cum alio creditore; quia illa cessio non porrigit suum effectum ad eũ, qui est suspectus de fuga, & in casu, quo, si fugeret, iudicium redderetur sine executione; vnde videmus, quòd etsi appellatio tueatur appellãtẽ, tamen, si sit suspectus de fuga, eum non tuetur, Doct. communiter, quos secutus sum in meo tract. de appell. q. 3. num. 27. & quòd in causa merè ciuili, si tamen sit talis, in qua non admittatur cessio bonorum, tali casu non sit locus iuratoriæ cautioni, attento, quòd in causa condemnationis debitor veniret detinendus in carceribus, quos euadere non posset per cessionem bonorum, quam facere vellet, scribit Boer. decis. 349. & primo quoad mulctam, sub nu. 8. ibi, ex quo inferri potest, quare, si causæ sint diuersæ, ita vt in vna debeat admitti cessio bonorũ, & in alia non, cessio, facta in vna, non prodest in alia.

Confirmatur hæc extensio, quia licet debitor ex contractu, cedendo bonis, euadat carcerationem, tamen non euadit, si accusetur, & conueniatur ab alio super debito ex maleficio, puta ex furto, vel rapina, erit enim is carcerandus, non obstante cessione facta cum alio creditore, & etiam non expectata sententia.

147 Extende secundo, vt præcipuè procedat in priuilegio, ne debitor conueniatur vltra quàm facere potest, & in refugio ad cap. odoardus. quia sententia, lara super hoc priuilegio, & refugio, nõ facit ius respectu eius, quod debitori dimittitur, ne egeat; quia cedenti bonis nihil superest, nisi vt possit carcerari in casu, quo ei bonorum cessio non competeret; at in eo, qui habet priuilegium, ne conueniatur vltra quàm facere potest, supersunt bona ad victum, & vestitum, quæ ei dimittenda non sunt, sed creditori dari debent in casu, quo debitor, seu clericus eiusmodi priuilegio fit indignus; & potest esse indignus quoad vnum creditorem, licet esset dignus quoad alium; vt puta, erit indignus quoad eum, cuius creditum negat, vt dixi supra sub num. 144. & quoad eum, quem contrahendo decepit, vt dixi nu. seqq. & erit dignus quoad eum, cuius debitum fatetur, & quem non decepit: vnde aduerte, quòd aliud est beneficium cessionis, aliud verò beneficium cap. odoardus. seu priuilegium, ne debitor conueniatur vltra quàm facere potest: durior enim est cessio, ad quam propterea clerici, qui non tenentur, nisi in quantum facere possunt, non tenentur, Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. sub num. 9. vers. cæterum. quare non mirum, si nos in in hac secunda extensione difformiter respondemus in cap. odoardus. à cessione bonorum.

Restringe sexto, vt cessio bonorum, facta à principali, non iuuet fideiussorem, vide quæ scripsi in meo tract. de iud. caus. &c. lib. 2. cap. 7. num. 382.

148 Restringe septimo, vt non habeat locum in debitore (siue is sit laicus, siue clericus) qui sciens, se non esse soluendo, debitum contraxit, quia diceretur dolosè contraxisse, ideoq; ei tàm cessionis bonorum, quàm cap. odoardus. (si sit clericus) beneficium esset denegandum, l. penult. & ibi Gl. in verbo, ex causa. & in verbo, insidiaretur. ff. de iur. dot. vbi, quòd socero, qui spe futuræ dotis generum induxit, & cum sciret, se præstare dotem non posse, id egerit, vt genero insidiaretur, priuilegium ne teneatur, nisi in quantum facere potest, denegatur, Ias. in §. vlt. fallen. 10. nu. 19. Instit. de action. Boer. decis. 349. & primo quoad. sub num. 10. vbi loquitur de quodam nomine Ogier, qui contraxerat tempore, quo sciebat, se non esse soluendo, Foller. tract. de contract. cens. in verbo, census enim. num. 20. in fine, tom. 6. par. 2. fol. 142. Stracch. tractat. de decoctor. par. 3. num. 10. tom. 6. par. 1. fol. 317. Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 16. sub num. 9. vers. secundo illud adnotandum. Brun. tractat. de cess. bonor. q. 31. 4. q. princip. nu. 1. & seqq. tom. 3. par. 2. fol. 192. & latius q. 22. eiusdem 4. q. princip. num. 3. & 4. fol. 191. &, quòd, interueniente dolo, vel culpa, socius perdat hoc beneficium, ne conueniatur vltra quàm facere potest, scribit idem Brun. eod. tractat. q. 24. q. 4. princip. sub num. 2. fol. 191. Et maximè procedit hæc restrictio, si vltra dolum intercesserit renuntiatio beneficio cessionis, quo casu renuntiationem valere scribit Bar. in l. 15. alia. §. eleganter. in fine, ff. sol. matr. & quòd improbus, & dolosus litigator beneficio dicti cap. odoardus. iuuari non possit aduersus creditorem, dixit Rot. in Mediolanen. fructuum. ven. 20. Iunij 1597. coram bo. me. Card. Pamphilio.

149 Ratio huius restrictionis est, quia lex, quæ vir-

virtuosè operari debet ad obuiandum fraudibus, dolis, circumuentionibus, & similibus, quæ iustitiam necant, his omnibus auxilium, & documentum vitiosè ministraret, quo nihil absurdius dici potest.

Declara hanc restrictionem, vt debitor dicatur dolo contraxisse debita, ideoq; bonorum cessione sit indignus, quando non fortunæ iniuria, sed suo vitio factus est non soluendo; triplex enim est debitoris decoctio; prima, quæ procedit ob fortunæ iniuriam, & hæc decoctio est miseratione digna; secunda ob vitium debitoris; tertia partim ob vitium debitoris, & partim ob iniuriam fortunæ; & hæ secunda, & tertia sunt miseratione indignæ, Stracch.tract.de decoctor. par.2.sub num.1.& 2.tom.6.par.1.fol.316. & par.7.& vlt.initio, fol.323. Vnde Pius V. Sanctissimus Pontifex, & iustitiæ religiosissimus anno 1570. die 3. Nouembris, inhærens iuris communis dispositioni, fraudulentos, & dolosos decoctores, qui, proprijs eorum bonis, non aduersa fortuna, aut fortuitis casibus, siue hostium incursu, vel ventorum, marisq; violentia, atque iniuria, sed sua ipsorummet iniuria, negligentia, prodigalitate, atque luxu in explendis proprijs voluptatibus, penitus dilapidatis; proximos ad varia eorum bona sibi mutuanda sub spe restitutionis compellunt, & illis similiter profusis, creditores suos cessione bonorum deludunt, etiam in animæ suæ periculum non modicum, salubri constitutione furibus, & latronibus ita æquiparauit, vt in nihilo ab illis differant, nisi, vt quod eis nisi cum vitæ suæ periculo agitur, hoc decoctoribus impunè liceat, & successiuè, reualidans omnes leges, & constitutiones, tam Imperiales, quàm Apostolicas, mandat, eos puniri etiam pœna vltimi supplicij, prout punirentur fures.

Subdeclara hanc declarationem, vt debitori, qui vult admitti ad cessionem bonorum, incumbat onus probandi fortunæ iniuriam, alias non sit admittendus, tum quia quisque tenetur probare fundamentum suæ intentionis, tum quia negatiua est improbabilis.

Restringe octauo, vt beneficium cessionis bonorum non habeat locum in debitore, qui sit obligatus in specie ad rem, Brun. de cess. bon.q.12.4.q.princip.num.1.tom.3.par.2. fol.187.

Declara hanc restrictionem, vt non procedat, si obligatus non possit rem præstare, neque satisfacere de interesse, Brun.eod.tract.q.4.4.quæst. princip. sub nu.1. fol.183.

150 Restringe nono, vt non habeat locum in clerico, qui contrahit habitu, & nomine laicali, & sine tonsura, & suppresso nomine clericali, ita vt qui ei pecunias credit, remaneat deceptus in statu personæ; quia huic clerico in pœnam doli, & deceptionis debet dicti cap.odoardus. beneficium omnino denegari ex decreto Cõgregationis Sacri Concil. Tridentini die 18. Septembris 1595. decis.147.fol.17.cuius verba hæc sunt. *Congregatio Concilij censuit, clericum prima tonsura insignitum, habitum clericalem, & tonsuram deferentem, nec alicuius Ecclesiæ seruitio de mandato Episcopi descriptum, licet fori priuilegio non gaudeat, gaudere tamen beneficio cap.odoardus*. ex quo decreto, vt vides, clericus, qui defert habitum clericalem, & tonsuram, habet beneficium dicti cap. odoardus. hæcq; restrictio confirmatur multiplici ratione.

151 Confirmatur primo, quia is, qui sub clypeo legis malè agit, facit legi iniuriam, cuius natura est benè operari: & qui legi iniuriam facit, dicitur peccare in legem, & consequenter legis auxilio est indignus, l.vlt. §. fin verò postquam.in fine, C.de iur.deliber. cap.14. quia frustra. de vsur. & dixi in meo tract.de iud.caus.lib.1.cap.59. sub num.18. vers. tertio quia. & in tract. de appell. q. 5. nu.76.77. & 78. & est propositio satis nota, & quòd propterea contrahens debita sub spe futuræ cessionis, non sit admittendus ad cessionem bonorum, scribit Brun.tract.de cess.bonor.q.30.4.quæst.princip.num.1. & seqq.tom.3.par.2.fol.192.

152 At clericus, qui mendaci habitu contrahit, & contrahendo decipit, & deceptionem vt tueatur, recurrit ad legem in cap. odoardus. dicitur peccare in legem: ergo indignus est, vt ad illam legem possit recurrere; quod multis etiam exemplis ostenditur: nam licet quando Præfectus de Vrbe coronat Imperatorem, tunc Imperator de consuetudine satisfaciat omnibus creditoribus illius Præfecti, eumq; à debitis liberet; tamen, si Præfectus, sentiens aduentum Principis, audacior fiat, ideoque multa debita contrahat propter spem dictæ liberationis faciendæ à Principe, non debet liberari, Bar.in l. 1. §. hæc autem actio. num. 11. ff. si quis test. lib. ess. iuss. fuer. ideoq; licet Rex in accipiendo coro-

coronam ſoleat liberare debitores, ramen, ſi quis hac ſpe coronæ, de proximo à Rege capiendæ, multa contrahat debita, non liberatur, Viſill. ad Affl. deciſ. 84. fuit dubitatum. ſub num. 2. † Similiter licet filiusfamilias, quando emancipatur à patre, efficiatur noua perſona, & ideo de rigore iuris liberetur ab omnibus obligationibus, & debitis, per eum contractis; tamen, ſi debita contraxerit eo animo, vt, mediante emancipatione, liberaretur, non conſequitur liberationem; Iaſ. in l. 26. qui iuraſſe. §. ſi pater. num. 2. ff. de iureiur. † Item, licet militi, eunti ad bellum, competat exceptio hoſtica, de qua in conſtitut. Regni Neap. tamen ſi miles, poſtquam fuit monitus, vt iret ad bellum, ſpolium committit, & in eo conuentus excipiat de priuilegio hoſticæ, denegatur ei illa exceptio, ſeu priuilegium, quia illud ſpolium videtur commiſiſſe ſpe dictæ hoſticæ exceptionis, Affl. d. deciſ. 84. ſub num. 1. & in conſtit. hoſtici. nu. 10. lib. 2. fol. 42. † Item licet mulier, intercedens pro alio, iuuetur ſenatuſconſulto velleiano; tamen, ſi decipiendi animo, vel cum ſciret, ſe non teneri, interceſſerit, ſenatuſconſultum eam non iuuabit. l. 30. ſi decipiendi animo. ff. ad ſenatuſconſul. vell. † Similiter quamuis homicida bannitus, occidens maiorem, aut ſaltem æqualem bannitum, debeat gratis, & etiam in carceribus non cõſtitutus, remitti, & liberari, tamen, ſi quis hac ſpe homicidium committat, non eſt dignus eiuſmodi liberatione, per ea, quæ ſcripſi in meo tract. de iudic. cauſ. lib. 1. cap. 97. ſub num. 149. † Licet etiam bannitus poſſit, ſtatuto permittente, impunè occidi, tamen, ſi maritus procurauerit, vxorem abſentem accuſari de furto, & condemnari, & banniri, eamq; poſtea, vti bannitam, occiderit, non iuuabitur prędicto ſtatuto, quia in premijs ſtatutorum, & legum non veniunt odioſi, Anch. conſ. 408. probata. ſub num. 1. & 2. † Licet pariter lex concedat cuilibet, vt frumentum pro currenti pretio poſſit vendere, & cuilibet, vt pro caſu ſiniſtro poſſit, ſoluto conſteo, facere ſe aſſecurari, tamen ſi doloſè id faciant, lex conceſſionem denegauit, vt ſecutus ſum ſup. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 16. & ſeqq. Ex quibus omnibus, & alijs infinitis ſimilibus, quæ adduci poſſent, euidentiſſimè conſtat, quòd iura deceptis, & non decipientibus ſubueniunt. Si ergo hi, quia verſantur in dolo, nõ tamen ſub falſo ſtatu perſonæ, ſunt legis auxilio indigni; tantò magis eius auxilio indigni ſunt, qui mendaci perſonæ ſtatu debitum contrahunt; quod ſe ſoluere non poſſe, non ignorabant.

153 | 154 | 155 | 156 | 157 | 158

159 Confirmatur ſecundo, quia qualitas, ſuperueniens enti, reponit illud ens in diuerſa ſpecie, vt ex Marſ. ſecutus ſum in meo tract. de iud. cauſ. lib. 2. cap. 9. num. 1462. & talis quis præſumitur, in quali habitu reperitur, & ideo ſi quis virginem, veſte meretricia fœminæ, non matriſfam. veſtitam, de pudicitia tentauerit, iniuriarum non tenetur, l. 15. item apud labeonem. §. ſi quis virgines. ff. de iniur. & cap. 25. in audientia. de ſent. excom. item ſi quis percuſſerit clericum, veſte laicali indutum, non incidit in excommunicationem, in quam incidit qui percutit clericum, d. cap. in audientia. Marſ. conſ. 97. in præſenti. num. 9. Similiter (accedendo propinquius ad caſum noſtrum) ſi mulier veſte virili induta pro alio interceſſerit, ſenatuſconſ. velleiano non iuuatur, d. l. 30. ſi decipiendi. iuncta Gl. 1. ff. ad ſenatuſc. vell.

Declara eandem reſtrictionem, vt tunc quis dicatur contraxiſſe nomine laicali, quando in ſcriptura contractus fuit nominatus ſimplici nomine, prout nominari ſolent laici, maxime quia in dubio quis cenſetur laicus, & non clericus, cum qualitas clericatus non ſit à natura, Dec. conſ. 125. in cauſa ſpoliationis. num. 6.

160 Extende primo hanc reſtrictionem, vt clerico non ſatis ſit ad conſequendum beneficium cap. odoardus. detuliſſe habitum clericalem, & tonſuram coram iudice, dum pro admiſſione ad d. cap. odoardus. inſtetit, quia ſi creditor doceat, antea, & præſertim tempore contracti debiti inceſſiſſe habitu laicali, & ſine tonſura, priuabitur beneficio dicti cap. odoardus. cum tempus contracti debiti inſpici debeat; quia illo tempore decipiebat eum, à quo pecuniam accepit.

Extende ſecundo, vt quamuis laicus, ſuſcipiendo clericatum ſine fraude, admittatur ad cap. odoardus. etiam pro debitis contractis ante ſuſceptum clericatum; tamen, ſi erat iam clericus, & contraxit, vti laicus, non admittitur, per ea, quæ dixi ſupra num. 150. & ſeqq.

Tempera primam partem huius extenſionis, vt non procedat, ſi clericatum in fraudem ſuſciperet, quia eſſet indignus beneficio dicti cap. odoardus. & diceretur in fraudem ſuſcepiſſe, quando ſciebat, ſe non eſſe

esse soluendo, quando contrahebat.

161 Extende tertio, vt non satis sit deferre habitum clericalem, & tonsuram, nisi habitus sit decens, nempè hodie vsque ad talos, vt ex decreto Congregationis Sacri Concil. Trident. de quo fol. 58. col. 2. vers. habitum.

162 Extende quarto, vt non satis sit, deferre tonsuram, & habitum clericalem decentem, sed requiratur, vt de mandato Episcopi sit alicuius Ecclesiæ seruitio descriptus, vel sit in sacris; Couar. var. resolut. lib. 2. cap. 1. sub num. 9. vers. sed & quò. Gasp. Baet. tract. de inop. debit. cap. 17. nu. 20. vers. si tamen. tom. 3. par. 2. fol. 240. & Marches. in sua prax. de commis. par. 3. de commiss. admiss. ad cap. odoardus. num. 98. fol. 321. in vltima, seu 3. impress.

Contrarium, nempe, quòd sufficiat delatio habitus clericalis & tonsuræ quoad beneficium cap. odoardus. & solum quoad priuilegium fori requirantur illæ aliæ qualitates, seu earum aliqua, de quibus in Concilio Triden. cap. 6. sess. 23. de reform. & quas nos ex eo retulimus in nostro tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 11. sub nu. 82. censuit Congregatio dicti Conc. Trident. 11. Iunij 1595. decis. 144. & cum hac expressa differentia, 28. eiusdem mensis, & anni, decis. 147. fol. 16. & 17.

Reliquas restrictiones, & alia pertinentia ad hanc sextam quæstionem videbis apud Ias. in d. S. vlt. Instit. de action. & Brun. d. tract. de cess. bonor. & alios citatos.

163 Infero ex his restrictionibus, mihi laudandos non videri eos iudices, qui sub quadam pietatis specie, his restrictionibus neglectis, se in iustitia debitoribus ita debitores esse existimant, vt iniustitiam creditoribus facere non erubescant, ad hæcq; illationē triplici moueor ratione. Prima, quia magis pij, & misericordes forent, si restrictiones istas seruarent, per ea, quæ scribunt D. Augustinus, relatus in cap. 1. 14. q. 6. in illis verbis: *illud verò fidentissimè dixerim, eum, qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem (quantum honestè potest) ad restitutionem non compellit, socium esse fraudis, & criminis: nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus*. & Pius V. in constitutione, quam citaui supra sub num. 149. in illis verbis: *ac animæ suæ periculum non modicum*. quia etsi inopis debitoris carceratio non debiti solutionem pariat, sed pœnæ crudelitatem, creditori inutilem, exerceat, tamen hoc est verum in debitore verè inope, non autem in debitore simulatè inope, quæ simulatio sæpè carcere, alioq; metu detecta est, vt namque memoriæ proditum est, Chrisogonus cum Genuensis in magna summa esset creditor, isq; pluries requisitus satisfacere recusasset, falsòq; se non soluendo assereret, & proinde foro cessisset, Chrisogonus, inquā, eū blandis verbis in secessum deduxit, dispositis prius clanculum armatis hominibus, eumq; sic in secessum adductum, in collum inuasit, collareq; ex nucleo ferri, seu calybe, quibusdam aculeis mira Germanorum arte elaboratum, atque confectum, immisit, cōmonefactumq; nulla vi, seu arte aperiri per alium, infringiq; posse, & ei exitium imminere, si in illo loco pecuniam debitam non transmitteret, eum dereliquit, ostensa prius claue, miro artificio confecta; at miser Ligur, sentiens, se aculeis pungi, & stare cum semper cogeretur, nec remedium vitæ vllum haberet, debitam pecuniam Chrisogono transmisit, petens clauem, & orans aperiendi collare arcanum detegi, quod Chrisogonus, accepta pecunia, effecit, si credimus Stracchæ tract. de decoct. par. 2. sub num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 316. & ante eum, sed breuius Bossio tract. crim. tit. de plurib. violent. sub num. 77. quare non dicamus, quòd clericus frustra carceratur, ex quò carcer non soluit, sed bursa, quia respondetur, quòd, cum est carceratus, habet maiorem curam soluēdi, quàm quando stat in libertate, Io. Ant. de Nigr. in extrauag. vnicam. num. 348. de vit. & honest. cleric. inter Repeten. tom. 6. par. 2. fol. 15. Secunda ratio, qua moueor, est, quia Iudex non debet esse clementior lege. Tertia ratio, quia sicut Reip. expedit, vt puniantur fures, ita expedit, vt debitores, miseratione indigni, detineantur carcerati; cæterum, si ob fortunæ iniuriam, vel alium inopinabilem casum aduersum verè in paupertatem collapsi sint, cum miseratione eis debitum remittendum suaderem.

SVMMARIVM.

Executio litterarum cambij licet admittat multas oppositiones, tamen statutum, mandans, eam concedi, transactis vigintiquatuor horis à die reproducti præcepti, non est irrationabile, num. 1.

QVAERO

1 QVAERO ſeptimo, an ſtatutum, mandans iudici, vt, tranſactis horis xxiiij. à die reproducti præcepti, debeat licentiam expeditam concedere, ſit de re impoſsibili, ideoq; indiſcretum, & irrationabile?

Reſpondeo. Videtur dicendum, quòd ſic, cum aduerſus litteras cambij multæ poſsint opponi exceptiones, concernentes perſonas, & merita, vt patet ex his, quæ ſcripſi ſupra num. 16. & ſeqq. & poſsit etiam negari litteratura manus, & ſucceſsiuè requiratur examen teſtium, qui eam recognoſcant, vt dixi ſupra gl. 2. num. 4. & 5. & hac ead. gl. num. 15. quæ ſingula impoſsibile eſt, vt intra tam anguſtam dilationem poſsint expediri.

Contrarium eſt verum; quia imò eiúſmodi ſtatutum eſt de re poſsibili, eſt diſcretum, & rationabile: cum enim ſtatuta ita interpretari debeamus, vt à ſapiẽtibus reprehendi non poſsint, per ea quæ dixi in meo tract. de appell. q. 2. ſub num. 28. debemus intelligere ſtatutum, vt loquatur de litteris confeſſatis, & aliqua releuanti exceptione non concuſsis, ſiquidem in diſpoſitione, quam lex facit, ſupponi debent termini habiles illius diſpoſitionis; & hac terminorum habilitate ſuppoſita, ceſſat omnis impoſsibilitas.

Confirmatur hoc contrarium, quia quòd debitor ſit cauilloſus, & non veridicus, ſonat in delictum, vel ſaltem in triſtem euentum, ſed lex, quæ nõ fertur in caſu, in quo obuiare debeat præſumptæ fraudi, non præſumit delictum, l. meritò. ff. pro ſoc. neque expectat triſtem euentum, l. 83. inter ſtipulantem. §. ſacram. ff. de verb. oblig. *homo liber certa ſpecie continetur, & caſum, aduerſamq; fortunam expectari hominis liberi, neque ciuile, neque naturale eſt, nam, &c.*

---

§. 7. Gloſ. 6.

Si vero cambium, &c. peteretur contra curatorem hereditatis iacentis, vel &c. elapſis menſibus ſex, &c. non concedatur licentia, quin prius petens &c. idoneam fideiuſſionem præſtet de reſtituendo quicquid indebitè exegerit, vnà cum damnis, intereſſe, & impenſis, ac pœna triginta trium pro centenario.

SVMMARIVM.

Fideiuſſio de reſtituendo qua ex cauſa præſtari aliquando debeat à creditore, agente executiuè, num. 1.

Fideiuſſio eſt medicina legalis, ſub num. 1.

Curator hæreditati iacenti quando ad inſtantiam creditoris debeat dari, & quando non, nu. 2. Et quomodo detur, num. 2. & late nu. 5. & ſeqq.

Curator quando detur non hæreditati, ſed bonis, ſeu liti mouendæ, ſub num. 16.

Hæredes, qui poſſunt eſſe ab inteſtato, debent requiſiti adire, vel repudiare hæreditatem infra centum dies, ſub num. 3.

Hæredem non extare ad effectum vt dari poſſit curator ad inſtantiam creditoris, quando dicatur, num. 4.

Curator hæreditati iacenti quot, & quibus modis detur, num. 5. & ſeqq.

Curatore dato hæreditati iacenti, & cum eo facto proceſſu, ſi poſtea appareat, extitiſſe hæredem, an proceſſus ſit nullus, num. 9.

Creditor hæreditatis iacentis quomodo agere debeat ad conſequendam ſolutionem, num. 8.

Curatoris datio eſt ſententia interlocutoria, ſub num. 9.

Interlocutoria, lata ex falſa cauſa, eſt nulla, ſub num. 9.

Hæreditas adita non dicitur amplius hæreditas, ſub num. 9.

Paria ſunt, non eſſe, vel eſſe, &, factis debitis diligentijs, non apparere, ſub num. 10.

Scientia, quòd hæres extabat quando præſumatur in eo, qui fecit deputari curatorem hæreditati, num. 11. & 12. Et quando præſumatur ignorantia, num. 13.

Curator, datus hæreditati, ceſſat, ſuperueniente hærede, num. 14.

Hæres ab inteſtato, vel ex teſtamento, qui eſt etiam creditor, quot vijs poſſit conſequi ſolutionem ex hæreditate, quam adiuit cum beneficio legis, & inuentarij, num. 15. & ſeqq.

Separationem hæreditatis poteſt hæres impetrare ad conſequendam ſolutionem, ſub num. 15.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij, non cenſetur hæres in his, quæ ſibi ſunt damnoſa, ſub num. 16. verſ. prima.

Executione prohibita contra curatorem hæreditatis

tis iacentis, nisi ab agente sit præstita fideiussio, an censeatur prohibita etiam contra hæredem cum beneficio legis, & inuentarij n.19. Forma, data à statuto in fideiubendo, an dicatur adimpleta, si in fideiussione non sint expressa verba statuti, sed sit addita clausula (ad formam statuti) num.20. & seq. Et quid in forma, data in iuramen... calumniæ, num.20.

1 QVAERO primo, qua ex causa hoc statutum, modificando præcedentem dispositionem, eum, qui ex causa cambij peteret executionem contra curatorem, vel peteret, lapsis sex mensibus, arctet ad præstandum fideiussionẽ de restituendo, &c.

Respondeo, quia vbi maius est periculum, ibi cautius est agendum, vt scripsi supra §.1.q.1.num.1.& maior calumniæ suspitio vrget in his duobus casibus: in primo, quia facilè est insurgere contra mortuum: in secundo, quia non est verisimile, quòd tenens suas pecunias in cambijs, sit negligens per sex menses ad eas petendas: meritò vtroque casu nouum fideiussionis remedium à statuto est adhibitum; solet enim fideiussio, veluti optima legalis medicina, calumniæ morbo sæpe obuiare.

2 QVAERO secundo (ad intelligentiam, & praxim huius statuti) quando ad instantiam creditoris deueniatur ad dationem curatoris hæreditati iacenti?

Respondeo. Quando constat de morte illius, cuius hæreditati petitur dari curatorem; & non constat, quòd habeat de præsenti successorem, sed speratur de proximo, quia tunc Prætor ad instantiam creditorum mittit edictum, tempusq; præfinit, intra quod hæreditas adeatur, l.23.ſi quis instituatur.ff. de hæred.instit. Ang.cons.193. mortuo. sub n.3. ibi, restat igitur videre. & Stracch.tract. de decoctor.par.7.nu.16.tom.6. par.1. fol. 324.& vbi intra illud tempus hæreditas non adeatur, tunc dari debet curator.

Secus, si defunctus nullum habeat successorem, neque speretur, quia tunc eius bona sunt vacantia, quibus non datur curator, cum non dicatur hæreditas iacens, sed illorũ bonorũ administratio pertinebit ad procuratorem fisci, Ang. & Stracch. vbi supra.

3 Dicitur autem, non sperari successorem, ideoq; bona esse vacantia, quando sunt nominatim requisiti hi, quibus proxima causa successionis contingit, & eis statutus est terminus non minor cẽtum dierum ad adeundam, vel repudiandam hæreditatem, & nullus comparet, Bar. in l.5. si bona. num.2. C. de bon.auth.iudic.possid.

Aduerte, quòd, quicquid dici possit de iure, in praxi sine præfata termini præfixione, seruato solo ordine, de quo inf.nu.6.& seqq. datur indistinctè curator ad instantiam creditoris, docentis, vel iurantis de suo interesse, & fingentis, se ignorare, quòd extet hæres; & rarò fiscus se intromittit, posset tamen, quando defunctus non haberet successorem, se intromittere, vt dixi.

Nec obstat, quòd tex.in l.2.ff.de cur.bon. dand.Spec.tit.de curat. num. 14. in fine, vers.opponitur autem. lib.1. fol. 99. Odofr. tract.de curat.num.6.tom.8.par.2. fol. 406. Straach. vbi supra, & Capic.decis.87. nu. 1. dicant, curatorem esse dandum ad instantiam maioris partis creditorum.

Quia respondeo, id esse verum, quando concurrunt plures creditores, sed quando appareт vnus solus, tunc necessarium est, vt ad ipsius instantiam detur.

4 QVAERO tertio, quomodo ad hunc effectum, vt possit dari curator hæreditati iacenti, constabit, quòd defunctus non habeat de præsenti hæredem?

Respondeo. Constabit, quando ex decreto iudicis erit facta iuridica diligentia, an adsit hæres, & nullus apparebit hæres.

5 QVAERO quarto, qualis debeat esse diligentia?

Respondeo, diligentiam hanc posse pluribus modis expleri.

Primus modus est, vt creditor faciat, citari nominatim hæredes, scriptos in testamento, si defunctus decesserit testatus, seu proximiores defuncti, si decesserit intestatus, ad declarandum, an sint, vel esse velint hæredes, & ex quanta parte, quia actor, vt benè agat, potest facere præparatoria ad legitimandas in primis personas, quarum legitimationem esse necessariam secutus sum glos.præced.num.16.& seqq. & speciatim num.24.27.& seqq.

Sed re vera hic modus non sufficit, vt detur curator, quia sunt considerandi quatuor casus: primus est, quando citatus venit, & respondet, se esse hæredem, & hoc ostendit, & declarat velle esse hæres; & isto casu cessat

sat cura: secundus casus est, quando respondet, se non esse, nec velle esse hæredē; & hoc casu ex hac sola responsione non deuenirem ad curam, sed adhiberem maiorem diligentiam, de qua num. seqq. in 2. & 3. modo, quia posset apparere alius hęres: tertius casus est, quādo nemo comparet; & isto casu tātò minus deuenirem ad dandum curatorem, quia similiter adhiberem diligentiā, de qua infra: primus tamen casus est vtilis ad fundandum iudicium, quatenus citatus doceat, se esse hæredem: cœterum ad effectum dandi curatorē hic modus à practica non est receptus, imò cautus creditor, etiam si sciat, aliquem esse hæredem, & id probare possit, tamen ad euitandum hoc onus probationis, solet, simulata ignorantia, instare, pro deputatione curatoris; vt in sequenti secundo modo.

Est etiam vtilis iste modus in primo casu, quando scilicet citatus doceret, se esse hęredem ex testamento, vel ab intestato, sed tamen diceret, se nondum deliberasse, &, quatenus deliberasset, diceret, se nōdum adiuisse hæreditatem; quia iudex tunc posset illi præfigere terminum competentem ad deliberandum; & ad adeundum: posset etiam ex tunc declarare, se nolle esse hæredem; & vndique resultarent vtiles effectus, de quibus non est hic locus vt agamus.

6 Secundus modus (& hic practicatur hic in Vrbe) est, vt creditor faciat ad sui instantiam citari hæredes, si qui sint, vel esse velint q. N. hoc modo. *Citentur hæredes, si qui sint, vel esse velint q. N. ad comparendum legitimè, & acceptandum; vel refutandum hæreditatem præfati N. alias videndum, deputari curatorem illius hæreditati iacenti primo pro prima dilatione ad primam diem, Instante, &c.* hæcq; citatio datur cursori, qui, facta diligentia de reperiendo hæredes domi, in qua dictus q. N. mortuus fuit, & in vicinia, alijsq; locis puplicis, faciet relationem iudici de dicta diligentia, & nullum hæredem inuenisse; & tunc iudex eandē diligentiam faciendam committit duobus alijs cursoribus cum eadem citatione, qui eādem diligentiam facient, & referent iudici, & tunc iudex decernet processum per affixionem ad valuas curiæ, & domicilij defuncti, si illud habet, alias loco illius in acie campi Floræ: & in executione huius decreti fiet alia citatio huius tenoris. *Citentur per affixionem ad valuas curiæ, & aciei Campi Floræ, seu domus solitæ habitationis q. N. hæredes, si qui sint, vel esse velint, ad comparendum legitimè, & acceptandum, vel refutandum hæreditatem præfati q. N. aliàs videndum deputari curatorem illius hæreditati iacenti primo pro prima dilatione ad primam diem, Instante, &c.* In termino huius citationis iudex mandat citari ad idem pro secunda, tertia, & quarta ex superabundanti dilationibus, & sic erunt tres aliæ citationes eiusdem tenoris vna die pro alia; & in termino vltimæ citationis comparet creditor, & conducit fideiussorem, & impetrat, deputari curatorem; & deinde cum eo fit legitimus processus.

Hic idem modus seruatur, quando debitor instituit hæredem absentem, præmissis enim præfatis diligentijs, deputatur curator, non tamen hæreditati iacenti, sed hæreditati, & bonis.

7 Tertius modus, quem seruat Curia Genuensis ex dispositione statutorum lib. 3. cap. 11. §. quotiescunque. est, vt non fiat citatio generalis contra incertos hæredes, vt seruatur Romæ, sed fiat ex decreto iudicis denūtiatio in domo, in qua solitus erat morari defunctus, & fiat etiā tribus ex eius proximioribus propinquis, si reperiri possent in loco, & in defectu propinquorum tribus ex proximioribus vicinis, & fiat etiam præconizatio in platea banchorum, & in contrada, in qua ille mortuus habitare solitus erat, & ista denuntiatio erit incitatoria, quòd si quis est, qui velit esse curator bonorum dicti defuncti, seu velit bona prædicta defendere, compareat coram Iudice intra tempus in denuntiationibus, & proclamate assignatum; & deinde proceditur ad dationem curatoris. vt in d. §. quotiescunque. & iste idem modus seruatur, si daretur curator bonis debitoris absentis, seu latitantis.

8 Hęc diligentia potest sufficere, quia quando creditor vult consequi solutionem in bonis defuncti, debet citare eos, quorum prima est causa successionis, argum. textus in l. 1. §. denuntiari. ff. de ventr. inspic. & c. Bar. in l. 8. si diu. ff. quib. ex cauf. in poss. eat. & in l. 1. num. 3. ff. de cur. bon. dand. Alex. cons. 107. perspectis. num. 1. lib. 5. & Capic. decis. 87. sub num. 1. in 2. requis. sed is, qui vult deputari curatorem, vult consequi solutionem. ergo. & quòd in datione curatoris debeat speciatim euocari is, ad quem hæreditas spectat, quando non ignoratur, scribit Fulgos. cons. 190. viso toto. num. 2. & col. 4. versus finem, & isti citati cum sint proximiores,

res, seu vicini, dicent, an aliquis eorum sit, vel esse velit hæres, vel an adsit alius hæres, & qui, & vbi doceant de hærede, non erit locus dationi curatoris, sed agetur contra hæredem: si verò non doceant de hærede, præsumitur, non extare hæredem, & datur curator vnus ex generalibus curatoribus dictæ ciuitatis Genuæ; nam qui est creditor, facta debita diligentia de reperiendo hæredem, eoq; non reperto, non debet propterea excludi à consecutione sui crediti, quare, vt illud possit consequi, debet posse habere reum, qui est curator.

9 QVAERO quinto, si ad instantiam creditoris datus est curator tanquam hæreditati iacenti, & hæreditas iam esset adita per hæredem, nunquid processus, factus cum curatore, erit nullus?

Respondeo. Prima facie videtur dicendum, quòd sit nullus, quia datio curatoris fuit facta ex falsa causa, cum hæreditas adita non dicatur amplius hereditas, vel saltem non sit iacens, & quia datio curatoris est decretum, seu sententia interlocutoria, quæ, si sit interposita ex falsa causa, est nulla, Fulgos. cons. 190. viso toto, num. 2, col. 4. vers. sed ex alio capite. & ipso iure nulla, l. si tutor. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. Ant. de Butr. cons. 18. in quæstione. sub n. 1. & 2. &, quòd hæreditas adita nō dicatur amplius hæreditas, scribit Ias. in l. eius qui in prouincia. §. quod si stipulatus. sub num. 1. ff. si cert. pet. ideo, sublata datione curatoris, ruit totus processus, quia in iudicio requiruntur pro substantia tres personæ, vt secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 2. num. 5. & seqq. & num. 12. & seqq. & hic deficeret persona rei.

10 Contrarium suadetur ex eo, quia paria sunt esse, & non apparere, & non esse; sed tempore datæ curæ non apparebat hæres: ergo.

Distingue: Aut creditor sciebat, extare hæredem; & tunc datio curatoris non tenet, & consequenter processus est nullus: Aut ignorabat; & tunc rursus distinguo. Vel vsus est debita diligentia ad sciendum; & isto casu processus tenet, quia est ignorantia excusabilis; & quia paria sunt, non esse; & esse, & non apparere, quando est facta debita diligentia, per ea, quæ scribit Fulgos. d. cons. 190. col. 3. & ita disponunt statuta Genuensia, d. cap. 11. §. acta & gesta. Vel non est vsus debita diligentia; & tunc error, quia est crassus, & supinus, vitiat dationem curæ, & processum; & isto casu, & cum ista distinctione est intelligendum, quod scribunt Bal. cons. 308. vtrum possit. sub nu. 1. lib. 1. Paul. de Castr. cons. 392. vt attingamus. paulò post principium, lib. 1. dum dicunt, quòd error in facti causa vitiat decretum.

11 Declara primo, vt hæc scientia præsumatur ex pluribus. Primo, quando creditor esset consanguineus defuncti, quia coniunctus præsumitur scire factum coniuncti, l. penult. octaui. ff. vnd. cogn. l. 7. de tutela. C. de in integr. restit. minor. Fulgos. cons. 89. in quæstione. num. 3. vers. nec obstat quòd mater ignorabat. & maximè procedit hęc præsumptio in factis publicis, qualia sunt iura sanguinis, ætates, mortes, matrimonia, superexistentia filiorum, & similia, quæ respiciunt processum naturæ, vel factum, publicum, consanguineis, vt considerant Socc. cons. 97. in præsenti consultatione, num. 3. lib. 4. Alex. cons. 71. num. 6. lib. 1. Rol. à Val. cons. 3. num. 100. lib. 1. & Surd. cons. 7. magnificus. num. 52. & 53.

12 † Secundo, quando hæres, qui adiuit hæreditatem, fecisset in confectione inuentarij fieri publicum, & generale proclama in locis publicis, solitis, & consuetis, quia ex his publicis proclamaribus inducitur præsumptiuè scientia, Fulgos. d. cons. 190. num. 2. col. 4. vers. sed ex alio capite. & hæc præsumpta scientia transfert in aduersarium onus probandi ignorantiam, Rol. à Vall. cons. 19. num. 39. lib. 1.

13 Subdeclara, restringendo hanc declarationem, vt non procedat in casu, quo creditor fecisset fieri denuntiationes, & proclama, de quibus supra num. 7. quia tunc fortior est præsumptio ignorantiæ, quàm scientiæ: & vna præsumptio tollit aliam; & sicut proclama inuentarij est aptum ad inducendam scientiam præsumptiuam, quòd extat hæres, & consequenter curatoris dationem reddit dolosam, seu culposam: ita è conuerso proclama curæ dandæ inducit præsumptiuam scientiam in hærede, quòd dabatur curator, & consequenter culposè, seu dolosè hæres non manifestasset, se esse hæredem, quia vltima mora nocet, l. 17. illud. & ibi Gl. vlt. & Bar. in summario. ff. de peric. & commo. rei vend. & l. 91. si seruum. §. sequitur. & ibi Doct. ff. de verb. oblig. seu vna mora compensatur cum alia, vt secutus sum supra §. 2. gl. 5. num. 202.

14 Declara secundo, vt, superueniente hærede

sat cura: secundus casus est, quando respondet, se non esse, nec velle esse hæredē; & hoc casu ex hac sola responsione non deuenirem ad curam, sed adhiberem maiorem diligentiam, de qua num. seqq. in 2. & 3. modo, quia posset apparere alius hæres: tertius casus est, quādo nemo comparet; & isto casu tātò minus deuenirem ad dandum curatorem, quia similiter adhiberem diligentiā, de qua infra; primus tamen casus est vtilis ad fundandum iudicium, quatenus citatus doceat, se esse hæredem: cœterum ad effectum dandi curatorē hic modus à practica non est receptus, imò cautus creditor, etiam si sciat, aliquem esse hæredem, & id probare possit, tamen ad euitandum hoc onus probationis, solet, simulata ignorantia, instare, pro deputatione curatoris; vt in sequenti secundo modo.

Est etiam vtilis iste modus in primo casu, quando scilicet citatus doceret, se esse hæredem ex testamento, vel ab intestato, sed tamen diceret, se nondum deliberasse, &, quatenus deliberasset, diceret, se nōdum adiuisse hæreditatem; quia iudex tunc posset illi præfigere terminum competentem ad deliberandum; & ad adeundum: posset etiam ex tunc declarare, se nolle esse hæredem; & vndique resultarent vtiles effectus, de quibus non est hic locus vt agamus.

6 Secundus modus (& hic practicatur hic in Vrbe) est, vt creditor faciat ad sui instantiam citari hæredes, si qui sint, vel esse velint q.N. hoc modo. *Citentur hæredes, si qui sint, vel esse velint q.N. ad comparendum legitimè, & acceptandum, vel refutandum hæreditatem præfati N. alias vidēdum, deputari curatorem illius hæreditati iacenti primo pro prima dilatione ad primam diem, Instante, &c.* hæcq; citatio datur cursori, qui, facta diligentia de reperiendo hæredes domi, in qua dictus q.N. mortuus fuit, & in vicinia, alijsq; locis puplicis, faciet relationem iudici de dicta diligentia, & nullum hæredem inuenisse; & tunc iudex eandē diligentiam faciendam committit duobus alijs cursoribus cum eadem citatione, qui eādem diligentiam facient, & referent iudici, & tunc iudex decernet processum per affixionem ad valuas curiæ, & domicilij defuncti, si illud habet, alias loco illius in acie campi Floræ: & in executione huius decreti fiet alia citatio huius tenoris. *Citentur per affixionem ad valuas curiæ, & aciei Campi Floræ, seu domus solitæ habitationis q.N. hæredes, si qui sint, vel esse velint, ad comparendum legitimè, & acceptandum, vel refutandum hæreditatem præfati q.N. aliàs videndum deputari curatorem illius hæreditati iacenti primo pro prima dilatione ad primam diem, Instante, &c.* In termino huius citationis iudex mandat citari ad idem pro secunda, tertia, & quarta ex superabundanti dilationibus, & sic erunt tres aliæ citationes eiusdem tenoris vna die pro aliâ; & in termino vltimæ citationis comparet creditor, & conducit fideiussorem, & impetrat, deputari curatorem; & deinde cum eo fit legitimus processus.

Hic idem modus seruatur, quando debitor instituit hæredem absentem, præmissis enim præfatis diligentijs, deputatur curator, non tamen hæreditati iacenti, sed hæreditati, & bonis.

7 Tertius modus, quem seruat Curia Genuensis ex dispositione statutorum lib. 3. cap. 11. §. quotiescunque. est, vt non fiat citatio generalis contra incertos hæredes, vt seruatur Romæ, sed fiat ex decreto iudicis denūtiatio in domo, in qua solitus erat morari defunctus, & fiat etiā tribus ex eius proximioribus propinquis, si reperiri possent in loco, & in defectu propinquorum tribus ex proximioribus vicinis, & fiat etiam præconizatio in platea banchorum, & in contrada, in qua ille mortuus habitare solitus erat, & ista denunciatio erit incitatoria, quòd si quis est, qui velit esse curator bonorum dicti defuncti, seu velit bona prædicta defendere, compareat coram Iudice intra tempus in denunciationibus, & proclamate assignatum; & deinde proceditur ad dationem curatoris. vt in d. §. quotiescunque. & iste idem modus seruatur, si daretur curator bonis debitoris absentis, seu latitantis.

8 Hęc diligentia potest sufficere, quia quando creditor vult consequi solutionem in bonis defuncti, debet citare eos, quorum prima est causa successionis, argum. textus in l. 1. §. denunciari. ff. de ventr. inspic. &c. Bar. in l. 8. si diu. ff. quib. ex caus. in poss. eat. & in l. 1. num. 3. ff. de cur. bon. dand. Alex. cons. 107. perspectis. num. 1. lib. 5. & Capic. decis. 87. sub num. 1. in 2. requis. sed is, qui vult deputari curatorem, vult consequi solutionem, ergo. & quòd in datione curatoris debeat speciatim euocari is, ad quem hæreditas spectat, quando non ignoratur, scribit Fulgos. cons. 190. viso toto. num. 2. & col. 4. versus finem, & isti citati cum sint proximiores,

res, seu vicini, dicent, an aliquis eorum sit, vel esse velit hæres, vel an adsit alius hæres, & qui, & vbi doceant de hærede, non erit locus dationi curatoris, sed agetur contra hæredem: si verò non doceant de hærede, præsumitur, non extare hæredem, & datur curator vnus ex generalibus curatoribus dictæ ciuitatis Genuæ; nam qui est creditor, facta debita diligentia de reperiendo hæredem, eoq; non reperto, non debet propterea excludi à consecutione sui crediti, quare, vt illud possit consequi, debet posse habere reum, qui est curator.

9 QVAERO quinto, si ad instantiam creditoris datus est curator tanquam hæreditati iacenti, & hæreditas iam esset adita per hæredem, nunquid processus, factus cum curatore, erit nullus?

Respondeo. Prima facie videtur dicendum, quòd sit nullus, quia datio curatoris fuit facta ex falsa causa, cum hæreditas adita non dicatur amplius hæreditas, vel saltem non sit iacens, & quia datio curatoris est decretum, seu sententia interlocutoria, quæ, si sit interposita ex falsa causa, est nulla, Fulgos. cons. 190. viso toto. num. 2. col. 4. vers. sed ex alio capite. & ipso iure nulla, l. si tutor. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. Ant. de Butr. cons. 18. in quæstione sub n. 1. & 2. &, quòd hæreditas adita nõ dicatur amplius hæreditas, scribit Ias. in l. eius qui in prouincia. §. quod si stipulatus. sub num. 11. ff. si cert. pet. ideo, sublata datione curatoris, ruit totus processus, quia in iudicio requiruntur pro substantia tres personæ, vt secutus sum in meo tract. de iud. caus. lib. 1. cap. 2. num. 5. & seqq. & num. 12. & seqq. & hic deficeret persona rei.

10 Contrarium suadetur ex eo, quia paria sunt esse, & non apparere, & non esse; sed tempore datæ curæ non apparebat hæres: ergo.

Distingue: Aut creditor sciebat, extare hæredem; & tunc datio curatoris non tenet, & consequenter processus est nullus: Aut ignorabat; & tunc rursus distinguo. Vel vsus est debita diligentia ad sciendum; & isto casu processus tenet, quia est ignorantia excusabilis; & quia paria sunt, non esse; & esse, & non apparere, quando est facta debita diligentia, per ea, quæ scribit Fulgos. d. cons. 190. col. 3. & ita disponunt statuta Genuensia, d. cap. 11. S. acta & gesta. Vel non est vsus debita diligentia; & tunc error, quia est crassus, & supinus, vitiat dationem curæ, & processum; & isto casu, & cum ista distinctione est intelligendum, quod scribunt Bal. cons. 308. vtrum possit. sub nu. 1. lib. 1. Paul. de Castr. cons. 392. vt attingamus. paulò post principium, lib. 1. dum dicunt, quòd error in facti causa vitiat decretum.

11 Declara primo, vt hæc scientia præsumatur ex pluribus. Primo, quando creditor esset consanguineus defuncti, quia coniunctus præsumitur scire factum coniuncti, l. penult. octaui. ff. vnd. cogn. l. 7. de tutela. C. de in integr. restit. minor. Fulgos. cons. 89. in quæstione. nùm. 3. vers. nec obstat quòd mater ignorabat. & maximè procedit hęc præsumptio in factis publicis, qualia sunt iura sanguinis, ætates, mortes, matrimonia, superexistentia filiorum, & similia, quæ respiciunt processum naturæ, vel factum, publicum consanguineis, vt considerant Socc. cons. 97. in præsenti consultatione, num. 3. lib. 4. Alex. cons. 71. num. 6. lib. 1. Rol. à Val. cons. 3. num. 100. lib. 1. & Surd. cons. 7. magnificus. num. 52. & 53.

12 † Secundo, quando hæres, qui adiuit hæreditatem, fecisset in confectione inuentarij fieri publicum, & generale proclama in locis publicis, solitis, & consuetis, quia ex his publicis proclamatibus inducitur præsumptiuè scientia, Fulgos. d. cons. 190. num. 2. col. 4. vers. sed ex alio capite. & hæc præsumpta scientia transfert in aduersarium onus probandi ignorantiam, Rol. à Vall. cons. 19. num. 39. lib. 1.

13 Subdeclara, restringendo hanc declarationem, vt non procedat in casu, quo creditor fecisset fieri denuntiationes, & proclama, de quibus supra num. 7. quia tunc fortior est præsumptio ignorantiæ, quàm scientiæ: & vna præsumptio tollit aliam; & sicut proclama inuentarij est aptum ad inducendam scientiam præsumptiuam, quòd extat hæres, & consequenter curatoris dationem reddit dolosam, seu culposam: ita è conuerso proclama curæ dandæ inducit præsumptiuam scientiam in hærede, quòd datur curator, & consequenter culposè, seu dolosè hæres non manifestasset, se esse hæredem, quia vltima mora nocet, l. 17. illud. & ibi Gl. vlt. & Bar. in summario. ff. de peric. & comm. rei vend. & l. 91. si seruum. §. sequitur. & ibi Doct. ff. de verb. oblig. seu vna mora compensatur cum alia, vt secutus sum supra §. 2. gl. 5. num. 202.

14 Declara secundo, vt, superueniente hæ-

rede in proceſſu, eſſet curator, per ea, quæ ſcribit Odofr. tract. de curat. bon. dand. num. 46. 62. & 101. & ſeqq. tom. 8. par. 2. fol. 407.

15 QVAERO ſexto, quot viæ competant filio hæredi, ſeu cuiuis alteri hæredi ex teſtamento, vel ab inteſtato, cum beneficio legis, & inuentarij, volenti ſeparare ab hæreditate creditum, quod habet contra hæreditatem, & quæ via ſit ei vtilior.

Reſpondeo. Competunt tres viæ. Prima via eſt, vt agat contra curatorem, ad ſui inſtantiam deputandum per iudicem. Secunda via eſt, vt propria auctoritate ſibi ſoluat, & retineat, quando creditum eſt clarum. Tertia via eſt, vt, implorato iudicis officio, citet creditores, & legatarios, iiſq; citatis, impetret à iudice ſeparationem.

Prima via probatur, tum quia hæres non poteſt eſſe actor, & reus, ſicq; agere contra ſe ipſum, quia actio, & paſſio in eodem ſubiecto ſtare non poſſunt, teſtibus his, quos citaui §. præcedenti gl. 1. num. 24. tum quia hæres cum beneficio legis, & inuentarij, in his, quæ ſibi damnoſa ſunt, non cenſetur hæres, Montic. tract. de inuent. ſub nu. 130. tom. 8. par. 2. fol. 243. hancq; viam ſcribit Illuſtriſs. Card. Tuſc. in ſuis concluſ. in verbo, hæreditas. concl. 23. num. 3. & eſt via tutior, quia, cum formato iudicio, hæredes per ſententiam diffinitiuam conſequuntur creditum, acquirunt fortius ius, & iuſtiorem poſſeſſionem.

16 Neque obſtat, quòd curator non detur hæreditati aditæ, ſed ſolum hæreditati iacenti.

Quia reſpondeo, quòd, adita hæreditate, curator datur bonis, ſeu verius liti mouendæ; ſicut enim quando lis eſt inter pupillum, & tutorem, datur curator liti, Socc. Iun. conſ. 46. nu. 4. lib. 1. & Piag. tract. de curat. q. 2. nu. 63. tom. 8. par. 2. fol. 316. quia, cum pupillus ſit hæres, non poteſt dari curator hæreditati, neque poteſt dari pupillo, quia habet tutorem, neque pupillus debet in lite remanere ſine defenſore; ſic etiam iſto caſu datur curator bonis, ne alias hæreditas remaneret indefenſa, cum hæres agat contra hæreditatem, & interſit creditorum, qui poſſunt apparere, vel aliorum prætendentium in hæreditate, quòd hæreditas defendatur.

Minus obſtat, quòd ij, qui ſcripſerunt de curatore, nempe Odof. tract. de curat. nu. 46. & ſeqq. vſque ad num. 61. incluſiuè tom. 8. par. 2. fol. 407. Ant. Piag. eod. tract. q. 2. num. 27. & ſeqq. fol. 316. enumerantes cauſas dandi curatorem, iſtam non enumerent, & Bal. & Montic. citati num. ſeqq. alias & non hanc doceant vias, quia reſpondeo, hoc non eſſe argumentum neceſſarium.

Pariter non obſtat, quòd Rol. à Vall. tract. de confect. inuent. in 10. viil. ſub num. 7. tom. 8. par. 2. fol. 185. quem citat Illuſtriſſimus Card. Tuſcus, loquatur in hæreditate iacente, prout loquitur etiam Bal. in l. fin. §. in computatione, num. 4. verſ. ex hoc ſequitur. C. de iur. delib. Quia reſpondeo, nihilominus concluſionem iſtam eſſe veram, per ea, quæ dixi.

17 Secunda via, de qua Bal. in d. §. in computatione. n. 4. & Montic. d. tract. de inuent. ſub nu. 130. tom. 8. par. 2. fol. 243. eſt, vt dixi, quòd hæres ſibi ipſi propria auctoritate ſoluat, ſi habeat inſtrumentum, & liquidum.

18 Tertia via, quam docent Bal. in l. debitori. num. 3. verſ. hic quæro. C. de pact. & alij, quos citat, & ſequitur Surd. conſ. 7. nu. 32. & conſ. 128. num. 25. lib. 1. eſt, vt dixi, quòd hæres, citatis creditoribus, imploret officium iudicis ſuper ſeparatione bonorum, iuxta ea, quæ ſcribit Gl. 1. in l. 1. ff. de ſeparat.

19 QVAERO ſeptimo, an hoc ſtatutum, quod agentem executiuè contra curatorem hæreditatis iacentis obligat ad præſtandum fideiuſſionem, vt dixi ſup. n. 1. obliget etiam hæredem cum beneficio legis & inuentarij, agentem contra curatorem, datum liti.

Prima facie videtur reſpondendum negatiuè in fauorem hæredis, quia ſtatutum loquitur in eo, qui petit executionem contra curatorem hæreditatis iacentis, ſed cum hæreditas, adita cum beneficio legis, & inuentarij, non dicatur iacens, hæres cum beneficio legis, & inuentarij non petit contra curatorem hæreditatis iacentis, ſed contra curatorem bonorum, ſeu litis mouendæ.

Contraria opinio videtur verior, tùm quia militat eadem ſuſpitio calumniæ, cum facilè ſit inſurgere contra bona, & intereſt creditorum hæreditariorum, præſtari prædictam fideiuſſionem; tum quia hæreditas eſt, ac ſi iaceret, ad effectum, de quo agimus.

Hæc contraria opinio, etſi videatur amica rationi, & conſequenter vera, quia totum ius conſiſtit in ratione, vt dixi gloſ. præced. num. 1. in fine, & gl. 2. nu. 35. quare vbi militat eadem ratio, ibi idem ſtatuitur ius; tamen credo, quòd hæc opinio in ciuitate Genuæ

nuæ, vbi extat hoc ius municipale, non seruaretur, quia ex dispositione illorũ statutorũ opinio, quæ sit amica litteræ statuti, præfertur opinioni, quæ sit amica rationi statuti.

20 QVAERO octauo, an petens executionem pro debito cambij, & præstando fideiussionem de restituendo ad formam statuti, non expressis alijs verbis, de quibus in statuto, dicatur seruasse formam statuti circa fideiussionem præstandam?

Respondeo. Hanc quæstionem sæpe vidi agitatam, & fuit iudicatum pro validitate fideiussionis ex duobus. Primo, quia Rot. Genuen. decis. 210. christophorus. dicit, quòd licet regulæ Rotæ requirant pro forma, vt, intentans executionem, caueat (vt in hoc statuto) tamen, inquit, satis est, quòd promiserit, ac fideiusserit in omnibus, iuxta formam regularum Rotæ, licet non expresserit verba formalia, quæ regulæ Rotæ requirunt in fideiussione. † Secundo, quia similem difficultatem pluries vidi de eo, qui, petendo executionem, iurabat simpliciter, ptout in statuto de causis executiuis, quod tamen statutum lib. 2. cap. 3. mandat, vt iuret de calumnia; & ideo reus contra huiusmodi iuramentum opponebat, non fuisse seruatam dispositionem statuti, ex quò in iuramento requiruntur verba specifica iuramenti, & non per relationem, Mars. sing. 415. iuramentum. Tiraq. tract. de legib. connub. in verbo, expres. gl. 7. num. 189. vers. nam cum iuramentum. & num. 199. vers. intelligês tertio. iuncto num. 121. limit. 16. fol. 336. & 337. & Carpan. ad stat. Mediol. cap. 324. num. 187. & seqq. & ideo requiritur iuramentum sub verbis expressis, & formalibus, ita vt nullum verbum deficiat, & non satis esset iurare sub aliquibus verbis statuti, addita etiam postea clausula, *quod iurat in omnibus, & per omnia, & de verbo ad verbum formaliter, prout requirit statutum*, Ploт. in l. si quando. sub num. 372. vers. dectetum mediolani. & num. 865. limit. 59. C. vnd. vi. vbi testatur de opinione communi. Actor verò, tuendo formam sui iuramenti, allegabat duo. Primo, quòd stylus Curiæ erat in contrarium; nempe, vt sufficeret iuramentum in prædicta forma relatiua. Secundo loco allegabat, quòd paria sunt, aliquid esse certum ex se, vel per relationem ad aliud, cum relatum sit in referente verè, & propriè, vt secutus sum supra gl. 3. sub nu. 28. vers. secundum fundamentum. & ideo licet expressio requireretur pro forma, tamẽ sufficit expressio per relationem ad quid certum, vt secutus sum in meo tract. de appell. cap. 2. q. 4. num. 32. & ita passim seruatum vidi super istis statutis.

22 QVAERO nono, vsque ad quam quantitatem possit ascendere interesse, de quo in præsenti statuto?

Huic quæsito satisfeci sup. gl. 2. num. 63. & seqq. ideo hic non repetam.

§. 7. Glos. 7.

Declarato, quòd supradicta executio possit fieri intra annos quatuor à die termini solutionis transacti, & non postea.

SVMMARIVM.

Præscripta via executiua, remanet via ordinaria, num. 1. Et præscripta vna via executiua, non intelligitur præscripta alia executiua, num. 4. & seqq.

Executiuo modo agendi ex sententia, vel ex instrumento præscribitur 30. annis, sed tamen remanet modus agendi via ordinaria, num. 2.

Præscriptio etiam cum mala fide tollit modum agendi executiuè, & currit etiam contra minores, num. 3. Perimit totale ius nondum acquisitum, sed acquirendum, sub eod. num. 3. extens. 1. Perimit etiam ius, competens non de iure gentium, sed de iure speciali, ibidem, extens. 2.

Redimendi iuri quandocunque præscribitur spatio 30. annorum, præsupposita etiam mala fide præscribentis, sub num. 3. illat. 1. Non tamen præscribitur iuri redimendi censum, sub eod. num. 3. vers. comprobatur.

Iuri quærendo præscribitur etiam cum mala fide, sub num. 3. illat. 2.

Legato, & / Legitima supplemento } præscribitur etiam cum mala fide, sub n. 3. ill. 2.

Confirmatio dominij præscribitur etiam cum mala fide, licet non præscribatur dominium, sub num. 3. vers. corroboratur.

Restitutioni in integrum præscribitur etiam cum mala fide, sub num. 3. extens. 2.

1 QVAERO primo, an creditor, qui cambij executionem intra annos quatuor non petierit, amiserit ius, & capitale cambij, ita vt illi sit præscriptum?

Respondeo, quòd non, quia licet sit præscriptum viæ executiuæ, tamen remanet illi via ordinaria, in qua eadem instrumenta, seu scripturæ, quibus statutum dabat executionem paratam, probabunt intentionem creditoris, vt scribit Ant. de Canar. tract. de execut. instr. q. 56. num. 95. tom. 5. fol. 45. & ita seruatur passim.

Confirmatur primo hæc responsio ex his, quæ scripsi in meo tract. de iudic. caus. &c. lib. 2. cap. 5. sub num. 163. vers. corroboratur secundo. & cap. 11. num. 1093.

2 Confirmatur secundo, & propinquius, quia licet viæ, & modo agendi executiuè præscribatur de iure communi spatio triginta annorum, tam si agatur ex sententia, Balb. tract. de præscript. in 4. par. 4. par. princip. quæst. 31. num. 1. & 2. tom. 17. fol. 84. Natt. cons. 222. & Matth. Coler. infra citatus, & in istis terminis intelligas Rotam Genuen. de qua Flam. Cart. decis. 120. concessa. num. 2. & 3. quàm si agatur ex instrumento, habente executionem paratam, Coler. tract. de process. execut. par. 4. cap. 1. sub num. 74.

Tamen remanebit via agendi in iudicio ordinario, quia præscribitur viæ executiuæ, & non iuri, & credito, per ea, quæ dixi num. seq.

Nec aduersus hanc confirmationem obijcias, spatio triginta annorum præscribi omnem actionem, & consequenter etiam ius agendi via ordinaria, quia, præscripto iure super re, seu præscripta ipsa re, non remanet ius agendi via ordinaria ad illam rem, cum, sublata substantia, non remaneat accidens.

Quia respondeo, obiectum non esse verum in casu, quo præscriptio sit cum mala fide, quia tunc mala fides impedit, ne possidens præscribat rem; & sic, retorto obiecto; si non præscribitur res, ergo neque ius agendi via ordinaria; sed mala fides non impedit, ne præscribat, vt non possit conueniri via executiua, per ea, quæ dixi num. seq. & in hoc casu procedit confirmatio.

3 QVAERO secundo, an hæc præscriptio quatuor, seu triginta annorum, de qua locutus sum in præced. quæst. habeat locum etiam in præscribente cum mala fide, & nunquid currat etiam contra minorem, & similes personas?

Respondeo, quod sic, quia cum in ista præscriptione non agatur de præscribendo credito; sed de præscribenda via executiua; remanente iure agendi via ordinaria, vt dixi num. præced. non consideratur, an præscriptio habeat bonam, vel malam fidem, Franch. in cap. 1. sub num. 10. ibi, sed benè videtur, de reg. iur. in 6. Balb. tractat. de præscript. in 2. par. 3. par. princip. q. 14. num. 8. limit. 3. tom. 17. fol. 69. & Couar. super decretal. lib. 6. de præscript. par. 2. §. 11. num. 4. in fine, vers. sexto leges. fol. mihi 527. neque consideratur ætas eius, contra quem præscribitur, an sit maior, vel minor, quia istæ præscriptiones iudiciariæ, in quibus non agitur de perimendo iure, sed de perimenda via, & processu ad illud ius, currunt etiam contra minores, & ita tu intelligas quæ scribit Odd. tract. de restit. in integr. q. 28. sub num. 13. & 14.

Extende primo obiter hanc responsionem, dum dicimus, posse etiam cum mala fide præscribi viæ executiuæ, remanente tamen iure, & via ordinaria, vt cum mala fide possit etiam præscribi totum, & omnimodum ius; si is, contra quem præscribitur, illud ius nondum acquisiuerit, neque agnouerit, & sic declarantur cap. vlt. de præscript. & cap. 2. de reg. iur. in 6. hancq; extensionem sequentibus probo illationibus,

Infero primo, quòd pacto, & facultati redimendi quandocunque sine temporis præfixione vsque in infinitum, præscribitur spatio triginta annorum, præsupposita etiam in præscribente mala fide, eo, quòd sciat, se obligatum esse ad retrouendendum quandocunque, & semper, vt ex Bal. cons. 303. ad euidentiam. num. 3. vers. quæro vtrum. & nu. 4. lib. 1. in impressis Lugduni ad signum leonis anno 1559. sequitur Balb. tract. de præscript. in 3. par. 5. par. princip. q. 3. nu. 1. & seqq. tom. 17. fol. 96. nam venditori potest competere ius redimendi, sed non competit, donec non agat ad redimendum.

Confirmatur primo hæc illatio, quia imò viderur cessare mala fides, tum quia, postquam non apparet, venditorem velle redimere, emptor non dicitur præscribere cum

mala

mala fide, tum quia in promissione retrovendendi quandocunque inest tacita conditio, si retrouenditio petita fuerit infra 30. annos, & ideo excluditur mala fides.

Confirmatur secundo ex seq. illatione.

Contra hanc primam illationem, & Baldi consilium firmant Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q.7. princip. num.4. & seqq. vsque ad num.7. inclusiue q.3. tom.6. par. 1. fol.63. & latè Franc. Zoan. tract. de empt. & vendit. sub pact. retrouend. sub num. 28. vers. quæ communis. & num. seqq. tom. 6. par. 1. fol.69. & 70. in quibus acertimè nititur defendere hanc opinionem cõtra communem, & sub num. 36. vers. aut etiam dices. in fine, vbi admonet, hanc partem contra communem esse tenendam consulendo, & indicando; hancq; opinionem consulendo dicit, se secutum esse Crotan. l. nemo potest. num. 8. in fine, ff. de leg. 1. hancq; contrariam opin. tenet Lud. Molin. de iust. tom. 2. de contract. disput. 374. vers. quando in contractu.

Comprobatur hæc opinio contraria, quia licet præscriptio sit vtilis Reip. ad minuendas lites, vt dixi supra §.2. q.7. par. 2. ampl. 19. num. 129. in fine, vers. ratio. tamen potest excludi, vt non habeat locum in pacto retrouendendi; quare facultati redimendi censum non præscribitur spatio etiam centum annorum, & vltra, sic disponente Pij V. constitutione; quod notat etiam Nauar. in cap. si fœneraueris, num. 96. glos. 14. 14. q.3.

Non discedo ab illatione, quia est verior, communior, & tenenda in praxi, Rebuff. in l. vnica, not. 1. sub num. 53. vers. sed contrarium. & num. 54. C. de sent. quæ pro eo, &c. & quòd videatur verior, & communior, & tenenda in iudicando, & consulendo, scribit Balb. d.q.3. num. 5. & quòd sit communis, admittit idem Franc. Zoan. ex aduerso allegatus in locis, supra proximè citatis.

Infero secundo, quòd iuri quærendo præscribitur etiam sine bona fide, Bal. cons. 386. quidam M. decessit. sub num. 7. lib. 5. & ideo iuri petendi supplementũ legitimæ præscribitur spatio triginta annorum etiam de iure canonico, bona fide aliter non considerata, Put. decis. 127. & 128. fuit resolutum. lib. 2. & Mohed. decis. 2. alias 151. num. 2. de præscript. & similiter iuri petendi legatum præscribitur, etiam cum mala fide dicto spatio triginta annorum, vt ex Anchar. & alijs sequuntur Balb. d.q.3. sub num. 2. ibi, confirmatur. & Io. Bapt. Bon. tract. de stat. vrb. præscript. gl. 19. nu. 70. & seqq. tom. 17. fol. 185. & esse verisimam, & communẽ opinionem sequuntur Rebuff. d. not. 1. num. 54. & Franc. Bec. cons. 48. præsupposita. sub num. 4. lib. 1. & ego, ita consulendo, obtinui in Curia Romana.

Corroboratur hæc illatio, quia licet possessor malæ fidei non possit præscribere dominium, tamen potest præscribere confirmationem dominij, Bal. dd. cons. 303. num. 4. lib. 1. & cons. 386. sub num. 7. lib. 5. quem sequitur Balb. d.q.3. num. 4.

Extende secundo, vt contra ius, quod alicui competit de iure speciali, & non de iure gentium, possit præscribi, etiam cum mala fide, vt patet in restitutione in integrum, cui præscribitur quadriennio, Bal. d. cons. 303. num. 4. lib. 1. Balb. d.q.3. sub num. 4. & non videtur discedere Fab. de Mont. d.q.7. num. 5.

4 QVAERO tertio, an, elapsis quatuor annis, possit creditor, antequam labantur alij sex anni, petere executionem ad formam præcedentis statuti de causis executiuis, vel debeat agere via ordinaria?

Respondeo, quòd sic, quia sicut per præscriptionem impedita via executiua, remanet via ordinaria, vt dixi supra num. 1. 2. & 3. ita etiam, impedita vna via executiua, remanet alia, & ideo supra gl. 5. num. 11. 12. & 13. dicebam, quòd actor poterat, vna via executiua electa, transire ad aliam.

5 Declara primo hanc responsionem, cum hoc, quòd creditor, agendo altera via executiua, seruet requisita illius alterius viæ executiuæ, & sic iuret de calumnia, fideiubeat, &c. vt in statut. de caus. executiuis, initio.

6 Declara secundo, dummodo documentum, seu scriptura, cuius vult petere executionem, sit ex illis, quibus dictum statut. de causis executiuis, dat executionem. Secus ergo forsan, si ageret vigore litterarum cambij, quæ redijssent cum protestatione, quia statutum de causis executiuis, non loquitur de illis, & quia in illis non legitur aliqua obligatio, sed continetur solum mandatum, & ideo habent executionem paratam, non ex statuto de causis executiuis, sed ex statuto de causis breuioribus, & ex consuetudine, vt dixi supra glos. 5. num. 3. & seqq.

§. 8. Glos. vnica.

A prædictis non possit appellari, nec reclamari, sed sint salua iura in ordinario vtrique parti talia, qualia competunt.

S V M M A R I V M.

Appellatio tam suspensiua, quàm deuolutiua, est per stat. Genuæ sublata in causis cambiorum, nu. 1. Et quid in ciuitate Bononiæ, ibid. vers. extende. Et quid de consuetudine, nu. 4.

Appellatio denegata à Stat. Genuæ, intelligitur denegata etiam actori, num. 3.

Reclamatio quid sit, num. 2.

1 QVAERO primo, an ex hoc statuto sit sublata appellatio, tam suspensiua, quàm deuolutiua?

Respondeo, quòd sic, quia, prohibita appellatione simpliciter, censetur prohibita tam suspensiua, quàm deuolutiua, vt scripsi in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 6. memb. 4. sub nu. 37. vers. contra istam. & memb. 7. sub num. 74. vers. amplia. & certe, quantum ad suspensiuam, modica est difficultas, quia eo ipso, quòd in cambijs requiritur celeris executio, per ea, quæ dixi §. præcedenti, glos. 5. num. 3. & 4. tollitur appellatio, quæ celeritatem impediret, & suspenderet, per ea, quæ generatim dixi d. tractat. de appell. q. 16. limit. 1. num. 59. & quantum ad deuolutiuam (& si in ea posset magis dubitari) adhuc est idem dicendum, quia, cum statutum prohibeat non solum appellationem, sed etiam reclamationem, & reseruet solum iura in iudicio ordinario, satis patet de enixa statuti voluntate, quòd omnem viam appellandi voluerit adimere: addo, quòd statuta Genuensia sunt intelligenda ad litteram sine restrictione, & sine distinctione, vt in stat. lib. 1. cap. 16. sed verbum (appellare) æquè comprehendit appellationem suspensiuam, atque deuolutiuam: ergo.

Extende hanc responsionem quoad appellationem suspensiuam, vt procedat etiam in ciuitate Bononiæ, si agatur de litteris cambij inter mercatores, sic intelligo Socc. Iun. cons. 138. nu. 8. lib. 3. quem citat etiam Rugine. tract. de appell. §. 2. cap. 3. num. 93.

Secus quoad deuolutiuam, quia in Ciuitate Bononiæ esset admittenda, per ea, quæ ordinant capitula cambiorum dictæ ciuitatis cap. 4. *che di tutte*. quicquid simpliciter dixerit Socc. supra citatus.

2 QVAERO secundo, quid sit reclamatio, quam statutum prohibet?

Respondeo, reclamationem esse idem, quod supplicatio, querela, recursus, reuisio, imò, & dictio de nullitate, vt patet ex his, quæ scripsi in meo tractat. de appellat. q. 19. rem. 3. num. 30. & seqq. Et an reclamatio suspendat executionem, vide in eod. rem. 3. nu. 27. Et quomodo in ea procedatur, num. 24.

3 QVAERO tertio, an actori sit negata appellatio?

Respondeo. Prima facie videtur dicendum, quòd non, per ea, quæ scripsi in meo tract. de appellat. q. 17. limit. 7. num. 19. & seqq. & limit. 9. num. 50.

Contrarium crederem verum in casu nostro, tum quia statutum, vt dixi supra, reseruat vtrique parti iura in iudicio ordinario; & consequenter vtrique denegat appellationē; tum quia statutum Genuæ reicit distinctiones, & interpretationes, vt dixi sup. sub n. 1.

4 QVAERO quarto, an de consuetudine sit denegata appellatio in causis cambij?

Respondeo, esse denegatam, per ea, quæ scripsi §. præced. gl. 5. num. 4. & ita seruatur.

§. 9.

NE (quantum in nobis est) quidquam in hac cambij materia desiderandum superfit, statui duos hoc nono §. addere discursus, mihi non ab eorum auctoribus, sed aliunde traditos, Primo quorum piè discutitur casus, de quo nos obiter scripsimus supra §. 1. q. 5. num. 51. & q. 7. par. 1. num. 1. & §. 6. gl. 1. num. 55. Secundo verò eruditè, & breuiter explicantur termini huius negotiationis cambiorum: primus est viri religiosissimi, & æquè docti: secundus verò est Iureconsulti, qui, vt discursus nobis est argumento, huius negotiationis absolutam habuit cognitionem: mox addam præcipuas Pontificias constitutiones, quæ

super

super commercijs, vel pluribus eorum, de quibus scripsimus, sunt editæ.

PRIMVS DISCVRSVS.

VN Gentilhuomo hà in Genoua, ò in Firenza scudi 1000. quali non vuole impiegare ne in stabili, ne in rendite, ne in merci, ne meno li vuole tenere infruttuosi, però li dà à cambio per Piacenza, e da Piacenza ordina che li siano rimessi à Genoua, ò à Fiorenza, ò altroue, con quell'interesse, che darà il cambio: si se domanda, se lo può fare lecitamente. Innanzi che venire alla risposta, suppongo prima alcuni fondamenti.

1 Sia il primo fondamento, che la moneta in fiera, della quale si tratta, è lo scudo di marche, quale formalmente in rerum natura nõ si troua, se bene si troua il prezzo suo, e si computa sempre nella fiera soldi 68. di moneta d'oro, & à chi lo vuole retirare, à Piacenza soldi 67.4. si che sempre resta inuariabile: in detto luoco si pagano scudi 101. di marche con scudi 100. d'oro in oro, ch'è l'istesso.

2 E però vero, che, se si compra, ò vende, hà sempre il prezzo variabile, come à dire in Genoua vale soldi 66. ò 66.4. più, ò meno, secondo l'occorrenze, & in Fiorenza per scudo 109. ò 110. si comprano scudi 100. di marche in Piacenza, à quali poi in detto loco, se si recambiano, se li pone il prezzo ordinariamente più alto, come à dire per Genoua 68.4. in circa, per Fiorenza 111. e mezo, poco più, ò meno, e per ordinario si guadagna nel cambio, e nel ricambio, e chi sà distinguere, troua maggiore essere il guadagno nel cambio, che nel recambio.

3 Et, leuati certi accidenti straordinarij, nel rompersi della fiera, si pone il prezzo più basso, quale nell'accostarsi ad essa suol crescere, e per conseguenza, quando si è più lontano dalla fiera, dando à cambio vi è più guadagno, se bene alcuna volta (raro però) segue il contrario.

4 Sia il secondo fondamento, che il cambio propriamente è permutatione di pecunia assente con la presente, come dice il Gaetano negli opusc. de cambijs cap. 4. doue cita S.Thom.2.2.q.77. e questo lo dicono altri, è vero, che alcuni lo riducono à compra di pecunia assente; & perche questo per adesso non fà al punto nostro, come benissimo nota il Nauarra nel suo manuale latino cap. 17. num. 294. sia permutatione, ò sia vendita poco m'importa.

5 Sia il terzo fondamento, che il cambio non è mutuo, propriamente parlando, ma permutatione, ò compra, è però vero, che dandosi pecunia presente per quella, ch'è assente di luogo, e di tempo, il qual tempo sarà bene più spesso più longo, che richiede la distanza del luogo, come à dire, cambiandosi in Fiorenza per Piacenza nel rompere della fiera, vi sono tre mesi, e per conseguenza, cambiandosi, all'hora vi entra il mutuo interpretatiuo, si caua dalla bolla di Pio V. quale vuole, che il tempo sia proportionato alla distanza del luogo, & assegna la causa, *ne fænerandi detur occasio*. & questo non può essere senza il mutuo, saltem implicito, lo dice apertamente il Gaetano, il quale nel cap. 7. del suo trattato de Cambij, prouando che, se vi sarà interesse per ragione di tempo, sarà vsura, assegna la causa, *ratione impliciti mutui, sicut in venditione plus iusto pretio ad tempus*. Dunque se bene il cambio non è contratto di mutuo, ad ogni modo correndoci bene spesso più tempo di quello che richiede la distanza del luogo per doue si fà il cambio, vi entra il mutuo interpretatiuo, ò sia implicito, e questo non si può negare, e per conseguenza che vi possa essere vsura, come più chiaro si vedrà più à basso.

His mediis satisfecimus sup. §. 1. q. 7. par. 1. nu. 75. & seqq.

6 Sia il quarto fondamento, che il cambio di natura sua non è illecito, & specialmente parlando del cambio per lettere, anzi, se sarà fatto con le debite circonstanze, è licito, & vtile molto alla Republica Christiana, & al commercio Christiano, dico, humano, lo dice il Nauar. cap. 17. num. 289. si caua ancora dalla Bolla di Pio V. quale dà il modo di farlo lecitamente, e lo dicono li altri Dottori, si che, dire il contrario, saria errore.

7 Sia il quinto fondamento, che essendo questo contratto di cambio, nel quale corre il tempo, deue hauere tre conditioni, la prima, che sia contratto giusto, la seconda, che sia cambio reale, la terza, che non vi sia vtile alcuno per ragion di tempo, perche saria vsura.

8 Supposti questi fondamenti dico, che nel cambio deue essere giustitia, idest æqualitas inter datum, & acceptum, qual si ricerca in tutti i contratti, come nota il Nauar. cap. 17. num. 187. si caua da S.Thom. 2.2. q.77. da Scoto lib. 4. sent. dist. 15. q. 2. & però nel dare

dare à cambio si deuono pagare li scudi di marche il giusto prezzo, che sarà quello, che corre nella piazza ben regolata, cioè, dalla distanza del luogo, pesata la strettezza, & larghezza della moneta.

9 Dalla piazza non alterata, dico, de monopolij, quali quando siano, è chiaro; ne meno da fraude, & saria all'hora, quando ch'vno, vuolendo dare 10. ò 12. mila scudi à cambio, prima ne piglia vn migliaro con disauantaggio per alterare il prezzo, & hauere più vantaggio nel dare.

10 Se vi sarà ancora ingiustitia, quando sopra il prezzo giusto si pone vna conditione aggrauante per il pigliatore, come à dire: ti darò al prezzo corrente sì, ma voglio la ricorsa à me, ò al mio agente, ò pur voglio, che ti oblighi à recambiare per la tal piazza; quali conditioni obligatorie, per esser sopra il giusto prezzo, & pecunia estimabili, fanno il contratto (quale di natura sua saria buono) ò ingiusto, ò vsurario.

11 Concludo dunque: se nel cambio non si eccede il giusto prezzo, come penso, che facciano molti, non sarà illecito; ma per questa parte buono, e giusto.

12 Dico secondo, per essere questo contratto, cambio, deue essere reale, idest, che realmente si cambi da vna piazza all'altra, nella quale poi si deue fare il pagamento, & si deue finire il contratto, lo dice Pio V. nella bolla con queste parole: *primo igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt, transacto tempore, vnde processerant, inanes referantur, aut etiã, nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat, nec quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat.*

13 Tre sorti de cambij danna in queste parole. Primo è quello, qual tiene il nome, ma nõ è veramente cambio, quando non si fanno le lettere, ma solo si dice, ti dò alla fiera, & vuol tutto l'interesse, ò poco manco, senza che si vada in fiera, & questo di natura sua è vsura. Secondo, quando si danno le lettere, ma non si mandano, perche vuol recambiare con l'istesso, & però si accommodano, ò in Genoua, ò in Fiorenza le partite, e se ne piglia l'interesse, & questo non è lecito. Terzo, quando si mandano per vna certa cerimonia le lettere, ma non hanno l'effetto suo, essendo che ne anco li sono i debitori nella fiera, *nec est in nundinis, qui, huiusmodi litteris receptis, solutionem faciat*. questo pure è dannato da Pio V. Concludo dunque, che se in questo cambio si fanno le lettere, & fatte si mandano, & mandate si pagano realmente, & si finisce il primo contratto nella fiera, come pure si fà da molti il contratto, per questo sarà lecito, sicome sarà illecito, quando tutto questo non segua.

14 Terzo dico, che nel cambio non deue essere vsura, quale saria sempre che vi entrasse interesse per ragione del tempo, & perche, vt plurimũ, vi corre più tempo di quello, che richiede la distãza del luogo, si hà da temere molto, ne deue essere facile il Teologo à giudicare, che non ci sia, ma considerarlo bene; prima peggio saria il dire, che non vi può essere, poiche tutti i Dottori dubitano di questo, & tengono, che ci possa essere: Pio V. nella sua bolla mostra di temere molto questo inconueniente, & però ordina, che non si dia, se non per la prima fiera, &, passando più oltre, dichiara, che il guadagno non deue entrare per ragione di tempo, perche saria vsura; ecco le sue parole: *cauendum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, ne, dum longiores præfiguntur, quàm loca destinatæ solutionis desiderant, fænerandi detur occasio.* Il Nauarra lo replica molte volte cap. 17. num. 287. dice, *qui dat pecuniam nunc, vt post duos, vel tres menses maiorem recipiat, iniustitiam facit, vel vsuram committit*. & num. 289. *propter anticipationem, vel dilationem solutionis iustum rei pretium nec augetur, nec minuitur*. & num. 297. trattando de cãbij, che si fanno à Genoua per Piacenza, dice, che ratione temporis non si può augumentare, ò sminuire il prezzo, saluo per ragione di lucro cessante, quando vi entra.

Il Gaetano opusc. de camb. cap. 7. apertamente dice, che si deue regolare l'interesse secondo l'estimatione commune d'huomini periti, & poi aggionge: *nec temporis prolixitas, aut breuitas pensabitur, sed semper*

in

in veri aestimatione pretij stabitur; siue cito, siue tarde pecunia assignanda sit, si enim hoc defuerit, vsura est ratione impliciti mutui, sicut in venditione plus iusto pretio ad tempus. Et Leonardo Lessio Giesuita de iust.& iure lib.2.cap.23.dub.6. afferma l'istesso, che per ragione di tempo non ci può entrare guadagno alcuno; dunque è vero, & non si deue, ne si può negare, che per ragione di tempo ci può entrare qualche guadagno, & che se ci entra, è vsura.

15 Di più bisogna auertire, che quelle conditioni, quali seguono necessariamente il dare à tempo, ò vendere à tempo, ne anche si possono assegnare per ragioni d'interesse; mi dichiaro. Dice colui: Io mi priuo del mio denaro, quale è instrumento per guadagnare, & se ne serue, e profitta colui, al quale lo dò, & corro risico; che colui fallisca, ò muoia, ò non mi possa pagare, & per questo li pare di poter pigliare qualche interesse: è vero, però dico, che per questo non può guadagnare cos'alcuna.

Et lo prouo, perche se per questo si potesse guadagnare, cessaria l'vsura, & saria lecito vendere più del giusto prezzo à tempo, perche vi entrano queste circonstanze, & questa è dottrina del Gaetano cap. 6. quale egli caua da S.Tomasso, & queste sono le sue parole: *ex hoc verò, quòd pecuniæ diutius occupatæ sunt tenendæ in hac commutatione, res commutanda nec pretiosior, nec vilior communi pretio redditur, vt S. Thomas expressè dicit 2. 2.q.78. art. 2. asserens, quòd mercator, vendens rem aliquam ad tempus, non potest vendere plus communi pretio ex hoc, quòd pecunias suas mortuas tanto tempore tenebit, & si hoc licitum diceretur, iam vsura non esset damnata in venditione ad tempus*; queste ragioni vorrei io che fossero considerate da quelli che concedono, che non vi può essere guadagno per ragione di tempo, ma vogliono che vi possa entrare per certe ragioni, che seguitano necessariamente il mutuo ancora, e così virtualiter, ò negano l'vsura, ò l'ammettono.

16 Che poi per ragione del pericolo personale, cioè, che colui, ò non voglia, ò non possa pagare, ò se ne muoia, ne anche si possa pigliare interesse, lo dice il medesimo Gaetano nell'istesso luogo: *nisi quis dicat, quòd subiacet periculo perditionis, quia potest mori debitor, aut interim pauper effici, sed hæc pericula pro nihilo in commutationibus reputari patet, tum ex eo, quod aut tam rarò sunt, quod consilio non subsunt, aut talia sunt, quòd etiam si accideret, adhuc tuti essent creditores, vt de morte, & huiusmodi patet; tum quia ex mutuis, & alijs commutationibus, experientia teste, patet huiusmodi pericula non consideranda esse: non enim qui mutuat, aut qui vendit, licitè aliquid plus exigit propter huiusmodi pericula, quæ in temporis dilatione possunt accidere, vendendo ad tempus, aut mutuando*: Et S. Tomasso 2.2.q.78.art.2.ad 5. dice apertamente, che per ragione del pericolo personale, non si può pigliare alcuno interesse con queste parole: *qui mutuat pecuniam, transfert dominium in eum, cui mutuat, vnde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam restituere integrè, vnde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit*.

His omnibus difficultatibus, à nobis quoque excitatis, satisfecisse arbitramur sup. §. 1. q. 1. nu.491.& seqq.& q. 7. par. 1. num. 78.

Resta dunque, che nel cambio non si può pigliare l'interesse ne per il tempo, ne per quelle conditioni, che seguitano necessariamente il dare à tempo, come il priuarsi del denaro, il pericolo, &c. & se si piglia, sarà vsura, non negando perciò il lucro cessante, per il quale quando vi entra, più tosto licet se seruare indemnem, quàm lucrari.

17 Hora, supposto questo, bisogna vedere, se in effetto vi entra guadagno alcuno per ragion di tempo, ò nò: Io per me ne dubito molto, & non me basta l'animo di saluarlo, prima perche si vede, che nell'aprirsi della fiera, essendoui più tempo, vi è più guadagno, e nell'auuicinarsi, mancando il tempo, ancora manca l'interesse, restando sempre

Dubitare est pium, abstinere est tutius, damnare nõ est laudabile.

18 l'istessa distanza del luogo; † Rispondono molti, che non sempre segue questo, anzi che alle volte si vede il contrario, lo concedo, ma sono strauaganti casi, à me basta, che

19 ordinariamente così segue. † Secondo si vede ch'essendo l'istessa distanza di Genoua à Piacenza, che da Piacenza à Genoua, ordinariamente il guadagno è maggiore nel cambio, che nel ricambio, non si può dire altro, saluo che la distanza del tempo è maggiore, & se si darà altra causa, sarà accidentale, qual non può fare, che questo sia così ordinariamente, & però non quadra del

20 tutto, † sò che si può ricorrere alla larghezza, e strettezza di moneta, ma, come ragione accidentale, non cuopre del tutto; tanro più che se si darà pari strettezza in fiera, & in Genoua; nell'aprirsi della fiera saria maggiore l'interesse del cambio, che del recambio.

bio. † Terzo, *cauſa eſt, qua poſita, ponitur; qua remota, remouetur*, ſia l'iſteſſa diſtanza di luogo; & ſi augumenti il tempo, ſi vedrà creſcere l'intereſſe; ſi ſminuiſca il tempo, ſi vedrà ſminuire, regolarmente parlando. Io credo che me lo concederanno i mercanti; † Quarto, ſi vede ordinariamente, che frà il chiudere di vna fiera, & aprirſi per l'altra, corre poco ſpatio di tempo, & pure ſe ſi cambia per la fiera preſente, nel fine quaſi ſi fà del pari; e ſubito poi nell'aprirſi l'altra ſi cambia con intereſſe maggiore, & pure è l'iſteſſo contratto, nè ſi aſſegna altra ragione fondamentale, ſe non la diſtanza del tempo.

22

Onde, vedendo ſenſibilmente, che l'vtile ſegue il tempo per l'ordinario, mi fà dubitare molto il dire, come dicono alcuni, che il tempo vi entra per accidens nel cambio: ſe ben ſi concede, non ſcioglie però la difficultà, perche, entrando per accidens nel cambio, può eſſere ratio lucri, ſicome nella compra vi entra il tempo per accidens, & pure alle volte è cauſa dell'intereſſe, perche ſi vende più del giuſto prezzo per il tempo, e pure ſarà vſura; così al propoſito noſtro.

23 Si aggionge à tutto queſto, che il Caetano opuſc. de camb. cap. 1. dice, che i mercāti del ſuo tempo confeſſauano, che ſtimauano meno la pecunia per ragione della diſtanza del tempo, ecco le ſue parole: *fatentur campſores, quòd quantò tempus reſtitutionis eſt diſtantius, tantò minus pretiatur moneta.*

Et il Leſſio de iuſt. & iure lib. 2. cap. 23. dub. 4. apertamente dice l'iſteſſo de' mercanti del ſuo tempo, quali confeſſauano liberamente, che nel cambio ſi guarda più per conto dell'intereſſe la diſtanza del tempo, che la diſtanza del luogo, ecco le ſue parole: *vnde in omnibus cambijs, quò longius eſt tempus, in quo pecuniam concedunt, eò plus exigunt lucri, & quò breuius, eo minus, atque hic eſt potiſſimus titulus, quem mercatores in cambijs hoc tempore ſpectant, vt ipſimet diſertè fatentur, addentes omnia cambia huius temporis iniqua eſſe, ſi hic titulus non ſit iuſtus; parui autem æſtimant traiectionem, quantumuis locus diſtet, qua in re non videntur prudenter facere.*

Satisfaciūt quæ ſcripſi ſup. §. 1. q. 7. par. 3. ſub n. 28. & 77.

Et adeſſo vediamo, che i mercanti ò confeſſano la verità, ò reſtano intrigati nelle difficultà, & molti confeſſano implicitamente nel loro diſcorſo quello, che apertamente negano, & ſentendo, che ſe il guadagno entra tutto, ò parte per ragion di tempo, è vſura, reſtano con gran rimorſo di conſcienza, & mi pare, che, eſſendo queſto vltimo punto de facto, doueriano i Teologi più toſto intendere da loro la verità, che inſegnarli quello che han da dire.

Concludo dunque, ſe vi è guadagno alcuno per ragion di tempo, dato che il cambio ſia reale, ad ogni modo per queſto reſta vſurario, & io ſe hò da dire il mio parere ne dubito molto, & non sò capire, come non vi entri, & perche la difficultà è nel fatto, vorrei trouare chi me faceſſe conſtare, che io m'inganno, vedo che il Caetano cap. 7. n. 9. doppo di hauer moſtrato quello, che ſi richiede nel cambio, per eſſer giuſto, & come l'intereſſe deue eſſere moderato, nō ingiuſto, ne per ragion di tempo, aggiunge, *vtrum autem de facto moderatum ſit lucrum, quod ex huiuſmodi cambijs reportatur, ſcientificæ non ſubeſt deciſioni, quæ ad ſingularia non deſcendit.* conſiderino queſte parole quelli, che apertamente l'approuano, & ſi fondano nel Caetano.

24 Per tutto queſto, che hò detto, mi pare che la difficultà ſia molto grande, & che i mercanti che non ſi riſoluono, ò non poſſono ritirarſi, deuono cercare riſolutione da chi hà più autorità, & non può errare, & hà capitale di aſſicurare queſto negotio, & le conſcienze loro.

Omnia mea ſcripta, & verba, & meipſum ſubijcio pedibus Sanctæ Eccleſiæ Romanæ.

SECVNDVS DISCVRSVS
per modum Concluſionum.

25 **P**Rima. le monete, che, come materia del contratto del cambio, in eſſo intrauengono, ſono di due qualità: l'vna è moneta vera, & reale, della quale, ſe bene nel cambio non ſi fà mentione ſpecifica, è però quella, che effettiuamente ſi sborſa, & paga frà eſsi contrahenti, come per eſſempio, ſcudi d'oro, reali di Spagna, ò altra moneta corrente nel luogo, doue ſi fà il cambio: l'altra qualità è moneta finta, & che non ſi troua in rerum natura, onde ſi può chiamare imaginaria; la quale ſi eſprime nel cambio, come che ſia fatto ſopra eſſa moneta, & queſto è il ſcudo di marche, ò la moneta d'oro, cioè le lire, e ſoldi d'oro, de' quali a ſoldi 68. ſono la valuta d'vno ſcudo d'oro in oro.

Secon-

26 Seconda. La valutatione del scudo d'oro in oro à soldi 68. di moneta d'oro nella Città di Genoua, doue si vsa questa valutatione frà negotianti in materia di cambio, è sempre l'istessa, ne soggiace à variatione alcuna, quantunque il prezzo commune dello scudo d'oro per altro variasse, poiche detta valutatione di soldi 68. serue come per vn calculo, ò sia repartimento di esso scudo, per farne ragionamento con la valuta dello scudo di marche, à similitudine delle naui, che si ripartono in caratti 24. & delle heredità, che si sogliono repartire in oncie, e libra, secondo i Iureconsulti.

27 Terza. Il scudo di marche in fiera di Piacenza si valuta à soldi 67.4. di detta moneta d'oro, della quale soldi 68. importano vno scudo d'oro, ò vero si ragiona, che per scudi 101. di marche si paghino scudi 100. d'oro in oro, che riesce il medesmo, la quale valutatione in esso luogo di fiera è sempre immutabile, così nel pagare il cambio, venuto di fuori, come in fare detto cambio in detta fiera per altri luoghi, all'incontro negli altri luoghi fuori di fiera, come Genoua, Milano, Fiorenza, il prezzo, ò valuta dello scudo di marche è sempre variabile, valutandosi hora più, & hora meno, secondo le circonstanze, che possono operare tale augumento, ò diminutione.

28 Quarta. Nel contratto del cambio per la sua intiera perfettione, vi si ricerca il ministerio di quattro persone; due nel luogo, doue si fà il cambio, che sono quello, che dà i denari à cambio, & quello, che li prende; due altre nel luogo, per doue si fà detto cambio, l'vno cioè, al quale il debitore del cambio, ordina per la lettera di cambio, che paghi il debito, & questo si dice quello, à chi vien fatta la tratta; l'altro è quello, che nell'istesso luogo hà auttorità, & ordine dal creditore, di riceuere detto pagamento, & è quello, à chi si fà la rimessa; le quali quattro persone non sempre v'intrauengono veramente, ma molte volte parte di esse vengono rappresentate da vna, ò due sole di loro, come in appresso si dirà.

29 Quinta. La sostanza del detto contratto consiste in questo, che Pietro, verbi gratia, dà in Genoua à Francesco scudi 1000. d'oro in oro, per prezzo, ò sia valuta di scudi 1020. di marche, da pagarsi in fiera prossima al Procuratore di detto Pietro, per la valuta da lui hauuta; & perciò Francesco le ne fà la lettera di cambio del tenore seguente.

30 *Al procuratore di Francesco in Piacenza, fiera de Santi.*

A pagamenti prossimi di fiera de Santi pagate per questa prima di cambio à Pietro, ò di suo Procuratore scudi 1020. di marche, per la valuta, hauuta nel cartulario della gabella de cambij da esso Pietro, & ponete à conto mio. A Dio. Vostro Francesco.

31 Di più Francesco scriue per la sua lettera d'auiso al suo Procuratore, ò vero, à chi altri hauesse indrizzato la lettera di cambio, & fatto la tratta, & gli ordina, che paghi la detta lettera. Pietro similmente scriue al suo Procuratore, ò à chi altri hauessi fatto la rimessa, & li manda la lettera di cambio di Francesco, ordinandoli, che ne procuri il pagamento da quello, à chi essa lettera è diretta.

32 Sesta. Intorno à questo contratto vi ponno essere diuerse considerationi; l'vna secondo il nome, l'altra secondo l'apparenza, & terza secondo la sua essistenza; quanto al nome, egli è detto cambio, ch'importa permutatione di vna qualità di moneta in vn'altra; quanto alla sua apparenza, si può reputare, che sia vendita di tanti scudi di marche, da pagarsi con dilatione di tempo in fiera, ò altro luogo distante, per doue fusse fatto il cambio per lo prezzo, ò sia valuta stabilita, & pagata anticipatamente nel tempo, che si celebra il contratto, percioche douunque in vn contratto si fà mentione di prezzo, ò valuta, & che non vi è conditione, che osti à la sustãza della vendita, sempre sarà riputato contratto di vendita, del quale solo è proprio l'interuento del prezzo, ne è mancato chi hà hauuto opinione, che il cambio sia contratto innominato, dò, vt facias, cioè Pietro dà à Francesco in Genoua scudi 1000. d'oro in oro, perche esso facci pagare à chi egli ordinerà in fiera di Piacenza, che si farà in capo à tre mesi in circa, scudi 1020. di marche, la quale diuersità di opinione poco importa circa la giustitia, ò ingiustitia di esso contratto, ma se si considererà detto contratto, secondo la sua vera essistenza, ogni volta che in esso vi sia conosciuta conditione, ò qualità, che lo facci vsurario, si chiamerà contratto di mutuo,

33 poiche secondo li Canonisti, l'vsura non si commette, saluo nel mutuo implicito, ò esplicito.

34 Settima. Il modo, ò sia pratica di fare il cambio,

cambio, è come in appresso: se Pietro essendo à Genoua hauerà scudi 1000. d'oro in oro, i quali voglia dare à cambio per fiera prossima di Piacenza, ricercarà per mezzo di sensale, ò in altra maniera persona, di cui egli fidi, che pigli detta partita à cambio, & come che conuenghi fare esso cambio in scudi di marche, come si è detto; la prima cosa, che si tratta frà li detti contrahenti, è di stabilire il prezzo, ò sia valuta del detto scudo di marche; la quale si suole regolare dal corso della piazza al tempo di detto cambio, & più, & meno, vno, ò dui denari per scudo, secondo che il prenditore, à cui si fida, è di maggiore ò minor credito; & hauendo lo scudo d'oro (quanto à questo effetto da ragionarlo in scudo di marche) sempre vn certo, & determinato prezzo di soldi 68. di moneta d'oro, se si farà stabilita la valuta dello scudo di marche, verbi gratia, de soldi 66.8. si trouerà, che in detti scudi 1000. d'oro in oro, ragionato à soldi 68. moneta d'oro, entrano scudi 1020. di marche, ragionati à soldi 66.8. di detta moneta; di maniera, che Pietro, che hà scudi 1000. d'oro in oro, dandoli à cambio per fiera prossima à Francesco, comprarà da detto Francesco scudi 1020. di marche, pagabili in detta fiera prossima à chi Pietro ordinerà; & per questo effetto il Francesco le ne fà le lettere di cambio, dirette al suo Procuratore, ò ad altro suo respondente, per le quali li ordina, che in detta fiera paghi al Procuratore di Pietro li detti scudi 1020. di marche; le quali lettere esso Francesco le consegna al detto Pietro, il quale al tempo della fiera le manda à Piacenza al suo Procuratore, & le fà presentare da esso al Procuratore di Francesco, ò à qualunque altro, à chi fussero dirette, il quale pagamento di detti scudi 1020. di marche, poiche di questa moneta non se ne troua in rerum natura, li pagarà la loro valuta à ragione di soldi 67.4. di detta moneta d'oro, che tanto vagliano sempre i detti scudi di marche in detta fiera; & detto pagamento lo farà de scudi d'oro in oro, non potendosi detto pagamento rifiutare, li quali si valuteranno sempre a soldi 68. similmente di detta moneta: a tale che saranno scudi 1009. 18. d'oro in oro; & il Pietro in questo cambio, fatto di scudi 1000. d'oro da Genoua à Piacenza in lo spatio di mesi tre in circa hauerà guadagnato scudi 9. 18. d'oro, qual guadagno, come si vede, risulta dall'hauere egli compro in Genoua li detti scudi di marche à 66.8. li quali in fiera li sono stati pagati à 67.4. onde li viene ad hauer compri per denari 8. per scudo meno di quello, ch'è il solito, & inuariabile loro prezzo in fiera di Piacenza.

35 Ottaua. Essēdosi trattato sin quì del cābio, che si fà da Genua in fiera, resta vedere del cambio che si fà di fiera per Genoua, il quale è in questa maniera, che in essa fiera, se il Procuratore di Pietro, che hà riscosso quelli scudi 1020. di marche, ò sua valuta, vorrà darli à cambio per Genoua, darà l'istessa partita di detti scudi 1020. senza alcuna varietà di quantità; poiche, come si è detto, la valuta dello scudo in fiera è sempre il medesimo per lettere in Genoua, al tanti scudi 1020. la valuta de' quali li sarà pagata in pagamenti, che si faranno doppò giorni 20. in circa al prezzo, che nell'istessa fiera viene stabiliro per autorità publica delli bancheri di detta fiera approuati, il qual prezzo suole ordinariamente essere più di soldi 67.4. che vale lo scudo di marche in fiera.

36 Nona. Si hà da præsupponere, che quando si fà il cambio con dilatione di tēpo, ordinariamēte lo scudo di marche si ragiona à māco prezzo di quello, che valerà al tempo, che douerà essere pagato nel luogo, per doue si fà detto cambio; di maniera, che se il cambio si fà in Genoua per fiera, lo scudo si valuterà meno de soldi 67.4. ch'è la sua valuta in fiera; & se il cambio si farà in fiera per Genoua, la valuta stabilita per Genoua sarà più delli detti soldi 67. 4. che vale lo detto scudo in fiera; onde colui, che dà à cambio, viene à guadagnare così di andata in fiera, come di ritorno; si esclude però che quando nel serrare della fiera si fanno cambij in Genoua per Piacenza, il più delle volte si dà vn scudo d'oro in oro, per hauere vn scudo di marche in dette fiere, li quali cambij sogliono esser forzosi.

37 Decima. La fiera si fà quattro volte l'anno, con distanza di mesi tre dall'vn all'altra, & sono, Apparitione, Pasqua, Agosto, & Santi.

38 Vndecima. Finita ogn'vna delle sudette fiere, li cambij, che sono fatti in esse per Genoua, si pagano frà giorni 20. & simile dilatione si dà per le altre parti del mondo alla tata della distanza, che è da Piacenza, doue si è fatta la detta fiera.

Duo-

39 Duodecima. Ordinariamente secondo il corso naturale del cambio, quando si fà il cambio in Genoua per fiera, quanto è maggiore la dilatione del tempo, che resta à farsi la detta fiera, la valuta dello scudo di marche si ragiona à manco prezzo, & secondo che si và appropinquando il tempo di detta fiera nelli cambi, che si vanno facendo, và sempre accrescendo il prezzo di detto scudo, saluo però se soprauenisse qualche estrinseco accidente, che apportasse estraordinaria occasione di maggior strettezza, ò larghezza di moneta; di maniera che, attento il sudetto natural corso del cambio, quanto si è più distante dalla fiera, quando si fà il cambio, si riceue da esso maggior vtile di quello, che segue, quando il tempo è più propinquo.

40 Decimaterza. Li negotianti, che hanno buon credito, sono soliti à pigliare à cambio con ragionare lo scudo di marche à più, vno, ò dui denari di quello, ch'è il commune corso del cambio.

41 Decimaquarta. Quelli, che pagano, ò riscuotano per altri le tratte, & rimesse in fiera, pigliano la loro prouigione, che è mercede dell'opra, & fatica loro à ragione di vn terzo per cento sopra la somma pagata, & riscossa.

42 Decimaquinta. Ordinariamente li cambij per fiera non si fanno ad effetto d'impiegare in la Città di Piacenza li denari, che si rimettono in detta fiera, ma ò per rimetterli di detta fiera in altre parti del mondo, ò vero per farseli rimettere di nuouo in Genoua, ò doue hà hauuto origine il cambio, la quale rimessa si fà per via di nuouo cambio, & il più delle volte, con l'istessa persona, che haueua da fare il pagamento in fiera, la quale senza far altro sborso reale, ricambia in se stesso la partita, rimettendola per sua lettera in Genoua al creditore.

43 Decimasesta. Molte volte si fanno cambij di questa maniera, che Pietro, il quale dà li scudi mille d'oro à cambio per fiera à Francesco, si concerta con detto Francesco, che facci le lettere di cambio dirette in fiera al Procuratore dell'istesso Pietro, con ordine che paghi à se stesso li scudi 1020. di marche, & che le ne dia debito, & che le faccia tratta dell'istessa partita quì à Genoua ad esso Francesco, pagabile à chi il detto Pietro, ò il detto Procuratore suo ordinerà, il quale in pagamenti de' ritorni di fiera riscuote da Francesco li sudetti scudi 1000. che li haueua dato à cambio, insieme con l'augumento del beneficio del cambio, & di più guadagna la prouigione di vn terzo per cento sopra la detta partita, che il Francesco fà buona al Procuratore di detto Pietro, per hauere pagato di suo ordine la tratta, che li fece in fiera; & questa forma di cambio si chiama con la ricorsa, nel quale si considera questa differenza dall'altra qualità di cambio di sopra espressa, che il Francesco prenditore à cambio, non hauendo per auentura credito, ò sia persona in fiera, che paghi il suo debito al Procuratore di Pietro, ordina all'istesso Procuratore di Pietro, che paghi à se stesso; onde si vede, che vna persona fà l'vfficio di due, cioè di pagatore per Francesco, & di riceuitore per Pietro, di quì si concerta sin da principio, che il debito realmente non si estingua in fiera, ma ritorni quì à Genoua, di doue è vscito, ne il denaro contante dato à cambio, effettiuamente passa per altre mani, fuori che quando da principio il Pietro sborsa à Francesco li scudi 1000. d'oro. Et più il Francesco li restituisce al detto Pietro, ò à chi hà fatta la tratta quì in Genoua con il beneficio del cambio, & la prouigione.

Hæc tacita cābientiū intentio, quia est facultatiua, nō inficit cābium, per ea, quæ sup. §. 6. gl. 1. sub num. 69. & seqq.

CONSTITVTIONES PONTIFICIAE.

Tenor Constitutionis Nicolai V. super Censibus.

44 NIcolaus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo pastoralis officij fores nostræ prouidentiæ pulsare non desinit, vt indemnitati, ac statui prospero fidelis populi curæ nostræ cœlitus commissi, iuris moderando rigorem, per optimæ prouisionis remedia, quantum ex alto nobis permittitur, salubriter consulamus. ¶ Sanè, sicut fide dignorum relatione didicimus in Regno Siciliæ, ac certis alijs dominijs, & terris charissimi filij nostri Alphonsi Aragonum, & vtriusque Siciliæ Regis illustris; auaritiæ cœcitas quorumdam oculos adeò excœcauit, vsurariaque prauitas illis in partibus tantum excreuit, quòd incolæ, & habitantes partium illarum pecunijs indigentes, eas vix aliter, quàm fœneratorum opera, quasi inauditum fœnus exercentium consequi possent, & cum eas acceperint, si in tempore præcepto non restituant,

stituant, breui eorum bona insatiabili vsurarum voragine miserabiliter consumantur; ¶ Et quòd in Dominijs, & terris ipsius Regis vltra Montes constitutis, videlicet in Regnis Aragonum, Valentiæ, & Maioricarum, ac Principatuum Cataloniæ, & Comitatibus Ronsilionis, & Ceritenię, vniuersitates, & singulares, tam ecclesiasticæ, quàm seculares huiusmodi pecunijs indigentes, cum minori incommodo eas habere possint pro venditione annualium cēsualium, quæ mortua nuncupantur, super domibus, possessionibus, & proprietatibus specialiter, vel etiam generaliter super omnibus bonis, redditibus, emolumentis, iuribus, & rebus eorum, mediante tamen instrumento gratiæ redimendi onera eorum, sibi vt plurimum prospicere, & consulere consueuerunt, quod in præsentibus eiusdem Regni partibus, & Regnis vltra Montes constitutis, non solum in longam consuetudinē, in cuius contrarium memoria hominum non extitit more vtentium comprobatum, sed etiam per municipalia huiusmodi Regnorum, & partium iura per Regem ipsum, seu eius prædecessorem, cum consensu trium brachiorum, videlicet ecclesiastici, militaris, & regalis, promulgata specialiter confirmatur. ¶ Cum itaque multis incolis, & habitatoribus partium & dominiorum eiusdem Regis citra Montem constitutorum, indigentibus per huiusmodi censualium venditiones subueniri, ipsique fœneratorum vsuris eximi possint, & qui in hoc pecunijs abundantes dubitant, vsurariam prauitatem committere, & eisdem indigentibus more præmisso succurrere formidant, in indigentium detrimentum, & fœneratorum eorumdem euidens incrementū, pro parte eiusdem Regis fuit humiliter supplicatum, vt eis paterno compatientes affectu, in præmissis de opportunæ prouisionis opere succurrere, præfatasq; censualium venditiones, cum clausulis, & cautionibus ad earum validitatem inter venditores, & emptores, mutuo consensu absque læsione conscientiæ in Regnis Siciliæ citra, & vltra Pharum fieri posse debere, decernere, & declarare de benignitate Apostolica dignaremur. ¶ Nos igitur pro debito pastoralis ministerij, nobis diuinitus iniuncti, super his salubriter prouideri, ac statui, & indemnitatibus incolarum, & habitatorum terrarum dicti Regis citra Montes constitutorum præsentium, & futurorum, quantum cum Deo possumus, subuenire cupientes, attendentes, quòd clero terrarum, & dominiorum ipsius Regis citra Montes constitutorum, in suis olim indigentibus per venditiones prædictorum censualium, auctoritate Apostolica pluries consultum, & prouisum fuit, præfati Regis in hac parte supplicationibus inclinati, tam eiusdem Regis, quàm huiusmodi Regnorum Siciliæ citra, & vltra Pharum omnibus, & singulis incolis, & habitatoribus, ac locorum, ciuitatum, & terrarum vniuersitatibus præsentibus, & futuris, huiusmodi censualia super rebus, & proprietatibus suis, ac facultatibus, & emolumentis eorumdem instrumento gratiæ pro consimili pretio illa redimendi mediante, dummodo annualis census huiusmodi censualium decimam partem principalis recepti, seu pretij eorumdem non excedat, inter se contrahendi, & vendendi, & emendi cum opportuna contrahentium securitate, cautione, & indemnitate, ac cum potestate vendentes, personas, eorumq; proprietates, redditus, iura iurisdictionis, census, ac omnia, & singula immobilia bona obligandi, & obligari faciendi, ac etiam quascunque alias obligationes, & submissiones cuiuscunque foro, necnon renunciationes, promissiones, stipulationes, pœnis, iuramentis, & alijs cautionibus vallatus, & alia quæcunque, de quibus inter ementes, & vendentes huiusmodi censualia conuentum, & in pactum deductum fuerit, plenam licentiam, & liberam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus facultatem, ¶ Decernentes, & declarantes, eosdem incolas, & habitatores, ac ciuitatum, & terrarum vniuersitates censualia præfata modo præmisso in Regnis ipsis Siciliæ citra, & vltra Pharum liberè, & licitè contrahere, ac emere, & vendere posse, neque propterea vsurariam prauitatem committere, ¶ Dummodo aliàs, quàm, vt præmittitur, quodlibet annuum censuale decimam partem recepti, seu pretij vendititionis ipsius non excedat, & pensionibus, seu annualibus illorum in sortem non computatis, pro totali redemptione propter principalem summam nihil vltra percipiatur ab emptore, vel exhibeatur à venditore. ¶ Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac priuilegijs Apostolicis, necnon & statutis municipalibus, vel regalibus, & consuetudinibus ciuitatum, & terrarum Regnorum prædictorum Siciliæ citra, & vltra Pharum, etiam iuramento, con-

confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si de eis facienda esset specialis mentio, quæ hic haberi volumus, & habemus pro sufficienter expressis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini M.CCCCLII. prid. Kalend. Octobris. Pontificatus nostri anno vj.

Tenor Constitutionis Pij V. super forma creandi Census.

45 PIus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. ¶ Cum onus Apostolicæ seruitutis obeuntes cognouerimus, innumeros celebratos fuisse, & in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites à nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam, quod deterius est, contrarijs omnino pactionibus propter ardentem auaritiæ stimulum, legum etiam diuinarum manifestum contemptum præseferunt, non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam graui morbo, letiferoq; veneno salutari antidoto non mederi. ¶ Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quę nominatim certis finibus designata sit. ¶ Rursũ nisi vere in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoque pretio. ¶ Solutiones, quas vulgo, anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus. ¶ Cõuentiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus. ¶ Quemadmodũ nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, & liberè, ac sine solutione laudemij, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter viuos, quàm in vltima volũtate alienari. ¶ Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census alijs omnibus præferri, eiq; denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensẽ expectari. ¶ Pacta continentia morosum censùs debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem censui subiectam, siue aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, siue aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla. ¶ Imò & censum augeri, & nouum creari super eadem, vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus. ¶ Sicuti etiam annullamus pacta, continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non spectarent. ¶ Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totũ, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imò centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis concepta sint. ¶ Cum verò traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiam, intra annum tamen, etiam ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium nec volens intra bimestre soluat, nec ab inuito intra annum exigatur: volumus nihilominus quandocunque reditum extingui posse, præuia tamen semper denuntia, de qua supra: & non obstantibus his, de quibus supra, idq; obseruari mandamus, etiam quod pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec vnquam effectus secutus fuisset. ¶ Pacta etiam, continẽtia pretium census extra casum prædictum ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus: ¶ Contractusq; sub alia forma posthac celebrãdos fœneratitios iudicamus. ¶ Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid vel expressè, vel tacitè contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à Fisco volumus posse vendicari. Hanc

autem ſalutiferam ſanctionem nedum in cenſu nouiter creando, verum etiam in creato quocunque tempore alienando, modo poſt publicationem cõſtitutionis creatus ſit, perpetuo, & in omnibus ſeruari volumus. ¶ Declarantes pretiũ ſemel cenſui conſtitutum nunquam poſſe ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeu aliud accidens, nec quo ad vltimo contrahentes minui, vel augeri. ¶ Et licet legem ipſam ad contractus iam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos ſub alia forma peruenerunt cenſus, hortamur in Domino, vt ſingulos contractus cenſuræ bonorum religioſorum ſubijciant, & animarum ſaluti conſulant. ¶ Nõ obſtãtibus quibuſuis conſtitutionibusã, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon priuilegijs, & litteris etiam per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs, necnon irritantibus decretis, ex quauis cauſa etiam per modum legis vniuerſalis, aut aliàs quomodolibet editis, ſiue in fauorem vniuerſitatum, communitatum, collegiorum, congregationum, ciuitatum, & locorum conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro expreſsis habentes, quatenus directè, vel indirectè præſenti noſtræ conſtitutioni in toto, vel in parte contrarientur, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. ¶ Volumus autem, quòd præſentes in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter conſtitutiones extrauagantes perpetuo valituras conſcribantur. ¶ Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum tranſumptis etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. ¶ Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, annullationis, ſtatuti, mandati, iudicij, hortationis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, quartodecimo Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Damnatio, & reprobatio pactionum in ſocietatibus apponendarum, capitalis ſecuritatem, aut lucri nomine, certam reſponſionem, aut vſurariam prauitatem quouis modo continentium.

46 Sixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Deteſtabilis auaritiæ ingluuies, & inſatiabilis lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, vſque adeò excæcat mortalium mentes, vt multi, nimis auidè lucro inhiantes, in laqueos, & inſidias diaboli miſerè incidant: irrepit enim verſutè, & callidè antiquus humani generis hoſtis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæſtus dulcedine captos, ac delinitos opprimit, atque eò perducit, vt ſeipſos in vſurarum voraginem, Deo, hominibusq; odioſam, ſacris canonibus damnatam, & Chriſtianæ charitati contrariam, fœdè immergant: & dum vanas, & terrenas diuitias quærunt, veras, ac cœleſtes amittant. Sicuti nuper cum magno dolore audiuimus, hoc malum in quaſdam Prouincias pernaſiſſe. ¶ Nã multi, ſpecioſum, & honeſtum ſocietatis nomen, ſuis fœneratitijs contractibus prætexendo, hoc quaſi colore, & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & alijs perſonis, ſuper eorum mercibus, officinis, tabernis, pannarijs, alijsq; rebus, ac bonis pecunias ſuas, aut alias res, ſocietatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, ſeu terrarum cultoribus, paſtoribus, alijsq, ruſticis, ſeu quibuſuis perſonis dant in ſocietatem, ſiue ad ſoccidam (vt vocant) ea conditione, vt ſors ipſa, ſeu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarũ, quàm animalium, & rerum, ſaluum ſemper & integrum exiſtat pro eo, qui non induſtriam, aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res huiuſmodi in ſocietatem confert, vtque omne periculum, & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur, contra æquitatem, & ſocietatis iuſtitiam diuerſimodè paciſcuntur: eoſdemq; ſocios, cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, ſuoq; labore & induſtria victitantes, ad ſortem, ſeu capitale reſtituendum,

dum, quicunque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto, & obligatione obstringunt: simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante societate soluendam, præfiniunt, ac præscribunt, eamq; summam, & quantitatem, non subductis rationibus accepti, & expensi, quod in codices, seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo, pro ipsius lucri, vel damni modo variabilem, sed laborem & curam computandi, & calculandi se inuicem remittere, & renuntiare asserentes, quouis tempore certam constituunt. ¶ Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis sollicitudinis maximè proprium arbitramur, vt gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in viam salutis, cœlesti gratia adiutrice, dirigere nitamur, huiusmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum, Deo fauente, possumus, tollere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, conuentiones, & pactiones, posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cauebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, vt etiam si fortuito casu quamlibet iacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur, siue vt de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durãte societate respõdeatur. ¶ Statuimusq; huiusmodi contractus, conuentiones, & pactiones vsurarios, & illicitos posthac censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare: neque etiam, siue ad certum, siue ad incertum lucrum conuenerint socios, qui ea recipient, ad sortem, seu capitale saluum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quouis pacto, aut promissione sibi obligare: Ac ne de cætero societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ vsurariam prauitatem sapiunt, districtè interdicimus, & prohibemus. ¶ Sed potius cuncti nouerint societates huiusmodi, cũ in posterum vnus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona; alter verò operam, vel industriam confert, purè, sincerè, & bona fide sicut decet, iustis, & æquis conditionibus, & pactis, secundum iuris dispositionem, ac sine vlla prorsus fraude, palliatione, aut vsurariæ prauitatis labe, aut suspicione ineundas, seu contrahendas esse, ita vt non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, vt præfertur, immunem, lucri nomine persoluendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. ¶ Si verò finita societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatũ, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitimè conuentũ sit. Ac præterea iidem contrahentes, fructus, expensas, & damna in cõmune conferant, & prout æquum, & iustum fuerit, sibi communicent, atque diuidãt. ¶ Decernentes, si qui contractus, conuentiones, & pactiones in futurum contra nostram huiusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiam si iuramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel aliàs quomodolibet roborati fuerint, obligationem ciuilem, aut naturalem oriri, nullamq; actionem realem, aut personalem, nec iudicis officium, neque aliud quodcunque ius cuiquam competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut mẽses lucri socialis nomine promissas. ¶ Si qui verò in posterum, sub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temerè præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conuentionum, & pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, siue illius pretij, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos vniuersos & singulos in pœnas contra manifestos vsurarios, & fœneratores à sacris Canonibus, & Concilijs generalibus latas, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, vti manifestos vsu-

vsurarios, & fœneratores, via iuris, alijsq; opportunis remedijs procedi posse, & debere: ¶ sicq; ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa vniuersa, & singula per quoscunque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales (sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate) vbique iudicari, declarari, & diffiniri debere: necnon irritum, & inane; si secus super his per quoscunque quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. ¶ Mandamus verò vniuersis, & singulis locorum ordinarijs per quascunque Prouincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusuis nostris, & Sedis Apostolicæ, etiam de latere Legatis, ac Vicelegatis, cæterisq; officialibus, præsertim Prouinciarum, & locorum status nostri Ecclesiastici, vt in suis quisque Ciuitatibus, diœcesibus, Prouincijs, & locis præsentem nostram constitutionem publicari, & inuiolatè obseruari curent: & contra personas, quæ in futurum, præter, & contra prohibitionem, hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tanquam publicos vsurarios, & fœneratores per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosq; culpabiles repertos, condignis pœnis, vt supra dispositum est, afficiant, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. ¶ Non obstantibus quarumcunque Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quorumcunque tenorum existant, siue per modum constitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innouatis: quæ omnia nolumus cuiquam de cætero suffragari. ¶ Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat; volumus vt illæ in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & Sancti Ioannis Lateranensis, & Cancellariæ Apostolicæ, atq; in acie Campi Floræ per aliquem ex nostris Cursoribus de more publicentur, dimissis, & affixis earum exemplis in acie, & valuis prædictis, earumq; transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud, vbique gentium & locorum habeatur, quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. ¶ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, statuti, interdicti, prohibitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. ¶ Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo octuagesimosexto, duodecimo Kalend. Nouembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Leo X. de Societatibus Officiorum Romanæ Curiæ.

47 LEo Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum Pontificem, in quo fidei orthodoxæ fundamenta à Deo sunt constituta, & qui Christianæ veritatis assertor existit, in primis summa ope niti decet, ne contrahentium in hac alma Vrbe, in qua Rom. Pontifice regimini vniuersalis Ecclesiæ præsidente, aliquo modo animæ saluti præiudicium afferri cõtingat, sed quæ ex huiusmodi commercijs procedunt, sine aliqua labe, ac in sinceritate fidei inuiolata permanere debeant, ne vnde ius oritur, exinde nascatur iniuria, & qui documẽta salutis cæteris præstare constituit, exempla tribuat delinquendi. Ea igitur cura moti, libenter ad ea intendimus, per quæ non solũ Curiales, quantum Domino possumus, sine aliqua labe in bono conseruentur statu, & ex eorum laboribus, ac laudabili exercitio commodè, honestèq; se substentare valeant. Sed omnis prorsus illiciti lucri via eis præcludatur, & eorũ dispendijs obuietur. ¶ Cum itaque fide dignorum testimonio acceperimus, quòd officiales Romanæ Curiæ pecunijs indigentes partem aliquam officiorum, quæ obtinent, alijs pro certa pecuniarum summa communicant, & ad respondendum de emolumentis pro dicta rata cum aliquibus pactis minus licitis se obligant. Aliqui verò officia ipsa de pecunijs aliorum ementes, & illa in propria persona exercẽtes, etiam cum ad illa exercenda plurimum apti existant, in eorum

eorum ingenio, & industria confidentes, aliquas super illis ineunt conuentiones.¶ Nos super his opportunum remedium adhibere volentes, per quod huiusmodi contrahentium animarum saluti, ac conscientiæ puritati, & indemnitati consulatur, per præsentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuò duraturas sancimus, & ordinamus, vt quicumque officialis tam in Romana Curia, quàm extra eam, officia ad Romani Pontificis sedem, seu ad vitam illa ementium vendi solita, cuiuscumque status, & conditionis, aut dignitatis, vel honoris existat, partem aliquam magnam, seu minimam dictorum officiorum, quæ obtinet, seu illorum fructus vendere, donare, seu quouis titulo in alium extra Romanam Curiam absentem, qui conuentionem partis officij, & illius emolumentorum facere, & finire per procuratorem in Romanam Curiam constituendum, possit, & valeat transferre, vendere, donare, aut aliàs alienare voluerit, tam ei, quàm ipsis emptoribus, donatarijs, seu quouis alio titulo partem ipsam recipientibus pro quauis summa, seu pretio inter eos conueniendo vendere, donare, & (vt præfertur) transferre, ipsique emptores, donatarij, & alij quouis titulo, ad certum tempus, seu ad eorum vitam, prout partes ipsæ conuenerint, liberè, & licitè accipere, & retinere. Illorumque fructus, & emolumenta, etiam propria auctoritate de manibus ipsorum officialium fructus iuxta eorum conuentionem per supplicationem manu nostra propria signatā approbandam recipere, & exigere, necnō in alios alienare, & disponere, prout titulum habentes liberè, & licitè valeant.¶ Et cū mulieribus propter rerum inexperientiam de earum dotibus, & pecunijs, quibus se substentare debent, commercia facere non conueniat, ac propterea quandoque occurrat, eas personas, quibus pecunias pro aliqua vtilitate habenda concedunt defraudari, & decipi, & aliquando non solum fructibus, sed capitali priuari: quādoque verò etiam in animarum suarum periculum minus honesta lucra per eas recipi contingat, sexui earum imbecillitati, ac etiam necessitati, vt (sine conscientiæ scrupulo, & animarum suarum, ac perditionis, & amissionis bonorum suorū periculo fructus ex earum substentatione consequi valeant) prouidere volentes, ordinationem, & facultatem huiusmodi, quoad officia Præsidentium, & portionum Annonæ Ripæ dumtaxat, etiam ad ipsas mulieres extendimus: ita quod ipsis mulieribus, tam puellis, quàm maritatis, & viduis, tam in Romana Curia, quàm extra eam existentibus, liceat partem officiorum præsidentium, & portionum huiusmodi, dummodo in personis earum rationes, & officia ipsa non sint, quouis titulo ad tempus, vel ad vitam habere ab hominibus in quorum personis portiones, & officia ipsa fuerint, statuentes, & ordinantes, quòd habentes titulum officij saltem tertiam partem valoris officij, seu portionis huiusmodi habere debeat.¶ Et si contingat eum decedere, per talis decedentis obitum pars, quæ ad ipsum decedentem tunc spectabat, & non aliæ, quæ ad alium, vel alios in dicto officio partē habentes spectabant, vacare censeantur, ac de titulo, & parte vacantibus dumtaxat, simili modo si alium, seu alios, etiam fœminam, partem, seu partes in huiusmodi officijs habentes decedere contigerit, partes sic decedentium vacare censeantur, & de illis per Rom. Pontificem, aut Sedem, seu Cameram Apostolicam liberè disponi possit.¶ Et si titulum, vel partem habens delinqueret, & propterea priuari contigerit, pœna priuationis suum teneat auctorem, & alteri partem habenti, vel è conuerso minimè noceat.¶ Et ad obuiandū fraudibus, quæ in præmissis fieri possent, volumus, decernimus, & mandamus, quòd super huiusmodi rata parte, seu portione sic quouis modo communicanda, supplicatio manu nostra, seu Rom. Pont. pro tempore existentis haberi debeat: cuius supplicationis solam signaturam sufficere, & per Datarium, & Registrum supplicationum, more solito, mitti, & pro signatura, & gratia communicationis officiorum, huiusmodi ad vitam, vel aliud tempus vltra annum cum dimidio, quinque pro anno vero cū dimidio, aut minori tempore communicationis officiorum huiusmodi quouis modo faciendorum, duo ducati auri de Camera pro quolibet centenario ad dictam rationem respectiue, pro qua præfata rata, seu portio communicata fuerit, recipi, & consensus communicationis, seu ad partem admissionis vigore supplicationis desuper signatæ huiusmodi, coram vno ex Cameræ Apostolicæ Notarijs dūtaxat præstari, & per eum in vno in dicta Camera, & alijs libris penes ipsum Datarium pro tempore existentem construendis registrari debeat,

beat, & pro tali registratura, & labore cuiusque portionis cuiuscumque summæ vigore vnius supplicationis alteri communicatæ vltra vnum grossum, leonem nuncupatum, ab altera partiũ recipi non possit. ¶ Decernentes quascumque societates, communicationes, & contractus de cætero faciendos sine expressa nostra, ac Rom. Pontificis pro tempore existentis, & canonicè intrantis approbatione, & signatura, irritas, & inanes, ac portionem alteri quouis modo pro tempore sine approbatione, & signatura nostris assignatam, seu communicatam, dictæ Cameræ Apostolicæ applicatam, & applicatas, ac quæcumque pacta, & conuentiones super dictis officijs sine nostra, aut dictæ sedis licentia pro tempore inita, tamquam suspecta, & illicita, nulla declaramus. ¶ Adijcientes, quòd si aliquam partem pecuniarum super officijs huiusmodi ad tẽpus nondum effluxum habentes, ac beneficio huius constitutionis, ad saluandum pecunias officialibus, super eorum officijs mutuatas in euentum obitus eorumdem officialium, vti volentes modo præmisso soluentes, & supplicationes desuper signatas obtinentes, pecunias officialibus huiusmodi mutuatas in euentum eorum obitus de pretijs officiorum vendendorum recuperare debeant, præmissaque omnia in alijs officijs dictæ Curiæ ad Camerarium, Vicecancellarium, Pœnitentiarium maiorem, & sacri Palatij Apostolici Auditores spectantia, dummodo ad hoc ipsorum, quorum interest, expressus accesserit assensus, locum sibi vendicare volumus, atque decernimus. ¶ Ac pro ipsorũ officialium, & contrahentium indemnitate, motu, scientia, & potestate similibus etiam decernimus, quòd in euentum, in quem contingerit hanc nostram constitutionem aliqua ratione, vel causa in toto, vel in parte extingui, seu reuocari, aut ipsos officiales, vel contrahentes, declaramus, quominus emolumenta, iuxta conuentionem inter eos factam, seu faciendam, percipere libere possent, quomodolibet impediri, aut molestari, nos, & successores nostros, & Cameram Apostolicam præfatam, & eius bona in vim validi, & efficacis contractus ipsis officialibus, vel contrahentibus pro tempore existentibus, obligamus. Si verò fuerit facta aliqua diminutio emolumentorum huiusmodi ad soluendum, & satisfaciendum ipsis de summa, quam eisdem contrahentes pro huiusmodi minutione amisisse constabit. ¶ Si autẽ præsentes litteras reuocari contigerit, ad restituendum, seu restitui faciendum eisdem contrahentibus, tunc pro tempore existentibus, totam illam summam, quam pro eisdem societatibus soluisse constabit, in quibus nullo modo, nullave ratione, vel causa computari debeant, seu possint in toto, vel in parte emolumenta, per eos interim percepta, sed eos, & eorum quemlibet, iusto, & legitimo titulo emolumenta percepta sibi acquirere, & vt sua retinere posse, & debere. ¶ Mandamus præterea prædicto Camerario, & Cameræ Apostolicæ Clericis præsidentibus, quos super præfatis societatibus conseruatores proprios speciales, & ordinarios iudices deputamus, vt in huiusmodi concernentibus negocijs efficacis defensionis præsidio assistant. Decernentes, quòd in præmissis Camerarij, vel Clericorum prædictorum determinationi omnino stetur, nec cuiquam ab eorum decreto appellare, aut ipsos contrahentes ad aliud tribunal, etiam vigore rescriptorum Apostolicorum trahere liceat, neque Clerici ipsi suspectibus alligati, etiam prætextu portionum, & officiorum per aliquem ex eis obtentarum, & obtentorum possint, cum verisimile non sit, iudicia tot præstantissimorum virorum, in quorum fidei, ac prudentiæ præfatæ Ecclesiæ patrimonium creditur, aliqua ratione à rectitudine declinatura, quatenus ipsi ad infrascriptarum, & supradictarum sententiarum, & pœnarum declarationem, & executionem, summariè, simpliciter, & de plano omni iudiciaria tela postposita iuxta stylum, & morem Cameræ, sola facti veritate comperta, procedentes, cum effectu, quoties requisiti fuerint, & id nouerint expedire, prædicta omnia, & singula obseruent, & ab alijs faciant, sub pœnis eorum arbitrio imponendis, inuiolabiliter obseruari, scripturasq; necessarias, & opportunas obligationes desuper faciant, obligationem per nos sic factam recognoscentes, & sequentes, eisq; officialibus, vel contrahentibus super præmissis, & & eorum plena, & inuiolabili obseruatione, quodcumque publicum instrumentum obligationis bonorum S.R.E. & Cameræ earumdem ad ipsorum contrahentium requisitionem, & in euentum prædictum absque alterius declarationis, seu mandati expectatione, de præmissis debitam, & integram satisfactionem faciant. Decernentes quicquid

per

per Cameram ipsam super hoc sit actum, gestum, determinatumq; fuerit, ac sententiatum, & iudicatum, perpetuo ratum, firmum, & inuiolabile esse debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.¶ Nō obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu ad prædictæ Curiæ iudicium trahi non possint, litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumq; totis tenoribus habenda foret in nostris mentio specialis, quæ quoad hæc eis nullatenus volumus suffragari.¶ Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, ac per omnes inuiolabiliter debeant obseruari; volumus illas in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & audientiæ litterarum contradictarum nostrarum, & in Camera Apostolica affigi, legi, & publicari, vt hi, quos litteræ ipsæ concernunt, seu concernere possunt quomodolibet in futurum, quoad illorum notitiam non peruenerint, vel illas ignorauerint, quominus eos arctent perinde, ac si eis personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare. Volumus etiam, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum trāsumptis vnius Notarij manu scriptis, & alicuius Prælati, vel personæ in dignitate constitutæ sigillo munitis, ea prorsus fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus nostris litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, ordinationis, extensionis, statuti, decreti, mandati, declarationis, adiectionis, obligationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. D. XIIII. Pridie Idus Ianuarij. Pontificatus nostri anno secundo.

Paulus IV. super Societatibus officiorum Romanæ Curiæ.

48 Paulus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam, inter cæteras curas, quibus ex ministerio Apostolatus nobis diuinæ gratiæ munere, commissi, assidue premimur, illa nos maxime vrget, vt prauæ consuetudines, & abusus, quos in hanc Almam Vrbem nostram malitijs hominum irrepsisse cernimus, nostra diligentia tollantur. Cum itaque (sicut fide dignorum relatione nobis innotuit) diuersæ vtriusque sexus personæ, tam ipsius Vrbis ciues, seu originarij, quàm Romanam Curiam sequentes sub prætextu, quòd in dicta Curia super illius officijs societates ad rationem duodecim, & quandoque plurium pro centenario passim fiant, & societates huiusmodi licitæ reputentur, propterea, quod officia ipsa fructus suos verisimiliter ad eandem rationem reddant, & pecunias ipsas in societatem recipientes, si illas dantes, aut singuli alij tunc ab eis nominati moriantur, sortem principalem pecuniarum per eos in societatem receptarum, lucrentur, & è contra, si recipientes pecunias in societatem, moriantur, eo quòd officia, super quibus societates huiusmodi contractæ fuerint, ipsis morientibus deficiant, eorum hæredes, aut fideiussores sortem receptam restituere cogantur, pecunias suas sub nomine societatis, non tamen super aliquo eiusdem Curiæ officio mutuent, & duodecim, & quandoque plura pro centenario, nomine quidem fructuum ipsius societatis, sed re vera pro vsuris pecuniarum per eos mutuatarum, exigant, vsurariam prauitatem committendo, & diuersi præfatæ Curiæ officiales super officijs per eos pro tempore obtentis diuersas societates cum diuersis personis, etiam vltra valorem ipsorum officiorum, & cum pactis aliquando minus licitis sæpius ineant, & singulis personis, pecunias suas eisdem officialibus intra valorem eorumdem officiorum, absque eo, quòd vna aliam sciat, credentibus tam pro sorte principali, quàm pro fructibus dictarum societatum fideiussionem præstent aliorum officialium, qui officia sua alijs pro maiori pecuniarum summa, quam illa valeant, obnoxia, & hypothecata habent,

bent,& exinde fiant, vt officia ipsa quandoque vltra decuplum eius,quo vendi possent, obligata reperiantur, & tam illi principales debitores, quàm fideiussores non solum fidem fallant, & creditores suos pecunijs, quas illi eisdem officialibus eorum, & fideiussorum suorum fidem sequentes credunt, priuent, & frustrentur, etiam iuramentis per eos in societatibus huiusmodi præstitis temerè contraueniendo, verum etiam facilitate societates huiusmodi clam ineundi, seipsos,& suam familiam depauperent,suamque, & illorum substantiam dissipent,& anihilent, in animarum periculum, & eiusdem Curiæ ignominiam, ac complurium, qui in præmissis non delinquunt, detrimentum. ¶ Nos cupientes,quantũ cũ Deo possumus, animarum periculis obuiare, & alijs inconuenientibus prædictis occurrere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & mera deliberatione nostris per præsentes decernimus,& declaramus omnes, & singulas societates ad rationem certæ,& determinatæ pecuniarum summæ, quolibet mense, vel anno,aut alio statuto tempore soluendæ, etiã sub periculo mortis alicuius,aliàs quam super officijs præfatæ Curiæ de cætero faciẽdas illicitas, & iniustas fore, & vsurariam prauitatem continere,& ex eis alicui ius,aut actionem acquiri nõ posse.¶ Et insuper hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, atque statuimus, & ordinamus,quòd de cætero perpetuis futuris temporibus,nullus tam in dicta Curia, quàm in tota ditione Ecclesiastica officialis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ existat, aliquam societatem super officio,vel officijs ad nostri, seu sedis, vel Cameræ Apostolicæ, vel Camerarij, Vicecancellarij,Pœnitentiarij maioris,& causarum Palatij Apostolici, Auditorum dispositionem quomodolibet pertinente, seu pertinentibus, quæ vendi consueuerint, per eum pro tempore obtentis cum aliqua, seu aliquibus, persona, seu personis, communi, collegio, vel vniuersitate, vltra dimidium valoris officij, seu officiorum huiusmodi, & nisi præcedente signatura à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente obtenta, in qua substantia rei ad hoc,vt discerni possit, an licita sit, vel illicita, facere præsumat: & quod societates super officijs huiusmodi aliter factæ, non valeant, nec viribus subsistant,earumq; prætextu nullatenus agi possit.¶ Nos enim signaturas huiusmodi (quas absque aliarum litterarum expeditione, regula contraria non obstante, sufficere volumus) per nostrum Datarium ad instar resignationem officiorum huiusmodi expediri,& pacta in his societatibus pro tempore apposita,ad hoc,vt licita tantum statuantur, examinari, ac societates ipsas, vt omnibus innotescere possint, nec vltra dimidium pretij ipsorum officiorum fiant, in aliquo particulari libro apud ipsum Datarium adnotari, & pro expeditione signaturæ, & adnotatione huiusmodi, dimidium vnius pro quolibet cẽtenario per partes ipsas præfato Datario solui; & vt fraudes, ac pacta illicita, non præmissis hactenus facta detegantur, ac illis in tempore occurri possit, societates hactenus factas, & adhuc vigentes eidem Datario, seu ab eo pro tempore deputatis cum opportuna specificatione eorum, qui illas tam actiuè, quàm passiuè fecerunt, & officiorum, super quibus, ac pecuniarum, pro quibus,& temporis, de quo, & ad quod factæ fuerint infra tres menses à die publicationis præsentium,modo infrascripto faciendæ computandos, notificari volumus, & mandamus, ac nisi, vt præfertur, notificatæ fuerint, eas ijsdem tribus mensibus elapsis penitus,& omnino extinctas esse,nec ius,aut actionem aliquam tribuere posse, sicque, & non aliàs in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque etiam Auditores præfatos, ac Cameræ huiusmodi Clericos, in quauis causa,& instantia,sublata eius,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi,& interpretandi auctoritate, & facultate iudicari, & definiri debere, & si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,cæterisq; contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentes litteræ ad omnium, quorum interest, aut interesse poterit, quomodolibet in futurum notitiam deducantur, nec vllus se aduersus eas excusare, aut ignorantiam prætendere possit. Volumus easdem litteras in valuis Cancellariæ Apostolicæ, & acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris legi, & publicari, ac affigi, affixasque inibi aliquo temporis spatio dimitti, & postmodum tolli earum exemplo cum originali collationato loco illarum affixo, & dimisso. Nulli ergo omnino

omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, declarationis, sanctionis, statuti, ordinationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ M. D. LV. Non. Octobris. Pontificatus nostri Anno primo.

PIVS PAPA IIII.

49 MOtu proprio, &c. Cum sicut accepimus fœl. rec. Paulus Papa IIII. Prædecessor noster certis tunc expressis causis motus, quod nullus tam in Curia, quàm in tota dictione Ecclesiastica officialis cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ existeret, tunc & pro tempore aliquam societatem super aliquo, seu aliquibus officijs ad tunc suam, seu Sedis, aut Cameræ Apostolicæ, seu Camerarij, Vicecamerarij, Pœnitentiarij maioris, & causarum Palatij Apostolici Auditoris dispositionem quomodolibet pertinentibus, quæ vendi consueuerunt per eum, obtinendo pro tempore cum aliqua alia persona, seu personis communi Collegio, seu vniuersitate, nisi præcedente signatura ab eo, seu Romano Pontifice pro tempore existente obten. in qua pacta, & conuentiones partium exprimi deberent; pro cuius expeditione, & certa adnotatione medium pro centenario quolibet scutorum, seu ducatorum cogeretur soluere, inire præsumeret, & societates aliter quàm sic initæ non valerent, & earum prætextu agi non posse, & forsan alia tunc expressa sua constitutione, motu proprio sub datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, nonis Octobris, Pontificatus sui anno primo, statuerit, & ordinauerit, prout in ea latius continetur, & habetur. ¶ Nos considerantes, sicut fideli relatione percepimus, quòd ex huiusmodi constitutione multæ, ac diuersæ tam nostræ Vrbis, quàm ditionis Ecclesiasticæ, & extra eam personæ, quæ earum pecunias in societatibus officiorum huiusmodi contractare solitæ erant, ea prohibitione, vti re noua territæ earum societas, quę in notabili numero, & ingenti pecuniarum summa existebant, statim disdixerunt, & reuocarunt, ad extractionemq; pecuniarum sic in societatibus datarum agere, & officiales, eorumq; fideiussores cogere cœperunt, & enixè institerunt. Quo factum est, vt officiales ipsi, & eorum fideiussores, tum etiam ob mala tempora, quæ interuenerunt, promptam non haberent, quam restituerent pecuniam, nec ab alijs propter huiusmodi constitutionis difficultatem pecunias in societatem reperirent, eorum officia, seu bona alia viliori etiam pretio vendere, & alienare, vel pecunias alias sub grauioribus etiam illicitis vsuris capere, vel potius, quod pluribus contingit, decoquere, & ab Vrbe aufugere, & sic creditores defraudare omnino cogerentur, ob quod grauia damna, & incommoda tam Vrbi, quàm ipsis particularibus officialibus, & personis illata fuerint, quæ etiam hodie sustinent. ¶ Cupientes, quantum cum Deo possumus, his malis obuiare pro tempore futuro, ac officiales ipsos, & alios interesse putantes ab huiusmodi grauibus, & damnatis vsuris condebitis exactionibus liberare, supplicationibus dilectorum filiorum nostrorum, Populi Romani, & Conseruatorum Almæ Vrbis nostræ super hoc nobis porrectis, inclinati, eisq; instantibus, & cum eis more pij patris benigne agere volentes. Motu simili ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine dictam constitutionem per dictum Paulum IV. vt præmittitur, factam cum omnibus in ea appositis clausulis, cuius tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur, pro expressis haberi volumus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro cassatis, irritis, & annullatis haberi volumus, illamq; viribus tempore futuro penitus euacuamus, volentes, & auctoritate nostra decernentes, quòd de cætero ipsis officialibus, super tamen eorum officijs societates quascumque, cum pactis tamen licitis, & honestis, prout, & quemadmodum ante constitutionem præfatam solitum erat, etiam nulla à nobis, seu Rom. Pontifice pro tempore existente. ¶ Desuper expedita supplicatione, seu signatura, non tamen vltra valorem officiorum, super quibus illas fieri contingit, ità quod ad requisitionem secum societates contrahentium teneantur in ipso contractu specialiter exprimere alias societates super eodem officio contractas, si quæ sint, & si eas falsò negauerint, vel expressesrin in toto, vel in parte pœnam priuationis officio-

officiorum ipsorum, super quibus societates huiusmodi contractæ fuerint, sine tamen præiudicio creditorum, quatenus aliunde illis satisfieri non possit, ipso iure incurrant; & nihilominus tam ipsi, quàm fideiussores, desuper præstiti ad satisfactionem societatum, & debitorū, desuper contractorum teneantur, & obligati existant; facere, & inire, ac pecunias recipere, & contractus desuper celebrare (qui aliàs tamen legitime initi, validi, & efficaces existant) & executioni demandari debeant, liberè, & licitè possint, & valeant, licentiam, & facultatem concedimus per præsentes. Dicta constitutione, cæterisq; in contrarium quomodolibet facientibus, non obstantibus quibuscunque, præmissorum omnium, & aliorum, sic forsan necessario exprimendorum, tenores pro plenè, & sufficienter expressis habentes.

Montis Pacis non vacabilis erectio, cum emolumentis scutorum quinque & vno quarto pro quolibet centenario, & priuilegiorum concessio.

50 SIxtus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Multa, & grauia, quæ in Rempublicā Christianam ante hac excreuerunt incommoda, nos cum primum ad summi Apostolatus apicem diuina clementia assumpti sumus, creditoque nobis fideli populo inuigilare cœpimus, vsquequaque circumsteterunt, & nunc magis magisq; sollicitant, atque animum nostrum ob imminentia pericula anxium dies, noctesq; vehementer perturbant: Nec solum Prouinciarum, & Regnorum longo à nobis interuallo disiunctorum plagas, partim ab execrabili, & pestifera hæresi, partim à seditiosis armis inflictas audimus: sed & in Romanæ Ecclesiæ, temporalisq; eius ditionis sinu inexpletam sceleratorum hominum, ac sicariorum rabiem, immanemq; in bonos, & pacis cultores violentiam, cædibus, latrocinijs, stupris, atque incendijs sæuientem, nostris penè oculis conspicimus, quæque propriora sunt, mentem nostram grauius excruciant, atque eam à maioribus curis, ad quas saluti commissi gregis, intendens pietatis zelo assiduè fertur, sæpe distrahunt. Cumque eo confirmata processerit audacia, vt non sine maximo totius status temporalis ecclesiastici detrimento iam negligi possit, subit item & alia cura, quòd ab ærario propter ingentes sumptus penè exhausto, aut ab ordinarijs nostris redditibus ad ditionem nostram tutandam, prouinciasq; scelestis, & impuris hominibus purgandas, aliasq; necessitates subleuandas; & vt ad futura quoque, ac repentina pericula propulsanda parati simus, auxilia nobis minimè suppeditantur: Ipsique, qui subditis nostris, quantum possumus in Domino parcere, & à nouis oneribus eis, qui filij nostri spirituales sunt imponendis, quod in huiusmodi angustijs plerique alij Romani Pontifices fecerunt, refugimus, difficiliorem nobis administrationis, & seruitutis rationem efficimus. Talibus igitur curis circumuenti, diu, multumq; nobiscum meditantes, qua ratione ex huiuiusmodi difficultatibus sine cuiusquam incommodo euadere possemus, tandem decreuimus, aliquam vectigalium nostrorum partem in vnum vno tempore congerere, vt præsentes calamitates, diuina nobis gratia assistente, aliquo pacto deuitari possint, ac simul nostrorum subditorum saluti, & tranquillitati promptius consulatur. ¶ Habita itaque cū fratribus nostris in consistorio nostro secreto deliberatione matura, ac de illorum consilio, & assensu, deq; traditæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine vnum Montem, Pacis nuncupandum trecentorum millium scutorum monetæ, decem iulijs pro scuto computatis, super fructibus, & iuribus Dohanarum Vrbis, ad rationem huius summæ, ac cuius portiones & loca non vacent, & quarum quæque non minor centum scutis similibus sit, & aliàs, prout Montis Fidei Alumeriarum, & Religionis, cæteraq; eiusdem Vrbis Montium non vacabilium portiones, & loca, quæ inter stabilia reputantur, perpetuo erigimus, & instituimus, illiq; sic erecto, & instituto pro illius dote, ac eorum, qui nostram, & Romani Pontificis fidem secuti pecunias in dicto Monte contulerint, annua responsione, & honesto fructu cuiuscumque illi sint qualitatis, & conditionis, etiam si laici, vtriusque sexus, ac presbyteri, & alij clerici, Ecclesiarum Prælati, etiam S.R.E. Cardinales, ac cæteri cuiuscunque dignitatis, status, & conditionis seculares, & quorumcunque ordinum, etiam in communi mēdicantium, ac militiarum, vel hospitalium regulares, & aliæ quæcunque personæ, cuiusuis ætatis, etiam illegitimi, incapaces, & inhabiles, necnon ecclesiæ, capitula, congregationes, con-

conuentus, societates, hospitalia, capellæ, & loca religiosa, & prophana, summam quindecim millium, & septingentorum quinquaginta scutorum similium, ex quadragintaquinque millibus scutis, qui ex redditibus, & iuribus dictarum Dohanarum, qui nulli hucusque obligati sunt, quà spe nuper conduxit initio locationis huiusmodi in proximis Kalendis Septembris præscripto Dilectus filius Tiberius Ceulus mercator, Romanam Curiam sequens, ita quòd ijdem omnes, qui pecuniam in dicto Monte collocauerint, pro rata centum scutorum singulis annis summam quinque scutorum, cum quarta parte alterius similis scuti annis singulis, ac vnoquoque bimestri ratam eiusdem portionis partem, absque vlla prorsus diminutione percipiant. Etiam perpetuo applicamus, & appropriamus: eandemque summam quindecim millium & septingentorum quinquaginta scutorum titulo venditionis, & alienationis eidem Montium, illiusque Collegio, vti singulis, & vniuersis perpetuo assignamus, ac in illos omne ius, & potestatem, atque auctoritatem, qua nos ipsi, & Camera Apostolica fungimur, transferimus, ipsosq; in nostrũ, & Cameræ prædictæ locum, ius, & actionem, quoad dictam summam, illiusq; extractionem, & perceptionem ponimus, & subrogamus, prædictamq; summam, vt præfertur, assignatam ab oneribus, tributis, collationibus, ex quacunque vrgenti, & publica; ac etiam fidei causa impositis, ac omnibus, & quibuscunque grauaminibus ordinarijs, & extraordinarijs, præsentibus, & futuris eximimus, & liberamus. Dictamq; summam quinque scutorum cum vno quarto per quemcunque liberè, & licitè exigi, ac in sortem minime computari posse intendimus. Necnon contrahentium nobiscum, & Camera prædicta securitati consulere volentes, quod idem Tiberius, durante tempore conductionis Dohanarum prædictarum, & eius in dicta conductione, qui pro tempore fuerint successores, seipsos, illorumq; hæredes, & bona prædicta summa quindecim millium, & septingentorum quinquaginta scutorum singulis eiusdem Montis descriptis creditoribus, & eorum nomine, infra designato depositario annuatim integrè, & singulis duobus mensibus pro rata absque vlla prorsus retentione, siue diminutione persoluenda in forma dictæ Cameræ, ac alijs arctis obligationum vinculis se obligare teneatur, statuimus, illisque id expressè iniungimus. Necnon eam summam, quæ ex dictis quadragintaquinque millibus nulli adhuc obligatis, præter quantitatem quindecim millium septingentorum, & quinquaginta huic Monti assignatam, nemini adhuc, vt præfertur, constitutam, neque districtam specialiter præ cæteris, necnon omnia, & singula eiusdem Cameræ mobilia, & immobilia, & se mouentia bona, iuraq; res, & actiones præsentia, & futura vbique locorum, & gentium existentia, prædicto Monti, illiusq; personis pro præmissorum omnium obseruatione insolidum, ac generaliter obligamus, atque hypothecamus. Ac ad conseruandum eosdem indemnes semper teneri, ac eiusdem Cameræ ministros, atque agentes, ad eximendum in prædictis, personas prædictas ab omni molestia obligatos esse volumus. Et insuper concedimus, vt quicunque prædictorum, siue ex prædictis, siue alijs, & quibuscunque fructibus, ac pecunijs confecta loca dicti Montis habuerint, atque acquisiuerint, illa tanquam bona patrimonialia, & prophana obtineant, & in eis, eorumque fructibus, & emolumentis ipsorum filij, & hæredes vtriusque sexus quicunque fuerint, etiam illegitimi, & alias quomodocunque inhabiles, tam ex testamento, quàm ab intestato succedere, seq; eis simul, vel successiue, ac quotiescunque, siue donationis inter viuos, vel causa mortis, siue legati, cessionis, venditionis, siue alio quocunque titulo, iure, & modo, ac etiam simplici scriptura, manu sua scripta, vel subscripta, nullisque adhibitis testibus, etiam in fauorem suorum, vel aliorum illegitimorum prohibitorum, & incapacium, etiam si illa in plures illegitimos, incapaces, & prohibitos, ordine successiuo transierint, ac aliàs vti cuique libuerit disponere. Quinetiam loca prædicta quocunque modo obtinentes, si illa in alios cedere, aut transferre, ac etiam qui loca huiusmodi alijs acquirere voluerint, tales in huiusmodi cessionibus, translationibus, vel acquisitionibus sibi ipsis, vel alijs etiam quoad vixerint omnimodam dictorum locorum sic cessorum, vel acquisitorum administrationem, eorumq; fructus, & emolumentorum perceptionem, necnon plenam, liberam, & absolutam potestatem illa quandocunque voluerint, nulla etiam subsistente causa ad se recipiendi, & reuocandi,

candi, seu alij, vel alijs vendendi, alienandi, donandi, relinquendi, obligandi, & pignorandi, super eis paciscendi, contrahendi, & prorsus omnem aliam ipsorum dispositionem, ius, & facultatem, nullo obtinentium consensu desuper requisito, aut alia solemnitate seruata, ac etiam cum prohibitione huiusmodi administrationis fructuum perceptionis, cessionis, venditionis, obligationis, fideiussionis, aut alterius cuiuscunque dispositionis per ipsos obtinentes faciendæ, necnon decreto irritanti adiecto, bis quæ secus facta fuerint, ab eisdem reseruare, & obtinere liberè, & licitè valeant, nulla alia licentia à nobis, vel Romano Pontifice, pro tempore existente impertita, seu confirmatione, aliave solemnitate desuper requisita: Ita tamen quòd illegitimi in eis locis nullo modo succedant, quæ de fructibus, seu pensionibus, alijsve rebus ecclesiasticis fuerint comparata. Cæterum expressè prohibemus nulla omnino loca prædicta, nulliue eorum fructus, & emolumenta, etiam causa rebellionis, proditionis, assassinij, sacrilegij, læsæ maiestatis, aut aliorū criminum, quantumcunque grauium, & enormium per loca ipsa obtinentes, non tamen in personam Romani Pontificis, aut S. R. E. Cardinalis commissorum, etiam confessatorum, & probatorum publicari, nec aliàs Fisco applicari; aut publicata, vel Fisco applicata, declarari, seu deliberari, nec sub aliquibus, siue generalibus, siue specialibus omnium bonorum, rerum, & iurium confiscationibus, proscriptionibus, aut alijs adiudicationibus propterea factis, & decretis, seu alijs etiam ipso Iure, vel ipso facto inductis deuolutionibus, etiam si sententia capitalis, & mors secuta esset, comprebendantur: sed semper ab illis excepta sint, & esse censeantur, eisque non obstantibus delinquentium filij, & hæredes in huiusmodi locis, & fructibus, vt præfertur, succedere, & illa ad eos deuenire omnino debeant, seu ipsimet delinquentes de ijsdem omnino disponere possint, ac si delicta huiusmodi nequaquam commisissent. Necnon statuimus dictum Montem, & illius singulares personas, omnibus & singulis priuilegijs, exemptionibus, gratijs, facultatibus, fauoribus, & indultis, quibus Fidei, Alumeriarum, & Religionis Montes in Vrbe pridem instituti, quibuscunque illa sint concepta formulis, aut cōfirmationibus, & innouationibus vallata, ac quę si de verbo ad verbū insererentur, his litteris babere volumus pro expressis. ¶ Quibus eorumdem Montium descripti creditores vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac quomodocunque in futurum vtentur, & gaudebunt, etiam si notam magis specialem requirerent, quam præsentibus sit expressa, vti, potiri, & gaudere posse. Ac Montem prædictum, illiusq; loca, & portiones, respectu summæ illi assignatæ nullis omnino reductionibus, diminutionibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, etiam prætextu enormissimæ læsionis, vrgentis necessitatis, seu etiam euidentis vtilitatis, aut alia quacunque causa, siue in genere, siue in specie faciendis obnoxia esse: sed firma perpetuo, & inuiolata persistere, nec quemquam ex ipsius Montis descriptis creditoribus, aut ab eis causam, & ius habentibus integris fructibus, & emolumentis prædictis, quocunque modo turbari, vel impediri, neque eosdem Montis creditores ad probandum, vel docendum in iudicio, vel extra pecunias in ipso Monte erogatas, aut illarum partem in dictæ Sedis, vel Cameræ prædictæ necessitatem, vel vtilitatem conuersa fuerint, nullo vnquam tempore teneri. Atque has nostras litteras vim validi, & efficacis contractus inter nos, successoresq; nostros, & eos, qui creditores dicti Montis descripti fuerint, illorumq; hæredes, aut successores, iusque, & causam ab illis habuerint, solemniter iniri, & stipulati obtinere: eumdemque ab omnibus obseruari debere, neque ab illo sub quocunque quæsito, colore, vel ingenio resiliri posse, aut in ius, vel controuersiam deduci. Necnon quibuscunque oppositionibus non obstantibus, dictum Tiberium, ac quoscunque in dicta conductione Dobanarum successores, ad præstandum summam prædictam, vt præfertur, Monti assignatam statutis temporibus liberè, & expeditè teneri, & obligatum esse, & ad id iuris, & facti remedijs opportunis cogi, & compelli posse: facultate tamen redimendi dictum Montem pro eodem pretio vobis, & successoribus vestris reseruata, sicque in omnibus, & singulis prædictis per quoscunque iudices ordinarios, delegatos, etiam S. R. E. Cardinales in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuicunque, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere: Necnon irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate

tate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Demum, vt illa, quæ in prædicto Monte præcipuè gerenda, & exercenda erunt, per probos, & peritos viros omni fide, studio, & diligentia exerceantur, idemq; Mons felices habeat successus: Dilectum filium Magistrum Benedictum Iustinianum Notarium, ac Thesaurarium nostrum generalem, eiusq; in dicto officio pro tempore existentre successorem dicti Montis Protectorem, ac administrationem, cum libera, & absoluta potestate ea omnia peragendi, quæ ad dicti Montis vtilitatem pertinere cognouerit, ac dilectum filium Iosephum, quondam Benedicti Iustiniani, Depositarium dicti Montis, quoad vixerit: Necnon Ludouicum, natum Vincentij Rentij, nostri; & Cameræ Apostolicæ Ratiocinatoris, & Computistæ in Secretarium eiusdem Montis, necnon Fantinum, alterum eiusdem Vincentij filium, in Computorem; quoad quilibet ipsorum etiam vixerint, in recognitionem immensorum laborum, quos Vincentius illorum genitor superioribus temporibus in Camera Apostolica, maximo cum eiusdem Cameræ commodo, ac vtilitate sustinuit, & in dies perferre cogitur, ac in illorum veram, & actualem remunerationem, & compensationem, etiam ex causa, quæ verè onerosa est, cum emolumento trium Iuliorum pro quolibet loco, tam Secretario, quàm Computori æqualiter inter ipsos diuidendos. Verum donec Vincentius pater vixerit, per eumdem Vincentium exigendos constituimus, & deputamus. In quibus muneribus, & curis illis demandatis ita se gerant, quemadmodum in Monte Prouinciæ consueuit, & in eo obseruatur. Non obstantibus præmissis, necnon fel. rec. Symmachi, Alexandri VI. Pauli II. Pauli III. Pauli IV. & Pij V. de rebus Ecclesiæ non alienandis, aut alienatis recuperandis, ac etiam contra illegitimos, aliorumq; Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & in Concilijs generalibus editis, prædicta fieri specialiter, & expresse prohibentibus, & facta irrita esse decernentibus, dictæq; Cameræ Apostolicæ iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eidem Cameræ, illiusq; Agentibus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deq; consilio, assensu, & potestatis plenitudine similibus, ac pro conseruatione status, dignitatis, & extimationis S.R.E. concessis, confirmatis, & iteratis vicibus, & innouatis, extensis, & moderatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; tenoribus specialis, specifica, atque integra, & indiuidua mentio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbis ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, illaque quatenus præmissis obstent, tollimus, abrogamus, ac etiam abolemus. Vt autem præsentium litterarum exempla ad manus eorum, qui eas inspicere, aut illis vti voluerint, de facili peruenire valeant, volumus illarum exemplis manu Secretarij dicti Montis, aut alterius Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicijs, vel extra adhibeatur, quæ his nostris litteris haberetur, si ostenderentur, vel producerentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, assignationis, translationis, positionis, subrogationis, exemptionis, liberationis, iniunctionis, obligationis, hypothecæ, concessionis, prohibitionis, statutorum, decreti, constitutionis, deputationis, derogationis, sublationis, abrogationis, abolitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimoquinto, quarto Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno primo.

Tenor Constitutionis Pij IV. super cambijs.

51 Pius Papa IV. Motu proprio, &c. Cum sicut accepimus non sine maxima ani-

mi nostri displicentia, etiam post publicationem cuiusdam proclamatis, siue banni, de expresso mandato nostro facti, & commissione venerabilis Fratris nostri Hieronymi Episcopi Martoranensis, tunc Almæ Vrbis nostræ Gubernatoris, sub die 27. mensis Maij M D L X. in locis consuetis publicati, auaritiam omnium malorum pessimum genus, inter dilectos filios Almæ Vrbis nostræ prædictæ mercatores adeò serpuisse, atque in dies serpere, vt iam illorum vnicuique breui, & modico tempore, proximi iactura ditescere in pecunijs Curialibus eiusdem Vrbis, & præcipuè Cisalpinis, ad cambium, & recambium, vt vulgo dicunt, mutandis facillimus pareat aditus: ita vt, & Dei timore postposito, animarumq; suarum salutis, ac Christianæ charitatis, & Euangelicæ eruditionis, qua bona nobis à Deo collata indulgentibus, nihil lucri inde spetantes, charitatiuè mutuare monemur, penitus immemores, non solum ad pretium eisdem mercatoribus à Summis Pontificibus nostris Prædecessoribus retroactis temporibus toleratum, suas pecunias ad cambium, & recambium huiusmodi Curialibus prædictis dederint. Verum etiam in præsentiarum illas ad longè maiorem, & nimis excessiuam, penitusque vsurariam, ac Christianam profitentibus Religionem, sacris Canonibus interdictam, atque damnatam summam dare conantur, vnde euenit, vt plurimi dictæ Vrbis Curiales, ac necessitate coacti, easdem pecunias sub tam graui fœnore accipientes, & pro illorum amicis mercatoribus præfatis fideiubentes, ac se in ampliori forma Cameræ Apostolicæ obligantes, tum ob varia itinerum pericula, tum etiam aeris diuersis in locis intemperiem, pecunias, (vt præmittitur) acceptas, ijsdem mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes, maxima cum illorum iactura ad eorumdem mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt, recambiare coacti, & nonnulli etiam carceribus inhumaniter cum illorum ingenti, tum corporis, & bonorum, tum etiam honoris, & famæ detrimento, diuturno tempore detenti fuerint. Nos igitur cupientes pro nostri pastoralis officij debito, præmissis quantum cum Deo possumus, via celeri remedium aliquod adhibere, eorumdemq; mercatorum insatiabilis vsuræ prauitati, eorumque animarum saluti, & mercantilis exercitij fidelitati, curialiumq; prædictorum, tàm enormibus læsionibus, atque incommoditatibus paterno affectu opportunè consulere. Motu simili, &c. Dilecto filio dictæ Vrbis nostræ moderno Gubernatori, vt ad Cameræ Apostolicæ Commissarij generalis, necnon partis læsæ querelam, seu instanriam omnibus, & singulis mercatoribus Romanæ Curiæ, seq; ne in posterum à die datæ præsentium, sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, ac duorum millium ducatorum auri in auro eidem Cameræ irremisibiliter applicandorum ipso facto incurrendis pœnis, à dictæ Vrbis Curialibus quibuscúque ratione quarumcunque obligationum, etiam in ampliori forma Cameræ tam principali, quàm accessorio, & fideiussorio respectiuè nominibus factarum, deinceps quomodolibet fiendarum, pro pecunijs ad cambium, recambium, & huiusmodi sic vsurariè, & malo modo acceptis, & accipiendis, ac in partibus non solutis, aut non soluendis vltra summam conuenientem, quæ mercatoribus realibus, qui vera cambia realia, & non ficta faciunt, de iure, & stylo mercantili verè deberetur, hic in Curia petere, exigere, aut eosdem curiales via iuris obligationum etiam in forma dictæ Cameræ celebratorum, & celebrandadarum vigore, seu prætextu cogere, seu cogi aut excommunicari, &c. vel aliàs quomodolibet in eorum personis, & bonis molestari, seu inquietari facere audeant, vel præsumãt, districtius sub pœna, quæ in constitutionibus Marchiæ contra vsurarios statuitur, & alijs suo arbitrio moderandis pœnis inhibeat, necnon quascunque obligationes etiam in præfata forma Cameræ, occasione quarumcunque partitarum pecuniarũ ad cambium, & recambium huiusmodi prædictis mercatoribus cum eisdem Curialibus quomodolibet factas, & quas mercatores ipsi à prædictis Curialibus, tanquam principalibus, seu fideiussoribus hic in Vrbe post dictum bannum dumtaxat repetierunt, & exegerunt, & recuperarunt, ac pro non solutis exigere, & recuperare intendunt, cum cambia huiusmodi ficta, vel non realia à sacris canonibus prohibita, sint vsurarias, prauas, iniquas, detestabiles, interdictas, & damnatas, ac quascunque obligationes, etiam in forma præfata Cameræ Apostolicæ, post dictum bannum duntaxat desuper illarum occasione factas, nullas, & inualidas existere auctoritate nostra decernat, & declaret, totamq; summam principalem per eosdem mercatores

res exactam; & recuperatam iuxta formam dictorum bannimentorum ex nunc ipso facto eidem Cameræ Apostolicæ, parti verò læsæ id, quod vltra prædictam summam principalem in cambijs, & recambijs, &c. à dictis mercatoribus irremissibiliter exigendam, recuperandam, & restituendam applicet, & eosdem mercatores iuxta constitutiones prædictas Marchiæ condemnet. Cum potestate eosdem mercatores, & eorum quemlibet, omnesq; alios, & singulos sua communiter, vel diuisim quomodolibet interesse putantes in dicta Curia, & extra eam citandi, ac quibus, & quoties inhibendum erit, etiam sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis etiam pecuniarijs eiusdem Gubernatoris arbitrio moderandis, & applicandis inhibendi, inobedientesque, & rebelles quoscunque sententias, censuras, & pœnas huiusmodi incidisse, & incurrisse declarandi, & aggrauandi, reaggrauandi, & interdicendi, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, necnon super præmissis omnibus summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, seu tela iudiciaria, singulis diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis procedendi, dictosq; mercatores, & eorum quemlibet ad exhibendum quoscumque libros etiam rationum via iuris, & sub eisdem censuris, & pœnis compellendi, cæteraque alia faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, quæ in præmissis omnibus, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna committimus, & mandamus præmissis, ac quibusuis alijs constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, statutis, consuetudinibus, capitulationibus, & pactis, necnon obligationibus, etiam in dicta forma Cameræ etiam iuramento, &c. vallatis, ac palatij, & Curiæ mercatorum huiusmodi stylo, necnon partitis, libris, & rationibus, ac computis desuper quomodolibet factis, & quibusuis licentijs forsan dictis mercatoribus per quoscunque etiam nostros maiores officiales, etiam Vrbis Gubernatores concessas, quas contra expressam mentem nostram factas esse declaramus, cæterisq; in contrarium quomodolibet faciendis non obstantibus quibuscũque Mercatorum, & Curialium huiusmodi nomina, cognomina, & qualitates, ac pecuniarum, & creditorum quantitates, aliorumq; hic forsan de necessitate exprimi necessariorum tenores, continentias, formas, & compendia pro plenè, & sufficienter expressis habendis, præsentisq; nostri motus proprij solam signaturam etiam absque illius registratura sufficere, & vbique fidem facere tam in iudicio, quàm extra, attento quòd in Vrbe hac iuxta illius formam, & tenorem per quoscunque iudices &c. sublata &c. iudicari &c. debere, nec de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu vllo vnquam tempore notari, aut impugnari posse, illiusq; copiæ per vnum ex nostris Cursoribus cum originali auscultatæ, & mercatoribus, alijsq; personis, & iudicibus præsentatæ vim validæ, & efficacis inhibitionis habeant, ac si originale hoc præsentatum foret, quacunque regula, siue constitutione in contrarium forsan edita nequaquam obstante.

Tenor Constitutionis Pij V. super cambijs.

52 PIus Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In eam pro nostro pastorali officio curam diligenter incumbimus, vt D. N. ouibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minimè differamus. Cum itaque ad aures nostras peruenerit, legitimum cambiorum vsum, quem necessitas, publicaque vtilitas induxit, sæpenumero ob illiciti quæstus cupiditatem sic deprauari, vt sub illius prætextu vsuraria prauitas à nonnullis exerceatur: nos petitionibus, quæ super his nuper factæ sunt, hac perpetuò valitura decretali respondendum esse duximus, vt neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia; sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus studemus. ¶ Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuene-

 rat,

rat, vel certè talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat: cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti cambij traduntur, vt postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis cambijs, quæ realia appellantur, interdum, vt ad nos præfertur, campsores præstitutum solutionis terminum lucro ex tacita, vel expressa conuentione recepto, seu etiam tantummodo promisso differunt. Quę omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant, districtius prohibemus. Porrò ad tollendas quoque in cambijs, quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesq; fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, siue à principio, siue aliàs certum, & determinatum interesse, etiam in casum non solutionis pacisci, neque realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis, iuxta receptum locorum vsum exercere abusu illo prorsus reiecto, cambia pro secundis, & deinceps nundinis, siue terminis exercendi, curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, nedum longiores præfiguntur, quàm loca destinatæ solutionis desiderant, fœnerandi detur occasio. Quicunque contra hanc nostram constitutionem commiserit, pœnis à sacris canonibus contra vsurarios inflictis se nouerit subiacere. Eas verò, qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam ita ad se redegerint, vt quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ à iure contra exercentes monopolia constitutæ sunt, teneri sancimus. Volumus autem, quòd præsentes litteræ in Camera Apostolica, & ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ etiam Apostolicæ publicentur, & in ipsa Camera describantur, & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quòd earum transumptis etiam impressis, manu alicuius eiusdem Cameræ, vel alterius Notarij subscriptis, & sigillo dictæ Cameræ, vel Prælati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si fuerint exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, declarationis, prohibitionis, statuti, sanctionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. ¶ Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noeerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo, quinto Kal. Februarij. Pontificatus nostri anno vj.

PIVS PAPA V. Ad perpetuam rei memoriam.

53 EX debito pastoralis officij nobis, licet immeritis, Diuina dispositione, commissi, erga Christifidelium vniuersorum statum prospera, fœliciterq; dirigendum omnē mentis nostræ aciem assiduè intendentes, illos præcipua cura, studioq; maiori prosequimur, quos tamquam peculiares etiā temporali nostro, & S. Romanæ Ecclesiæ regimini cōmisit Altissimus; & ea, quæ pro publica, priuataq; illorum vtilitate, & commoditate prouida consideratione ordinata esse reperimus, quo firmiore gradu nitantur, approbationis nostræ beneficio libenter stabilimus. Nuper siquidem, sicut accepimus, dilecti filij mercatores Ciuitatis Bononiæ publico, & priuato bono, ac cōmodo, ipsiusq; Ciuitatis decori consulere volentes, nōnulla Capitula emporij, seu cambij realis in dicta Ciuitate, vti Romæ, & in plerisque alijs præcipuis tam Italiæ, quàm extra Italiam fieri solet introductionem, & ipsorum mercatorum, aliorumq; personarum securitatem concernentia, sub Nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito condiderunt, quorum tenor sequitur, & est talis.

Volendosi dar principio al fare in questa magnifica Città di Bologna publica piazza de Cambi reali per diuersi luochi, come si costuma nelle principali Città de Italia, & specialmente in Roma, non solo per commodo, & vtile de particolari; ma ancora per honore di essa Cittade, come si presuppone, che esser debba, & intendendosi far ciò con buona gratia, & satisfattione de Superiori, & non altrimente; si dice, & domandasi per parte de Mercanti, che per conseguire questa cosa sia loro concesso da Superiori, & confirmata da N. Sig. quanto quì nell'infrascritti capitoli si contiene.

In prima che la Piazza sia libera per ogni sorte di persone, così terriere, come forestiere, & tanto non Mercanti, quanto Mercanti; di modo

modo che ad ogni sorte di persone di qual si voglia grado, ò conditione sia lecito il dare, & il pigliare denari à Cambio, purche il Cambio sia reale. Intendendo esser Cambio reale, quando con effetto si dà il denaro in un luogo, acciò che sia pagato in un'altro, secondo che cantano le lettere del Cambio, & così le lettere vadino con effetto al luogo, & alla persona, à che sono indrizzate, & che iui siano pagate, ò recusate.

Appresso, che sia in potestà di ciascuna persona, etiamdio che non sia Mercante, il dare suoi denari in mano di Mercanti, acciò che li diano à Cambio reale, con farsi stare del credere, come si usa nell'altre Piazze d'Italia, & fuore d'Italia; & possa ogni persona ancora dare denari à Cambio, & far che siano recapitate le lettere sopra di essi datori, & così trarli sù li Cambij, fino che saranno rimborsati da chi hauerà preso il denaro.

Terzo. Che se da forastieri saranno mandati denari contanti in questa Cittade, perche si diano à Cambio in detta Piazza; cotali denari s'intendano essere, & siano liberi, & franchi à fauore del forestiero, che li hauerà mandati, etiamdio che egli per qual si voglia causa fosse bandito, ò condennato dello stato di S. Chiesa: eccetto per causa d'Heresia, ò Lesa Maiestatis, ouero per qual si voglia cagione fossi debitore alla Camera, ò al Fisco, & non si possa, ne si debba fare alcuna represaglia di tali denari, ma come è detto, siano sempre liberi, & franchi alla voluntà di detto forastiere. Et questo medesimo sia detto, & s'intenda parimente delle rimesse de' denari, che per lettere di Cambio di fuori fossero da tali persone rimesse in questa Cittade.

Quarto. Che di tutte le questioni, & liti, che occorreranno per causa di detti Cambij in questa Cittade, trà quali si voglia sorte, & gradi di persone, solamente il Giudice, ò Consoli, ò Sopra Consoli del foro de Mercanti, siano, & s'intendano esser Giudici competenti: & che niuno altro Giudice, ò Tribunale, ne qual si voglia altro Superiore se ne debba, ò possa intromettere, ne per conoscere, & giudicare, ne per suspendere, ò impedire, ò inhibire al detto Foro, ò in qual si voglia altro modo impacciarsene; ma che semplicemente, & senza ostaculo alcuno la cognitione, & decisione, & essecutione di dette liti, & questioni, o cause spetti; & appartenga solamente al detto foro, non solo nella prima instanza, ma ancora nelle Appellationi fino all'ultimo fine della causa, secondo la dispositione, & forma delli statuti di detto foro. Et se alcuno si appellasse à N. Sig. cotale appellatione s'intenda deuoluere, & sia deuoluta ipso iure al Giudice dell'appellationi, & alli Sopraconsoli, come specialmente delegati da S. Santità in tal caso: dinanzi à loro l'appellante debba proseguire la causa dell'appellatione nel debito tempo dato dallo statuto di detto foro: altrimente l'appellatione sia nulla, & di niuno valore: & la sentenza data si debba eseguire per il Giudice, & Consoli, come se non si fosse appellato.

Il luogo della Piazza, oue s'habbino da ragunare i Mercanti sia la loggia del foro sopradetto, ouero altro luogo, che fosse giudicato megliore.

Et in tal luogo si debbano ridurre i Mercanti di un'hora inanzi desinare, & così di un'hora inanzi la sera per tre giorni della settimana, cioè il Lune, il Mercore, & il Venere, se saranno giorni di lauoro: altrimente si faccia piazza il giorno auanti, se non sarà di festa, & non mai in dì di festa per negotiare.

Li Cambij si debbano fare à scudi d'oro in oro di Zeccha per tutte le Piazze, & i conti, & scritture s'habbino da tenere à scudi d'oro in oro di Zeccha, così con li Terrieri, come Forestieri.

L'uso del tempo à pagar le lettere del Cambio, che seranno drizzate à Bologna, & diranno ad uso, sia, & s'intenda essere, come quì appresso.

Da Roma, & Genoua dieci giorni vista.

Da Milano, Venetia, Fiorenza, Pisa, Lucca, & altri luoghi di Toscana otto giorni vista.

D'Ancona, la Marca, la Romagna, & altre Terre di Lombardia, otto giorni vista.

Da Napoli giorni quindici vista.

Da Palermo, Messina, Bari, & altre Terre del Regno, mese uno vista.

Da Lione, Bisanzone, & Spagna, secondo le Fiere.

Da Anuersa, Parigi, & tutte le Terre della Fiandra, & della Francia, due mesi fatta.

Da Londra, & di Leuante, mesi tre fatta.

Il pagamento de' Sensali, che seranno mezzani à detti Cambi reali, habbi da esser un soldo d'oro per ogni cento scudi da ciascuna delle parti; & che detti Sensali debbano essere approuati, & licentiati nel foro di Mercanti, & osseruare, & fare tutte quelle cose, che da loro

loro si ricercano, secondo la dispositione de' statuti del detto foro, & in specie debbano tener conto in vn libro regolato à guisa di giornale, scriuendoui di sua mano di giorno in giorno tutti i Cambij, de quali feranno stati mezzani, nominando chiaramente ciascuna partita il datore, & il prenditore, la quantità, & à che prezzo, & il luogo, per il quale si ferà cambiato, & mancando essi di fare questo in tutto, o parte, debbano essere cassi, & priuati dell'ofitio, & le sia leuata ogni prouisione, che perciò hauessero.

Quanto alle liti, & questioni, che per conto di detti Cambij potrebbono accadere, se alcuna lettera di Cambio fatta in Bologna, ritornerà, di qual si voglia luoco ricusata, o non pagata con il protesto: Il creditore, in mano del quale ritornerà detta lettera debba presentarsi dinanzi al Giudice, & Console del foro della mercantia, se all'hora ve se ritroueranno, altramente dinanzi ad vno de Notarij di detto foro; & domandare la esecutione di tale lettera contra quelli che l'hauerranno fatta. I quali Giudici, o Consoli, ouero il detto Notaro, senza altra intimatione, o citatione, in continenti debbano darli la detta esecutione, & possa il creditore con vno de messi della Corte andare di subbito alla casa del debitore, & fare l'esecutione ne i suoi beni, per assecuratione di esso creditore, per quella somma che canterà la lettera del Cambio, & per le spese, danni, & interessi, ad arbitrio del Giudice, & Console.

Et caso che alla detta esecutione ostasse qualche impedimento, o difesa, debba il messo subbito farne la relatione al Notario, il quale sia tenuto dare in continenti il precetto personale al detto creditore contra il debitore. Et, fatta tale esecutione nelli beni possa poi il debitore comparire inanzi alli detti Giudice, & Consoli à domandare ragione, se si sentirà grauato, ò se vorrà allegare alcuna delle eccettioni, che si possono opporre alle lettere di Cambio, come di sotto si dirà; ma non sia odito in modo alcuno, se prima non hauerà assecurato il creditore, ancora che non fosse il tempo del pagamento della lettera del Cambio.

Ma in caso che riternasse alcuna lettera di Cambio con protesto, & che se ritrouasse esser morto colui che fece detta lettera, si possa, & debba procedere per la esecutione ne beni della heredità del morto, non altrimenti che se egli fosse viuo, non ostante che se dicesse, detta heredità esser giacente, & pendere il tempo, dato dalla legge, ad adire, o repudiare la heredità o à far l'inuentario, ò esserui pupilli, à quali non fusse stato prouisto di tutore, & non ostante qualunque altra cosa, o ragione, che si allegasse in contrario.

Et in euento che l'Heredi del morto hauessero tolta l'heredità con il beneficio di Legge, & inuentario, & fatto l'inuentario legitimamente inanzi che il creditore sia comparso à dimandare la detta esecutione, & volessero detti heredi seruirse di detto benefitio per impedire l'esecutione di detta lettera, possa il creditore, & le sia lecito pigliare la somma de' denari di quella lettera à Cambio, & recambio à tutte spese, e danni della detta heredità insino à tanto, che egli non ferà sodisfatto intieramente.

Dechiarandose, che ogni sorte di persone di qual si voglia grado, ancora che fossero di Magistrato, contra de quali retornasse lettera di Cambio non accettata, o non pagata con il protesto, possano, & debbano ad instanza del creditore essere esatti nelli suoi beni per il pagamento, o per l'assecuratione del pagamento di tal lettera in continenti che ne ferà fatta l'instanza per il creditore dinanzi al Giudice, & Console, à al Notario, come di sopra è detto. Non ostante leggi, statuti, consuetudini, priuilegij, o qualunque altra cosa in contrario.

Et perche occorre alle volte, che alcuno, che dà denari à Cambio, lo fà con hauer securtà, la quale sottoscriue la seconda, o la terza di Cambio, come si constuma in tutte le Piazze; però si dechiara, che quando la prima lettera ritornasse recusata, o non pagata con il protesto, il creditore possa così agere contra colui, che hauerà sottoscritta la seconda, o terza di Cambio, come contra il principale, che l'hauerà fatta, come à lui più piacerà, & senza suo pregiuditio contra l'altra parte, & tutto quello, che si è detto del fare l'esecutione contra il principale, s'intende parimente detto del sottoscriuente, non ostante cosa alcuna in contrario.

Alle dette lettere di Cambio reale non corra mai prescrittione di tempo, & a quelle che ritornassero in dietro recusate con il protesto, non se le possa opporre eccettione alcuna, saluo che la lettera non sia scritta, o sottoscritta di mano di chi vi è nominato per scribente, o sottoscribente, o di suo institore, o che ella sia stata pagata. Et sopra queste due eccettioni si proceda, conosca, & determini sommariamente di piano, senza strepito, o figura di giuditio, & a modo di buono Mercante, & reietta ogni cauillatione, & solamente considerata la

la pura verità del fatto. Et ſi dechiara, che in tutti i luoghi di queſti capitoli, doue ſi nomina colui che habbia fatta la lettera di Cambio, s'intende per fattore, ò ſcribente della lettera colui, ò coloro, che ſono nominati nella ſottoſcrittione, in nome de quali è fatta la lettera, ſe bene non foſſe fatta, ò ſottoſcritta di lor mano, purche ſia ſottoſcritta di mano di perſona, che habbia il compimento della ragione, ancorche egli non foſſe compagno, ò altrimente intereſſato in eſſa ragione.

Quanto poi alle lettere di Cambio fatte in qual ſi voglia luogo per Bologna, ſe alcuna lettera non ſerà accettata ſecondo il tenor ſuo, potrà il preſentante proteſtare d'ogni ſpeſa, danno, & intereſſe contra colui, che hauerà fatta la lettera, & contra ciaſcuno, che vi fuſſe obligato. Et caſo che foſſe aſſente da Bologna colui, à cui ſarà diretta la lettera, ne ci foſſe che per lui haueſſe facultà, ò compimento d'accettarla, poſſa il preſentante andare alla caſa del detto aſſente inſieme con vno de Notarij del foro de Mercanti, & quiui fare il ſuo proteſto ſopra l'accettatione, ſe per all'hora non ſerà il tempo del pagamento; & venuto il tempo del pagamento, ne eſſendo pagata, potrà riſare il ſuo proteſto ſopra del pagamento.

L'accettatione delle dette lettere di Cambio, che ſeranno drizzate à pagarſi in Bologna, ſi debba fare ſolamente per mano di chi hauerà il compimento della ragione, alla quale ſeranno ſtati tratti i denari, ò ſia patrone, ò inſtitore, che habbi tal compimento. Altramente cotale accettatione ſia di neſſun valore, ſe bene foſſe fatta per mano d'alcuno compagno, agente, ò garzone della ragione: Et ciaſchedun Mercante ſia tenuto dar notitia al Conſeruatore del detto foro della perſona, ò perſone, che hanno, ò che pro tempore haueranno il compimento della ſua ragione: Il qual Conſeruatore ne debbia far rogito nel libro acciò deputato, & parimente ſi faccia rogito quando ſe reuocaſſe tal compimento.

Et quando le dette lettere ſeranno ſtate accettate da chi deue, & può accettarle, come ſi è detto, ſia obligato la ragione farne il pagamento à ſuo debito tempo, ne per tale accettatione s'intenda eſſer pregiudicato al preſentante, che non poſſa agere contra qualunque perſona, che al Cambio di quella lettera in qualunque modo foſſe obligata, con tutto che di vna parte foſſe ſeguito il pagamento: ma reſti ſempre ſalda la ſua ragione contra ciaſcuno intereſſato in detta lettera ſino all'intiera ſatisfattione di quello, tanto della vera ſorte, quanto delle ſpeſe, danni, & intereſſi.

Et ſe auueniſſe, che doppo l'accettatione della lettera di Cambio ſeguitaſſe rottura, ò fallimento della ragione, che la douea pagare; & così eſſa lettera non haueſſe il ſuo debito compimento al tempo: in tal caſo il Preſentante potrà fare il ſuo proteſto, & chi hauerà fatta la lettera, ſerà tenuto al creditore di eſſa ſatisfare della vera ſorte, & ogni ſpeſa, danno, & intereſſe.

Et in ciaſcun caſo di lite, queſtione, ò controuerſia, che ſia per occorrere per conto di dette lettere di Cambio, non poſſano mai comparire, ne ſi debbano ammettere in alcun modo Procuratori, eccetto che nelli caſi, ne i quali è permeſſo per li detti ſtatuti del foro di Mercanti nel trattato delle lettere di Cambio, & con quelli modi, & con quelle conditioni, che in detto Trattato ſi contengano quanto ad eſſi Procuratori, & non altrimente, ne in altri caſi.

Et ſe per conto di detti Cambij reali occorreſſero liti, ò queſtioni in alcun caſo, del quale non ſia prouiſto per li preſenti Capitoli; in tal caſo ſi ſtia all'arbitrio del Giudice, & Conſoli di detto foro, ò della maggior parte di loro: Ma in tutti li ſopraſcritti caſi ſi debba procedere fare oſſeruare, giudicare, & eſeguire ſecondo la diſpoſitione de preſenti Capitoli, & non ſecondo il ſtatuto di detto foro: & la mercantia, doue ſi tratta delle lettere di Cambio, in quanto che ſiano diuerſi, ò contrarij ad eſſi Capitoli: ma nel reſto rimanghino detti ſtatuti nel ſuo priſtino vigore, & oſſeruanza, così circa le dette lettere di Cambio, & circa li ſcritti priuati, come ancora in tutte le ſue altre parti, & maſſimamente in tutti i luoghi, doue ſi parla della Iuriſdittione, & Podeſtà, ò del Giudice, ò de i Conſoli, ò i Sopra Conſoli, ò di Statutieri in qualunque modo, ò cauſa, non oſtante qual ſi voglia coſa in contrario.

Quæ quidem ſtatuta dilecti filij Ioannes Baptiſta Doria Cameræ Apoſtolicæ Præſidens Clericus, & modernus ipſius Ciuitatis Gubernator, ac Quadraginta Reformatores ſtatus libertatis dictæ Ciuitatis rata, & grata habuerunt. Cum autem ijdem Mercatores cupiant præmiſſa ſtatuta pro illorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari: Nos igitur, qui quarumlibet Ciuitatum, præſertim Nobis, & Apoſtolicæ Sedi temporali dominio immediatè ſubiectarum, ornamentum, & decus,

cus, ac vtilitatem, quantum cum Deo possumus, libenter procuramus, præfatos Mercatores, eorumq; singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: Motu proprio, non ad ipsorum Mercatorum, vel cuiuslibet ipsorum Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberatione, & ex certa scientia nostris præinserta Capitula, ac prout illa concernunt omnia, & singula in instrumento, seu instrumentis, aut documentis, seu scripturis publicis, aut priuatis desuper confectis, contenta, & inde secuta quæcunque, licita tamen, & honesta, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesq; & singulos Iuris, & Facti, ac solemnitatum defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus.

Necnon illa omnia, & singula Capitula, ac in eis contenta, & confirmationem, approbationem, adiectionem, supplctionem huiusmodi, præsentesq; litteras, nullo vnquam tempore, quouis quæsito, colore, vel ingenio de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, aliovè vitio, seu intentionis nostræ, aut copiam alio defectu notari, vel impugnari posse. Neque sub quibusuis alternationibus, limitationibus, reuocationibus, derogationibus, vel suspensionibns, etiam à Nobis, & Sede præfata nunc, & pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis (excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, & denuo etiam sub posteriore datum per Mercatores præfatos eligenda, concessa, & firma perpetuò valida, & efficacia esse, ac censeri, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, ac ab omnibus, & singulis, quos præmissa quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent inuiolabiliter, & ad vnguem perpetuo obseruari debere. Necnon præfatos Mercatores, & eorum singulos cuiusuis status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existens ad omnimodam illorum Capitulorum obseruationem teneri, & efficaciter obligatos fore, ac ad id sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac alijs quibusuis opportunis iuris, & facti remedijs compelli. Et sic per quoscunque Iudices etiam ipsius Ciuitatis Gubernatores pro tempore existentes, ac etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, necnon dictæ Sedis, etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Ac si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Quocirca dilectis filijs causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & dictæ Ciuitatis Bononiensis Gubernatori, ac venerabilis fratris Episcopi Bononiensis Vicario in spiritualibus Generali. Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Mercatorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisq; in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra Mercatores, illorumque singulos confirmatione, approbatione, adiectione, supplectione, & decreto, alijsq; præmissis, iuxta præsentium continentiam & tenorem pacificè frui, & gaudere: Non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendum: necnon legitimis super his habendis seruatis processibus; illos censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarandum, easque etiam iteratis vicibus aggrauandum. Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij seculari. Non obstantibus præmissis, ac fœl. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo, quis vigore præsentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac alijs fori Mercatorum dictæ Ciuitatis iuramentis, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, ipsi foro, & illius, ac quibusuis alijs personis, sub quibus-

buscunque tenoribus, & formis, ac eum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & in solitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, innouatis, & confirmatis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret; illorum tenores, formas, & datas, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis, & insertis habentes (illis in suis pristino robore, & efficacia non tantum circa litteras, verum etiam circa scripta priuata, & denique circa iurisdictionem, & potestatem Iudicis, & Consulum, ac reliquas alias omnes, & singulas statuti, & priuilegiorum, ac indultorum prædictorum ipsius fori tangentes partes permansuris, & valituris, illa si opus est rursus, & denuo harum serie etiam perpetuo approbantes, confirmantes, & concedentes, ac etiam ab omnibus, & quibuscunque, etiam quauis dignitate, iurisdictione, & auctoritate fulgentibus, & fungentibus, etiam si sint Legati, Vicelegati, aut Gubernatores, sublata etiam illis, & eorum cuilibet quauis aliter faciendum, iudicandum, definiendum, decernendum, rescribendum, & statuendum facultate, potestate, & auctoritate inuiolabiliter obseruari mandantes) ac ex nunc, prout ex tunc, & è contra, quidquid secus, vel in contrarium, per eos, aut quemcunque, vel quoscunque alios quauis auctoritate scienter, vel ignoranter, quomodocunque, & qualitercunque fieri, aut attentari contigerit, irritum, & inane decernentes, ac vice dumtaxat specialiter, & expressè motu, & scientia pariter derogamus contrarijs quibuscunque: aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die xxv. Nouembris MDLXIX. Pontificatus nostri anno iiij.

Decreto legitimamente fatto sopra il modo del fare i pagamenti de Cambij in Bologna.

Che per li pagamenti delli Cambij reali, che quì si cambiaranno sotto nome di scudi d'oro in oro di Zeccha, & parimente per li pagamenti di Cambio, li quali seranno stati fatti altroue per Bologna, che cantaranno de scudi d'oro in oro di Zeccha pagare la valuta à ragione di lire quattro, & soldi cinque di quattrini per scudo, dando, o scudi d'oro correnti per il prezzo, che correranno, ouero tanta moneta d'argento: Con questo, che le monete d'argento basso, come muraiole, bolognini, sesini, quattrini non s'intendano sotto nome di moneta d'argento, ma siano esclusi da questi pagamenti.

Luogo della Piazza del Cambio.

Si è poi determinato, che il luogo della Piazza del Cambio sia non la loggia del foro della Mercantia, ma il Portico inanzi l'Hospitale della Morte, che da quì inanzi si chiamarà la loggia del Cambio.

F I N I S.

Laus Deo, Beatæq; Virgini Mariæ.

CORRIGENDA SIC CORRECTA.

Pag.	*col.*	*num.*	*verſ.*	*corrigendum.*	*correctum.*
18	1	71	6	41	77
57	1	206	vltimo	19	20
60	1	214	vltimo	capax	potens
64	1	238	14	concl.4.	concl. 3.
181	2	——	22	num.7.	num.8.
184	1	79	6	o. 6.	o. 6. 8.
209	2	40	17	mequè	iniquè
271	2	——	25	acquiſ. verſ.	acquiſ.q.3.verſ.
277	1	130	7	creditori	debitori
277	1	130	15	creditor	debitor
308	1	267	33	in tertio	in ſecundo
308	1	267	38	fictionibus	ſuſpitionibus
324	2	——	41	ſupra	infra
384	1	41	1	quia genus	quia cum genus
384	1	41	3	cum marium	marium
397	2	——	10	interiori	exteriori
469	1	12	9	67	71
575	1	356	3	habebat	habeat
696	2	62	penultimo	infra	infra num. 69.
713	1	144	40	reſtrict.7.	reſtrict. 9.
713	2	——	5	huius caſus	huius ſpeciei
743	2	——	46	. ¶ Deſuper	, deſuper

INDEX OMNIVM,
QVAE IN HOC CONTINENTVR
TRACTATV.

Verba, quibus contigit alphabetico ordine materias, ad ipsa pertinentes, habere dispositas, in eisq; propterea multa inueniri, quæ etiam sub alijs verbis aut sunt collocata, aut collocari potuissent, sunt ista, Assecuratio, Cambium, Census, Contractus, Interesse, Lex, Ludus, Moneta, Mora, Mutuum, Pecunia, Præscriptio, Pretium, Restitutio, Societas officij, Solutio, Sponsio, Vsura.

rita-

Adie-

Adimplere, Adiudicatio, Adulterium.

Aduocatus, Aequalitas, Aestimabile.

Aestimatio, Aetas, Affirmatiua.

Agens, Agere, Albinganensis.

INDEX.

tia

I N D E X.

b Magi-

Theo-

Cam-

Pericu-

INDEX.

Coactus, Collybistæ, Collybus.

Commercium.

Commodatum, Commodum.

Con-

S.1.

I N D E X.

Crimen, Crux, Curator.

Dacium;

INDEX.

Deceptio, Decipere.

Decima, Declaratio.

Dele-

INDEX.

Deus, Dictio, Dies.

Drachma, Dubium, Ducatus.

Absol-

Emungens, Episcopus.

Error, Esse, Euictio.

Facere,

I N D E X.

Frumentum.

Fur, Furtum.

Hæres,

INDEX.

Infa-

Insti-

Ad

Lana, Latro, Laudemium.

Legatarius, Legatum.

Legatus, Legislator.

Legitimatio, Habilitas, & Inhabilitas Personarum.

 potest

Natu-

INDEX.

Furari,

I N D E X.

Macedoniana, Magistratus, Malum.

Homi-

Medi-

INDEX.

Monopolium.

Mons, Loca montium.

Fide

net

Nisi, Nobilis, Nocere, Nomen.

Notarius, Notitia, Notorium.

Notoria

I N D E X.

Societas

I N D E X.

Censum

I N D E X.

Præsumptio.

Prote-

Ratio-

INDEX.

Inca-

I N D E X.

Scri-

INDEX.

Acce-

I N D E X.

Fur

Scutos

INDEX.

Theo-

Emptio,

INDEX.

Vo-

I N D E X.

F I N I S.

R E G E S T V M.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr.

a b c d e f g h i k.

Omnes sunt Terniones, praeter ✠, quae est Duernio, & k, Quaternio.

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Mascardi. M D C X I X.

SVPERIORVM PERMISSV.

LECTORI.

ANDREAS BRVGIOTTVS BIBLIOPOLA. S.

POST huius tractatus impressionem, statim hoc eodem anno 1619. die 3. Aprilis impetraui à S.D.N. Paulo V. Pontifice Maximo priuilegium, duraturum per annos decem in toto Statu Ecclesiastico, ne, durante dicto decennio, tractatus iste ab alio imprimatur, &c. sub pœna &c. prout latius in breue dicti priuilegij.